






RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES
TOMUS SECUNDUS.


Maſsucci Delin.



RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES
AB ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ QUINGENTESIMO
AD MILLESIMUMQUINGENTESIMUM,
QUORUM POTISSIMA PARS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT
EX AMBROSIANÆ, ESTENSIS,
ALIARUMQUE INSIGNIUM
BIBLIOTHECARUM CODICIBUS.

LUDOVICUS ANTONIUS
MURATORIUS
SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS
Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit,
NONNULLOS IPSE, ALIOS VERO
MEDIOLANENSES PALATINI SOCII
Ad MStorum Codicum fidem exactos, summoque labore, ac diligentia castigatos, variis Lectionibus, & Notis tam editis veterum Eruditorum, quàm novissimis auxere.

ADDITIS
Ad plenius Operis, & universæ Italicæ Historiæ ornamentum, novis Tabulis Geographicis, & variis Langobardorum Regum, Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, quæ ab ipsis autographis describere licuit, vel nunc primùm vulgatis, vel emendatis, necnon antiquo Characterum specimine, & Figuris Æneis.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

TOMUS SECUNDUS.



MEDIOLANI, MDCCXXIII.
EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ
IN REGIA CURIA.
SUPERIORUM FACULTATE.


Fran. Pavonaina. del.
F.M. Francia st.

HIERONYMO. COLLOREDO.

S. R. I. COMITI. DE. WALDSEE.
MELSI. VICECOMITI.
OPOCZNAE. FRIMBURGI. GLASCOVII.
STAATII. &c. DOMINO.

CAROLI. VI.

ROM. IMPERATORIS.

ET. HISPANIARUM. REGIS. FOELICISSIMI.
A. PENITIORIBUS. CONSILIIS.
MODERANDIS. INSUBRIUM. REBUS. ITERUM. DATO.
CISALPINORUM. EXERCITUUM. DUCI. &c.
BONARUM. ARTIUM. PATRONO.
QUOD.
PUBLICA. RE. DIFFICILLIMIS. TEMPORIBUS.
JUSTITIA. PRUDENTIA. ET. COMITATE. OPTIME. GESTA.
MUSIS. AMOENIORIBUS. INDULGENS.


ITALICARUM. RERUM. HISTORIAS.

PLERASQUE. IN. TENEBRIS. ADHUC. LATENTES.
AD. LITERARIAM. LUCEM. REVOCAVERIT.
AC.
PRAESENS. PROPITIUSQUE.
TYPOGRAPHICO. PRAELO. SUBMISERIT.
BENE. AUSPICATI. OPERIS. INCREMENTUM.

PALATINI. SOCI.

DICANT. CONSECRANTQUE.


KAISERLICHE KÖNIGLICHE



EXC.MO VIRO
HIERONYMO COLLOREDO
S. R. I. COMITI DE WALDSEE &c.
INSUBRIUM MODERATORI &c.

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS

S. P. D.



Ericles clarissimi nominis Atheniensis orator Thucydidem Milesium ita sibi adversarium habuit, ut cùm sanctissimè Rempublicam quadraginta ferme annos administrasset, ob id unicum accusaretur, quòd nimium in publicis operibus impendisset; at bene cordatus homo calumniam risu accipiens, animoso quidem responso declinavit. De meo, inquit, hæc omnia persolvantur, dummodo liceat in operibus nomen inscribere: tanti scilicet fecerat egregiè factorum in Rempublicam vel unius inscriptionis

* mo-

monumentum. Adversùs hæc recusata populus conditione, magnificentiæ laudem eripi sibi pretio non est passus.

Hæc quô tendant, Comes Excellentissime, facilè cognosces, cùm inscriptum nobilissimo Nomine tuo à Palatinis Sociis tomum hunc alterum Italicarum Rerum aspexeris, atque id jure factum intelliges, ut sit debitum operis tui monumentum, non quærendæ gratiæ, sed referendæ consilio positum. Studiis quippe nostris ea commoda & præsidia contulisti, ut sine Te nihil, favente verò Te incœptum opus absoluturos esse nos non temerè speremus. Hinc meritò diceris auctor, & quæ à servatis majorum nostrorum rebus gloria solet accedere, æternam Tibi quidem comparasti, non restitutis templi alicujus, vel celebrati olim ædificii ruderibus, quæ bonis etiam Principibus non ultima cura; sed quæ magis præstant, rerum pace belloque in Italia nostra gestarum commentariis, plerisque ab edaci temporis dente ad literariam vitam ereptis, & politioris ornamenti accessione posterorum memoriæ traditis: iisque, si quid boni à præteritorum temporum recordatione in vita capimus, Italiam universam gratissimo beneficio Nomini tuo devinxisti. Veterem quippe illius faciem, veluti compositis loco suo Statuæ fragmentis, ita rursus collectione nostra exhibuisti, ut ex comparatione sui gaudium sit acceptura, maximamque utilitatem.

Ingens profectò hinc Tibi laus à posteris, quòd aliorum facta vulgatis veterum historiis ad

eos

eos transmiseris; at à præsentibus nobis majori altera non es fraudandus, quòd ea feceris, quæ nihilo minus eosdem ipsos cognoscere oporteat, atque imitari. Non egò præ cæteris memorem urbanam hanc Jovis arcem novis operibus auctam, atque ad eam firmitatem comparatam, quæ par tantæ Urbi, & veteri apud Italos æstimationi respondeat. Non Piceleonis alteram ad confluentes Abduam & Serium novis etiam munitionibus ad recentiorem militaris artis rationem ita instructam, ut integra ferme sit ab imo solo excitata. Non cæteras omnes Insubrium, quibus CÆSAR securitati publicæ consultum voluit, diligentiâ peritiâque tuâ lustratas, firmatasque. Non tormenta bellica ex ære conflata; Non forum, stratis vilibus substructionibus, Mercatorum commodo, & Urbis elegantiæ restitutum. Non cinctas solidissimis repagulis fossas, per quas onerariæ naves in Urbem circumferuntur, sublatumque civibus frequens periculum. Non pomœrium denique ad spatiosas ambulationes propediem proferendum. Magna quidem sunt hæc; sed quæ tempori cedant, perpetua verò, & præcipua tua gloria est optima illa imperandi ratio, qua, cùm traditam Tibi Rempublicam bene, ac ex omnium ordinum desiderio regas, Tu Tibi solus non satis fecisse videris, nisi conceptam animo felicitatem amore curâque tuâ populis dederis. Hinc assiduus ille tuus fortunatorum laborum conatus, quo totus negotiis ferme incubas; hinc frequens ad Te accessus, & apertæ humilioris notæ civibus

aures,

aures, manuſque; Hinc militaris diſciplinæ rigor iterum reſtitutus, & propulſata priorum temporum licentia, qua graves regioni milites, ſibi ipſis graviores ex mutuo timore inopiâ rerum affligebantur, negatiſque ſtipendiis ferociebant. Modeſta nunc militum itinera, ſtationes modeſtæ, nullus civibus timor, quies ruſticis, par omnibus amor; quique linguarum varietate, ac diſpari inſtitutione vitæ ſeparabantur, charitate atque officio mutuo ſub uno tecto coaleſcunt; cùmque iis ſine cunctatione ſtipendia perſolvantur, tantum adhuc Ærario ſupereſt, ut decem centena millia librarum ex diariis tributis, procurante Te, CÆSARIS beneficentiâ ſint remiſſa, & ulterius remittenda ſperemus. Quid verò dicam de eximia illa tua liberalitate, qua novis artibus inſtituendis, vel obſoletis iterum repetendis ingens auri pondus de tuo facilè donas? Quid de comitate illa ſingulari & exultanti animi gaudio, ſi quem induſtriâ ſuâ talia tentantem cognoveris? Mirum equidem quantum animi, quantum opis auctoritate conferas, & præſidio! Quippe jam Tibi perſuaſum ſaluberrimum illud huic regioni conſilium: fruſtra vireſcere felices Inſubrium agros, atque horrea ſegete multa impleri, niſi frequentiâ commerciorum, & artium uſu æſtimentur. Quamobrem ſublatis magna ex parte vectigalibus Annonam non ſolum nobis reſtituiſti, ſed apertis commerciorum viis ad remotas etiam nationes ex perituris olim nequicquam in horreis meſſibus abundantia noſtra in poſterum redundabit.

At

At melius nunquam, Comes Excellentissime animi tui paternam verè sententiam ostendisti, quàm cùm Palatinos Socios novam hanc editionem parantes acceperas. Gaudebas optimates viros, non otio, & alea lascivientes, sed literarum amore fervidos lateri tuo adhærere, nihilque nisi eruditum pronunciantes, de fortuna publica ita disserere, ut administros consiliorum tuorum jure Tibi pollicearis. Gaudebas in partem curarum tuarum Patricios eos venisse, quorum exemplo literarum puriorum studia reflorescerent, & in vulgus publico bono revocarentur. Ac demum, quæ tua bonitas est, fortunæ quoque meæ gratularis, quòd spei melioris in dies ex patrocinii tui tutela fieret. Pronus inde in laudes hortari singulos, laudare omnes, & beneficia conferre, ut vix precibus locum reliqueris, gratiarum liberalitate necessaria quæque disponens, ac voce, præsentiâque dulcissimâ labores allevans nostros jam eô rem adduxisti, ut nihil mihi optandum supersit, modò ne urgeas.

Verumenimvero quo meliori argumento studiorum rationem in Palatinis nostris probare poteras, quàm præclara illa Familiæ tuæ institutione ad veteris disciplinæ severitatem accommodata, qua maximæ spei adolescentes Rodulphum *filium, &* Fabium Leandrum *ex fratre nepotem, Græcis, Latinisque literis eruditos de philosophicis præceptis publicè, atque ex tempore ita disserentes audivimus, ut in ætate sapientiam, in conditione status laborum duritiem admirare-*

mur, gauderetque civium universus cœtus cum iis ingenio certare, quibuscum auctoritas patris in Academiæ palæstra sortem æquaret.

His equidem tyrociniis tradita illis veluti per manus prudentiæ ratio, ob quam Majores vestros longo plurium sæculorum cursu, vel armis, vel literis deditos Germania, atque Italia carissimos habuit, ut cumulandis in Familiam honoribus inter se certaverint, eamque sibi utraque vindicando propemodum certet. Etsi enim Germania se matrem præbeat, Italia nostra, longo nutricatus jure quæsito, in sinum recipit, amplexaturque non cessura carissima pignora, repetat utcumque mater ex annalibus suis à Constantinianis usque temporibus Emerium illum è Marpaco Trevirensem pietate clarissimum, tuæ, aliarumque illustrium gentium auctorem, qui Sueviam Sanctissimo Crucis ligno lustravit, extructoque castro, loco, ac Familiæ nomen dedit de Sancto Monte, unde Virtenbergensem inclytam stirpem originem duxisse, gravissimi testantur Auctores. Amelongum itidem Emerii filium, qui prope Constantiam urbem, ubi fusco septus nemore albescens lacus Waldsee vocabulum vernaculâ regionis linguâ impositum servat adhuc, Waldseensem arcem, gentemque fundavit, tradito ex loci facie gentilitio stemmate, transversam in nigro scuto candidam vittam exhibente. Recenseat inde Germania illustres Dominos, & liberos Barones Waldseenses, tam in Suevia, quàm in Austria, quô, auspice Rodulpho Habspurgensi, migraverunt,

verunt, & ob summam in Austriacos Principes fidem, Marescalcorum, ut vocant, illius provinciæ, & Dapiferorum Styriæ munere perpetuo decoratos, amplissimisque dynastiis & castris in Austria, Styria, Carinthia & Carniola donatos. Enumeret ex his magni nominis viros Bertholdum Einsidelensem Abbatem; Eberhardum Alberti Ducis Austriæ juventæ moderatorem, supremum Curiæ Præfectum, intimumque Consiliarium; Henricum copiarum ejusdem Alberti adversùs Salisburgenses ducem, & ad Jacobum Aragoniæ Regem legatum. Ulricum Styriæ & Guilielmi Archiducis Austriæ Curiæ Præfectum, & in Patavina urbe Vicarium Imperialem; Fridericum supremum Styriæ Pocillatorem; Gibhardum Patavinum electum Episcopum, aliosque tercentos Waldseenses Heroas, quos ex eadem gente Colloredi tui exceperunt. Italia namque jamdiu habet unde Colloredos adscribat sibi, quòd Liabordum Waldseensem cum Henrico fratre Conradum Salicum Romam ad Imperii coronam suscipiendam proficiscentem, in itinere prosequutum fuisse constet, ejusque beneficentiâ in Forojuliensi regione sedem fixisse, tradito sibi Melsii castro, & Vicecomitatus honore; indeque Vicecomites & Domini de Melsio, ex quibus cognomines adhuc nobilissimi viri. Facta inde per Henricum de Melsio Prodoloni castri accessione ad amplissimam Vicecomitatus ditionem, quæ in Ventionense oppidum, Montemfortem, & Satimbergum, plurimosque alios non ignobiles pagos porrigebatur, Pro-

doloni

doloni virtutibus & nobilitate præstantes oborti sunt. Extructo demum à Guilielmo Vicecomite Melsii castro Colloredo in ditionis suæ colle amœnissimo, ea Familiæ data est appellatio, quam utrique Nationi Majorum tuorum gesta clarissimam fecerunt. Quamobrem si Germania Colloredos eosdem illos de Melsio, Waldsee, Sancto Monte, ac Marpaco appellatos jure sibi adjudicandos contendat, & amplissimas Dynastias, quibus in Austria, & Bohœmia sua latè dominaris, producat, Italia nostra, veluti prætorio interdicto novissimam possessionem dimittere non injuriâ negat, non absimiles etiam Dynastias tuas in Forojuliensi Provincia, & in Etruria designans: quodque magis est, longævum incolatum, & præsentis nominis dationem, quo non inæquales numero Germanis ex gente tua, varias olim in familias propagata, Itali plures celebrantur. Leandrum illa præ cæteris patruum tuum S. R. E. Cardinalem, quem ad supremas dignitates elatum, dum avitos honores & generis nobilitatem humili professione vitæ conculcaret, Ecclesiasticæ disciplinæ probatissimum exemplum habuit, abstrahi sibi de gremio non patitur, ac Te, fratresque tuos, Fabium scilicet primogenitum, Equitum Sancti Stephani in Lunensi regione Priorem, Leandri Patrui vestigiis adhærentem, quem domesticæ virtutis imitatione S. Philippi Nerii familiæ nomen dedisse Roma gaudet sacris ex ore mellifluo concionibus recreata, pastorumque liberali manu pauperum voce in laudes

effusa.

effusa. Rodulphum alterum fratrem S. Sophiæ Marchionem. Consobrinum denique tuum Joannem Baptistam aurei Velleris equitem CÆSARI à cubiculo, & secretis consiliis, ejusque ad Venetam Rempublicam Legatum, quem Tibi una studiorum ratio, una commissarum gravitas rerum, una in CÆSAREM fides supra naturæ necessitatem conjungit. Rodulphum, Antonium Philippum, & Carolum *filios tuos, ex quibus in propagatione familiæ æternitatem Colloredi nominis, quam precor, expectat.*

Ast ego Comes Excellentissime, ut communi est in dicterio, cum umbra dimicasse, hactenus mihi videor, ultro enim Germania, quæ Te Moraviensi provinciæ suæ præpositum habuit, & maximum in Bohœmia feudalium quæstionum judicem habet, concessisse nobis dicendum est, ob commissam fidei prudentiæque tuæ amplissimam urbem, atque regionem, Italiæ universæ præsidium adversùs exteras gentes; itemque Te in Italiam matrem filium gerere ob eximia charitatis & amoris pignora, quæ in traditam Rempublicam contulisti, unde merito lætari ordines omnes civium aspiciebas, cùm CÆSARIS Clementiâ datum iterum Te nobis vulgatum est, constantesque virtutis Tuæ laudes à bonis omnibus efferuntur, quas cùm modestiâ tuâ compescere niteris, veluti obducti cineribus carbones fervescunt; unde merito dignitates tuæ in dies augentur, & collatis honoribus novus honor accedit. En Te supremum in Bohœmico regno Archidapife-

piferum hæreditarium, dum hæc ſcribo ad maximam munerum amplitudinem elatum gratulamur, ita exigentibus à beneficentiſſimo Principe virtutum tuarum meritis votiſque ſingulorum.

Aliorſum verò vertendam mihi orationem jam cognoſco, ne dum officii debitum perſolvo ingratus laudibus fiam. Ad Hiſtorias ergo noſtras redeo, & quas auctoritate, præſidioque tuo in vulgus emittendas curaſti, en Tomo altero impreſſas, Nominique tuo à Palatinis Sociis dicatas, pro mea virili ſiſto atque offero, exiguum ſanè tenuitatis meæ donum, ſi ad typographicam operam reſpexeris; non injucundum verò ſi ad obſequium & animi deſiderium. Ad te namque laborum meorum ſcopus, unde mihi auſpicium, & decus ornatiſſimum. Accipe igitur, Comes Excellentiſſime, benignitate qua ſoles, ut ſit in diuturno labore ſolatium, & quod auſpicio tuo incœptum opus, eodem Patrono Te brevì abſolvatur. Deus interim ſalvum ſoſpitemque Te publico bono diu ſervet, & votis noſtris occurrat, quæ pro felicitate Familiæ tuæ quotidie nuncupamus. Dabam Mediolani XIII. Kal. Junias an. MDCCXXIII.

ELEN-

ELENCHUS
TOMI SECUNDI.

AGNELLI,
QUI
ET ANDREAS,
ABBATIS S. MARIÆ AD BLACHERNAS,
ET S. BARTHOLOMÆI RAVENNATIS,

LIBER PONTIFICALIS,
Sive Vitæ Pontificum Ravennatum,

QUAS

D. BENEDICTUS BACCHINIUS
ABBAS S. MARIÆ DE LACROMA

Ordinis S. BENEDICTI Congregationis Casinensis

EX BIBLIOTHECA ESTENSI

ERUIT,

Dissertationibus, & Observationibus, necnon Appendice monumentorum illustravit, & auxit.

Omnia in præsenti editione cum MS. Codice Estensi rursus collata, emendatiora, & aucta.

IN AGNELLI
LIBRUM PONTIFICALEM
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Vitas, seu Historiam Episcoporum Metensium conscripsit magni nominis vir Paulus Diaconus circiter annum Christi 784. & quamquam primus ille non fuerit, qui ejusmodi genus Historiam literis consignare coeperit, attamen Italis ingeniis illius exemplum ad paria elucubranda stimuli loco fuisse mihi persuadeo. Et quidem paucis annis post mortem Pauli natus Agnellus, Ravennatium Archiepiscoporum Vitas sibi contexendas suscepit, quas iterum praelo in commodum Eruditorum subjicimus. De earum Auctore haec habeto. Agnellus, Andreas quoque appellatus, Ravennas, natus videtur circiter annum Christi 805. sunt enim ejus verba in Vita Aureliani: *Hodie sex gero lustra, duobus insuper annis, & bis quinos menses.* Quum vero, ut infra videbimus, affirmet ille, sibi conscriptum fuisse Pontificale anno 839. propterea natalem annum illius intelligimus. Ex illustri genere ipsum descendisse, satis idem prodit, quum inter Majores suos ex parte proaviae enumeret Joannicium, celebrem olim Scribam Imperatoris Constantinopolitani. *Johannicis Agnem genuit, Agnes Andream procreavit. Ex Andrea Basilius genuit Andream Presbyterum Editorem hujus Pontificalis.* Clericale institutum sequutus Agnellus, & inter Presbyteros cooptatus, ex Ecclesiasticis proventibus & ipse commoda sensit; quippe in ea Urbe *Abbas S. Bartholomaei* fuit, ut ipse testatur in Vita Ursicini. Monasterio huic praefuerat olim Felix Archiepiscopus Ravennas XXXVIII. cujus tribulationes recensens Agnellus in ejus Vita, haec subdit: *Sic & mihi de praedicto Monasterio contigit. A Georgio Pontifice per pauca annorum curricula sine causa privatus de hoc Monasterio fui.* Tum in Vita Martini Archiepiscopi XLV. alteri Monasterio se praefuisse scribit his verbis: *Iste Monasterium S Mariae, quod vocatur ad Blachernas, ad Andream largivit Presbyterum, eratque adhuc puer.* Hoc idem confirmat in Vita Petri Archiepiscopi XVII. scribens: *Dum in Monasterio meo Beatae & semper Virginis Mariae, quae vocatur ad Blachernas, residerem.* Quibus ex verbis, uti & ex aliis ejusdem Agnelli discimus, praeter Monachos etiam Clericos Seculares Abbatiis donatos; aut Secularium Ecclesiis Monasterii nomen tributum, fortasse quod olim Monachis inservirent; ac propterea Monachorum in album non esse statim referendos, qui olim *Abbatis* titulum gerebant. Tamdem auctor est Agnellus noster in Vita Sergii, *Avum Patris sui*, quod in necem Pauli Romani Pontificis consensisse crederetur, una cum aliquot aliis Nobilibus Ravennatibus Romam advocatum, *ibique omnes tamdiu coarctatos, quo usque mortui sunt.*

Quo vero potissimum tempore floruerit Agnellus, & quo anno hic ei labor fuerit susceptus, ab ipso non uno in loco proditum est. In Vita S. Maximiani Archiepiscopi narrat ille, *Quintodecimo anno Petronacis Archiepiscopi, & nostris temporibus* translatum fuisse corpus ejusdem Maximiani. Quum vero arca effoderetur, Petronax *dixit decimo Presbytero in ordine sedis suae nomine Agnellus, qui Andreas vocabatur (erat autem ille illo tempore artificiorum omnium ingeniis plenus:) esto heic prope, praecipe Artificibus, quomodo facere debeant &c.* Nescio ipsene Agnellus se ipsum, an alius quisquam nota addita eum laudarit. Quod si Rubeo acquiescendum est, Petronax anno 817. Archiepiscopatu Ravennate est auctus. Saltem hoc illi munus delatum anno 819. evincere videtur Diploma Paschalis Papae eidem Indictione XII. concessum, & a Rubeo memoratum, ita ut ignorem, cur Bacchinius infra laudandus ejus consecrationem anno tantum 821. tribuat. Ergo Petronacis annus XV. in annum Epochae Vulgaris 832. aut 834. cadit, quo Agnellus memoratae translationi interfuit. Rursus in Vita S. Petri Senioris haec ille scribit: *Nunc paene anni XXXVIII. quum Karolus Rex Francorum omnia subjugasset Regna, & Romanorum percepisset a Leone III. Papa Imperium, postquam ad Corpus B. Petri sacramentum praebuit; revertens in Franciam, Ravennam ingressus, videns pulcherrimam imaginem, quam nusquam similem, ut ipse testatus est, vidit, in Franciam deportare fecit.* Anno 801. Carolus Magnus Romanorum Imperator renunciatus, in

in Franciam reversus est. Ergo anno 839. Agnellus haec scribebat. Rursus eumdem audiamus in Vita Mauri Archiepiscopi de miro lapide porphyretico Ravennae posito narrantem: *Sed paene annos XII tempore Petronacis Pontificis Lotharius Augustus tollere jussit, & Franciam deportavit.* Quum Lotharius anno 823. coronam Imperii Romae perceperit, consequens est, haec ab Agnello scripta circiter annum 836. Discrepant haec aliquantulum a supputatione praemissa; sed non uno tantum anno Agnellus suum Opus absolverit. In Vita quoque Georgii narrat proelium teterrimum peractum anno 841. inter Lotharium, & reliquos Ludovici Pii filios. Quare vides, quousque suum laborem produxerit Agnellus.

Ab Auctore ad Librum ipsum descendamus. Prima fronte contemnas, quum initio tot Barbarismos ac Soloecismos offendas, quorum partem ut ut rejicere in Descriptorem ineptum velis, potior certe Agnello ipsi tribuenda videtur, parum in Prisciani Schola versato. Tum intolerabiles Anachronismi se offerunt, & fabellæ, quas facile aetas illa amplectebatur, nos autem aut ridemus, aut difficile excipimus. Ad haec ubi navigare amplius nequit, eum aqua deficiente, adhuc subsidere nequit; hoc est insulsis concionibus Lectorem detinet, & phaleris loca vacua implet, ne jejunae nimis nonnullorum Archiepiscoporum Vitae appareant. Quid? quod in Episcopos sui temporis male animatum se non uno in loco prodit, quum contra *Sancti* titulo nonnullos ex Ravennatibus Praesulibus donet, quos aut tentatum Schisma, aut perditi mores infecerunt. Imo illorum ausibus interdum ita plaudit, ut in ipsos Romanos Pontifices, eorumque antiquissima jura, Scriptor hic maledico dente insurgat. Verum haec minime absterruerunt Clarissimum Virum Benedictum Bacchinium, quo minus librum hunc numquam antea editum nostris diebus publica luce donaret. Nam aeque certum est, Agnellum, ut ut Scriptorem velis rudem, barbarum, & dicas etiam, tribolarem, multa tamen nobis, eaque magni facienda, ex antiquitate servasse, non ad celeberrimae tantum Ravennatis Ecclesiae exornandam Historiam plurimum opportuna, sed & ad mores antiquorum temporum, ipsiusque Secularis Historiae acta quaedam in majori lumine collocanda, non exiguo adjumento futura. Audiendus autem Agnellus ipse, qui de suo Opere haec in Vita Exuperantii Archiepiscopi XIX. habet: *Praedictum Pontificalem ego Agnellus, qui & Andreas exiguus Sanctae meae hujus Ravennatis Ecclesiae Presbyter rogatus, & coactus a fratribus ipsius Sedis composui, & ubi inveni, quid illi certius fecerunt, vestris aspectibus allata sunt. Et ubi Historiam non inveni, aut qualiter eorum Vita fuisset, neque per annosos, & vetustos homines, neque per aedificationem, neque per quamlibet auctoritatem, ne intervallum Sanctorum Pontificum fieret, illorum Vitam composui* &c. Ceterum tam paucos rudium Seculorum Historicos ostendere Italia potest, ut ambabus ulnis excipiendus sit iste, & gratulandum nobis, quod nondum totus perierit.

Et quidem in gravi discrimine is fuit. Ipso ad contexendum Historiae suae Ravennatis opus egregium usus est Hieronymus Rubeus; attamen lib. 5. pag. 238. de ipso Agnello in haec verba scribit: *Qui his non solum interfuit, sed praefuit, summaque doctrina eruditus de Ravennatibus Archiepiscopis volumen gravissime scriptum reliquit. Quod quum diu in Archiepiscopatus Bibliotheca fuisset, superioribus annis, cum multis aliis sublatum, nullibi invenitur, magna quidem certe jactura.* Ita Rubeus. Proinde actum de Agnello erat, nisi Estensis Bibliotheca unum nobis Codicem servasset membranaceum, & circiter annum Christi 1340. manu exaratum. Eruditorum intererat hunc librum vulgari; & eum re ipsa laudatus nuper P. D. Benedictus Bacchinius Benedictinus Abbas, Vir solidae, & exquisitae eruditionis, primus omnium edidit Mutinae anno 1708. typis Antonii Capponii, simulque dicavit Serenissimo Raynaldo Estensi Mutinae &c. Duci. At ne sic quidem notus Agnellus; ideoque repetitam illius editionem poscebat Collectio nostra. En ergo illam, & quidem integram, qualem Bacchinius dedit, hoc est una cum Dissertationibus, & Appendice documentorum, quibus Agnellum ipse eruditissimus Vir correxit, illustravit, ac ornavit. Ego vero, ut nostra haec editio eruditae gentis gratiam novis titulis ineat, rursus cum eodem Codice MSto Bibliothecae Estensis Bacchinianam editionem contuli, multaque deprehendi aut non satis accurate descripta, aut ex festinatione praetermissa: quam culpam non in Bacchinium, hominem veteris scripturae peritissimum, sed in descriptorem, quo ipse fuerit usus, rejiciendam puto. Haec omnia in calcem cujusque pagellae adnotata reperies. Eo vero libentius laborem hunc iterum aggressus sum, ut eruditis viris suspicionem eriperem mutilati ab ipso Bacchinio Agnelli. Certe in editione Bacchiniana non paucae lacunae occurrunt, & praesertim in postremis Archiepiscoporum Vitis, in quibus tamen curiosus Lector ab Agnello teste oculato plura expectabat. At nunc vadem me praesto, nihil in textu Agnelli immutatum, nihil additum, aut demtum. Qualia in Codice Estensi invenit Bacchinius, integra ea evulgavit; ac propterea antiquioribus temporibus lacunae illae tribuendae. Serius autem didicimus, in Vaticana quoque Bibliotheca alterum Agnelli Codicem MStum adservari. Sitne ille recen-

recentis manus, an Estensis vetustior, ignotum mihi. Denique, ut hoc etiam moneam, 5
Vitam S. Barbatiani *ex antiquo Ravennate Lectionario* edidit Bacchinius in Appendice.
Mirari subit, cur non & Codicem ipsum Agnelli in Estensi Bibliotheca existentem lau-
darit, ubi post ejus Pontificale eadem Vita una cum aliis priorum praesulum Raven-
natum legitur, & quidem emendatior, quam edita ex Codice Ravennate. Has ego
emendationes adjunxi. Reliquas autem Vitas, aliaque monumenta ad Ravennam spe-
ctantia, & in Estensi Codice scripta, praetermissa quidem à Bacchinio, sed plane di-
gna quae ederentur, ego in nostram Collectionem suo loco inferam. Sed jam audia-
tur Bacchinius ipse, de Agnello, ejusque erroribus fusius agens.

EPI-

EPISTOLA DEDICATORIA
REVERENDISSIMI

P. ABBATIS BACCHINII
SERENISSIMO

RAYNALDO ESTENSI
MUTINÆ, REGII &c. DUCI

SER.ME DUX.

DEcimus tandem effluit fere annus, ex quo dum perscrutarer absolutæ Bibliothecæ Tuæ Codices, Serenifs. Dux, & offendissem Agnelli Ravennatis Opus Pontificale, animum statim adjeci, ut quæ ab eo Auctore quondam tradita fuerant, quantùm pro modulo meo poterat, illustrata in lucem proferrentur. Non est hìc locus rationes illas enarrandi, quibus adductus sum, ut id agerem; illud modò tantùm recolendum, plura videlicet hoc diutino temporis spatio accidisse, quæ, & meam operam, & Libri editionem retardavere. Scilicet feliciffimum tempus expectandum erat, quo ab externo milite redditis Ditionis Tuæ Urbibus, ac in primis Mutinensi, Tibi revertenti laureatis hisce literis gratulari concederetur. Faustum enimverò labori huic meo omen, quo augurari liceat seriùs hunc in auras prodiisse, ut celebritati, ac immortalitati gloriæ Tuæ cultor accedens, feliciùs è Typothetarum latebris evaderet, quàm fuerit ad eas subeundas per me comparatus. Planè vix fieri poterit, ut dum amplissimo trophæo, quem bene parta erexere Tibi insidenti ad Throni gradus provoluta sacra Philologia, Librum porrigit, coronis quibus Te redimit Victoria, haud obumbretur. Verumtamen quandoquidem studiorum nostrorum ratio ea est, qua Religionem, Probitatemque solidè colamus; Virtutes è quibus partas victorias debes, quæque lateri Tuo nunquam recessuræ assistunt, Operi huic nomini Tuo sacro opinionem, famamque comparabunt, qua animi Legentium ad Fidei sanctitatem, morumque disciplinam in adversis servandam erudiantur. Et hæc quidem ex Historiæ sacræ meditationibus est haud spernenda merces, quæ reportatur; at insignia constantiæ in adversis, strenuitatis, justitiæ, & prudentiæ exempla, quæ difficillimis temporibus hisce præbuisti, luculentissimæ Historiæ loco & nobis prosunt, & seris subditorum Tuorum nepotibus sunt profutura. Habebunt, quo erudiantur Operis hujus Lectores, dum in ipsa

Li-

Libri fronte Serenifs. Raynaldi Ateftini Nomen legent, ejus videlicet, qui Religione, ac Probitate ducibus plura obtinuit, confecitque, quàm alii armis, bellifque, oftenditque factis immortalitatem promeritis, breviorem, tutioremque in arduis ad veram gloriam viam eam effe, quam Virtus præmonftrat. Et hæc quidem ob argumenti neceffitudinem, qua confilio adnectuntur meo, dicta, ut æqui, bonique confulas fupplex deprecor, qui bene novi quantùm laudari merearis, & quantùm laudari nolis.

Cæterùm ut ad Agnellianum Opus revertar, hoc ipfum, quòd nufpiam inveniebatur ab Eruditis expetitum, quippe illi quotquot de Ravennatis Ecclefiæ Hiftoria fcripfere fuperftruxerunt, fervavere Serenifsimi Prædeceffores Tui, qui pro infito Ateftinæ Genti in bonas literas amore, Codicem cum pluribus aliis, tum Græcis, cum Latinis, ex temporum, rerumque vicibus incolumem ad nos tranfmiferunt. Tu Serenifs. Dux non modò fumma, qua nos beas Clementia, ut per me illuftraretur, ac ederetur conceffifti, fed quo faciliùs, promptiùfque Opus illuftratum prodiret, fponte nec rogatus liberaliffimè editionis fumptus juffifti fufficiendos. Quidni igitur Tibi per me redderetur quod tot nominibus Tuum erat? Verumtamen Tuum non modò Agnelli Ravennatis Pontificale, fed Tua eft mea, qualifcumque demum ea fit opella Agnello illuftrando adhibita: nam quòd incredibilia in me contuleris beneficia, cum Tuus ipfe fim totus, Tua fint etiam oportet, quæ me auctore gignuntur. Hæc vernularum loco domi Tuæ nata Tibi debentur; inde & ipfis, ac ipforum Parenti pretium accedit, quo aliàs privarentur. Utinam id fæpius Te fofpite ad Neftoreos annos experiri contingat; utinam Serenifs. Proli Tu Virtutum omnium exemplar, ac præmonftrator diu fuperftes, qui in hanc diem abfolutam Chriftiani Principis inftitutionem actibus Tuis exhibuifti. Id enixe etiam atque etiam humillimè à D.O.M. precor ipfe, qui in fignum obfequentiffimi animi procumbens, fubfcribor

TUI SER.ME DUX.

Hum.mus Addictifs.mus Obfequentifs.mus Cliens
D. Benedictus Bacchinius.

BENEVOLO LECTORI FELICITATEM.

A *Solemne est his, qui inedita in lucem proferunt, ea summis laudibus celebrare. Mirabere proinde Lector me aliâ omnino viâ statim pergere, qui Agnellum nunc primùm prodeuntem, qualis est, describere aggrediar; horridum videlicet, squallentem, barbarum. Quidni tamen id agam, cùm ex ipsa libri lectione Auctoris hujusce illiberale ingenium tandem quisquis, licèt non admodum eruditus, agnoscat? Planè ita esse, Agnellus ipse totus quantus est, testatur, qui nullas grammaticæ leges observat, & undique inficeta stribiligine obductus est. Ferenda tamen esset in Scriptore noni seculi, quamvis ab ineunte ætate in Ursiana Ecclesia enutrito, sermonis barbaries, nisi & in cæteris in-* B *credibili rerum, tum sacrarum, tum profanarum ignorantiâ laboraret. Nimius sim, si omnia hic enumerem loca, in quibus absurdè peccat. Tempora, res, personasque confundit, futilia, inania, inverisimilia commiscet, sui immemor repugnantia narrat, & ineptissimè ocreas capiti jungit, & quadrata rotundis. Quæ legerat, viderat, audiverat, congerit absque delectu, inanesque plebeculæ rumusculos veris miscet. Cùm nil, vel pauca de quopiam Ravennate Episcopo, quod narret, rescivit, ut æquales totius scripti partes singulas efficiat, ineptis meditationibus vacat, ex quibus difficiliùs est aliquid boni exculpere, quàm laticem ex silice derivare. Videas sæpius hominem dum nonnulla Scripturæ loca explicare contendit, ridiculis, maleque digestis vocibus ea implicantem adeò, ut* C *risum vix tenere potis sit, gravissimus Lector. Interim tamen in suorum temporum Præsules biletumet, quorum, & simoniacam labem, & vitia adeò insectatur, ut qui legit, vix credat tot sceleribus ejus ætatis Episcopos infames fuisse, & potiùs de Scribentis fide aliunde in similibus suspecta, dubitet. Se verò data occasione, à generis nobilitate, à muneribus delatis, ab artium peritia, gloriolæ avidus, nec semel commendat, laboratque insano philautiæ morbo, & cum compositis ad modestiam verbis, semet demittere simulat.*

II. De his primo loco te monuisse operæ pretium erat, ut parato animo aliud in primis detestabile Agnelli hujus vitium intelligeres, scireque, quam fidem mereatur hujusmodi Scriptor, cùm Sanctissi- D *mos Romanæ Sedis Pontifices insectatur, & ea tradit, quæ primæ Sedis in Ravennates Episcopos jura, in dubium revocent, & in Augustos devolvant. Hoc saxum ursit, movereque nisus est Is, & quia perniciosi Schismatis, quod præcesserat, venenum adhuc corde fovebat, & quòd in Romanos Pontifices vindictæ stimulis agebatur, quia Avi sui Pater cum aliis Ravennatum Proceribus, qui infanda in Paulum Pontificem Maximum machinati fuerant, Romam abductus in carcere obierat. Narrat id Ille in Sergii Ravennatis Archiepiscopi Actis. Inde iræ, indeque factum, ut homo aliàs exigui judicii vulgares fabellas in populo schismatis tempore natas, & illam præcipuè de Ravennatis Metropolis erectione per Valentinianum III.,* E *traditoque tum ab initio, cùm aliàs per Augustos Pallio, decantet, laudato de ea re diplomate. Inde αὐτοκεφαλίας iniquum mysterium, ejusque auctorem Maurum laudat, ac ob id etiam suspicari admodum licet factum, quòd Ravennæ Præsules, qui erga Romanum Pontificem, ut decebat, bene affecti fuere, & Theodorum, qui tandem finem schismati imposuit, injuriis traducat, Seditiosorum rumores augens, & Præsulem ob bene, sanctèque factum, acriùs insectetur. Verùm hæc tanti sunt, ut rem minimè satis in tuto positam existimem, nisi, cùm nonnulla præmisero, expressè ostendere coner, antequam Agnelli ipsius lectionem aggrediaris, nec cujusvis laicæ potestatis, nec Augustorum fuisse, vel Metropoles Ecclesiasticas constituere, vel Pallii ornatum, & jura tradere, unde omnino injustè ab Occidentis Patriarchæ Metropolita tentatum, ut autocephalus fieret.*

III. Veruntamen tu, qui hæc legis in me conversus, tantæne ergo, ais, molis erat Scriptorem hujusmodi in lucem non modò proferre, sed labore haud exiguo, exornare? Nonne satius fuisset, vel illum tineis, & pulveri consumendum relinquere, vel obtentâ à religiosissimo Principe, cujus juris est, veniâ, manuscriptum Codicem flammis, & oblivioni damnare? Premit nos heu nimis librorum ineptorum copia, postquam typographiæ ars facilem nimis multiplicandi scripta viam aperuit; at hic ineptus non modò, sed impius etiam, & Sanctissimæ Petri Sedi, ejusque juribus injurius, ac ideo pluribus ex capitibus proscribendus. Nonne ridendus audies, qui dissertationibus, notisque adjectis, typorum ope in lucem publicam profers Scriptorem, quem tu met prolixo sermone damnas, ineptumque, fide indignum, & impium pronuncias? Siste paululum, benevole Lector, sunt enim, quæ pro me afferam, quibus quod primo intuitu ἄτοπον videtur, te judice tandem probetur. Lecto Codice animo quidem statim occurrere, quæ ab Agnelli editione mentem absterrebant; at re meliùs perpensa, adhibito amicorum consilio, in contrariam sententiam descendi. Rationum momenta, quæ me permoverunt, integramque rem accipe.

IV. Ea est Ravennatis urbis dignitas, ut minimè hic à me commendari egeat; illud tamen liceat fari, ejus vicibus Italiæ non modò, sed Europæ, immo & Orientis fata nexu quodam per plura temporis spatia ita colligata fuisse, ut urbis unius historia plurium Regnorum, & dissitarum provinciarum res amplectatur. Cùm primùm enim Augustis in Occidente Sedem habere placuit, Ravennæ regnatum est, indeque per Africam, Hispanias, Gallias, Germaniam, tanquam à Metropoli jura data, legesque præscriptæ sunt. Gothorum Regum Majestas inde radiavit, hisque per Constantinopolitanos Cæsares exactis, receptâque Italia, Exarchorum Sedes Ravenna excelluit, nec subsecutis sequioris ævi calamitatibus vexata, veterem gloriam amisit; sed & cùm eclipses pati visa est, omnium in se oculos traxit, nominisque celebritatem ipsis periculis auxit. Porrò quandoquidem Ecclesiastica res ab ipso Apostolorum Principe, Apollinari Episcopo ordinato, faustissimis ominibus est constituta, celeberrimorum Præsulum continua serie ad Honorii ævum excrevit; in tantam amplitudinem postmodum, & potentiam devenit, ut Ravennatum Antistitum nonnulli vertigines passi à Romanis Pontificibus coerceri meruerint.

V. Inter hæc tamen, quod sanè mirum, rara admodum Ravennatis historiæ monumenta, & si ulla versuum Agnelliano libro præfixorum Auctori, fides, omnium primus Agnellus ipse, qui & Andreas, seculo rudi, ac barbaro Pontificum Ravennatum acta ausus est scribere. Nemo deinde eorum, qui eandem Spartam sibi ornandam assumpsere id aggressus est, quin Agnello, quousque

que

que ejus opus præ manibus habere licuit, usus sit. Id non modò egerunt Patrum nostrorum memoriâ, Fe retus, Spretus, & Rubeus, de quo mox, sed Veteres quotquot vel Ravennatum rerum Chronica, vel sanctorum Præsulum Ravennatis Ecclesiæ vitas, sermonesve scripsere. Id ex narratis, laudatisve in documentis, quæ appendicis loco ad totius operis finem exhibeo, videre est; & facilè fortassis esset sanctiores antiquas de sanctis Ravennatibus Præsulibus narrationes, & post Agnellum conscriptas, & ex Agnelli Pontificali descriptas probare.

Id enim verò propterea factum est, quòd nullus aptior, vel sincerior rerum Ravennatum Scriptor, sed hic videlicet solus, haberetur; & cùm Agnellus ipse extabat, periculum omne abesset deceptionis: ea enim, quæ frequentissimè Scriptorem inficiunt vitia, facillimè à cordatis Viris agnoscebantur. Periculum omne cœpit esse tum, cùm, Agnello deperdito, Recentiorum scripta apparuerunt, in quibus hi Agnello laudato tanquam fide dignissimo, doctissimoque, ea eodem vade narrantur, quæ nec scitè, nec verè ab illo conscripta fuerant, sed & plura, quæ veluti gemmæ ex luto exprimi possunt antiquitatis illustrandæ gratiâ, contra veritatem, & Agnello ipso adversante narrata, fidem invenere.

VI. Peccavit peccatum hocce præ omnibus clarissimi nominis scriptor Hieronymus Rubeus, licèt ea felicitate Ravennatem historiam scripserit, ut omnium doctorum calculo laudatus sit. Fecit id ille sanè summa latini sermonis puritate, eoque accurato scribendi genere, quo Livii gloriæ æmulus audit; at quod pertinet ad Chronologiam, rerumque, & Scriptorum crisim, plura (quod ea tempora ferebant) ex arbitrio scripsit, & sæpius veritatem ita parergis ornavit, ut simplicitate adempta, fucum obtruserit. Verùm, quod pluris est, spretis veris Agnello narratis, falsa nonnulla, quæ talia Lectoribus deprehendi facilè fuisset, si Agnellus ipse legeretur, ita interseruit, ut Agnello tanquam gravi auctore laudato, & ejus, & vera esse, ullus vix inficiari posset. In hujusmodi errorum censu locum principem tenet celebre commentum de præstito per Valentinianum III. Privilegio, quo scribitur, Augustum Ravennati Ecclesiæ duodecim Episcopos subjecisse, & præterea, Pallio uti in sacris dedisse. Ait quidem Pallium à Valentiniano concessum non illud fuisse, quod Pontifex Maximus è D. Petri corpore sumptum præbere consuevit, sed quoddam quasi paludamentum &c. sed meritò apud doctissimum Baronium ob id vapulat, & rejecto apocrypho documento castigatur. Quantò faciliùs, validiùsque tamen Eminentissimus Annalium Pater narrationem omnem evertisset Agnello viso, ex quo illam Rubeus non modò, sed Blondus, & Sabellicus mutuati fuerant? Ostensa ejus fabellæ prima origine, eaque nullius fide digna, validissimis aliàs rationibus momentum insigne addidisset. Verùm cùm id fieri non potuerit delitescente Agnelli libro, narratio hujusmodi apud plures ex eo credita est, quòd Rubeus, cæterique Agnellum ipsum, per quem se profecisse sæpius fatentur, tanquam auctorem fide dignum commendent. Quidni autem commendarent & cæteri, enixisque votis expeterent, quem Rubeus libro quinto plurimis laudat? Hæc, inquit ille, ex Andrea Agnello descripsimus, qui his non solùm interfuit, sed præfuit, summâque doctrinâ eruditus de Ravennatis Archiepiscopis volumen gravissimè scriptum reliquit, quod cùm diu in Archiepiscopatus Bibliotheca fuisset, superioribus annis cum multis aliis sublatum, nullibi inventur, magnâ quidem certè jacturâ. Ex his factum est, quod documentum à Rubeo exhibitum, cùm ipsa se prodat falsitas, tanquam omnino suppositititium agnoscitur, sint autem, qui narratis, Agnello non lecto, sed à Rubeo eximiè laudato, fidem habeant. Ob id de ea re agens Petrus de Marca Concor. lib. 6. cap. 6. nu. 11. Baronio ultro concedit diploma prædictum omnino suppostitium, & egregiè confutatum ab Illustrissimo Cardinali; in eo tamen, ait, cogor à Baronio dissentiri, quòd enixè contendat Pallium Episcopo tribui non posse ab Imperatore, eo quòd indumentum sit Ecclesiasticum. Ex eo etiam quòd Agnellianum fontem ignoraverint, ex quo fabulam ebibit Rubeus, non dubitaverunt asserere piissimi Scriptores, quod Baronius refutaverat, Pallium videlicet dignitatis signum à Valentiniano collatum. Eam in rem transcribere sufficiat locum ex Marci Pauli Leonis Romani Societatis Jesu libro de auctoritate, & usu Pallii Pontificii Romæ edito typis Ludovici Grignani 1649. in 4. ex cap. 1. n. 12. Quòd Pallium, inquit is, prout est dignitatis signum, & ornamentum comprehendat etiam ornamenta profana, observavit Gretserus ad Codinum ex Turcogræcia, dum asserit Pallium fuisse concessum Patriarchis, & Episcopis, ut de Antimo Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarcha affirmat Liberatus in suo Breviario cap. 21. & Valentinianum III. adinstar Imperatoris concessisse Pallium Ravennati Archiepiscopo asserit Carolus à Sancto Paulo Abbas Fuliensis in sua Geographia sacra lib. 9. de Patriarchatu Constantinopolitano. His adjicendus est Ferdinandus Ughellus in Episcopis Ravennæ ad S. Joannem cognomento Angeloptem, ante enim, & post suppositititium Valentiniani diploma, eadem, quæ Rubeus dixerat, recantat.

VII. Intererat itaque, ut Agnellus ederetur, deletâ etenim testis hujusmodi eâ, quam contra veritatem Rubeus obtruserat, opinione, hac via futurum erat, ut cognosceretur, narrationem à sua primæva origine, niti fluxo, imbecillique fundamento, ortam insuper schismatis tempore, & relatam in scriptis à solo auctore noni seculi Romanæ dignitatis hoste, & rerum hujusmodi incompetenti judice, nec antiquiori teste tradi admodum ullo. Edito Agnello, ex ipso mali fonte futurum erat, ut remedia validissima haberemus. Auctor idem quod protulit de collato Pallio per Valentinianum Augustum, & Metropolis erectione, subjectis duodecim Episcopis, Johanni Angelopto, commentum evertit. Verùm siquidem nullo modo esse potest id, quod de his scripsit ille, si componatur cum narratis in Vita S. Petri Chrysologi, Johannis prædicti immediati Successoris, qui nutu divino à Pontifice Romano Ravennæ Episcopus consecratus sit, reluctantibus licèt Ravennatum Proceribus, qui alterum elegerant, editoque electionis decreto, Romam venerant, confirmationem, & Electi consecrationem petentes. Nil hic Agnellus de Valentiniani auctoritate, qui si recèns Metropolim fundasset, & Pallium Johanni tradidisset, aliquid etiam juris vindicasset sibi in tuenda priori electione, & in independenti Petri Chrysologi per Pontificem facta, invitis Ravennatibus, consecratione, sibi jus quæsitum asseruisset, intercedendo, Palliumque novo Electo tradendo. Neque eo loco tantùm Agnellus Ravennatis Metropolitani Romano Pontifici subjectionem testatur, sed & alibi præclarissimè; in primis verò in Ecclesii Archiepiscopi vita, ubi cùm dissidia exposuit inter Præsulem, & Clerum oborta, ea auctoritate Romani Pontificis composita non modò ait, sed & insigne ejus

ejus rei documentum antea ineditum nobis exhibet, lit ras videlicet Felicis Papæ ejus nominis IV. Aliundene validiora haberi possunt argumenta, quibus & falsa evincantur tradita de Metropolitani Ravennatis juris initiis, & iniquam prorsus Mauri Schismatici tentatam Imperatoris, & Exarchæ ope, αὐτοκεφαλίαν? Agnellus proinde è tenebris vindicandus erat, ob id maximè quòd quæ cùm falsò tradita fuissent à Recentioribus adoptata ipso laudato, sed deperdito, alicujus momenti habebantur; sed & ob ea, quæ non spernendo veritatis, & historiæ bono, cum præjudicata opinione haud ducitur, pluribus in locis habet, ac demum etiam ob ea, quæ non habet, sed magno verborum apparatu à Recentioribus orbi obtruduntur.

VIII. Porrò si veritatem amamus, licèt barbarus, rerum, & temporum ignarus, ac indiligens sit Agnellus, negari tamen nequit plura ex ejus opere nancisci licere, quæ sacram, profanamque historiam juvent. Omitto in superioribus laudata, quæ hominem schismaticum, & Romani sanctissimi Juris impatientem dixisse, prodigio simile est; dixit tamen quamvis partibus studens, & magno veritatis bono dixit. Verùm in plerisque, quæ nullo modo odorem, quo testa imbuebatur, sapiebant, cur fides ei non adhibeatur, & si adhibeatur, cur non utile, quòd penè deperditum opus edatur? Si quid in Chronologia Ravennatum Pontificum, quam Dissertationibus ornare conatus sum, boni adinveneris, si quid tibi probabitur, erudite Lector, facem prætulit Agnellus, antiquis dypticis perspectis, Inscriptionibus descriptis, Basilicarum musivis relatis, digestis etiam, quamvis absque delectu, quæ sibi Seniores retulerant. Antistitum Ravennatum sanctitatem, eorum præcipuè, quos publicis votis Catholica veneratur Ecclesia, primus omnium laudavit, effecitque ut eorundem acta nosceremus, quæ aliàs periissent, in primis verò Sanctorum Apollinaris, & Severi, quos qui ex Posteris encomiis venerati sunt, Agnellum præcentorem habuisse, nullus inficias ibit. Ædes sacras, & eorum ornatus descripsit, docuitque, quis auctor, quando primùm constructæ, quibus expensis; emblemata quoque, & epigraphas sæpius verbatim edidit, quæ aliàs ignoraremus; veterem etiam sacrorum rituum, & liturgica plurima sui, & præcedentium temporum, nobis ferè ignota servavit. Novimus, ut nonnulla singillatim attingam, D. Petri Chrysologi versus in Oratorio S. Andreæ positos, qui auricularis Exomologesis praxim probent; novimus integram ejusdem S. Præsulis Epistolam ad Eutychetem datam, quam in recentioribus Vaticanæ Bibliothecæ Codicibus duobus, decurtatam vidit Gerhardus Vossius, unde recentiores Critici ansam accepere, postrema verba Romani Pontificis definientis infallibilitatem adstruentia, tamquam recenti mangonio adjecta, accusandi; novimus Cleri Ravennatis formam tum ex Felicis IV. prælaudatis literis, tum sæpius alibi, & redituum distribuendorum rationem, nec non insigniorum Clericorum officia, & munera. Hæc, & plura alia ex Agnello novimus, quæ licèt absque ordine, ineptèque tradita sint, non ideo apud cordatos viros vili loco haberi debent. Absit à literariæ rei cultoribus, ut vetera sequioris ævi documenta respuant, quòd minimè ad crisis, & grammaticæ leges conscripta sint, vel quòd haud ætatem Scriptorem habuerint. Destituemur, si delicatuli adeò simus, plurium notitiarum lucro, quo usque in præsens ditati sumus tot SS. Actis, & Miscellaneorum, Analectorum, Bibliothecarum, & Antiquarum lectionum editis per doctissimos Viros, voluminibus. Sed omnino melius est etiam inemendatis auctoribus frui, quàm penitùs carere, verissimè inquit Fabrottus in Præfatione ad amplissimam Anastasii Bibliothecarii editionem.

IX. Satis, ut puto, momenta rationum deduxi, quibus Agnellum non modò posse, sed debere à me edi existimavi. Nunc ergo tandem nonnulla de libri Auctore, præter jam dicta, præmittenda esse censeo. Is itaque duplici nomine vocatur, Agnelli videlicet, & Andreæ. S. Felicis Episcopi vitam scribens aliqua de Patris, Matrisque suæ gente, nos docet, seque Ravennæ honesto loco natum ostendit. In Ursianæ Ecclesiæ gremio à teneris annis nutritum alibi se dicit. Petronacis ævo inter Ravennates Presbyteros decimo loco sedit, & Abbas adhuc adolescens fuit S. Mariæ ad Blachernas, & S. Bartholomæi. Errant itaque, qui hunc cum Agnello Archiepiscopo postremis Justiniani annis florente, confundunt. Errat magni nominis Scriptor Gerhardus Joannes Vossius, cùm de Historicis latinis lib. III. cap. IV. hæc habet; Andreas Agnellus temporibus Ludovici Pii Ravennatis Ecclesiæ Archiepiscopus fuit, ordine in ea sede decimus, virtute præstantissimus, atque acri in omnibus rebus ingenio præditus, ut de eo Hieronymus Rubeus lib. v. Historiæ Ravennatis tradidit. Haud mirum Vossium à Rubeo deceptum in his, quæ ad Agnelli ingenium spectant; mirum quomodo Clarissimus Vir ex Rubeo, cui nullibi id dictum, exculpserit, Agnellum Ravennæ Archiepiscopum temporibus Ludovici Pii, & qua numerandi ratione eundem decimo loco sedisse dixerit, cùm ad ea tempora ex Rubeo ipso constet Ravennates Episcopos quadraginta quinque ad minus præcessisse. Rubeus Agnellum in ordine Sedis suæ Sacerdotem decimum, non Archiepiscopum dixit. Quæ apud Vossium sequuntur, hæc sunt; Mentionem, inquit, ejus quoque semel, iterumque facit lib. 2. uti & 3., ac Johannes Petrus Ferretus ad verbum eum exscribere amat, ut idem auctor est Meminit, & Baronius tom. 9. ad annum 824. sed ex Rubeo, quod indicio est, nonnum in Vaticana quidem Bibliotheca supereſſe. His addendum, quod supra indicavi, extitisse Agnelli Codicem Blondi ætate, eo enim utitur Dec 1. lib. 3. lib. 4. lib. 7. lib. 8. & lib. 10. Dec. 2. lib. 2., & alibi.

X. Ecclesia S. Mariæ ad Blachernas extra Ravennæ Pomœrium fuit eo loci, ubi cùm Palatium non admodum ingens Odoacris Regis extitisset, Palatioli vocabulum, usque in recentiora tempora perduravit. Ex veteris illius Palatii ruderibus materias nactus est Agnellus, quibus domum Ravennæ sibi ædificavit in fundo paterno. S. Maria de Palatiolo seculo decimo fuit juris Abbatis, & inclyti Monasterii S. Pauli de Urbe, ut ex insigni tabulario ejusdem Cœnobii constat. Nunc omnia in ruinis intra Pinetum, quod Monachorum nostrorum S. Vitalis juris est. De altera S. Bartholomæi Ecclesia, cujus Agnellus idem Abbas fuit, videatur Faber, ex quo duplicem sub ejusdem Sancti nomine fuisse, quarum una intra, altera extra urbem extiterit, observavit Lubinus in Notitia Abbatiarum Italiæ. Agnellum Abbatem S. Bartholomæi extra Ravennam, plura Pontificalis libri loca evincunt.

XI. Quid ipse Agnellum editurus mihi præstandum censuerim, ex dictis facilè intelligere potes erudite Lector. Eo animo comparatus rem aggressus sum, quo solers venator prædæ avidus lustra, dumosque ingredi pergit, sociisque viam, qua tutò, & jucundè sequantur, aperit. Frequenter indicanda fuere, ut evitarentur, loca periculo plena, quorum tamen insigniora aperta adeò, nullisque dumis obsita erant, ut & cœcus ab ipsis se

se præcavere posset. Indicare tamen, & hæc placuit. Operosiùs alicubi sistendum fuit, ubi trames minimè salebrosus nonnihil aprici promittens, in trucis belluæ cubile, ducere suspicatus sum. Hac diligenti circumspectione adhibita visum est mihi haud irrito labore plura non spernenda in hac consita adeò, impeditaque silva adinvenisse. Fallor fortassis; at hanc veniam damus, petimusque vicissim. Erunt qui potiora eruant. Ex diligenti temporum collatione, & ex characteribus Agnello, seu potius à monumentis ipsi indicatis, agnovi Ravennatum Præsulum Chronologiam, prout à Rubeo (quem cæteri ferè secuti sunt) tradita est, in plurimis à vero aberrare; hinc ante omnia illam pro virili ad crisim, & ad calculos revocandam credidi. Id egi septem Dissertationibus, quas certis Antistitum Vitis præmisi, ut ad sequentem historiam Lector paratus accederet. Opus totum in duas partes secrevi. Prior eorum Pontificum vitas complectitur, qui à D. Apollinari ad Ecclesium floruere; altera illorum, qui ab Ecclesio ad Georgium, in quo Agnellus desinit. Singulorum Pontificum Vitas in capita distinxi, & singulis capitibus argumenta præmisi. Tandem Vitæ cujusque Præsulis observationes meas adjeci, in quibus, quæ difficiliora sunt, explicavi, quæ perversè dicta emendavi, quæ utilia adnotavi. Codex ab indocto Amanuensi ex apographo alicubi mutilo circa initia seculi XV. descriptus fuit. Is Agnellianam stribiliginem suis erratorum portentis mirum in modum obscuriorem reddidit. Quæ proinde barbarè scripta fuerant, corruptissimè descripta inveni. In Exscriptoris itaque erroribus sanandis ingratissimum, quamvis necessarium laborem impendi; agebatur enim non de vitiis utcumque delendis, sed id ita fieri debebat, ut omnia in pristinam deformitatem conformarentur. Si quando dubitavi, ne sphalma assecutus essem, retenta lectione ad marginem adnotavi, quod fortassis ab Auctore scriptum, vel mente intellectum fuisse divinavi. Descriptoris ut puto, sunt notulæ quædam in marginem conjectæ. Hæ absque jactura omitti poterant, at erunt fortassis, quibus & illæ usui sint licèt insulsæ, jejunæ, & erratis scatentes. Tandem nonnulla vetera monumenta appendicis loco adjeci, de quibus suo loco.

XII. Hìc enimverò tandem fidem meam, quam hujus Præfationis num. 2. obligavi, liberandi reus sum, & duo, quæ tamen in idem recidunt, ostendere tueor, videlicet primò, nullius laicæ potestatis unquam fuisse Pallium Ecclesiarum Præsulibus conferre, sive in primæva Metropolum institutione, sive cùm subsecuti Metropolitæ ordinati sunt; secundò nec Augustorum, vel Regum eousque suæ potestatis amplificandæ studium evasisse, ut Ecclesiarum jura mutarent Metropoles Ecclesiasticas constituendo. Quibus præcisè contra Agnellum probatis, tertium consurget, contra jus, fasque à Ravennate Metropolita Mauro tentatum, ut αὐτοκέφαλος fieret, qui tot ex capitibus Romano Pontifici subdebatur.

XIII. Porrò quod ad Pallii collationem spectat, cùm res à doctissimis Viris mirum in modum sit illustrata, difficilè omnino est actum non agere; quare supervacaneo labore me rem tandem clarissimam persequi ingenuè fateor. At cùm nunc demum in lucem prodeat Auctor hic, qui unus inter veteres, & Valentinianum III., & Justinianum expressè tradit, Pallium Archiepiscopo Ravennati concessisse, & hinc (quamvis ipse se uti schismaticarum partium testem repellendum exhibeat) fortassis ansam arripere valeant, qui Marci Antonii de Dominis perversum, & impium systema sequi non erubuerunt, somnia sua minus cautis altiùs insinuandi; visum est officii mei esse ostendere falsum omnino, & toti antiquitati repugnans esse, quod Agnellus tradit. Inane tamen, ac superfluum existimavi rem ab ovo, ut ajunt, incipere, & eorum, quæ doctissimè scripta sunt, servilem, & invidiosam rapsodiam adornare. Ideo mihi fines eos præscripsi, quibus Agnellum unum refutarem, & rationes in medium proferrem, quæ præcisè ad Ravennatum Præsulum, à Johanne Angelopto ad Maximianum, tempora spectant. Planè Agnellus ipse traditam, de Valentiniano III. Pallium Johanni Angelopto concedente, & Episcopos Ecclesiæ Ravennati subjiciente, fabulam, jugulat statim, ut supra adnotavi, qui Chrysologi electionem narrat, qua de re satìs dictum. Maximiani ab Justiniano ad Ravennates infulas promoti historiam, schismaticorum quisquiliis infectam, Agnellus ipse nolens fatetur, qui quod vulgò ferebatur de thesauro invento, cæterisque Maximiani Sanctitati repugnantibus, se referre testatur, ineptèque certa dicit, publicè patefaciam, inquit, sicut à narrantibus per curricula temporum longa audivi. At, ò bone, quis suspecta nimis tempora, quibus veritas in mendacium deformata est, non agnoscat? Quis optimum, sanctumque Divum, quem inter cœlites Catholica veneratur Ecclesia, credat, invento thesauro, ut ejus insigni portione tutò potiretur, Imperatoris jure fraudato, ad technas confugisse, & æquivoca loquendi ratione usum, ad Archiepiscopatus apicem sibi his artibus ex humillimo loco viam stravisse? Eritne perversi adeò judicii quispiam, qui ubi de veritate eorum, quæ in Chrysologi electione evenere, dubitare audet, ut Dupinius, hæc adeò crassa, & inepta devoret, ut hinc verùm etiam possit asserere, quæ ab Agnello interseruntur de Ravennatibus Constantinopolim profectis, Pallium pro novo eligendo petituris, & de hocce dato à Justiniano, Maximiano illi, qui sibi inventum aurum obtulerat? Nil ipse horum credam, quàm quod Maximiani sanctitatem decet, & quod eorum temporum certa monumenta me docent, de quibus in observationibus ad ejusdem Maximiani vitam.

XIV. Agnellus itaque satìs benè Agnellum refellit. At res quantis aliunde certissimis argumentis patet? Eorum certiora mihi seligenda censeo, ne nimium patientiâ tuâ abutar erudite Lector. Porrò ne à Justiniani ævo discedamus, perspectis omnibus sexti seculi, quæ exstant, quæque clarè loquuntur indubitatæ Fidei documentis, certum est à Magni Gregorii ætate retrocedendo, Summos Pontifices Metropolitanis Pallium tradidisse. Planè nullus inficias ibit id præstitum per Gregorium ipsum, sed & Ravennæ Præsulibus, qui Sanctissimi ejus Pontificis literas legerit. Verùm & illud idem per Prædecessores Gregorii factum, asserit Johannes ipse Ravennas Archiepiscopus Epistola in Gregorii Regesto lib. 2. num. 55. ad finem, his verbis; quia ergo universa privilegia, quæ Sanctæ Ravennati Ecclesiæ à Prædecessoribus vestris indulta sunt, pro majori satisfactione subjeci, ea in scriniis venerabilibus secundùm consecrationis Decessorum meorum tempora fidem nihilominus reperietis. Perspicuè hìc, & Decessores suos à Romanis Pontificibus consecratós, & consecrationis occasione Pallium collatum ab eisdem, asserit Johannes. Præcedens Magni Gregorii Epistola, quæ ejusdem libri est 54. manifestò hujus, quæ 55. numeratur, responsiva est, at ex eo maximè, quod asserit Gregorius, missa à Johanne privilegia per Prædecessores Summos Pontifices Ravennatibus Præsulibus olim concessa. Et quòd, inquit, bene hanc consuetudinem generalis Ecclesiæ noveritis, vestris nobis manifestissimè

stissimè significastis epistolis, quibus præceptum bonæ memoriæ Decessoris nostri Johannis Papæ nobis in subditis transmisistis annexum, continens omnes consuetudines ex privilegio Prædecessorum nostrorum concessas vobis, & Ecclesiæ vestræ debere servari. *Johannis Papæ Privilegium, de quo hic, quodque cum aliis Prædecessorum Pontificum miserat Johannes Ravennas, datum fuerat Petro cognomento Seniori Johannis Prædecessori, qui juxta calculos à me suo loco initos, ordinatus fuit anno 568. Justino Juniore Imperante. Ex Manuscripto Codice S. Remigii Rhemensis, in quo post Johannis Ravennatis laudatam epistolam scripta erat, edidit illam Baluzius Miscell. lib. 5. ipse autem cùm è re præsenti sit, hic transcribendam existimo, & ita habet.*

EXEMPLUM PRÆCEPTI.

Dilectissimo Fratri, Johannes. Convenire novimus rationi, ut eos amictu Pallii decoremus, quos, in illis Civitatibus divina inspirante misericordia Sacerdotii honor illuminat, in quibus hoc etiam illis, qui præteritis temporibus fuere Pontifices, ab Apostolica Sede esse constat indultum. Ideoque caritati tuæ usum Pallii sicut Decessores tui habuisse noscuntur, præsenti auctoritate concedimus, atque ea omnia circa honoris tui privilegium volumus permanere, quæ anterioribus temporibus Ecclesiæ tuæ constat esse servata, ut nihil prorsus de privilegiis ejus doleas diminutum. *Et subscriptio Domini Papæ*. Deus te incolumem custodiat. X. Kal. Octobris Imperante Domino Justiniano (*lege Justino*) Augusto. *Juxta calculos prædictos data hæc est quinto die post Petri Archiepiscopi consecrationem.*

XV. Tabulis itaque exhibitis constat Justini Junioris ætate Pallium traditum Metropolitis à Romano Pontifice, ac inter cæteros, Ravennæ Episcopis. Aliorum, qui præcesserant, Pontificum privilegia misisse Johannem Magno Gregorio, ex prælaudatis epistolis manifestum est. Aliunde Pallium missum usque ab anno 501. à Symmacho Theodoro Laureacensi Episcopo ex hujus Pontificis epistola novimus, sicut & Cæsario Arelatensi concessum ab eodem Pontifice testatur Vigilius, idem mittens Auxanio, literis datis anno 543. quæ quidem notavit Garnerius ad Titulum tertium Diurni Romanorum Pontificum, ubi tertia mittendi formula Pallii eadem ferè est, ac Symmachi Epistola laudata. Medio tempore, quod inter Symmachum, & Magnum Gregorium intercessit, certum proinde, ac evidens est Pallium à Romano Pontifice concessum fuisse, non à Justiniano, vel Augusto quopiam. Hunc enim Symmachus tempore præcessit, qui tradidit, Vigilius synchronus tradidit, huic successit posterior tempore Johannes ejus nominis III., qui tradidit. Stipites simus, nisi certò certiùs teneamus, & medios Pontifices tradidisse. Quid contra hæc momenti habeat, quòd Vigilius semel, vel iterum pro Pallio mittendo Arelatensi Episcopo Justiniani consensum expectaverit? Id porrò haud conficit Pallii concessionem ad Augustos spectasse, sed tantùm tempora difficillima id exegisse dispensationis, ut pius æquè, ac prudens Pontifex sibi, Ecclesiæque prospiceret, caveretque ne diffidentiæ notam incurreret apud Imperatorem tum temporis Romæ Dominum, cùm & Barbari Italiam occupabant, & inter Augustum, Regemque Francorum pax minimè firma esset, sed dissidiorum, bellique causæ gliscebant; quod eruitur ex epistola ipsa Vigilii Papæ, quæ est tom. 6. Conc. Labbei col. 330. At quid agent adversariæ opinionis Patroni de tot documentis indubitatæ fidei, ex quibus evidenter conficitur, Pontifices Romanos nullo Augusti consensu expetito, Pallium concessisse? Leve certò, ut modesto verbo utar, ad Donationis Constantinianæ documentum recurrere, ut argumentum longè nimis petitum Pallii Romano Pontifici ab Augustis concessi, nanciscantur. Nos certis innitimur, non supposititiis, eisve, quæ Oedipum, ut intelligantur, requirunt.

XVI. Ut autem in viam revertamur, Johannis literæ ad Petrum Seniorem, cùm ad annum 568. spectent, & cùm Justinus imperare cœperit Novembri cadente anni 565. paulò ante Justinianus ergo decesserat; qui itaque factum est, eo jure Pallii Metropolitis dandi uso, ut Successor statim assumptus mira, adeò liberalitate à dando Pallio cessaverit? Præterea quomodo Johannes Petro Ravennati Pallium concedens scripsisset convenire id illis, quibus præteritis temporibus ab Apostolica Sede constat esse concessum, *si Vigilius penè Johannis immediatus Prædecessor Maximiano Pallium non dedisset? Ruit itaque undique Agnelli assertum posterius, trahitque ruina sua, & alterum priùs de Pallio à Valentiniano III. primo Ravennæ Metropolitæ concesso.*

XVII. Notanda in eam rem sunt, uti à Garnerio notantur Formulæ ejus, quæ ad Symmachi ætatem pertinet, seu potiùs epistolæ ipsius Symmachianæ, verba illa; More majorum, & secundùm morem tuæ Ecclesiæ; *quæ ostendunt non omnium Pontificum primum extitisse Symmachum, qui Pallium Occidentis Metropolitis tradiderit, quod tamen nonnulli voluerunt ex male intellectis Vigilii ad Auxanium literis. Quidni autem, quod* more majorum *fieri ait Pontifex, antiquitatem dimidii saltem seculi non importet? Planè ita esse, ac ita significari, Pontifici controversiarum, quæ nostro ævo exoriri debebant haud præscio, cujus legitimum documentum habemus, credendum potiùs est, quàm Agnello schismatico longè post illa tempora scribenti, cùm jam in Ravennate Ecclesia obtinuissent de jure veteri, minimè veri rumores. Certè sepositis partium studiis, qui conferet utriusque sententiæ momenta, Symmacho credet, non Agnello.*

XVIII. Quandoquidem verò Pallii dati quæstio ideo momentum habet, quia necessario quodam nexu potestatem per Pallium significatam importat, exiguæ jacturæ erit, quod antiquioribus documentis destituamur, quæ Pallium datum nos doceant à Pontifice, dummodo certi simus de potestate tributa, & Metropolibus per eosdem constitutis. De ea autem re adeò evidenter liquet, ut à nullo veritatis amante in dubium id verti possit. Unus omnium ex veteribus rei clarissimæ nubem obduxit Agnellus; cui Rubeus nimium credens effecit, ut his qui nodum in scirpo quærunt, videretur satis sibi præsidii esse, quo rem toti antiquitati ignotam orbi obtruderent, Pallium videlicet per Augustos Metropolitis traditum, & cum Pallio metropoliticam potestatem. Porrò in ea re mirari subit Rubei judicium, qui cùm de Pallio agens ea sibi cautione utendum censuerit, ut Pallium traditum dixerit, non illud quidem, quod à Summo Pontifice Metropolitis traditur, sed quoddam Imperiale indumentum; absolutè, & absque distinctione ulla, & ab Agnello acceperit, & Posteris tradiderit, Valentinianum Ravennati Archiepiscopatui duodecim, vel quatuordecim Episcopos subjecisse. Rem avidè arripuit, fabulâque usus est Marcus Antonius de Dominis de Repub. Eccl. lib. 6. nu. 136. hæc scribens; Metropoliticum jus Ecclesiis aliis auferre, aut saltem imminuere, & Diœceses divi-

dividere, ampliare, & coarctare fuit etiam in
A Imperatorum potestate. Ravennatem Ecclesiam Valentinianus Imperator voluit esse Archiepiscopalem, ac totius Æmiliæ Metropolitanam. Privilegium recenset Rubeus, quod tamen Baronius plurimùm conatur elevare, & arguere imposturæ .... oppositiones autem ipsius, & Rubei titubatio circa Pallii concessionem, non sunt magni momenti. *Post hæc ex communi systemate à me in Dissertatione de Hierarch. Origin. impugnato, de Metropolibus ab initio juxta Imperii formam constitutis, præsidium quærens, hæc adjicit*; consequenter Valentinianus statuit suo Privilegio, ut Ravennas Archiepiscopus, & Pallio uteretur, & plena haberet aliorum Metropolitanorum Privilegia. *Hæc ille, quæ*
B *magno Religionis dispendio Catholicorum nonnulli aliquantulum emollita tradere non erubuerunt. Interim Apostata ille Spalatensis veritatis fidiculis tortus in fine ejus periodi dicta satis recantat, ut intelligamus sibi non constare, quod Catholici Auctores minimè agunt. Habet autem*; si tamen Pallium omni ex parte sit Ecclesiasticum, intelligere debemus Valentinianum in hoc Ravennatensi Privilegio velle, & præcipere, ut Ravennas Archiepiscopus à suo Patriarcha Pallium acciperet, reliquam haberet ab Ecclesia potestatem, illo tamen sic jubente, & ordinante.

XIX. Verùm his adversatur omnino totius Ec-
C *clesiæ non modò, sed & Imperatorum ejus ævi, universalis, & perspicuus consensus, non solùm pro Ecclesia occidentali, & latina ad jus Patriarchæ Romani spectante, sed etiam pro orientali. Chalcedonensis Synodi Acta, quippe quæ eorum fere temporum sint, quibus, Augusti auctoritate, Ravennati Ecclesiæ duodecim Episcopi subjecti dicuntur, id apertissimè docent. Post pacem Ecclesiæ redditam à Magno Constantino, nova Imperii forma inducta est. Episcopi, Concilii Nicæni Canone perperam intellecto, cùm civiles Metropoles ab Augustis de novo dicebantur, sibi inde ex Canonibus titulum fieri prætendebant, quo abstractas à veteri Metropolita Parochias, sibi adsciserent. Bene tamen facta sunt distinguenda, nec enim Augustorum ea mens fuit, ut Ecclesiarum*
D *statum mutarent, vel jurisdictionem Episcopis darent, sed quòd suæ potestatis fines haud excedebat, Imperii civilem typum constituere, habita ratione earum Urbium, quæ frequentiâ, & splendore crevissent, quæve sua in eis mora illustres fieri contigisset. Nec Episcopi eò usque processere, ut existimarent quidquam juris ab Imperatore sibi tradi posse, sed omne sibi jus, Metropoli civili constituta, censuerunt ex Canonibus derivari. Id præfert Canon nonus Concilii Antiocheni, ita explicans Canonem Apostolicum, & Nicænum. Inde nihilominus & Canones, & veterum Metropolitanorum jura violabantur; quare ei Orientalium abusui, & restitere Romani Pontifices, ac inter cæteros Innocentius I. epist. 18. ad Antioche-*
E *num scribens, & Africana Ecclesia, ut ab eo maximè sibi caveret, antiquo mori institit, quo nulli certæ Urbi Metropolitani affixi essent. Ex laudata autem Chalcedonensi Synodo duo evidentissimè patent. Primum, Summum Romanum Pontificem id vehementer curasse, ut qui irrepserant ex civili Urbium gloria abusus, tollerentur. Apostolici Legati constanter Canoni 28. resistentes, quod à Leone Magno Pontifice Romano in mandatis acceperant, ex scheda legerunt, cujus tenor talis erat*; Sanctorum quoque Patrum constitutionem prolatam nulla patiamini temeritate violari, vel imminui, servantes omnimodis personæ nostræ in vobis, quos vice nostra transmisimus, dignitatem, ac si qui forte Civitatum suarum Συνάμει *potentia* confisi, aliquid sibi tentaverint usurpare, hoc, quâ dignum est, constantiâ retundatis. *Secundò, quòd licèt ejus Concilii Patres Canone illo 28. Constantinopolitani Episcopi ambitioni abjecti nimis obsecundaverint; abusus tamen, qui nimis excreverant ob novas Metropoles civiles, quarum Episcopi aliena jura violaverant, tollere decrevere. In quæstione de metropolitano jure, quod Beryti Episcopus Eustathius sibi asseruerat, obtento quòd Phœnicia, quæ omnis obediverat Tyrio Metropolitæ, in duas à Theodosio Juniore dissecaretur, res in pristinum restituta est, & acclamatum*: contra regulas pragmatica nihil valeant, Regulæ Patrum teneant, & universa pragmatica cessabunt, Regulæ teneant. *Tandem verò Canone 12. expressè decretum est in hæc verba*; pervênit ad nos, quod quidam cùm præter ritus Ecclesiasticos ad Potentatus accessissent, per Pragmaticas unam provinciam in duas diviserunt, ut ex eo duo essent Metropolitani in eadem Provincia. Statuit ergo Sacra Synodus, ne Episcopus deinceps tale quid audeat, quoniam is, qui hoc aggreditur, à suo gradu excidit. Quæcunque autem Civitates per literas imperatorias Metropolis nomine honoratæ sunt, solo honore fruantur, & qui ejus Ecclesiam administrat Episcopus, servato scilicet veræ Metropoli suo jure. *Observari etiam meretur, quòd cùm Actionis 6. fine Marcianus Augustus Chalcedonem Urbem nomine tantùm Metropolim declarasset, salva Nicomediensis propria dignitate, acclamarunt Patres justum judicium Imperatoris, & quòd cautum esset, ne quid Nicomediæ dignitati decederet, adjecisse*; τὰς παραιάσεις τῶν ἐπισκοπῶν ἡμᾶς ἐκωλύσατε, circumventiones Episcoporum vos abigistis; *nec quidquam in Canonibus de ea re decretum est*.

XX. *Hìc enim verò doctissimi Thomassini de nova, & vet. disc. par. 1. lib. 1. cap. 39. mentis aciem mirari subit, qui in his Chalcedonensis Synodi Actis, cujusdam mutui honoris vices videt, quo se Imperator, & Patres prosecuti sunt.* Exclamant, *inquit ille*, Concilii Patres exertè, liberrimèque contra regulas pragmatica nihil valeant, Regulæ Patrum teneant. Verùm id tum demum audent, ubi Judices imperatorii votis permiserunt Concilii, Canonibus an legibus lites Ecclesiasticæ istæ dirimendæ essent, & in votis esse Imperatori ipsi certiores Patres fecissent, ut omnia ex præscripto Canonum terminarentur. *Emollivit scilicet solertissimus Scriptor, quæ duriùs effutiverat Spalatensis loco supra citato n. 137. Patres videlicet recantasse, quòd Imperator definierat. Id enim verò (ipso prædе) non ausissent, nisi Augustus jussisset. Profectò nobis non licet esse tam acutos, qui ea videamus, quæ isti oculatissimi vident. Prior, qui de discrimine utriusque criterii ad litem dirimendam verba fecerit, Eustathius fuit, Rei partes agens, qui lecto Photii libello, cùm Judices interrogavissent*, quid ad hæc allegat Reverendissimus Episcopus Berytiorum Eustathius? *respondit* jubete eum dicere utrum secundùm Canones moveat, an secundùm leges. *Ob hæc Photius antequam quidquam adjungerent Judices, statim instavit, se velle juxta Patrum regulas rem decerni, & à Patribus Concilii definiri.* Quod, *inquit*, vetustum morem studuerit evertere Eustathius Reverendissimus Episcopus, interrogentur Domini, & sanctissimi Episcopi; ego enim à regulis non disce-

discedo, nec volo typos Patrum evertere, sed postulo, ne illa jura evertantur. *Inter Actoris itaque, & Rei instantias petunt Judices, ut Patres decernant an juxta leges, vel juxta Canones, lis dirimenda esset. Monent quidem, quod priùs dixerat Photius Principis sententiam esse, quæ Canonibus faveat; at quid inde? pietatem Augusti commendant, non definiendi potestatem circumscribunt in Patribus, Excipiente Reo, & contradicente Actore de articulo incidente, decernere debebant Patres. Judices insinuant, de quo ante omnia sententia ferri debebat. Nec id est definire, veniâ datâ, aliàs & veniâ datâ, quod præcipuè agebatur, definitum quis credat, cùm Judices iidem dixerint act.* 5. Dioscorus dicebat, quod ex duabus naturis est suscipio, duas non suscipio; Sanctissimus autem Archiepiscopus Leo, duas naturas dicit esse in Christo unitas inconfusè, inconvertibiliter, & indivisibiliter in uno Unigenito Filio Salvatore nostro. Quem igitur sequimini? Sanctissimum Leonem, aut Dioscorum? *Planè cùm nimis Lyncei videri amamus, cæcutimus.*

XXI. Ipse autem ejusdem Concilii Canon 28. *quod agimus præclarè demonstrat, Augustos videlicet minimè sensisse sui juris esse Episcoporum jurisdictionem decernere. Constantinopolitana Synodus can.* 3. *ejusdem Urbis Episcopo decreverat* τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, *hinc prædicto Canone id ita intellectum est, ut voluerint Constantinopolitanum, secundum à Romano Patriarcha locum tenere. De prioris Synodi Canone immeritò dubitari à Binio, & à doctissimo Baronio, cùm de eo testetur Canon Chalcedonensis, observavit Holstenius in notis ad Concilium Romanum Bonifacii Papæ II. Quod enim verò minores Episcopi sibi vindicaverant ex Urbium splendore, id sibi asserendum censuit novæ Romæ Episcopus. Constantinopolis Augustorum Sedes, ad quam ex toto Orbe causæ deferebantur. Urbis ejus Episcopus ad Patriarcham Occidentis minimè spectabat, sed nec ad Alexandrinum, vel Antiochenum, quare nullo modo Patriarchale Romani Episcopi jus lædebatur. Gloriam Constantinopolitanæ Ecclesiæ optavere Valentinianus, & Marcianus Augusti. Vide tamen qua via pergant. Nil sibi juris in ea re decernenda competere existimant; sed nec Concilii decretum sufficere, nisi Leonis consensus accederet. Id constat ex eorundem literis ad Magnum Leonem datis, ad annum* 451. *spectantibus, relatisque in laudato Romano Bonifacii Concilio. Petentes ut Constantinopolitanus Episcopus, secundus à Romano Patriarcha habeatur, id imperiali auctoritate fieri non posse cognoscunt, proferuntque utriusque Oecumenicæ Synodi decreta, quibus petitionem suam fulciunt, orantque enixè, ut quod decretum fuerat, Romanus Pontifex confirmet.* Quoniam verò, *inquiunt*, & hoc statutum est, ut ea, quæ centum quinquaginta Sanctissimi Episcopi sub D. Theodosio Majore de honore venerabilis Ecclesiæ Constantinopolitanæ statuerunt, & quæ nunc à S. Synodo de eadem re statuta sunt, firma serventur: scilicet ut post Sedem Apostolicam Constantinopolitanæ Sedis Antistes secundum obtineat locum. quoniam & eadem splendidissima Civitas junior Roma nuncupatur, dignetur Sanctitas Tua, etiam huic parti, proprium adhibere consensum. *Restitit enim verò Leo Sanctissimus Veteris Romæ Episcopus, & piissimi Augusti, qui suæ potestatis fines optimè noverant, ita à cœptis destitere, ut Anatolius Constantinopolitanus Episcopus factum in Chalcedonensi Synodo sibi minimè imputandum scripserit Leoni, sed Ecclesiæ suæ Clero. Quod itaque Valentinianus sibi minimè licere censuit extra Romani Patriarchatus fines, etiamsi de Constantinopolitana Sede ageretur, & licèt id ipsum per Oecumenicam Synodum decretum fuisset; fecisse intra Romani Patriarchæ ditionem Ecclesiasticam, immo intra Romani Metropolitæ Diœcesim, & ita duplici ex capite jus Sacrosanctum Romanæ Sedis violasse, id enim verò ab omni credibilitate distat.*

XXII. Ut nil omittamus, quo cognoscamus eorum temporum opinionem circa ea, quæ spectant ad potestatem conferendi jus Metropoliticum, dissimulari haud potest, aliquando irrepsisse, & in Occidentali Ecclesia, Orientalis abusus. Unum tamen ejus rei exemplum habemus, sed & novimus novæ Metropolis constituendæ ex civilis Urbis gloria rationem minimè Pontifici Romano probatam. Trahebat ad se Arelatensis Præsul Ordinationes Episcoporum Provinciæ Viennensis eo prætextu, ut creditur, quod aucta decore ob Principum moram Arelatensis Urbs, Metropolis effecta sit, qualis erui posse existimat Petrus de Marca, seu Baluzius, ex Honorii Constitutione relata à Sirmondo in notis ad Sidonium. Ei opinioni, quòd Metropolum Civilium Episcopi Metropolitanorum Ecclesiasticorum juribus gauderent, institit Taurinensis Synodus anni 397. *at dubitavit quænam Metropolis esset Civilis, Arelatum videlicet, an Vienna, & decrevit*, ut qui ex eis, *Episcopis videlicet*, approbaverit suam Civitatem esse Metropolim, is totius Provinciæ honorem primatus obtineat. *Verùm aliâ viâ, ut quod semel arripuerat retineret, Patroclus Arelatensis existimavit sibi pergendum, cùm apud Romanum Pontificem, cui nil de Civitatis gloria tutò dici posse noverat, causam egit, ac ideo solius antiquitatis ecclesiasticæ momento se tueri voluit, ob quam à Zosimo Pontifice obtinuit, sibi consecrationem confirmari Episcoporum Provinciarum Viennensis, & Narbonensis.* Quoniam, *inquit Pontifex epist.* 70. Trophimus Sacerdos quondam Arelatensi Urbi ab Apostolica Sede transmissus ad illas regiones, tanti nominis reverentias primus exhibuit. *Regulis eisdem insistendum Pontifices subsecuti censuere, cùm de eadem re quæstiones inciderunt. Hilarius Papa circa annum* 462. *Episcopis diversarum Provinciarum Galliæ rescripsit epist.* 8. *cùm Leontius Arelatensis lamentaretur Parochias suæ Ecclesiæ à Prædecessore Hilario in alios, quod non licuerat, fuisse translatas, Episcopis illi querelam remittens*, ut quæ Ecclesiasticis regulis congruerent, decernerentur. *Epistola verò sequenti contra Mamertum Viennensem, qui indebitè Deensem Episcopum ordinaverat, dissertè asserit, Principes approbare, quod Romanus Pontifex in rebus hujusmodi decrevisset.* Fratri enim nostro Leontio, *inquit Pontifex*, nihil constituti à sanctæ memoriæ Decessore meo potuit abrogari, nihil valuit, quod honori ejus debetur, auferri, quia Christianorum quoque Principum lege decretum est, ut quidquid Ecclesiis, eorumque Rectoribus pro quiete omnium Domini Sacerdotum, atque ipsius observantiâ disciplinæ in auferendis confusionibus Apostolicæ Sedis Antistes suo pronunciasset examine, veneranter accipi, tenaciterque servari cum suis plebibus, caritas vestra cognosceret.

XXIII. Quæ omnia sufficienter ostendunt opinionem, quæ Valentiniano imperante obtinebat in Occidentali certè, sed etiam in Orientali Ecclesia non modò apud Episcopos, sed & apud Principes, & Valentinianum ipsum, eam fuisse, qua crederent, potestatis ecclesiasticæ, non verò Augustalis esse, jura Metropolitanorum immutare, novos Metropolitas

tas constituere , illis Pallium præbere , & cætera ejusmodi præstare . Id insuper in primis viguisse favore jurium Patriarchalium , & Metropolitanorum Pontificis Romani , strenui contra abusus , qui irrepserant , jurium hujusmodi assertoris . Quòd si ex Valentiniani beneficio Ravennas Episcopus Metropolitanum jus , & Pallium habuisset, Chalcedonensis Synodi Can. 12. vigore , retinuisset tantum τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, *ut à Patribus cautum fuerat ; at certissimò constat , & post Chalcedonensem Synodum Episcopum Ravennatem metropoliticis juribus gavisum . Non itaque vel ob Civitatis splendorem , vel Valentiniani beneficio , sed ex Romani Pontificis liberalitate fuerat ille , & jus , & Pallium Metropolitani assecutus .*

XXIV. Sunt etiam , quæ clarissimè , & presè id probent . Exercitium plenissimæ jurisdictionis , comminatio pœnarum , ac præcipuè auferendi Metropoliticam potestatem interminatio , ejus sunt certè , qui Metropolitæ potestatem concessit , & Pallium , per quod potestas ipsa significatur . Hæc autem clarè , disertisque verbis enunciata habemus in epistola Simplicii Summi Pontificis , quæ ad annum 482. *pertinet contra Johannem Ravennatem Episcopum immediatum, ut quidem puto, Petri Chrysologi Successorem , qui Gregorium quendam invitum , Episcopum Mutinensem ordinaverat . Perpendantur ea præcipuè ejus epistolæ* ; nam privilegium meretur amittere , qui permissa sibi abutitur potestate . *Et in fine* ; denunciamus autem , quòd si posthac quidquam tale præsumpseris , & aliquem sive Episcopum , sive Presbyterum , sive Diaconum invitum , fortè facere credideris , ordinationes tibi Ravennatis Ecclesiæ , vel Æmiliensis noveris auferendas . *Ita qui in Prædecessoribus suis dederat , minari poterat se ablaturum . metropoliticam potestatem ; cæterùm vanum terriculamentum fuisset hæc minari , si quod auferret Pontifex , laica potestas restituere potuisset . Certè evidens præstitæ à Pontifice Romano metropoliticæ potestatis Ravennatibus argumentum habemus ex celeberrima illa Gelasii I. ad Episcopos Dardaniæ epistola , quæ in Labbeana collectione est* 13. *spectatque ad annum* 495. Risimus , *ait Gelasius* , quòd prærogativam volunt Acacio comparari quia Episcopus fuerit Regiæ Civitatis . Numquid apud Ravennam , apud Mediolanum , Sirmium , apud Treviros multis temporibus non constitit Imperator ? numquidnam harum Urbium Sacerdotes ultra mensuram sibimet antiquitus deputatam quippiam suis dignitatibus usurparunt ? nam , *ut infra idem Pontifex* , alia potestas est rei secularis , alia ecclesiasticarum distributio dignitatum . *Hæc Sanctissimi Pontificis verba brevissimè sunt perpendenda . Certum est Ravennatum Antistitum Petrum Chrysologum omnium primum jura Metropolitanorum exercuisse . Sit tamen , ut quidem puto , postremis eius vitæ annis id Johanni Angelopto Petri Prædecessori collatum . Ab eo tempore distetit Gelasius annis vix quinquaginta quinque . Si Valentinianus Gallæ Placidiæ Filius Ravennati Præsuli duodecim Civitatum Episcopos subjecisset, tradito Pallio , nec id ab ejus temporis Pontifice Romano obtentum fuisset, non ignoravisset Gelasius . Hæc itaque quæ magnæ laudi Ravennatibus eorum temporum Præsulibus sunt , scripta à Gelasio non fuissent , & exemplo Ravennatum tueri se potuisset Acacius , seu Acacii memoriam defendere potuissent, qui ejus defuncti partibus adhærebant . Metropolim Civilem in novam formam Valentinianus constituerit Ravennam , id enim poterat ; oraverit etiam Pontificem ut Metropolitani jura , & Pallium conferret , privilegia*

A *etiam , & favores concesserit ; id poterat , & fecisse non invidemus ; at subjicere Episcopos , qui ad Episcopi vel Romani , vel Mediolanensis Diœcesim , & ad Occidentis Patriarchatum spectabant , & spiritualem potestatem requirebant , Imperatoris minimè erat .* Alia , *rursus inculcari debet*, potestas est rei secularis , alia ecclesiasticarum distributio dignitatum . *Nullus sanæ mentis plus fidei adhibebit Agnello schismati addicto , Scriptori noni sæculi inepto , quàm Summo Pontifici Canonum , & rerum peritissimo , & Valentiniani temporibus admodum proximo .*

XXV. Superfluum , his omnibus probatis , erit quidquam addere contra Mauri temeritatem , qui in Occidente , & intra ipsos ferè Romanæ Diœce-
B *seos fines* αὐτοκεφαλίαν *tentare non erubuit , eo tempore, cum & ipsi Orientalis Ecclesiæ Exarchæ, qui à primis Apostolorum temporibus tales fuerant, jam demum alteri parebant . Quid , quòd omnium Prædecessorum suorum obedientia erga Romanum Pontificem , quæque Patrum suorum memoria Ravennates Episcopi subjectionis omnimodæ , & cùm consecrarentur, & cùm Pallium reciperent, & cùm ad Synodum vocarentur , argumenta nota erant , ac in primis Gregorii Magni Acta , cujus nobis longiùs ab ea ætate dissitis in ejus rei testimonium epistolæ superstites leguntur ? Nec ipse demum ignoraverat se , suamque Ecclesiam Romano Pontifici subjici, qui ab eo ordinatus , Pallio ornatus , exhibitâ , quæ tunc invaluerat cautionis , ut voca-*
C *bant , formulâ , & ejus rei patens argumentum dederat, occasione Monothelitarum hæresis . At superbus homo , & subjectionis impatiens nactus tempora difficillima , & Imperatorem , & Exarcham omnium bipedum scelestissimos, artibus illis , quæ ejus moribus respondebant, contra jus, fasque se subducere tentavit à sui Patriarchæ ditione , indeque in horrendum schismatis crimen præceps ruit . Id unum ab Agnello in Mauri vita ritè præstitum , ut ejusdem vafritiem, & avaritiam, seu patrimonii Siciliensis dilapidationem , non obscurè indicaverit . At juvat concludere Bertherii doctissimis verbis Pithanon. Diatrib.* 2. Taceo (ut verbum Anastasii in Dono usurpem) autocephaliam indignum hercle facinus , & silentio æter-
D no obruendum .

XXVI. His in antecessum præmissis salebrosa Agnelliani libri spatia tutò percurret quisque . Tibi porrò erudite Lector ea minimè scandalo fuissent ; mei tamen officii esse censui non modò superiora præfari , sed & ubi aliquid minimè tuum cubat , periculum indicare . Tu interim laborem meum æqui , bonique consule , & antequam ad Agnellum accedas , seriem accipe Chronologicam Ravennatum Pontificum , quorum Acta Agnellus scripsit , uti à me in Dissertationibus restitui debere visum est . Vale .

SERIES PONTIFICUM

E S. Ravennatis Ecclesiæ , quorum Vitæ ab Agnello narrantur.

S. *Apollinaris ordinatus anno L. die* 19. *Junii. Martyrio coronatus anno LXXVIII. VII. Kal. Julii , postquam sedit annos XXVIII. Mens.* 5. *diebus* 4.
Aderitus.
Eleucadius.
Martianus.
Calocerus.
Proculus.
Probus.
Datbus.

Libe-

Liberius.

Agapetus.

Marcellinus.

Severus cœpit sedere circa annum 346., obiit circa 391.

Liberius II.

Probus II.

Florentius.

Liberius III.

Ursus creatus circa annum 400. obiit anno 412. die 13. Aprilis ad Vesperam.

Petrus eo anno creatus, obiit anno 425.

Neo eodem anno suffectus, obiit circa annum 430. III. Idus Februarii.

Exuperantius obiit anno 432. IV. Kal. Junii.

B Johannes Angeloptes eodem anno creatus, obiit circa annum 439.

Petrus Chrysologus ordinatus circa annum 439., obiit circa annum 450.

Johannes II. eo anno ordinatus, obiit circa annum 496.

Petrus III. circa annum illum creatus, floruit Symmachi Summi Pontificis tempore.

Aurelianus Petro suffectus, obiit circa annum 523.

Ecclesius circa initia anni 524. creatus, circa Julii Mensem anni 534. obiit.

Ursicinus eodem anno circa Augustum ordinatur, moritur circa Aprilem anni 538.

Victor ordinatus die 4. Martii anni 540. moritur
C XIV. Kal. Martii anni 546.

Maximianus ordinatur à Vigilio Papa Patris in Achaja, Prid. Id. Octobris anni 546., obiit anno 552. VIII. Kal. Martii.

Agnellus ordinatur anno 553. die 22. Junii, obiit anno 566. Kal. Augusti.

Petrus IV. Senior dictus electus anno 567. die 28. Maji, ordinatus anno 568. 15. Septembris, obiit anno 575. die 16. Augusti.

A Johannes III. ordinatus anno 575. die 23. Novembris, obiit anno 595. die 2. Januarii.

Marinianus ordinatus ante diem 5. Julii 595. obiit 23. Octobris 604.

Johannes IV. ordinatus circa initia anni 605. obiit circa Septembr. anni 610.

Johannes V. ordinatus circa finem anni 610. obiit circa annum 629.

Bonus ordinatus circa annum 630. obiit anno 642. die 25. Augusti.

Maurus ordinatus Mense Septembris anni 642. obiit circa Julium anni 671.

Reparatus ordinatus die 4. Octobris 671. obiit die 30. Julii 677.

Theodorus ordinatus die 29. Septembris anni 677. obiit 18. Januarii 691.

B Damianus ordinatus die 24. Decembris anni 691. obiit die 12. Martii anni 708.

Felix ordinatus die 4. Aprilis anni 708. obiit anno 716. die 25. Novembris.

Johannes VI. obiit circa annum 752.

Sergius circa annum 752. ordinatus, obiit circa finem anni 769. vel initia 770.

Leo per id tempus ordinatus, mortuus est, circa annum 779.

Johannes VII. sedere cœpit circa annum 779. obiit anno 786. post festum S. Apollinaris, sedit annis 7. Mens. 1. dieb. 3.

Gratiosus ordinatus anno 786. obiit circa annum 794. die 23. Februarii.

C S. Valerius circa annum 794. ordinatus, obiit circa annum 809.

Martinus sedere cœpit circa annum 810. obiit circa 819.

Petronacius post annum 821. ordinatus, mortuus ante annum 837.

Georgius post annum prædictum ordinatus, vitam produxit post annum 841.



PRÆ-

PRÆFATIUNCULA
AD VERSICULOS QUOSDAM PRÆFIXOS
RAVENNATIS AGNELLI
LIBRO PONTIFICALI,
ET ADJECTAS OBSERVATIONES.

T*Anta est versuum , qui Agnelliano Operi præmittuntur , barbaries , ut de illis omittendis, cætera descripturus, cogitaverim. Cùm nullæ Grammaticæ leges in ipsis sint observatæ, ac proinde rectæ syntaxis ordo passim perturbatus (omitto syllabarum , & versus quantitatem neglectam) vix quidquam boni elici posse videbatur ; quinimo minimè sperabam alicubi me ineptissimi Scholastici versificatoris sensum assecuturum , cùm temerè tempus pro tempore , modum pro modo, casum pro casu assumpserit ille , unde* ἀμφίβολος, *& implicatissimus , Oedipum potiùs , quàm* ἐξηγητὴν *petat . Et profectò quamvis seculi noni barbaries aliunde sit cognita , ut minùs mirari liceat , si summam latini sermonis corruptelam in his , quæ supersunt eorum temporum scriptis ; deprehendamus , quæ etiam eorundem sinceritatem , & authentiam commendat ; tanta nihilominus horum versuum est deformitas , & stribiligo , ut vix inveniri posse crediderim in ejus, & sequentis seculi Scriptoribus amplius ejusmodi characterismi argumentum ; tale sanè , quod scripti sinceritatem aperiens, scribentis mentem abscondit. Hoc tamen non obstante , nil omissum volui , & integrè quidquid ad Agnelli opus spectat publici juris faciendum existimavi , ne inde quidquam ab Eruditis desideraretur , quod ex Estensi Codice suggeri posset. Descripsi itaque ineptissimam versuum seriem, eamque attentiùs contemplatus , nonnulla eruisse mihi visus sum , quæ Libri Pontificalis opus , & Scriptoris Agnelli Vitam illustrant . Hinc versus ipsos præponendos statui , interjectis observationibus meis . Aliqua non intellecta lubens fateor , quæ proinde satiùs duxi intacta relinquere, ne divinando , arbitraria potiùs , quàm probanda, Lectori obtruderem . Versibus talis præfigitur titulus ;*

Incipiunt Versiculi cujusdam minimi Scholasticorum titulantes opus Libri sequentis.

OBSERVATIO PRIMA.

S*Cholasticum (ut aliquid de hac re adnotem) se dicit in titulo, versiculorum hujusmodi Auctor . Intelligit autem eo nomine* literatum *prout opponitur idiotæ . Quamvis enim multiplicem acceptionem sortita sit hæc vox apud Scriptores mediæ , & infimæ latinitatis , ut docemur ab eruditissimo Duchangio in Glossario , nulla tamen aptior , commodiorve tempori , & accasioni visa est . Sic Amalarius Trevir. apud Brourerum à laudato Duchangio relatum;* quisque futurus sis, sive potens in seculo , sive pauper , sive scholasticus , sive idiota . *Novi equidem Scholastici nomen officium significasse in Ecclesiis , ejus , qui Scholæ præponebatur , ut dirigeret , ac doceret , vel linguas tantùm , & humaniores literas , vel his simul cum Theologia , spectantibusque ad rem liturgicam , & divinam . At hæc temporibus Ca-*

A *rolo Calvo posterioribus conveniunt . Præterea is unus erat , qui cujuslibet Ecclesiæ Scholæ præficiebatur, cui subsecutis recentioribus seculis Theologale munus successit , de quo vide doctissimum Tomassinum in veteri , novaque disciplina de Beneficiis . Auctor autem horum Versiculorum se unum ex pluribus eodem titulo , seu munere gaudentibus , Scholasticum dicit , dum se* minimum Scholasticorum *vocat . Ordinem igitur virorum Ravennæ vigentem seculo nono procedente mihi videor videre , qui in maxima aliàs bonarum artium caligine , nonnihil in dicendi arte , linguæque latinæ usu profecisse videbantur supra cæteros , & Scholastici vocabantur , quo nomine , & his , qui talis habebatur , absque jactantiæ vitio uti potue-*
B *rit , quod servata proportione præluserit recentiori Magistri, Doctorisve elogio. Scholasticorum hujusmodi ordinem potuit Ravenna ex Græcis accepisse, qui titulo eodem honoris causâ distinxère viros eloquentes , quod benè actum est cum Zacharia Scholastici cognomine decorato Justiniani ævo , ut sentit Tarinus in notis ad Zachariæ Dialogum de Mundi opif. contra Genebrardi mentem . Scholasticum etiam Ravennæ virum ex Magistratu illustrem fuisse Gregorii Magni ævo , indicant hujus Pontificis Epistolæ . An hic Scholasticorum minimus Ecclesiasticus fuerit , necne , definiendo argumenta desunt ; veruntamen si quis illum , quòd huic operi illustrando manum admoverit , Ecclesiasticæ vitæ addictum velit , non abnuo .*

C In Patris , Natique, & Sancti nomine Flatus ,
Cùm certum propter Secli indicium studuissent ,
Atque Redemptoris hominum natalis Jesus
Regum , & Pontificum multi scripsisse Magistri
Quod quisquis tempus sedisset , Imperiali
Rector , & egregius Pastor quod Pontificali
Sede . Augustorum scripserunt ferrea Regna ,
Imperium quorum tandem ceu claruit altum
Partibus occiduis , laticum quà copia , surgit;
Et sanctæ vitæ , ceu tempus Apostolorum
Quoquo modo insignes radiarunt ore , manuque .

D

OBSERVATIO SECUNDA.

U*T autem ad Versus ipsos accedam , & eorundem sensum, quantùm licuerit , commodum eliciam , ita undecim priores supra descriptos intelligo, ut paraphrasticè in hunc modum exponi possint, quòd scilicet , præmissa invocatione Sanctissimæ Trinitatis, dicat Auctor , multos* Magistros , *doctos videlicet viros , cogitasse de scribendis Historiis à Redemptoris ortu auspicantes,* propter clarum indicium secli, *idest ad Posterorum notitiam, ac eruditionem, tum Regum, tum Pontificum , ac præcipuè quo quisque tempore vel Imperator , imperiali , vel Pontifex , pontificali Sede, sedisset ; inventos præterea fuisse, qui utrorumque acta scriberent,*

berent, & Imperatorum quidem eorum etiam, qui claruere laticum quà copia surgit, *Ravennæ videlicet, & Pontificum, qui sermone, & operibus exempla Apostolorum sunt æmulati. Laudis verò argumentum ex eo sumptum, quo Ravennæ Urbs commendaretur, quod aquæ omnes regionis universæ cis, & trans Padum sitæ, ab ejusdem fluminis origine, usque ad celebriora ostia, quibus in Adriaticum mare se exonerant, sed & ex Flaminiæ conterminis montibus defluentes, circa Ravennam confluerent; quod novimus ex aliis Libri hujus Pontificalis locis. Cœptam semel versuum explanationem prosequamur.*

Scriptorumque Ravennatum per circiter annos
Penna diu segnis neglexit, centies octo
Almæ summorum moderamina clara per orbem
Pontificum Vitæ, passim narrasse suorum.

OBSERVATIO TERTIA.

HIc ait Ravennatum pennas neglexisse id ipsum, quod alii fecerant, præstare, & Pontificum suorum, qui Ecclesiæ per spatium DCCC. circiter annorum præfuerant, vitas, & acta oblivioni traditas reliquisse.

Vespere quamquam etenim, tamen orsa fidesque, manusque
Scribere feliciter nostratum Pontificale
Agnelli lepidi (1) Patriarcharum istud opusclum
Tempore Apostolicus Gregorius alta salubris
Solvendi, & contra, almifici, quo munera Petri
Comptè habet, & Sceptra Imperii Augustus tenet almus
Armipotens satus magno Karolo, Ludovicus,
Pacificus, natusque suis Lotharius *acrè* (2)
Belliger *Italiæ* (3) Regna tenens, Romaque *pontus* (4)
Regibus, & populis lectus solio Imperiali,
Archiepiscopus *almis* (5) ovans Petronacis, agitque
Tuoque (6) Ravennatis Clerum Ecclesiæ, populumque
Alterum ab undecimo, quem Presbyterumque beavit
Summus is Antistes merito Sede Urbis opimæ.

OBSERVATIO QUARTA.

ADjicit, tandem licèt vespere, idest serò, Agnellum Presbyterum huic optato operi præstando se addixisse, & tempus ipsum, quo id factum fuit, multifariè exprimit; Gregorio videlicet IV. Summo Pontifice Petri jura solvendi, atque ligandi tenente, Imperantibus Ludovico Caroli Magni filio, ac Lothario; moderante autem Ravennatum Ecclesiam Petronace Archiepiscopo, quem Summus Pontifex consecravit undecimo loco postquam à Theodori tempore Ecclesia ipsa Ravennas resipiscens, Romani Præsulis obedientiæ se submisit. Quæ quidem merentur, ut aliquantò diligentiùs in temporum designatorum examine immoremur.

Porrò manifestum est characteres tempori significando, quo Agnellus Librum hunc Pontificalem scripsit à scholastico versificatore adhibitos, non subsistere, nisi intelligantur de illo spatii tempore, quo Agnellus scriptionem intermissam aggressus est. Etenim ex Agnello ipso constat, majoris operis partem non modò post Petronacis, sed & post Georgii Episcopatum scriptam. Georgii ipsius vitam postremo loco consignatam legimus, sed & de eodem agit in vita Felicis, agitque tanquam de Archiepiscopo minimè inter vivos degente, ait enim, sed & mihi de prædicto Monasterio S. Bartholomæi contigit. A' Georgio Pontifice per pauca annorum curricula, sine causa privatus sum. Nam antequam ad tale culmen ascendisset, sic eramus adinvicem quasi ex uno duo verè germani, & postquam accepit Archieraticam dignitatem, Deum offendit, & omnes Sacerdotes demolivit, cuncta occupans Monasteria, totasque gazas Ecclesiæ, quas Prædecessores sui adquisierant pro reatu sui corproris expendit.

Georgii autem obitus, ut ex ejus vita apparet, accidit post aliquot annos à victoria Caroli Calvi de Lothario reportata Fontanis, quæ quidem incidit in VII. Kal. Julii anni DCCCXLI. Hinc deprehenditur, & alium characterem ex Imperio Ludovici, & Lotharii non subsistere; Ludovicus enim defunctus fuerat anno DCCCXL. & vix sustineri potest hæc scripta Gregorio IV. sedente, cùm is diem obierit anno DCCCXLIII. Sed & Maximiani Archiepiscopi Vita scripta fuit post Petronacis ætatem; in ea siquidem narrat Agnellus quintodecimo Petronacis Archiepiscopi anno, elevatum Maximiani Corpus, Presbyteris id enixè curantibus, seque ex Pontificis adstantis jussione, rem ipsam agente. Demum Petronacis mortem ante plures annos accidisse ostendit in Vita Mauri Archiepiscopi, memorans lapidem pellucidum Sepulcri ejus ante duodecim annos Petronacis tempore, à Ludovico Imperatore in Gallias translatum.

Verùm ex Petri Senioris cognomento Episcopi Vita, quid distinctiùs argumento illustrando evincitur. Ibi siquidem Auctor narrans equum æreum Ravennæ quondam extantem translatum à Carolo Imperatore, hæc ait; & nunc penè ann. XXXVIII. cùm Karolus Rex Francorum omnia subjugasset Regna, & Romanum percepisset à Leone III. Papa Imperium, postquam ad Corpus B. Petri Sacramentum præbuit, revertens Franciam, Ravennam ingressus, videns pulcherrimam imaginem, quam nunquam similem, ut ipse testatus est, vidit, Franciam deportare fecit, atque in suo eam firmare Palatio, quod Aquisgranis vocatur.

Carolus ex Annalibus Francorum à Baronio relatis circa initium Junii anni DCCCI. Romá reversus, Ravennæ per aliquot substitit dies, quare cum allata scribebat Agnellus, annus currebat DCCCXXXIX. & paulò ante Maximiani Archiepiscopi Vitam scripserat, Petronax autem Archiepiscopus, & Corpus laudati Maximiani elevaverat anno sui Archiepiscopatus quintodecimo, & ipse è vivis abierat, ut ex modo prædicta narrandi manifestò indicat Auctor. Porrò Descriptor Codicis hujus, qui ex apographo se id fecisse ait, cùm Petronacis Vitam deesse comperisset, supplens ex aliis Chronicis, & eandem interiiciens, narrat eum jurasse honorem Carolo Imperatori, quod nullo modo temporum ratio consentit, etenim Carolus obiit anno DCCCXIV. cùm adhuc in vivis esset Leo III. Pontifex, qui non nisi anno DCCCXVI. defunctus est, cui successit Stephanus V. dictus IV. quo ex Galliis Romam redeunte, & Ravennæ Missas celebrante, Martinus Petronacis Prædecessor sedem tenebat, ut in ejus Vita narrat Agnellus. Cujus quidem Vitæ cùm plura desint, consentaneum est credere Mar-

(1) *Ineptè Patriarchas vocat, qui Metropolitæ tantùm fuere.* Bacchinius.
(2) *acer*. Muratorius.
(3) *Itala*. Mur.
(4) *potitus*. Mur.
(5) *almus*. Mur.
(6) *Tumque*. Mur.

Martinum vitam produxisse aliquot annis post Stephani obitum, qui septem tantùm mensibus sedem tenuit, eamque Paschali successori suo reliquit anno * *DCCCVII. Consecratio tamen Petronacis non potest differri ultra annum tertium Eugenii, Christi DCCCXXVI., quo ipse prior subscripsit in Concilio Romæ habito sexaginta trium Episcoporum. Quare ejus Episcopatus initia recidunt in posteriores annos Paschalis, qui sedit post Stephanum, & ante Eugenium septem annis, & aliquot mensibus, proindeque circa DCCCXXII. collocanda, & hac temporum ratione firmata, elevatio Corporis Maximiani ad DCCCXXXVII. referenda est, de qua scribebat Agnellus circa annum DCCCXXXIX., sicut & de Petri Senioris actis, cùm jam à Gregorio IV. Georgius in Archiepiscopum Ravennatem fuerat consecratus. Verùm quæ præcedunt Vitæ, scripta necessariò sunt ante aliquot annos. Id ex eo agnosco, quòd in vita Aureliani, ubi se improbè vexatum multis lamentatur à Consacerdotibus Auctor, ut Pontificale jam cœptum finiret, inter cætera hæc de sua ætate dixit:* hodie denique sex gero lustra duobus insuper annis, & bis quinos menses, ex quo lumen recepi, de vulva Matris meæ egressus sum. *Hæc autem aptari nequeunt anno memorato DCCCXXXIX., etenim in Vita Martini ait, eum sibi dedisse* Monasterium S. Mariæ in Blachernis; *nec enim consentaneum est ejus narrationi, postremis Martini annis id factum fuisse, cùm post earum rerum seriem, mortem Pipini Longobardorum Regis, & Caroli Magni, ac cætera ad Martini vitam spectantia, plura addat soli Leonis Pontificatui aptabilia. Cùm autem Leo anno DCCCXVI. obierit, Agnellus S. Mariæ ad Blachernas Ecclesiam obtinuisset ætatis suæ annum agens vix septimum. Si autem circa annum DCCCXII. statuamus Agnellum agentem annum ferè quartumdecimum (cùm se ipse adhuc puerum dicat) Ecclesiam laudatam obtinuisse, consequens fit, ut Aureliani vitam scriberet circa annum Domini DCCCXXIX., agens ætatis suæ annum trigesimum tertium, decimo ejusdem mense currente. Huic anno conveniunt characteres omnes à Scholastico designati, etenim Gregorius IV. Romanus Pontifex sedebat; imperabant Ludovicus, & Lotharius; ac Petronax Archiepiscopum Ravennatem agebat. Eo ipso tempore consequens est versus hosce exaratos fuisse, quibus opus tantùm cœptum, nec finiendum, nisi post plures annos laudaretur, addendi gratiâ Auctori stimulos, segniùs, quàm Compresbyteri voluissent, procedenti. Versus illos.*

Alterum ab undecimo, quem Presbyterumque beavit
Summus is Antistes merito Sede Urbis opimæ.

ita intellexi, ut ad Petronacem referrem, undecimum Ravennæ Episcopum, numerando à Theodoro, qui post Ecclesiæ illius schisma, Romano Pontifici se submisit; at, ut fatear quod est, in hujusmodi explicatione minimè quiesco, alter enim ab undecimo non est undecimus. Nullus tamen commodior intellectus suppetit.

Quis (1) cunctis *sancto* (2) sapientior *isto*, (3) Sacerdos
Claruit ingenio, & natura ? nomine dictus
A puero Agnellus fuit, Andreasque juventâ
Fuge satus, cretusque nimis de stirpe superba,
Euge. Ravenna dedit quantum, nullique secundum,

A Formosum facie, verbo rutilum, ore loquacem,
Corporis exiguum membris, sed mente capacem
Quem magnum sensum, quamquam de corpore Paulum.

OBSERVATIO QUINTA.

L*Audatur hic Agnellus à Sacerdotio, ab ingenio, naturâque nomini respondente, à Stirpis, & Parentum generositate, qui Paulo comparatur, corpore quidem exiguo, sed mente grandi.*

B Qualis inest cantilla canens Philomela suave
Florigeris verno sylvis, cum gutture flexo
Vociferans Cœlum complet clamoribus altum,
Stirpe sedens viridi; subter folio *moderatrix* (4)
Sub dio enim modulatur ovans; audire Viator,
Pastor, eques vigilans, cupientes dulcia cujus
Carmina gratis ubique optant, & sedula curant,
Quam nequeunt unquam longo ullæ vincere cantu.
Talis & iste sedens tectis nimiumque superbis
Quæ Genitor procerus cessit sibi jure paterno
C Sede suburbanis Ravennæ, quæ vocitatur
Antiquo Blacherna locis de nomine structa;
In Genitricis honore Dei, Dominique Mariæ,
Qua lepidus Scriptor præfatus Pontificalis,
Neglectoque diu suspirans æstua tangens
Moliturque hians gratis tantæ dare se se
Moli operis.

OBSERVATIO SEXTA.

D*Escripta illud ferunt, quòd sicut* Philomela *in Sylvis verno tempore dulce melos canens cespide* viridi sub dio *sedens, mulcet aures, animumque* Viatoris, Pastoris, Equitisque *pertranseuntium* gratis, *cantus eo genere, quod dulcedine minimè æquari possit; ita Agnellus sedens sub tectis* nimiùm superbis, *idest admodum elegantibus, quæ Genitor* procerus, *generosus, cessit sibi jure paterno in* suburbanis locis *Ravennæ, ubi Ecclesiæ S. Mariæ* antiquo de nomine *ad Blachernas vocitata* gratis *meditatur expetentium votis satisfacere, texens vice cantus, Historiam* neglectam *diu Pontificum Ravennatum. Quæ ad genus, & Vitam Agnelli, ac de Ecclesia Sanctæ Mariæ ad Blachernas dicenda hic fuissent, præmisi in libri totius Præfatione, minimè proinde repetenda.*

.... recolens monimenta Patrumque, Senumque
E Haud surdus natum auditor, sed mente volente
Dicentis solers Mosis præcepta secutus,
Posce tuos Patres tibi *nam erant* (5) Seniores
Te multùm, semperque petentem gesta priorum
Atque Dei, Dominique tui miracula prisca
Et visu, audituque monebunt vera dicentes.
Tum Patriarcharum simul aggerat acta priorum

(1) *Cuis*. Mur.
(2) *sanct*. Mur.
(3) *iste*. Mur.
* Lege *DCCCXVII*.

(4) *modulatrix*. Mur.
(5) *nuncii erunt*. Mur.

A Edidit istud opus tempus quorum, quia muro
Depictum nomen, seriemque excerpsit eorum
Et vitæ *partem* (1) lecta moderamina, *partem* (2)
Colligit aure sua, biblis glomerare suetus.
Aderiti capite scripsit, calce, & Petronacis
Utrius medio componens corpus opuscli,
Quatuor undecies Patriarcharum sapienter
Exarans cujusque *munus* (3) linguæ, moderamen
Magnificum, regulans auditaque, lectaque, certa
Obtutu *vigili* (4) studioque incerta reliquit.
Instar agens cupidi quærentis litore curvo
Terrigeri Padi refluentis, fulva metalla
B Acre sibi, qui delectu conculcat arenam
Quorundam, nigrum fundens, chartæque liquorem,
Sancta beatorum pandens miracula vulgo
Nobiliter sermone locavit arundo sonora,
Multiplici cujus quantum fuit aure relatu
Veridico plenus, quàm sed titubans aliorum
Maluit is compto breviter sermone monere
Sicut ovans sedens transtris, & pocula sumens
Lancibus adlatis, fartis, & carmina ructans
Suspiciens placidum Cœlum, nauta ore sereno
Æquora tonsilis certatim vela secundis
Flaminibus tribuit decurrens vitrea rura
Quando timore caret scopuli, nec conspicit arva,
C Nec tangit demissa tenax alto anchora Syrtes.
At mœstus densis Cœlum cum nubibus atrum
Per vacuum quoniam cursantes undique ventos
Conspicit, aut scopulum spectat, vel cominus esse,
Tum remis cursum trahens, & vela deorsum,
Et navim timidus nectitque rudentibus agens,
Demissoque (5) Mari plumbo *uno restibus* (6) unco
Exoptat multum cupiens statione potiri.
Cum suis (7) haud secus is voluit sermone locasse
Multiplici uberiùs *passu*, (8) comensque loquelam
D Magnifico auditu lætus, famâque priorum,
Alloquitur laxis, qui glorius oris habenis;
Inscius auditus, aptavit paulula verba
Deposito fastu, fandi stricto ore, loquaci
Veridico breviter, sermoneque promere *eorum*. (9)

OBSERVATIO SEPTIMA.

D*Escripti reliqui versus id ferè intendunt, ut Pontificalis libri condendi rationem ab Agnello observatam in medium afferant. Primo scilicet loco fontes, ex quibus Historiæ materiam ebibit, aperit Scholasticus, qui ferè fuerint Seniorum testimonia juxta Mosis monitum Deut.* 32. interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, majores tuos, & dicent tibi, *quæ quidem explicare conatur prioribus versibus; picturæ, & musiva, quæ sedulus exquisierit, & ex illis non modò Antistitum effigies, sed* muro depictum nomen, seriemque *excerpsit eorum; ac demum Libri. Id ferè prosequitur usque ad versum sexagesimum quintum. Quatuor proximè sequentibus totius Libri contenta brevi sermone concludit dicens in Aderito cœptum, finiendum in Petronace, corpusque medium* quatuor undecies Pontificum *vitas complexurum; Pontifices enim medii inter Aderitum, ac* Petronacem *ipsum quadragesimum quartum conficiunt numerum. Ac ita quidem Scholasticus iste futurum fore credebat; verùm Agnellus, & Petronacis vitæ, successoris ejusdem Georgii aliam adjecit, quam, Petronacis vitâ deperditâ, superstitem à temporis injuria servatam habemus, jacturâ utcumque compensatâ vitarum non modò laudati Petronacis, sed & Valerii, nec non ex parte Sergii, Leonis, Johannis, ac Martini, quas vel acephalas, vel apodas dolemus. Si autem numero allato quadraginta quatuor ex undecim per quatuor ducto resultanti, addas utrosque terminos, Aderitum videlicet, ac Patronacem, ac præterea cum postremo Georgio, omnium primum Sanctissimum Apostolicum virum, Christique Martyrem Apollinarem, fiet integer omnium Ravennatum Antistitum numerus, quorum Vitas Agnellus scripsit, XLVIII. Qui sequuntur versus ad Agnelli fidem, judiciumque commendandum spectant; modico tamen judicio usus est Agnellus, & cùm scripsit de his, quæ ad Romanam Sedem spectant, sæpius, haud bona fide scripsit. Duplici autem simili assumpto explicat, quod dixerat Scholasticus; ac primò sanè.*

Cupidi quærentis litore curvo
Terrigeri Padi refluentis, fulva metalla.

Hinc Pado laus data, quòd non modò picis copiam ex Metrodori fide ad fontem ob arborem, quæ Pades gallicè vocata, unde fluvio nomen, quod Plinius tradit lib. 3. *cap.* 16. *ferat, sed & quòd auri scrobem aquis tumidus secum vehat, quam refluens arenæ, limoque mixtam in litore deponat. Id Agnelli ævo circa Ravennam factum, versus allati evincunt, quod nostris temporibus, vel desiit dudum, vel fieri ignoratur. Augetur certè Padus fluminibus his, quorum aquæ id sunt præstando, ut enim de cæteris sileam, quæ ex Mutinensis, & Regiensis Ditionis montibus descendunt, metallorum, & auri etiam scrobe ditari probant circumsedentium diversis in locis Fodinarum non spernenda indicia, nostris etiam temporibus tentatarum. Secundum simile nautam exhibet, qui cùm placidum est Cœlum, & omnia tuta circumspiciuntur, lætus* relinquens vela secundis *ventis, residet; at cùm turbatur mare, vel scopulis latentis timor obrepit, contrahit* vela, *regit* remos, *& fundum* plumbo *tentatum anchorâ tenere curat, & in tuto figi. Sic & Pontificalis hujus Auctorem egisse ait Scholasticus, nam cùm plura, eaque certa suppetebant,* multiplici uberiùs *sermone vela quodammodo omnia expandit, at cùm hærebat, ut in proverbio est, aqua*, aptavit paulula verba, & stricto *ore locutus verosimilia saltem dicere sanctè est professus.*

OBSERVATIUNCULA

E Ad Versiculos prioribus adjectos in eodem Codice.

V*Ersiculorum subsequentium argumentum, ingeniumve, si ex titulo præfixo intelligere quis curet, profectò oleum, operamque perdet. Satius itaque est lectori dimittere, & titulum, & versus, qui ita sunt comparati, ut dialogum exhibeant* inter

(1) *partim*. Mur.
(2) *partim*. Mur.
(3) *manus*. Mur.
(4) *vigilans*. Mur.
(5) *Demissosque*. Mur.
(6) *immo vestibus*. Mur.
(7) *Conscius*. Mur.
(8) *passim*. Mur.
(9) *coram*. Mur.

inter Clerum Ravennatem rogantem, & Agnellum primò se modestè excusantem, inde onus in se recipientem scribendi Pontificalis Libri Codicem. Dactylici, qui sequuntur, versus, quem sensum habeant divinare minimè vacat, nec tanti id est, ut me ab opere ipso demum considerando, remoretur. Sufficit itaque versus ipsos exhibere cum suo titulo.

Incipit Carmen Dactylicum Senarium Pempticon, ideſt miſſum; ſed primum detractícum, dehinc diſtichon Monaſticum, quæ intentiones magnas.........

Fortuitu quondam veniſſe Presbyterorum
Turba Ravennatum ſimul, inter quos fuit unus
Andreas dictus, Fratres quem voce precari
Demiſſa ſcripſiſſe ſui, quò Pontificalem;
Tum reſpondit ei humilis, ſed voce ſagaci.
Agnellus: Qui mihi ſenſus ineſt, aut eſt quæ lectio, poſſim
Tantillo ſenſu comprehendere centies octo
Annorum curſus *vita*, (1) vel geſta priorum?
Talia dum fallens promiſcuis fronte dueli
A Aſſolitus jugiter, quia nobis intima quæque.
Clauſa videntur in auditu nudare *p tendo*. (2)
Presbyteri: Triſtamur nimiùm quantùm crudelis Amice!
Agnellus: Tum quoniam victus rogo vos orate Tonantem
Sydera qui torquet, latices refrenatque marinos,
Vita præcipite curſum convertat in ortum,
Et ſenſum tribuat ſcribendi Pontificalem.
Presbyteri: Sic *nimirum* (3) cupidi faciemus, cumque precantem
Sit firmus, opus verbis reſpondeat uſque,
Hic quamquam durus tamen laborat tamen ultro.
B *Agnellus*: Actus Pontificum referam, nomenque priorum.
Presbyteri: Agnellus quondam, nunc Andreas juge ſalve.
Agnellus: Salvete Sacerdotes per ſecula cuncta.

Clare fidelis	Carmina parva
Edita vobis	Suggere tu, qui
Muſa regalis	Erga fidelis
Dicere laudes	Semper Amicis.

(1) *vitam*. Mur.
(2) *patendo*. Mur.
(3) *nimium*. Mur.



AGNELLI
LIBER PONTIFICALIS.
PARS PRIMA.
Complectens Vitas eorum, qui floruere à S. Apollinaris tempore, usque ad Ecclesium.

Vobis rogantibus ordinatum Libellum de Ordine Pontificalis Successionis Pontificum, qui Sedem S. Apollinaris nutriverunt, sicut veritas, & argumentatio vestri Agnelli, qui est Andreas ipsius orthodoxæ Sedis Ravennæ, potuit reperire, & cognoscere.

PROLOGUS INCIPIT.

Historiæ scribendæ fontes aperit, eisdem fidem adstruit; Operis difficultatem exaggerat; Numinis opem implorat Auctor.



Ratias vobis necesse est agere Deo Patri, & Filio ejus, simulque Spiritui Sancto, trinæ Majestati, unicæ Potestati, quòd me pollutis labiis redusit, & linguam aridam, in quantùm illi placuit, disertam fecit. Confido etenim orationibus vestris gratiam fandi meis sermonibus Deum donare, ut sanctorum præcedentium Sedis Antistitum Patrum Ravennatis Ecclesiæ, qualiter unusquisque suis temporibus facta peregit, pro eo quòd vos me sermonibus coëgistis, in quantùm potuero, ad memoriam revocare; non solùm quòd eorum facta perspexi,

A

verùm etiam ex auditu, quæ mihi Seniores nostri retulerunt, vestris auribus patefaciam. Moyses enim præexcellentissimus vir, inspirante Deo, Genesis Librum descripsit. Ipse enim ait; *Interroga Patres tuos, & nunciabunt tibi, Seniores tuos, & dicent tibi*, & Job; *interroga generationes pristinas, & diligenter investiga patrum memorias*. Ex stirpe enim Abrahæ Moyses descendit, & antequam Abraham nasceretur totius hujus Mundi fabrica à Deo facta fuisse memoratur. Marcus etiam Petri Apostoli Discipulus, & in baptismate filius non corporaliter Domini secutus fuit vestigia, neque ulla miracula ab eo facta vidit, sed Petro enarrante Evangelium exaravit. Lucas verò *Petri* (1) Apostoli ministrator imbutus ab eo doctrinâ,

B

Evangelii aperuit fontem. Multi etiam alii ex auditu volumina condiderunt; sicut in vitas Patrum legitur; *narravit mihi quidam Senex &c.* Nonne Gregorius Sedis Romanæ Ecclesiæ Antistes in plurimis locis Libri Dialogorum retulit

(1) *Pauli*. Mur.

lit dicens; *Narravit mihi ille, & ille homo?* & reliqua. Sed minimè me fari possum similem illis. Nam confiteor quippe, sicut modica scintilla posita in aspectu Solis obumbratur, & ejus non apparet lumen, sic & mea ante conspectum tantorum Philosophorum, extinguitur pagina. Quantum est hoc, possum alia, & his similia protelare sermone, chartas, & atramentum expendo. Similis enim sum illis, qui in sylvis, vel in eremis positi sunt, & videntes densas erga se arbores, opaca, & obscura loca, atque intransmeabilia veprium multarum, & nescientes partem, quà petant vel incedant, nisi tota via facta fuerit, & incultum exierint; sic & ego propterea relationem Sanctorum Pontificum Sedis Ravennatis hujus ingressus sum, quasi in discrimina maris, & quasi procellas,

A tempestas adversùm me conluctaret totius gurgitis, vel tumultus undarum (1) *iidata me sectiret* cærulearum. Tamen non trepido, quia obsecrationibus vestris penè (2) *litus* sum, & Dominus mecum est, qui est benedictus in secula. Charitate vestra transeam ad superius studium, quod vobis urgentibus semel incœpi. Dudum enim auribus vestris intimavi, quòd de supradicta Sede aliquid facere debeam, quod mihi narratum fuit. Fortasse si fefelli, indulgete. Exactor non molestus debet esse, quando debitor est redditurus. Sed in his omnibus benedicamus Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, qui vivit, & regnat in secula seculorum. Amen.

B *Explicit Prologus.*

DISSERTATIO PRIMA
CHRONOLOGICO-HISTORICA

De ætate priorum XII. Episcoporum, præcipuè verò de tempore Sedis Agapiti, Marcellini, & Severi, ac de eorundem successione.

NIl difficilius in re ecclesiastica, quàm temporum eorum digestio, quæ prioribus seculis definiuntur. Hinc uniuscujusque Ecclesiæ ea est conditio, ut veterum Episcoporum ætas vix certis terminis assignetur, acta ignota sint, successio sæpe perturbata. Clarissima, & antiquissima Ravennas Ecclesia lætatur feliciùs aliquanto, secum rem actam. De ejus prioribus Episcopis Agnellus nomina, sanctitatem, & successionis ordinem ex Seniorum fide testatur, cætera tanquam incomperta silentio tegit. Inventi sunt autem recentiores clarissimi Viri, qui (præter plura Agnello ignota scriptis consignata, de quibus aliàs) cujuslibet Episcopi annos certis numeris concludere voluerunt, sed & numerum, seriemque antiquissimorum Pontificum alicubi augere, & immutare. Id potissimùm ætas, & successio Agapiti, Marcellini, & Severi passa est, quare operæ pretium futurum fore credidi, ex Agnelliano labore, & cæteris perspectæ veritatis documentis, Ravennatum Pontificum chronologiam illustrare, & decernere, quæ incertis, quæve probabilibus, si non certis, sint accensenda. Id semel præstitum, vires, animosque faciet, ut reliquam Ravennatis Ecclesiæ chronologiam successivè pro viribus restituere aggrediar, dispositis suis quibusque locis similibus Dissertationibus. Illud autem hìc semel præmissum accipiatur velim, tanquam ubique repetitum, quòd scilicet cùm aliorum cogar dicta, vel cogitata negare, & argumentis impugnare, id à me fiet, salvo obsequio, quod ex corde profiteor erga Scriptores eximios, quorum scripta ad crisim revocare res ipsa coget. Vix aliàs de Agnello edendo cogitassem, nisi hinc lumen novum Historiæ accedere posse cognovissem. Hoc autem vix fieri potest, quin sæpius in lucem à Recentioribus prolata ad trutinam revocentur. Utor jure, quo quisque scribens gaudet aliena legens ea probandi, vel rejiciendi; utantur & cæteri jure suo mea legentes, &, siquidem solo veritatis intuitu id faciant, gratias agam.

CAPUT PRIMUM.

Hieronymi Rubei, & Baronii circa quæstionem dissidium. Utriusque rationes exponuntur. Bollandi, & sociorum sententiæ. Dictorum epitome.

I. R*Ubeus in priori Historiæ Ravennatis editione narrato Agapiti Episcopi obitu circa initia Imperii Alexandri Severi XVIII. Kal. Aprilis addiderat*; quidam censent Constantino, & Constante Imperantibus circiter annum Domini trecentesimum quadragesimum primum, C Agapitum sub Julio I. Romano Pontifice fuisse, & in Concilio Romano sedisse; verùm ob Liberios Archiepiscopos, qui plures fuerunt, sunt decepti. *Huic Marcellinum suffecerat circa trigesimum annum supra ducentesimum ab ortu Christi, Urbano adhuc Romano Pontifice sedente, eumque vixerat septem, & quadraginta annis Ravennati Ecclesiæ præfuisse, mortuum proinde circa tempora, quibus Aurelianus ad Imperium evectus in Christianos sævire cœperat. Hinc nactus initia Episcopatus Severi, ejusdem mortem consignaverat circa primordia Imperii Constantini, Constantis, & Constantii, subrogato Liberio quidem, sed additis, quæ sequuntur*; Sunt tamen qui post Severum, Agapitum alium Archiepiscopum constituant, D huncque ajunt Concilio Romano à Julio I. Pontifice Maximo celebrato, simul cum Benedicto Aquilejensi, Rufo Carthaginiensi, Julio Mediolanensi, Luciano Mauritanorum Antistitibus, & reliquis aliis CXVI. Episcopis, interfuisse. Alii hunc Agapitum post Liberium ponunt. Sed quocunque loco collocetur, constat, & eo interfuisse Concilio, & parum admodum in Archiepiscopatu vixisse, quemadmodum & Liberius, qui....... cùm decessisset..... Probum successorem accepit. *Hæc quidem Rubeus scripserat, cùm Baronius edens in Romanum Martyrologium notas, tempus assertum Pontificatus Severi confutandum assumens, ad diem primam Februarii, his ferè argumentis laudatum Scriptorem*

(1) fortè; *in me sæviret*. Bach.

(2) fortè; *oblitus*, idest periculi. Bach.

rem aggressus fuit. Cùm reperiatur Severus Episcopus Ravennas interfuisse, & subscripsisse Concilio Sardicensi habito Rufino, & Eusebio Coss. ex Actis ejusdem Concilii, & ex Apologia secunda Athanasii, si Severi Episcopatus cœperit temporibus Aureliani, & Gaii, conficitur vixisse in Episcopatu annos, ad minus, sexaginta quatuor. Gajus enim Papa creatur anno CCLXXXIII. Concilium autem Sardicense celebratur anno CCCXLVII. Tempus autem sedis Severi his terminis conclusum nimis diuturnum videtur, cùm maximè includat persecutionum pericula. Inde ex eo inficiatur Severum Marcellino successisse, quòd ex Actis Synodicis constet Agapitum sedisse in Concilio Romano sub Julio Papa anno quarto Constantii, & Constantis, septem annis ante Sardicense Concilium, quod fieri non potuit, si Severus sedere cœpit Aureliani Imperatoris, & Gaii Pontificis Romani temporibus. Addit, quòd licèt ex his clarè constet, quo tempore sederit Severus, & cui Episcopo immediatè praecedenti suffectus sit, talia adhuc aliquid firmitatis nanciscuntur ex Vita Severi, quam Mombricius recitat, in qua Severus ipse creatus ponitur Constantio IV. & Constante III. Coss. Demum decernit, si nihilominus contendatur, Severum successisse Marcellino, necesse esse, ut alter agnoscatur ab isto ejusdem nominis, vel post Agapitum, alium sedisse Marcellinum dicatur, quod nec prioris sententiæ Assertores autumat admissuros.

II. Rubeus in hunc modum à Baronio vexatus, parata Historiæ suæ Ravennatis nova editione, quam supra dimidium auctā Venetis Typis Francisci Franciscii Senensis, anno MDXC. in publicum produxit, sibi priori sententiæ insistendum mordicus existimavit, eamque ut fulciret, & opposita tela retunderet, statuit apertè Severum reversum à Sardicensi Concilio diem objisse, & successivè Agapitum ejus nominis secundum, & hocce in scenam producto, objecto de Romano Concilio satisfaciendi gratiá, Concilium ipsum celebratum asseruit post Sardicense. Huic sententiæ se adactum multiplici ex capite ait, ac primò quòd omnium Ravennatum Scriptorum consensu, & etiam ex picturis Ursianæ Ecclesiæ, ac Templi nunc temporis Spiritui Sancto dicati, constet Marcellinum Archiepiscopum, Severum proximè antecessisse, satìsque diu vexisse, quare non Agapitus, sed Marcellinus Concilio Romano interfuisset. Præterea, cùm Concilium illud, cui Agapitus interfuisse memoratur numeraverit CXXI. Episcopos, arguit diversum extitisse ab eo, quòd Sardicense præcessit, quòd Sardicense præcessit, quodque solis quinquaginta Episcopis constasse dicit. Hinc ad characteres chronologicos ejusdem Concilii, cui Agapitus interfuit, convertitur, & innititur Indictioni in Actis, quæ extant sextæ, quæ soli anno CCCXLVIII. convenit, aitque certiorem omnium numerandi modum in publicorum Actuum consignatione eum esse, qui ex Indictione desumitur, quem proinde præceperit Concilii Nicæni Canon observari, & habitum usu non modò à D. Gregorio, sed ab eo, qui eum longè antecessit Cassiodoro, immo ab Athanasio in consignando Conciliorum sui ævi tempore. Marcellinum etiam Comitem, licèt Consules scribat, primo tamen loco Indictionem signare, & hujusmodi charactere rem certiùs apparere dicit, cùm anni Imperatorum, & Consulum passim controvertantur. Ad aliud præterea argumenti genus convertitur desumptum ex serie Archiepiscoporum Mediolanensium, quam dicit à viris doctissimis, & in omni antiquitate bene peritis digestam, in qua ponitur Protasium ante Julium sedisse: id autem mirum in modum ejus hypothesim confirmare videtur, cùm constet Protasium interfuisse Sardicensi Concilio cum Severo, Julium verò cum Agapito Romano Concilio post Sardicense habito. Censet proinde, quòd sicut Silvester subitò convocato Romæ Concilio Acta Nicæna confirmavit, ita Julius Romanam Synodum coegerit ad confirmanda Sardicensia paulò ante celebrata, quibus quidem Athanasius est absolutus. Ita adjicit, & Damasum postea fecisse post Synodum Constantinopolitanam, & Julium ipsum laudasse hunc Ecclesiæ Romanæ morem in Epistola ad Orientales, apud Athanasium, inscripta, cui rei alludere censet Jullii verba de Athanasio, quibus inquit; non à nobis tantùm, sed à cuncta Synodo receptus est. *Cùm autem animadverteret Rubeus, sibi opponi posse in Sardicensi Concilio memoratos Fortunatianum Aquilejensem, & Gratum Carthaginiensem Antistites, quos deinde pluribus annis Sardicensi illi supervixisse constat, quique proinde debuissent intervenisse, & Romano asserto Concilio pro Grato, ac Benedicto ibidem expressè recensitis, occurrit dicens Gratum in Concilio Romano nominari tantùm Episcopum, unde alterius Ecclesiæ potuit esse Pontifex à Carthaginiensi, Fortunatianos verò Aquilejenses fuisse duos, quorum medius Benedictus sederit, præterquamquod in aliquot vetustis, & manuscriptis Codicibus asserit, non Fortunatianum, sed Fortunatum legi; & præterea novum non esse ait, duos ejusdem nominis Episcopos invicem in eadem sede successisse, exempla afferens ex serie Pontificum Romanæ, & aliarum Ecclesiarum, Episcoporum diversorum, qui ob nominis similitudinem ex pluribus in unum conflati sunt. Nec, ait, in Concilio Romano mentionem fieri de Sardicensi, sicut fit de Nicæno, tum quia eo loco necessarium id non erat, tum quia ea, de quibus actum fuerat in Sardicensi, ex Nicæna Synodo sumpta fuerant. Quod spectat ad Severi ætatem, quæ producta plusquam par sit videatur, reponit id mirum non debere videri ei, qui ætates ampliores admittit in plurimis aliis diversarum sedium Episcopis. Eos autem, qui initia Episcopatus Severi consignant Constantio IV., & Constante III. Coss. nec verum, ait, nec verosimile fari, quandoquidem ea re admissa Severus in Ravennati sede vixisset annum vix unum, cùm ex Panvinio sentiat Augustos laudatos iniisse Consulatum prædictum eo anno, qui præcessit Sardicense Concilium, circa anni ejusdem medium. Hinc censet duos fuisse Agapitos, unum, qui Marcellinum præcessit, alterum, qui Severo suffectus sit, & hunc ait, sicut & Liberium successorem ejus, brevissimè sedisse, ac mortuos, dum in vivis esset adhuc Julius* in exilium, *ait*, à Constantio Cæsare missus.

III. His Rubei argumentis nihil permotus Baronius edens Romæ anno MDXCIV. Annalium suorum Tomum tertium ad annum CCCXXXVII., cui alligavit Concilium Romanum sub Julio, de quo controversia erat, Rubeum ipsum, quem dicit debuisse amicè admonitum emendare, quæ scripserat in priori suæ Ravennatis Historiæ editione, majori, quàm antea conatu aggreditur. Censet igitur Concilio illi, qui interfuerint ex CXVI. Episcopis recenseri Benedictum Aquilejensem, qui præcessit Fortunatianum, Rufum Carthaginiensem, qui successit Cæciliano, & præcessit Gratum, Agapitum Ravennatem, qui præcessit Severum, Julium Mediolanensem, qui post Eustorgium, habuit Protasium successorem. Id probare nititur ex eo, quòd Successores nominati laudatorum Pontificum, qui interfuere Concilio Romano noscuntur plerique subscripsisse Sardicensi, & Gratum Carthaginiensi, quæ postmodum sunt celebrata, Conciliis, & ex eo etiam quod Indictio sexta semel tantùm consignata fuerit Julio Romano Pontifice sedente eodem anno, quo Sardicense Concilium celebratum fuit.

fuit. Arguit autem severè Rubeum, qui Indictioni sextæ fidit, quia Indictio hujusmodi incidit in annum (quod Rubeus ipse concesserat) CCCXLVIII., & Indictio eadem anno præcedenti cœperit à Septembri, ut in Indictionibus solenne esse, nullus inficiatur; quare cùm Concilium illud Romanum cœptum dicatur VIII. Kal. Octobris, consequens fit, ut Rubeus, vel Synodum illam celebratam dicat Indictione VII., vel si id factum Indictione sexta pergat defendere, concedat id actum Indictione sexta anno præcedenti CCCXLVII. Si autem primum asserat, recedat oportet à charactere chronologico sibi probato, qui suæ sententiæ principale est fundamentum; si verò secundum dicat, admittat Agapitum, quem anno ipso CCCXLVIII. subrogatum Severo dicit, interfuisse Romano Concilio anno præcedenti CCCXLVII. Quo eodem anno item cogetur concedere, Sardicensem, & Romanas Synodos factas, in quibus diversorum nominum, earundem tamen Sedium Episcopi simul penè, ac eodem tempore convenerint. Malè insuper, ait, dubitatum esse de Grati sede, cùm ex Actis Sardicensibus constet, illi subjectos fuisse Africanos Episcopos, & eundem anno sequenti præfuisse Carthaginiensi Synodo, in qua Canone quinto de Sardicensi mentio habetur. Adjicit Protasium Mediolanensem perperam collocatum à Panvinio ante Julium, cùm, repugnantibus Actis Sardicensis Concilii, Dionysium sedisse eo tempore ponat, quem præcesserit Eustorgius successor Materni, cujus prædecessor Protasius Diocletiani temporibus vixerit. Fortunatianum denique malè Fortunatum dici ait, ex aliquibus Codicibus, cùm si mendorum sit habenda ratio, tot Episcopos eodem tempore sedisse fiet, quot mendis ab imperitis Exscriptoribus veri Episcopi nomen vexatum fuerit. Hæc ferè Baronius, cui an quidquam reposuerit Rubeus, ignoro.

IV. Funi eidem trahendo pro suo instituto manum deinde admovere in insigni, ac celeberrimo suo Opere Bollandus, & socii, Acta Sanctorum sincera à non sinceris discernentes, & incredibilem Ecclesiasticæ eruditionis copiam Orbi Christiano exhibentes. Quæstionem diversis in locis tractant, at præcipuè ad primam ipsam diem Februarii, quæ S. Severi Natali consecratur, nec non Sanctarum Vincentiæ ejus uxoris, & Innocentiæ filiæ. Laudato ex manuscriptis Martyrologiis S. Severi cultu, advertunt in sibi visis antiquis Calendariis, memoriam S. Severi Episcopi consignari die prima Januarii, & alicubi illud legi; S. Severi cum Sociis suis. Arguunt itaque id factum fuisse confuso Severo Episcopo, cum altero ejusdem nominis Martyre Ravennate, de quo Rubeus ipse libro secundo, ubi hunc passum dicit sub Maximiano Herculeo, ac ejus corpus servari in Orbito, quem Herbanum vetus plerisque creditum dicit, ibique Maurolycum accusat, qui Severum hunc Martyrem, Episcopum etiam dixerit, & Ferretum, qui eundem cum altero, qui fuit Ecclesii Archiepiscopi ex fratre nepos. Hinc Bollandus ait; an non suspicari fas sit, Episcopum illum fuisse, sed cùm ejus Acta laterent, posterioris Severi Confessoris celebriorem conservatam memoriam? At severè pronunciat Ughellus Tomo secundo Italiæ Sacræ, mendacium esse asserere plures Severos. Non asserimus quidem, sed quo argumento severam suam censuram firmet Vir doctissimus, non satis perspicimus. Fuisse certè celebrem jam olim opinionem de S. Severo Episcopo Ravennate Martyre, patebit inferius ex Vita per Luidolphum, cui cap. 2. num. 5. ita Ravennas Monachus respondet: Severus, cujus tu vitam scire desideras, non fuit Martyr, sed Confessor. Ergo de Episcopo ita percunctatus erat Luidolphus, ut Martyrem eum existimaret, siquidem quadret interrogationi responsio. Ætatem verò Severi Episcopi, de quo nunc disserimus, diffiniri posse credunt Socii doctissimi sequenti modo; creatum Episcopum, ut in altera ex ejus vitis, quam exhibent, & scriptam censent seculo decimo, vel undecimo cap. 2. num. 6. Constantio IV., & Constante III. A. A. Coss., sive anno Christi CCCXLVI., consecratum Romæ à S. Julio Papa, cujus is decimus erat annus, anno sequenti interfuisse Concilio Sardicensi Rufino, & Eusebio Coss., uti ex subscriptionibus patet. Demum adfuisse funeri S. Geminiani Mutinensis Episcopi multis post annis, quandoquidem tempore Siricii Papæ, qui anno CCCLXXXV. ad Pontificatum evectus est, adhuc in vivis fuit Geminianus, ut ostenderant ad diem trigesimam primam Januarii. Rectè igitur ajunt conjecisse Haræum, circa annum Christi CCCXC. decessisse Severum.

V. His statutis expressè impugnant Rubei argumenta ex eo, quòd cum tribus characteribus Chronologicis affixis consignentur Acta asserti Concilii Romani, cui interfuisse Agapitus dicitur, duo contradicunt Rubei sententiæ, nam annus Imperii Augustorum convenit anno Christi CCCXL., Consules conveniunt anno CCCXXXVII. Pleraque à Rubeo, absque Auctore asserta queruntur. Quòd autem successisse Marcellino Severum ille asseruerat, non inde ajunt consequens fieri Agapitum minimè interfuisse Synodo Romanæ, aut Marcellinum eidem interesse debuisse; unde enim, quærunt, constat, Marcellinum, quod scribit Rubeus, satis diu vixisse in Episcopatu? potuit sanè post primam illam sub Julio Romanam Synodum, obiisse Agapitus, atque ipse quoque haud multò post ejus successor Marcellinus. Alia in hanc rem congerunt, addentes potuisse esse antiquiorem Marcellinum, cui successerit alter Severus aliquis, & fortè Severus Martyr, de quo supra, quod tamen necessarium non arbitrantur ad S. Severi stabiliendam ætatem.

VI. Eadem ferè agunt ad diem sextamdecimam Martii de S. Agapito agentes, & Rubeum accusant ob multiplicatos gratis Agapitos, decretisque temporum spatiis, quibus Episcopi Ravennates sederunt, absque ullo teste, quæ quidem incerta futura fore asserunt, quousque Rubeus, vel quem dicunt materiam suppeditasse, Ferretus, ejus rei documenta in medium proferat, excipientes contra Recentiorum Catalogos, & Fabrum accusantes, qui eadem cum Rubeo senserit. Fatentur tamen magnæ apud se auctoritatis esse Ursianæ Ecclesiæ musivum opus, ubi Marcellinum post Agapitum, & post Marcellinum Severus ponitur. Id autem consistere ajunt, licèt Marcellini Episcopatus ad paucos menses esset contrahendus, qui aliàs extendi potuit, salvo Romano Concilio, cui Agapitus interfuerit anni CCCXXXVII. usque ad quinquennium, sexennium, septennium, quibus Marcellinus alicui Synodo subscripserit.

VII. Ad idem argumentum etiam pertinet, quod habent ad diem trigesimum primum Januarii, de S. Geminiano Episcopo Mutinensi tractantes. Ajunt enim, quòd, si vera sunt, quæ de S. Geminiano narrantur ad Attilæ miraculum spectantia, necesse est duos fuisse Geminianos, quos Scriptor Vitæ, quam exhibent, in unum conflaverit. Primus inquiunt, is esse videtur, qui Ambrosii Episcopi Mediolanensis, Bassiani Laudensis, & cæterorum Episcoporum Mediolani in Synodo congregatorum adversus Jovinianum, sectatoresque Hæreticos ad Siricium Papam epistolæ, quæ septima est libri primi Epistolarum S. Ambrosii, ita subscripsisse per Presbyterum reperitur;

tur; *ex jussu Domini Geminiani Episcopi ipso præsente Aper Presbyter subscripsi*. Atque hujus funeri interfuisse S. Severus Ravennas potuit, quod & hìc, & in ipsius Severi Vita, prima Februarii refertur. *Rubeum arguunt, quòd malè constituerit initia Episcopatus S. Severi, remissivè. Vitam autem S. Geminiani exhibent, quam scriptam conjiciunt post tempora Liutprandi ex verbis*; Sed veh tibi Ravenna misera vicina destructæ Classi. *At hæc ipsa conficiunt, Scriptorem illius vitæ post Agnelli nostri tempora vixisse, etenim non modò verba illa, sed tota narratio de S. Severo, S. Geminiani funus curante, de verbo ad verbum ex Agnello ipso descripsit, prout utraque conferenti constabit*.

A

VIII. Hæc omnia simul de implicita hacce quæstione scripta erudito aliàs Lectori exponere visum est, ut faciliùs rationum momenta, conjecturarumque argumenta perpendantur, & unico veluti conspectu quidquid doctiùs de Ravennatum Præsulum antiquissimis temporibus, & successione in hanc usque diem prolatum est, cognoscatur. Quandoquidem autem, & mihi pro suscepta provincia onus incumbit, quid sentio in medium exponere, id pergam agere ea quidem methodo, ut uniuscujusque ex allatis sententiis ita perpendam hypothesim, ut eorum incommoda minimè dissimulem, ob quæ ab illis recedere cogor; hinc progrediendo ostendam esse unum, quod sanè considerari debuerat, nec consideratum est, licèt in eo situs sit totius ferè negotii cardo; demum exponam, quæ mihi necessariâ conjecturâ, dicenda videbuntur. Interim paucis hic operæ pretium esse reor complecti Rubei, Baronii, & Bollandi, sociorumque sententias, quæ in hunc ferè modum in epitomem redigi posse censeo.

B

IX. Rubeus diffinita certis terminis singulorum Episcoporum ætate, Agapito defuncto circa tempora Alexandri Severi successorem dicit Marcellinum, qui sedem tenuerit usque ad initia Aureliani Imperatoris, & Gaji Pontificis, unde cœperit Episcopatus Severi paulo post Sardicense Concilium, defuncti anno CCCXLVIII.

C

Severo subrogat Agapitum II., & Agapito Liberium, qui vivente Julio Pontifice defuncti sint.

Concilium Romanum aliàs anno CCCXXXVII. consignatum, celebratum dicit anno CCCXLVIII., cui adfuerit Agapitus II.

D

Baronius ante Severum tenet immediatè sedisse Agapitum. Severum probabiliter Episcopatum cœpisse Constantio IV., & Constante III. Coss.

Concilium Romanum, cui Agapitus interfuit, anno CCCXXXVII. celebratum.

Bollandus, & Socii conveniunt cum Baronio circa initia Episcopatus Severi, & tempus Concilii Romani, cui Agapitus interfuerit.

Sentiunt Severo præcessisse Marcellinum, Marcellino Agapitum.

Severum circa annum CCCXC. obiisse.

Potuisse ante tempora Agapiti, & Marcellini Severum alterum sedisse, illum videlicet, quem uti Martyrem Ecclesia Ravennas veneratur, qui alteri antiquiori item Marcellino successerit.

E

CAPUT SECUNDUM.

Incommoda uniuscujusque ex allatis Sententiis. Tres solùm Episcopos spatio CXLII. annorum implendo non sufficere. Acta veterum Episcoporum antiquis Scriptoribus ferè ignota. Ecclesiæ Sanctis dicatæ, conventusque frequentissimi Christianorum an Aureliani tempore? Agapitus II. ignotus omnibus ante Rubeum scribentibus. Concilium Romanum perperam ad annum CCCXLVIII. dilatum. Marcellinus inter Agapitum, & Severum sedit. Idem incommodum in Bollandi sententia. Marcellinum satis diu vixisse Agnellus asserit.

I. Sententia Rubei plura sanè incommoda patitur; etenim nisi ejus rei testes antiquissimos proferat, vix obtinebit à cordato Lectore, ut credat spatium ferè CXLII. annorum à solis tribus Episcopis Agapito, Marcellino, & Severo occupatum fuisse, cujus quidem temporis major pars sævas persecutiones, ac inter alias Diocletianeam diuturniorem, crudelioremque cæteris, sit perpessa. Quòd si de aliis Sanctis longævis sanè similia narrantur, id creditur, cùm testes rem talem adstruendo idonei proferuntur, aliàs minimè. Verùm quì fieri potuit, ut Rubeo seculo sextodecimo scribenti notum fuerit tempus, quo quisque Ravennas Episcopus antiquus sederit, cùm id ignoraverit Agnellus seculo nono scribens, qui proinde solius S. Apollinaris tempus apponit, & paucorum insuper eorum, à quorum ætate minus abfuit? Longævos quidem nonnullos indicat, sed à decernendo annorum, mensium, dierum numero, ferè ubique abstinet. At id quidem Agnelli ævo ignoratum illud conficit, quod omnia, quæ is de Severo narrat, non lecta, sed à senioribus sibi relata dicit, unde agnoscitur, nec prædecessorum, nec Severi Acta scripta tunc adhuc extitisse, & illud unum ex tabulis probari potuisse, quòd scilicet certa serie unus alteri suffectus fuisset, Severumque Sardicensi Concilio subscripsisse.

II. Illud etiam incommodi accedit, quòd faciliùs multò emunctioris naris eruditi solennitatem electionis, & loci qualitatem, ubi sit facta, descriptas ab Agnello, & ex Agnello à Rubeo initio libri secundi, acquiescent, ut credant, si hujusmodi Historia evenisse dicatur temporibus Filiorum Constantini, quàm si accidisse narretur Aureliano, seu, ut ibidem, Probo, vel Caro cum filiis Carino, & Numeriano Imperantibus. Templum tribus munitum Portis D. Theodoro dicatum, erectumque vix credent (quorum tamen sententiam non probo) qui tenent ante Constantini tempora, etiam cùm Ecclesia à persecutionibus respirabat, loca Christianos habuisse quidem, ubi ad Synaxes congregabantur, sed ea in domibus Privatorum, & in sublimioribus ædibus collocata, quæ non alio, quàm Domini totius domus nomine, vocabantur. Ibidem autem, ajunt, conventus factos eâ frequentiâ, quam ædes hujusmodi non satis magnæ patiebantur, & ea prudenti cautela, ne conveniendi modus Gentilium animos, religionemque moveret; quare in Episcoporum electionibus convenisse quidem par est cum Clero Populum, sed admissis tantùm Proceribus, qui testimonium grave de eligendi merito præbituri crederentur. Quod pertinet ad Templorum, seu Ecclesiarum formam, & publicitatem, probantes Sancti alicujus nomine vocatam nullibi sacram ædem fuisse, multa congerent ex veteri Ecclesiastica Historia, ac maximè Titulos in Urbe Equitii, Pammachii, Callisti,

listi, *Pastoris*, *quibus sicut indicabantur Fidelium patrimonia*, *ita loca ipsa*, *ad quæ conventus fiebant*, *significabantur*, *quare monebunt disertè à Nicolao I. epist. 7. ad Michaelem Imperatorem scriptum*; Ecclesia Salvatoris, quæ ab Auctore vocabatur Constantiniana, prima, quæ in toto terrarum orbe constructa est. *Videantur eruditissimè deducta in hanc rem à Daniele Papebrochio in responsionibus ad exhibitiones errorum per P. Sebastianum à S. Paulo parte 2.* A

III. Agapitum secundum etiam gratis inventum quisquis judicabit, *qui noverit ignotum omnibus*, *qui ante Rubeum scripserunt*, *nec de eo scriptum*, *memoratumve quidquam à majoribus*, *licet Rubeus fratri sibi familiari in priori Historiæ suæ editione scribat*, *esse aliquos*, *qui Agapitum illum Severo successisse dicant*, *nonnullos Liberio*; *petent enim*, *ut ex aliquibus illis*, *unus fide dignus proferatur*, *quem protulisse debuerat in secunda Historiæ suæ editione*, *Baronianæ crisi respondens*, *cùm demum ejus*, *quem protulisset opinioni*, *subscribere decreverat*. B

IV. Vix præterea intelligent, *quomodo Rubeus potuerit Concilium Romanum post Sardicense ad annum CCCXLVIII. differre*, *cùm nullus ex characteribus chronologicis anno illi respondeat ex productis supra à Baronio*, *& Bollando*, *ex his videlicet*, *quibus Concilium illud consignatum ferunt Acta*, *quæ circumferuntur*, *quæque nil habent spectans ad Sardicense Concilium*, *vel ad Athanasii absolutionem*, *sed bene nonnulla ad Nicænæ Synodi confirmationem pertinentia*. *Et hoc quidem tanti est momenti*, *ut ob id tota Rubei ratiocinatio ingeniosè planè excogitata*, *ruat*. C

V. Baronii sententia de Severo immediatè Agapito subsequuto vix videtur sustineri posse, *cùm medium inter Agapitum*, *& Severum*, *Marcellinum extitisse probent picturæ Ravennates*, *& ipsum Agnelli Pontificale*. *Præterea si Severus anno ab ipso assignato sedere cœpit*, *& immediatum prædecessorem habuit Agapitum*, *necessariò Episcopis prædecessoribus tempus prolixum nimis Episcopatus tribuet*, *& sic culpâ illâ peccabit*, *cujus accusat Rubeum*. *Quod apprimè in eius asserto accidet*, *qui ad annum sexagesimum quintum dixerat Eleucadium illis Vespasiani temporibus in Episcopatum Aderito successisse*, *etenim ab anno LXXXI. Vespasiani postremo ad annum CCCXXXVII.*, *quo electum contendit Severum*, *anni intercedunt omnino CCLVI.*, *qui numerus*, *si per IX. dividatur*, *totidem enim ab Eleucadio ad Agapitum intercessère Episcopi Ravennates*, *resultabunt anni XXVIII. mens. V. dies X.*, *quos æquata ratione unusquisque Prædecessorum Severi vixisse conficitur*. *Id autem videbitur æquè saltem improbabile per ea tempora persecutionum plena*, *ac tempus Episcopatus à Rubeo Marcellino*, *& Severo tributum*. D

VI. Idem ferè incommodum sequitur in sententia Bollandi, *quandoquidem Marcellino sedem ultra septennium ægrè protrahendam cognoscunt*. *Id tamen evitaretur*, *si constaret*, *Severum illum Ravennatem Martyrem*, *Episcopum etiam sedisse*, *& alterum Marcellinum prædecessorem habuisse*; *at hæc nullo idoneo teste fulciuntur*, *fides enim Martyrologiorum allatorum vix sufficit ad inanem conjecturam fundandam*. *Illud etiam accedit*, *quod de diuturniori Marcellini sede vix videtur dubitari posse*, *ac de ea re testem optimum habuit Rubeus*, *licèt neglexerit afferre*, *Agnellum videlicet*, *quem modò illustramus*, *ac è tenebris vindicamus*, *qui Marcellinum laudans concludit in hæc verba*; transactaque plurima (*sive plurium*) annorum curricula spatii, Pontificatum amisit, & vitam. *Hæc enim non dicerentur de eo*, *qui septennium in Pontificatu explesset*. E

CAPUT TERTIUM.

Concilia Romana sub Julio plura. De illorum numero, occasione, ac tempore, controversiæ. Acta Romanæ Synodi prioris supposititia Pagio, Labbæo, Criticis. Series Episcoporum Mediolanensium. Julius Firmicus Maternus minimè Mediolanensis Antistes. Loca ex opere de mysteriis profanarum Religionum illustrata.

I. BAronius tria agnoscit Concilia Romana sub Julio Pontifice celebrata. *Primum hoc*, *de quo nunc quærimus*, *quod à Julio ait convocatum*, *ut statim Pontificatus sui initio Nicænum confirmaret*, *celebratumque ipso*, *quo magnus Constantinus decessit anno Christi CCCXXXVII.* *Secundum anno CCCXL. in causa Athanasii*, *qui diu expectaverat ibi judicium Episcoporum*, *quique post Concilium Alexandriam statim regressus est*. *Tertium anno CCCXLII. post cladem Alexandrinam*, *intrusumque in illam sedem Gregorium*, *ob quæ denuo Athanasius Romam reversus sit*. *Petrus de Marca aliud Concilium Romanum agnoscit ex Sancti Hilarii fragmentis*, *& ex epistola Osii ad Constantium*, *quod celebratum dicit biennio post Mediolanense anni CCCXLVII. idest anno CCCXLIX.*, *in quo damnatus Photinus Sirmiensis Episcopus fuit*. *In eo Concilio Ursacius*, *& Valens*, *quod in Mediolanensi fecerant*, pœnitentiæ libello consubstantiali assentiuntur, ac literis ad Athanasium missis, de cætero cum illo communicaturos fatentur, *ut Socrat. lib. 2. cap. 19. licèt Sozom. lib. 3. cap. 22. libellum ipsum exhibens ante scriptas Athanasio literas illum ab Ursacio*, *& Valente prædictis datum dicat*, *cùm hi simul cum Theognide in Mareotem proficiscebantur*. *Libellum eundem affert Athanasius Apolog. 2. De hoc tertio asserto Romano Concilio nihil in rem præsentem agere operæ est pretium*. *Vide*, *si lubet*, *Baluzium in nova collectione Concil. pag. 27.* *Secundum Concilium à Baronio assertum in controversiam vertitur ab Eruditis*, *qui negant Athanasium Romam venisse bis*, *ut contendit Baronius*, *& semel tantùm id factum admittunt*, *cùm subaudisset Arianos*, *decreta ejus expulsione*, *Gregorium subintrusisse*. *Vide rem totam diffusè tractatam ex Valesio ad annum CCCXLII. à Pagio in Critica Historico-chronologica Baronii*. *In eo tamen falli Valesium tenent alii*, *quòd Synodum Romanam*, *de qua ulla controversia minimè haberi potest*, *celebratam asserit anno CCCXLII.*, *cùm certæ videantur rationes adstruentes habitam fuisse vergente ad finem anno CCCXLI*, *ex eo quòd Julius Papa apertè testetur Episcopos adfuisse indicta die*. *Legatosque ab Arianis detentos tandiu*, *quoad regressi sint multò post*, *quàm ea Synodus indicta fuerat*. *Quod si Athanasius Apologia secunda ait*; hæc cùm Romæ Synodus per Julium Romanum Episcopum scripsisset &c., *& epistola ipsa scripta est post Legatorum reditum*, *dicunt tamen Synodum commisisse Julio provinciam scribendi*, *quæ in Synodo acta erant*, *& respondendi prioribus literis*, *quòd postea præstans Julius*, *reversis Legatis prioribus simul & posterioribus*, *Arianorum literis respondisse*. *Aliàs enim improbabile adjiciunt Episcopos indicta die convenientes expectasse sequentem annum*, *quo demum Synodum celebrarent post Legatorum adventum*. *At*, *ut verum fatear*, *res est implicatissima*, *cùm enim adventum Romam Athanasii differant*, *quousque jam Gregorius designatus fuerat ab Arianis Alexandriæ Episcopus*, *& constet ex Julii literis*, *Athanasium*, *qui idem testatur de se*, *Romæ expe-*

expectasse annum totum, & integros sex menses, videtur Synodum citiùs non fuisse celebratam, quàm postremis anni CCCXLII. mensibus. Scio eam esse nonnullorum sententiam, ut credant in ea, nil aliud, quod ad Athanasium spectaret, factum, quàm decernere eundem ad communionem ritè recipiendum; at Julium ante hujusmodi Concilium cum Athanasio communicasse fateri debent, si negant priorem Synodum actam fuisse; Ariani enim de nullo magis in epistola Julio scripta conquesti sunt, quàm de Athanasio in communionem recepto; quod probat Pagius ex Valesio loco laudato. At de ea quæstione aliorum esto judicium. Hæc pauca summatim mihi delibanda sumpsi, ut appareat, quàm controversa sint Concilia Romana sub Julio Romæ habita, ex quibus proinde certum vix sperari possit ad statuendam anni cujuslibet Historiam.

II. Nunc, quod præcipuum in hac re est, agendum de priori Romana Synodo, quæ Baronianæ sententiæ de tempore, quo Agapitus Episcopus sedit, fundamentum est, & à qua, cùm se premi Rubeus sentiret, nil aptius invenit, quàm à CCCXXXVII. anno, quo illam celebratam fuisse asserit idem Baronius, ad CCCXLVIII. transferre. Baronio in hac parte adhæsere Bollandus, Sociique, nec exquirendum censuere de ejusdem Synodi veritate. Mihi verò rem seriò perpendenti visum est, quidquid sit de ea Synodo, quam celebratam fuisse negare nolim, scio etenim per ea tempora frequentissimè Concilia celebrata fuisse, sed & bis singulis annis juxta Nicænos Canones, Acta tamen quæ ejus esse dicuntur, supposititia esse, & fide indigna. Farraginem esse hinc inde collectam ab eodem, qui binas Julio epistolas affixit Isidoro, Actionem illam, quæ Baronio imposuit, quidam dicunt apud Labbæum in marginali nota adscripta eidem in collectione Conciliorum tom. 2. pag. 527., & Pagius in Critica supracitata ad annum Christi CCCXXXVII. §. VIII. hæc scribit; Synodus Romana sub Julio Papa aliud non est, quàm farrago quædam ab Isidoro Mercatore collecta ex Tripartita, aliisque, & in formam Concilii redacta. Certè nulla ejus in Libello Synodico mentio. Hinc est, quòd ejus nullam rationem habeant recentiores Critici, inter quos laudari meretur Doviatus in opere optimo Prænotionum Canonicarum.

III. Porrò si à Doctorum virorum auctoritate ad rem ipsam transeamus, illud mihi evidens videtur, quod si error in assignandis Consulibus signum tale suppositionis habitum est à Binio, ut ex solo hoc capite illegitimas meritò censuerit epistolas Julio adscriptas, quæ habentur in Labbæana collectione pag. 475. & 485. tomi secundi, fieri non possit, quòd si cætera dicenda deessent, hinc saltem, & hujus Concilii Acta supposita non judicentur. Etenim eundem omnino errorem erravit ille, qui epistolas memoratas tanquam ex Synodi decreto emanatas intendens propinare ex mendoso Anastasio, eisdem Consulibus signavit Acta Synodi, & epistolas, Feliciano videlicet, & Maximiano Viris clarissimis Coss. At si ex hoc capite epistolæ Julio adscriptæ fictitiæ existimantur, quantò magis Acta Synodi ipsa, quæ nullo charactere muniuntur probabili? Collegium enim Consulum memoratum nullibi in tota Fastorum serie invenitur, quod proinde æquè ineptum fuerat ad Baronii fundandam sententiam, affigendumque Concilium anno CCCXXXVII., sicut Indictio VI. à Rubeo assumpta, ut illud ipsum in annum CCCXLVIII. transferret. Hæc autem, ut benè advertit Baronius, ineptissimè Concilium efficeret celebratum anno ipso Sardicensis Concilii CCCXLVII., & inde monstrum ingens orirertur, quòd eodem anno eædem sedes diversos habuissent Episcopos duobus Conciliis subscribentes. Annus etiam Imperii Constantii, & Constantis Augustorum IV. non subsistit, cùm character hujusmodi anno CCCXL. ineunte cœperit, quo quidem Concilium indictum novimus in causa Athanasii, sed non celebratum, ut supra dictum est. Qui igitur fieri potest, ut Acta hujusmodi legitima dicamus, quæ nullo modo annis, quibus Julius sedit, sunt applicabilia?

IV. Verùm conferenti cætera eorum temporum monumenta cum isthac farragine, deprehensaque horridà sensuum, stylique barbarie, quibus à principio ad finem scatet, evidenter apparebit, nil ibi sincerum esse. Narratur, Julium Pontificem dixisse Sanctæ Dei, & Apostolicæ Synodo, & Dei voluntate, & Gratia in indivisa Communione Sancti Spiritus in hac consonanter, & unanimiter congregatæ antiqua alma Urbe Roma ad confirmationem Sacram, & correctionem fidei nostræ, & Christianorum immaculatæ disciplinæ. Quid horridius hoc legi potest? quid commodi importat correctio fidei nostræ, & immaculatæ Christianorum disciplinæ? Post Symbolum ex Nicæno Concilio descriptum subdit Consarcinator; de quibus & affirmamus ita habere, & ita sapere, seu etiam dudum sic habuisse, & ita sapuisse, & usque ad mortem pro hac stare fide, anathematizantes omnem sine Deo hæresim. Et infra damnantur qui pro arbitrio, malitiæ, atque virtutis capabilem Filium Dei dicunt. At omne describere inepti hominis opus operæ pretium esset, si barbara omnia, quæ ei insunt exponere conduceret. Nunc ad Concilii hujusmodi causam respiciendum est, quæ duplex esse significatur, una confirmandi videlicet diffinita à Synodo Nicæna de consubstantialitate Filii, altera suppetias ferendi fratribus oppressis. Primum autem ineptè satis præstatur, de altero hæc paucula verba in fine habentur, quibus tota fabula clauditur; Simul & pro nobis omnibus, & reliquis oppressis fratribus, ut ipsi eruantur illæsi, & serventur immaculati, ut quæ benè placuerunt, firma permaneant per Dominum Nostrum Jesum Christum secundum bonam voluntatem facta, sicut credimus Dei, & Patris in Spiritu Sancto, cui est gloria in secula seculorum. Amen. Hæc ne suppetiæ decretæ pro fratribus oppressis?

V. Priori assertæ Concilii cogendi occasioni innititur Baronius, confirmandi videlicet Nicænæ Synodi Acta, quod sibi oneris incubuisse Julius Pontifex Romanus crediderit in ipso Pontificatus sui limine. Sint hæc porrò uti doctissimo Annalium Patri placet; consueverint scilicet Pontifices Romani, coacta in Urbe Synodo, Concilia, quibus longè positi per Legatos tantùm interfuerant, coram confirmare; Julius etiam id egerit, & egerit eo, de quo quæstio est, tempore; at cardo rei in eo versatur, an Acta ejus Concilii legitima extent. Non extare autem, & quæ hucusque deduximus, & quæ adjungemus ostendunt. Actis autem hujusmodi cadentibus, ruet præcipua ferè ratio, cui innititur Baronii censura in Rubeum, qua iste per ea tempora, quibus Synodus hujusmodi celebrata dicitur, asseruerat, Agapitum Ravennæ Episcopum sedisse; & ex ea quidem ob auctoritatem Baronii præconcepta opinione, panicus timor incussus est omnibus, qui usque in hanc diem de successione Ravennatum Episcoporum scripsere, ut Agapitum prædecessorem Severi omnino vixisse anno CCCXXXVII. statuerint, cui rei stabiliendæ varias inierint vias. Inter eos tamen nullus longiùs aberravit, meo quidem judicio, quàm Ughellus, qui ubi Rubeus ex uno duos fecit Agapitos, tres multiplicavit, hoc pacto seriem disponens.

Aga-

Agapitus electus an.CCVI. mortuus CCXXXVII.
Marcellinus mortuus CCXXXVIII.
Agapitus Secundus, qui interfuit Concil. Rom. ann. CCCXXXVII.
Severus mortuus CCCXLVIII.
Agapitus Tertius mortuus CCCXLIX.

Ita qui scrupulo tenebatur, ne Severos multiplicaret, quod qui faceret mendacem *dictatoriè pronunciavit, non timuit mendacii accusari, Agapitos multiplicans contra fidem antiquissimæ traditionis Ecclesiæ Ravennatis, & ejus monumentorum.*

A *VI. Remanet demum, ut Actorum usque modò excussorum suppositionem ex eo etiam ostendam, quod nomina quinque Episcoporum ex assertis CXVI. in illis recensita dolum prodant. Etenim esto quòd* B *honoris causâ seligerentur nominandi celeberrimarum Italiæ Ecclesiarum Episcopi, Ravennæ videlicet, Aquilejæ, Mediolani, licèt id in aliis Romanis Synodis factum non constet, & cùm Episcopi subscribunt recentioribus seculis, primo ferè loco id agat Ravennas, ut alibi videbimus, esto quòd Concilio huic Charthaginiensis Rufus interfuerit; at cur recensetur Lucianus ille Maurianensis, sive Mauritanensis, cujus sedes, ut inveniretur, vexanda Ecclesiastica Geographia fuerit frustra, & legendum vel Mariensis, vel Maranensis? nec enim adhuc de sede ejus nominis constat, quæ aliis quatuor comparari possit; quamvis hæc de S. Johanne Maurianæ in Sabaudia intelligi posse crederemus. Benedictus præterea Aquilejensis nullo* C *alio documento subsistit, quàm desumpto ex confi-cto Concilio. Ughellus aliud non produxit, nec producendum didicit à Dandulo, quem citat, à quo se malè etiam edoctum ostendit, cùm Benedictum Episcopum creatum dicit anno CCCXXXII., & rexisse Ecclesiam annis XX., & statim Fortunatianum subjicit anno CCCXLVII. Sardicensi Concilio interfuisse. Si Benedictus sedis annos auspicatus ab anno CCCXXXII. sedit annos XX., consequens est, ut obierit anno saltem CCCLI., anno itaque CCCXLVII. vel non sedebat Fortunatianus, vel duo simul in eadem sede sedebant Episcopi. Agapitum sedisse Ravennæ, ut vult Consarcinator asserti Concilii, res est adeò dubia, ut nullo certo argumento firmetur, & fortassis ut* D *Episcoporum numerus tempori coæquetur, quod intercessit inter S. Apollinaris, & S. Severi sedem, necesse sit annos Episcopatus Marcellini (quem Agnellus, Picturæque Ravennates malè à Baronio negatum conficiunt) amplioribus mensuris dimetiri, quàm dimensi sint Bollandus, & Socii. Lucius Maurianensis omnino cum sua sede vel incognitus est, vel obscurus, & licèt alius sedes satis sit celebris, Mediolanum videlicet, Episcopus tamen à tota antiquitate ignoratur.*

VII. Papebrochius accuratissimè, ut solet, examini subjecit antiquum Episcoporum Mediolanensium Catalogum, quem cum observationibus do- E *ctissimis tomo primo Maji præfixit, post examen successionis Episcoporum Tungrensium. In eo autem, & quidem in parte priori antiquior series Episcoporum ita disponitur pro tempore controverso.*

Maternus ab anno CCLXXXII. ad CCCIII.
Myrocles ad annum CCCXV.
Eustorgius ad annum CCCXXXI.
Protasius ad annum CCCLII.
Dionysius ad annum CCCLXII. computatis exilii annis.

Evidentibus autem rationibus laudatus doctissimus Auctor ostendit seriem perturbatam in hunc modum restitui debere.

Myrocles sedit annis XXII.
Maternus sedit annis XII.
Protasius sedit annis XXII.
Eustorgius sedit annis XVII.
Dionysius sedit annis XIV., seù IV. ante exilium.

Porrò, ut vides Lector, nihil territus est Papebrochius Baronii censurâ, qua ad annum laudatum CCCXXXVII. ait; miramur profectò hunc ipsum (*Julium videlicet*) ab eodem Auctore (*Panvinio*) prætermissum ..... nam si alicujus Ecclesiæ antiqui quærantur Episcopi, illi certiores erunt, quos veterum Conciliorum Acta suppeditant. *Ita quidem si verè ejus Concilii Acta legitima extarent, at secus, cùm ea conficta fuisse deprehendantur. Novi autem Baronium in eam inclinasse sententiam, ut crederet Julium Mediolanensium Episcopum Maternum cognominatum fuisse & illum ipsum, cujus insigne opus habemus de Mysteriis profanarum Religionum sub nomine Julii Firmici Materni V. E. At præterquam quòd id nullo apto teste probatur, ex Opere ipso apparet Commentarii Auctorem diversum esse à Materno Mediolanensi Episcopo, cui propterea Julii nomen alterum affigi nequeat. Etenim deprehendere poterat, ex ipsis, quæ descripsit, locis ex Opere laudato, Auctorem anno saltem Sardicensis Concilii scripsisse, quo Protasius certissimè sedebat. Refert inter cætera ex cap. 29. illa, quibus Auctor Constantium, & Constantem alloquitur*; Hyeme (quod nec factum est aliquando, nec fiet) tumentes, ac sævientes undas calcastis Oceani sub remis vestris. Incogniti jam nobis penè maris unda contremuit, & insperatam Imperatoris faciem Britannus expavit. *His addit ex cap. 30. alia*; missi sunt superbi sub jugum populi, & Persica vota collapsa sunt, nec stare diu contra vos potuit malis suis armata crudelitas, Dei virtutem utrique diverso sensistis eventu &c., *quæ quidem debuisse referri, ait Baronius, eo quòd in ipsis victorias memorari dicat, quarum nulla mentio apud Scriptores habeatur, quas quidem (cùm sentiat Opus hujusmodi scriptum sub initium Imperii Constantini minoris, & Constantis, quod re vera scriptum fuit Constantio, & Constante Imperantibus) contigisse arbitratur Constantino Patre adhuc vivente, ac in ejus rei argumentum Numisma Constantini Junioris victoriam Alamanicam præseferens exhibet, quod certè nil habet, quod ad Britannos, Persasque referri possit.*

VIII. Porrò non ad Constantini Junioris victoriam quamlibet alludit Maternus, sed ad Constantis Britannicam, ipsa rigente hyeme confectam anno CCCXLIII., & Persicam Constantii, quam alii anno CCCXLVIII. ex Hieronymi, & Idacii Chronico, alii CCCXLV. ex Juliani Oratione prima ad Constantium, habitam tenent. Prioris duos numos exhibet testes Mediobarbus ex Constantinopoli Christiana Duchangii, aureum unum, æreum alterum. Eorum hic in cujus aversa parte Triremis cum remigibus in mediis fluctibus, in cujus prora victoria dextrâ lauream, sinistrâ palmam, in puppi duo signa militaria, in medio navis Imperator galeatus dexterâ hastam, sinistrâ clypeum, & in mediis fluctibus figura nuda epigraphem habet Bononia Oceanus. *Ammianum illam eandem innuere lib. 27. sentit Pagius in Critica Historico-chronologica ad hunc annum, & Duchangius in Opere laudato eandem illustrat. Quod spectat ad prælium apud Singaram nocturnum, victoriamque de Persis reportatam, Julianus loco citato rem pluribus narrat, at cùm subsequatur Magnentii cædem* ἔκτον μετὰ τὸν πόλεμον ἔτος *accidisse, & hæc constet referenda ad annum CCCL. signatum Coss. Sergio, & Nigriniano ex Idacii Chronico, hinc*

hinc Jacobus Gothofredus in Chronolog. Cod. Theodos., & *in notis ad eundem Codicem ad leg. V. argumentum sumpsit recedendi ab Hieronymi*, & *Idacii Chronicis*, & *prælium illud adscribendi anno CCCXLV.*, *quo Nisibi legem eam datam fuisse constat*, *cujus sententiæ adhæsere Harduinus ad Orationem primam Themistii*, & *Pagius in Critica ad annum CCCXLV. Ezechiel Spanhemius tamen ad Orationem primam Juliani*, *de his omnibus eruditissimè Lectorem monens*, *sincerè notat sententiæ Petavii*, *ac Valesii*, (& *hic quidem Juliano mendum subesse existimat*, & *pro* ἕκτον ἔτος *legendum* τρίτον) *suffragari Libanium*, *qui in Basilico de ea re ita loquitur*, *ut recentissimè prælium commissum*, *Parthorumque*, *sive Persarum fugam subsecutam innuat*, *quare prælium hujusmodi videri posse commissum*, *vel anno CCCXLVIII. juxta Idacium*, *vel etiam CCCXLIX. juxta Hieronymum*, *quo anno scriptum Basilicon statuerat Gothofredus in Chronologia Cod. Theodosiani*, & *leg. 2. Cod. ejusdem de* Raptu Virginum, & *alia addit*, *quæ huic sententiæ favere videntur*.

IX. Ex his omnibus Julii Firmici Materni loca allata mirificè illustrantur, *constatque verba*; Dei virtutem utrique diverso sensistis eventu, *referenda esse ad Constantium quidem ob Persas apud Singaram in fugam versos*, *ad Constantem vero*, *ob Britannicam reportatam victoriam*. *Sicut autem apparet opus illud à Materno scriptum ante annum CCCL.*, *quo Constans occisus est in Galliis*, *ita constat vel post annum CCCXLVIII.*, *vel saltem post CCCXLV.*, *quibus prælium illud*, & *Persarum fuga evènit*, *Constante bellum gerente*, *exaratum*. *Cùm verò de victoriis hujusmodi ita loquatur Auctor*, *ut* (*quod sanè probabile unicè videtur*) *aliquod ante tempus eas reportatas ostendat*, *vix fieri potest*, *ut Commentarium exaraverit ante annum CCCXLVIII.*, *quo Protasius Mediolanensis Episcopus in Sardicensi Concilio subscripsit*. *Maternus itaque Commentarii ejus Auctor differt à Materno*, *juxta Papebrochii sententiam*, *Episcopo Mediolanensi prædecessore Protasii*, *cui Julii nomen convenire nullo modo constat*; *ac proinde ex hoc etiam capite ruunt asserti Romani Concilii Acta*, *argumentumque ex eo sumptum pro Agapito Ravennati Episcopo*, *anno CCCXXXVII.*, *ut prætendit Baronius*, *immediatè ante Severum sedente*.

CAPUT QUARTUM.

Severi ætas ex Geminiani Vita probatur. Nulla Agapitos, Severosve multiplicandi necessitas. Episcoporum Ravennatum successio certa, cætera obscura. Agnelli fides, & sinceritas.

I. Illud in primis censeo, *nullo modo dubitari posse de Severi ætate*, *ex Actis enim constat*, *S. Geminiani Mutinensis morti supervixisse*. *Licèt enim jure dicendum sit Geminiani ejusdem ad Superos jam translati intercessionibus*, *alterius Geminiani tempore Attilæ Mutinà pertranseuntis oculos sic perstrictos*, *ut*, *quò loci esset non viderit*, *quod factum perperam*, & *reclamante temporum ratione Geminiano ipsi priori viventi tributum est*; *nulla tamen ratio suppetit*, *qua dubitari possit de S. Severi*, *funus S. Geminiani curantis*, *historia*. *Hanc Agnellus ex Maiorum traditione differtè tradit*, *hanc ex Agnello ad verbum descripsit*, *qui S. Geminiani vitam conpinxit*, *nec est unde inficias ire quis possit*, *nisi ex præconcepta Rubei sententia*. *Severus itaque ex productis supra cap. 3. n. 6. vitam produxit ad annum CCCXC.*

A *II. Hinc anno CCCXLVI.*, *quod sensere laudati Bollandus*, & *Socii*, *cœpisse Episcopum agere*, *consentaneum videtur*; *aliàs qui anno prædicto CCCXC. obiit*, *vitam*, & *sedem plusquam credibile sit protraxisset*.

III. Verùm apparet, *nulla nos cogi necessitate*, *seu Agapitos multiplicandi*, *ut facit Rubeus*, & *Ughellus*, *aliique eos secuti*, *sive Marcellini sedem ad quinquennium*, *sexennium*, *septenniumve contrahendi*, *quem Agnellus*, *ut ostendimus*, *post* plurima temporum curricula *defunctum dicit*, *sive Severos alios*, *Marcellinosve multiplicandi*. *Ac porrò certissimæ in hac re fidei*, *non modò Ursianæ Basilicæ musiva opera*, *sed maximè Agnelli* B *Pontificalis Liber esse debet*. *Novimus enim Veteribus Pontificum seriem*, & *nomina nota satis fuisse ex Dypticis*, *quibus inter Missarum solemnia per ordinem recitabantur*, *ex quibus Pontificum Ravennatum seriem collectam ab Agnello*, *vel à Senioribus*, *qui notitias suffecere*, *sive ex Ursiana Ecclesia*, *in qua alibi se nutritum ab ineunte ætate dicit*, *consentaneum est*. *Ab Agnello itaque recedere periculosissimum arbitror*, & *in eam se necessitatem conjicere dicendi ea*, *quibus probandis omnino argumenta desint*.

IV. Sicuti autem de Pontificum Ravennatum serie arbitror satis, *superque constare*, *ita video nulla argumenta suppetere*, *quibus eorum*, *qui ante Severum sedère*, *tempus probabilibus limiti-* C *bus statuatur*. *Cùm enim in Dypticis purum putum nomen apponeretur*, *eorum etiam*, *qui martyrio coronati fuerant*, *sic nil de eorum Actis*, *nil de eorum ætate ad Agnelli notitiam pervènit*. *Elogia quibus uniuscujusque vitam definivit*, *ex meris probabilibus utplurimùm contexuit*, *quod ipse sincerè fatetur infra in vita S. Exuperantii XIX.*, *credens tamen se minimè id agens* mentitum fuisse, *quia*, *ait*, & *Episcopi illi*, *de quibus nihil invènit*, hortatores fuere, castique & eleemosinarii, & Deo animas hominum adquisitores. *Nec proinde mentiti sunt*, *qui elogia eadem ex Agnello descripsere*; *ab historiæ tamen fide recessere annos uniuscujusque*, *quibus Episcopatus duravit*, *statuentes*, *quod Agnellus non fecit*. D *Et hæc quidem sunt*, *quæ adnotanda*, *differendaque censui*, *ut præconcepta opinio de Actis Synodi Romanæ tollatur*, *ob quæ seriem Pontificum Ravennatum susdeque invertere voluerunt Viri aliàs eruditissimi*.

MONITIUNCULA

Ad versus Vitæ S. Apollinaris præfixos.

ET hos versus minimè omittendos putavi. *Alienos ab Agnelli stylo deprehendet qui tantùm leget*, *ejusdem tamen*, *vel paulò recentioris ætatis ostendunt latinitas corrupta*, & *mirabilia in syntaxi hyperbata*. E *Illud etiam addendum est*, *quod Bonifacii Classensis lumen oculorum receptum D. Apollinaris ope recitent*, *de quo nihil Agnellus*. *Tecla etiam prioribus versibus morbo liberata dicitur*, *Agnello omissa*, *qui ejus loco Herenei filium anonymum cœcum illuminatum affirmat*. *Quid sibi velit priùs septimi exametri verbum* Plamone, *obscurum*. *Cùm tamen integritati versus syllaba desit*, & *aliàs noverimus Lamonem fluvium non longè à Civitate Ravennæ fluxisse in Padusam*, *videtur Exscriptori litera P. solitariè ponenda*, *quæ priùs transversa linea signata præpositionem post pro seculi genio tempus significantem compendiosè exprimeret*, *ita quòd sensus esset* post hæc Lamone *idest ad Lamonem*

monem fluvium D. Apollinarem martyrio coronatum fuisse. Sequenti versu exametro eodem sensu exhibetur eadem particula post. *Hinc autem conficeretur ex mente Auctoris horum versuum, locum ubi diem obiit D. Apollinaris, quem alii communiter extra Classem, vicum versus Leprosorum cognomento dictum, statuunt, ad Lamonem fluvium fuisse.*

Incipit (1) versus *metri* (2), & pronomen Beati Apollinaris hoc legitur pariter.

A *Lmis* (3) Apostolus, & solidus Princeps aliorum,
Quem sanctis monitis discipulum docuit,
Pontificum summam sedem dans cuique, Ravennam,
Et populum misit rectè vocare Dei.
Orbatis lumen dedit, Teclamque levavit
Quæque toro membris ægra diu jacuit.
A Lætus & (4) advenit capitolia summa, catervas
Nomine, Dæmonicas subruit, in Domini.
Allidens cupidi lethi retinacula, natam
Ad vitam Rufi per Dominum retulit.
Lumen per *Deum* (5) munus linguâ reparavit
Classensi, nomen cui Bonifacius est.
Plamone coronatus cum martyrio fit.
Ante flagellorum vulnera plura tulit.
Lege poli revocante petit post spritus ejus
Cœli consessus, angelicosque choros.
Ille nequit quicumque capax chunprendere *mertum* (6)
Non id displiceat, suppliciter rogito.
B Sed sumens *itiner* *er set* (7) per pervia gressus
Dirigat, & mecum *pacem servatur* (8) ovans.
Finit metrum pentametrum, & exametrum; quicumque non capit, convertatur ad prosam.

VITA SANCTI APOLLINARIS.

CAPUT PRIMUM.

Sancti Apollinaris patria, cultus, & ordinatio. Ravennam venit, Christi fidem prædicat, miracula patrat. Rufi Patricii conversio, ejusdemque sepulcrum.

DE SANCTO APOLLINARIO.

SAnctus Apollinarius natione Antiochenus græcis, & latinis literis eruditus, Apostoli Petri discipulus, & cum eo in Urbem Romam pervênit. Qui post plurimum tempus eum Pontificem ordinavit, atque per impositionem manus Spiritum Sanctum tribuit, & osculum illi dedit, & ab Urbe Roma quasi terdenos milliarios communiter cum eo venit. In quo situm est Monasterium Beati Petri, qui vocatur ad Januculum, ubi Christum Apostolus oravit, & ubi genu posuit, lapis mollis apparuit, ut cera ab igne, & in modum ejus, lapis, genu concavus est. Et ad aliud Monasterium ipsius Apostoli, quod vocatur ad Ulmum, in ipsa nocte pariter sopiti sunt, & apparent fossæ in illo lapide, ubi caput, vel terga, atque nates, & crura tenuerunt, usque in hunc diem. Et post Ravennam eum direxit, & ipse Beatissimus antequam in Urbem Ravennam ingrederetur, Herenei filium cæcum illuminavit. Hereneus quippe pacificus intelligitur, & *forinsecus* (9) hujus Civitatis plurimas peregit virtutes. Templa Deorum subvertit, & simulacra comminuit, Presbyteros, & Diaconos ordinavit, infirmos sanavit, Dæmones effugavit, leprosos mundavit, in Bedente fluvio, & in mare multos baptizavit. In Basilica Beatæ Euphemiæ, quæ vocatur ad arietem, primitus baptismum fecit, & ubi pedibus stetit, liquefactus est ille lapis, & vestigia quasi signum impressa sunt. Filiam quoque Rufi Patricii mortuam suscitavit, & illius in Patricii domo Episcopium Bononiensis Ecclesiæ usque in præsentem cernimus diem. Sic autem Domum illam integram, & incolumem sic, quomodo antiquitus. Et nunc penè annos quinque Theodoricus Bononiensis Antistes saxeam arcam, ubi Rufus Patricius sua cum filia positus fuit, abstulit, & ad suam Ecclesiam Bononiensem deportavit, ut postquam defunctus, ibidem sepultus fuisset. Sed quid ei profuit? qui alios exinde expulit, & ille non in illa positus est, nam segniùs ipse fecit eam stabilire.

CAPUT SECUNDUM.

S. Apollinaris carcer, exilium, & post reditum Acta, & Martyrium.

IGitur Beatissimus Apollinaris cum ingenti pondere ferri in carcerem missus est non longè ad Capitolium istius Ravennæ Civitatis. In quo custodibus circumspicientibus Angeli victum cœlestem ministrabant ei. Iterumque eum coëgerunt, & ab Urbe projecerunt non longè ab hac milliario VI., ubi Ecclesia Beati Demetrii antiqua structa est. Post hæc ad partes Illyricæ captivus ductus est. Deinde per Salonam, Pannoniam quoque per Danubii ripam, Thraciamque, & ibidem, atque in litore Corinthi multa per eum mirabilia intulit Dominus. *Reversus* (10) post tres Ravennam annos, remeavit, & à fidelibus suis filiis, Sacerdotibusque cum magna lætitia susceptus est. Quem sævientes Pagani post diu cæsum, nudis pe-

(1) *Incipiunt*. Mur.
(2) *metrici*. Mur.
(3) *Almus*. Bach.
(4) *ut*. Bach.
(5) *Domini*. Mur.
(6) *metrum*. Mur.
(7) *iter prensit*. Bach.
(8) *pace feratur*. Bach.
(9) *intrinsecus*. Mur.
(10) *Rursus*. Mur.

pedibus super prunas stare fecerunt, & alia multa tormenta in eum exercuerunt. Templum Apollinis, quod ante portam, quæ vocatur aurea juxta Amphiteatrum, suis orationibus demolivit. Cujus tanta beatitudo fuit, & mansuetudo, ut nunquam, dum pateretur, alicui injuriam fecisset, aut eum increpasset, nisi dum fortiter torqueretur, ait ad Vicarium; Impiissimè quare non credis in Filium Dei, ut evadas tormenta æterna? Pro nimia dierum plenitudine curvus effectus est. Temporibus Vespasiani Cæsaris martyrio coronatus est. Vixit autem in Pontificale solio annos XXVIII., menses I. dies IV.

OBSERVATIONES
AD VITAM
SANCTI APOLLINARIS.

Pseudo-dexter, & Bivarius confutati. Ecclesiæ per prolepsim memoratæ. Bidens fluvius. Ecclesiarum certo Sancto dedicationes Apollinaris ævo recentiores. Rufus Patricius Ravennas diversus ab Episcopo, & martyre Capuano synonymo. Capitolium Ravennæ. Recentiorum commenta explosa. S. Apollinaris quo tempore sit martyrio coronatus. Ejusdem ex veteri Martyrologio encomium.

I. QUod primò *observatione dignum occurrit, est, inter cætera, quæ Agnellus nec legit, nec à Senioribus audivit illud quidem esse, quod Bivarius Pseudo-dextrinorum Commentorum propugnator, & Commentator ad annum I., ex Metaphraste nititur comprobare. Petrus ait*, cùm non diu mansisset apud Romanos, scilicet tres tantùm, vel quatuor annos, & Linum Episcopum ordinasset, sibi scilicet suffraganeum, vel Coëpiscopum, ut &c........ anno quadragesimo septimo, vel initio quadragesimi, Romà exiit versùs Hierosolymam comitibus Marco, Marcello, Eugenio, Epaphrodito, Epæneto, Rufo, Crescente, & aliis. His igitur comitibus Petrus Ravennam transiens assumpsit secum Apollinarem, & tandem pervênit Hierosolymam, ubi eo anno interfuit assumptioni Virginis, & sequenti Concilium celebravit de legalibus non observandis à Conversis à gentilitate. *Et hæc quidem cum his, quæ sequuntur, ut, si Deo placet, fulciat fabulas Pseudo-dextri ad annum I. scribentis*; Petrus ut Christi Vicarius Hispanias adiit, Imagines Antiochià delatas affert, Epænetum Sexifrimi in Bætica reliquit, Episcopis multis eum comitantibus Marco, Marcello, Eugenio, Apollinare Ravennate, quem redeuntem ad Italiam consequitur Calocerus, Barnabas, Judasque, hinc in Africam, & Ægyptum migrat. *Hæc sanè ignoravit Agnellus, ignoravere Ravennates Agnello seniores, ac inter cæteros Maximianus Archiepiscopus, ex cujus Historiis Agnellus acta hujusmodi admodum illustria hausisset. Ut autem reliqua omittam, quæ hujusmodi technas destruunt, ridere libet Bivarii lepidum argumentum, ut Apollinarem probet profectum cum Petro primùm Hierosolymam, inde in Hispanias, assumptum ex eo, quòd secundùm à Metaphraste narrata, Petrus Romà discesserit, ut Hierosolymam pergeret, quasi itineri illi perficiendo Ravennam pertransire debuerit, qua occasione data, Apollinarem socium assumeret. Porrò si diceret Ravennam potiùs venisse, ut Apollinarem sibi sociaret, quid itineris rationi minùs repugnans dice-*

A *ret. At cur non potiùs vocasset, ut Romà simul discederent, vel maritimo itinere ab Ostiis, Antii, Tarracinæve Portu solvendo, vel eàdem, qua venerant, via, per Appiam, Puteolos usque abeuntes? Ita quidem Metaphrastes apud Surium, quo abutitur Bivarius, ait*; cùm autem non diu mansisset apud Romanos...... venit Tarracinam...... venit Sirmium Civitatem Hispaniæ.... Carthaginem Civitatem Africæ... in Ægyptum...... rursus Hierosolymam &c. *Iter prorsus à Bivariano diversum. Undique commentum se prodit. Agnellus tradit Petrum Romam venientem Antiochià Apollinarem secum duxisse*, quem post plurimum tempus Pontificem ordinavit, *Ravennamque direxit; sentit itaque Petrum id egisse nonstatim, ac Romæ degit, quod fieri necesse fuisset, si*

B non diu *Romæ moratus iter Hierosolymam capiens, pertransensque Ravennam, Apollinarem jam ordinatum, missumque, socium itineris assumpsisset. Semel igitur invitus ab Ecclesia Ravennati expulsus abfuit, ut infra.*

II. Abeunti Romà Apollinari narrat se socium adjunxisse Petrum per ferè XXX. milliaria, qua in via notat terminum, unde discessere, Janiculum videlicet, & alium, ubi per noctem cubavere, quem ad Ulmum dicit, & utrobique impressa in Silice, & Petri orantis, & utrorumque dormientium vestigia recenset, ac in Principis Apostolorum cultum ibidem per prolepsim dedicata postmodum Monasteria, quorum nomine, quod sibi familiare est, Ora-

C *toria privata intelligit. Ac ita quidem hæc Agnelli narratio intelligenda est. Porrò sicut Petrum Romæ ad Janiculum constitisse, & orasse, ibidemque Basilicas, pace Ecclesiæ data, eidem dedicatas fuisse, nullus ambigat, ita difficillimè stationem ad* Ulmum *triginta milliaribus Romà distantem ex Itinerariis, Tabulisque quis expiscabitur, licèt, & Scribentis tempore ibidem Ecclesiam Divo Petro dicatam fuisse, ejusdem Agnelli testimonium probet. Quòd si via Flaminià, ut par est, processere, mansionem hujusmodi, & Ecclesiam circa Ocriculum extitisse milliariorum ratio suadere poterit.*

III. Herenei filio cæco lumen redditum narrat, Teclam à morbo liberatam silet, Tribunumque ad Christi fidem conversum, quod Recentiores Agnello

D *affirmant. Credi potest, hæc, & alia signa clausulà illà significasse*; plurimas fecit virtutes &c. *sic & altera*; Presbyteros, & Diaconos ordinavit, *intelligit, quod deinde narrabit in Vitis subsecutorum Pontificum. Porrò quod ait*; in Bedente fluvio, & in mare multos baptizavit, *ostendit eodem nomine fluvium unum vocitatum. Montonem Recentiores vocant, sicut eundem Arietis nomine nuncupatum observavit Rubeus mox laudandus, quòd ferè cum Montonis Italica significatione, & Arietis, & Bedentis, seu Bidentis vocabula conveniant. Fabrus, &* Vervecis *nomine dictum testatur fluvium eundem part. prima de Ecclesia S. Euphemiæ agens. Rubeus edit.* 1590. *Bidentem*

E *ab incolis dictum testatur alterum fluvium Ronchi nomine aliàs indigitatum, qui Vitis Antiquorum creditur. Hæc autem Rubeus lib. primo*; primum Baptismatis Fontem in ea urbis parte constitutum ferunt, quæ ad Arietem dicebatur à fluvio, cui proximè accedit, nomen sortita, quem nunc fluvium vulgari vocabulo Montonem appellamus in ipsius Tribuni Domo, quam Templum fecit, ac consecravit. *Quod spectat ad postremum Rubei assertum, Agnellus hæc habet*; In Basilica Beatæ Euphemiæ, quæ vocatur ad Arietem primitus Baptismum fecit. *Rubeus post reditum, D. Euphemiæ idem, quod priùs Templum fecerat, dedicasse Apollinarem dicit, cùm Virginis, & Martyris paulo ante passæ cultum, & sacra Lipsana*

ab Hermacora Aquilejæ Episcopo, & D. Marci discipulo didicisset, & reportasset. Hæc Rubeus ex Actis S. Hermacoræ, ex quibus Petrus in Catal. lib. 8. cap. 29., ut observat Baronius ad diem 3. Septembris, & ex Rubeo Fabrus agens de S. Euphemiæ Ecclesia. Ut ut autem ex omni parte Acta illa subsistant, & D. Apollinaris Ravennam attulerit ejusdem S. Virginis, & Martyris Corpus, nullus adducar, ut credam per ea tempora Templum, aut Basilicam constructam fuisse, cum latère Apollinarem aliunde opportuisse, notum sit, ac in tuguriis, privatisque domibus sacra facere. Agnellus autem locum, ubi primùm Fideles baptizati sunt, exprimit, Ecclesiamque, quod solet, post evoluta tempora ibi erectam indicare intendit, & nil præterea.

IV. Quod sequitur de Rufo Patricio maximè notandum est; constat enim, nunc tandem è tenebris vindicato Agnello, Rufum Patricium Ravennæ decessisse, ibidemque sepultum fuisse cum Filia quondam ab Apollinare à mortuis revocata in arca marmorea, quam, deturbatis Rufo, Filiaque, Theodoricus Episcopus Bononiensis, ipso vidente, ac vivente Agnello, Bononiam deportavit, ut eâ aptatâ sibi sepulcrum pararet. Consequens igitur fit Rufum hunc diversum esse à Rufo, qui usque in hanc diem creditus est idem, & quem Apostolorum Princeps Petrus Episcopum Capuanum consecrasse ferunt, quique per ea tempora martyrio coronatus Capuæ obiit. Rufus Capuæ Episcopus non Patricius Romanus, sed fortè ille ipse, quem Baronius inter septuaginta Christi Discipulos ab Epiphanio numeratum observat, quemque ad annum quadragesimum quartum inter socios recenset Petri venientis Romam, & tunc eundem jam Capuæ factum Episcopum dicit, licèt Apollinaris ejusdem itineris socius à Petro nondum Ravennam Episcopus missus fuisset. Quod sanè mirum est Baronio res hujusmodi eruditè perpendenti minimè perspectum, ita ut confusionem ob nominis similitudinem Rufi istius cum illo, in Martyrologio ad VI. Kal. Septembris non emendaverit. Excusetur tamen utcumque Baronius, cui faculam in re hujusmodi non exhibuit Agnellus; nulla excusatione dignus est Rubeus, qui Agnellum evolvit, melioraque in suam Historiam transtulit, ac nihilominus Rufum dicit non modò ad fidem ex Gentilitate conversum, sed, quod sanè inauditum, vivente Petro, Capuæ Episcopum ab eodem Apollinari creatum, & infra narrato Apollinaris Martyrio adjungit, id factum esse paulo postquam Rufus ejus discipulus Capuæ, cujus urbis erat Antistes, ab Messalino ob Christi religionem interficeretur. Baronius supra laudatus in notis ad Martyrolog. die 27. Augusti, ait; agitur de eo in Actis S. Apollinaris, quæ recitat Surius Tom. 4. die 23. Julii, unde & cæteri acceperunt, ut Petrus in Catal. lib. 7. cap. 119., Hieron. Rub. Hist. Raven. lib. 1., & alii. At apud Surium nil de Episcopatu Capuano, nil de Rufi martyrio, quare quisque prior unum cum altero confudit, ad nomen tantùm, & ad Synchronologiam spectavit, non Surium ejus rei auctorem habuit. Faber in sacris Memoriis Ravennæ tertium dicit fuisse Episcopum Capuanum Rufum, qui Ravennæ ad fidem conversus est; quod si verum esset, non is Rufus, quem ex Orientis partibus Petrus in Italiam perduxit, Capuæque primum Episcopum fecit, qua in re Ughellum non omnino assertorem habet; collocat enim is quidem primo loco Priscum, secundo Sinotum, addit tamen de eo nihil reperiri in antiquis Dypticis, sed primum omnium Michaelem Monachum ex quodam Capuano Musivo id asseruisse. Loquens deinde tertio loco de Rufo, eum secundum rexisse dissertè affirmat. Monachus ipse, ut idem observat Ughellus, duos Rufos cognoscit; alterum dicit Episcopum Thebanum, alterum Capuanum. Sint hæc ut lubet, adhuc ex Agnello apparet, Rufum sive tertium, sive secundum Capuæ Episcopum toto cœlo diversum à Rufo Patricio Ravennæ cum filia in eadem arca sepulto, cujus domus Agnelli temporibus perstitit, qua tanquam Episcopio utebantur Bononienses Episcopi, cum Ravennæ apud suum Metropolitam degebant. Martyrologia antiquissima à Papebrochio publicata, de quibus infra, habent VI. Kal. Septemb. In Capua natale S. Rufi Martyris. At hic Ughellus etiam emendandus venit in Episcopis Bononiensibus; ubi enim trigesimo octavo loco Theodorum nominat, qui vixerit anno DCCCLV., præmisso Christophoro, interponat necesse est Theodoricum, qui ex hoc Agnelli loco defunctus sit circa annum DCCCXXV. ex dictis supra ad versus operi huic præfixos.

V. Ravennæ Capitolium memoratur ab omnibus, qui S. Apollinaris Acta scripsere. Agnellus tamen Apollinarem minimè dicit ductum à Pontificibus in Capitolium, ut Jovi sacrificaret, quod Rubeus libro eodem, sed tantùm in carcerem non longè à Capitolio missum. Carceres autem ad Capitolium siti, sicut & Capitolium ipsum, milliarium aureum, & alia, Ravennam ostendunt Romanæ magnitudinis æmulam. Solemne tamen, & celeberrimis Urbibus Capitolium habere notavit Ricquius in Comment. de Capit. Rom. cap. 47. per totum; qui cap. 45. è Baronio disputaverat de vero loco carceris Mamertini, & Tulliani, quorum alterutrum carcer Ravennas imitabatur.

VI. De S. Demetrii Ecclesia VI. ab Urbe milliario altum apud Ravennatum rerum Scriptores silentium. Hanc Agnelli ævo superstitem conditam credo pace Ecclesiæ post Constantinum data eo loci, unde Apollinaris à Gentilibus est deturbatus. Addit Agnellus eundem ad partes Illyricas captivum ductum, indeque per Danubii ripam, Pannoniam, Thraciamque peragrasse, signisque illustrasse; cætera Recentioribus asserta omittit, vel clausula generali concludit. Nullus tamen credo intelligi hoc debere de seditione illa, quam Recentiores affirmant motam à Christianis contra Messalinum, & Gentiles, in qua istorum ducentos ab illis interfectos recensuerit, meritò à Rubeo reprobatam; repugnat enim veterum Christianorum mansuetudini, unde jure merito, & ex hoc capite, & ob similem rationem argumentum nactus est præter alia eruditissimus Papebrochius reprobandi Martyrologii Brixiensis recentia inventa.

VII. Martyrii genus, quo demum coronatus obiit, Agnellus non exprimit, sicut nec Auctor versuum vitæ præfixorum. Nil de Tauri conversione, & patrocinio Apollinari præstito, cui in suburbano prædio asylum præbuerit. Designat tamen martyrio coronatum Vespasiani Cæsaris temporibus, & tempus, quo sedit, annorum XXVIII. mens. I. dier. IV., quod Recentiores numero pleno complectuntur annorum XXIX., ac cum Rubeo lib. primo mortuum asserunt anno rep. sal. LXXX. X. Kal. Sextil. Baronius ad annum LXXV. agens de successione Eleucadii post Aderitum, narratis verbis D. Petri Damiani, quibus martyrium, sive sedem XXIX. annorum spatio metitur, compendiosè, quod Rubeus recitaverat de extortis à Vespasiano rescriptis contra Apollinarem replicat. A Rubeo tamen recedat necesse est, quoad martyrii annum, quem saltem, Aderiti Pontificatui anno uno assignato, consignet anno LXXIV., uti divinando Baronio adhærens Fabrus fecit. Quantùm ab his diversa Rubeus, qui Aderiti Pontificatum ad annum C. differt! Obscura sanè omnia; opinioni tamen mortem Apollinaris anno LXXIV. figenti nulla-

nullatenus suffragatur Agnellus, qui tradit Apollinarem cum Petro Apostolo Romam venisse, & post plurimum tempus *ordinatum Episcopum, & Ravennam missum. Petrus Romam venerit anno Aeræ vulgaris XLIII., si Apollinaris obierit anno LXXIV. missus fuerit necesse est anno secundo Pontificatus Petri. Id autem non consentit Agnello, qui post* plurimum tempus *à Petri adventu Romam missum dicit. Diuturniorem certè Apollinaris sedem illud innuit,* quòd pro nimia dierum plenitudine curvus *incederet martyrio proximus. Cùm autem ex severioribus Tabulis Vespasianum sciamus mortuum anno Christi vulgari LXXIX., martyrium Apollinaris ultra illum annum differre, nefas, uti facit Rubeus, putoque rectiùs statui D. Apollinaris obitum circa annum mortis Vespasiani, qui tamen cùm defunctus fuerit ex Svetonio VIII. Kal. Julii, mors Apollinaris non potuit accidisse nisi anno præcedenti. Qua Chronologiæ ratione admissa, initium Pontificatus Apollinaris retrocedendo affigetur, servata die, qua natale ejusdem in omnibus, & antiquissimis Martyrologiis signatur XXIII. Julii, anno vulgaris Aeræ L., diei verò XIX. Junii. Cùm autem semel Martyrologiorum inciderit mentio, juvat hic demum pro dictorum coronide ea afferre, quæ de S. Apollinari habet vetustissimum Bedæ adscriptum, allatum à C. V. Daniele Papebrochio priori mensis Martii Tomo præfixum, simul cum adjectionibus successivè à diversis factis ex celeberrimarum Bibliothecarum latebris erutis, ex quo apparebit, quantùm antiqua monumenta conveniant cum Agnelli simplicitate, & cùm ex omnibus constet, sub Vespasiano Apollinarem martyrio coronatum, summa tamen diversitate pugnare vetera hujusmodi documenta in assignandis sedis ejus annis. Martyrologium itaque* A *laudatum hæc habet ad X. Kal. Augusti.* Natale S. Apollinaris Episcopi in Ravenna, qui Romæ ordinatus est ab Apostolo Petro, & illuc missus est, qui etiam in Æmilia prædicavit, & in partibus (1) *Corintiorum*, & in Mysia, & in ripa Danubii, & in partibus (2) *Tarachiæ*, in quibus locis exilio relegatus est. Et ubicumque potuit innumeras virtutes fecit, & passiones sustinuit, nam nimia cum cæde mactatus est, & rursum diutius fustibus super prunas impositus, & equleo appensus, tensus est, & saxo os ejus contusum est, & cum gravissimo ferri pondere inclusus carcere horribili, atque in ligno extensus est (ubi hominibus quidem neglectus, sed ab Angelo publicè pastus est) deinde cate- B natus, & in exilium directus est (in quo rursum diutius fustibus cæsus, & rursum in Ravenna ligatus, à Paganis cæsus, & vulneratus, & rursum in carcerem missus, & cæsus) sic martyrium consummavit sub Vespasiano Cæsare, Demosthene Patritio. Rexit Ecclesiam annis viginti, diebus octo. *Ita D. M. S., ast Barbarinianum, S. Cyriaci, Atrebatense, & Tornacense* annis viginti octo, & dies quatuor, *Vaticanum* annis triginta & octo, *Letiense*, annis decem & octo, & diebus quatuor. *In allata annorum mensura diversè à diversis Codicibus enunciata, vides tamen à pluribus Agnelli assertum confirmari, quare sicut Vaticani Exscriptor facilè potuit pro viginti triginta expressisse, ita D. M. S., &* C *Letiense vix debent attendi, cùm cætera repugnent, & Agnellus potuerit certioribus niti documentis, quàm qui Ravennâ dissiti martyrologia scripsere. Præterea ex Letiensi facilè potuit nota X. excidisse.*

(1) *D. Thoritbiorum*, fortè *Carintbiorum*. Bach.

(2) *T. L. Tbraciæ*, *Tornac.*, *Letiense*. Bach.

VITA SANCTI ADERITI.

CAPUT UNICUM.

Aderiti ordinatio, & prædicatio. Sepulcrum ejusdem dubium.

DE SANCTO ADERITO.

A Deritus I. vir Sanctus, & timoratus à Beatissimo Apollinare Presbyter ordinatus est, & ut sapiens architectus supra fundamentum sui Magistri, & Doctoris ædificavit. Pro suis ovibus incessanter Deum deprecabatur, ut à cultura Idolorum discederent, & Deum vivum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum confiterentur; & multi in ejus temporibus post tempestatem persecutionis baptismum susceperunt. Deinde multos ad Deum sociavit Defunctus est in Civitate Classis, sicut asserunt, ultimo Kal. Octobris, quidam. In Basilica Beati Probi sepultus est non longè ab Ecclesia B. Apollinaris quasi stadio uno. Sedit annos....... mens..... dies....

A

B

OBSERVATIONES AD VITAM SANCTI ADERITI.

A Deriti sedem, usque ad annum vulgarem centesimum extendunt cum Rubeo cæteri. Illud argumento esse potest, Aderitum ad Trajani tempora vitam protraxisse, quòd hic ait, illum post tempestatem persecutionis *multos baptismate initiasse; id enim intelligi debet de tempore subsecuto persecutioni Domitiani, cui proinde aliquot annis supervixerit Aderitus. Domitiano, itaque obeunte anno XCVI. minimè abnuo Aderitum, durante Nervæ pacatissimi Imperatoris brevi satis regimine, Gentilium conversioni operam sedulam navasse, & sub initia Trajani circa centesimum Christi annum ad meliorem vitam transisse, cùm Sedem Ravennatensem ultra vigesimum annum tenuisset. Quæ ad subsequentes vitas adnotabuntur, Aderiti Actis illustrandis nonnihil proderunt.*

VITA SANCTI ELEUCADII.

CAPUT UNICUM.

S. Eleucadii nomen, ordinatio, sapientia, scripta. Ejusdem sepulcrum.

DE SANCTO ELEUCADIO.

E Leucadius II., cui nomen latinè Candidus intelligitur. Hic mitis, & prudens fuit, & eum Sanctissimus Apollinaris Diaconem sacravit. Cujus tanta fuit philosophia, ita ut plurimos de novo, & veteri Testamento libros conderet, & de Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi, atque illius Passione volumina exaravit; unde & in passione Apollinaris Athletæ Christi legitur; *Eleucadium Philosophum Diaconum fecit*. Iste verè Gentibus prædicavit, & in sua Ecclesia oleo pietatis perunctus quasi lucernæ lumen effulsit. Defunctus est autem XVI. Kal. Martii, & sepultus est extra muros Classis, ubi usque hodie ad laudem est nominis ejus Ecclesia ædificata, & Deo consecrata. Sedit autem annos....... mens...... dies.....

C

D

OBSERVATIONES AD VITAM SANCTI ELEUCADII.

S. Apollinaris Acta Agnelli tempore extasse. Sancti Eleucadii Corpus Papiam minimè translatum. Inter Scriptores Ecclesiasticos Apostolicos Sanctum Eleucadium referendum.

I. *Q Uod in primis notandum illud videtur, extasse nimirum Agnelli tempore Acta passionis S. Apollinaris, ex quibus assumpserit is, quæ de eo supra narravit, plura dicturus, si plura legisset. Nullus autem dubitandi locus remanet, quin narrata ab Agnello certa fide nitantur; Eleucadium in primis ex Gentili Philosopho ad Christi fidem conversum Diaconatus officio insignitum ab Apollinari fuisse. S. Petrus Damianus in Sermone de Sancto hocce Eleucadio ea tantùm habet, quæ ex Agnello didicerat, ut Sermonem totum legenti manifestum sit; cætera Recentiorum sunt.*

II.

II. *Palmare autem illud est, quod Rubeus tradit ex fide cujusdam libri Ecclesiæ D. Michaelis Ticinensis, in quo hæc legi affirmat*; à parte dextera in cornu ipsius Templi est Corpus S. Eleucadii Archiepiscopi Ravennatis, qui dum ob philosophiam, cujus erat peritissimus, fidem Christi studiosissimè impugnaret, tandem superatus, & conversus est à B. Apollinari Discipulo Principis Apostolorum, & Cœlestis Clavigeri Petri, qui post ejusdem conversionem de fide Christi mirabiliter scripsit, & disputavit, adeò ut tempore suo appellaretur Hæreticorum metus, & primus in Italia ordinavit officium nocturnum pariter, & diurnum, solemniter distinguendo libros novi, & veteris Testamenti, ut hodie per totam Ecclesiam leguntur in Matutinis, & Ravennam huc translatum fuit per Christianissimum Imperatorem Constantinum natum Sanctæ Elenæ, qui hanc Basilicam fundavit anno Nativitatis Domini CCCXXV. propter gloriosum triumphum, quem tunc obtinuit contra Gallicos Imperium non verentes, precibus Signiferi Sancti Michaelis: *Hæc ex Rubeo referunt etiam Bollandus, & Henschenius ad diem 14. Februarii, & rem perpendentes addunt verba Caroli Sigonii de Occidentali Imperio lib. 3. ad ann. CCCXIV. de Templo S. Michaelis Ticinense à Constantino ædificato, & de S. Eleucadii Corpore illuc translato; præterea adjiciunt eadem cum Sigonio tradita à Stephano Breventano lib. 4. Historiæ Ticinensis, qui tamen pro CCCXIV. annum exprimit CCCXXV. His adjungunt Sheltam in Thoma Episcopo Ticinense XI., confirmantem dicta de Æde à Constantino extructa, & Saccum illud solùm affirmantem, Templum videlicet, constare ædificatum ante Gothorum incolatum, ac denique Gualam in Sanctuario Papiensi lib. 4. cap. primo, qui Templum illud non à primo Constantino ædificatum dicit, sed à recentiori Italiæ Principe translatum asserit S. Eleucadii Corpus, idque constare ex monumentis Ticinensibus. His narratis laudati Bollandus, & Henschenius desiderant distinctiùs nosse monumenta hujusmodi, si quæ sunt, præter allatum à Rubeo id Constantino Elenæ filio tribuens; inde modestè ex Rubeo quærunt, qui sint, qui sentiant sacrum Eleucadii Corpus ab Aistulpho Rege translatum, qui regnavit seculo octavo temporibus Pipini, & Caroli; Rubeus enim, qui in priori editione Historiæ suæ rem absolutè tradiderat, in posteriori per hæc verba moderatiùs dixit* plerosque opinatos Corpus ab Aistulpho translatum. *Ita quidem non modò doctissimi Collectores, sed & Rubeus ipse ostenderunt se de rei veritate dubitasse.*

III. *Ego sanè ex D. Petri Damiani, ac inprimis ex Agnelli silentio, de ea re, quàm maximè dubito. Qui enim fieri potuit, ut qui absque hæsitatione (quod aliàs consuevit) scripsit Eleucadium sepultum extra muros Classis, ubi usque ad sua tempora ad laudem sui nominis ejus Ecclesia ædificata fuerit, quæ etiam Petri Damiani ævo extabat, nil addiderit de translatione ejusdem Ticinum à Constantino facta? Quod si id tribuatur Aistulpho, ut contendit Rubeus, vel Liutprando, ut Fabrus perperam in id citans Scriptores supra laudatos, crescunt argumenti vires, etenim incredibile mihi est Agnellum rem tacuisse suis ferè temporibus actam. Nil autem hic, nil in vita Sergii Episcopi, ubi multa de Aistulpho, qui ibi dicitur chlamydem, qua erat indutus super Sanctum Altare Ursianæ Ecclesiæ posuisse, & cogitasse de ædificanda Petriana Ecclesia, quæ funditus eversa fuerat, licèt ob rerum vices id non præstiterit. De Ecclesia etiam S. Michaelis Ticinensis Agnellus loquitur in vita Georgii Episcopi, & nullibi de Translatione asserta ullum habet verbum.*

IV. *Præter hæc, ut dubitem de hujus Translationis veritate, facit inconstantia, qua rem tantam tradunt Auctores memorati; quorum duos testes, ut ajunt contestes idem tradentes, non habemus, quare ex eorum dictis, quid verum sit, elici nequit. Unum monumentum, quod Rubeus affert, multis ex capitibus laborat. Primò etenim* ex libro quodam illud sumpsisse se dicit, ubi de Reliquiis Divorum, quæ ibidem locatæ sunt, fit mentio, *& nil præterea, quod libri antiquitatem, & authentiam commendet; quinimo Rubeus ipse de monumenti hujusmodi fide dubitans deprehenditur, ubi ab ejusdem asserto recedit, affirmans ab Aistulpho Longobardorum Rege factum illud ipsum, quod à documento Constantino Elenæ filio tribuitur. At librum illum Scriptoribus rerum Ticinensium ignotum, recentioris Æditui cujusdam fuisse ostendunt, quæ ibidem leguntur de lectionibus veteris, & novi Testamenti dispositis, si Deo placet, à S. Eleucadio pro matutini Officii precibus, quales Scribentis tempore recitabantur; constat enim certas hujusmodi lectiones non fuisse dispositas nisi post seculum saltem undecimum, cùm antea pro Superioris in Choro nutu legerentur. Nec officii, ut vocant, dispositio una* fuit per totam Ecclesiam, *quod tradit libri ejus Auctor, nisi recentioribus seculis. Quinam verò* triumphus ille gloriosus, quem tunc, *idest anno CCCXXV. obtinuisse dicitur Constantinus* contra Gallicos Imperium non verentes, *ex cujus occasione S. Michaelis Templum Ticini extruxerit? Nullum novimus bellum contra* Gallicos, *seu Gallos Constantini tempore peractum, quinimo circa illa tempora Constantinum agentem in Gallis faustis acclamationibus exceptum exhibent Codices Theodos. lib. 2. de Veteranis, & Justin. l. prima de veteranis, ubi edictum de immunitate Veteranorum dedit, de quo Baronius ad annum CCCXX. Nutat itaque assertæ translationis Historia, quousque legitima monumenta proferantur, licèt alterius Sancti ejusdem nominis Corpus Ticini servari libenter credam.*

V. *Ex Agnelli demum, Veterum etiam aliorum Agnello cognitorum, sicut & Recentiorum testimonio constat, Eleucadium inter Ecclesiasticos Scriptores, & quidem Apostolicos adnumerandum esse, quamvis omissum ab omnibus ejus argumenti Auctoribus, qui Bibliothecas conscripsere. Magnâ sanè jacturâ opera ejusdem interiere. Scripsit autem.*

In Vetus, ac Novum Testamentum libros plures.
De Incarnatione, & Passione Domini.

VITA SANCTI MARTIANI.

CAPUT UNICUM.

Sancti Martiani genus, ordinatio, vita, & obitus.

DE SANCTO MARTIANO.

Martianus III. Antistes præclarus ex nobili ortus est progenie. In sancta, fœcundus Spiritu Sancto, permansit Ecclesia. Hic Cleros ampliavit sacro Dogmate eruditus, atque Diaconos, Presbyterosque consecravit plurimos. A Beatissimo Apollinare una cum prudentissimo Eleucadio Diaconus ordinatus est, sicut in passione ipsius Ordinatoris reperitur, ubi ait; *Martianum nobilissimum Virum, Eleucadium Diacones consecravit*. Post plura miracula in pace Deo Creatori animam reddidit. Unde arbitratus sum, quòd in Ecclesia Beati Eleucadii sepultus sit. Sedit autem annos...... mens...... dies...

OBSERVATIONES

AD VITAM

SANCTI MARTIANI.

Martianus Ravennas perperam cum Dertonensi confusus. Rubeus in secundis curis emendatus.

A

F*Abrus in Sacris Ravennæ monumentis, quosdam ait, Martianum Archiepiscopum Ravennatem confundere cum Martiano Episcopo Dertonensi, & Martyre, quos rectè corrigit. Henschenius in Actis Sanctorum ad diem 22. Maji hæc de ea re habet*; Hieronymus Rubeus diligens aliàs, & accuratus Scriptor deceptus nominis similitudine, aut identitate, ex quibusdam apochryphis manuscriptis utrumque Martianum in unum conflavit lib. primo Historiæ Ravennatum pag. 55., *quasi S. Martianus Episcopus Ravennatum Dertonæ ob Christianam fidem martyrium subiisset, & Sanctum ejus Corpus Ravennam ad suam Ecclesiam fuisset reductum*. Verùm constat, Corpus S. Martiani Episcopi Dertonensis, & Martyris in sua Ecclesia detineri, & ibi eum, ut Martyrem coli, è contra S. Martiani Episcopi corpus ad suos fuisse sepultum, eumque supra ostendimus, (ex Officii videlicet, & Missæ ritu) non Martyrem, sed Confessorem haberi. *Et sequitur laudans Fabrum, & describens ex eodem loca SS. Petri Chrysologi, ac Damiani, quæ hoc ipsum probant. Rubeus de S. Martiano in priori Historiæ Ravennatis editione Aldina 1572. hæc tantùm scripserat*; Sufficitur Eleucadio in Ravennati Archiepiscopatu Martianus à Deo demissâ Columbâ electus, natus sublimi loco, Vir in primis piè, justè, ac temperanter vitam degens, tanto concitus ardore animi, ut Christum prædicans in animis Ravennatum ardentes amores excitaret omnium virtutum, multique nullis rerum adversarum ictibus frangi, neque oppugnationibus nefariorum de gradu pietatis dejici potuerint, sed calamitates omnes, tandemque necem pro Christo libenter pertulerint. Plurimos sacris initiavit, cùmque rerum admirabilium gloriâ clarissimus esset, cœlestem in patriam abiit XI. Kal. Junii, atque, uti in vetustissimis scriptis collegimus, in D. Eleucadii sepulturæ traditus anno Domini septimo, & trigesimo supra centesimum, dum Ælius Hadrianus imperaret. *Hæc tantùm scripserat Agnello ferè fidens eruditissimus Auctor; at secundis curis ab Agnello recedens, admisit quod meritò & Fabrus, & Henschenius, cæterique Scriptores refellerent*.

B

C

VITA

VITA SANCTI CALOCERI.

CAPUT UNICUM.

Nominis etymon, Caloceri prædicatio, obitus.

DE SANCTO CALOCERO.

A

CAlocerus IV. Bonum tempus interpretatur, & si fortè C. in I. vertatur & Jeros dicatur, Senior intelligitur, vel Sacerdos, sive Dominus. Iste enim provecta ætate vir grandævus fuit. Sub illius temporibus multas gratias, & magna mirabilia per eum Dominus in Populo exercuit. Cujus tanta prædicatio fuit, ac *talis* (1) curam gessit Pastoris, ut non solùm adquisitas oves erudiret, verùm etiam ex Gentilium sede, atque robore Dæmonis animas evelleret, & ad sacrum fontem Baptismatis cœlesti Domino recrearet. Defunctus, & sepultus est, sicut ajunt quidam, III. Februarii in Basilica B. Probi Confessoris. Sedit autem annos....... mens...... dies......

B

OBSERVATIONES *AD VITAM* SANCTI CALOCERI.

Calocerus cujas fuerit. An præcedentium Episcoporum Vicarius. Tamajus de Salazar, & Pseudodextri figmenta refutata.

I. B*Ollandus, & Henschenius ad diem XI. Februarii subdubitant, an Calocerus Græcus fuerit, quòd ab aliis solius nominis argumento affirmatur. Ex Pontificali Agnelliano manifestum fit, id sibi persuasisse etiam Veteres, quare Agnellus ipse infra in Vita S. Petri ait*; à tempore B. Apollinaris unà cum isto Viro Prædecessores sui Syriæ fuerunt. *Syriæ nomine Orientis partes intelligit. Assertioni hujusmodi tamen plurium Antistitum, qui Petrum præcessere, nomina merè latina videntur obstare, quod in Calocero non officit.*

C

II. Addunt Recentiores ex S. Apollinaris Actis elici Calocerum Prædecessorum suorum Vicariam operam egisse, cùm quomodocunque abesse contingebat. Probabilius multò videtur S. Apollinare vivente id præstitum à quatuor Viris, qui in Pontificali Sede post ipsum successivè sederunt. Nil de his tamen Agnellus.

D

III. Tamaii de Salazar in Martyrologio Hispanico commenta referunt laudati Collectores, quæ ipse Orbi propinavit juxta Pseudo-dextri assertum Chronicon, quæque omnia in suam lucubrationem assumpsit Fabrus. Ea autem sicut Marianæ priùs, ita sibi suspecta dicunt. Ego nullam fidem mereri statuo, cùm de ea re nil apud Veteres, quos audivit, legitve Agnellus, inventum fuerit. Fragmentum Flavio Marco Dextro adscriptum, quo fruimur, editum in fine Bibliothecæ veteris Hispanæ doctissimi quondam Viri Nicolæ Antonii ex humanitate, & bonarum literarum amore eruditissimi, piissimique Cardinalis de Aguirre, qui Opus insigne posthumum publici juris fecit: Fragmentum, inquam, illud adventum D. Jacobi in Hispanias in hunc modum consignat; Jacobus ad Hispaniam venit XXXVI. *Si itaque sustineatur, notas huic brevi narrationi affixas significare annum ab ortu Salvatoris XXXVI. (de qua re aliorum esto judicium) quomodo credemus Pseudo-dextro Calocerum ex Syria cum D. Jacobo ad Hispanias navigasse, ibidem prædicasse, indeque postquam diutius Episcopatum Ravennatem tenuit, centenario licèt majorem, ad Cœlum migrasse anno CXXX. Sed neque sustinetur Calocerum ad eam ætatem pervenisse. Cùm Rubeus Agnellum legisset scribentem*; iste Calocerus etenim provecta ætate vir grandævus fuit, *credidit sibi licere ætatem ampliori regula dimetiri, dixitque*; Calocerum cùm annum ætatis centesimum viridi senecta superasset, mortem cum vita commutavisse. *Hæc assumens Pseudo-dexter Higuerrianus ea in suam rem ineptè traduxit, non animadvertens multis porrò annis Calocerum centenario majorem obiisse, si socius D. Jacobi in Hispanias venit. Quæ quidem mirum est non advertisse Fabrum, qui profitetur Baronio adhærere, & accuratè perpendere debuerat ea, quæ gravissimè Baronius ipse ad diem XXV. Julii in Martyrologium adnotaverat de tempore, quo D. Jacobus in Hispaniam venire potuit, ac de iis, quæ ibidem gessisse illum consentaneum est Sacrarum Scripturarum, & Veterum Scriptorum testimonio.*

(1) *talem.* Mur.

VITA SANCTI PROCULI.

CAPUT UNICUM.

Sancti Proculi mores, & obitus, Sepulcrum dubium.

DE SANCTO PROCULO.

PRoculus V. Hic pius fuit, velut pater in filios, & plures ad Ecclesiastica crebro viscera complectebat, & suæ prædicationis dulcedine velut mellitus se se populo tribuebat, & sicut lactis sitientibus pocula ministrabat. In senectute positus capitis canitiei gratiâ replctus Sacerdotium cum vita finivit, & ubi ejus sit sepulcrum ignoro. Ambiguitas est mihi, utrum in Basilica B. Probi sit conditus, an in Sancti Eleucadii Confessoris (1) Sedit autem annos .... mens......... dies ....

OBSERVATIONES AD VITAM SANCTI PROCULI.

Dies emortualis S. Proculi incerta.

A *Gnellus nil de anno, dieve, quibus cœpit, finivitve Pontificatum Proculus rescivit, & quod in margine Codicis de prima die Decembris adnotatum est, recentioris manus est parergon. Rubeus tamen testatus, & ipse sepulturæ incertitudinem, addit*; id constat obiisse sub id ferè tempus, quo Hyginus, qui Telesphoro in Pontificatu successerat, obtruncatus est, eique successor datus Pius Aquilejensis, quemadmodum Proculo apud Ravennates, Probus. *Unde autem id constet, minimè dicit; Fabrus verò part. 2. hæc habet latino sermone reddita; Proculus* post decem in Pontificali munere exactos annos, ætate demum labente, vitam cum morte commutavit anno centesimo quadragesimo secundo, sedente in Pontificali Romana sede Telesphoro eodem anno suffecto Xysto hujus nominis primo, ac imperante Antonino Pio prima Decembris die. *Unde hæc sumpserit, nec iste docet. Incerta proinde omnia.*

VITA SANCTI PROBI.

CAPUT UNICUM.

S. Probi miracula, mors, & sepultura. Ecclesia speciali cultu habita.

DE SANCTO PROBO.

PRobus VI. mitis, & pius, clarus in specie, fulgidus in opere, sapiens eloquiis, prudens corde, plenus gratiâ Spiritus Sancti. Quicumque languidus ad eum venire potuisset, suis orationibus salvus revertebatur, quacumque fuisset infirmitate detentus, & spiritus immundos expulit, atque (2) *catervarum* corpora sauciata, vel dissoluta solidabat. Postquam sua ad occasum vita, angelica conspexit agmina, statim sancta elapsa est de Corpore anima quarto Idus Novembris. Deinde cunctus lugendo Populus cum nimia Corpus ejus reverentia sepelivit, & sepulcrum ipsius apud nos veneratur usque in præsentem diem, & illius Ecclesia sita est in partibus Orientis. Et in nullis Ecclesiis (3) *infra* Civitatem Ravennæ, Classisve Missa super populum celebratur, nisi in ista sola. Ædificata est jam dicta Basilica juxta Ardicam Beatæ Euphemiæ, quæ vocatur ad mare, quam nunc demolitam esse videmus. Sedit autem annos....... mens.......... dies......

OBSERVATIONES AD VITAM SANCTI PROBI.

Chronicon Pseudo-dextri confutatum. Rubeus multifario impugnatus. Quid Missa super Populum?

I. E*T hic quammaxime fabularum monstra profliganda sunt. Paulum Apostolum, quod promiserat ad Rom. 15. scribens, in Hispanias venisse,*

(1) *prima die Decembris*. Bacch.
(2) forte *catervatim*. Bacch.
(3) *id est intra; & ita passim in toto Opere*. Bacch.

nisse, licèt videatur Gelasius negare, affirmant tamen plurimi Veteres, gravissimique Viri, quos Baronius ad annum Christi LXI. collegit. Metaphrastes apud Surium ad diem 25. Junii tanquam ab Eusebio secundo libro Historiæ Ecclesiasticæ relata, addit, quæ sequuntur; Xantippem Probi Neroni noti, & in Hispaniis degentis uxorem, viso in fronte Pauli scripto Paulus Christi Preco, ad fidem conversam, ac deinde similiter Probum ipsum cum Philotheo Præfecto, ac omnibus, qui illam habitabant Regionem in Christum credidisse. Notat autem Surius non modò quòd Probi nomen aliàs Procus scribatur, sed, quod observaverat Baronius, cùm nusquam Eusebius hæc scripsisse inveniatur, cætera quoque in suspicionem adduci posse. His omnibus Auctor Chronici Pseudo-dextrini alia superstruxit; parergis Probi nomen ornavit Lucium Sabinum Probum vocans, & Ravennatem Pontificem faciens. Tamajus de Salazar ad diem 10. Novembris ex Dextro suam in Hispano Martyrologio fabulam texuit his verbis; Laminii apud Lybisosam in Hispania S. Probi, qui adhuc secularis Gubernationis ministerium in agro Laminitano feliciter exercuit, ubi Xantippem sanctissimam fœminam uxorem duxit, cum qua à S. Paulo Gentium Apostolo ibidem fidem Catholicam suscepit, postea Italiam reversus Ravennatum Episcopus factus, ibi miraculis, & doctrinis clarus in Cœlum, Confessor clarus migravit. Reliqua exhibet ad diem 23. Septembris, lepidum sanè epigramma adjiciens tanquam compositum ab Eugenio Xantippis fratre, in quo exposita de Probo narrantur. Fabrus hæc omnia sciens volens in suum opus transtulit, illud palmare sanè, & omnino dictis repugnans adjiciens; Probum videlicet, post triginta trium annorum sedem, obiisse anno vulgaris æræ centesimo septuagesimo quinto, Sotere Summo Pontifice, & M. Aurelio Antonino regnante. Porrò quomodo hæc fieri potuerunt, quin Probus centum triginta, & ampliùs annis vixerit? Etenim qui Baronii chronologiam sequitur non potuit conversionem Probi ultra annum LXVII. differre, cùm Paulus statuatur anno sequenti Romam reversus. Fuerit sanè tunc Probus Neroni notus uxore Xantippe dudum ducta, & Laminitani agri Gubernator annorum saltem triginta, conficietur, quod annorum CV. anno Christi CXLII. Episcopus sit creatus, & annorum CXXXVIII. decesserit, qui mortuus dicitur anno Christi CLXXV. Quis talia credet? Nec minori incommodo urgeretur, si fideret Chronologiæ Pseudo-dextri, Tamay, Bivarii, cæterorumque earum rerum assertorum, quandoquidem anticipato adventu Probi Ravennam, & tempore ejus Pontificatus, & mortis, vel aliquis ex præcedentibus Episcopis è Dypticis abradendus esset, vel implendo spatio temporis subsecuto alii essent subrogandi. Verùm narrato fabularum hujusmodi progressu, visoque quibus substructionibus planè ficulneis, ut eas per allusionem ad Auctoris nomen vocat laudatus Nicolaus Antonius, fabulæ ipsæ ruunt.

II. Rubeus sepultum dicit Probum in eo Templo, quod ab se conditum in Classensi Oppido fuerat..... à mari haud procul. Agnellus autem indicat sepultum ubi postmodum ædificata illius Ecclesia fuit, nec enim ipse sibi Ecclesiam ædificaverit. Ædificata autem fuit in Classe, quam Urbis partem intelligit nomine partium Orientis, juxta Ardicam, Porticum videlicet Ecclesiæ Beatæ Euphemiæ ad mare, quam scribentis tempore demolitam ipse testatur.

III. Addit Rubeus, quòd Probus eorum Antistitum, Aderiti videlicet, & Caloceri, cadavera cùm honestè collocasset, instituit, ut ibi assiduè fieret Res divina. Agnellus nil de Antistitum laudatorum cadaveribus ibidem collocatis, at de Sacris Mysteriis illud ait, & in nullis Ecclesiis infra (intellige intra) Civitatem Ravennæ, Classisve Missa super Populum celebratur, nisi in ista sola. Missam autem intelligit solemnem, cui Populus omnis adstat, & Archiepiscopus cum omni Clero Sacra agens diebus maximè celebrioribus in ea Populo bene precabatur. Id in Ursiana Ecclesia peractum ostendit infra Agnellus in Vita Theodori, à quo cùm secessionem fecisset omnis Clerus, & perrexisset ad Ecclesiam S. Apollinaris, Archiepiscopus omnem movit lapidem, ut redirent Presbyteri, & Diaconi, ac demum re composita in ipsa Ursiana Ecclesia, inclinata jam die Missa celebrata fuit. Id ipsum innuunt ad S. Apollinaris congregati Presbyteri, & Clerus clamantes; Surge Sancte Apollinaris, celebra nobis Missam in die Nativitatis Domini. Hinc expectante plebe in Ecclesia Ursiana, composito per Exarcham dissidio, demum Presbyteri, Diaconi, & Clerici venerunt, ac Missas, & Vesperum unâ horâ celebraverunt. In aliis Ecclesiis Missæ privatæ tantùm agebantur intra Civitatem Ravennæ, & Classis, in D. verò Probi etiam solemnis, seu super Populum. Eadem hæc quæ aliàs Missa publica dicitur apud Auctores inferioris ævi, & in Diplomatibus Pontificiis. De eadem D. Probi Ecclesia infra agendi occasio se præbebit.

VITA SANCTI DATHI.

CAPUT UNICUM.

Sancti Dathi pietas, & obitus.

DE SANCTO DATHO.

A Dathus VII. Hic namque Vir religiosus, & nimis pius, vigilansque fuit nocturnis orationibus, atque præcipuus animarum adquisitor, hominum, ac gentis crebro Prædicator, & velut speculum clarius vultus super cunctos emicuit, nam quando is ad gratiam supernam vocatus est, sancta ipsius anima à Corpore cessit. Et, ut asserunt quidam, in Ecclesia B. Probi sepultus est. Sedit autem annos........ mens..... dies....

OBSERVATIONES *AD VITAM* SANCTI DATHI.

S. Dathi ætas incerta.

Rubeus Probum floruisse dicit M. Ælii Aurelii Antonini temporibus, Pontificatu Pii, Aniceti, Soteris, ac Eleutherii ad annum ab ortu Christi circiter CLXXV. Dathum verò, novem annos cùm administravisset Ecclesiam, obiisse quinto Nonas Quintiles. Fabrus rem certius diffiniens, Probum defunctum dicit anno CLXXV., Dathum B *autem, assignatis à Rubeo Pontificatus annis novem, anno CLXXV. Uterque id asserit nullo teste, nullaque ratione exhibita.*

VITA SANCTI LIBERII.

CAPUT UNICUM.

S. Liberii pietas, sapientia, obitus.

DE SANCTO LIBERIO.

C Liberius VIII. Magnus homo charitate plenus, irriguus fons, fide præcipuus, mente benignus, suis temporibus Ecclesiam omni honore adauxit. Immensa humilitate propriæ suæ vitæ animam custodivit, omnisque philosophiæ tenuit principatum. Post hæc autem obiit, & sepultus est, sicut quidam suspicantur, cum Prædecessore suo. Sedit autem annos...... mens...... dies......

OBSERVATIONES *AD VITAM* SANCTI LIBERII.

Liberii philosophia quæ? Subsequentium duorum Episcoporum Vitæ observatæ in præcedenti dissertatione.

Agnellus de S. Liberio ait, eundem philosophiæ tenuisse principatum. *Rubeus inde sibi asserendum credidit, hunc Episcopum* Philosophum maximum, Græcè, latinèque doctissimum. *Cætera, quæ tum de hoc, cùm de sequentibus duobus Episcopis observanda erant, dicta sunt in præcedenti dessertatione Historico-Chronologica,* D *quæ proinde hic minimè sunt repetenda; alia quæque vel ab Agnello, vel à Recentioribus tradita tenebris obsita sunt, ac omnino ignota, quare cùm nil adnotandum veniat, ea intacta Lectori proponenda censui.*

VITA SANCTI AGAPITI.

CAPUT UNICUM.

Sancti Agapiti liberalitas, obitus, sepulcrum.

DE SANCTO AGAPITO.

AGapitus IX. cujus nomen latinâ linguâ vertitur charitosus. Hic Agapes cum Peregrinis quotidie faciebat. Iste etenim assiduè munuscula pauperibus tribuebat, & infra sui Corporis templum bonitatem ad aram cordis suam animam coram Omnipoten- A ti Domino velut hostia quotidie triverat. Ad quod postmodum divinum superveniens mandatum, sancta anima à carne soluta est. Sepultus est, ut suspicantur, cum superiùs nominatis aliis. Sedit autem annos..... mens...... dies......

VITA SANCTI MARCELLINI.

CAPUT UNICUM.

Sancti Marcellini vigil cura gregis. Ætas gravis. Decus sepulcri.

DE SANCTO MARCELLINO.

MArcellinus X. justus, & timoratus suis orationibus Dæmonum castra prostravit, & oves, quæ à Domino ei traditæ fuerant, impiger custodivit, ne ille immanimus Lupus, qui quotidie sævit, & furit, castra suæ Ecclesiæ laniare potuisset, & ex suis ovibus prædam evelleret, ut non Christianorum animas, quas sanctus Vir Omnipotenti B Domino adquisierat, beluino gutture devoraret, ne infernalibus connexis gehennæ vinculis ditione manciparet. Transactoque plurimo annorum curriculo spatii Pontificatum amisit, & vitam; cujus tanta Corpus odoramenta flagravit, ut pretiosissima mirrhæ, incensi, odoramenta sepelientium nares sentirent. Sepultus est, ut fatentur alii, in Basilica B. Probi. Sedit autem annos..... mens..... dies.....

VITA SANCTI SEVERI.

CAPUT PRIMUM.

Electio per columbæ apparitionem indicatur. Sardicensi Concilio subscribit. Sancti Geminiani Mutinensis Episcopi funus curat.

DE SANCTO SEVERO.

SEverus XI., cujus nomen intelligitur in compositione Sævus verus. Hoc non ad sævitiam pertinet, sed ad fortitudinem. Sævus idest fortis, verus Pontifex Maximus; cujus Sacerdotium ab Omnipotente Domino tantùm prædestinatum fuit, ut in illius electione Spiritus Sanctus missus fuisset in specie columbæ, quam omnis Populus viderunt corporalibus oculis, & super ejus caput requievit; unde in proverbium usque hodie dicitur à singulis Gentibus; *beata terra illa, ubi in electione Pontificis Spiritus Sanctus descendit in columbæ similitudinem, & ordinatur super caput, cujus requiescit.* Sed væ tibi Ravenna misera vicina destructæ Classis, quia C nunc cum nimia altercatione, & controversia Pontifex in te ordinatur, *væ tibi Ravenna misera.* In Sardicense Concilio cum Legatis Romanæ Ecclesiæ Vir sanctus interfuit. Hic Severus beatus superiùs nominatus dum Missam celebraret, & cum suis Diaconis in Pulpitum ascendisset, & B. Pauli Apostoli epistolas legeret, ut Populorum conventus spiritalibus verbis reficeret; subitò sanctus Vir in ecstasim factus est, velut sopore detineretur, nec pleniter dormiens, aut vigilans. Æstimantes eum sui, quòd somno arreptus fuisset, cœperunt latera ejus pulsare. Ille autem quasi de gravissimo somno erigit se sursum, & tristi animo dicit illis; oh quid fecistis? Quare in-

inquietastis me? Quamvis à vobis hic viderer, in alio loco eram. At illi perseverabant interrogantes eum, & dicentes; Dic nobis ubi fuisti Pater? Quibus ille ait; Indulgeat vobis Dominus dilectissimi filii pro eo quòd expergefactum fecistis me, quia in Sancta Mutinensi Ecclesia eram, & ibidem Fratris, & Coepiscopi mei Geminiani ipsius Antistitis Ecclesiæ Omnipotenti Domino animam commendavi, & ibidem steti, quousque prædictum Sanctum Corpus sepulcro poneretur. Propter hanc igitur causam, ut veritas probaretur, Cives Ravennates, & Cives Classenses equites miserunt ad superiùs jam dictam Urbem Mutinensem, ut Sancti Viri eloquia comprobarent. Quòd dum requisitus fuisset dies, vel hora, qua B sancta anima B. Geminiani migrasset ad Dominum, dixeruntque; nonne Dominus Severus Pontifex vester ei animam commendavit, & tandiu hic stetit, quousque Corpus ejus sepulcro clauderetur, quo clauso ab oculis nostris repentè evasit? Qui reversi nunciaverunt per ordinem Civibus suis, ut eis narratum fuerat. Ex illo jam die cœperunt sanctitatem ejus ampliùs venerari.

CAPUT SECUNDUM.

S. Severi conjux defuncta eo jubente in latus alterum vertitur, ut filiæ spatium sepulcri præbeat. Ipse inter conjugem, & filiam orans diem obiit. C

CUjus beata Vita Viri apud nos non reperitur descripta Historiâ; sed dicunt quidam, quòd multa mirabilia, prodigiaque per eum Dominus exercuit in Populo, quæ non valuit patefacere stylus noster. Tanta autem illius sanctitas fuisse asseritur, ut ejus defuncta conjux post plurima tempora, evoluta esset in latus. Dum filia Beatissimi Confessoris Christi Severi, Innocentia nomine, vitales auras amisisset, venerunt omnes, ut infra sepulcrum genetricis Vicentiæ corpusculum ponerent, viderunt sepulcrum minimum, dixeruntque; non posunt hic duo requiescere Corpora, quia modicum D est vas. Cum fletuque Domnus ait Severus; oh mulier, cur mihi molesta es? Quare non præbes locum filiæ tuæ? Suscipe quam portasti, ex tua sumpta est carne, nec dubites recipere. Ecce tibi trado, quod mihi dedisti, ne torpeas, unde fuit reversa est. Locum tribue sepeliendi, noli me contristare. Ad cujus vocem sub tanta velocitate suæ conjugis ossa ad semetipsa in partem aliam remota sunt, quanta ea vix animata corpora hominum sic citiùs *movere* (1) potuissent, & filiæ suæ spatium tribuit ad sepeliendum. Factum est autem post hæc, ut sancta anima, quam homines diligebant in terra, divino jussu à sanctis Angelis esset susceptura, E amœno in loco. Sicut enim narrare audivi de transitu Beati Viri, ita vestris auribus intimabo. Quòd cum quadam die Missam celebrasset, & Sacrum Dominici Corporis, & Sanguinem percepisset, stola Pontificale indutus suum jussit aperiri sepulcrum, quod vivus ingressus, inter conjugem, & filiam jacens se jussit claudi, ubi denique orans pretiosam Deo animam reddidit. In tali pace, & tranquillitate defunctus est sub die Kalendarum Februariarum. Et multa mirabilia ad sepulcrum Dominus ostendit in ipsius Ecclesia, quæ sita est in civitate dudum Classis, non longè à regione, quæ dicitur Salutaris usque in præsentem diem.

CAPUT TERTIUM.

Puer infirmus ad S. Severi sepulcrum sanitati restituitur.

ET iterum narrabo vobis, quæ nostris temporibus facta conspeximus. Ad memoriam revoco, ut recordemini. Vir autem unus, qui hodie animatum vivit corpus, cùm parvulus esset, & infirmitate corporis cum sua matre ad sepulcrum Beati Christi Confessoris Severi prostravisset, somnoque omnes arrepti fuissent, solus ille infirmus puer intempestivum noctis expavit, & vocem emisit, cunctos excitavit. Viderunt, quæ ante candelæ extinctæ fuerant, congruo lumine fulgorem micantes. Et cùm vidissent cuncti immensum lumen, territi mente dederunt gloriam Deo, & Severo Confessori ejus. Puer autem cùm in medio eorum deductus fuisset, cœpit mater ejus interrogare eum; quid tibi contigit fili? At ille coram omnibus dixit; vidi ex hoc sepulcro egredientem Virum Episcopali habitu, canicie capitis decoratus, angelico vultu, tetigit me, & expavi. Infirmitas verò pueri statim recessit ab eo, & non ultra febricitavit. Hæc nostris temporibus facta sunt, non solùm hoc, sed & alia multa.

CAPUT QUARTUM.

S. Severi electio ad Episcopatum per columbæ speciem.

DE electione Sancti istius Viri, qui superiùs incœpi, quòd mihi narratum fuit à multis senioribus expleam. Quadam die lanisterii opere prægravatus cùm esset ipse cum conjuge sua, lanificium, ut dixi, nearent officium, ait ad conjugem; vadam, & videbo visionem mirabilem, quomodo de alto Cœlo columba veniet, & super electi caput conscendat. Conjux verò ejus cœpit eum subsannare, & increpare dicens; sede hic, labora, noli otiosus esse; sive ieris, sive non ieris, te Pontificem Populus non ordinabit, revertere ad opus. Ille autem dixit illi; sine me ut vadam, & illa; vade, quia qua hora ieris Pontifex confestim ordinaris. Ille autem surgens perrexit ubi erat cœtus Populi cum Sacerdotibus, & pro vestium deformitate, quia squallida indumenta indutus erat, abscondit se post januam ipsius loci, ubi erant omnes congregati, orantes, & post orationem expletam extemplo venit à Cœlis columba nive candidior, & requievit super caput Beati Severi Confessoris Christi post valvas latitantis. Ille autem dum à se eam compulisset, volitansque per aërem, iterum requievit super eum secundò, & tertiò. Stupefactus omnis *Potemptatus*, (2) qui præsentes astabant, maximas Deo gratias agentes ordinatus est Pontifex. Quo audito conjux ejus, quæ nuper deriserat, postea super eum gratulabatur. Tunc impletus est evangelicus sermo, qui scriptus est; *apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt*, & juxta Pauli vocem; *infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*. Et, ut aiunt quidam, Beatus Eraclianus Pensaurensis Civitatis Episcopus hujus Confessoris Severi fuisse discipulus, & ab eo eruditus sacrâ doctrinâ Episcopalem

(1) *moveri*. Mur.

(2) *Potentatus*. Mur.

Palem tenuit sedem. Sufficiat vobis nunc obsecro, quæ de Beati Severi Vita audistis, ut de reliquorum gestis, Deo suffragante, fari valeamus, & ut vos cum desiderio magis, quàm cum tædio legatis, & immensas Deo gratias agatis, qui est benedictus in secula. Sedit autem annos...... menses...... dies......

CAPUT QUINTUM.

Auctoris in vitam S. Severi meditationes.

SEd quæso dilectissimi, ut curiosiùs intendatis, quantas Omnipotens Deus virtutes suis fidelibus tribuit, ut non solùm vivi de carne, sed etiam mortui de ossibus obedirent, quia ipsa veritas, ait; *si habueritis fidem sicut granum sinapis, diceretis huic arbori moro eradicare, & transplantare in mare, obediret vobis*. Cur inter cæteras herbas granum solum sinapis interposuit? Granum igitur sinapis nisi teratur, illius virtus non agnoscitur; cùm territum fuerit, statim ex eo fortitudo, & dulcedo procedit. Sic & Sancti cùm ad martyrium pervenerunt, prudentia, & humilitas fortia tormenta sustentanda, & verba, vel prælia carnificum non timendo, vel tacendo (*aliqua desunt*). In mansuetudine omnes filios vocaret, quos ex Idolorum cultu pertraxerit Domino est genus martyrii, non tantundem esse videtur? Aliud palàm omnibus, aliud in occulto. In publico martyrium est, ante Præsidem deducitur, trahitur, cæditur, vulneratur, irridetur, subsannatur, vinculis astringitur, vestibulo carceris truditur, & posthæc omnia capite *necatur* (1). Et martyr ille Christi nomen non negat. Occultum martyrium hominis in semetipsum, abstinere, jejunare, vigilare, à malis vitiis cavere, carnalia desideria renunciare, quod sibi non vult fieri, alteri non facere, nullam concupiscentiam seculi detinere, ex suis justa operibus pauperum turbis elimoxinas erogare, ad incredulos, & infideles instanter prædicare, & à cæco errore eripere, & illis viam veritatis, & luminis demonstrare, juxta quod scriptum est; *estote prudentes in bono, & simplices in malo*. Rursus scriptum est; *estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*, & si serpens prudens est, cui ipsa veritas per Salomonem dicit; *non est caput nequius super caput colubri*, & si prudens est, cur ergo scriptum est; *serpens erat callidior cunctis animantibus terræ*? Et si prudens, cur maledictus adeò est inter omnia animantia terræ? *Super pectus, & ventrem tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*? Quare hoc? Quia subduxit hominem de prohibito pomo, cùm mandere fecit. Ingressus est Diabolus in venenoso serpentis gutture, & Protoplastem de Paradiso expulit. Quare non super caudam, aut cùm alio loco traderetur, nisi supra pectus, & ventrem gradietur, *& terram comedens cunctis diebus vitæ tuæ*? Hoc est non ad cœlestia eleves, sed terrena cœnosa coinquinamenta voluptatibus. Sed ideo sanctos prudentes, & sapientes Dominus docet esse, quia serpens quando ab aliquo percutitur, corpus tradit ad flagellandum, solummodo caput abscondit, sic, & sancti flagellantur corpore, & caput omnium nostrûm, quod est Christus, absconditur sub velamen cordis, & orationis. *Et simplices sicut columbæ*. Cùm cæteræ aves fel habeant, hæc ab eo aliena est...... omni amaritudine; sed dulce animal, mansueta avis; & immo columba nomen accepit à plausu alarum, unde percussio alarum apud Grecos περιστερὰ δονία dicitur. Launum columba interpretatur.............. *multa desunt*.

(1) fortè *truncatur*. Bacch.

OBSERVATIONES
AD VITAM
SANCTI SEVERI.

De columbæ apparitione in electione Sanctorum Episcoporum, qui Severum præcessere. Agnelli tempore S. Severi Acta desiderabantur. Translatio Corporum SS. Severi, Vincentiæ, & Innocentiæ Moguntiam.

I. N*Otanda sunt in primis, quæ de S. Severi prodigiosa electione tradit Agnellus, ac ea præcipuè*; cujus Sacerdotium ab Omnipotenti Domino tantùm prædestinatum fuit, ut in illius electione Spiritus Sanctus missus fuisset in specie columbæ; quam omnis Populus viderunt corporalibus oculis, & super ejus caput requievit, unde & in proverbium &c. *Quæ quiden innuere videntur Auctorem hæc narrando intendere specialem explicare divinæ providentiæ modum, quo per columbæ speciem electionem Severi sibi gratam fore demonstravit. Eandem fuisse mentem apparet Luidolphi, qui exhibitus in Actis Sanctorum Bollandianis ad diem primam Februarii, Monachum Ravennatem de S. Severo ita loquentem inducit*; orante autem Populo ecce subitò columba quædam desuper volitans super caput ipsius cunctis cernentibus consedit, quo quidem pro signo accipientes eum Sacerdotio dignum judicabant, alii verò indignè ferentes, quod tam vilibus vestimentis indutus inter primos Civitatis stare præsumpsisset, eum inhonestè, sicut ei uxor evenire optaverat, de Ecclesia exire compulerunt. Altera autem die in Ecclesia latitare volens etiam per columbam proditus solicitabat corda intuentium. Tertia verò die, cùm in Ecclesia positi aliquod signum præstolarentur, ille, qui non in facie, sed in corde videt, & judicat, quasi duritiam illorum increpans, eum sicut priùs per columbam Sacerdotio dignum palàm omnibus demonstravit. *Vitam descriptam censent doctissimi Collectores post annum DCCCXLVI., quo Agarenorum insultus Classi accidere juxta Rubeum, ac proinde post scriptum ab Agnello Librum Pontificalem. Hæc autem videntur conficere nono seculo ad finem procedente id peculiare Ravennæ adscriptum S. Severo, quod posterioribus temporibus commune creditum est omnium eorum, qui post Apollinarem, Severum præcessere. Id suadere videtur tum Agnelli de ea re silentium, tum narrationis modus, quo id primùm accidisse innuit. Clariùs Luidolphus nonnihil loquitur contra communem sensum, narrans, descendente columba super caput Severi, aliquos eum dignum Sacerdotio habuisse, alios secus, qui etiam illum extra Ecclesiam expulerint, nec descensui secundo columbæ obediverint, sed expectaverint signum demonstrari. Quomodo enim hæc ita accidere potuissent, si apud Ravennates compertum ex Prædecessorum Pontificum electionibus fuisset, Virum à Deo Pontificem designari, super cujus caput columba apparebat?*

II. Agnellus tamen ipse videtur rem consuetam indicare, quòd columba visibiliter super caput eligendi

A gendi descenderet, cùm Severum uxori in hæc verba loquentem inducit; vadam, & videbo visionem mirabilem, quomodo de alto Cœlo columba veniet, & super electi caput conscendet. *Quæ quidem nisi prophetico spiritu de propria futura electione dicta à Severo Agnellus voluit, intelligenda sunt de re dudum in electionibus Pontificum accidere consueta. Saltem hæc suffecisse credi possunt, ut ea paulatim invaluerit opinio, omnes ab Aderito ad Severum Pontifices Ravennates inditio columbæ electos fuisse. Inter antiquiora ejus rei documenta recensendum est Ursianæ Ecclesiæ musivum opus supralaudatum in priori Dissertatione, quod, ut ibidem diximus, vetustatis venerabile testimonium est Henschenio, & Papebrochio;* B *illud tamen non nisi anno MCXII. curante Hieremia ejus temporis Episcopo, novimus conditum. Ejusdem ævi est Vita S. Severi descripta in veteri Lectionario, cujus priores, Sanctorum Vitæ antiquiori manu, seculi videlicet undecimi, scriptæ sunt, quod humanissimè commodatum habui ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Cavallo Majoris Ecclesiæ Ravennatis Archidiacono, curante Domino Francisco Nigri, quod quidem Sanctimonialium Sancti Andreæ ejusdem Civitatis juris est. Dolendum autem vitæ S. Severi folium deesse, eam tamen inter Analecta ad Agnellum dandam censeo, cum nonnullis aliis ex eodem Codice descriptis. Antiquior his omnibus est Sanctus Petrus Damiani. At illud attentè considerandum est,* C *Sanctum hunc scriptorem nil ferè ampliùs de columbæ apparitione habere, quàm Agnellus habeat. quinimmo ipsissima ex Agnello verba descripsisse, ubi & ipse Sanctum Severum uxori dicentem inducit*; vadam, & videbo visionem mirabilem, videlicet, quomodo columba de Cœlo veniat, & super electi caput, solito more, consideat. *Vides in Agnelli Historia verba illa desiderari, quæ nodum tangunt*, solito more. *Ea si Petrus Damiani supplevit, argumento sunt, in ea eum fuisse sententia, ut crederet Sancti Severi Prædecessores Pontifices columbæ inditio electos fuisse. Certè duodecimo seculo traditionem illam communem fuisse ostendit Vita S. Severi à Bollando exhibita post alteram prælaudatam antiquiorem Luidolphi, & Ursianæ Ecclesiæ musivum opus, quæ* D *res Recentiores mirabili consensu assertores habet, Baronio silente. Faber congessit ea omnia, quæ Historiam hujusmodi fulcire possunt in opere supracitato, & sæpius adhuc laudando de sacris Ravennatis Ecclesiæ monumentis pag. 345. Porrò, quòd ad me pertinet, puto à pia Ecclesiæ Ravennatis traditione non esse recedendum, illi tamen assentiri nequeo in iis, quæ ibidem tradit cum Rubeo circa tempora constructæ Ecclesiæ illius, quæ nunc Sancti Spiritus titulo nuncupatur. De eo etiam, quod Severus in Antistitem consecratus,* confestim (*quod tradit Rubeus lib. 2.*) in alium mutatus, & Divino miraculo summâ præditus sapientiâ continuò suggestu conscenso concionem habuerit pietatis, doctrinæque plenissimam, in qua prædixerit, ne ampliùs divinitus E columbæ ministerium expectaretur in creandis Ravennatibus Episcopis; *nil habet Agnellus, nil antiquiora documenta, nil Vita S. Severi in supradicto Codice descripta.*

III. Duo paulò infra ex Agnello discimus, primùm quòd Auctoris tempore S. Severi Acta non fuerant conscripta, sed omnia traditione Seniorum nitebantur; ait enim; cujus beata Vita Viri apud nos non reperitur descripta Historiâ. *Quare Agnellus id omnium primus præstitit. Secundùm, Severum plurimis annis sedem tenuisse, cùm uxori diu superstes, filiæ etiam funus* post plurima tempora *curaverit, quam matri miraculosè, Pontifice jubente, se colligenti in sarcophago adjunxit.*

IV. Severi, & SS. Vincentiæ, & Innocentiæ corpora surrepta per Clericum quempiam Felicem nomine ex Ravennati Sacrario, & Ticinum portata, indeque Moguntiam ab Othgario Archiepiscopo, qui eadem post aliquot tempus Erfurdiam transtulit, narrat Luidolphus in superioribus laudatus. Nemini autem negotium creet Agnelli de re tam insigni silentium, qui non modò id narrare neglexerit, sed ita de S. Severo egerit, ac si nullus dubitaverit Corpus ejusdem Ravennæ se scribente servatum, cùm narrat prodigium sua ætate ad ejusdem Sancti Sepulcrum accidisse. Hæc inquam Historiæ Luidolphianæ minimè officiunt, nam licèt Agnellus Pontificalis sui ultimas Vitas scripserit circa annum vulgaris Æræ 480., *priores tamen, usque ad Aurelianum exaravit ante annum* 829., *uti probavi in Observationibus ad versus Operi præfixos Observat. IV. in fine. Eo autem tempore nondum Othgarius in Italiam venerat à Ludovico Imperatore missus ad filium Lotharium pro pace firmanda, cujus occasione Sanctorum Corpora habuit in Germaniam mox transferenda. Baronius equidem Sigeberto Gemblacensi credidit, translationem hujusmodi assignanti anno* 824., *& conjectatus est Othgarium Romam venisse cum Lothario ex Patris mandato ad Eugenium Pontificem se tunc conferente; verùm hæc ea ratione ruunt, quòd anno illo Othgarius nondum Archiepiscopus Moguntinus erat, vivente adhuc Aistulpho, qui anno sequenti decessit. Præterea Luidolphus dissertè tradit, translata Sacra Corpora ab Othgario, cùm is à Ludovico unà cum Hildi Virdunense Antistite, & Uvarino, ac Adalgiso Comitibus missus fuit ad Lotharium Ticini in Italia morantem*, pro pace, & amicitiis inter eos reparandis. *Missio hujusmodi ex Annalibus Bertinianis spectat ad annum* 836., *quo præcedentium annorum dissidia inter Lotharium, & Ludovicum componi posse visa sunt, quæ quidem cœpta ab anno* 830., *anno* 833. *in luctuosa bella eruperunt, de quibus non est, ut plura congeram, cùm in eorum temporum historiis narrata prostent. Anno igitur* 836. *translata sunt Corpora SS. Severi, Vincentiæ, & Innocentiæ, consentientibus Lamberto Schafneburgensi, & Siffrido Presbytero, ac proinde septem, vel octo ad minus annis post Agnelli Vitam S. Severi scribentis tempus. Nil itaque ejusdem silentium veritati officit.*

V. Properante tandem ad finem Operis Agnelliani editione opportunè intelligo Reverendissimum P. D. Petrum Canneturm Classensis Monasterii Abbatem pietate, eruditione, ac humanitate spectatissimum, mihique à multis annis amicitiarum jure conjunctum obtinuisse ab Eminentissimo, & Reverendissimo Archiepiscopo, ac Electore Moguntino insignem Corporis S. Severi partem, qua quidem Sanctissimus Ravennatis Ecclesiæ Præsul post tot secula reverti videtur ad suos. Nequeo equidem, quin hìc gratuler Viro amicissimo pro obtento hujusmodi thesauro, Ravennatique Ecclesiæ reddito, nec video quid beneficii insignius potuisset Ecclesiæ illi celeberrimæ fieri, apud quam ejus rei memoriam æternum duraturam servandam iri certissimè auguror.

VI. Digressio, quæ ad Vitam S. Severi sequitur non habet, quod observetur, licèt barbariem undique sonet. Sequentium item trium Episcoporum Vitæ nil observatione dignum continent, præter ea, quæ ad Chronologiam spectant. Sit itaque.

DIS-

DISSERTATIO SECUNDA
CHRONOLOGICO-HISTORICA
De ætate Episcoporum Ravennatum, qui floruere à Severo ad Petrum.

Rubei, & Fabri sententiæ de Liberio II., Probo, Florentio, ac Liberio III. Ursi Episcopi ætas apud Agnellum delitescens. Rubeus multifariè emendatus.

I. R*Ubeus post Agapitum illum, quem in scenam produxit, ut fictitio Romano Concilio subscribentem ejus nominis Episcopum Ravennatem haberet, Liberium sufficit, qui reverà Severo successit, de eo autem hæc paucula habet*; cujus (*Agapiti videlicet*) exigua (*immo nulla apud probatos*) fit mentio, parùm admodum in Archiepiscopatu vixerit, quemadmodum & Liberius II. illi suffectus, qui optimè de Ecclesia Ravennati meritus, muneribusque perfunctus, quæ ad egregium Antistitem spectare viderentur, cùm decessisset pridie Idus Quintiles, sepultus est in Divorum Petri, & Pauli Templo. Probum successorem accepit, senem omni virtutum genere cumulatissimum. *Infra verò de Probo*; Ravennæ sub id tempus Probus Archiepiscopus decessit pridie Nonas Martii, sepulturæque traditus in monumento Liberii. Florentius successit per idem ferè tempus, quo Julianus Cæsar solus....... Regno potitus &c. *Ab hoc Florentio Episcopo Damasum Pontificem narrat petiisse Sanctorum reliquias, quas Romæ honesto loco collocaret, versibus exornaret. Hunc ait defunctum Damasi Pontificatu, Flaviis Valentiniano, Valente, & Gratiano Imperatoribus, sextodecimo Kal. Decembris, sepultumque in Divæ Petronillæ Templo ad Divorum Petri, & Pauli, cujus tumulo inscriptum fuerit* Liberius Florentius, *& conjecturas nonnullas adjicit. Demum ait*; Florentio in Archiepiscopatu Ravennati Liberius III. successor est datus, quem plerique Liverium, Oliverium alii appellant, summa Vir sanctitate, orationis flumen fundens, cùm ad Populum concionaretur. *De morte Liberii hujus hæc habet*; Fuit autem id (*Theodosii videlicet in Imperii consortium cooptatio*) non multò postquam Ravennatum Archiepiscopus Liberius vità decedens tertio Kal. Januarii in Divi Pullionis, quòd suo tempore fuerat exædificatum, sepulturæ locum habuit. Illi subrogatur Ursus. *Narraverat autem Liberii tempore Valentinianum obiisse, Gratiano succedente, & ubi Liberii mortem exhibet, margini adscribit annum CCCLXXVIII.*

II. Fabrus Liberium II. eum esse ait, quem Divorum cultu Ecclesia Ravennas veneratur, quemque dicit biennio sedem tenuisse, mortuum anno CCCLI. die duodecima Augusti, sepultumque in Ecclesia Sanctorum Petri, & Pauli. Adjicit, quotannis festum ejus celebrari tertio Kal. Januarii, licèt ejus mors notata fuerit die quartadecima Julii ex illius confusione cum Liberio ejus nominis tertio, qui verè obierit supradicta die trigesima Decembris. Probum ait decem annis sedisse, ac obiisse anno CCCLI. die sexta Maji, sepultumque cum Prædecessore suo, ex quo cùm Liberii Corpus elevaretur, cinis in eodem sarcophago inventus,

A *Probi hujus creditus est. Florentium tradit obiisse die sextadecima Novembris anno CCCLXXIV., sepultumque in Divæ Petronillæ, & Epitaphium exhibet*, Liberius Florentius, *de quo Rubeus laudatus. Liberio III. quatuor annorum sedem concedit, eumque obiisse ait anno CCCLXXVII. die trigesima Decembris, sepultumque in Divi Pullionis, unde Ferretus translatum dicit in S. Petri Majoris Ecclesiam, & Prædecessoris sepulcro conditum.*

III. Temporum rationem minimè constare, non est cur ulteriori sermone probemus, qui supra S. Severi initia, & sedis finem expendimus; cùm enim ad annum CCCXCI. ejusdem vitam productam post Mediolanense Concilium, in quo Ge- B *minianus Mutinensis subscripsit, ostenderimus, consequitur post id temporis laudatos Episcopos sedisse. Quanto autem tempore sederint, incertum est, nec legitimis documentis probari potest. Illud argumento rite esse queat, longiori sedisse Liberium III., quòd Liberii II. Probi, ac Florentii nil ferè habuerit memoriæ mandandum Agnellus; quæ enim Rubeus de Sanctorum reliquiis à Damaso Romano Pontifice petitis narrat, nullo modo probantur, cùm Romæ effossis Cœmeteriis habuerit Damasus sacrarum reliquiarum copiam, qua & pietatem exerceret, & sacræ poesi indulgeret. De prioribus duobus Agnellus nec diem obitus, nec sepulturæ locum novit. Id me cogit, ut existimem contra Fabri sententiam, Liberium, quem ut San-* C *ctum Ravennas Ecclesia veneratur, non ejus nominis secundum, sed tertium potiùs esse, quòd ab antiquissimis temporibus dies ei festus tertio Kal. Januarii decretus sit, uti notarum marginalium ad Agnelli textum Auctor admonet, & quòd Agnellus ipse notum sibi, & Ravennatibus, Liberii III. sepulcrum dicat. Literæ præterea tumulo Florentii inscriptæ* Liberius Florentius *indicant eodem sepulcro duos tumulatos Episcopos, & nisi obstaret diversitas locorum ab Agnello asserta, conjici posset, cineres inventos in eadem Liberii arca, non Probi, sed Florentii fuisse, cujus, posterioribus seculis, sicut & Liberii III. Corpora eodem sarcophago condita, & in Sanctorum Petri,* E *& Pauli Templum translata sint. Nec Rubeus, nec alii epigraphis supradictæ sensum explicant, nec fortè integram epigraphem dedere; nec altera similiter explicatur, quam Fabrus veteri Liberii II. sepulcro sculptam tradit D. N. LIVERIUS A. R. S. Liverii nomen pro Liberio III. videtur litem dirimere, si is, ut Rubeus, Fabrusque tradunt, Liverius etiam dictus fuit. Verùm si literas A. R. S., ut quidem arbitror, interpretari velimus* Archiepiscopus Ravennas sepultus, *recentioris ævi inscriptionem esse constabit, cùm laudatorum Episcoporum seculo, Episcopi, non Archiepiscopi, dicerentur Antistites Ravennates.*

IV. Illud mirari subit, quod meritò Rubeus ipse mira-

miratus est, Liberii III. videlicet tempore, traditum apud Ravennates, Valentinianum Majorem Augustum Ravennæ obtruncatum fuisse, ac ob id seditionem ingentem in Populo exortam; Valentiniani enim Senioris, seu Majoris, ut cum Paulo Diacono, Jornandeque loqui amat Agnellus, mortem alibi, & aliàs accidisse, communi veterum Scriptorum calculo constat. Rubeus id nominis asserit fuisse Patricio Ravennati, qui Liberii hujus ævo per seditionem occisus sit, cui Felix successerit eodem fato obnoxius, & defunctus anno CCCCXXX., licèt ibi eundem dicat anno præcedenti à Placidia Patriciatus honore auctum. At credere renuo, cùm de Felicis successione sibimetipsi minimè constet, & spatium assertum ab Valentiniani Patricii obitu circa annum CCCLXXVII. consignato ad obitum Felicis anno CCCCXXX. narratum annorum LIII., nimis enorme videatur, cùm munus hujusmodi Viris probatissimis, & rerum experientiâ clarissimis demandaretur. Quòd si constaret, Patricium ejus nominis Ravennæ extitisse Felicis prædecessorem, aptiùs ad initia quinti seculi, imperantibus Arcadio, & Honorio, spectare decerneretur, quo tempore, ex dictis, & mox dicendis, sedisse Liberium III. sentio. Porrò anno CCCCVIII. ob Stilichonis cædem nonnihil seditionis Ravennæ tentatum per ejus servos, familiaresque, auctor est Rubeus ipse, testatus plerosque id tradere. Verùm quid hæc seditio ad narrata ab Agnello?

V. Ea in re nihil probabilius occurrit, quàm credere, Liberium II., Probum, ac Florentium potuisse brevi paucorum mensium spatio anno CCCXCI. sedisse, ita ut Liberius III. circa initia anni CCCXCII. Episcopus sit renunciatus, quare dum Valentinianus Valentiniani Senioris, & Justinæ filius ab Arbogaste apud Viennam in Galliis occisus interiit, Ravennæ Populi tumultus aliquis factus sit, ex quibus rebus confici potuerit traditio per παραχρονισμὸν varia, diversoque tempore, ac loco acta, in unum conflans, & Valentiniano Juniori Majoris nomen affigens, quod etiam Valentiniano III. datum video in privilegio, recentiori impostura supposito, Ecclesiæ Ravennatis, de quo in Diss. de Hierarch. Eccl. Orig. part. 3. Illud suadet Theodosii Senioris tempore Liberium hunc floruisse, quod Christianorum res auctas, & Gentilium numerum imminutum tradit Agnellus, id enim apprime piissimi illius Imperatoris ævo quadrat.

VI. Quod ad Sancti Ursi ætatem spectat, illud primo loco stabiliendæ Ravennatum Episcoporum successioni tricas injicit, quòd, cùm Agnellus dissertè tradat, Ursum vitam cum morte commutavisse Idibus Aprilis ipso sanctæ Resurrectionis die, quo olim Templum à se ædificatum dedicaverat, cum nullo ex annis Paschatis componi potest dies tertiadecima Aprilis, qui numerantur ab CCCXCVI. usque ad CCCCLXIX. Sicut autem Ursi mors differri nequit usque ad hunc annum, ita contingere non potuit priori; licèt enim brevissimè sedisse diceremus Liberium III., quem ægrè etiam electum anno CCCXCII. ex conjecturis supra sustineri posse cognovimus, adhuc breve nimis Ursi tempus fuisset, nec sufficiens insigni Templo construendo, dedicandoque, cujus etiam dedicationi per annum ad minus supervixisset, ut recurrente sancto Paschatis die vitam cum morte commutaverit. Cùm tamen validæ me rationes compulerint, prout in superioribus ostensum est ad Sancti Severi Vitam post annum CCCXC. producendam, nullo modo à priori sententia recedendum arbitror, nec assentiri ideo possum Rubeo, Cajetanove, quorum prior lib. 2. Hist. Ravenn., alter

A Tomo primo de Sanctis Siculis, Ursi mortem anno CCCLXXXV., Cyclo Lunæ VI., Solis II. litera Dominicali E consignat. Sed nec doctissimis Henschenio, Papebrochioque, qui immeritò subdubitant, an obiisse potuerit anno CCCXCVI., Cyclo Lunæ XVII., Solis XIII., literis Dominicalibus F E ad diem 13. Aprilis, cùm meminisse debuissent dictorum ad diem primam Februarii de Sancto Severo agendo, cujus obitum accidisse sentiunt circa annum CCCXC. cum Hæreo sibi laudato; sex enim annorum spatium sufficere non potest quatuor Episcoporum sedi, quorum postremus ea præstitit, quibus hujusmodi spatium vix suffecisset.

VII. Quò igitur omnia sibi ritè constent, videndum est, an ullo modo intelligi possint Agnelli verba, quo minimè cogamur Acta S. Severi, Sanctique Geminiani invertere, unde omnia in dubium

B vocentur. Satius enim videri debet aliquo modo à verborum rigore recedere Scriptoris quidem pro seculi genio barbari, quàm à tradita chronotaxi abludere, præcedentium, & subsequentium ratione apertè repugnante. Cùm itaque videam anno CCCCXII. Paschatis festum incidisse in diem 14. Aprilis Cyclo Solis I., Lunæ XIV., literis Dominicalibus G F, crediderim eo anno decessisse Ursum Episcopum, die videlicet 13., quo Paschale Festum incipiebat, & sub ejusdem noctis initium, in qua sanctæ Resurrectionis Mysteria celebrabantur; constat enim aliud Paschatis nomine minimè intelligi apud Patres, & Concilia, quàm

C Sabbati Sancti dies, cùm de Baptismatis collatione agitur, quod tamen in Paschate faciendum cavent. Sic inter cæteros, quos longum esset referre, Tertullianus lib. de Baptismo, Siricius epist. cap. 2., Gelasius primus epist. 9. Leo epist. 4. ad Episcopos Siciliæ, Gregorius Magnus sæpius, apud quos etiam Baptisma ipsum, Baptismus Paschalis vocatur. Paschalis itaque dies, sive Resurrectionis incipiebat Ecclesiastico more Sabbati Sancti horâ tertiâ, qua benedictio Fontis, & initiatio Competentium fiebat, cum cæteris, quæ ita protrahebantur, ut nocte demum subsequente Cerei benedictio, & Missarum solemnia fierent. Ita Ordines Romani antiquissimi, quos publici juris fecerunt Menardus, Thomasius, Mabillonius, aliique.

D Quæ quidem antiquissimi ritus esse in Ecclesia ostendit Ennodius, cujus extant binæ Cerei Paschalis benedictiones, quamvis de eo minimè locutum Prudentium in hymno noverint Eruditi. Sic Sabbatum Sanctum, Sabbatum Paschæ dicitur in veteri libro Sacramentorum manuscripto in Eminentissimi Otthoboni Bibliotheca, in quo ante Baptizandorum exorcismum hæc habentur; Oratio in Sabbato Paschæ ad Reddentes; dicit Dominus Papa post Pisteusis; Item ad catechizandum infantes; nec te latet Satanas &c. Quod eò magis astruit Ursum die sancto Resurrectionis obiisse, licèt ad Vesperam Sabbati decesserit, cùm Vespere demum solemnia ipsa Resurrectionis inciperent, id enim pleraque Missæ ejus, & cære-

E moniarum clamant, quibus hìc juvat addere ex veteri Codice Manuscripto Monasterii Neapolitani Olivetanorum, Benedictionem, qua Pontifex ante Communionem benedicebat Populo, ex iis, quæ cuilibet anni festo assignatæ in eodem Codice descriptæ sunt, de quarum Benedictionum usu Cardinalis Bona lib. 2. rerum Liturgic. c. 16. agit. Benedictio autem illa cum titulo talis est; In Sabbato Sancto. Deus, qui de Ecclesiæ suæ intemerato utero novos Populos producens, eam in virginitate manentem nova semper prole fœcundat, fidei, spei, & charitatis vos munere repleat, & suæ vobis benedictionis dona infundat. Amen. Et qui hanc sacratissimam noctem Re-

Redemptoris nostri Resurrectione voluit illustrare, mentes vestras peccatorum tenebris mundatas, virtutum radiis faciat coruscare. Amen. Quo eorum, qui modò renati sunt innocentiam imitari certetis, & vascula mentium vestrarum exemplo præsentium luminum illustretis, ut cum bonorum operum lampadibus ad ejus Sponsi thalamum, cujus Resurrectionem celebratis, cum prudentibus Virginibus intrare possitis. Amen. Quod ipse &c. *At in re clarissima me lucem exquirere video; Leo enim Magnus, qui paulò post ea tempora floruit, dubium omne tollit, ubi de Sacris Episcoporum ordinationibus epist. 89. hæc habet*; Non passim, sed die legitimo ordinatio celebretur, nec sibi constare statum sui noverit firmitatem, qui Sabbati vesperi, quod lucessit in prima Sabbati, vel ipso Dominico die non fuerit ordinatus. *Ex veteri igitur Ecclesiæ ritu, utræque Vesperæ Dominicæ cujuslibet, ac proinde Paschalis etiam, diem Ecclesiasticum claudebant. Ita intelligitur, quid in subsequentibus velit Resurrectionis Dominicæ diem eo honore dignum ex Patrum sensu asserens. Plura in re satis aperta addenda suppeterent, sed hæc sufficere crediderim. Stet igitur, Ursum anno prædicto CCCCXII. die 13. Aprilis obiisse ad vesperam.*

VIII. Quod si constaret, Ecclesiæ Ursianæ dedicationem factam die 13. Aprilis, sicut constat, eandem Sanctæ Resurrectionis die celebratam ex Agnello, haberemus argumentum, quo ferè ad annum regrederemur Pontificatus Ursiani proximum primo; Pascha enim eodem die 14. Aprilis celebratum est anno CCCCVII., Cyclo Solis XXIV., Lunæ IX., litera Dominicali F. quare Liberii III. sedem ad annum CCCC. finisse intelligentes, Ursumque circa ea tempora electum, Ecclesia Ursiana non modò finiri, sed & cœpisse ædificari potuisset, & demum dedicari eodem Festo Paschatis, ac eodem die Ecclesiastico recurrente, quo tandem Ursus ex hac vita migravit. In eodem Codice, ex quo Agnellum descripsi (scriptus est autem Codex ex Apographo antiquiori circa tempora Constantiensis Concilii) habetur Indiculus dierum, quibus, ex antiquo Ecclesiæ Ravennatis more, cujuslibet Ecclesiæ urbis illius celebratur dedicationis memoria, in quo dedicatio Majoris Ecclesiæ consignatur, ut nunc, die ipsa 13. Aprilis. Ex eo apparet, veterem esse traditionem de die ipsa 13. mensis ejusdem, qua recurrente Paschali solemnitate, & Ursus obiit, & Basilica est dedicata. Id autem commodiùs obtineri non potest, ut factum credamus, quàm si ad Pascha quartadecima die celebratum Aprilis convertamur, qua obiisse nocte antecedenti diei 13. subsecuta, cum præcedenti CCCCVII. eodem Resurrectionis Sabbato dedicata fuisset, ne, si Pascha celebratum quæramus die 13. Aprilis, cogamur longiùs regredi ab Ursi ætate. Tunc temporis ædificatum insigne Templum ita habebimus, quo Honorius Imperator Ravennæ assiduè degens, ut apparet ex Codicibus Theodosiano, Justinianeoque, & legibus ibidem datis, quas Rubeus diligentissimè annis suis consignavit, opus ipsum Imperiali munificentia promovere potuit; id enim probabilius existimo, quàm quod sine teste asseritur, Ursum videlicet ex opulentissimo Siculo patrimonio, cujus decedens Ursianam Ecclesiam hæredem instituit, Templum hujusmodi ædificasse. Solemnis enim Augustorum mos Ecclesiam urbis ornandi, ditandique, ubi degebant, cùm alia etiam rationum momenta suadeant, ut Honorium potiùs credam, & Siculos redditus Ursianæ Ecclesiæ legasse, & sumptus ipsos erogasse, quibus Templum insigne conderetur, & dedicaretur.

A *IX. Vix autem divinare possum, quid in causa fuerit, cur Rubeus, qui cum cæteris quibusque ante se eandem Spartam ornandam nactis, ex Agnello totius ferè Historiæ Ravennatis seriem sumpsit, Agnellum sæpius neglexerit. Porrò legerat Ursum obiisse die 13. Aprilis, die Sancto Resurrectionis Dominicæ, quo olim Ursianam Ecclesiam dedicaverat, quam proinde ἁγίαν ἀνάστασιν nominandam censuerit. Qui igitur Ursum eundem obiisse fieri potuit, ut Rubeus tradit, post sedem viginti annorum ab anno CCCLXXVIII., quo fuerat, i so auctore, electus, anno videlicet CCCXCVIII., quo Pascha die 21. Martii celebratum fuit, Cyclo Solis XV., Lunæ XIX., litera Dominicali C.? Fabrus ex Rubeo errorem hausit, & auxit asserens Ecclesiam Ursianam anno CCCLXXXIV. die Aprilis 13. dedicatam*, quo die, *ait*, incidit eo anno Paschæ solennitas. *Anno tamen illo haud asserto die, sed longè alio Pascha celebratum est, videlicet 24. Martii, Cyclo Solis I., Lunæ V., literis Dominicalibus GF. Octavius Cajetanus Rubeum, & Fabrum secutus, hos eosdem errores errat, & ab illis recedens in alios incidit crisi notatos ab eruditissimis Actorum Sanctorum Collectoribus, ubi exhibent Vitam ab eodem concinnatam ex Rubeo, & ex quodam Ravennate monumento. Ita in Historiarum negotio error semel admissus erroribus augetur. Nullus sanè video, cur Rubeus, qui ex arbitrio Episcoporum Ravennatum Vitas, sedesque ampliat, & contrahit, ut Agnelli characterem Paschatis servaret, saltem non protraxerit Ursi Vitam, usque ad annum CCCXCVI., quo retento potuisset Ursianam Ecclesiam dedicatam tradere ante undecim annos, anno videlicet CCCLXXXV., septimo ab ejus electionis anno, siquidem Rubeus eundem electum tradit anno CCCLXXVIII. Id certè ipse libentissimè admisissem, nisi obstassent, quæ in superioribus dictum est, & infra dicentur obstare.*

X. At rerum à Rubeo propinatarum, quæ sustineri nequeunt, nondum finis. Tradit (& ex eo Fabrus, Cajetanus, cæterique) Bassianum Syracusanum Romæ cœlitus monitum Ravennam ad Ursum Episcopum affinem suum venisse, qui postmodum ab Exuperantio Ravennatum Archiepiscopo, sive ab hoc Urso, ut alii arbitrantur (*sic sæpius loqui amat Rubeus*) Laudis Pompejæ Episcopus factus est &c. *Qui Rufum Capuanum Episcopum ab Apollinari creatum dixerat, potuit Bassianum Episcopum Laudis Pompejæ ad Mediolanensem Ecclesiam spectantis, à Ravennate item Episcopo ordinatum tradere. At hæc quomodolibet fuerint, dudum ex Actis Sancti Bassiani ad diem 19. Januarii à Bollando traditis observaverunt ad diem 13. Aprilis Henschenius, Sociique Chronologiæ rationem minimè subsistere. Omisso enim, quòd Bassianus dicatur quidem Ravennæ fuisse in ejus Actis, sed nulla de Urso Episcopo, nulla de Bassiani cum Urso affinitate mentio habeatur; cùm etiam narretur Bassianus Laude obiisse nonagenarius anno CCCCXI., vel CCCCXIII., postquam sedisset annis XXXV., fit, vel ante Ursum biennio, vel eodem saltem anno, quo Ursus Episcopus est renunciatus, Bassianum Episcopum consecratum fuisse, si quidem, ut Rubeo placet, Ursus ipse anno CCCLXXVIII. sedere cœpit. Hæc ferè ad Vitas quatuor laudatorum Pontificum ad Chronologiam spectantia adnotanda erant; in cæteris vix quidquam observari dignum occurrit.*

miratus est, *Liberii III. videlicet tempore*, *traditum apud Ravennates*, *Valentinianum Majorem Augustum Ravennæ obtruncatum fuisse*, *ac ob id seditionem ingentem in Populo exortam*; *Valentiniani enim Senioris*, *seu Majoris*, *ut cum Paulo Diacono*, *Jornandeque loqui amat Agnellus*, *mortem alibi*, *& aliàs accidisse*, *communi veterum Scriptorum calculo constat*. *Rubeus id nominis asserit fuisse Patricio Ravennati*, *qui Liberii hujus ævo per seditionem occisus sit*, *cui Felix successerit eodem fato obnoxius*, *& defunctus anno CCCCXXX.*, *licèt ibi eundem dicat anno præcedenti à Placidia Patriciatus honore auctum*. *At credere renuo*, *cùm de Felicis successione sibimetipsi minimè constet*, *& spatium assertum ab Valentiniani Patricii obitu circa annum CCCLXXVII. consignato ad obitum Felicis anno CCCCXXX. narratum annorum LIII.*, *nimis enorme videatur*, *cùm munus hujusmodi Viris probatissimis*, *& rerum experientiâ clarissimis demandaretur*. *Quòd si constaret*, *Patricium ejus nominis Ravennæ extitisse Felicis prædecessorem*, *aptiùs ad initia quinti seculi*, *imperantibus Arcadio*, *& Honorio*, *spectare decerneretur*, *quo tempore*, *ex dictis*, *& mox dicendis*, *sedisse Liberium III. sentio*. *Porrò anno CCCCVIII. ob Stilichonis cædem nonnihil seditionis Ravennæ tentatum per ejus servos*, *familiaresque*, *auctor est Rubeus ipse*, *testatus plerosque id tradere*. *Verùm quid hæc seditio ad narrata ab Agnello?*

V. Ea in re nihil probabilius occurrit, *quàm credere*, *Liberium II.*, *Probum*, *ac Florentium potuisse brevi paucorum mensium spatio anno CCCXCI. sedisse*, *ita ut Liberius III. circa initia anni CCCXCII. Episcopus sit renunciatus*, *quare dum Valentinianus Valentiniani Senioris*, *& Justinæ filius ab Arbogaste apud Viennam in Galliis occisus interiit*, *Ravennæ Populi tumultus aliquis factus sit*, *ex quibus rebus confici potuerit traditio per* παραχρονίσμων *varia*, *diversoque tempore*, *ac loco acta*, *in unum conflans*, *& Valentiniano Juniori Majoris nomen affigens*, *quod etiam Valentiniano III. datum video in privilegio*, *recentiori impostura supposito*, *Ecclesiæ Ravennatis*, *de quo in Diss. de Hierarch. Eccl. Orig. part. 3. Illud suadet Theodosii Senioris tempore Liberium hunc floruisse*, *quod Christianorum res auctas*, *& Gentilium numerum imminutum tradit Agnellus*, *id enim apprime piissimi illius Imperatoris ævo quadrat*.

VI. Quod ad Sancti Ursi ætatem spectat, *illud primo loco stabiliendæ Ravennatum Episcoporum successioni tricas injicit*, *quòd*, *cùm Agnellus disertè tradat*, *Ursum vitam cum morte commutavisse Idibus Aprilis ipso sanctæ Resurrectionis die*, *quo olim Templum à se ædificatum dedicaverat*, *cum nullo ex annis Paschatis componi potest dies tertiadecima Aprilis*, *qui numerantur ab CCCXCVI. usque ad CCCCLXIX. Sicut autem Ursi mors differri nequit usque ad hunc annum*, *ita contingere non potuit priori*; *licèt enim brevissimè sedisse diceremus Liberium III.*, *quem ægrè etiam electum anno CCCXCII. ex conjecturis supra sustineri posse cognovimus*, *adhuc breve nimis Ursi tempus fuisset*, *nec sufficiens insigni Templo construendo*, *dedicandoque*, *cujus etiam dedicationi per annum ad minus supervixisset*, *ut recurrente sancto Paschatis die vitam cum morte commutaverit*. *Cùm tamen validæ me rationes compulerint*, *prout in superioribus ostensum est ad Sancti Severi Vitam post annum CCCXC. producendam*, *nullo modo à priori sententia recedendum arbitror*, *nec assentiri ideo possum Rubeo*, *Cajetanove*, *quorum prior lib. 2. Hist. Ravenn.*, *alter Tomo primo de Sanctis Siculis*, *Ursi mortem anno CCCLXXXV.*, *Cyclo Lunæ VI.*, *Solis II. litera Dominicali E consignat*. *Sed nec doctissimis Henschenio*, *Papebrochioque*, *qui immeritò subdubitant*, *an obiisse potuerit anno CCCXCVI.*, *Cyclo Lunæ XVII.*, *Solis XIII.*, *literis Dominicalibus F E ad diem 13. Aprilis*, *cùm meminisse debuissent dictorum ad diem primam Februarii de Sancto Severo agendo*, *cujus obitum accidisse sentiunt circa annum CCCXC. cum Hæreo sibi laudato*; *sex enim annorum spatium sufficere non potest quatuor Episcoporum sedi*, *quorum postremus ea præstitit*, *quibus hujusmodi spatium vix suffecisset*.

VII. Quò igitur omnia sibi ritè constent, *videndum est*, *an ullo modo intelligi possint Agnelli verba*, *quo minimè cogamur Acta S. Severi*, *Sanctique Geminiani invertere*, *unde omnia in dubium vocentur*. *Satius enim videri debet aliquo modo à verborum rigore recedere Scriptoris quidem pro seculi genio barbari*, *quàm à tradita chronotaxi abludere*, *præcedentium*, *& subsequentium ratione apertè repugnante*. *Cùm itaque videam anno CCCCXII. Paschatis festum incidisse in diem 14. Aprilis Cyclo Solis I.*, *Lunæ XIV.*, *literis Dominicalibus G F*, *crediderim eo anno decessisse Ursum Episcopum*, *die videlicet 13.*, *quo Paschale Festum incipiebat*, *& sub ejusdem noctis initium*, *in qua sanctæ Resurrectionis Mysteria celebrabantur*; *constat enim aliud Paschatis nomine minimè intelligi apud Patres*, *& Concilia*, *quàm Sabbati Sancti dies*, *cùm de Baptismatis collatione agitur*, *quod tamen in Paschate faciendum cavent*. *Sic inter cæteros*, *quos longum esset referre*, *Tertullianus lib. de Baptismo*, *Siricius epist. cap. 2.*, *Gelasius primus epist. 9. Leo epist. 4. ad Episcopos Siciliæ*, *Gregorius Magnus sæpius*, *apud quos etiam Baptisma ipsum*, *Baptismus Paschalis vocatur*. *Paschalis itaque dies*, *sive Resurrectionis incipiebat Ecclesiastico more Sabbati Sancti horâ tertiâ*, *qua benedictio Fontis*, *& initiatio Competentium fiebat*, *cum cæteris*, *quæ ita protrahebantur*, *ut nocte demum subsequente Cerei benedictio*, *& Missarum solemnia fierent*. *Ita Ordines Romani antiquissimi*, *quos publici juris fecerunt Menardus*, *Thomasius*, *Mabillonius*, *aliique*. *Quæ quidem antiquissimi ritus esse in Ecclesia ostendit Ennodius*, *cujus extant binæ Cerei Paschalis benedictiones*, *quamvis de eo minimè locutum Prudentium in hymno noverint Eruditi*. *Sic Sabbatum Sanctum*, *Sabbatum Paschæ dicitur in veteri libro Sacramentorum manuscripto in Eminentissimi Ottboboni Bibliotheca*, *in quo ante Baptizandorum exorcismum hæc habentur*; Oratio in Sabbato Paschæ ad Reddentes; dicit Dominus Papa post Pisteusis; Item ad catechizandum infantes; nec te latet Satanas &c. *Quod eò magis astruit Ursum die sancto Resurrectionis obiisse*, *licèt ad Vesperam Sabbati decesserit*, *cùm Vespere demum solemnia ipsa Resurrectionis inciperent*, *id enim pleraque Missæ ejus*, *& cæremoniarum clamant*, *quibus hic juvat addere ex veteri Codice Manuscripto Monasterii Neapolitani Olivetanorum*, *Benedictionem*, *qua Pontifex ante Communionem benedicebat Populo*, *ex iis*, *quæ cuilibet anni festo assignatæ in eodem Codice descriptæ sunt*, *de quarum Benedictionum usu Cardinalis Bona lib. 2. rerum Liturgic. c. 16. agit*. *Benedictio autem illa cum titulo talis est*; In Sabbato Sancto. Deus, qui de Ecclesiæ suæ intemerato utero novos Populos producens, eam in virginitate manentem nova semper prole fœcundat, fidei, spei, & charitatis vos munere repleat, & suæ vobis benedictionis dona infundat. Amen. Et qui hanc sacratissimam noctem Re-

Redemptoris nostri Resurrectione voluit illustrare, mentes vestras peccatorum tenebris mundatas, virtutum radiis faciat coruscare. Amen. Quo eorum, qui modò renati sunt innocentiam imitari certetis, & vascula mentium vestrarum exemplo præsentium luminum illustretis, ut cum bonorum operum lampadibus ad ejus Sponsi thalamum, cujus Resurrectionem celebratis, cum prudentibus Virginibus intrare possitis. Amen. Quod ipse &c. *At in re clarissima me lucem exquirere video; Leo enim Magnus, qui paulò post ea tempora floruit, dubium omne tollit, ubi de Sacris Episcoporum ordinationibus epist. 89. hæc habet;* Non passim, sed die legitimo ordinatio celebretur, nec sibi constare status sui noverit firmitatem, qui Sabbati vesperi, quod lucessit in prima Sabbati, vel ipso Dominico die non fuerit ordinatus. *Ex veteri igitur Ecclesiæ ritu, utraque Vesperæ Dominicæ cujuslibet, ac proinde Paschalis etiam, diem Ecclesiasticum claudebant. Ita intelligitur, quid in subsequentibus velit Resurrectionis Dominicæ diem eo honore dignum ex Patrum sensu asserens. Plura in re satis aperta addenda suppeterent, sed hæc sufficere crediderim. Stet igitur, Ursum anno prædicto CCCCXII. die 13. Aprilis obiisse ad vesperam.*

VIII. Quod si constaret, Ecclesiæ Ursianæ dedicationem factam die 13. Aprilis, sicut constat, eandem Sanctæ Resurrectionis die celebratam ex Agnello, haberemus argumentum, quo ferè ad annum regrederemur Pontificatus Ursiani proximum primo; Pascha enim eodem die 14. Aprilis celebratum est anno CCCCVII., Cyclo Solis XXIV., Lunæ IX., litera Dominicali F. quare Liberii III. sedem ad annum CCCC. finiisse intelligentes, Ursumque circa ea tempora electum, Ecclesia Ursiana non modò finiri, sed & cœpisse ædificari potuisset, & demum dedicari eodem Festo Paschatis, ac eodem die Ecclesiastico recurrente, quo tandem Ursus ex hac vita migravit. In eodem Codice, ex quo Agnellum descripsi (scriptus est autem Codex ex Apographo antiquiori circa tempora Constantiensis Concilii) habetur Indiculus dierum, quibus, ex antiquo Ecclesiæ Ravennatis more, cujuslibet Ecclesiæ urbis illius celebratur dedicationis memoria, in quo dedicatio Majoris Ecclesiæ consignatur, ut nunc, die ipsa 13. Aprilis. Ex eo apparet, veterem esse traditionem de die ipsa 13. mensis ejusdem, qua recurrente Paschali solemnitate, & Ursus obiit, & Basilica est dedicata. Id autem commodiùs obtineri non potest, ut factum credamus, quàm si ad Pascha quartadecima die celebratum Aprilis convertamur, qua obiisse nocte antecedenti diei 13. subsecuta, cum præcedenti CCCCVII. eodem Resurrectionis Sabbato dedicata fuisset, ne, si Pascha celebratum quæramus die 13. Aprilis, cogamur longiùs regredi ab Ursi ætate. Tunc temporis ædificatum insigne Templum ita habebimus, quo Honorius Imperator Ravennæ assiduè degens, ut apparet ex Codicibus Theodosiano, Justinianeoque, & legibus ibidem datis, quas Rubeus diligentissimè annis suis consignavit, opus ipsum Imperiali munificentia promovere potuit; id enim probabilius existimo, quàm quod sine teste asseritur, Ursum videlicet ex opulentissimo Siculo patrimonio, cujus decedens Ursianam Ecclesiam hæredem instituit, Templum hujusmodi ædificasse. Solemnis enim Augustorum mos Ecclesiam urbis ornandi, ditandique, ubi degebant, cùm alia etiam rationum momenta suadeant, ut Honorium potiùs credam, & Siculos redditus Ursianæ Ecclesiæ legasse, & sumptus ipsos erogasse, quibus Templum insigne conderetur, & dedicaretur.

IX. Vix autem divinare possum, quid in causa fuerit, cur Rubeus, qui cum cæteris quibusque ante se eandem Spartam ornandam nactis, ex Agnello totius ferè Historiæ Ravennatis seriem sumpsit, Agnellum sæpius neglexerit. Porrò legerat Ursum obiisse die 13. Aprilis, die Sancto Resurrectionis Dominicæ, quo olim Ursianam Ecclesiam dedicaverat, quam proinde ἁγίαν ἀνάστασιν *nominandam censuerit. Qui igitur Ursum eundem obiisse fieri potuit, ut Rubeus tradit, post sedem viginti annorum ab anno CCCLXXVIII., quo fuerat, ipso auctore, electus, anno videlicet CCCXCVIII., quo Pascha die 21. Martii celebratum fuit, Cyclo Solis XV., Lunæ XIX., litera Dominicali C.? Fabrus ex Rubeo errorem hausit, & auxit asserens Ecclesiam Ursianam anno CCCLXXXIV. die Aprilis 13. dedicatam,* quo die, *ait,* incidit eo anno Paschæ solennitas. *Anno tamen illo haud asserto die, sed longè alio Pascha celebratum est, videlicet 24. Martii, Cyclo Solis I., Lunæ V., literis Dominicalibus GF. Octavius Cajetanus Rubeum, & Fabrum secutus, hos eosdem errores errat, & ab illis recedens in alios incidit crisi notatos ab eruditissimis Actorum Sanctorum Collectoribus, ubi exhibent Vitam ab eodem concinnatam ex Rubeo, & ex quodam Ravennate monumento. Ita in Historiarum negotio error semel admissus erroribus augetur. Nullus sanè video, cur Rubeus, qui ex arbitrio Episcoporum Ravennatum Vitas, sedesque ampliat, & contrahit, ut Agnelli characterem Paschatis servaret, saltem non protraxerit Ursi Vitam, usque ad annum CCCXCVI., quo retento potuisset Ursianam Ecclesiam dedicatam tradere ante undecim annos, anno videlicet CCCLXXXV., septimo ab ejus electionis anno, siquidem Rubeus eundem electum tradit anno CCCLXXVIII. Id certè ipse libentissimè admisissem, nisi obstarent, quæ in superioribus dictum est, & infra dicentur obstare.*

X. At rerum à Rubeo propinatarum, quæ sustineri nequeunt, nondum finis. Tradit (& ex eo Fabrus, Cajetanus, cæterique) Bassianum Syracusanum Romæ cœlitus monitum Ravennam ad Ursum Episcopum affinem suum venisse, qui postmodum ab Exuperantio Ravennatum Archiepiscopo, sive ab hoc Urso, ut alii arbitrantur (*sic sæpius loqui amat Rubeus*) Laudis Pompeiæ Episcopus factus est &c. *Qui Rufum Capuanum Episcopum ab Apollinari creatum dixerat, potuit Bassianum Episcopum Laudis Pompeiæ ad Mediolanensem Ecclesiam spectantis, à Ravennate item Episcopo ordinatum tradere. At hæc quomodolibet fuerint, dudum ex Actis Sancti Bassiani ad diem 19. Januarii à Bollando traditis observaverunt ad diem 13. Aprilis Henschenius, Sociique Chronologiæ rationem minimè subsistere. Omisso enim, quòd Bassianus dicatur quidem Ravennæ fuisse in ejus Actis, sed nulla de Urso Episcopo, nulla de Bassiani cum Urso affinitate mentio habeatur; cùm etiam narretur Bassianus Laude obiisse nonagenarius anno CCCCXI., vel CCCCXIII., postquam sedisset annis XXXV., fit, vel ante Ursum biennio, vel eodem saltem anno, quo Ursus Episcopus est renunciatus, Bassianum Episcopum consecratum fuisse, si quidem, ut Rubeo placet, Ursus ipse anno CCCLXXVIII. sedere cœpit. Hæc ferè ad Vitas quatuor laudatorum Pontificum ad Chronologiam spectantia adnotanda erant; in cæteris vix quidquam observari dignum occurrit.*

VITA SANCTI LIBERII II.

CAPUT UNICUM.

Liberii elogium. Omnia incerta.

DE SANCTO LIBERIO.

Liberius XII. præcipuus Vir, orphanorum, Pater largus eleemosynis Pontificatum in pace rexit. Evangelicam prædicationem verissimè custodivit, juxta quòd scriptum est; *in patientia vestra possidebitis animas vestras*. Nil alterius quidpiam subripuit, vel oc- A cupavit, ex suis justis laboribus Deum honoravit. Post obitum suæ vitæ officiosissimè sepultus est, & æternam requiem possidet. Nam de supradicta Vita Liberii quantum retinui, vobis disserui. Sedit autem hic Beatissimus annos...... mens...... dies......

VITA SANCTI PROBI II.

CAPUT UNICUM.

Sancti Probi elogium, & obitus.

DE SANCTO PROBO.

Probus XIII. pinguis Divinâ gratiâ, & speciosus formâ, decrepitus ætate, gravis corpore, hilaris vultu, cœlesti perfusus gratia, roboratus Deum semper quæsivit. Iste non cessavit suas admonere oves, sed ingens prædicator extitit. Tanta autem excellentia divinitatis fuit in eo, ut eruditos sapientia spiritali superaret, & B ineruditos gratiâ Spiritus Sancti reficeret. Qui circa vicinam mortem positus, Angelorum contemplatus agmina lætus, & exultans tendens ad sydera palmas, flammantia lumina clausit, & reddidit Spiritum; sepultusque est iste Beatissimus, ut suspicatus sum, cum Prædecessore suo. Sedit autem annos...... mens...... dies......

VITA SANCTI FLORENTII.

CAPUT UNICUM.

Sancti Florentii elogium, obitus, & sepulcrum.

DE SANCTO FLORENTIO.

Florentius XIV. justus homo, pater pauperum, & rector viduarum, magnus prædicator, humilis, mansuetus, & pius, exhortans quotidie oves suas, ut ad portum salutis, & pœnitentiæ fructus citiùs C confugerent. Sepultus est hic Sanctus Vir in Monasterio Sanctæ Petronillæ, hærens muris Ecclesiæ Apostolorum. Rexit Ecclesiam suam annis...... mensibus...... diebus......

VITA SANCTI LIBERII III.

CAPUT UNICUM.

Sancti Liberii pastoralis cura. Valentiniani mors asserta; Pontificis sepulcrum.

DE SANCTO LIBERIO.

Liberius XV. Vir Sanctus, pulcher fuit in forma, clarior in sensu. *Latifluam* (1) habuit eloquentiam, fuit enim verus Dei cultor, Paganorum in bonis seductor, Idolorum destructor, sub cujus temporibus cœpit pars Paganorum minuere, & Sancta Ecclesia ex Christiano Populo populari. Cujus tanta mansuetudo fuit, ut non Dominus à suis Sacerdotibus vocaretur, sed quasi unus ex ipsis consacerdotibus cognominaretur. Solummodo inter eos Pontificalis tituli solio præcedebat. Exhortabatur iste quotidie erubescentes pœnitentiam, ut cum fiducia deberent accedere. A Istius denique temporibus occisus est Valentinianus Augustus Major extra Portam Artemetoris non longè ad stadium tabulæ prope Campum Corianthri, & seditio maxima in Populo fuit, & multi vulnerati in loco, qui dicitur puteus benedictus, missusque extra Ravennæ mœnia Augustus, interfectorum manibus finivit vitam. Sepultus est in Monasterio Sancti Pullionis, (2) quod suis temporibus ædificatum est, non longè à Porta, quæ vocatur nova, cujus sepulcrum nobis cognitum est. Sedit autem prædictus Antistes annos...... mens...... dies......

VITA SANCTI URSI.

CAPUT UNICUM.

Ecclesiæ Ursianæ constructio. Sancti Ursi obitus, sepulcrum, imago.

DE SANCTO URSO.

URsus XVI. castissimus corpore, sanctissimus in opere, tensam, & pulcram habuit faciem, modicè calvus fuit. Iste primus hic initiavit Templum construere Dei, ut plebes Christianorum, quæ in singulis tuguriis vagabant in unum ovile piissimus colligeret Pastor. Nunquam suam Ecclesiam polluit, nec Spiritum Sanctum vendidit, nec de impositionis manu aliqua afferendo munera suam dexteram porrexit. Igitur ædificavit iste Beatissimus Præsul infra hanc Civitatem Ravennam Sanctam Catholicam Ecclesiam, quò omnes assiduè concurrimus, quam de suo nomine Ursianam nominavit. Ipse eam suis temporibus fundavit, &, Deo juvante, usque ad effectum perduxit. C Lapidibus pretiosissimis parietibus circumdedit, super totius Templi testudinem tessellis variis diversas figuras composuit. Omnis autem populus, quasi vir unus spontaneus animus laborabat lætus, & gaudens, & de Cœlis Deum cumlaudabat, *qui* (3) prosperabatur salus in manibus eorum per intercessionem sui Sacerdotis, & Confessoris. Qui *Cuserius* (4), & Paulus unam parietem exornaverunt parte mulierum juxta *Altare* (5) Sanctæ Anastasiæ, quod fecit Agatho. Ipsa est paries, ubi columnæ sunt positæ in ordinem usque ad numerum de *positis* (6) majorem. Aliam verò parietem parte virorum comptitaverunt *Janus* (7), & Ste- B phanus usque ad prædictam januam, & hinc, atque illinc gypseis metallis diversa hominum, animaliumque, & quadrupedum ænigmata inciserunt, & valde optimè composuerunt. Sita est jam dicta Ecclesia in regione Herculana. Ideo Herculana dicitur, quia ab Hercule consecrata fuit non longè à Posterula Vinceleonis, eò quòd Vincilius ipsam ædificavit. Habitabat autem Sanctissimus Vir infra Episcopium, qui est positus juxta fossam amnis, quæ egreditur de loco, qui vocatur Organaria, emanans sub ponte Pistorum; mira magnitudine, & tota ædificali *machina* (8) constructa, ubi nunc destructum stabulum esse videtur. Post hæc verò omnia consummata, & ædificia pleniter constructa, infirmitatem modicam sensit corporis, & quasi eructans reddidit spiritum Idus Aprilis. In tali pace, & tranquillitate vitam finivit in die sancto Resurrectionis; & in tali verò die ab eo dedicata est ipsa Ecclesia, & vocata ANASTASIS. Sepultusque, ut asserunt quidam, in jam dicta Ecclesia Ursiana, quæ est Anastasis, quam ipse construxit, ante Altare subtus porphyreticum lapidem, ubi Pontifex stat, quando Missam canit. Quamobrem non post multum tempus ejus sanctitas claruit, & in Musivo Cameræ Tribunæ Beati Apollinaris nomen illius unà cum sua imagine *S. Ursus* descriptus est. Sedit annos XXVI. menses...... dies......

(1) *Lætifluam*. Mur.
(2) *III. Kal. Januarii celebratur*. Bacch.
(3) *quia*. Mur.
(4) *Euserius*. Bacch.
(5) *Altarium*. Mur.
(6) *postis*. Mur.
(7) *Satius*. Bacch.
(8) *madico*. Bacch.

OBSERVATIONES
AD VITAM
SANCTI URSI.

Ecclesiæ an Ravennæ extiterint ante S. Ursi ætatem. S. Ursus prior ex effigie cognitus. Cujas fuerit. Descriptoris sphalma.

I. *ADnotandum in hac S. Ursi Vita, quòd Agnellus dicat usque ad S. Ursi tempora* plebem Christianorum in singulis tuguriis *orationis causâ* vagasse, *eumque Episcopum* primum fuisse, qui initiaverit Templum construere Dei. *Quæ quidem ita intelligenda sunt, ut prænarratis in S. Severi Vita minimè obstent, in qua, & Ecclesia Ravennæ fuisse dicitur, & in ea plebs congregata asseritur, ubi sacra Synaxis peragebatur, ac pro novo Pontifice eligendo congregabatur cœtus Episcoporum, & Populi. Id itaque eò solùm tendit, ut Ecclesiarum Ravennatum rude, & inelegans opus ostendatur, earum videlicet, quæ constructæ fuerant Ravennæ ante tempora S. Ursi, qui omnium primus de Templo eleganti excitando cogitavit. Artificum, qui Templi parietes exornavere, nomina in margine adnotavi, qualia Rubeus in Historia exhibet, retentis in Textu, quæ Codex Estensis probabiliter corrupta habet. Conjeci è contra in marginem vocem ignotæ significationis* Madicho, *& suo loco reposui* machina, *quod monuisse sufficiat.*

A

II. Omnium Episcoporum primus hic est, quorum faciem Agnellus ex veteri Musivo exhibet. Cùm antiquissima illa manufacta perierit, plurimis sanè faciendum est, quòd eorum rudis licèt delineatio ab Auctore, qui eam vidit, expressa remanserit. Cujas autem fuerit Ursus incertum manet, nec Cajetani, aliorumve sententiæ astruendæ quidquam suppetit, quinimo si fides Agnello habenda est, ex Syriæ partibus venisse affirmandum est Ursum, etenim Auctor, ut aliàs adnotavi, infra in Vita Petri expressè ait; A' tempore Beati Apollinaris una cum isto Viro (*Petro videlicet*) Prædecessores sui Syriæ fuerunt. *Sicuti autem reor ex Honorii Augusti liberalitate* B *Siciliæ ditiones Ursiano Templo accessisse, quæ Sanctæ Ravennatis Ecclesiæ Patrimonium sunt dictæ, ita & ob id credo Sanctorum Siculorum Agathæ, Luciæ, Eupulique cultum haberi cœpisse Ravennæ.*

III. Non est ut quidquam nos remoretur, vel negotium faciat nota adscripta annorum XXVI., cùm ex dictis supra in Dissertatione manifestò appareat spatium temporis hujusmodi S. Ursi sedi minimè posse tribui. Sphalma igitur Descriptoris illud esse consequens est, de quo emendando facilè cogitare poterit, qui pertractata perpendet, & præcedentium, ac subsecutorum Episcoporum seriem considerabit. Porrò illud extra omnem dubii aleam positum censeo, quòd S. Ursi Episcopi tempus vix duodecim annorum circulo impletum sit, nec ultra annum CCCCXIII. progressum. C

DISSERTATIO TERTIA
HISTORICO-CHRONOLOGICA

De ætate Episcoporum Ravennatum, qui floruere à Petro ejus nominis primo ad Ecclesium.

PARS PRIOR

Exponuntur tricæ, quæ ex Agnello, & aliis documentis historiam, & chronologiam impediunt.

I. *AD implicatissima Agnelli loca pervenimus, in quibus temporum rationem aptè disponere, nisi ex conjecturis fiat, vix sperandum. Usque in hanc diem fiderunt Eruditi quotquot de Ravennatis Ecclesiæ Episcopis scripsere Hieronymi Rubei Historiæ, qui licèt ex fide documentorum omnia se digessisse asseveret; apparet tamen sæpius conjecturis tantum ædificasse, quod necessitas ipsa suadebat. Ipse cùm nonnisi eodem medio salebras superare cogar, ut qui conatus meos legerint, æqui, bonique consulant, tricas omnes in unum exponendas primùm duxi, quatenus ex rei difficultate Censores eorum quæ ad nodum implicatissimum dissolvendum adjiciam, benigniores efficiam.*

II. Agnellus hoc ordine Episcopos Ravennates recenset. Petrus, Neo, Exuperantius, Johannes, Petrus cognomento Chrysologus, Aurelianus, Ecclesius. Petrum ejus nominis priorem tradit celebris Templi ab ejus nomine Petriani dicti conditorem, licèt eundem dicat Successori reliquisse finiendum.

D

De ejus mortis tempore hæc habet; Cùm verò cœpisset Valentinianus imperare, in ipso introitu Imperii ejus Beatus iste Petrus vitâ expoliatus vitam finivit. *Valentinianus autem tertius, cui soli hæc applicabilia sunt, imperare cœpit anno Æræ vulgaris CCCCXXV. cum Theodosio Juniore, qui Imperii sui annum decimumoctavum agebat. Hinc ait;* Istius temporibus Gallam Placidiam Augustam multa dona in Ecclesia Ravennæ obtulisse. *Galla Placidia Valentiniani laudati mater, extincto Johanne Tyranno cum filio anno eodem in Italia regnare cœpit. Defunctum Petrum tradit pridie Kal. Augusti. Neonem Petro successorem adjicit,* qui, *ait,* ædificator fuit suprascriptæ Ecclesiæ Petrianæ, cujus funditus aliquam partem Antecessor construxerat, *quibus consummatis eundem mortuum dicit tertio Idus Februarii. Exuperantii tempore cùm retulisset Felicem Patricium occisum mense Maji addit;* & facta est Domina Eudoxia Augusta Ravennæ octavo Idus Augusti. *Valentinianus Eudoxiam Theodosii filiam uxorem accepit circa an-* E

num CCCCXXXVI., quam, cùm apud Aquilejam hyemasset, Ravennam duxisse refert anno post nuptias sequenti Marcellinus in Chronico, cujus rei Socrates meminit lib. 7. cap. 43., diversis tamen signatis Consulibus. Exuperantius mortuus traditur tertio Kal. Junii.

III. Hucusque omnia commodè procederent, nisi illud unum obstaret, inveniri inter Leonis cognomento Magni Pontificis epistolas, illam, quæ quondam in prioribus editionibus numerabatur trigesima septima, nunc verò in Quesnellii editione centesimo trigesimo quinto loco est posita, quam dudum Martiani Consulatu signatam, scriptam credidit Baronius anno CCCCLI., Quesnellius verò existimat pro Martiano Majoranum reponendum, & ad annum CCCCLVIII. referendam. Ejus epistolæ titulus scriptam præfert Leoni Ravennati Episcopo, Baronius autem, & cæteri Baronium secuti mendum inesse in Episcopi nomine arbitrantur, & Leonis loco legendum esse Neoni, vel Neone. Hinc Rubeus Neonem loco movit, ac Petro Chrysologo successorem dedit lib. 2. pag. 109., & Baronii conjecturæ, ut quidem arbitror, prælusit.

IV. Verùm salebras mirum in modum auget Agnellus in Vita S. Johannis cognomento Angeloptis. Ac primò quidem illud mirabile offendes, quòd cùm narraverit à Lauricio ex pietatis instinctu Honorio Imperatori illudente, cujus erat Major cubiculi, & quo jubente Regia Domus ædificanda commissa fuerat, Ecclesiam S. Laurentii constructam, ac Lauricium ipsum dixerit d functum nonagenario majorem ipsius Imperatoris temporibus, cujus funus curaverit Augustus ipse cum militibus lugentibus; adjicit tamen ex Musivo inscriptionem hujusmodi, ex qua Ecclesiam Sanctorum Gervasii, & Protasii à Lauricio ipso post Honorii mortem conditam novimus. Inscriptio hæc est; Stephano, Protasio, Gervasio, B. Martyrio, & sibi memoriæ æternæ Lauricius dedicavit sub die III. Kal. Octobris, Theodosio XV., & Placido Valentiniano........ Ita sanè in Codice Estensi legitur, licèt Rubeus lib. 2. pag. 94. legat; Stephano, Protasio, Gervasio, B. Martyrio, & sibi memoriæ Lauricius dedicavit sub die III. Kal. Octobris, Theodosio XI., & Placido Valentiniano Coss. Ita quidem Rubeus, qui tamen mutato etiam Consulatu Theodosii XV. in XI. difficultatem non tollit, constat enim Consulatum XI. anno ipsi convenire, quo primò Valentinianus Augustus est renunciatus ex Socrate, Prospero, Marcellino, quare Honorius decesserat Mariniano, & Asclepiodoro Coss., nec inficiatur Rubeus ipse, qui Honorii mortem anno CCCCXXIII. consignat. Quæ autem Lauricio accidisse narrat Agnellus ob Ecclesiæ S. Laurentii constructionem, ea tempori, quo Johannes sedit deputat, licèt antea tradiderit, Petrum Episcopum eo ipso anno decessisse, quo Valentinianus imperare cœpit.

V. At implicatissima sunt, quæ sequuntur: Johannem etenim eundem Attilæ Ravennæ incumbenti occurrisse tradit, &, quod mirabilius est, postquam Pons Apollinaris Ravennæ arserat nocte in Paschate quarto Nonas Aprilis, Theodorico, qui Odoacrem devicerat, Ravennam intranti, Johannem ipsum portas aperuisse, & obviam ivisse cum crucibus, & thuribulis, ac sanctis Evangeliis. Attila autem non nisi circa annum CCCCLII. Ravennam venisse potuit, qui paulò post occubuit; Theodoricus verò ad annum CCCCXCIII. Ravennam Odoacre profligato obtinuit. His recensitis Agnellus denuo dissertè narrat, Johannem à Valentiniano dilectum, & ab eodem Augusto amplissimum Ravennati Ecclesiæ privilegium tributum, cùm constet Valentinianum anno CCCCLV. obiisse.

Adjicit insuper à Galla Placidia, Singledaque constructas munificentissimè Ecclesias. Hinc Aquilejam captam memorat, ac demum defunctum Johannem dicit Nonis Junii, adscripto tempore Episcopatus annorum XVI., mensium X., dierum XVIII., cùm tamen, si omnium memoratorum ratio habenda esset, oporteret Johannem ipsum plusquam septuaginta annis in Episcopatu sedisse.

VI. His non obstantibus Johanni Petrum cognomento Chrysologum sufficit, quem à Sixto ejus nominis tertio mirabili visione intercedente electum memorat. Sixtus autem sedere cœpit anno CCCCXXXII., seditque usque ad CCCCXXXX. Petri Epistolam ad Eutycheten datam ex parte refert, & eum cum Galla Placidia ait curasse funus Sancti Barbatiani, quem obiisse dicit tertio Nonas Decembris.

VII. Aurelianum Petri successorem facit, de quo tamen nil habens quod tradat, multis conqueritur de onere sibi à fratribus imposito, Episcoporum videlicet Ravennatum Vitas scribendi, cui ferendo se imparem dicit, & verba ex verbis nectit.

VIII. Ecclesium denique tunc temporis Episcopum Ravennatum fuisse ostendit, cum Theodorico jubente Johannes Romanus Pontifex Constantinopolim profectus est, ait enim; inchoatio verò ædificationis Ecclesiæ S. Vitalis parata est ab Juliano postquam reversus est prædictus Ecclesius Pontifex cum Johanne Papa Romam de Constantinopoli cum cæteris Episcopis missi à Theodorico in legationem, sicut superiùs audistis. Egerat autem de profectione illa Johannis Romani Pontificis, Ecclesii, & aliorum Episcoporum, sicut & de aliis ad Theodoricum spectantibus in Vita S. Johannis cognomento Angeloptis. Hinc loquitur de dissidio inter Episcopum, & Clericos Ravennatis Ecclesiæ transactione dirempto, quam calculo suo, literisque firmavit Felix Romanus Pontifex, qui anno DXXX. sedere cœpit. Concludit universa assignato Ecclesii Episcopatui spatio annorum X., mensium V., dierum VII. Successoris Ursicini tempore, subdit Athalaricum Regem mortuum Ravennæ sexto Nonas Octobris, quòd non nisi anno DXXXV. accidisse constat.

IX. Nodo implicando accedunt, tricisque, quas sibimetipsi nectit Agnellus, non modò ea, quæ de S. Petri Chrysologi ætate controvertuntur, cum adnotante Dominico Mita, qui ejusdem sermones illustravit, vitamque scripsit, existimaverint docti Viri, Petrum usque ad Symmachi Pontificis tempora vitam produxisse, antequam Rubeus Historiam scriberet, cùm observassent duobus in Conciliis sub eo Pontifice Actis Petrum subscripsisse. Sed & Simplicii item Papæ celebris epistola secundo loco inter cæteras collocata, dieque XXIX. Junii anni CCCCLXXXII. conscripta est, qua Johannem Episcopum Ravennatem severè arguit, quòd Gregorium invitum Episcopum ordinaverit; ex qua nullus dubitandi locus relinquitur, quin Simplicii tempore, eoque anno Johannes Ravennæ Episcopus sederit. Hæc ferè sunt, quæ Historiam Ravennatis Ecclesiæ, & chronologiam ad integrum seculum spectantem ita turbant, ut vix sperare liceat ex tot ambagibus, ac parachronismatum tenebris evadere.

PARS ALTERA.

Quæritur probabilis modus Episcoporum seriem disponendi. Rubei anomaliæ referuntur. Agnelli probabilia ab improbabilibus discernuntur. Neoni locus restitutus. Reliqua series disposita.

I. PRimùm itaque censeo ex relatis ab Agnello tenenda esse, quæ commodè sustineri possunt; nec enim præstat integrum corpus perdere, quia pars ejusdem ulcus patitur. Id fecisse videtur Rubeus, qui seriem recensitorum Episcoporum in hunc modum disponit; Ursi Episcopi initia anno CCCXXVIII. consignat, ejusdemque obitum anno CCCXCVIII. Eo anno Exuperantium sedisse ait, ac obiisse CCCCXVIII.; hinc Johannis Angelum videntis initia sumit, cujus obitum ad annum CCCCXXXII. profert, quo Petrum Chrysologum Episcopatu auctum exhibet, quem obiisse dicit CCCCL. Inde Neonem Episcopum cognoscit, cujus obitum alligat anno CCCCLIV. Eo ipso Johannis alterius Episcopi initia signat, quem obiisse ait CCCCXCIV. Sequenti anno Petri alterius, quem Juniorem dicit, initia laudat, & obitum illius anno DIII. consignat. Eodem anno Aurelianum sedere cœpisse tradit, qui obierit DXIV., quo electus Ecclesius usque ad annum DXLII. vitam, & Episcopatum protraxerit. Disposita serie Ursum defunctum eo anno, quo Pascha nullo modo ad diem 13. Aprilis pertinuit, consignat, quod supra adnotavimus in secunda Dissertatione cum cæteris ad eam rem spectantibus. Exuperantio, quem multorum annorum Episcopum facit, negligit Eudoxiæ Valentiniani sponsæ adventum, synchronum facere, de qua re agit sub Johanne Angelopte ad annum CCCCXXIV., ejusque tempore dedicatum ait Sacellum à Lauricio ædificatum, & addit; neque enim de toto eo D. Laurentii Templo intelligi hæc dedicatio potest, eo quòd tempora non consentiunt, neque enim Honorius, cujus tempore dedicatum est, ad hanc diem vixit. Inscriptionem refert anno Consulatus Theodosii diverso ab eo, qui in nostro Codice legitur, ut supra visum est, dissimulatque, quod Agnellus tradiderat, mortuum videlicet Lauricium Honorio superstite. Privilegium Johanni à Valentiniano datum exhibet. Felicis cædem, quam Agnellus sub Exuperantio accidisse tradiderat, ad Johannis tempora trahit, & hunc obiisse ait Nonis Quintilibus. Adjicit aliqua ex altera Johannis Vita, quæ circumferantur de Johanne hocce, ac inter cætera miraculum de Infante vitæ reddito, quia defunctus fuerat ante Chrismatis Sacri unctionem, ut mater ejusdem anxiè optaverat, quod Agnellus de Damiano Episcopo infra narrat. Petro sedente, Eudoxiam Valentiniani uxorem Ravennam deductam ait an. CCCCXXXVIII. Agnello credit asserenti D. Barbatiani defuncti funus à Galla Placidia, & à Petro Chrysologo curatum. Literas à Leone Neoni scriptas asserit anno CCCCLI., Neonemque tradit D. Petri Templum majus ædificasse, & addit; sunt tamen qui scribant, D. Petri Majoris Templum à Petro Chrysologo inceptum Neonem absolvisse. D. Johannis insuper ad Fontem, & Tricolis à Petro ædificari cœpti ex parte conditorem dicit, licèt eidem breve admodum sedis spatium tribuat. Johanni II. adscribit ea, quæ Agnellus Angelopti tribuerat ad Attilam, & Theodoricum spectantia, eidemque à Simplicio Romano Pontifice epistolam scriptam ait. Concilium Ravennas in causa Schismatis sub Symmacho celebratum tradit Petro sedente, quem etiam interfuisse Synodis Romanis asserit. Ab hoc narrat Templum Petrianum in classe cœptum, illique affigit, quæ Agnellus Petro Neonis prædecessori adscripserat, sicut & quod narraverat de Corpore ejusdem à se invento, & recognito. Pauca Aureliano adscribit. De Ecclesio ea refert quæ Agnellus, si annorum quibus ille eundem sedisse tradit, spatium excipias. Qui post Rubeum scripsere, Rubeum secuti sunt.

II. Ex his omnibus ea retinenda arbitror, quæ testibus, ac documentis legitimis commendantur, cætera ita emendanda, ut quantùm fieri potest Agnello fides servetur, cujus si cuncta invertantur, fiet omnino, ut Historia Ravennas universa, quæ ferè Agnello Auctori nititur, in dubium revocetur. Solidè itaque constare arbitror, Symmachi tempore Petrum Ravennæ sedisse, cùm ejus rei certitudinem efficiant legitima eorum, quibus interfuit, Conciliorum Acta. Certum etiam statuo Petrum Chrysologum à laudato diversum Eutychetis hæretici, & Leonis Pontificis tempore. Id enim astruunt illius hæresis Historia, Chrysologi sermones nonnulli, inter quos 145., & ejusdem epistola, de qua suo loco, quem etiam ad Petri alterius dies pertingere non potuisse ex eo conficitur, quòd Simplicio sedente Johannes Ravennæ Episcopus floruerit. Neonem verò contra Agnelli fidem post Petrum Chrysologum sedisse non videtur concludenter probari ex asserta Johannis epistola. Quesnelli rationes urgent, mendosam esse Consulis adscripti notam, quidquid in contrarium regerat C. V. Pagius Dissert. Hypat. part. 3. cap. p. num. 6. & seqq.; cùm enim cæteræ omnes Leonis epistolæ anno CCCCLI. Martiano, & Adelphio Coss., Adelphium tantùm exprimant pro more scribentis, qui, cùm alterum ex Consulibus nominat, Occidentalem Orientali omisso eligit, hæc Orientalem Occidentali neglecto adnotat. Præterea adscribendi Consulis modus diversus est à Leonis more, qui solet non Consulatu, ut ibi, sed Consule, vel Consulibus scribere. Demum epistola scripta est ex occasione redeuntium à Barbarorum captivitate, de Baptismo quorum dubitabatur, cùm tamen eo anno nondum Barbari circa Æmiliæ, Flaminiæve Regiones occasionem quæstioni dedissent. His admissis, si cum Quesnellio Majoranum pro Martiano scribendum contendamus, manifestò apparet anno CCCCLVIII. scriptam epistolam Johanne Ravennæ sedente, qui Attilæ occurrerat, cùm Attilæ ejusdem obitus ultra annum CCCCLIV. differri non possit, & Ravennam accedere non potuerit post annum CCCCLIII. Inde patet non potuisse Neonem obiisse an. CCCCLIV., quod ait Rubeus, quinimo vix inter Petrum Chrysologum, & Johannem locum esse ubi collocetur Neo, si Baronio assentiamur asserenti epistolam ad Eutychetem scriptam anno CCCCXLIX, Attilamque à Leone Magno regredi coactum anno CCCCLII., quare Johannes necessariò electus fuisset anno CCCCLI. ipso Martiani Consulatu: quæ quidem cùm ita sint, & cùm epistolæ illius titulus mendosus sit deprehensus, qui Leoni scriptam præferebat, existimo mendosam etiam denominationem Ravennatis Leoni illi, seu Neoni affictam, vel corruptam ex altera simili voce. Quid ni Ravenii Episcopi Arelatensis nomen corruptum ibi cubet, ad quem alias epistolas à Leone Pontifice datas per ea tempora novimus, quibus Gallias miserè ab Attila vastatas tradunt Scriptores? Quidquid tamen de hac emendandi ratione sit, illud constare arbitror, inscriptionem hujusmodi medium esse insufficiens, quo Neonis Ravennæ Episcopi tempus stabiliatur, adeò ut, si quidem commodè fieri potest, locus eidem ab Agnello tributus servari debeat.

III.

III. Johannem itaque ab Angelopte diversum immediatè post Petrum Chrysologum sedisse arbitror, qui diu sedem tenuerit, cujus propterea memoria usque ad Agnelli ætatem remanserit. Cùm autem inter Johannem priorem, & secundum solus Petrus Chrysologus sederit, uterque sanctitate floruerit, Valentiniano, Placidiæque Augustæ carus, inde ortum credo, ut amborum Acta in unum confusa sint, & confusè tradita. Nec ut Johannes ille, cui Simplicius Papa scripsit, diversus credatur à Johanne, qui Attilam placavit, puto sufficere, quòd hujus mores abhorrere videantur ab alterius moribus, viroque opinione sanctitais claro indignum existimetur, quòd invitum Episcopum ordinaverit, & ob eam rem acri reprehensione à Romano Pontifice corrigi meruerit. Porrò ex eadem Simplicii epistola apparet Prædecessorem Johannis illius, cui scribitur, similem errorem admisisse, qui invitum ordinaverit Sacerdotem; quare vel unum, vel alterum Johanni illi, qvi opinione sanctitatis floruit, adscribendum est. Teneo itaque Johannem eundem circa annum CCCCL. electum, ad annum CCCCXCVI. obiisse, cui Petrus alter successerit, qui Symmachi tempore floruerit, cui Aurelianus suffectus sit Hormisdæ ævo defunctus, Ecclesio succedente, quæ sanè mirum in modum confirmantur ex versibus infra apud Agnellum legendis in Vita Maximiani Episcopi.

IV. Reliqua, quibus reprobandis argumenta ex synchronis testibus, legitimisque documentis minimè suppetunt, & ab Agnello sunt tradita, ita tenenda existimo, ut quæ inter se repugnant, salva Episcoporum serie, emendentur, cui, quantùm licuerit, insistendum reor, ex eo quòd illam Agnello notam ex dypticis credam, & videam potuisse quidem accidere, ut eadem nomina in unum conflata sint, sed minimè sit probabile seriem ipsam nominum toto cœlo diversorum inversam esse. Petrum, qui Symmachi temporibus floruit, haud fortasse Agnello omissum arbitror, sed Vitam ejus deperditam credo. Regulam itaque præmissam sequens, Agnello fidem habendam existimo, asserenti Petrum Episcopum Ursi successorem diem eo anno obiisse, quo Valentinianus Augustus est renunciatus, anno videlicet CCCCXXV., eumque fundamenta Petriani Templi *jecisse* murum per circuitum ædificando, sed non omnia complendo, *ut ipsius Agnelli verbis utar. An Corpus ab Auctore inventum in Ecclesia S. Jacobi ad Fontem Petriani Templi, fuerit Petri illius primi, vel secundi, necne, ambigo: nullus autem dubito, quin imago, quam Galla Placidia fieri jussit, & tessellis ornari in pariete Ecclesiæ S. Johannis* Evangelistæ, *imago fuerit Petri ejus nominis primi, cùm secundus multò post Gallæ obitum decesserit. Dona ab eadem Deo dicata spectavere non ad Ecclesiam Petrianam, sed ad Ursianam, ait enim Agnellus;* istius Petri temporibus Galla Placidia Augusta multa dona in Ecclesia Ravennæ obtulit.

V. Petro suffectum Neonem eodem anno CCCCXXV. existimo, qui tandiu vixerit, quandiu Valentiniano, & Galla Placidia juvantibus Petrianam Ecclesiam perficere, Fontes Ursianæ Ecclesiæ ornare, ejusdem cameras musivo opere decorare, Domum quinque Dagubitarum construere, & reliqua ad effectum perducere, quæ Agnellus narrat, potuerit. Quare existimo, illum circa annum CCCCXXX. obiisse tertio Idus Februarii. Eodem anno Exuperantius electus est, cujus Acta obscura efficiunt, ut credam brevì sedisse. Potuit tamen ejus temporibus B. Agnetis Ecclesia construi à Gemello Subdiacono, & Rectore Siciliæ, quam tamen post ejus obitum consummaverit. Potuit & Felix Patricius ad gradus Ecclesiæ Ursianæ trucidari. Hunc Idacius in Chronico eodem anno Patricium ordinatum dicit, quo Valentinianus Cæsar est factus, Marcellinus autem Ravennæ occisum tradit Theodosio XIII., & Valentiniano III. Coss., quòd evincit anno CCCCXXX. Exuperantium sedisse. At nullo modo protrahi potest ejus sedes usque ad annum CCCCXXXVII., quo Eudoxia Valentiniani uxor Ravennam venit. Quòd ait, Exuperantium Civitatem argenteam in processu *construxisse, sensum ambiguum habet, quæ enim præcedunt, & subsequuntur, indicant potiùs id intelligi debere de donario quopiam B. Agneti oblato, quàm de Argentæ loco ædificato, quod voluere Recentiores, cum notarum marginalium auctore. Censeo igitur quarto Kal. Junii anni CCCCXXXII. obiisse Exuperantium, subrogatumque Johannem Angeloptis cognomento celebrem, qui Sacellum Divis Stephano, Gervasio, & Protasio dicaverit, à Lauricio constructum Theodosio XV., & Valentiniano IV. Coss., cùm Templum D. Laurentio erectum fuisset ante viginti & plures annos. Constat ex D. Augustini testimonio scribentis circa annum CCCCXIII. Libros de Civitate Dei, Memoriam D. Laurentio positam Ravennæ, quare diverso admodum tempore Templum D. Laurentii, & Sacellum Divorum Stephani, Gervasii, & Protasii ædificata fuisse, & illud quidem Honorio Augusto in vivis adhuc agente, quod quidem historiam ab Agnello traditam confirmat, sed cæteris ad tempus, quo Lauricius obiit, spectantibus, nullam fidem astruit. In eo enim falli Agnellum necesse est, quòd Honorii tempore defunctum Lauricium dicit, cùm Honorius anno CCCCXXIII. decesserit, Lauricius autem, ut ex inscriptione apparet, anno CCCCXXXV. Sacellum dedicaverit. Quod sequitur non ad Sacellum, sed ad D. Laurentii ædem pertinere videtur, quòd scilicet in arcu majoris Tribunæ scriptum legeretur in* quatuor annis, & sex mensibus *ædificationem consummatam fuisse, incredibile enim est, tantum temporis insumptum condendo soli Sacello.*

VI. Petro inde suffecto Chrysologi cognomento omnibus noto ea omnia conveniunt, quæ de ipso ab Agnello narrantur. Electus enim postremo Sixti III. anno, sedem tenuit usque ad tempora Attilæ Ravennæ imminentis. Et in hunc quidem modum acta, & chronologica series Ravennatum Episcoporum restitui posse visum est, servatá quantùm licuit, Agnelli fide, cui, cùm cætera non repugnant, magìs credendum duxi, quàm Recentioribus, qui vix Historiam Ravennatis Ecclesiæ scribere ausissent, nisi Agnelli Liber Pontificalis ordinem, & materiam suffecisset, quòd tamen in plurimis repugnantia tradiderit excusatum minimè velim; vera tantùm ex collatione cum veris agnita è medio repugnantium, non contemnenda, contendo.

VITA

VITA SANCTI PETRI.

CAPUT PRIMUM.

Petri, & Prædecessorum patria. Petriana Ecclesia fundata. Salvatoris imago laudata. Eremitæ cujusdam ad eam accessus, & obitus.

DE SANCTO PETRO.

PEtrus Antistes XVII. sanctissimus vir, tenui corpore, procerâ staturâ, macilentus effigie, prolixam habens barbam. A' tempore B. Apollinaris unà cum isto viro omnes Prædecessores sui Syriæ fuerunt. Fundator Ecclesiæ Petrianæ muros per circuitum ædificans, sed nondum omnia (1) complens. Nulla Ecclesia in ædificio major fuit similis illi, neque in longitudine, neque in altitudine, & valde exornata fuit de pretiosis lapidibus, & tessellis variis decorata, & valde locupletata in auro, & argento, & vasculis sacris, quibus ipse fieri jussit. Ibi asserunt affuisse imaginem Salvatoris depictam, quam nunquam similem in picturis homo videre potuisset, super Regiam, tam speciosissima, & assimilata fuit, qualem ipse Filius Dei in carne non fastidivit, quando Gentibus prædicavit. Sed tamen volo, ut vobis notum fit, quod de suprascripta Domini nostri sancta effigie à singulis audivi senioribus tam popularibus, quàm Sacerdotibus, ficut ipsi traditum habuerunt ab antecessoribus suis. Non solùm mihi intimatum est, qui volo hunc adscribere Pontificalem, verùm etiam & cæteris meis condiscipulis, & fratribus, qui nutriti in gremio sanctæ Ursianæ Ecclesiæ fuimus; quòd fuisset quidam spiritualis Pater in eremo, qui postulabat quotidie à Domino, ut ostendisset ei formam incarnationis suæ. Qui dum post multa tempora in tali oratione suæ animæ tædio lassaretur, astitit ei nocte Vir in candidis vestimentis angelico habitu indutus, dixitque illi; ecce exaudita est oratio tua, & laborem tuum aspexi. Surge, vade in Civitatem, quæ vocatur Classis, & quære ibi Ecclesiam Petrianam, & cùm ingressus ibidem fueris, aspice super valvas ejusdem Ecclesiæ infra Ardicam, ibi me videbis depictum in parietis calce, qualis ego fui in mundo in carne. Deinde ipse gaudio magno repletus, verbo audito lætus, & ovans eremum reliquit, comitabanturque cum eo duo leones, & surgens per longinqua terrena itinera ad Civitatem Classem pervenit, & cùm ingressus fuisset in præfatam Ecclesiam unà cum ipsis leonibus diutissimè plorans, & orans per parietes sanctam effigiem quærere cœpit. Qui cùm non invenisset, venit ad locum, qui dormienti revelatus fuerat, ipsa esse depicta effigies, & videns eam cecidit pronus in terram, *lacrymosus* (2) adoravit, & agens gratias, quia sic viderat, veluti ei fuerat in somnis revelatum. Et intuens in illam diutissimè dixit; gratiam tibi ago exauditor omnium Deus, qui non spernis quærentes te, nec desideras peccatorum mortem, sed invocanti te præsto es, apud quem mediator, nec nuncius, nec intramissor necesse est, apud quem non est mora deprecantium fidelium, juxta quod nobis per Prophetas pollicitus es; *adhuc loquente te ecce adsum*. Ecce non secundùm mea merita, sed secundùm tuam misericordiam desiderium meum adimpletum est. Jam satiatus sum de sanctis divitiis tuis, jam de thesauro cœlesti locupletatus sum. Suscipe animam meam in aula sancta tua, ut invitatus ad cœnam Agni merear ingredi in Regno tuo, & sedere ad mensam tuam. Et his dictis diutissimè orans, & gaudens, inter duosque leones circa eum rugientes reddidit spiritum. Quod dehinc capientes Populum concurrerunt adprehendentes terram fossoriam cum nimio timore, & veneratione, lambentes leones ejus membra, atque vestigia, & lacrymas fundentes, cum ingenti luctu sepelierunt eum. Tunc leones unus ad caput ejus prostratus est, & alius ad pedes, rugitus magnos inter se dantes. concurrentes hinc & inde juxta Sancti Viri Corpus, magnis vocibus perstrepentes, atque sua colla sub ejus tumulo capientes submittere (amarissimè Populus cum ipsis leonibus flebat) ambo interierunt. Ipse verò Populus in fovea ex utraque parte in terra juxta Sancti Viri Corpus sepelivit illos hinc & inde. Cum nimio autem metu territus Populus in viam suam reversus est, & narrabat mirabilia, quæ Dominus in hominibus, & bestiis exercuerat.

CAPUT SECUNDUM.

S. Petri obitus, & sepulcrum indicatur. Ejusdem Corpus ab Agnello repertum.

FUit autem in Valentiniani temporibus; cùm enim cæpisset Valentinianus imperare, in ipso introitu Imperii ejus Beatus iste Petrus vitâ espoliatus astra petivit. Ut ajunt quidam, sepultus fuit in sua fundata Ecclesia Petriana. Certissimè enim sciatis, veritatem vobis dicam, non ullum mendacium. Dum in Monasterio meo Beatæ, & semper Virginis Mariæ, quæ vocatur ad Blachernas residerem, quod est fundatum non longè à Guandelaria, dum vellem perscrutare omnium Vitas Pontificum Ravennatum, hæsitator eram animæ meæ de hujus Sancti Viri tumulo. Quod dum ita cogitarem, unus ex pueris, qui quotidie aspectibus meis consistebat, nunciavit mihi, Georgium Presbyterum Classensis Ecclesiæ

(1) *Eccl sia Pet iana, & ipsius fundator. Nulla Eccl sia similis illi in ædificio, ubi dicuntur fuisse CCC. Altaria*. Bacch.

(2) *Lacrymans*. Mur.

clesiæ advenisse. Ille verò illo tempore regebat curam Ecclesiæ Sancti Severi Confessoris Christi, vir valde venerabilis, constans in omnibus, firmus absque imbecillitate. Qui cùm fuisset ad me ingressus, postquam sedisset, statim sciscitare eum cœpi, forsitan, aut per antiquos homines in auditu, aut visu aliquid de Beati hujus Pontificis glosochonio scisset. Ille autem hilari vultu dixit mihi; (1) ostendam tibi, quod maximè cupis, ubi pretiosissimus requiescit thesaurus. Qui cùm ascendissemus equos, properavimus Classem, & jussi meis hominibus, qui nobiscum comitabantur, longiùs recedere, quasi stadio medio, & ingressi sumus infra Monasterium Sancti Jacobi, quod est fundatum infra suprascriptæ Ecclesiæ fonte. Vidimus sepulcrum ex lapide proconiso pretioso, & elevavimus duriter, atque modicè cooperculum. Invenimus infra ipsam arcam Capsam cypresinam, cùmque sublevassemus ejus tegumen, vidimus nos ambo Sanctum Corpus jacens quasi ipsâ horâ sepultus fuisset, longam habens staturam, cutemque pallore præditam, & omnia integra membra, pectus, & ventrem integrum, nulla pars deerat, nisi pulvillus capitis minuerat. Tantum autem odorem manavit, ac si incensum flagrantes mixturarum myrrha, balsamoque sentivimus. Irruit super nos terror horribilis, ac vehementissimus, & tanta tristitia, ut quod antea alacriter aperuimus, vix etiam cum suspiriis, & gemitibus claudere potuimus. Odor denique nos superabat in omnibus, & sic fuit, ut ampliùs quàm unam hebdomadam odor ex nostris naribus nunquam recessit. Et desuper ipsam arcam illius imaginem mirè depictam continebatur literis; *Domnus (2) Petrus Archiepiscopus.*

CAPUT TERTIUM.

Galla Placidia curante S. Petri effigies dedicata. Ejusdem Placidiæ donaria. Alia per S. Petrum præstita.

ET infra Ecclesiam B. Johannis Evangelistæ jussit Galla Placidia pro illius sanctitate ejus effigiem tessellis exornari in pariete tribunali post tergum Pontificis supra sedem, ubi Pontifex sedet. Quæ effigies ita est facta, prolixam habens barbam, extensis manibus, quasi Missas canit, & hostia veluti super Altare posita est, & ecce Angelus Domini in aspectu Altaris illius orationes suscipiens est depictus. Istius temporibus Galla Placidia Augusta multa dona in Ecclesia Ravennæ obtulit, & lucernam cum cereis; totum ex auro primo fecit, pensantes, ut dicunt quidam pondere publico libras septem, unà cum sua effigie scenofactoriæ artis factam, infra orbitam, & per in gyro legentem; *parabo lucernam Christo meo*. Et hic Beatissimus Alapas Evangeliorum ex auro optimo, & gemmis lucidissimis fecit. & effigies illius ibidem facta est, quæ permanent, usque in præsentem diem, literæ hoc ostendentes desuper capitis illius scriptæ sunt; *Domnus Petrus Antistes ob diem ordinationis suæ Sanctæ Ecclesiæ sic obtulit*. Defunctus est pridie Kal. Augusti. Sedit annos .... menses ..... dies....,..

(1) *veni*. Mur.

OBSERVATIONES
AD VITAM
SANCTI PETRI.

Petri Episcopi, ejus nominis primi veritas asserta. An Corpus ab Agnello inventum ejus fuerit, vel Petri III. dubitatur. Alapæ Evangeliorum quid? Salvatoris imago antiquissima. Templorum Regiæ. Eremita, an Ægyptius? Classensis Ecclesia, & Clerus.

I. PEtrum hunc contra Rubeum, & Rubeum secutos admittere, ne Pontificum Ravennatum seriem ab Agnello traditam inverterem, suaserunt argumenta in præcedenti Dissertatione explicata, nunc addere placet, quæ ex ejusdem Vita suggeruntur. Primò itaque inverisimile est, Agnellum deceptum fuisse à Senioribus retrotrahendo ad initia ferme quinti seculi Petrum, qui Symmachi tempore floruit, cùm manifestè ea narrentur de Petro antiquiori, quæ nec Chrysologo, nec Juniori illi competere possunt. Ex Syriæ partibus hunc venisse cum cæteris Prædecessoribus suis, apertè tradit Noster. Id autem falsò diceretur, vel de Petro Chrysologo, quem Italum fuisse nullus in hanc diem dubitavit, vel de Petro posteriori, qui aliquos Prædecessores Italos habuit. Barba etiam prolixior argumentum suggerit, quo alterum ab altero distinguamus, inde enim Petrum per ea tempora floruisse apparet, quibus maximè Ravennas Ecclesia græcizare visa est, cùm scilicet residentibus ibidem Augustis, ad Græcæ Ecclesiæ mores in plurimis se componebant Ecclesiastici. Exciso autem Occidentali Imperio, Gothisque rerum, Ravennæque potitis, barbam rasisse Episcopos Ravennates, argumento esse potest antiquissima S. Ecclesii effigies, quam infra ex veteri Ravennæ musivo suo loco dabimus. Rei huic illud arbitror certitudinis gradum conferre, quod in fine Vitæ narratur, pro ejusdem videlicet sanctitate Gallam Placidiam jussisse, ejus effigiem in S. Johannis Evangelistæ Basilica tessellis fingi, cujus effigiei locus assignatur, & partes describuntur ita distinctè, ut minimè verisimile sit, Agnellum decipi potuisse, nec distinxisse inter Petri prioris, & Petri Chrysologi effigiem; nam illam ad Petrum III. pertinere non potuisse, barba ipsa clamat, & ratio temporis loquitur, nec enim Gallæ Placidiæ jussu potuit Petri III. effigies fieri. Illud autem omnino me cogit, ut priorem hunc Petrum agnoscerem, quòd aliàs argumenta desint (si meram traditionem excipias) quibus Petrum III. inter Sanctos cultum probemus; Petri autem prioris sanctitatem, usque à Gallæ Placidiæ ætate ex hoc Agnelli loco cognoscimus. Petrus, itaque, Episcopus, quem Ecclesia Ravennas, ut sanctum colit, non tertius, sed prior hic est. De tertio illud tantùm novimus, Symmachi Romani Pontificis ævo Romæ in plurimus Conciliis sedisse, quod per parachronismum, usque ad Agnelli ætatem Petro alteri Senioris cognomine vocato, licèt tribus prioribus posteriori, tributum est, ut Agnellus ipse tribuit.

II. In præmissa Dissertatione dubitavi, an repertum ab Agnello Corpus esset Petri prioris, an tertii. De ea re, & nunc dubito. Inscriptio, in qua Petro ipsi titulus Archiepiscopi adscribitur, dubium auget, cùm recentius seculum sonet, & locus ipse tumuli reclamet, cùm Oratorium S. Jacobi H *post*

(2) *Domnus*. Mur.

post Petri ætatem sit conditum. Potuit tamen fieri, ut ꝫ Corpus à veteri Ecclesia Petriana, ubi prius sepultum plurimi credidere, ad Oratorium S. Jacobi transferretur recentiori ævo, & tunc Archiepiscopi elogium adderetur. Evangeliorum Alapis epigraphes signata Petri ævo optimè congruit. Alaparum autem nomine barbaro, Glossariorum Scriptoribus ignoto, tabulas exteriores intelligi, quibus Evangeliorum liber compactus fuerat, non videtur in dubium verti posse. Rubeus lib. 3. pag. 133., ubi donarium hujusmodi Petro III. (quem ipse Secundum dicit) adscribit, Agnellum explicat, quòd Petrus divinæ novæ legis ab Christo Deo traditæ libros tabulis exaratos, aureis præstantissimis gemmis ornaverit.

A

III. Domini Nostri Salvatoris imaginem ad valvas majores Petriani Templi, quas Regiæ nomine, corruptæ latinitatis vocabulo similibus Scriptoribus familiari, significari, ex contextu etiam patet, multis hic commendat Agnellus, Popularem traditionem exhibet de imagine eadem mirum in modum prototypum suum repræsentante, ac de Viro eremiticæ vitæ cultore nutu divino ad eam accedente, ibique cum duobus leonibus sibi sociis demortuo. Leonum societas, ut quidem reor effecit, ut Rubeus traditis ab Agnello, qui eum terrestri itinere advenisse ait, adjiceret, virum illum ex Ægypti solitudinibus venisse. Sicuti autem in hujus rei Historia plura esse censeo seculi ejus, quo Agnellus floruit, credulitatem præseferentia, ita nullus dubito, quin antiquissima fuerit imago illa Salvatoris, quæ dudum exciderat ipso Agnelli, & Seniorum Ecclesiæ Ursianæ Clericorum ævo, posita ab initio non solùm ad ornatum, sed ad cultum, ad adorationem, ad προσκύνησιν.

B

IV. Ex hac Petri Vita cognoscimus, Agnellum in Ecclesiæ Ursianæ Canone scriptum, ibidemque nutritum ab ineunte ætate, & eundem Ecclesiæ Sanctæ Mariæ ad Blachernas Abbatem, de quibus alibi. Novimus etiam eo tempore non modò Ursianam Ecclesiam, sed & Classensem suos Ecclesiastici Ordinis viros habuisse, ex quibus Georgius Presbyter regebat Ecclesiam Sancti Severi item Classensem. Unde cognoscimus distinctum veluti ab Ravennate Clero Classensem Clerum, qua de re indicia apparent ex Felicis Papæ literis in Ecclesii Episcopi Vita legendis.

VITA SANCTI NEONIS.

CAPUT PRIMUM.

Neonis ædificia in Ecclesia Ravennati constructa.

DE SANCTO NEONE.

NEon XVIII. Iste pulcrum aspectum, sanctissimam, & spiritualem habuit vitam. Ædificator autem fuit suprascriptæ Ecclesiæ Petrianæ, cujus funditus aliquam partem Antecessor construxerat, unde necesse erat, Successores Antecessoris opus implere. Dehinc fuerant omnia postquam constructa ædificia, & sartatecta Templi innovata sunt, variis coloribus depingere fecit. Fontes Ursianæ Ecclesiæ pulcherrimè decoravit. Musivo, & auratis tessellis Apostolorum imagines, & nomina cameræ circumpinxit, parietes promiscuis lapidibus cinxit. Nomen ipsius lapideis descriptum est elementis.

Cede vetus nomen, novitati cede vetustas,
Pulcrius ecce nitet renovati gloria Fontis.
Magnanimus hunc, namque Neon, summusque Sacerdos
Exsoluit (1) pulcro componens omnia cultu.

Demum infra Episcopium Ursianæ Ecclesiæ, quæ vocatur quinque Dagubitas à fundamentis construxit, & usque ad effectum perduxit. Ex utraque parte triclinii fenestras mirificas struxit, ibique pavimenta triclinii diversis lapidibus ornari præcepit. Historiam psalmi, quem quotidie cantamus, idest, *Laudate Dominum de Cœlis*, unà cum Cataclysmo in pariete, parte Ecclesiæ, pingere jussit, & in alio pariete super amnem posito, exornare coloribus fecit Historiam Domini Nostri Jesu Christi, quando de quinque panibus, & duobus piscibus tot millia

C

legimus hominum, satiavit. Ex una autem parte frontis inferiùs triclinei Mundi fabricam comptitavit, in qua versus descriptos exametros, quotidie legimus, ita

Principium nitidi prima sub origine Mundi
Cùm mare, tellurem, Cœli cùm lucida Regna
Virtus celsa Patris, Natique potentia fecit;
Cùmque novus (2) Sol, Luna, dies, aurora micavit,
Et illo astrigerum radiavit lumine Cœlum.
Unus in orbe novo Vir terra virgine factus
Exiluit humo, insons (3) hic corpore servo.
Iste Dei meruit vocitari solus imago,
Namque sui similem hominem produxit in Orbe

D

Superni Genitoris amor, Dominumque locavit,
Hunc Sator omnipotens rerum dulcissimus ipse
Multifluis opibus longum ditavit in ævum.
Isti cuncta simul sylvarum præmia cessit.
Jussit maternos fœtus producere terram.
Hujus oves niveæ nitidâ per gramina voce,
Hujus, & altecomus Sonipes, fulvique Leones,
Hujus erant passim ramosi in cornua Cervi,
Pennatique greges avium, piscesque per undas,
Omnia namque Deus homini quæcumque paravit
Tradidit, & verba pariter servire coegit.
Hunc tamen in primis monitis cœlestibus olim
Observare suam legem, & vitalia jussit
Præcepta, & vetita auderet (4) ne mandere poma.

E

Præceptum spernens, sic perdidit omnia secum.

Et in alia fronte depicta Historia Petri Apostoli, subscriptique sunt versus metrici.

Accipe

(1) Rub. *exoluit*. Bacch.
(2) in Cod. *noctes*. Bacch.
(3) in Cod. *senso*. Bacch.
(4) in Cod. *deest*. Bacch.

Accipe Sancte libens, parvum ne despice carmen,
Pauca tuæ laudi nostris dicenda loquelis.
Euge Simon Petre, commissum tibi suscipe munus
......, (1) sumere te voluit Rex magnus ab alto.
Suscipe de Cœlo pendentia lintea plena
Missa Petre tibi, quæ diversa animalia portant;
Hæc mactare Deus te mox, & mandere jussit.
In nullo (2) dubitare licet, quæ munda creavit
Omnipotens Genitor, verum cui summa potestas.
Euge Simon Petre, quem gaudet ...... (3) Christi
Lumen Apostolicum cunctos ornare per annos.
In te Sancta Dei pollens Ecclesia fulget,
In te firma suæ Domus fundamenta locavit
Princeps ætherei chori per secula natus.
Cunctis clara tibi est virtus, censura, fidesque.
Bis senos inter fratres in Principe sistis
Ipse loco, legesque novæ tibi dantur ab alto,
Qui fera corda domas hominum, qui pectora mulces
Christicolasque doces ...... (4) omnes esse per orbem, (5)
Jamque tuis meritis Christi parat gloria Regnum.

CAPUT SECUNDUM.

Neonis mors, & translatio Corporis. Brachium Forte quid?

POst hæc autem omnibus consummatis tertio Idus Februarii (6) obiit. Sepultus olim in Basilica Apostolorum ante Altare B. Apostoli Petri subtus porphyreticum lapidem, quem nunc nos inde trahentes juxta illius Basilicæ sedem sepelivimus, traductusque est per locum, qui dicitur ad *Brachium Fortis*. Sed ubi Brachium Fortis dicitur, aut pro qua dictum sit causa, ignoratis. Et quia pauci sunt Veterani, qui sciunt, ideo volo vos scire, ubi dictum sit, & pro qua dictum sit causa. Cùm ieritis ad regionem Apostolorum non longè à macerie Ovilionis introeuntes vos infra Ardicam B. Petri Apostoli, ubi imago Domini Nostri Jesu Christi depicta est extenso brachio, & hinc ex una parte effigies vasis electionis Pauli, &.......... & ipsæ depictæ sunt. Dixi, ubi dictum sit, dicam pro qua causa sit. Duo Viri cupientes fœdus inter se jungi, dixit unus ad alterum habentem sobolem; petitionem parvam deprecor tibi, rogo, ut non in vacuum revertatur obsecratio mea. Cui ille alter; non gravabo te, quod tibi placet, fiat. Dixitque; da mihi filium tuum, ut sim ei Pater de sancto Baptismo, & suscipiam ego eum de fonte sanctificato. Simus communiter patres, tu carnalis, ego autem spiritualis. At ille ait; in nomine Domini Nostri Jesu Christi fiat sic. Factumque est ita, & ex illa die postquam baptizatus est infans, fuerunt communiter patres, & dilectionem habuerunt in invicem in Spiritu Sancto, & obsculo pacis, quia & sic condecet fieri, qui inter se talia faciunt, eò quòd non homines, sed Spiritum Sanctum inter se mediatorem ponunt, & ut sciatis, major est spiritualis pater, quàm sit carnalis, quia ille ex peccato procreavit filium, & in peccato natus est ei filius, & ipse in peccato moratur filius. Hic autem spiritualis pater postquam ex unda baptismi eum recepit, ablato Diabolo, & pompis ejus, generatur filius spiritualis ex sancto Fonte, sanctificatum recipit filium denuo natum per aquam, & Spiritum Sanctum. (7) Contigit autem eo tempore unus ex his suprascriptis Compatribus alteri Compatri suo mutuasset solidos trecentos, & cùm deventi essent in loco, ubi superiùs audistis ad Brachium Fortis, dixit unus ad alterum; mutua mihi obsecro occultè solidos aureos trecentos. Cui ille respondens dixit; cras mane hic conveniamus, & deferam inter me, & te, cùmque inluxisset dies crastina, venerunt in locum, ubi condixerant sibi, & numeratâ pecuniâ dixit ille Fœnerator ad Compatrem suum; ecce Compater accipe, quod petisti; tantùm provide inter me, & te, quomodo mihi debeas reddere. Non vis mihi fidejussorem dare? Non vis mediatores advocare? Non vis pignus dare? Sed neque vis, ut quis sciat propter vituperium, & hæc omnia tibi consentio. Cui debitor respondit, & dixit; talis terminus inter me, & te firmatus est, quem transgredi non possumus. Da mihi tantùm hanc mutuo nomine pecuniam: nihil perdes. In conspectu Dei tibi dico; ubi sto, tibi reddam. Et respondens Fœnerator ait Compatri suo; Compater sit inter nos mediator Deus Omnipotens, cujus effigies hìc depicta est, & iste ut Brachium Salvatoris fortis, & terribilis ipse sit fidejussor, & isti duo magni Principes, Apostolique Petrus scilicet, & Paulus testes sint inter me, & te. Ista dextera, quæ eduxit filios Israël de terra Ægypti, & hoc Brachium forte mihi hodie fidejussor existit, quia reddam tibi pecuniam tuam. Igitur numeratos CCC. solidos respiciens ad vultum Salvatoris ait; Domine Deus Omnipotens in ipsis verbis, quæ locuti sumus huic Compatri meo do solidos istos; tu sis fidejussor, per tuum sanctum Brachium eos trado, ut sis in constitutum: si mihi eos non reddiderit, tu mihi redde. Placuit illi, hos sermones posito constituto firmaverunt inter se fidejussorem fortem Brachium Salvatoris, & receptâ pecuniâ profectus est statim ad negotiandum, & cùm cœpisset huc, illucque negotiare, invênit quadruplum, ingressusque est Constantinopolitanam Urbem, & videns, quia multiplicabatur pecunia in manibus ejus, nolebat Ravennam reverti, & ecce tempus constitutum advenerat ad reddendum pretium, & ipse minimè venit. Venit autem Compater ille, qui fœneraverat, ad effigiem Salvatoris dicens; Domine Deus æternus jam præteriit dies Constituti, unde tu mihi fidejussor fuisti de Compatre meo, vigila causam meam, ne damnum habeam, redde mihi solidos meos, quos per tuum forte Brachium dedi. In ipsa nocte apparuit illi Debitori in somnis ipsum Brachium Salvatoris dicens ad illum; vade, redde pecuniam Compatri tuo, quam accepisti, unde tibi ego fidejussor sum, quia quotidie molestus est mihi; quod cùm non venisset, ivit ille *etenim* (8) ad ipsam Salvatoris effigiem, & calumpniavit ut supra. Et apparuit in ipsa nocte sanctum Brachium illi, protestavit, ut nuper audistis. Contigit quadam die, venit ille, qui pretium dederat, voces increpationis cœpit dicere ad sanctam Domini Nostri effigiem;

(1) *En quod*. Mur.
(2) *In nullis*. Mur.
(3) *mens area*. Mur.
(4) *tu*. Mur.
(5) *urbem*. Mur.

(6) *Hic fuit tempore Orthodoxæ matris Gallæ Placidiæ*. Bacch.
(7) *Quomodo ante natum peccatum de peccato, multo magis postea sanctificatum per Spiritum Sanctum*. Mur.
(8) *iterum*. Mur.

giem; ò Domine, quare non reddis justitiam meam? Fidejussor meu es. Per tuum forte Brachium dedi, cœlestia regis, terrena moderas, mari imperas, & unum non coarctas hominem? Tu mihi dedisti pretium illud, & si tollere vis, quis te prohibet? Nullus, quia omnia tuæ subjacent potestati. Si terrenus homo mihi fidejussor fuisset, coëgissem eum per Judicem, aut *Civem Fecicum* (1) aut sic, aut sic recepissem pretium meum. Tu qui Cœli, & Terræ Dominus es, nisi jusseris reddere, quid faciam? quando Cœli ante te mundi non sunt, & Sol, & Luna non splendent, & Angeli, & Archangeli tremunt, & terra liquescit, montes defluunt, elementa omnia deficiunt, ego, qui sum ut tibi audeam loqui? Tantùm misericordia tua super me sit, & causam meam defende, & redde, quia ecce duo testes ambo ad te Apostoli electi. In eorum præsentia mihi fidejussor (2) forte Brachium extitit, & si aliter dico ipsi testimonium reddant, quia verissimi sunt, & linguas eorum claves Cœli fecisti. Et his dictis ingemuit, & recessit. In ipsa denique nocte apparuit ad ipsum Compatrem suum debitorem Salvatoris Nostri effigies in somnis dicens; revertere citiùs Ravennam, & redde solidos Compatri tuo, unde hoc meum Brachium fidejussor extitit, quia increpavit me, & calumpniam ipsius sustinere non possum, & scias si citiùs non ieris, & ille (3) plus molestaverit, perdes hic omnia quæ adquisisti, & corpus tuum flagellis tradam, & eris in tribulatione maxima omnibus diebus vitæ tuæ, & ibi deficies. Ego verò de meis thesauris reddo solidos duplum Compatri tuo. Tunc surgens diluculo negotiavit, ut potuit, ipsa die navem ascendit, & Ravennam reversus est. Quo audito Compater ejus, qui pretium dederat, gaudio plenus ivit ad domum ejus, quasi ad visitandum eum. Inter cætera verba cœpit sciscitari ab eo de pecunia mutuata. Cui ille respondit omne negotium suum esse perfectum, & solidos quadruplicatos. At Creditor dixit Compatri suo; si ita est, benedictus Deus, redde mihi solidos meos. At ille respondens dixit ei; gratanter faciam non hodie, quia serò est. Cras manè eamus ante Fidejussorem meum, idest Brachium forte, quod me valde istis diebus impulit. Ibi tibi reddam, & in conspectu duobus Principibus testibus nostris. Altera verò die detulit ille Debitor quadringentos aureos. Ierunt ad locum, ubi ipse mutuavit, & ille dedit, & numeratos denuo quadringentos solidos dixit Debitor ad Compatrem Creditorem suum; benè mihi fecisti, quia de paupertate me sublevasti, & benedixit Omnipotens Deus negotium meum, quadruplicavit pecuniam. Tolle modò trecentos solidos, quos mihi mutuasti in conspectu Fidejussori meo, & duobus testibus nostris, & insuper centum alios servio tibi, ut sim innocens, eo quòd in constituto die paratus non fui, vel ut etiam pro exenio. Et respondens ille Compatri suo dixit; absit hoc, ut plus recipiam, nisi quantum tribui. Non permittat hoc forte Brachium, quod inter me, & te mediator est, ut usuras accipiam usque ad corrigiam calceamenti. Et respondens ille Debitor dixit; juro tibi per hoc Brachium forte, (4) quia quomodo multiplicabantur in meis manibus pecuniæ, nisi hoc Brachium coëgisset me tribus vicibus, non hoc anno Ravennam remeassem, sed illis noctibus, & illis, quæ succedunt diebus veniebat ad me in somnis, & protestabat dicens; vade, redde Creditori tuo pecuniam, quam tulisti, quia molestus est mihi Compater tuus, me fidejussor tuus hodie inquietavit. Sic ammonuit me per duas vices. Mensis verò istius die quadam venit ad me nocte ista sancta Domini Nostri effigies, cœpitque increpare dicens; quare non revertis reddere pecuniam Creditori, tuoque Compatri, quam per hoc Brachium meum spopondisti reddere. Satis mihi hodie homo ille molestus fuit, & ploravit coram me, insuper dixit mihi, quia si terrenum hominem fidejussorem habuissem, jam restituisset mihi. Surge celeriter, vade, redde, quia alias lamentationes non sustineo: duræ mihi sunt, ne fortè per duritiam blasphemet, & non solùm pro pecunia, sed pro eo rationem reddas. Non moreris, sed surge, vade. Scias si tardaveris, ego dabo solidos de gazophylacio meo, & tu hic istâ formâ omnia perdes, insuper corpori tuo noxam tradam. Alia verò die *Cumbum* (5) ingressus propitiis ventis properavi ad istam servatam à Deo civitatem Ravennæ reddere tibi omnia, sicut & feci, & nunc posco, ut tollas centum istos aureos, quia fefelli tibi, ut non aliqua nociva mihi causa teneatur astricta. Cui alter respondens dixit; juravi tibi per Dominum, & per hoc Brachium forte, quod reduxit te huc, quia non accipiam usque ad pugillum pulveris, nisi sola tua dilectio, quam quotidie teneo. Et ut scias ad ista tua eloquia, sicut tu dicis, quando in nocte compellabat hoc Brachium de *me* (6) justitia, ego interpellabam super te, & benedictus Deus, qui te salvum, & incolumem reduxit ad propria tua. Et nunc innocens sis de hac causa in conspectu Dei æterni, & à me, & nostram charitatem permittat ipse Omnipotens Deus, quomodo hic firmata est, sic permaneat usque in æternum. Videamus, & cautè agamus, ut non nos unus alterum fraudemur, quia hoc Brachium forte mediatorem inter nos constituimus. Et hoc dicens præ gaudio flebant, & obsculabant se invicem. Ierunt in pace, & ex illo die pro hac causa vocatus est locus ille Brachium forte usque in hodiernum diem, sed pauci sunt, qui sciunt. Inde transductum est Corpus B. Neonis Archiepiscopi, & sepultum est, ut superiùs notavimus. Domum quam ædificavit, vidistis, & in ipsa Domo, ubi imagines Apostolorum Petri, & Pauli tessellis factæ sunt hinc, & inde juxta crucem conspexistis, & unam lineam versiculi, in qua continetur, *Domnus Neon Episcopus senescat nobis*, legistis. Sedit annos..... menses....... dies.......

OBSER-

(1) *ei vim fecissem*. Mur.
(2) *tuum*. Mur.
(3) *mihi*. Mur.
(4) *& veritatem manifesto*. Mur.
(5) *Cumbam*. Mur.
(6) *mea*. Mur.

OBSERVATIONES
AD VITAM
SANCTI NEONIS.

Quinque Dagubitæ, & triclinium quid? Compatris vocabulum, & ejus significatio. Mutui contrahendi solennitates. Civis Fecicus quid? Cumbum, Cumbe, Cymba.

I. INter ædes, quas Neon ædificandas curavit, speciali observatione digna videtur, quam noster vocatam ait quinque Dagubita, cujus partem, triclinium videlicet accuratè satìs describit. Dagubita idem ferè, ut arbitror, significat ac Accubita Scriptoribus corruptæ latinitatis, & ἀκκούβιτον apud Auctores corruptæ Græcitatis. Anastasius in Gregorio III., item Accubita, quæ sunt ad B. Petrum in ruinis posita à fundamentis noviter restauravit, atque depinxit. Vide Duchangium in utroque Glossario. Distinguit autem Agnellus ædem quinque Dagubitas à triclinio tanquam totum à parte, & ædem quasi διὰ πέντε τὰ ἀκκούβιτα propter quinque Accubita à triclinio, singulari videlicet loco, ubi conviviis Episcopus cum præcipuis Clericorum, & Laicorum, certis solemnitatibus accumbebat. De hujusmodi locis petit laudatus Duchangius, ut suam videas Constantinopolim Christianam lib. 2. cap. 6., ubi de Tribunali XIX. Accubituum, quæ quidem illustrare possunt hunc Agnelli locum. Τριβουνάλιον XIX. ἀκκουβίτοις cum Silentiario, seu Secretario idem esse sentiunt etiam Eruditi. Ibi conveniebant συμβοῦλοι, qui videlicet silentio obligati aliquid agebant, quare apud Theophanem Σιλέντιον ἐκράτησεν interpretantur Synodum, sive consulationem celebravit. Ea de re videsis laudatum Duchangium in utroque Glossario. Quòd spectat ad Accubita conviviis Ecclesiasticorum destinata, in Basilica Leoniana Romæ Summi Pontifices hujusmodi locum habebant prope Lateranas ædes, ubi in festo Paschatis, ac solennioribus aliis certis cæremoniis convivio excipiebant Clerum, & cùm aderant, Reges, & Principes Romæ degentes, quem & in hunc diem musivo opere eleganter ornatum vidi. In ordine Romano Benedicti S. Petri Canonici, quem Tomo secundo Musei Italici edidit Mabillonius noster, scripto, ut ipse conjicit, ante Cœlestini Secundi Pontificatum, ritus describitur, quo Pontifex convivio excipiebat Cardinales in die Paschatis, qui cùm Cubitus, sive Accubitus, & Cubitorium, sive Cubitorum distinguat, & convivii pompam exponat, hìc loci describi meretur. Judices autem ducunt eum (Papam) illa die in Basilicam magnam Leonianam in cameram, ubi sunt præparata XI. scannia, & unum subselliū circa mensam Domini Pontificis, & lectus ejus bene præparatus, in figura XII. Apostolorum circa mensam Christi, quando comederunt Pascha. Ibi jacent in Cubitis quinque Cardinales, & quinque Diaconi, & Primicerius ad prandium, dato priùs Presbyterio in camera cum manibus, sicut in die Natalis Domini. Surgit inde, & venit ad locum, qui dicitur Cubitorum, ubi Agnus assus benedicitur, quem benedicit, & redit ad præparatum lectum mensæ. Tunc Dominus Pontifex tollit panem de Agno, & priùs porrigit priori Basilicario dicens; quod facis, fac citiùs: sicut ille recepit ad damnationem, tu accipe ad remissionem. Et mittit in os ejus, qui accipit, & comedit. Reliquum Agni dat XI. discumbentibus, & aliis, quibus placet, & sic omnes comedunt. Ad dimidium verò convivium ex præcepto Archidiaconi surgit quidam Diaconus, & legit lectionem. Cantores autem ex præcepto Domini Pontificis cantant Sequentiam, quæ sit conveniens Paschæ modulatis organis, eâque finitâ eunt, & osculantur pedes Pontificis, qui dat eis coppam plenam potione, & accipiunt à Saccellario unum byzantium. Ita ordo laudatus num. 48., & ferè eadem habentur in ordine Romano C ntii Camerarii num. 35., ubi correctiùs pro τὸ Cubitorum, legitur Cubitorium.

Versus adscriptos triclinio satìs elegantes vides, quique Auctorem suum commendent. Sphalmata plura emendavi, quæ Exscriptoribus imputari debent; nonnulla tamen, in quibus commodè divinare non potui quid mendi cubaret, reliqui corrigenda Lectori.

III. Adnotato Neonis obitu, indicat Translationem Corporis ejus suo tempore factam, & ex hoc etiam capite commendat quæcumque de eo tradiderat. Subsequitur narrans rationem, ob quam imago illa Salvatoris, ad Barchium Forte diceretur. De ea fortè imagine intelligenda sunt, quæ leguntur initio Synodi celebratæ per Gerbertum Archiepiscopum anno secundo Imperii Othonis III. Indictione undecima sub imagine Salvatoris intra valvas majoris Ecclesiæ Ravennatensis; quam Synodum ex manuscripto Codice Vaticanæ Bibliothecæ edidit Ughellus in Episcopis Ravennatibus Tom. 2. pag. 351. In ea narratione Agnelli vides primò, quo vinculo, fœdereque conjungerentur pater, & susceptor baptizati. Hinc Compatris nomen summæ necessitudinis signum habitum est, non modò inter susceptorem, & susceptum, sed etiam susceptorem, & suscepti parentes, ex quo cognationis spiritualis canonicum vinculum ortum est, de quo Canones, ac postremò Conc. Trid. Sess. 24. de reform. cap. 2. Id vocabuli usurpatum aliquando videtur ad significandam amicitiæ excellentiam. Sic monet Duchangius inter Epistolas Stephani III. extare unam cum hac inscriptione; Pipino Regi, & nostro spirituali compatri. At fortassis ea compellatione intendebat Pontifex Pipinum ad Ecclesiæ tutelam excitare, patrem secum eundem vocitans respectu ejusdem Ecclesiæ. Amicitiæ fœdus, & compaternitatis necessitudinem habes apud Petrum Damianum lib. 2. epist. 17.

IV. Habes contrahendi mutui solennitates, & personas. Fidejussor adhibetur, qui etiam Mediator dicitur, & Testes; tempus verò statutum, quo mutuatarius mutuum reddere promittit Constitutum vocatur. De his omnibus suis eruditè locis laudatus Duchangius in Glossario Latinitatis, quæ exscribere renuo, ne aliena expilare videar. Difficilius est divinare, qui Civis Fecici nomine veniat, ubi eum, qui mutuum dederat, in hunc modum Salvatoris effigiei loquentem Agnellus inducit; si terrenus homo mihi fidejussor fuisset, coëgissem eum per Judicem, aut Civem Fecicum, aut sic, aut sic recepissem pretium meum. Ex contextu apparet, civem significari, qui vel ex officio, vel ob opinionem apud cives partam in hujusmodi negotiis Debitorem, vel Fidejussorem ad reddendum adigere poterat. Cæterùm hæret aqua. Cumbum alibi navis genus memorat Mutuatarius, qua Constantinopoli Ravennam reversus est; Cumbam alii quasi Cymbam. Vide laudatum sæpius Duchangium. Alia clara sunt, nec majori examine indigent.

VITA

VITA SANCTI EXUPERANTII.

CAPUT PRIMUM.

Ecclesia B. Agnetis ædificata. Civitas argentea in processu constructa. Felix Patricius occiditur. Eudoxiæ adventus. Tricolos ædificatur.

DE SANCTO EXUPERANTIO.

A Exuperantius XIX. vir grandævus, humilis, & mitis, prudens in operibus bonis. Quod sui Antecessores ædificaverunt, iste incolumis tenuit. Illius temporibus Ecclesia B. Agnetis à Gemello Subdiacono istius S. *Ravennæ* (1) Ecclesiæ, & Rectore Siciliæ constructa est, & multùm eam ditavit in auro, argentoque, & palleis sacris, & Civitatem argenteam in processu construxit natalis ipsius Martyris, & usque nostris temporibus perduravit. In diebus ejus occisus est Felix Patricius ad gradus Ecclesiæ Ursianæ mense Maji, & facta est Domina Eudoxia Augusta Ravennæ VIII. Idus Augusti. Nihil ampliùs Seniores nostri, & longævi mihi de ejus Vita retulerunt. Non memorabilem habet historiam. Ædificator B Tricoli, sed non consummavit.

CAPUT SECUNDUM.

Historiæ ratio redditur. S. Exuperantii obitus, & sepulcrum.

Et si aliqua hæsitatio vobis hunc Pontificalem legentibus fuerit, & volueritis inquirere dicentes, cur non istius facta Pontificis narravit, sicut de cæteris Prædecessoribus; audite, ob hanc causam. Nunc prædictum Pontificalem C à tempore B. Apollinaris post ejus decessum penè annos DCCC., & ampliùs, ego Agnellus, qui & Andreas exiguus Sanctæ meæ hujus Ravennatis Ecclesiæ Presbyter rogatus, & coactus à fratribus ipsius sedis composui, & ubi inveni quid illi certius fecerunt, vestris aspectibus allata sunt, & quod per Seniores, & Longævos audivi, vestris oculis non defraudavi. *Ubi* (2) Historiam non inveni, aut qualiter eorum Vita fuisset, nec per annosos, & vetustos homines, neque per ædificationem, neque per quamlibet auctoritatem, ne intervallum Sanctorum Pontificum fieret, secundùm ordinem, quomodo unus post alium hanc Sedem obtinuerunt, vestris orationibus me Deo adjuvante, illorum D vitam composui, & credo non mentitum esse, quia & Oratores fuerunt, castique & eleemosynarii, & Deo *animas* (3) hominum adquisitores. De verò illorum effigie si fortè cogitator fuerit inter vos, quomodo scire potui; sciatis, quòd me pictura docuit, quia semper fiebant imagines suis temporibus ad illorum similitudinem. Et si altercatio ex picturis fuerit, quòd adfirmare eorum effigies non debuissem, Ambrosius Mediolanensis Antistes in passione Beatorum Martyrum Gervasii, & Protasii, de B. Pauli Apostoli effigie cecinit dicens; *cujus vultum me pictura docuerat*. Qui jussu divino Pontificatum finivit, & vitam IV. Kal. Junii, sepultusque est in jam dicta Basilica S. Agnetis Martyris ante Altare sub porphyretico lapide, Alii ajunt post Altare subtus porphyretico lapide. Sedit annos...... menses....... dies........

OBSERVATIONES
AD VITAM
SANCTI EXUPERANTII.

Civitas Argentea quid, quidve Processus? Agnelli fides. Cætera, quæ de Exuperantio narrantur, Agnello ignota.

I. *Pauca in superioris Dissertationis parte secunda nu. 5. aliud agens præmisi, quæ tamen possint satis Lectorem docere quid sentiam de communi sententia eorum, qui recentioribus seculis de Ravennæ rebus scripsere, quique ex hoc Agnelli loco se sufficiens documentum habere crediderunt, quo scriberent Exuperantium Ravennæ Episcopum Argentæ oppidum struxisse. Nunc res paulò attentiùs est examinanda. Verba Agnelli sunt hæc;* illius (*Exuperantii*) temporibus Ecclesia B. Agnetis à Gemello Subdiacono istius Sanctæ Ravennæ Ecclesiæ, & Rectore Siciliæ constructa est, & multùm eam ditavit in auro, argentoque, & palleis sacris, & Civitatem Argenteam in Processu construxit natalis ipsius Martyris, & usque nostris temporibus perduravit. *Fateor me hic nil solidum videre, cui superstruatur asserta Argentæ ædificatio. Etenim ex quo altero Scriptore antiquo, recentiorive Oppidum illud Civitatis nomine nuncupatum agnoscere possumus? Agnellus ipse infra in vita Agnelli Episcopi Argentam ipsam Rus vocat, ita enim habet*; adquisivitque Rura in Ecclesia Ravennæ Argentea, quæ dicitur, & infra ipsius Ruris Monasterium B. Georgii à fundamentis ædificavit. *Qui fieri potuit, ut idem, qui antea Argentam Civitatem dixerat, postmodum Rus diceret? Præterea ea verba, quæ certè ad Civitatem Argenteam referuntur, & quibus constructa dicitur* in processu natalis ipsius Martyris, *& quæ sequuntur* usque nostris temporibus perduravit, *satis, ut puto, clara sunt, ut videamus nullo modo referri posse ad Civitatem, seu Oppidum Argentæ. Posteriora enim significarent Scribentis tempore Argentæ Oppidum periisse, id*

(1) *Ravennatis*. Mur.
(2) *Et ubi*. Mur.
(3) *animarum*. Mur.

id enim verba ipsa sonant, & in similibus eadem frasi utitur Agnellus loquens de his, quæ se vivente pessum ierant. Sic infra in vita Maximiani; & prædicta Episcopia (Arianorum) usque ad nostra tempora permanserunt, & alibi eodem modo loqui amat. At quid est, Civitatem Argenteam construi in processu natalis Martyris? Dicam quod sentio. Sermo hic de donariis à Gemello Subdiacono Rectore Siciliæ oblatis Ecclesiæ S. Agnetis à se ipso ædificatæ. Inter ea Civitas Argentea fuit, quæ usui erat in processu fieri solito recurrente die natali S. Agnetis sacro; quod quidem donarium perierat Agnelli tempore recentiorum Episcoporum, de quibus suo loco, prodigalitate. Hoc modo explicata ritè sibi constat oratio. Verùm cùm varii Antiquis Processus essent, de Processu hìc agi, qui Martyris ad cultum spectaret, nullus ambigo. Πρόκενσον, sive πρόκενσον ἔχειν, seu ποιεῖν dicebantur Byzantini Imperatores, cum solemni pompa adhibita ad Palatia Constantinopoli proxima procedebant, vel ibidem morabantur, qua de re eruditissimè Duchangius in Constantinopoli Sacra lib. 4. sect. 11. num. 2., & in Glossario Græcitatis. Ex his tamen, quæ in eam rem congessit laudatus Scriptor, apparet eodem nomine vocatum ritum Ecclesiasticum procedendi, quo Episcopi cum Clero, & Populo certis solennitatibus procedebant, quod ex eo fortasse, quia & ipse Imperator cum pompa, & apparatu esse soleret, πρόκενσον fieri dictum fuit. Id astruit Conc. Constantinop. sub Mena Actor. 3. ubi dicitur, ἐν συνάξει τῆς δεσποίνης ἡμῶν τῆς θεοτόκου, καὶ ἁγίας Μαρίας, τῆς διακειμένης ἐν Βλαχέρναις, προκένσου ὄντος βασιλικοῦ in Synaxi Reginæ nostræ Matris Dei, & Sanctæ Mariæ, quæ est in Blachernis, cùm habebatur Processus Imperialis. De Processibus autem hujusmodi, quos ex Imperatoris interventu ita specialiter vocatos conjici posse videtur, loqui existimo Anastasium in Agathone, ubi narrat, instante Pontifice, Episcopo cuidam ab Imperatore interdictum, ne ad Processum veniret. Processus hujusmodi cum Imperatoris interventu, & pompa, Exuperantii, & Successorum aliquot tempore Ravennæ habitos, suadet Valentiniani ibidem mora, & conjecturæ locum faciunt, mores, & ritus Constantinopolitani in multis ab Ecclesia Ravennate affectati. Sic Ecclesiæ eadem appellatione vocatæ, qua celeberrimæ Constantinopoli, ut Sanctæ Mariæ in Blachernis, cujus Operis Scriptor Agnellus Abbas fuit.

II. In his autem Processibus celebritatem, & lætitiam in natale Martyrum intentam potiùs crediderim, quàm pœnitentiam, seu expiationem, quæ cæterùm in litaniis, processionibus, & rogationibus primariò intendebantur; ac de hujusmodi Processibus frequentiâ Populi celebratis loqui arbitror Hieronymum ad Eustochium epist. 22., illam à Processibus removens; Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo, nunquam causa deerit procedendi, si semper, quando necesse est, progressura sis. Idem suadet epist. 12. ad Gaudentium, & epist. 7. ad Lætam. Ad Processus revocandam censeo pompam, qua festivis diebus per annum Episcopus, seu Romanus Pontifex ad Missarum mysteria procedebat, de quibus in Ordinibus Romanis, qui dum agebantur à Pontifice procedente dirimebantur lites, & causæ, ut apparet ex Ordine primo à Mabillonio edito num. 2., ubi Mabillonius ipse adnotat; sic causæ nonnunquam in ipso Processu finiebantur, unde Processus vocabulum linguâ nostrâ Gallicâ (immo & Italicâ) pro lite fluxisse, quidam Viri docti opinantur. Porrò distinctionem Processuum lætitiæ, & celebritatis causâ habitorum ab his, qui expiationis, & pœnitentiæ causâ fiebant, apparet ex ipso ritu; etenim in his Collecta in una Ecclesia habebatur, Statio in altera, in illis verò procedebatur absque Collectis. Vide indicem Stationum ab ipso Mabillonio editum To. 2. Musei Italici, ubi Collectæ adnotantur singulis diebus per Quadragesimam, minimè autem in aliis. Novi oppositum quodammodo docuisse Mabillonium ipsum, cujus auctoritate deterritus, ferè ab allatis scribendis recesseram. Stationes, quas Collecta præcedebat solennes, alias privatas vocat ipse in Commentario prævio num. 5. At dierum, & occasionum distinctio, quibus fiebant, aliud suadere videtur. Hinc & modò oratio illa, quæ Collecta impropriè vocatur expiationis causâ semper adjungitur orationibus diei. Præterea utrasque solennes fuisse, vix dubitari posse reor ex Ordinum lectione, in quibus describitur pompa solennis procedendi. Sic in Ordine primo num. 2., & alibi.

III. Quæ verò donarii species Civitas Argentea? Profectò nisi mendum Descriptoris vitio cubet (quòd valde suspicor) arguere licet, Civitatis Argenteæ effigiem in tabula expressam, argenteis videlicet bracteis obductam, quæ in solenníoribus Processibus, & potissimùm in die natali S. Agnetis ornatus gratiâ exponeretur; nam cæterùm in Processibus quæ deferebantur, ad Missæ ἀκολουθίαν pertinebant. Illud demum evincit hìc de Argenta Oppido minimè Agnellum loqui, quòd Civitas illa vocaretur, quæ Episcopo gaudebat, cætera loca Castra dicebantur. Vide ejus rei argumenta apud Duchangium verbo Castrum, & in Appendice primi Tomi verbo Civitas. Id etiam Civitatis Argenteæ ædificationem, sive constructionem tribui potiùs Gemello, quàm Exuperantio, efficit, ut mirum sit bellè adeò hinc Argentæ Oppidi initia intellecta, & Exuperantio attributa.

IV. Verba illa Ædificator Tricoli, sed non consummator videntur hìc irrepsisse aliunde, cùm infra Ædem illam à Petro Chrysologo fundatam narret Agnellus, & versus adjecti id ipsum probent. Hoc ipsum, quæ immediatè præcedunt, & subsequuntur, vix aliàs separabilia, legenti suadent.

V. Quæ sequuntur astruendæ Agnello fidei apprime faciunt; sincerè enim fatetur se cùm vel ex documentis, vel ex ædificiis, vel ex majorum traditione Episcoporum gesta, actaque intellexit, ea scriptis mandasse, cùm verò omnia deerant, ne seriem Pontificum interrumperet, ea dixisse, quæ sibi probabili conjectura vera videbantur. Perperam igitur ex elogiis generalia tantùm tradentibus, argumentum sufficiens visi sibi sunt habere plerique, certa nonnullis Episcopis adscribendi. Verùm multò magìs refelluntur fabulæ Pseudo-dextrinæ à Fabro laudatæ, & refellitur conjectura de epistola Hieronymi huic Exuperantio scriptâ; hæc enim omnia Agnellus ignoravit, & ignoravere Ravennates Agnello Seniores; Utinam autem, quam hic Agnellus in scribendo fidem jactat, & in antiquioribus narrandis utcumque servasse fatemur, ubique, & in recentioribus custodisset, minusque suorum Conterraneorum fabulis, suæque in Romanam sedem aversioni, indulsisset;

AGNELLI

VITA SANCTI JOHANNIS.

τȣ̃ Ἀγγιλόττι.

CAPUT PRIMUM.

Breve Johannis elogium. Basilicæ S. Laurentii, & Sacelli S. Stephani ædificatio. Lauricii Acta.

DE SANCTO JOHANNE.

A Johannes XX. (1) Virtute valde venerabilis, pauperum nutritor, pudicitiâ ornatus, amator castimoniæ, ad cujus orationem angelica agmina descendebant. Mediocris corpore, tenuis facie, maceratus jejuniis, egenorum alimonia tributor. Ipsius temporibus Ecclesia B. Laurentii Martyris, quæ sita est in Cæsarea, constructa ab Lauricio Majore cubiculi Honorii Imperatoris, cum summa diligentia compta esse cernimus miræ magnitudinis ædificiorum. Sed tamen de jam dicta Ecclesia non sileam, quomodo audivi à Narrantibus. Idem Honorius Cæsar jussit huic Lauricio, ut in Cæsarea ei Palatium ædificaret. Qui sumptâ pecuniâ in Cæsaream pervênit, B ibique jam dictam Basilicam Beati Martyris ædificavit. Quæ cum omnibus consummata fuisset, reversus ad suum Dominum, ut ei expletam Aulam commissam narraret; moxque eum turbatum invênit, & sedens Imperiali habitu, ita Architectum Lauricium in ira interrogare cœpit; si tota regalis Aula, quam ei fabricare jusserat, perfecta in suis operibus fuisset. Invidiosa, & prisca fraus malivolos homines aures Imperatoris temptaverant, quòd Beatus Lauricius non ædes Imperiales, sed Ecclesiam ædificasset. Qui respondens ait; magnam Aulam honorificè struxisset, atria, excelsas arces, & cubilia promiscua ad ipsius Domus latera suffulsisset. C Imperatoris ira quievit, qui dum ex longinquo itinere Honorius Augustus ad Cæsaream pervenisset, vidensque sublimia ædificia, placuit valde sibi, qui cùm intus fuisset ingressus, veloci cursu Lauricius fugiens post Sanctam Aram, ut evadere potuisset. Quem cùm jussisset Honorius comprendere, cecidit in faciem suam pronus in terram, & factus in estasim; pretiosissima gemma, quam in corona capitis habebat, infixa est in uno ex lapidibus, suumque caput sursum erigens post nebulatis oculis, visumque receptum, vidit post ipsum Altare Beati Laurentii, quod Beatissimus Papa consecraverat Johannes, stantem prædictum Lauricium, & Athleta Christi Laurentius manum super Lauricii colla tenentem. Tunc Im- D perator Lauricium justiorem se judicavit, & relictâ iracundiâ, ac si Patrem, eum venerare cœpit, & secundùm inseret omnes in Palatio habuit. Vixit autem in Mundi *ipsius* (2) luce annos XCVI. Ipsius Imperatoris temporibus defunctus est in senectute bona. Sequebatur Rex cum militibus lugentibus feretrum, sepultusque est in Monasterio S. Gervasii, & Protasii, juxta prædictam Ecclesiam mirabiliter decoratam musiva aurea, & diversarum lapidum genera, singulaque metalla parietibus juncta. Arca verò illa, ubi præstantissimum Corpus requiescit, tanta perlucida, ut quidam asserunt, fuit, ut à prætereuntibus infra pium Corpus videretur; & cur non hodie apparet, ut prisco apparebat tempore, ut nuper dicam, didici. Nescio nomen quis ille, Imperator voluit ad suam abstrahere utilitatem. Nocte quadam astitit B. Lauricius custodi Ecclesiæ, & dixit; affer cinerem, & aquam, & hinc sepulcrum meum, & postmodum diligenter lava. Quo facto candor evanuit. Alia verò die, cùm venissent Cæmentarii ad tollendum, viderunt deteriorem, nunciaverunt Præposito, qui super vectigalia erat, deinde nunciantes in atria Principis dimiserunt. Usque adhuc, & ipsam Arcam non terra sustentat, neque lapis, & antequam in cubiculum Arcæ ingrediaris, manu dextera aspexeris juxta quod effigies trium puerorum musivo depictæ sunt. Ibi literas aureas invenies continentes ita; *Stefano, Protasio,* (3) *B. Martyrio, & sibi memoriâ æternâ Lauricius hujus dedicavit sub die III. Kal. Octobris, Theodosio XV., & Placido Valentiniano* (4)...... Et in Arcu majoris Tribunæ in quantùm valuimus legere ex parte, invenimus continentia ita; quòd in IV. annis, & VI. mensibus ædificationem consummasent, & finita sunt omnia; & in ingressu Ecclesiæ reperimus scriptum, quòd Opilius (5) multùm eam ornavit in argento, & auro. Et si diligentiùs inquiras, multus ornatus *faralitius* (6) majorum vasculorum, tam coronæ, quamque & *calices* (7) appensorii, quos in ornamentis cernimus habere Ursianam Ecclesiam ex ipsa Martyris Basilica sublati fuerunt. Et ipse sepultus est Opilius parte mulierum circa mediam subditam. Gemma verò illa, unde superiùs memoravimus tam præstantior gemmis fuit, ut ad illius lumen noctu potuisset homo per ipsam Ecclesiam gradere. Etiam, ajunt quidam, extrinsecus fulgebat, & apparet

(1) *Primus*. Bacch.
(2) *istius*. Mur.
(3) *Gervasio*. Mur.
(4) *Hic Theodosius fuit filius Arcadii filii Theodoxii I. Hic Valentinianus fuit gener hujus Theodoxii II., & filius Placidiæ, & Constantii, qui requiescunt Ravennæ.* Bacch.
(5) *ipsam exornasset frontem, qui ipse Opilius*. Mur.
(6) *faralitius* legendum reor *foralitius*, idest extraneus ab ipsa Ecclesia Ursiana, quò deportatus est. Mur.
(7) *Calices appensorii* idem fuere, ac *ansati*. Mur.

ret signum lapidis, ubi infixa fuit usque in præsentem diem.

CAPUT SECUNDUM.

Adventus Attilæ. Johannis occursus. Attila placatur. Hæc ad Johannem Chrysologi successorem spectant.

EO namque tempore, cùm Episcopalem Cathedram Ravennatis Ecclesiæ Beatus jam dictus obtineret Johannes, contigit, ut Attila Rex Hunnorum fines Italorum vastaret, atque suis mucronibus Populorum corpora jugularet. Cùm ad oram Ravennatum properasset, ut eam eversam, & ejus Habitatores telis interemisset, atque illius hostes, ut multitudo locustarum per sablonosa loca susa jacerent, die uno, & altero Ravennam properaverunt cum thoracibus, & clypeis. Ipse verò Rex loricâ indutus, & circumfultus arma bellica, pectusque suum umbone tegebat, cristatus capite cum exercitu gradiebat. Quem ut sanctissimus Præsul sensit Johannes, totus se cum magnis lamentis, & largissimis fletibus in orationem Omnipotenti Domino pronus in faciem stravit, petivitque mortem animæ suæ, ut non suos filios, vel filias, Ravennatesque Cives in exterminium, aut in consummationem videret evelli, vel dissipari, & nec sua Ecclesia contaminata esset ab iniquis, & crudelissimis hominibus, & non videret excidium Civitatis in direptionem prædantium; ut animas illas, quas ipse è superstitiosa gentilitate soli Deo adquisierat, Paganorum non *subjugatis* (1) manibus videret, & ne iterum ad errorem Gentilitatis redirent, & ne animas illas fallacissimus Diabolus suis ditionibus manciparet. Igitur dum Sanctus *in* (2) tota nocte pervigilans sisteret, & pro suis ovibus incessabiliter Dominum deprecaretur fixis in terra genibus, tunsoque pectore colaphis, expansis manibus Deum talibus vocibus deprecabatur. Omnipotens Deus, cujus mirabilia inenarrabilia sunt, exaudi me servum tuum humilem, & peccatorem; suscipe orationem meam piissime Pater; perveniant lacrymæ meæ ante conspectum misericordiæ tuæ. Adesto mihi Deus, (3) qui ex nihilo fecisti Cœlum, verboque solidasti terram, qui super molem statuisti cacumina montium, qui formasti hominem ex liquido elemento, in cujus factura delectatus es, & præcepisti ei te solùm timere. Sub tuo Domine imperio omnia contremiscunt, ante tuum conspectum *fugient* (4) Cœli, trement *terra*, (5) montes commovebuntur, fluenta quassantur, trement Angeli, *metuent* (6) Arcangeli, trepidant Dominationes, Principatus, & Potestates *currunt*, (7) nubes, & aëra disperguntur, Sol obscurat radios, Luna obtenebrescit, caligine claritatem astrorum minuitur. Miserere nobis Formator humani generis, libera nos in manu forti, & brachio excelso, salva nos per tuam sanctam victricem dexteram. Tu es Deus in Cœlo sursum, & in terra deorsum, qui Pharaonem cum curribus, & exercitibus suis in profundum pelagi demersisti, & Israëlitica castra protexisti, qui Amalech evertisti, & Amorrheos contrivisti, qui castra Assyriorum per Angelum tuum sanctum

CXLV. millia prostravisti. Supplico Omnipotens Deus, ut tribuas nobis adjutorium de sanctis Cœlis tuis, quia tu conteres bella. Dominus nomen est illi per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat Deus in unitate Spiritus Sancti, per omnia secula seculorum. Amen. Post verò consummata oratione surrexit de loco lacrymis rore *pleno* (8). Alia verò die valde diluculo processit Beatissimus quasi ad solempnia Missarum, indutusque (9) schemmata angelica cum Sacerdotibus, & Clericis, & cum thurribulis ante illos incensa offerentes, cum ingenti lumine canendo, & Deo psallendo simul ad prædictum Regem Attilam properaverunt. Tanta etenim Divina pietas institit, ut cor Regis non solùm ferocis lenocinia viderentur, sive corruscantia vestimenta viderentur esse deposita, verùm etiam pro sanctissimo Viro Rex cum suis exercitibus adversùs alium, si necesse fuisset, dimicaret Regem, & quos nuper venerat perdere, postmodum defensaret. Igitur sedente Rege in regali solio, vestimenta auro textilis, purpurâ indutus, videns eum à longè venientem ad se cum suis psallentem Sacerdotibus, ad suos ait; unde sunt Viri isti candidissimi psallentes, vel unde venerunt, aut quid volunt? Ego enim tales homines nunquam meis visibus vidi, nive candidiores, præ omnibus pulcriores, & valde electi. Et iste, qui prævius eorum est, quasi Angelus Dei? Hi, qui aderant respondentes dixerunt Regi; Domine invictissime Rex triumphator, virum istum, quem in medio candidorum stantem, & plorantem cernis, supplicare tuum potentem brachium, ut parcas, venit, misericordiam petit, pietatem tuam postulat. Rex autem ad illos; ob quam causam? Dixeruntque, ne floridam Ravennam in exterminio tradas, ut ad *lætitia* (10) Cives Civitatis restituas. Iterum Rex interrogans ait; & unde est ille? Et dixerunt; etiam ipsius Episcopati sedem ipse regit; & ait Rex; interrogate eum, quid sibi vult, aut quale solatium illi impendet, vel pro qua causa ille nostris aspectibus stravit, & respondentes Regi dixerunt, audientes omnes; virtutem tuam magnam, & manum tuam validam, & tuum esse potentissimum brachium, phalangasque tuas robustas; ideo hic Vir venit ad te, & pro suis filiis cupit animam suam morti tradere, ne suæ subversionem videat Civitatis, quia fama tua victoriosa in omnem terram crevit, & maximè divulgata est. Dixitque ad illos Rex; quid dicitis inauditam rem? Vestris sermonibus asperis aures meas tentastis. Nonne mundana lex censuit, ut quicunque Regis aures inutilia nunciaverit, gladium jubet demoliri? Dicite mihi ò vos omnes, qui hanc causam nostis, & diligentiùs curiosè audiam; quomodo potuit hic unus homo tantos filios procreare? Et respondentes de astantibus Regi cum nimio metu, & veneratione, timore territi dixerunt; non est ita, ut noster arbitratur Dominus, tamen si vultis audire, quomodo sui filii sunt, veris assertionibus, & certissimis eloquiis manifestemus. Non ex conceptu carnis, aut ex pollutione libidinis, sed spirituales filii sunt, quos ipse Omnipotenti Deo adquisivit, & ex Paganorum cultu pertraxit. Pro ipsis desiderat mori, pro ipsis se sacrificium offert, ut ante-

(1) *subjugatas*. Mur.
(2) *Vir*. Mur.
(3) *meus*. Mur.
(4) *fugiunt*. Mur.
(5) *terrae*. Mur.
(6) *metuunt*. Mur.
(7) *corruunt*. Mur.
(8) *plenus*. Mur.
(9) *Idest ornamenta*. Bacch.
(10) *laetitiam*. Mur.

A antequam vel unus ex suis ovibus extinctus sit, antea se cupit tuo vibrante brachio gladio jugulari. Audiens itaque Rex hujusmodi verba per unam scilicet horam in semetipsum contremuit, & facies ejus immutata est, vultus ipsius erat pallore præditus, corque ejus maxima *tempestas* (1) quatiebatur, & cogitationes invicem variæ succedebant. Mens illius vagabat, consilia ejus in diversa rapta sunt, toto obstupuit corpore, in estasim factus est, & quòd coram illo astaret talis sanctissimus Vir, qui Angelicam faciem contemplare meruit, quem quotidie ad cœlestia *colebat* (2) mente, cui sanctissimæ ad sydera resonabant laudes, qui Sanctis Prophetis assimilatus est, & Sanctorum Apostolorum imitatus est præconia, etiam Dominum B imitavit Christum, qui se pro suis tradidit ovibus. Sed Christus Deus Dei Filius pro nobis miseris in fixura Crucis ex corpore animam prodiit, & de fauce Draconis hominem, quem ex limo dudum condiderat, iterum reparavit, & postmodum rediit ad sedem supernam. His itaque gestis sensus Regis ad eum reversus est, & qui nuper mentecaptus esse ab hominibus videbatur, Sancti Viri intercessionibus ad propriam (3) redditus est intelligentiam. Exclamavit autem dicens; ò bonus Pater, qui pro suis filiis se obtulit morti! ò inenarrabilis mansuetudo! ò beata tolerantia. (4) Iste se pro omnibus tradidit, & talem Domini sui fidelitatem C incorruptam bajulat, ut moriatur ille, antequam commissis ovibus quispiam vinctus educatur. Bonus Pastor Sanctissimus Vir, dignus, Deo suo fide probatus. Et ait Rex Beato Papæ Johanni. Tibi Pater omnia concessa sunt. Ecce non levabo lancem meam super plebem tuam, nec vibrantem frameam mittam, nec lituus militiæ meæ sonabit ultra auribus vestris. Unum est tantùm, quod facere vobis oportet. Cives *autem* (5) tui valde ingeniosi, & solertissimi sunt, ne dicant illi de me, quia expulimus eum fraude deceptus, posteaquam tam mihi, quàmque meis exercitibus vituperium *adhærescat*. (6) *Tuam* (7) denique *Sanctitatem* (8) mollivit D cor meum. Ite celeriter, & portas vestras in terram strate, & quadrato muri foramine reserate, & transeam per mediam civitatem. Equorum meorum ungulæ conculcent portas vestras, nihil nocemus cuipiam, nec ullas molimus insidias, neque aliam injuriam patietis. Ideo hæc facite, ne alii de alia oppida dicant; Ravennam demolire, neque subjugare potuit; *ubi* (9) contritus est ipse cum exercitu suo, terga dedit, in fugam versus est, & fiant viribus meis verecundiâ pejora, quàm in cæteris Regibus prædecessoribus meis, qui longinquo tempore præfuerunt. Nunc in extremis est dies, & nox sidus perducente hic pernoctabo, vespere verò prima lux diei insurgente ex vestris finibus proficiscar. Tunc Sanctissimus Johannes ad suam E urbem cum nimia celeritate se recepit, & excussæ de cardinibus portæ civitatis, in terra projectæ sunt, & patefacta hostia superliminaria nuda permanserunt, hostesque illius per totam noctem Ravennenses plateas circumeuntes, una ex altera parte civitas transmeavit. Alia verò die valde diluculo sol cum rutilo procedente Attila Rex Ravennam ingressus est, & sedens in velocissimum animal cornipedem prædictæ civitatis hostia calcans, vectes cum clavibus, & ferris ante eum allatæ sunt, & nihil exinde aliquid subripere voluit. Cives verò formidabant magno timore perculsi, & extemplò illorum omnia ferocitate corporum revoluta sunt, imbecilles facti, trementes, gementesque cum magnis suspiriis cœlestem Dominum invocantes. Igitur egressus extra civitatem magnis laudibus ante illum præibant, ornatasque cunctis plateis, diversisque floribus civitas decorata, fit postmodum ingens *alacritas* (10), & majores, nec non pusilli, & mediocres immensa lætitia, quia quòd Rex suis oculis magnæ civitati cumspexit, de Cœlo illius furia mitigata, illæsam Ravennam post tergum reliquit. Ex illo denique die non in tanta crudelitate perseveravit, & sine bello commisso ad proprium reversus est Regnum, & non tantùm viribus fortior fuit, sed ingeniosè præliabat, unde de eo in proverbiis dicitur; Attila Rex, priusquam arma sumeret, arte pugnabat, & post hæc omnia à vilissima muliere cultro defossus, mortuus est. Sufficiat nunc vobis hodie de Viri Sancti istius vita audire. Tempus enim prope est, jamque sol duplicat umbras, & obtenebrescit dies, deficit hora. Tamen qui me curiosiùs vult cogere, unde scripsi supra, quomodo Vir iste Sanctus mortali corpore positus Angelicam spiritualem contemplasset effigiem, si post triduum imbecillis non fuero, divino potente auxilio, antiqua verba, quæ olim meis auribus insonuerunt, velut diversa olera calathis posita maximis characteribus literarum stylo exaratis, vestris feram conspectibus.

CAPUT TERTIUM.

Odoacer à Theodorico devincitur, qui Ravennâ potitur. Johannes Regem placat, propitiumque Ravennatibus reddit. Alia de Theodorico. Hæc pariter ad alterum Johannem spectant.

Externa denique die modicâ molestiâ corporis coartatus non vobis omnia valui prædicti Sancti Viri miracula narrare; sed tamen divinâ miserante clementiâ orationibus vestris ......, quæ ex grandævis Viris narrantibus audivi, si verba meminero hodie explicabo. Cùm istius temporibus, postquam pons Apollenaris Ravennæ concrematus est nocte in Pascha quarto Nonas Aprilis, juxta Strovilia Peucodis non longè ab Urbe Ravenna applicuit Theudericus fuisset cum hostibus suis in Campo, qui vocatur Candiani, postquam duabus vicibus Odoacrem superavit, qui illo tempore Regnum Ravennæ obtinebat. Tunc exiit Odoacer ad prædictum Campum cum exercitu suo, & superatus est tertiò, & ante faciem Theuderici terga dedit, & infra Civitatem se clausit, & abiit ad Ariminum, & venit exinde cum Dromonibus in Portu Lione, ubi postea palatium modicum ædificare jussit in Insula non longè à litore Maris, ubi nunc Monasterium Sanctæ Mariæ esse videtur infra balneum non longè ab Ravenna milliario VI. Et nunc in nostris temporibus prædictum palatium servos meos demolire jussi, & Ravennam perduxi in ædificio domus meæ, quam à funda-

(1) *tempestate*. Mur.
(2) *extollebatur*. Mur.
(3) *suam*. Mur.
(4) *amplissimaque sapientia*! Mur.
(5) *enim*. Mur.
(6) *adrescat*. Mur.
(7) *Tua*. Mur.
(8) *Sanctitas*. Mur.
(9) *ibi*. Mur.
(10) idest *lætitia*; sic passim alibi. Bacch.

damentis ædificavi jure materno, quæ vocatur Domus presbyteralis in regione, quæ dicitur ad Nymphæos juxta Ecclesiam S. Agnetis Martyris, & ab alia parte numero Bando primo non longè à Milliario aureo. *Tandiu* (1) exercitus Theuderici *fame* (2) perdomuit, quamdiu coria, vel alia immunda, & horrida urguebantur comedere, & multa corpora, quæ servata sunt à gladio, fames peremit. Et factus est terræmotus magnus valde gallorum cantu septimo Kal. Januarii. Et dedit Odoacer Theuderico filium obsidem quinto Kal., & post quatuor menses est civitate Classe ingressus. Post hæc autem Vir Beatissimus Johannes Archiepiscopus aperuit Portas Civitatis, quas Odoacer clauserat, & exiit foras cum Crucibus, & thurribulis, & Sanctis Evangeliis pacem petens cum Sacerdotibus, & Clericis psallendo in terram prostratus. Obtinuit, quæ petebat. Invitat novum Regem de Oriente venientem, & pax *illi* (3) ab eo concessa est, non solùm *Ravennensis Civis*, (4) sed etiam omnibus Romanis, pro quibus Beatus postulavit Johannes. Et subiit Ravennam tertio Nonas Martias. Post paucos dies occîdit Odoacrem Rex in palatio in Lauro cum comitibus suis. Postquam jubente Theuderico interfectus est Odoacer, solus, & securus regnavit Romanorum more. Omnes adversarios devictos trigesimo Regni sui anno Ravennianum exercitum in Siciliam misit; depopulavit, & suis ditionibus mancipavit. Et ipsius temporibus à parte Aquilonis ab omnibus visum est Cœlum ardere. Symmachus, & Boëtius Patricii, Theuderico jubente, carne propinqui, Civesque Romani cum securibus capitibus amputati sunt: & Johannes Papa Romanus post legationem de Oriente cum Ecclesio Episcopo Ravennæ jussu Regis Ravennam ductus ab Theuderico coartatus est, & tandiu detentus est, quandiu mortuus, & infra carcere publico in Arca marmorea sepultus est. Et supradicti Patricii in alia Arca *sepultus*, (5) quæ permanet usque in præsentem diem. Theudericus autem post XXXIV. annos Regni sui cœpit claudere Ecclesias Dei, & coartare Christianos, & subitò ventris fluxum incurrens mortuus est, sepultusque est in Mausoleum, quod ipse ædificare jussit extra Portas Artemetoris; quod usque hodie vocamus ad Farum, ubi est Monasterium S. Mariæ, quæ dicitur ad memoriam Regis Theuderici. Sed, ut mihi videtur esse, Sepulcro projectus est, & ipsa urna, ubi jacuit, ex lapide prophyretico valde mirabilis, ante ipsius Monasterii aditum posita est. Sed satis vagatus sum per diversa, ad nostra revertamur.

CAPUT QUARTUM.

Privilegium suppositítium Valentiniani pro Ecclesia Ravennati. Valentinianus Ravennam ornat, & munit.

MUlta Sanctitas fuit in prædicto Viro Johanne, & cùm ad aures Valentiniani Imperatoris ejus fama devenisset, per multa *opera* (6) cupierat eum videre. Sed nihil nociva sunt, quæ superiùs explicare debui, ut non obmittamus, inferiùs notemus. Quamobrem Valentinianus Serenissimus ex Patre Constantio Gallæ Placidiæ filius ad Sanctum Pontificem properavit Johannem, & excusso diademate capitis vocum metu, & reverentia salutavit, atque ab eo benedictione percepta hilari vultu recessit. (7) Non post multos dies idem Augustus sub consecratione B. Johannis Antistitis XIV. Civitates cum suis Ecclesiis largitus est Archieratica potestate, & usque in præsentem diem XIV. Civitates cum Episcopis sub Ravennæ Ecclesia redactæ sunt. Una verò Episcopalis Cathedra Civitas destructa deest, cujus vocabulum Brintum dicitur, non longè à Bononiense Urbe. Iste primus ab Augusto pallium ex candida lana accepit, ut mos est Romanorum Pontifici super duplo idem induere, quo usus est ipse, & Successores sui usque in præsentem diem. Celsam etenim Valentinianus illo in tempore Ravennam tenebat arcem, (8) Regalemque aulam struere jussit in loco, qui dicitur ad Laureta. Ideo Laureta dicitur, quia aliquando triumphalis victoria facta ibidem fuit. Antiquorum talis erat ritus, ut quicumque de inimicis, vel hostibus triumphabat, corona laurea ejus capiti cingebatur, unde apud Veteres Laudis nominabantur. Post verò sublatâ *d* literâ, additâ *r*, ipsa arbor laurus dicta est. Et in ipsa Domo regia multo tempore Valentinianus commoratus est, & hinc, atque inde ex utraque parte plateæ Civitatis *magnæ*. (9) Mœnibus decoravit, & vectes ferreos infra viscera muri claudere jussit. Ideo tanta *illi* (10) solertia fuit, ut non solùm pro ornatu vectes ferreos apparerent, verùm etiam, si aliquo quoquo tempore Gens aliqua contra hanc Civitatem dimicare voluisset, ut si non tanta arma, ut opus fuisset, inventa essent, ex ipsis vectibus sagittas, lanceasque, vel alios facerent gladios, aut pro aliqua utilitate, ut diximus, istius Mœniæ ferrum expenderent, qui etiam istius muri Civitatis multùm adauxit. Cingebatur autem antea, quasi unum ex Oppidis, & quòd priscis temporibus angustiosa erat, idem Augustus ingentem fecit, & jussit, ac decrevit, ut absque Roma Ravenna esset Caput Italiæ.

CAPUT QUINTUM.

Ecclesia S. Crucis ædificata à Galla Placidia. Singleida alteram S. Zachariæ construit. De Galla Placidia alia.

INterea cùm illo tempore mater Valentiniani Augusta Galla Placidia Ecclesiam S. Crucis Redentricis nostræ ædificaret, Nepta ipsius nomine *Singleida* (11) nocte quadam per visum ammonita; cui adstitit Vir in candidis vestimentis canitie capitis decoratus, pulcherrimaque barba, & dixit; in illo, & in illo loco non

(1) *Tamdiuque*. Mur.
(2) *famis*. Mur.
(3) *illa*. Mur.
(4) *Ravennensibus Civibus*. Mur.
(5) *sepulti*. Mur.
(6) *tempora*. Mur.
(7) Hæc de Metropoli Ravennate per Valentinianum Augustum constituta, & Pallio dato, agnosce Lector falsò ab Agnello schismatico homine scripta. Lege, quæ de hac re in Præfatione sunt dicta, quæ sufficere Agnello, & his, qui Agnello credidere, confutandis confido. *Bacch.*
(8) *Domus in Ravenna nomine Laureta. Juxtà domum hanc est via, sive regio, quæ vocatur Laureta in qua passus est Beatus Eustachius, ut habes in Martyrolog. Rom. IV. Idus Octobris*. Bacch.
(9) *magnis moenibus*. Mur.
(10) *illius*. Mur.
(11) *Singledia*. Mur.

non longè ab hac S. Crucis Ecclesia, quam Amita tua ædificare jubet, quantùm jactum sagittæ est, construe mihi Monasterium, sicut designatum inveneris (1) in terra, Crucis *similitudine*. *Sit ibi Altare* (2) consecratum, & impone meum Zachariæ vocabulum, Præcursoris pater. Quæ mox vigilans cucurrit citiùs ad locum, ubi designatio illi ostensa *fuerit*. (3) Invênit quasi ad manus hominis cavatum fundamentum fuisset. Quæ mox *procurrens* (4) retulit Augustæ cum gaudio magno, & petiit ab ea operarios. Largivitque illi XIII. ædificatores, & statim cœpit ædificare, ut designatum invênit, in bissenosque dies, & unum insuper omnia construxit, & ad effectum perduxit, & consecravit, ditavitque eum in auro, & argento, & coronis aureis, & gemmis pretiosissimis, & calices aureos, quos in Nativitate Domini (5) procedunt, & per quos Sanguinem Domini *portamus*, (6) in Sancta Ursiana Ecclesia, inde fuerunt. Et juxta labellum Calicis sic invenimus scriptum; *offero S. Zachariæ Galla Placidia Augusta*. Ipsaque *Singleida* (7) ibidem requiescit. Sepulcrum ejus nobis cognitum est. Galla verò Augusta ædificavit Ecclesiam S. Crucis pretiosissimis lapidibus structam, & gypsea metalla sculpta. In rotunditate arcus versus metricos continentes ita.

Christum fonte lavat Paradisi in sede Johannes,
Qui vitam tribuit felicem martyrem (8) *monstrat.*

Et in fronte ipsius templi introëuntes pili janua desuper depicta quatuor Paradisi flumina, versus exametros, & pentametros, si legetis, invenietis.

Christe Patris Verbum, cuncti concordia Mundi,
Qui ut finem nescis, sic quoque principium.
Te circùm assistunt dicentes ter Sanctus, & amen
Aligeri testes, quos tua dextra regit.
Te coram fluvii currunt per secula fusi
Tigris, & Eufrates, Phison, & ipse Geon.
Te vincente tuis pedibus calcata per ævum
Germanæ mortis crimina sæva tacent.

Et dicunt quidam, quòd ipsa Galla Placidia Augusta super quatuor rotas rubeas marmoreas, quæ sunt ante nominatas (9) regias, jubebat ponere Cereos statos cum manualia ad mensuram, & jactabat se noctu in medio pavimento Deo fundere preces, & tandiu pernoctabat in lacrymis orans, quandiu ipsa lumina perdurabant. Et si vultis inquirere Annologiam Maximiani Archiepiscopi, Chronicam legite. Ibi plura de ea, & de multis Imperatoribus, & Regibus invenietis. Ipsa quoque Augusta postquam à quodam Athulpho relicta est, ab Honorio Imperatore Constantio Comiti in matrimonium data est, & post se quasi successorem Imperator reliquit. Unoque anno Constantius post mortem Honorii Gentibus imperavit, morbo correptus vitales auras amisit. Et reliquit filium modicum Gallæ, Valentinianum nomine. (10) Cùm bis ternos annos, & quatuor tempora anni Valentinianus esset, Divo Honorio Patruo suo in Imperium successit, qui triginta, & unum annis in Imperio durans Romæ occisus est in loco, qui vocatur ad Laurum.

CAPUT SEXTUM.

Gallæ Placidiæ obitus. Aquileja capta ab Hunnis. Basilica Sancti Johannis Evangelistæ ædificatur.

GAlla verò non vidit necem filii, quia antea Romæ obiit V. Kal Decembris. Apparuit post hæc Stella in Cœlo ardens per dies XXX., & capta, & fracta est Aquileja ab Hunnis. Arsit Ravenna Idibus Martii, & multæ opes ab igne crematæ sunt. Sepulta est Galla Placidia in Monasterio S. Nazarii, ut ajunt multi, ante Altarium infra cancellos, qui fuerunt ærei, & qui nunc lapidei esse videntur, ædificavitque Ecclesiam S. Johannis Evangelistæ. Cùm esset angustiosa per discrimina maris gradiens, orta procella, carina *quassante* (11) à fluctibus, putans mergi in profundum, Deo votum vovit de Apostoli Ecclesia. Liberata est à furia maris. Et infra tribunam ipsius Ecclesiæ super capita Imperatorum, & Augustarum legitur ita; *confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, à templo tuo Hierusalem tibi offerent Reges munera*. Et desuper alium versum inveniens sic legentem; *Sancto, ac Beatissimo Apostolo Johanni Evangelistæ Galla Placidia Augusta cum filio suo Placido Valentiniano Augusto, & filia sua Justa Grata Honoria Augusta, liberationis periculum maris votum solventes*. Iterumque ædificavit Ecclesiam S. Stephani in Arimino. Quid adhuc? Melius est mihi tacendo præterire, quàm per avia, & antiqua discurrere. Redeamus ad prædictum stadium, & de nostris Pontificibus sine mora loquamur; dignus est enim jam suus Successor introduci. Sed tua facta, ò B. Petre Chrysologe, quis sufficiat narrare? Etiamsi vox mea excreverit adamantina, & æreum pectus, & centeni mei versus in ligariis fuerint, sic nec omnium facta vestrorum narrare possum.

CAPUT SEPTIMUM.

S. Johannes inter Missarum Solennia Angelum videt. Ejusdem obitus, & sepulcrum.

IGitur Beatissimus Papa, qui Ravennæ Præsul superiùs nominatus Johannes in Basilica B. Agathæ Missarum solempnia canens, cùm omnia expleret juxta ritum Sanctorum Pontificum, post lectionem Evangelii, post protestationem, Catechumeni viderunt mirabilia, quibus datum fuit videre. Cùm autem Beatissimus inciperet canonica verba cum supplicationibus Deo dare, & super hostiam signum Crucis imprimere, subitò Angelus de Cœlo venit, & stetit ex altera parte Altaris in conspectu ipsius Pontificis, & post expletam sanctificationem, cùm Corpus Domini percepisset, voluit Diaconus adimplere Levitæ ministerium.

Non

(1) *& ibi ubi inveneris*. Mur.
(2) *similitudinem, sit ibi Altarium*. Mur.
(3) *fuerat* Mur.
(4) *praecurrens*. Mur.
(5) Et hic donariorum mentio, quæ in Processibus deferrebantur. *Bacch.*
(6) *potamus*. Mur.
(7) *Singledia*. Mur.
(8) mendum *cubat*. *Bacch.*
(9) regiæ, rogæ, de quibus passim Anastasius, & Ordines Ecclesiastici. *Bacch.*
(10) *Valentinianus successor Constantii in Imperio; & ut hic apparet, iste Valentinianus fuit mortuus Ravennæ*, legendum *Romæ*. Bacch.
(11) *quassata*. Bacch.

Non viderat, quòd erat Calicem porrigere. Subitò amotus ab Angelo est, & Sanctum Calicem Angelus Pontifici porrexit. Tunc universi Sacerdotes cum Populo cœperunt timere, & horrere, videntes Sanctum Calicem à semetipso inclinatum ab ore Pontificis, & iterum in aëre se super Sanctum Altare recipi. Intentio magna valde in Populo adcrevit. Alii dicebant, non Levita dignus. Alii adfirmabant, non, sed visitatio cœlestis. Et tam diutissimè Angelus juxta Sanctum Virum stetit, quousque expleta fuissent solempnia Missarum. Non post multum temporis, *benedixit* (1) filiis suis, Ravennenses Cives, cum alacritate, quasi ad dapes *invitatus*, (2) alacri vultu dies cum vita finivit Non. Junii. (3) Sepultus est in prædicta Sancta Martyris Basilica post Altare, in quo loco, ubi Angelum stantem vidit, effigiemque ejus super Sedilia depictam quotidie conspicimus; apparetque fuisse tenui forma, & nigri capilli, paucos canos; sed sanctitate ætatem superavit, quia cœlestis Dominus plus mentes, quàm ætates comprobat. In sensibus fides geritur, non in annis. Et ad ejus effigiem infra orbita intus in Ecclesia Ursiana per omnem noctem, usquequo suffixa Ecclesia renovata est, clari luminis candela fulgebat. Ego enim fratres, sicut promisi, in quantùm valui, favente Deo, istius Vitam finivi. Modò S. Petrum Chrysologum ipsius successorem intromittam.

CAPUT OCTAVUM.

Auctoris ad Vitam S. Johannis meditationes.

Tamen cui assimilare possumus Beatissimi Vitam Johannis si requirimus, cum multis Patribus. Si vestris placet obtutibus non *respicite*, (4) & si fortè fefellero, indulgete; hæc enim dico ad vestri ædificationem animi. Homines sumus, & humanis casibus subjacemus. Propheta ergo videns nos carne indutos fragili in noxa istius gurgitis volutari, exclamans ait; *omnis homo mendax*. Sed palàm (5) vobis veniam peto, non *parvitate* (6) tumida, sed humilitate plena. Hunc enim Virum forsitan cum Jacob Patriarcha similare potero? Quando Jacob Angelum tenuit, & non ire sinivit, dixit illi Angelus; *dimitte me, aurora est*. Qui respondit; *non dimittam, nisi benedixeris me; & in eodem loco Angelus benedixit eum*. Huic enim non benedixit Angelus, sed Corpus Domini cum Sanguine dedit. Oh mihi in parte ultima vitæ, quis tale sanctificatum Corpus, & Sanguinem Christi dedisset, ut quod meritus non sum accipere in Vita. utinam in egressione animæ fuissem! Imitavit Vir iste David (7) .... Angelum cædentem Populum extendisse manus super Hierusalem ait; *obsecro Domine vertatur manus tua super me*. Et iste à Rege, cùm requisitus fuisset, quid vellet. manifestatus est, & pro suis ovibus desiderat mortem. Tunc Rex pacem, quam Pontifex petierat, largivit; David propter sua peccata, quia præsumpsit numerum obtinere, quem Deus ut arena multiplicaverat maris .... Hic autem Rex expugnaturus erat Civitatem propter peccata Populi. quia aliquanti tepidi erant fidei; sed Sancti Viri orationibus istius, & Regem mitigavit,

A & Dei misericordiam ad se inclinavit. Alio assimilabitur Viro Tobiæ nomine, ad cujus nuptias Raphaël Angelus missus est, & ut imitaret Patrem, & visum redderet. Istum verò & visitavit, & sui Ministri vicem peregit. Zacharias denique ille magnus Sacerdos, cujus filius in adventu Domini Nostri Jesu Christi non solùm æquiparavit Prophetas, sed omnibus præcessit, quem ante Deum Sanctum Evangelium justum commemorat, Angelum intuens mutus effectus est. Iste Angelicam contemplatus effigiem hilaris, & lætus permansit. Quare hoc? Quia Zacharias dubium se credidit habere filium, eo quòd frigescerat sanguis, & processerat in diebus multis. Et si dubius fuit de cœ-

B lesti nuncio, quomodo eum Evangelista justum commemorat? ait enim de Zacharia, & Elisabeth; *erant ambo justi ante Deum*. Quid est hoc? Quomodo potest fieri? Dicat David; *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Audi & Job, *ecce enim Cœli non splendent, & Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus*. Quantò magis *homo putredo, & filius hominis vermis*? Petrus autem, cui in Cœlo, & in terra potestas solvendi, & ligandi data est, & claves Regni Cœlorum traditæ sunt, dicit; *exi à me, quia homo peccator sum*. Et si Apostolorum Princeps se peccatorem *comperit*, (8) quomodo Evangelista *connubium dictum*, (9) justum commemorat ante Deum esse? Veniat Manasses, dicat cum

C Evangelista, Abraham, Isaac, & Jacob, (10) qui non peccaverunt tibi. In hoc loco ideo semini dixit, idest Christo, non seminibus, juxta quod dictum est Abrahæ; *in semine tuo benedicentur omnes Tribus terræ*. Semini in unum, seminibus in multis. Ante Dei, namque oculos nullus liber invenitur, sicut ait Salomon; non enim est homo super terram, qui faciat bonum, & non peccet. Ante conspectum Divinæ Majestatis terribiles visiones sunt; ibi enim Angeli tremunt, Archangeli metuunt, pavent Throni, terrentur Dominationes, ruunt Potestates, formidant, Principatus, commoventur Virtutes Cœlorum, pertimescunt Justi, Terra fugit, Elementa quassantur. Et homo, qui ex

D inquinamentis natus, insuper peccati servus, quomodo justificatur? Audi Job; *quis potest ante eum apparere mundus natus de muliere?* Charitati vestræ peto mihi indulgentiam, vel etiam veniam modicam concedite, quia hodie fatigatus ex humanis negotiis, sed gravatus somno, non corpus refocillavi. Non vobis gravis appareat de istis quæstionibus, quia, largiente Domino, si vita comes fuerit, crastina explicabo. Et si aliqua intercesserit dilatio, & citiùs nodum quæstionis non soluero, sanctum imitamini Evangelium, sicut ait; *patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*. Non me judicate ut inscium; Nisi dilator. Sed Zacharias quomodo justus? Aut quomodo David eru-

E ctuans; *nullus vivens ante Deum justificatur?* Aut quomodo Manasses dicens; *Abraham, & cæteri, qui non peccaverunt tibi Domine?* Aut quomodo Moyses intonans ait; *Dominator Domine Deus misericors, & clemens, nullusque apud te per se innocens est*. In posteris verbis explicabo: quid multifaria necesse est, quàm istius, qui ex Ægypto plebem duxit, qui mare tumidum ut molem stare feci, qui mannâ Populum in

(1) *benedictus*. Mur.
(2) *invitans*. Mur.
(3) *Obiit circa annos Domini DLXIX*. Bacch.
(4) *respuite*. Mur.
(5) *omnibus*. Mur.
(6) *protervitate*. Mur.

(7) *sicut audituri estis. Cum vidisset autem David*. Mur.
(8) *conspicit*. Mur.
(9) *Sacerdotem connubio junctum*. Mur.
(10) *& semini eorum, justum Abraham, Isaac, & Jacob*. Mur.

in Eremo cibavit, qui de caute aquam produxit, cujus manus gravis Amalech interiit, qui Chananæorum Regem contrivit; qui Ethan fluvia siccavit; qui laticem potus amarum, & indictum per lignum potabilem fecit, qui in Sina verba legis in binis lapideis Tabulis accepit, cujus facies Solis rutilum superavit, qui æreum serpentem pro plaga Israëlitica in Eremo exaltavit, cujus inimicos terra absorbuit, qui vitulum aureum confregit, qui cum Deo, quasi cum amico, facie ad faciem locutus est, qui per columnam nubis diei, & noctis igneam Israëliticum protegebat exercitum, cujus super hæc omnia Angelus in ministerium datus est, dicente Domino; *ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat semper*. Ita huic Viro S. Johanni custodem corporis ex Cœlis Angelum misit; sed ista omnia, quæ superiùs nodis alligata enixiùs reliqui, quomodo justificetur homo, aut quomodo in peccatis moretur, vel condemnetur, in sequenti sermone, ut fastidium non creetur, in Vita Sancti alterius Viri, donante Domino, gratanter nunciabo. Rexit autem Beatissimus iste Johannes Ecclesiam suam annos (1) XVI., menses X., dies XVIII.

OBSERVATIONES
AD VITAS
S. JOHANNIS ANGELOPTI,
ET
JOHANNIS II.

Chronologica recapitulatio. Cubiculariorum officium. Subditæ in Basilicis locus. Monasterii nomine apud Agnellum quid veniat? Mortuorum corpora an intra Basilicas sepelirentur? Nonnulla ad Chronologiam spectantia pro Attilæ, & Theodorici ætate. Eorundem Acta illustrata. Valentiniani Privilegium pro Ravennate Ecclesia supposititium. Gallæ Placidiæ Stemmata, Paternum, ac Maternum. Liturgica nonnulla.

I. EX *allatis supra in Dissertatione postrema apparet, huc in unum duorum saltem Episcoporum ejusdem nominis Acta confluxisse. Porrò facili negotio ea, quæ ad Angeloptem spectant, discernuntur, ac ea ferè sunt, quæ Valentiniano adscribuntur, nonnulla verò ex his, quæ Gallæ Placidiæ Augustæ. Dedicatio Sacelli à Lauricio constructi nullo modo ad Honorii tempora spectare potest ex Consulari nota Theodosii, de qua suo loco. Observandum etiam est, plura hìc tradi à Nostro de Theodorico, & aliis, quæ sunt per* προληψιν *anticipata.*

II. Duorum clarissimorum Virorum labore Templum D. Laurentio dicatum à fundamentis ædificatum, ornatumque exhibet Agnellus; prior Lauricius, secundus Opilio fuit. Lauricium Maiorem cubiculi Imperatoris primò vocat, postmodum Architectum. De Opilione tradit ornasse eundem Templi faciem, & Basilicæ pretiosa donaria obtulisse. Quod spectat ad Lauricium vix aliàs inter officia Domus Augustæ Imperatorum, sive Orientalium, sive Occidentalium mentio occurrit Maioris cubiculi. Fortè tamen munus hoc idem est, ac Præpositus Sacri Cubiculi, de quo in Cod. Theod. lib. 6. tit. 8., & l. penult. C. de Præposit. Sac. Cubic. Anno CCCCXXII. Honorio XIII. & Theodosio X. Macrobium Virum inlustrem ad ejus muneris honorem provectum ostendit laudata Codicis Theod. lex, vivente adhuc Lauricio, qui proinde dignitatem antea gesserat. Quo autem gradu essent ex ejus legis Decreto, qui præpositi munere functi fuerant, ostendit lex ipsa; qui Sacri Cubiculi nostri fuere Præpositi, vel nunc esse cœperunt, vel quos postea sors ad ascendendi hujus gradum fastigii devocarit, ea dignitate fungantur, qua sunt præditi, qui Eminentissimam Prætorianam, & Urbanam meruerint Præfecturam, aut certè militarem magisteriam potestatem, ita ut sit inter eos post depositas administrationes nulla discretio. *Cubicularii etiam nomine* κατ' ἐξοχὴν *Præpositum vocatum indicant Acta in Concilio Ephesino contra S. Cyrillum, ubi* κυβικυλάριος *honoris causâ dicitur* μεγαλοπρέπεστατος, κὰι φιλόχριστος. *Epistola Comitis Irenæi ad Orientales;* τὸν μὲν μεγαλοπρεπέστατον, κὰι φιλόχριστον κυβικυλάριον Σχολαστίκιον, ἔπεισαν ὁμολογούμενον, *quæ ad Lauricii tempora spectant, & ad ejus dignitatem discernendam. Ita Eunuchis, qui Cubiculariorum gregem constituebant, ad summos honores via patebat, ex quibus Lauricium unum fuisse consequens fit. Architectum autem illum vocat Noster, quòd ædi struendæ præfuerit, & rationem præscripserit. Nec aliud de Opilione statuendum censeo, qui ornandam curaverit Basilicæ faciem, & pretiosa donaria religionis causâ eidem Basilicæ contulerit, seque ibidem post fata tumulandum voluerit.*

III. Sepulcri hujus locum designat Noster, sed vocabuli barbarie tenebras affundit, quæ efficiunt, ut ab eo explicata ulteriori explicatione indigeant: & ipse, *inquit*, sepultus est Opilius parte mulierum circa mediam Subditam. *Quæ in Basilicis esset pars mulierum satis superque constat, nec plura addere vacat in re compertissima. Quæ verò ex Basilicæ ædibus* Subdita *nuncuparetur, non licuit usque in hanc diem cognoscere. Cùm Christianorum Veteres Basilicæ tum Græcæ, cùm Latinæ in partes interiores, ac exteriores distinguerentur, ut saltem dignoscatur, an pars illa, quæ Subdita apud Agnellum audit, ad interiores, vel ad exteriores pertineret, pendere videtur à celebri quæstione illa, quæ plures exercuit Scribentes, utrum videlicet intra Basilicas sepelirentur defunctorum Fidelium cadavera, quo de argumento affirmativam sustinens, novissimè egit eruditus, mihique arcto amicitiæ vinculo charus Ludovicus Muratorius, Dissert. 7. ad clarissimum Virum Johannem Ciampinium in primo Anecdotorum suorum volumine nuper edito. Qua in re plurimam lucem ex Agnelli Opere affulgere mihi videor videre. Solenne enim illi est distinguere inter Basilicas, seu Ecclesias, & Monasteria. Basilicarum, seu Ecclesiarum vocabulo intelligit, quod voces ipsæ sonant, nec ulteriori explicatione indiget. Monasteria verò ea vocat, quæ quidem Divino Cultui dicata erant, sed Privatorum quodammodo usui inserviebant, nec publicis utriusque sexus Christianorum Conventibus patebant, quod Basilicarum iuris erat; Oratoria, seu Sacella alii dixere. Distinctio inter Basilicam, & Monasterium passim in toto opere videre est. Locus tamen insignis occurrit infra in Vita S. Maximiani, ubi loquens de Basilica Sancti Stephani hæc habet;* ad latera verò ipsius Basilicæ Monasteria parva subjunxit, quæ omnia novis tessellis auratis, simulque promiscuis aliis calci infixis mirabiliter

(1) Vide præcedentem Dissertationem. Bacch.

liter apparent, super capitaque omnium columpnarum ipsius Maximiani nomen sculptum est; monasteria verò parte Virorum &c. *Monasteria autem, seu Oratoria hujusmodi, licèt etiam longiùs à Basilicis construerentur, primitus tamen non nisi circa Basilicas ædificata facilè demonstrari posset. Quod quidem passim factum, exemplo sit non modò Vaticana vetus Basilica, quam exhibent inter cæteros eruditissimus Ciampinius in Opere de Antiquis Constantini Ædificiis, & novissimè Bonanus in lib. de Summorum Pontificum nummismatibus Prodromi loco exhibito ad celeberrimum toto Orbe Vaticanum Templum spectante, sed & in præsenti S. Felicis in Pincis prope Nolam Basilicæ facies. Immo & id recentiùs apud Monachos consuevisse, probatur ex Cavensis Monasterii Ecclesia, in qua Corpori medio, quod Capsum Gregorii Turonensis vocabulo appellare liceat, circumposita Sacella apparent parietibus ipsius Capsi adhærentia; inter quæ illud ex Odæi parte situm est, in quo antiquissimorum ejusdem Monasterii Patrum Sacra Lipsana conduntur; adestque facto aliquorum graduum descensu alterum, ubi ex antiquissimo more Defunctorum corpora sepeliuntur ossibus proinde, scheletisque refertum. Ejus rei originem ex eo petere debemus, quòd cùm minimè liceret intra Basilicas mortuorum corpora sepelire, circa easdem tamen Cœmeteria fieri fas erat, ubi paulatim, vel singulorum id ferente ingenio, vel Præsulum efficiente religione, Sacella, quæ Agnello Monasteria dicuntur, sunt condita. Hinc arbitror à circumpositis Sacellis Basilicas ipsas ex Martyris nomine, cui dedicatæ erant, Cœmeterii quandoque vocabulo nuncupatas. Sic Innocentius Papa, epist. primâ ad Decentium;* non longè portanda sunt Sacramenta, nec nos per diversa Cœmeteria constitutis Presbyteris destinamus. *Quare & laudata Nolana S. Felicis Basilica Cœmeterii nomine, ob circumpositas minores ædiculas, Fidelium sepulturæ dicatas, (in quibus & modò Arcæ, & Sarcophaga spectantur, & præterea ingens ossium multitudo collecta visitur) vocabatur, quod proinde in corruptam* Cimitini *vocem tandem abiit. Locum Paulinus epist. 12. ad Severum à Muratorio relatus explicat aptissimè, sed eo sermonis genere, quod ei, qui Basilicæ ipsius situm, & circumposita cubicula non vidit facilè imponere poterit; etenim cubicula non eo pacto, quo recentiorum Basilicarum Sacella, sive, ut vocantur, Capellæ, ita inserta erant, ut Basilicæ facerent partem, sed parietibus tanquam septo à Basilicæ corpore separabantur, de quorum uno loquitur Paulinus versibus illis, qui Muratorio differendi occasionem præbuere.*

Cellula de multis, quæ per latera undique magnis
Adpositæ tectis præbent secura sepultis
Hospitia;

quæ cellulæ omnes unam veluti cum Basilica media ædem faciebant, circum ostis murorum septis munitam, è quibus egredi cogitaverat manè facto fur, de quo Paulinus.

Harum unâ fur abditur, atque ubi mane
Claustra patere videt, reseratâ prosilit aulâ.

Aulam universam ædem intelligit. Ita porrò sepeliebantur, quod optaverant Fideles, apud Sanctorum Martyrum memorias, ac ita Cynegii adolescentis Corpus in Beatissimi Felicis Basilica positum fuit à Paulino, qua de re Augustinus lib. 2. retract. cap. 64. à Muratorio relatus.

IV. Episcopis, quamvis à communi more recedere liceret, quorum proinde aliquos legimus intra Basilicæ septa, ac ad Altare ipsum sepultos fuisse, novimus tamen eorum plures, vel in aliquo ex circumpositis Sacellis, vel in Quadriporticis parte Ecclesiæ adhærente, quam Noster Ardicam (vocabulo apud alios Scriptores ignoto) dicit, sepultos fuisse. Florentius in Monasterio S. Petronillæ hærens muris Ecclesiæ Apostolorum sepultus est. Liberius in Monasterio S. Pullionis. Petrus in Monasterio S. Jacobi ad Fontem Ecclesiæ Petrianæ. *Post hunc, qui sequuntur, Episcopos in Basilicis locum habuisse narrat Agnellus, præter Chrysologum, qui cùm sibi Sepulcri locum vivens designavisset, post Sedem Pontificis, & post Bima Templi S. Cassiani Forocornèliensis sepultus fuit. Johannes autem circa Gregorii Magni tempora* in Monasterio Sanctorum Marci, Marcellini, & Feliculæ, quod ipse à fundamentis ædificavit *apud Ecclesiam B. Apollinaris Civitatis Classis.* Marinianus in Ardica B. Apollenaris. Johannes in Ardica B. Apollenaris. *Ita, & ejus Successor synonymus, quod & factum de subsecutis arbitror, licèt sæpiùs Basilicæ nomen usurpetur.*

V. Laicorum autem Nobiliores, qui Martyris alicujus devotione afficiebantur, ut post fata, quantùm licebat, ipsius Basilicæ, Sacrisque Cineribus corpore vicini essent, sibi Cellulas hujusmodi, sive, ut Noster loquitur, Monasteria parietibus Basilicæ adhærentia construi curabant, illaque pecuniâ erogatâ ornabant, ac donariis amplissimis ditabant. Sic Lauricius constructa S. Laurentii Basilicâ, apud eam Sacellum SS. Stephani, Gervasii, & Protasii adjecit, ubi conderetur, & Arcam in id ex pellucido lapide præparavit. Singleida Gallæ Placidiæ Neptis S. Zachariæ Sacellum non longè à S. Crucis Ecclesia construxit, ubi & sepulta fuit, ac Galla ipsa Placidia Augusta ad ipsam S. Crucis Basilicam sibi Sacellum SS. Nazarii, & Celsi magnifico sumptu sepulturæ causâ construxit. Ex quibus omnibus tandem conficitur, partem eam, quam Subditam *Agnellus vocat, extra Basilicam fuisse, ubi Opilio sepeliretur, ac fortassè ex ea Quadriporticus parte, quæ ad interiorem mulierum partem pertinebat. Hæc in re satis obscura disseruisse sufficiat.*

VI. Attilæ adventum Ravennam, *de quo hic Noster Johannis* τοῦ Ἀγγελόπτου *tempore accidere non potuisse supra adnotavimus, & ipse Agnellus satis indicat postremis ejus vitæ annis accidisse, ubi ait;* ex illo denique die non in tanta crudelitate perseveravit, & sine bello commisso ad proprium reversus est Regnum; *& post pauca;* & post hæc omnia à vilissima muliere cultro defossus, mortuus est. *Paulus Diaconus ad Eutropium lib. 15. ait; ab Attila Aquileja subacta, igneque mulctata,* exinde per universas Venetiæ Urbes, hoc est Vincentiam, Veronam, Brixiam, Bergomum, seu reliquas, nullo resistente Hunni bacchabantur. Mediolanum, Ticinumque pari sorte diripiunt, ab igne tamen abstinentes, & ferro. Deinde Æmiliæ Civitatibus similiter expoliatis, novissimè eo loco, quo Mincius fluvius in Padum confluit castrametati sunt; *& sequitur Leonis Papæ legationem, & territum Attilam narrans, regredientemque. Æmiliæ itaque Civitatibus devastatis, & Flaminiæ limitibus superatis Ravennam accessisse consequitur, unde recedens mitigato animo, quod Agnellus tradit, fluctuansque an Romam accederet, quòd ejusdem direptioni Alaricus non diu supervixisset, Leonis Sanctissimi Pontificis legatione demum territus in Pannonias remeavit. Hæc autem non nisi ad annum CCCCLII. fieri potuerunt, quo Johannes alter ab Angelopte floruisse evictum est supra. Jornandes tamen de Regnor.*


Success.

Success. lib. 1. Attilam multo antea tempore accessisse Ravennam innuere videtur, cum narrata Johannis invasoris depressione, & Valentiniani Ravennæ imperantis felicitate addit; cujus (*Valentiniani*) Germana Honoria, dum ad aulæ decus virginitatem suam cogeretur custodire, clam misso Clientulo Attilam Hunnorum Regem invitat in Italiam, cùmque veniente Attila votum suum nequiret explere, facinus, quod cùm Attila non fecerat, cum Eugenio Procuratore suo committit. *Hinc narrat Valentinianum Constantinopolim profectum ob suscipiendam in matrimonium Eudoxiam Theodosii filiam. Stuprum Honoriæ Marcellinus, Baronio assentiente, consignat Theodosio XV., & Valentiniano IV. Coss., idest anno CCCCXXXV., quæ si vera essent, &, quod ait Jornandes, Attila ab Honoria invitatus Ravennam venisset, conficerent de Johanne Angelopte ab Agnello narrata in hac parte veritati consentire. At Honoriæ stuprum ut ut eo tempore acciderit, nequit sustineri tunc Attilam invitatum Ravennam venisse. De ea re acta tempore ab Jornande indicato, altum apud cæteros omnes silentium, & repugnat, eo quòd summa quiete degeret tunc, ac eo anno Valentinianus Ravennæ, nec Attila Italiam vexaverit, nisi multò post, quàm solus regnare cœpit, Bleda fratre occiso, quod accidit Theodosio XVIII., & Albino Coss. juxta Cassiodori Chronicon. Paulus Diaconus laudatus narratis Leonis Magni legatione, Attilæque regressu addit;* igitur Attila tali modo à sua sævitia repressus, relictâ Italiâ, Pannonias repetit, ad quem Honoria Valentiniani Principis Germana, dum à Fratre ob decus pudicitiæ districtè servaretur, suum Eunuchum dirigit, quatenus eam sibi à Fratre in matrimonium extorqueret, *& narrat ab Attila Valentiniano mandatum, ut Honoriam cum parte Regni sibi daret, additis minis de pejoribus mox Italiæ inferrendis, nisi morem gereret, qui deinde cùm puellam alteram adjunxisset cæteris Uxoribus, funestè occubuerit. Quæ quidem acta sunt postremis Valentiniani annis, Theodosio prædefuncto. Quòd si post admissum facinus Honoria missa est Constantinopolim custodienda, oportet, ut multò ante stuprari se passa sit, hinc Ravennam reversa Attilam in Pannonias revertentem revocare studuerit; quæ diversis temporibus acta, Jornandes in unum conflavit. Maneat igitur, Attilam Ravennam afflicturum semel venisse, cùm Aquileiâ subactâ, Venetas Urbes, Liguriæque, ac Æmiliæ regiones devastavit, & Flaminiæ imminens Ravennam Imperatoris in Occidente Sedem tentandam decrevit, unde repressus ad Mincii ostia primùm inde in Pannonias reversus est, ac proinde hæc ad alterius Johannis tempora pertinere. Cæterùm de Attilæ interitu Marcellinus Agnello consentit, aliis sanguinis vomitu occubuisse narrantibus, eodem Marcellino testante.*

VII. Ab Attila ad Theodoricum ingenti sanè saltu transeundum est, ut κατὰ πόδα Nostrum sequamur. Incendium Pontis Ravennatis in Paschate IV. Nonas Aprilis concremati præludium affertur Theodorici advenientis. Pascha die 2. Aprilis celebratum est anno CCCCLXXXIX., Cyclo Solis XXII., Lunæ XV., litera Dominicali A. Eo ipso anno Eusebio, & Probino Coss. Marcellinus hæc habet; Theodoricus Rex Gothorum optatam occupavit Italiam. Odoacer itidem Rex Gothorum metu Theodorici perterritus Ravennam ingressus est. Porrò ab eodem Theodorico perjuriis illectus, interfectus est.

Complectitur autem diversorum annorum gesta in unum, quæ Cassiodorus suis temporibus consignat, eoque anno Theodoricum narrat ad Isontium, & Veronæ Odoacrem superasse, sequenti Fausto Juniore Coss. ad Adduam denuo contrivisse, & Ravennam obsedisse, altero Olybrio Juniore Coss. ad Pontem Candidum devicisse, ac tandem anno CCCCXCIV. Albino V. C. Coss. Ravennam ingressum, Odoacrem molientem sibi insidias interemisse. Baronius Consulatum Fausti omittit, & duorum annorum gesta in unum contrahit. Cassiodoro testi eorum temporum standum est, & Agnellus ita explicandus, ut anno CCCCLXXXIX. in Paschate Pontem Ravennæ flamma consumpserit, sequenti Odoacer Ravennæ se recipiens obsessus sit, anno CCCCXCI. quo & Erulorum eruptio accidit, Theodoricus vicerit. Quod sequitur, & abiit ad Ariminum, &c. *ad Theodoricum spectat, qui cùm perexisset Ariminum (Rubeus Civitates Flaminiæ subegisse ait) cum Dromonibus in Portum Leonem reversus est, ubi postea* Palatium modicum *construxit VI. ab Urbe Ravenna milliario ad D. Mariæ ædem, quod Agnellus ipse sui juris tandem fuisse ostendit, quare ex ejusdem ruderibus domum sibi in fundo materno Ravennæ ædificavit. Loci facies adeò immutata est, ut difficillimè conjici possit, (1) ubi Palatium Theodorici, Portusve Leonis fuerit, verùm sicuti Candiani Campi, ubi tertiò devictum Odoacrem Noster dicit, nomen ipsum adhuc superest, sic Palatioli vocabulum ad nostram ætatem perseverasse novimus. Rubeus ex veteri Chronico sibi nota certa loca, ubi Theodoricus castrametatus sit recenset, Palatiolum, Pontem Candidii, & Pinetum, quorum postremum, & Paulus Diaconus memorat, qui refragatur tamen Rubeo narranti, Theodoricum territum in conflictu ad Pontem Candidium facto, cùm ad castra fugeret, à Matre repulsum: asserit enim Matrem Ticini relictam. Postremis anni CCCCXCIII. diebus Ravennam terræmotu concussam narrat Noster, quod alii silent, eodemque tempore datum obsidem ab Odoacre, qui post quartum mensem Ravennam Theodorico dedidit. Hæc adnotare visum est, cùm hucusque ex editis frustra petantur. Porrò Episcopum Ravennatem cum Clero à Theodorico pacis conditiones obtinuisse, quod narrat Noster, assertorem habet Procopium de Bello Gothico lib. 1., qui & in cæteris de cæde Odoacris ex perjurio patrata, convivii occasione, suffragatur. Quod semel autem cœperat, Theodorici acta prosequitur usque ad ejus obitum, & sepulcrum insigne laudat, quod usque adhuc superest, arca ex porphyretico lapide ad Divorum Apostolorum translatâ, de quibus consule, si lubet, Rubeum, Fabrumque. Horum prior, cùm ad annum MDIX. narrat, porphyreticam Theodorici Urnam ex mirabili sanè S. Mariæ Rotundæ marmoreo fornice bombardæ ictu dejectam, ab Agnelli Historia recedit, qui dissertè tradit, suo tempore Arcam cadavere vacuam ante Monasterii, sive Sacelli illius aditum projectam jacuisse, quod idem recentior Chronicæ Auctor testatur. Quòd autem Theodoricus trigesimo Regni sui anno* in Siciliam exercitum miserit, quam depopulaverit, & suis ditionibus mancipaverit, *ut tradit Noster, apud neminem me legisse fateor; quinimo Cassiodori potiùs consiliis, quàm armorum ope Siciliam subactam ipsis Regni Theodoriciani initiis, aliunde constat. Narrata Symmachi, & Boetii cæde, nec non Johannis Papæ obitu implicato sermonis genere, ac si hæc omnia Ravennæ facta fuissent, cùm tamen notum sit, Boetium Ticini obtruncatum; quæ sequuntur de* eorum

(1) Vide Præfationem num. 10. Bacch.


T. II.
pag. 73
A
B
A
S. MAXIMIANVS
S. ECCLESIVS

eorum sepulcris, intelligenda sunt juxta ea, quæ aliunde sunt certa; Boetium videlicet Ticini conditum, ubi & hodie tanquam Martyr colitur, Johannis verò Papæ Corpus Romam translatum.

VIII. Congestis in unum pluribus ad Theodorici vitam, & mortem spectantibus, ad Johannem revertitur, traditisque iis, quæ nulli ejus nominis alteri convenire possunt, quàm priori τῦ Α᾽γγελόπτυ cognomento celebri, quod de Theodorico agens fecerat, præstat Valentiniani junioris, & Gallæ Placidiæ acta memorans, pleraque enim diversorum annorum in unum veluti fascem compingit. Quod primum, præcipuumque occurrit, pertinet ad Ravennatis Ecclesiæ Metropolitanum jus, Valentinianique Augusti Decretum, cujus vigore, si Agnello fides, XIV. Civitatum Episcopi, Episcopo Ravennati veluti Metropolitæ subiici cœpere, & eidem Pallii usus concessus dicitur, datumque ex candida lana, ut mos est Romanorum Pontifici, super duplo idem induere, quo usus est ipse (Johannes videlicet,) & Successores sui. Horum occasione, cùm in Ravennatis Metropolis antiquitatem inquirerem, perpenderemque quanta cum veritate asseratur, ab ipsis Apostolorum temporibus id juris cœpisse, longiuscula Dissertatio de Hierarchiæ Ecclesiasticæ originibus emersit, quæ in publicum prodiit; intimius etiam in hujus Libri Præfatione, quæ hìc tradit Agnellus, rimari placuit. Ostendi autem ut puto perspicuè, hæc omnia falsa, Valentiniani III. ætati, & Agnello ipsi repugnantia. Diploma à Rubeo allatum evidenter suppositititium est, tale etiam quod Agnellus vidit. Potuisse tamen Valentinianum favoribus prosequi Ravennatem Ecclesiam, & à Romano Pontifice, ut Johannes perspectæ sanctitatis Episcopus Metropolita fieret, & Pallio ornaretur, precibus obtinere, haud negem. Plura sunt, quæ id suadeant, ac in primis Valentiniani, & Placidiæ pietas aliunde nota. Certè Petrus Chrysologus omnium primus Metropolitica jura exercuit, qui à Romano Pontifice est consecratus. Cætera vide in Præfatione. De Pallii forma hìc ideo nonnulla delibare sufficiat, de qua plures scripsere. Mutatam circa decimi seculi initia apud Latinos, qui antea eodem, quo Græci Omophorio utebantur, satis constat. Baronius veterem Pallii figuram sibi haud plenè compertam ait ad annum CCCXXXVI., ubi Pallium vetus cum Phrygio, capitis videlicet ornamento, confundit; at ex Ravennatis Ecclesiæ monumentis docemur à Theodorici ferè temporibus, usque ad Gregorii Magni ævum, eàdem formâ Pallium perseverasse. Extat Ravennæ in insigni totaque Europa celeberrima omnium S. Vitalis Basilica duplex musivum opus, in quorum uno Ecclesius Episcopus, cum Basilicæ ejusdem Orthographia visitur, alterum, Maximianum item Episcopum exprimit Imperatori Justiniano proximum, cum utriusque cultu, vestibusque solennibus. Pallium uterque ejusdem figuræ gerit. Priorem Ecclesii effigiem ex musivo mihi describendam curavi; alteram Maximiani ex integra icone desumpsi, quam protulit Nicolaus Alamannius ad Procopii Anecdota. Utramque hìc Lectoris oculis subiicendam volui in apposita tabella A. Ex his cernitur, quid Dupli nomine intelligat Agnellus, & veteris Pallii forma dignoscitur. Duplum Casula est à frequentibus plicis, rugisque ita vocata, eas etenim fieri necesse erat, cùm Sacerdos manus quoquo modo extrahere, vel movere voluisset. Hinc δίπλα διπλωμάδα in Glossis Græcobarbaris rugam, plicamque significare sentit Duchangius in Glossario Græcitatis, & eadem ratione dictam puto χλάνιν, seu lænam, aut potiùs pænulam διπλοίδος nomine, non quòd duplex esset, sed quia plicis, rugisque abundaret, cùm usui

A erat. Pallii autem figura in allatis Iconibus, eadem est, ac ejus, quod magnum Gregorium gestasse novimus ex Johannis Diaconi descriptione in ejusdem S. Pontificis Vita lib. 4. cap. 84. Utebatur, inquit Johannes, Pallio mediocri, à dextro videlicet humero sub pectore super stomachum circulatim deducto, deinde sursum per sinistrum humerum post tergum deposito, cujus pars altera super eundem humerum veniens propria rectitudine, non per medium corporis, sed ex latere, sinistro videlicet, pendet. Arbitror igitur eàdem Pallii forma usos antiquissimis temporibus Romanos, & Ravennates Episcopos, & diutiùs perseverasse morem hujusmodi, quàm vulgò creditur.

B D. Abbas Dominicus Passionejus & eruditione, & morum suavitate spectabilis, cui quantùm debeant hæc studia mea, non est hujus loci explicare, ostendit mihi descriptionem accuratam Sacelli ejus, quod olim à S. Paulo I. Pontifice, octavo seculo constructum ad crepidinem Palatini montis, tribus ferè ab hinc annis, fortuitò repertum est. In eo autem figuræ nonnullæ visuntur cum Pallio ejus formæ, quæ in superioribus Ravennatum Episcoporum iconibus visitur. Multiplices in Omophorio Græcorum cruces, & conversus ferè à latino deferendi modus conspicitur; ex latere enim sinistro, sinistroque humero circa collum complicatum ad humerum dextrum vertitur, & hinc supra sterni

C regionem reflexum, ad sinistrum rursus humerum reflectitur, & post tergum demittitur, ita ut pars anterior dependeat ferè per medium corpus, ut in apposita Tabella B. ex Duchangio desumpta. His autem, quæ à plurimis de Pallii usu conscripta sunt, illud demum addere placet, videlicet, quòd quamvis Pallii, seu Omophorii ornatus ex picturis, Scriptoribus, & Ordinibus Ecclesiasticis nonnisi supra Casulam, seu, si de Græcis loquamur, supra Phenolion, sive Polystaurion, adhibitus videatur; credendum tamen est ab illis, quibus id licebat Antistitibus, alia etiam supra sacra indumenta delatum fuisse. Gregorius Magnus epist. 54. lib. 4. prohibet Johanni Ravennati Episcopo, ut in plateis Pallium ferre non præsumat. Casu-

D lam verò in plateis non crediderim delatam. In veteri Musivo Lateranensis Basilicæ adesse inter cætera S. Silvestri Constantinum baptizantis effigiem, qua Pontifex exprimitur quadrato, longoque indumento vestitus, cum Pallio huic superposito, testis est V. C. Ciampinius in opere de Constantini Magni Ædificiis inscripto. Præterea ad eandem Lateranensem Basilicam in D. Nicolai Sacello, inter plures Pontifices Saccis, & Omophoriis indutos, medius D. ipse Nicolaus visitur cum Pluviali, quod recentius Latinorum sacrum est indumentum, & recentiori etiam latino Pallio. Ejus autem Monumenti iconem vide si lubet apud Papebrochium in Propilæi parte secunda, cum præfixo Commentario ad Pallii argumentum spectante.

E IX. Narratis, quæ Valentinianus Ravennæ contulerit commodi, quæ sequuntur Gallæ Placidiæ Augustæ, ejusque actibus, generi, pietatique commendandis, scripta sunt. Porrò Singleidæ notitiam ex solo Agnello hausere Rubeus, cæterique Scriptores, qui eam laudaverunt. Cùm Galla Placidia ejusdem Singleidæ Amita vocetur, consequens fit Arcadii plurium fœminarum parentis, filiam fuisse, cùm binæ Honorii uxores Stilichonis filiæ narrentur Jornandi, & Paulo Diacono defunctæ absque liberis, Maria videlicet, & Thermantia, seu Hermantia. At nonnulla ad Valentiniani Augusti Chronologiam Agnello tradita, vel explicanda sunt, vel corrigenda. Ait ille; cùm his ternos annos, & quatuor tempora anni Valentinianus esset, Divo Honorio Patruo suo in Imperium

perium successit, qui triginta & unum annis in Imperio durans, Romæ occisus est in loco, qui vocatur ad Laurum. *Valentinianum Constantii, & Placidiæ filium natum Honorio Aug. XII., & Theodosio Aug. VIII. Coss., anno videlicet* 418. *VI. Nonas Julii tradit Prosper: Marcellinus autem V. Nonas Julii, anno sequenti Monaxio, & Plinta Coss. Honorius Valentiniani Patruus XVIII. Kal. Septembris Ravennæ obiit, Asclepiodoto, & Mariniano Coss., anno videlicet* 423. *ex Idatio, & Socrate. Theophanes ejusdem obitum V. Non. Septembris consignat, Olympiodorus VI. Kal. Septembris. Hoc diligentissimo ejus ætatis Scriptore, uti Eminentissimo Norisio laudatur Hist. Pelagianæ lib. 2. cap.* 13., *docemur* superstite etiam tum Honorio *Valentinianum Nobilissimum dictum. At Cæsar nonnisi post Honorii mortem est renunciatus, anno scilicet sequenti* 424. *Prima Constitutionum eo Cæsare datarum diem præfert XVII. Kal. Novembris, & est in Codic. Theodos. lib.* 14. *de Murilegis; postrema data est anno sequenti* 425. *XV. Kal. Decembris, estque l. ultima de Palatinis S. L. Priores autem, in quibus Augustus vocatur, datæ sunt III. Non. Januarii, suntque l.* 3. *de Conduct. Dom. Aug., l.* 23. *de petitionibus, l.* 14. *de Senat., & gleb. Mortuum eundem anno* 455. *Kal. Aprilis, communis Chronologorum sententia fert. Ex his manifestum fit Agnellum Imperii nomine Cæsaream dignitatem intellexisse, ubi Valentinianum ait* triginta *& unum annos in Imperio durasse, ineunte enim anno trigesimo primo, collecto ab anno* 424., *quo ante XVI. Octobris Cæsar renunciatus fuerat, verè diem obiit. Cùm autem id ei collatum dicit infanti annorum sex & quatuor mensium, Prosperi Chronologiæ consonat, natumque indicat anno* 418.; *Placidia enim Kal. Januarii anni* 417. *potuit nuptui Constantio tradita, decem & octo mensium spatio (quot intercedunt inter prædictam diem, & secundam Julii* 418. *Valentiniani natalem) Honoriam primò, inde Valentinianum ipsum parere; nec inde argumentum satis firmum erui posse videtur, quo Marcellino asserenti annum* 419. *Prosperi* 418. *præferatur; eò magis quia si septennis Augustus vocatus est post XV. Kal. Decembris anni* 425., *& si natus fuisset secunda Julii anni* 419., *septimus annus ab aliquot tantùm mensibus cœpisset; verùm cum septennis dicatur, de completo aptiùs septimo anno id videtur intelligendum. Ita conficitur Valentinianum mortuum ætatis suæ anno* 37. *à præcedenti Julio fluente, cùm ab inita Cæsarea dignitate abiissent anni triginta, cum ferè septem mensibus. C. V. Pagius in Dissert. Hypat. ad annum* 424. *hæc habet*; natus erat Valentinianus Constantio, & Galla Placidia Matre V. Non. Julias, Monaxio, & Plinta Coss., inquit idem Marcellinus, anno nempe 419., quare vix septennis hoc anno erat. *Qui si anno* 419. *natus, anno* 424. *vix septennis? vix quinquennis fuisset, complesset enim annum quintum die secunda Julii. Veriori proinde calculo, cum Agnello, & Prospero, sentio natum secunda Julii anno* 418. *post sex annos, quartoque insuper fluente mense Valentinianum Cæsarea Veste indutum. Illud etiam observare juvat, quòd quamvis ex Prosperi Chronico Gallæ Placidiæ obitus alligetur anno* 450., *ex nummo tamen Baronio ad annum* 425. *n.* 4. *exhibito, videatur illam diutiùs vitam protraxisse: cùm etenim in adversa parte circa ejusdem Placidiæ effigiem epigraphes legatur VOTIS XXX. MULT. XXXX. argumento, idest Vota tricennalia ab ea cum Filio à Cæsarea dignitate colligenda, celebrasse. Laudatus Pagius in Prolegomenis ad Dissert. Hypaticam n.* 30. *nummum agnoscit in prædictis tricennalibus cusum, & nihilominus Placidiam obiisse tradit anno* 450., *cùm tamen part.* 2. *ejusdem Dissert. cap.* 14. *tricennalia Imperii Cæsarei Valentiniani assignet anno* 453. *Vincomalo, & Opilione Coss. Planè utrumque verum esse nequit, quòd scilicet Placidia obierit anno* 450., *& quòd* 453. *tricennalia cum Filio celebraverit. Agnellus de die mortis scribit, mortuam videlicet V. Kal. Decembris; de anno autem silet. Insanabili autem errore errat Noster ubi ait*; unoque anno Constantius post mortem Honorii Gentibus imperavit, morbo correptus vitales auras amisit, & reliquit filium modicum Gallæ Valentinianum nomine. *Constantius* nec dum septem mensibus evolutis, *ut scribit Paulus Diaconus lib.* 14., ex hac luce subtractus est, *Eustachio, & Agricola Coss., anno videlicet* 421. *Honorius obiit Asclepiodoto, & Mariniano Coss. anno* 423.

X. Valentinianum Romæ in Campo Martio occisum fraude Maximi Patricii, tradunt Jornandes lib. 1., *Cassiodorus, & Marcellinus in Chronicis. In Victoris Chronico pro* Campo Martio, Campus Maximus *mendosè scribitur. Noster interemptum ait in loco, qui vocatur ad Laurum, de quo licèt sileant, qui Urbem descripsere, Campi Martii partem quandam fuisse crediderim. Quæ sequuntur de Aquilejæ excidio præcessere Valentiniani, adeòque Placidiæ decessum. Cometem apparuisse Marcellinus tradit eodem anno, quo Bleda, & Attila Illyricum, Thraciamque depopulati sunt Eudoxio, & Dioscoro Coss., anno videlicet* 442. *De Ravennæ memorabili incendio nil contigit apud quemquam Scriptorum legere, quare quo anno clades hujusmodi acciderit, incertum. Verùm & hæc, & quæ sequuntur diversorum annorum gesta in unum fascem temerè colligavit Agnellus, temporum ratione neglecta. Quod pertinet ad Ecclesias, & Sacella, sive, ut Noster loquitur, Monasteria à Galla Placidia magnificentissimè constructa, ac dedicata, difficillimum est tempora, quibus id factum sit, definire, licèt id agat Rubeus: quòd si C. V. Pagii Consulatuum Cæsareorum regulas sequi luberet, & annis consignare, quibus vel Valentinianus Consulatus iniit, vel simul cum matre tricennalia, decennalia, vel quinquennalia habuit, aliquid lucis in re obscurissima nacti essemus: verùm incerta incertis illustrare haud vacat.*


XI. Illud pro integra Familiarum Theodosii, Constantiique notitia observari meretur, quod Agnellus narrat de Inscriptione in Templi S. Jo: Evangelistæ, quam vocat, Tribuna, Galla Placidia curante, posita, quamque eidem rei illustrandæ, ex Agnello sumpsere Viri Antiquitatis cultores. Inscriptio hæc est: Sancto, ac Beatissimo Apostolo Johanni Evangelistæ Galla Placidia Augusta, cum Filio suo Placido Valentiniano Augusto, & Filia sua Justa Grata Honoria Augusta liberationis periculo Maris Votum solvit. *Filios hìc Gallæ Placidiæ vides Valentinianum, & Honoriam, neminem præter eos. Mirum proinde Honorium ex Honoria passim factum ex prava veterum lectione ab iis, qui cum postremo Imperii sui anno Honorium Augustum dicunt ob suspicionem in Gallam Placidiam præconceptam, eandem Constantinopolim ad Theodosium misisse cum filiis, horum nomina recensentes ex Librariorum vitio Honorium pro Honoria, & Valentinianum laudant. Id quamvis Rubeus initio lib.* 3. *adnotaverit, neminem tamen novi, qui id curaverit ante Eminentissimum Norisium, qui ex hac Inscriptione à Rubeo accepta, & ex Olympiodoro erudi-*

eruditorum Scriptorum sphalma emendat. Pluribus hinc novimus nominibus Honoriam vocatam, quæ Placidia ejusdem Mater in una Filia collegit, ut geminæ Aviæ memoriam servaret, Justæ videlicet, & Gratæ, Gallæ Matris suæ Sororum ex seniore Valentiniano progenitarum, quas ex Justina cum altero Valentiniano, & Gratiano susceperat. Ea in re agnovi C. V. & dum viveret, amicissimi Comitis Francisci Mediobarbi erratum, qui Occonis nummismata recolligens, & augens, Gallam Valentiniani Senioris filiam, cum Galla Placidia ejusdem Gallæ filia, Valentinianique tertii Matre confuderit, seu eam filiæ nomine vocaverit, adscribens eidem nummismata Filiæ. Eorum quidem omnia cùm præferant Placidiæ cognomen, huic non Gallæ adscribenda erant. Tertium autem quammaximè præ cæteris doctissimum Collectorem ea de re monere poterat, in cujus aversa parte signantur Vota XX. multiplicata XXX. R. V. CONOB. (*Pagius Dissert. Hypat. part. 2. pag. 283. ex Jacobo Chiffletio legit R. M.*) *Id enim de Galla Theodosii Senioris Uxore secunda, quæ brevi post nuptias in puerperio decedens, nec sua, nec Viri potuit decennalia celebrare, seu tricennalia multiplicare, verificari haud potest. Postremum in aversa epigraphem habens VICTORIA. AUGGG. R. V. ad annum ipsum, quo Galla Placidia Constantium, cui nupserat, ab Honorio in Imperii societatem assumptum vidit, referendum autumo, & ejusdem Constantii multiplices triumphos indicari. Sic eodem anno Eustachio, & Agricolâ Coss. quatuor in Codice Theodosiano observavit Constitutiones Pagius Dissert. Hypat. part. 2. pag. 28., quæ trium Augustorum nomina præferunt* Imppp. Honor., & Theod., & Constant. A. A. A., *quare Constantium anno 421. Augustum renunciatum conficit, corrigens Baronium, cæterosque, qui id anno 419., vel 420. consignant. Hæc autem Nummi Epigraphes in mentem revocat sermonem 130. D. Petri Chrysologi habitum coram Augustis, ipso suæ Consecrationis die recurrente, ubi de Galla Placidia loquens, hæc habet*; adest etiam ipsa Mater christiani, perennis, & fidelis Imperii, quæ dum Fide, opere misericordiæ, Sanctitate, in honorem Trinitatis beatam sectatur, & imitatur Ecclesiam procreare, amplecti, possidere Augustam meruit Trinitatem. *Dominicus Mita hæc ita intelligit, ut Trinitatem Augustorum, quam procreavit Galla Placidia, compleverit Constantius, quòd is ob Gallæ connubium Augustus sit renunciatus, Valentinianus, quem ex Constantio genuit, & eâdem Gallâ, quam Augustam Honorius declaraverit*, ne sororem, *ait*, præter dignitatem Constantio collocasse videretur. *Verùm non ob Gallæ Placidiæ merita Constantius Augustus creatus est, sed ob propria. Sozomen. lib. 9. cap. 16.* Constantium Imperator præmii loco tum sorore, tum coronâ, tum purpurâ, tum Imperii consortio honoravit; *quare hunc Augustum non potuit dici Galla procreasse. Sed nec ipsa Augusta renunciata est, nisi cùm Valentinianus declaratus est Cæsar. Igitur Chrysologus juxta verborum, quibus utitur, proprietatem, intelligendus est: triplici enim modo ad Augustalem dignitatem referuntur, quam Galla* procreavit *Valentinianum pariens*, amplexata est *Constantii nuptiis*, possedit *Augusta honores assecuta*.


XII. Notari autem debet hic D. Petri Chrysologi locus, cùm nil habeat, quod ad Honoriæ decus referri possit, quæ quodammodo Augustam quaternitatem complesset; etenim Augustæ honore ornatam dubitare haud sinunt allata, & præcipuè nummi à Ducangio in Familiis Byzantinis, & à Mediobardo relati. Id puto ex eo evenisse, quòd detrectaverit Petrus Honoriam, post stuprum ab ea admissum, nominare piissimæ Matri, taleque infortunium minimè promeritæ. Quare & Templum D. Jo: Evangelistæ dicatum sentio circa initia Johannis Angeloptis, & ritè Honoriæ stuprum uterum gerentis consignari anno 434. Erravit ergo Rubeus, qui Templum illud Petro Chrysologo sedente dedicatum narrat; etenim Petrus à Sixto III. electus, ordinatusque fuit, nec certè primo Pontificatus sui anno, qui fuit 432., quare necesse ferè fuerit eodem anno Basilicam dedicari, Petrum ordinari, Honoriæque stuprum agnosci.

XIII. In ejusdem Basilicæ testudine narrat Rubeus icones fuisse Augustorum ad dexteram quinque, Constantini *videlicet*, Theodosii, Arcadii, Honorii, & Theodosii Nep., *ad sinistram quinque* Valentiniani, Gratiani, Constantii, Gratiani Nep., & Johannis Nep. *Circa subsellia verò ad dexteram* Theodosii, & Eudociæ, *ad sinistram* Arcadii, & Eudoxiæ. *Unde hæc hauserit Rubeus, non docet. Agnellus hæc tantùm habet*; & infra Tribunam Ecclesiæ super capita Imperatorum, & Augustarum legitur; Confirma hoc Deus, *&c. Porrò quid ad Gallam attinuerit Constantinus, non video; Johannis etiam* Nep. *mentio nulla in Gallæ, vel hujus matris Familia, invenire est. De relatis itaque à Rubeo dubitare licet. Placet autem duplex hic Stemma apponere harum rerum occasione, quorum uno Familia Gallæ, Gallæ Placidiæ Familia altero agnoscatur. Jornandes lib. primo*. Gratianum filium suum Valentinianus Ambianis Imperatorem constituit, quem habuit de Severa priori Jugali; *& paulo infra*; deceptâ ergo Justinâ, Valentinianus edidit ex ipsa quatuor filios Valentinianum Imperatorem, Gratam, Justamque, & Gallam, de qua Galla; dehinc Theodosius Imperator Flacillâ defunctâ, quæ Arcadium, Honoriumque pepererat, Placidiam generavit, quæ Mater fuit moderni Valentiniani Junioris Imperatoris. *Paulus Diaconus lib. 2. Valentiniani Senioris, & Valentis Patrem dicit* Gratianum mediocri stirpe ortum apud Cibalas. *Hæc ad maternum Placidiæ genus spectantia certa sunt, & passim nota; ea tamen adnotare placuit, cùm & adstruendo Patris, & Agnatorum, Cognatorumque Stemmati inserviant: nullibi autem Constantini, Johannisve nomina leguntur. Singleidam Gallæ Placidiæ ex Fratre Neptem ex Agnello cognoscimus; reliquas Arcadii filias, ex Marcellini Chronico, cæterisque.*

Stemma Gallæ.



Familia Gallæ Placidiæ.



XIV. *Quæ apud Nostrum spectantia ad S. Johannis ectasim, cujus causa* τοῦ Ἀγγελόπτου *cognomentum promeruit, exhibent nonnullas Sacræ Synaxis partes. Hæ autem recensentur*; Lectio Evangelii, & protestatio Catechumeni *ante Angeli apparitionem, inde canonica verba, cum supplicationibus, & signo Crucis super Hostiam, Sanctificatio Corporis Christi, perceptio Corporis Domini, Calicis per Diaconum Pontifici porrectio, quam Angelus Diaconi vice præstitit. Hæc omnia cum cæteris ad veterem Missam spectantibus satis superque illustravit Vir olim doctissimus, & pius Cardinalis Bona, illustravere etiam ordinum Editores Menardus, Pamelius, Thomasius, Mabillonius. Speciale videtur Calicem à Diacono porrectum, ex quo Pontifex Sanguinem Domini sumebat, ore quidem, non fistulá, ut alibi, Romæque præsertim*; quare Sacerdotes cum Populo cœperunt timere, & horrere, videntes Sanctum Calicem à semetipso inclinatum ab ore Pontificis, & iterum in aëre se super Sanctum Altare recipi. *Micrologus cap.* 19. Ipse Pontifex confirmatur ab Archidiacono in Calice Sancto. *Ita porrò etiam respectu Episcopi, Diaconi erat dispensare Sancta*; sicut enim, *ait Rabanus lib.*1. *Institut. Cleric. cap.* 7., in Sacerdote consecratio, ita in Ministro dispensatio Sacramenti est. Ille oblata sanctificat, iste sanctificata dispensat. *Quæ de solius Calicis dispensatione, seu distributione accipienda sunt, cùm aliunde constet Episcopum, vel Sacerdotes ministrantes, Corpus Domini dispensasse. Id in Romana Ecclesia agebant Episcopi Papæ adsistentes. Cardinalis Bona laudatus rerum Liturg. lib.* 2. *cap.* 17. *num* 8. *rem universam his explicat*; Ordo Communionis hic erat, ut primò quidem celebrans seipsum communicaret, deinde Episcopos, si qui aderant, vel Presbyteros simul cum eo Synaxim agentes, tum Diaconos, Subdiaconos, & Clericos, Monachos, Diaconissas, & Sacras Virgines, novissimè Populum, adjuvantibus Presbyteris primùm Viros, deinde Mulieres. Idem in Calicis distributione servabatur, nisi quòd Presbyteri per se illum sumebant, Diaconi à Presbyteris, reliqui à Diaconis, ut ex Ordine Romano, & ex Græcorum Euchologio constat. *Non juvat hìc in Græcorum usum inquirere; in Latina Ecclesia, ut ut distributio panis ita se habuerit, uti doctissimus Cardinalis tradit, certè Ordines Romani, aliique ferunt Diaconi munus extitisse ipsum celebrantem Calice confirmare. In primo Ordine Romano ab eruditissimo Mabillonio vulgato hæc habentur n.* 20. *pag.* 14. Qui Pontifex, dum communicaverit de ipsa Sancta, quam momorderit, ponit in manus Archidiaconi, dicendo in Calice; Fiat commixtio, & consecratio Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi accipientibus nobis in vitam æternam. Amen Pax tecum. Et cum spiritu tuo; Et confirmatur ab Archidiacono. *Quæ postrema verba his illustrat laudatus Mabillonius; in Comment. prævio cap.* 8. *n.* 11. Deinde in primo Ordine Pontifex confirmatur ab Archidiacono, accipiendo scilicet Sanguinem pro complemento Communionis, uti Micrologus loquitur. *Eadem repetit in notulis Ordini ipsi subjectis*; præclarum, adiicit, hoc sanè specimen Communionis generalis etiam Sacerdotum, & Episcoporum. *At quid ex hoc loco elici possit ad adstruendam Communionem generalem, planè non video,*

cum

cùm hìc de ſolo Epiſcopo celebrante agatur. Diverſum tradere videtur Ordo ſecundus, in quo num. 14. exhibitâ penè eiſdem verbis immiſſione particulæ ſanctæ, quam Epiſcopus momorderit, in Calicem, deſunt verba, & confirmatur ab Archidiacono. *Infra verò poſt unius ſpeciei narratam ſumptionem, hæc ſequuntur*; Epiſcopus primus accipit Calicem de manu Archidiaconi, & ſtat in cornu Altaris, ut confirmet ſequentes Ordines, deinde Archidiaconus accepto de manu illius Calice refundit in Scypho, quem ſupra diximus, & tradit Calicem Subdiacono Regionario, qui tradit ei pugillarem, cum quo confirmet Populum, *&c. Pro temporum diverſitate diverſo modo hæc acta ſunt, quod ex Ordinibus ipſis à ſe editis elicit laudatus Mabillonius in Comment. prævio cap. 8. num. 15. In Ordine tertio ex codice Colbertino octingentorum ferè annorum aptè ad rem noſtram hæc habentur*; ſed ipſe Pontifex confirmatur ab Archidiacono in Calice Sancto, de quo parum refundit Archidiaconus in majorem Calicem, ſive Scyphum, quem tenet Acolytus, ut ex eodem Sacro Vaſe confirmetur Populus. *Calicem Sanctum Noſter vocat, in quo facta fuerat conſecratio ad diferentiam Calicum, ſive Scyphorum miniſterialium, in quibus vino conſecrato cum non conſecrato ab Archidiacono* confirmabantur omnes Sanguine Dominico, quos communicaverat Pontifex Corpore Dominico, *ut habetur in Ordine mox laudato. Sic & in tertii recentioris Ordinis fragmento dicitur*, quòd Domnus Apoſtolicus confirmatur de Calice, tenente Calicem Archidiacono. *Ita, & in ſequenti Sangallenſi*; ſuſceptumque Diaconus ab Acolyto Calicem, porrigat Epiſcopo, & confirmet. *In altero ſimiliter ſubſequente*; ipſe autem Diaconus tenens Calicem, & fiſtulam, ſtet ante Epiſcopum uſque dum ex Sanguine, & Corpore Chriſti, quantum voluerit ſumat. *Verba illa &* Corpore Chriſti *in locum non ſuum irrepſiſſe videntur. Singularis ritus deſcribitur in alio Ordine decimo loco exhibito, quem Mabillonius conjicit ſeculo undecimo conſcriptum, pro Mſſa Pontificis ad Eccleſiam Lateranenſem quintâ Feriâ in Cœna Domini, ubi hæc habentur*; confecto itaque Sacrificio, Pontifex ſolus communicat ſuper Altare ſine Miniſtris, & non cum calamo, ſed cum Calice tantùm ſe confirmet illo die, & ſextâ Feriâ. *Hæc Diaconi officio in hac parte illuſtrando ex Ordinibus à Viro Doctiſſimo, mihique in primis colendo publici juris factis allata, ſufficiant.*

XV. Confirmant non poſſe eidem Johanni Epiſcopo convenire univerſa, tanquam ejuſdem Epiſcopi, geſta ab Agnello tradita, quæ idem de Angeloptis ætate, & effigie ſubiicit, narrato loco, dieque ejus depoſitionis; apparetque *inquit*, fuiſſe tenui forma, & nigri capilli, paucos canos, ſed Sanctitate ætatem ſuperavit, quia cœleſtis Dominus plus mentes, quàm ætates comprobat. *Cultum antiquiſſimum eidem Epiſcopo in Eccleſia Ravennate præſtitum adſtruit, quòd ante ejus Imaginem in Urſiana Baſilica extantem, diutiùs ſingulis noctibus candela arſerit. At quidni Agnellus unius effigiem Johannis pro alterius acceperit? Quæ ſequuntur nil habent, quod obſervari mereatur. Poterant abſque jactura dimitti, at integrum edere volui Agnelli opus, ne omiſſa pluris fierent, quàm debeat.*

VITA SANCTI PETRI CHRYSOLOGI.

CAPUT PRIMUM.

Petri natale ſolum, & Eccleſia. Eutychetis hæreſis. Chryſologi epiſtola ea occaſione conſcripta.

DE SANCTO PETRO.

Petrus XXI. (1) pulcher aſpectu, delectabilis formâ. Ante eum nullus Pontifex ſapientiâ ſimilis illi, & poſt eum non ſurrexit. Multorum librorum, & voluminum conditor, & velut irriguus fons ita in eum Divina Sapientia quotidie emanabat; unde pro ſuis eum eloquiis Chryſologum vocavit, ideſt aureus ſermocinator. *Natus eſt* (2) Cornelienſe Territorio. nutritus, & doctus à Cornelio illius Sedis Antiſtite, & pro ſui Nutritoris amore Petrus *ipſe* (3) iſte beatus, *qui* (4) dudum Imolas prædictum *vocabat* (5) territorium, ab illo jam tempore Cornelienſe nominavit: ſed ajunt alii ideo Cornelienſe eo, quòd Cornelii Forum fuiſſet. Iſte temporibus primi Leonis Sanctiſſimi Papæ Ravennatis Eccleſiæ Cathedram regebat. In ipſis diebus ſæviſſimus Eutyches Presbyter maligno ſpiritu inſtigatur, & circa ſanctam, & individuam Fidem Catholicam ſuis peſſimis cogitationibus, malignam cœpit hæreſim excitare. Quem Sanctiſſimus Leo per ſuam Epiſtolam in conſpectu Sanctorum multorum Dei Epiſcoporum ammonivit. Nunquam potuit ejus ſuperſtitioſam credulitatem ad bonum revocare propoſitum. Sanctus igitur Leo ad Beatum Petrum hujus Ravennatis (6) Pontificem res notas celeriter fecit, qui ſcribens Epiſtolam ad ipſum Hæreticum direxit, per quam in Chalcedonenſe Synodo non conſenſit; demerſus eſt. Sed ipſe Sanctiſſimus Leo multas vices per ſua Epigrammata Conſtantinopolitanam Urbem miſit, non ſolùm ad Gallam Placidiam, verùm etiam ad Valentinianum, & Honorium, & ad cæteros alios

(1) *electus fuit circa annum Domini CCCCXXIX.* Bacch.
(2) *Natione*. Mur.
(3) *deeſt*. Mur.
(4) *quod*. Mur.
(5) *vocabatur*. Mur.
(6) ſupple *Urbis*. Bacch.

alios Fidei robustos, simulque ad Divum (1) Gratianum, & Eudoxiam sequestratim contra prædictum Eutychem Presbyterum diversas, ut diximus, Epistolas; & tanto in tempore prolata fuit, usque ad tempora Martiani Imperatoris. Igitur, ut diximus, cùm multa altercatio de sancta intemerata Fide Catholica facta fuisset multis diebus, contigit, ut cùm Episcoporum Concilio fuisset allatus prædictus Hæreticus, coram omnibus Sacerdotibus Theodorus Episcopus cum eo certare cœpit, ostendens singula volumina de Sanctis Scripturis, & diversa testimonia, quòd Sancta indivisa sit Trinitas, & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus unus esset Deus coæqualis (2) ex duabus manens naturis Dei, & hominis. Non consensit. Tunc auctoritate Apostolica demonstrata non resipuit. Ostensaque est Beati Petri Chrysologi Epistola, in qua ex parte continebatur ita; *humanæ leges intra XXX annos inter nos omnes litigiosas interimunt quæstiones, & tu circa quingentos annos cur tanto præsumis in Christum conviciare sermone? Verè oportet te humiliari ad Sanctum Romanum Pontificem, & diligenter ejus præcepta custodire. Et non aliter æstimes nisi, quòd* (3) *Beatus Petrus Apostolus vivus sit, & Apostolatus Cathedræ Romanæ Sedis in carne teneat principatum*. Post hæc autem ipse Eutyches sævissimus in ipso cecidit Concilio; Sacerdotum verò cæteri post solutum Concilium unà cum plebe omnium Christianorum Deo immensas gratias agentes, & maximas laudes Imperatori Catholicam, & *certam* (4) Fidem obs*e*rvantis (5) valedicentes abierunt lætantes.

CAPUT SECUNDUM.

Petri Chrysologi Ordinatio cœlitus imperata.

Igitur charissimi illud, quod residuum est de Chrysologi Vita in medium proferamus, & inquiramus, quomodo, aut qualiter in tali Orthodoxa Sede non ex propriis ovibus, sed à subjecta Corneliense Ecclesia Ravennenses Cives Pontificem ordinaverunt. Tempore namque illo, postquam defunctus est Beatissimus ante nominatus Præsul Johannes, convenerunt universus cœtus Populi, unà cum Sacerdotibus, sicut mos est Ecclesiæ ritu, & elegerunt sibi Pastorem; cùmque (6) eo properantes Romam venerunt ad Sanctum Papam Apostolicæ Sedis, ut eorum ordinaret Electum, ne talis Ecclesia viduata esset Pontifice tantis diebus. Die verò crastina erant omnes parati, ut eum, (7) quem elegerant, Sanctis Apostolicis præsentarent aspectibus. Igitur nocte eadem apparuit ad Sanctum Sixtum Urbis Romæ Episcopum per visionem B. Apostolus Christi claviger Petrus, unà cum Apollinare discipulo suo, & inter ambos stans B. Petrus Chrysologus, & parùm B. Apostolus Petrus gradum figens, dixit ad Sanctum Papam Sixtum; vide hunc Virum, quem elegimus nos, qui stat in medium *nostrorum*, (8) ipsum consecra, non alium. Idcirco expergefactus Papa jussit valde introduci diluculo Plebem universam, & Virum, qui ordinandus erat. Intuitus est eum diutissimè Sanctus Papa, & ait; ite, tollite eum de medio: hunc non cognosco. Nisi adduxeritis mihi, qui ostensus est, alium non ordinabo. At illi cœperunt inquirere inter se mutuò, quæ esset hujuscemodi res, ejectisque omnibus foràs, contristati sunt. Alia verò die jussit, ut Populus cum omnibus *electis*, (9) maximis, & mediocribus, & pusillis ante se introducti fuissent, & cùm non vidisset formam Viri, quæ illi ostensa fuerat, ait; requirite ex vobis, forsitan non omnes venistis, & complures estis. At illi dixerunt; non ex nobis quempiam invenies Domine Papa. Ite, & egredimini foras; nondum Electum video. Tertia die denique iterum apparuit ad eundem Papam, nec vigilans pleniter, nec pleniter dormiens Apostolorum Princeps cum discipulo suo, sicut, & priùs, & Sanctissimum Petrum Chrysologum inter se tenentes, dicentes illi; diximus jam tibi, ne super alium manus imponas, nisi super hunc Virum, quia multis temporibus Ravennæ Ecclesia, sicut pinguedo Olei lucernæ illuminans, cùm ab igne fuerit applicata, ita illius pinguescet, & illuminabitur doctrinâ. Altera die introducuntur omnes, & non invenitur. Tunc Sanctus Papa Sedis Romanæ dixit ad Corneliensem Episcopum, qui in illo tempore cum Ravennienfibus Civibus Romam ierat; introduc omnes Sacerdotes, & Clericos tuos, fortè ibi inveniam Virum, qui mihi ostensus est. Cui ille cum supplicatione respondit, dicens; non habeo talem Virum, nisi unum Diaconum, qui præest omnibus rebus meis, super cujus manus ego servus tuus incumbo. Si jubes, ut in medium veniat, deferatur. Cui Beatissimus Papa; veniat non solùm ille, sed & cæteri omnes, & si videro quem cupio, gratanter suscipio. At ubi ingressi sunt omnes, statim ut vidit Sanctus Papa Virum, qui sibi per visionem ostensus fuerat, conspexit eum, ut gemmam fulgentem, & hinc, atque illinc per spiritum cognoscens vultum B. Apostoli Petri, & Apollenaris Pontificis, Chrysologi Petri dexteram, sinistramque tenentes, & ut hæc omnia Sanctus Papa conspexit, statim de sede surgens, & obviam illi quasi medium atrium ivit, libenti animo alterutrum se salutaverunt usque ad genua. At ubi subtrahere se S. Petrus Chrysologus Papæ voluit, Beatissimus Papa non sinuit. Statim cœpit fremitum dare Populus inter se, & maximum clamorem ad cœlum. Alii dicebant, quia Neophytum non recipimus; non ex nostro fuit ovile, sed subitò invadit Cathedram Episcopalem, quasi latro. Tollite, tollite eum de medio, non recipimus, quia de subjecta Ecclesia non licet *ad* (10) majorem transferre. Alii contra ajebant; justus est hic homo, non rectè dicitis, suscipiamus eum, ut benè nostræ sit Civitati, quia prudentissimus est, & castissimus, & doctor bonus, omnique gloria dignus; ex nostra cognatione est, nihil in eum mali sentimus, timore Domini plenus; sine causa eum perdere vultis. Sanctus verò Sixtus III. Sedis Romanæ in tali altercatione Populum huc illuc divisum conspiciens, palàm omnibus retulit visum, ut superiùs diximus, quomodo per ammonitionem Apostolicam eum consecrare debuisset. Et si istum non vultis Patrem, à me recedite, & à Sancta Catholica Ro-

(1) repone *Martianum*. Bacch.
(2) hæc de Christo Domino aptè intelligenda. *Bacch.*
(3) *ipse*. Mur.
(4) *rectam*. Mur.
(5) *observantibus*. Mur.

(6) *omnes cum*. Mur.
(7) *Virum*. Mur.
(8) *nobrum*. Mur.
(9) *Clericis*. Mur.
(10) *in*. Mur.

A Romana Ecclesia alienati vos omnes. Tunc illi quasi ex una voce cœperunt clamare, & dicere; ordinetur, ordinetur. Conscripserunt celeriter Decretum, & per impositionem manus recepit Spiritum Sanctum, ordinatusque est in Pontificem, & cum gloria ad Ravennam Sedem reversus est. Ex illo jam die cœperunt eum omnes venerari, quasi Angelum Dei.

CAPUT TERTIUM.

Ædes Petro curante constructæ. Ejusdem cum Projecto Corneliense Synchronologia. S. Barbatiani funus.

ÆDificavit hic Beatissimus Fontem in Civitate Classis juxtà Ecclesiam, quæ vocatur Petriana, quam Petrus Antistes fundavit. Qui Fons miræ magnitudinis duplicibus muris, & altis mœnibus structus arithmeticæ artis. Iterumque fundavit domum infra Episcopium Ravennæ Sedis, quæ dicitur Tricoli, eo quòd tria cola contineat; quæ (1) ædificia nimis ingeniosa inferiùs structa est. Fecitque non longè ab eadem domo Monasterium S. Andreæ Apostoli; suaque effigies super valvas ejusdem Monasterii est inferiùs tessellis depicta. Foris verò parietes proconnisis marmoribus decoravit, & in ingressu januæ extrinsecus super liminare versus metricos continentes *ita* (2)

Aut lux hic nata est, aut capta hic libera regnat.
Lux est ante venit Cœli decus unde modernum,
Aut privata diem pepererunt tecta nitentem,
Inclusumve jubar secluso fulget Olympo.
Marmora cum radiis vernantia cerne serenis,
Cunctaque sereno (3) *percussa in murice saxa.*
Auctoris pretio splendescunt munera Petri.
Huic honor huic meritum tribuit sic comere parva;
Ut valeant spatiis amplum superare coactis.
Nil modicum Christo est. Arctas bene possidet ædes,
Cujus in humano consistunt pectore templa.
Fundamen Petrus, Petrus fundator, & Aula.
Quod Domus hoc Dominus, quod factum Factor, & idem
Moribus atque opere. Christus possessor habetur,
Qui duo consocians mediator reddit, & unum.
Huc veniens fundat parituros gaudia fletus,
Contritam solidans percusso in pectore mentem.
Ne jaceat, se sternat humi, morbosque latentes
Ante pedes Medici cura properante recludat;
Sæpe metus mortis, vitæ fit causa beatæ.

Multa condidit volumina, & valde sapientissimus fuit. Iste unà cum Projecto à Beato Cornelio Imolensis Ecclesiæ unâ horâ in Diaconos ambo consecrati sunt. Post verò Divinâ providentiâ ambo solium Episcopale tenuerunt. Petrus Ravennæ Ecclesiæ; Projectus servatus est Imolensi. Postquam hic Pontifex ordinatus est, postmodum ab ipso, iste alter Episcopus *Ecclesiæ Corneliensis* (4) consecratus est, temporibus Gallæ Placidiæ Augustæ, sicut scriptum reperimus. Corpus B. Barbatiani idem Petrus Chrysologus cum prædicta Augusta aromatibus condiderunt, & cum magno honore sepelierunt non longè ad Posterulam Ovilionis; consecravitque Ecclesiam S. Johannis Baptistæ, quam Baduarius ædificavit.

(1) ideit *Ædes*. Bacch.
(2) *videlicet*. Mur.
(3) *sidereo*. Mur.
(4) *in Ecclesia Corneliense*. Mur.

CAPUT QUARTUM.

Petrus mortem suam prævidet, prædicitque. Forum Cornelii pergit, ibique decedit. Locus Sepulcri.

COgnovit autem post hæc hic Beatissimus Petrus per spiritum finem vitæ suæ. Ivit ad Corneliensem Ecclesiam, & ingressus infra Basilicam B. Cassiani obtulit munera, idest craterem aureum unum, & pateram argenteam alteram, & diademata aurea magna pretiosissimis gemmis ornata. Hæc omnia à S. Cassiani Corpore imbuit, positaque super Aram ipsius
B Ecclesiæ, & stans super crepidinem juxta Altare expansis manibus, benedixit cunctam Plebem, Sacerdotes, & Populos, ac oravit dicens; tu dedisti Domine Deus animam in corpore isto; tu iterum misericors suscipe eam, quia tua sum Creatura. Non occurrat mihi iniquissimus Diabolus, sed Angelus tuus Sanctus suscipiat eam, & collocare jubeas in finibus Patriarcharum, ubi lux permanet, & gaudium immensum est. Et nunc Domine te confiteor labiis, (5) corde; tu qui cuncta patrasti ex nihilo, qui solus nosti prisca, præsentia, & futura; da Populo huic cor docibile, ut timeant te, & agnoscant, quia tu es Deus in Cœlo sursum, & in terra deorsum, qui per
C Sanctum Filium tuum totius generis humani salutem recuperasti; in quem credimus Deum, & Dominum Angelorum, qui es benedictus in secula seculorum. Mitte illis Domine Deus verum Pastorem, qui tuas congreget oves, non disperdendo, sed ad caulas Ecclesiæ congregando. Non sopiat ut mercenarius, non sit ut alienæ ovis custos. sed verus Pastor, qui oves cum agnis commissas, immaculatas tuo aspectui repræsentet; ne ille ferox immanissimus Lupus, qui prædam rapere quærit à te, Pastoris corda excita, rapida voluptas depellatur, vellera Fidelium ovium non diripiat, ne Sancta Ecclesia vocis balatibus gemat. Tu *bonum Pastorem*
D (6) tribue huic Populo; mitte Pastorem non percussorem, sed nutritorem, non ut allidat, sed defendat, non spernentem, sed revocantem, non raptorem, sed largitorem, non ut (7)...... sed compescat, non cupidum, sed tributorem, non elatum, sed humilem, non sævum, sed blandum. Custodi eos, Populus tuus est, & oves manuum tuarum, qui es benedictus in secula. Ad lugentem Populum ait; Filii carissimi audite me. Ego vado, & ingredior viam universæ terræ, ubi constituta est Domus omnis viventis. Nunc Filii confortamini, & estote Viri prudentes. Dabit vobis Dominus Deus Pastorem, & Rectorem sicut scriptum est; *non repellet Dominus plebem suam in finem, & hæreditatem suam non derelinquet.*
E Ipsum audite. Ille docebit vos. Ille vos per amœna pascua ducet, ille sui verbi pabulo vos reficiet; ipsum audite, non conturbemini. Et vos viscera mea non contra eum in tumore cordis elevetis, non cum tumultu, & jurgio Pastorem eligatis; non Patrem hujus Patriæ pro pecunia hanc obtineat sedem; sed *hoc* (8) diligite, quem Dominus elegerit. Estote perfecti Filii; ab omni hæresi servate vos. Cavete ab Ariano dogmate. Sanctam, & incontaminatam

(5) *&*. Mur.
(6) *bonus Pastor*. Mur.
(7) *laceret*. Mur.
(8) *hunc*. Mur.

tam Catholicam Fidem tenete. Corpora vestra servate absque pollutione, quia Templa Dei animata sunt. Hæc custodite, & agite, ut mereatis vos cum vestro Pastore in universorum placitorum Cœlesti Domino viam parare. Præcepta ejus satis custodite, obedite ei, ut ille pro *ovibus* (1) oret, quia Omnipotens Deus non vult hilarem, sed cor contritum suscipit, & humiliatum spiritum. Sit benedictio Domini Dei Omnipotentis super vos, & super filios vestros in generatione, & progenie nunc, & semper, & in secula seculorum. Cùmque omnes respondissent Amen, conversus ad Aram B. Cassiani ait; deprecor te B. Cassiane intercede pro me. Tuæ Domui quasi vernaculus fui à Cornelio istius Sedis in Ecclesiæ gremio nutritus: iterum ad te reversus, animam nunc Deo Omnipotenti trado; corpus autem meum tibi commendo. Hæc, & his similia, dum diceret, quasi, qui eructans, ovans, & exultans, flentibus cunctis, qui aderant, reddidit Spiritum III. Non. Decembris. Cæmentarii verò post Sedem ipsius Ecclesiæ paraverunt celeriter Sepulcrum in loco ubi ipse præcepit, & ibidem Sanctum Corpus receptum est, & permanet usque in hunc diem. Sedit autem annos..... menses...... dies.....

OBSERVATIONES
AD VITAM
SANCTI PETRI
CHRYSOLOGI.

Petri ætas expensa. Narratio de ejusdem electione divino impulsu facta contra Dupinium asseritur. Agnellus Ravennatem Ecclesiam Romanæ subditam agnoscit, Petri Epistola ad Eutychetem. An aliam scripserit. An scripserit postremas illius periodos. Ædes Tricoli an à Chrysologo excitata. Petriana Ecclesia. Sacellum S. Andreæ an à Chrysologo constructum sit. Munera Corneliensi Ecclesiæ tributa.

I. D*ivi Petri Chrysologi ætatem in postrema Dissertatione indicavimus, quantùm quidem sufficere poterat ad tollendam temporum confusionem; nunc expressè, quantùm licuerit, de ea decernendum est. Et pro Episcopatus ejusdem initiis in ea sententia persevero, ut vel anno* 440., *qui Sixti III. Summi Pontificis postremus fuit, vel præcedenti* 439. *ordinatum credam. Annus ejusdem emortualis nec ante* 448. *collocari, nec post* 451. *diferri potest. Posterioris asserti veritas ex eo patet, quòd Æmiliæ Civitatibus clades, & direptio Attila latè furente anno* 452. *est illata, eoque Ravennam properante Johannes sedebat Episcopus, nec fortassis is ejus Sedis annus prior erat, sed præcedenti* 451. *cœperat. Prior autem assertio ex Actis S. Germani Antisiodorensis à Constantio fideliter, & accuratè conscriptis evincitur, cùm ex iisdem certa demonstratione elicuerit Eminentissimus Card. Norisius Germanum Ravennæ obiisse anno eodem* 448. *die* 31. *Julii, Hist. Pelagianæ lib.* 2. *cap.* 12. *Constat autem Petrum Chrysologum ejusdem Sancti funus curasse. Idem Eminentissimus, & Eruditissimus Cardinalis de Petri Chrysologi emortuali anno hæc habet; Petrum Chrysologum* eo anno (450.) vel superiori fortè decessisse 2. Decembris, qua die ejus memoria recolitur, patet ex Epistola Leonis 35. ad Leonem Ravennatem data die 24. Octobris Marciano Cos., hoc est anno 451., nam anno 448. idem Chrysologus literas ad Eutychetem male jam ob hæresim audientem dedit, Eutyches verò in Italia eo ipso anno ad Kal. Junias inter Catholicos habebatur ex literis Leonis ad ipsum eadem die datis, in quibus Eutychetis zelum laudat, quo contra Nestorianos depugnabat; ea est Epistola sexta. Hæc inserenda putavi, ut eos corrigerem, qui Petrum Chrysologum circa annum 440. obiisse scribunt, quæ fuit Hieronymi Rubei, & communis Scriptorum Ravennatum sententia, quæ si vera esset, sanè ante annum 440. Germanus Antisiodorensis Ravennæ Chrysologo Præsule diem obiisset. *Rubeus Petri Chrysologi obitum non anno* 440., *sed* 450. *consignat. Hist. Raven. lib.* 2., *unde immeritò refellitur. Porrò cùm ad Kal. Junias anni* 448. *Eutyches in Italia bene audiret, non potuit eo anno à Petro Eutycheti epistola, quæ extat, conscribi, cùm enim conscripta est Eutyches in Italia male audiebat, ut ex ejusdem epistolæ tenore constat, quare epistola Chrysologi non potuit ante annum* 449. *conscribi. Epistola S. Leonis, quæ Leoni, seu Neoni dicitur scripta ex dictis supra in Dissertatione, non probat intentum, licèt cum Pagio contra Quesnellum ad annum* 451. *retrahatur, ac propter conjecturam, quam in Dissertatione exhibui de Ravennii nomine in Inscriptionis ejus mendo fortè cubante, adjicere placet, Johanni fortasse scriptam fuisse, qui Exscriptorum vitio in Leonem mutatus sit. Id tamen si admittatur nil argumentum juvat, cùm Quesnelli argumenta cogant eandem epistolam ad annum* 458. *transferre, & in primis quæstio de redeuntibus à Barbarorum captivitate, quæ referri nequit ad extorres illos, qui ob Geinserici persecutionem solùm vertere coacti sunt, quandoquidem illi non redibant à Barbaris, quod quæstio ipsa supponit. Quòd probat Johannem ante annum* 452. *sedisse, est Attilæ incursio, quæ anno eodem evènit, cui Johannes ipse occurrit, ut narrat Noster. His omnibus perspectis efficitur Petrum Chrysologum anno* 450. *vel* 451. *obiisse, eodemque Johannem suffectum, nec Neoni inter hos locum esse, qui ob multa præclarè gesta, quæ in ejus Vita narrantur, pluribus annis sederit oportet.*

II. Ut autem ordo temporum servetur ab Agnello neglectus, observanda est Petri electio ad Episcopatum Numinis nutu, & Sanctorum Petri, ac Apollinaris apparitione peracta. Rem omnium primus ex Nostro in publicam lucem produxit Ferretus, inde dissertè, ut solet, in sua Historia narravit Rubeus, ex eo Baronius, cæterique. Verùm, quòd fluminum aquis accidit, qui pro soli unde fluunt naturâ, vario imbuuntur sapore, ita quòd demum non sint quales à fonte manarunt; id narrationi huic accidisse facilè deprehendet, qui Agnelli fontes gustaverit, quamvis rei substantia servata sit. Verùm mirari subit hominum plures ita comparatos, ut facilè nimis omnia credant; alios autem è contra, ut omnia in dubium vertant. Dupinius in Bibliotheca Auctorum Ecclesiasticorum de hacce historia hæc ex Gallico in Latinum versa habet; at nequit historiæ hujusmodi narrationi credi, etenim illam nullus fide dignus Auctor exhibet. *Agnellus tandem in lucem prodiens an Dupinio Auctor fide dignus futurus sit ignoro. Illud aio hinc agnosci ejus historiæ traditionem, prout ab Agnello narratur, antiquitate eximiè commendari.*

III.

(1) *vobis*. Mur.

Α ΨΕΝ CΩΜΑ ΚΡΥΠΤΕΤΑΙ ΚΑΥ
ΟC ΤΟ ΘΕΙΟΝ Η ΨΥΧΗ ΜΕΤ
ΩC ΑΦΘΑΡΤΟΝ Ο ΤΡΑΝΩC Β
ΟC ΦΥΓΟΥCΑ ΤΗC ΑΜΑΡΤΙΑ
ΥΤΟC ΗΝ ΕΤΩΝ ΩC ΕΝΔΕ
ΟC ΜΠΛΟΥC ΕΥΙΕΝ ΗCΙΛΥΚΥCΑ
ΟΝ ΙCΑΑΚΙΟC ΟCΤΙC ΕΞΑΡΧΟC ΜΕΤΑ
ΕΡΤΟΙC ΕΔΕΙΧΘΗ ΤΩΝ ΙΤΑΛΩΝ CΤΡΑΤΕΥ
ΕΚΛΑΥCΕ ΠΙΚΡΩC ΕΚ ΒΑΘΟΥC ΤΙC ΚΑΡΔΙΑC
ΩC ΠΡΟC ΠΑΤΡΟC ΜΕΝ ΘΕΙΟC ΑΥΤΟΥ ΤΥΤΚΑΝ
ΠΡΟC ΑΥΤΟΝ CΠΛΑΤΧΝΑ
ΠΑΤΡΙΚΟΥ ΠΟΘ

III. Notari meretur Privilegia à Valentiniano Ravennati Ecclesiæ tributa, si qua fuere, quæ quidem Johannes Petri immediatus Prædecessor nactus sit, Agnello ipso teste, licèt aliàs Primatus Romani impatiente, nullo modo Episcopos ipsos à Romani Pontificis jure exemisse; etenim si quando id exemptionis efficere valuissent, tum idipsum fieri debebat, cum ipso Valentiniano imperante, qui Privilegium paulò ante tribuerat, novum Episcopum ordinandum esse, mors illius, cui Privilegium tributum fuerat, efficiebat. Qui itaque narrat Populum, & Sacerdotes (quorum nomine intelligendos etiam puto Episcopos Provinciales) facto de certi Viri electione, decreto, cùm eo Romam properasse ad Sixtum Sanctum Apostolicæ Sedis Papam, ut eorum ordinaret Electum; quique in subsequentibus adiicit diffidente, & tumultum agente Ravennatum Plebe, Sixtum visione narrata dixisse; & si istum non vultis Patrem, à me recedite, & à Sancta Catholica Romana Ecclesia alienati vos omnes; quare cuncti una voce clamaverunt; ordinetur, & conscripto celeriter decreto per impositionem manus recepit (Petrus) Spiritum Sanctum, ordinatusque est in Pontificem; manifestò ostendit Valentinianum Privilegium dedisse, si quod unquam dedit (potuit enim nobis ignotum dedisse) quòd nullo modo S. Sedis jura, & Ecclesiæ Canones violaret; nec inde factum, ut Ravennates Episcopi autonomi quodammodo essent. Hæc, & similia, quæ suis locis pro opportunitate observabimus ab Agnello narrata efficiunt, ut satis mirari nequeam, quid rei fuerit, ut ipse, qui alicubi Pontificale suum scribens erga Romanæ Sedis Primatum se ritè, rectèque affectum ostendit, alibi, & hic putido commento præmissò, Schismaticarum partium sectatorem se prodat. At ea mendacii, & malæ causæ conditio est, ut suo se gladio perimat.

IV. Regrediendum modò ad ea, quæ Agnellus de S. Petro priori loco narrat, licèt postremis ejusdem annis evenerint, quæque pertinent ad Eutychetis Abbatis Constantinopolitani hæresim. Ea verò tanta sermonis stribiligine, rerumque confusione infecit Noster, ut divinandum sit, quid mente tenuerit. Actorum in causa Eutychetis hic ratio habenda est, ut suis aptè temporibus restituantur vera, si quæ ex Agnelli Historia elici poterunt; id etiam ei, quod numero primo diximus ad postremos Chrysologi annos spectanti, lucem affundet. Damnata itaque Nestorii hæresi in Ephesina Generali Synodo, partium studia effecere, ut qui quammaximè ab ea discedere voluere, in oppositam æquè impiam dilaberentur. Eutyches omnium absurdiùs peccavit, qui in Christo Naturarum distinctionem pertinax negavit, & oppositum sentientes Nestorianismi accusavit, datis Leoni Summo Pontifici literis, quibus Leo ipse respondit primá Junii anni 448. Anno eodem in Concilio Constantinopoli Novembri mense habito à Flaviano ejusdem Urbis Episcopo, accusante Eusebio Dorileense, Eutyches sæpe citatus, ac tandem comparens, asserensque protervè hæresim, damnatur. Hinc è vestigio Leoni denuo scribit, sequæ per nefas damnatum lamentatur, agitque apud Imperatorem, ut Concilium Generale cogatur, qui interim Conventu Constantinopoli triginta Episcoporum habito prima Aprilis die anni 449. rem majoribus tricis implicuit. Leo die 18. Februarii Flaviano scripserat, ac Theodosio inquirens causas, ob quas Eutyches damnatus fuerat, quibus à Flaviano intellectis ejusdem zelum, pietatemque commendavit epistolâ data die 21. Maji anni ejusdem. Ante hanc diem non potuit à Chrysologo Eutycheti Epistola scribi, in qua dissertis verbis hæresim sugillat, aliàs, quod Summus Pontifex nesciverat, ipse agnovisset. Ephesi inde coacta nova Synodo, Leo ipse S. Sedis Legatos misit, eosdemque literis datis munivit, inter quas omnium laudibus, communique Ecclesiæ consensu ea laudatur, quæ in editione Quesnelliana est num. 24. data 13. Junii ad Flavianum, in qua Incarnationis Mysterium ea elegantia, puritate, ac claritate explicatur, ut vix in tota antiquitate monumentum illustrius ad rectum dogma firmandum invenire sit. Synodus Ephesi cœpta est die 8. Augusti ejusdem anni 449., quæ ob in ea per nefas gesta prædatoria postmodum dicta est, Catholicamque Fidem in summum discrimen conjecit, Eutychete absoluto, & Flaviano damnato, qui paulopost ærumnis, injuriisque affectus, dum in exilium duceretur, è vivis excessit. Ob hæc Leo Pontifex pluribus epistolis egit apud Theodosium, ut Concilio Generali res Catholica restitueretur. Extant epistolæ ad Augustum binæ sub die 13., & 15. Octobris, aliæque ad alios. Egit etiam ea de re cum Valentiniano, Placidia, Eudoxiaque, & Legatos Constantinopolim misit. Nil tamen in re gravissima à Theodosio obtinuit. At eo defuncto, substitutoque Martiano, Pulcheriâ hujus Uxore agente, Concilium primò Constantinopoli ab Anatolio habitum est, cui interfuere Apostolicæ Sedis Legati, in quo lectâ Leonis epistolâ ad Flavianum, & Episcoporum subscriptionibus signatâ, Nestorius æquè, ac Eutyches damnati sunt, deinde in Chalcedonensi Generali Concilio cœpto celebrari die octava Octobris ejusdem anni epistola eadem magni Leonis regula fuit, qua firmatum est dogma de duabus in Christo Naturis contra Eutychetis hæresim, illique actionibus secundâ, & quartâ Concilium lectæ subscripsit.

V. His ex Eutychianæ hæresis historia delibatis ad Agnelli tricas revertamur. Primò itaque ait Eutychetem à Sanctissimo Leone per epistolam monitum minimè resipuisse, aitque epistolam in Conventu multorum Episcoporum lectam. Leonis epistola nulla ad Eutychetem data in Concilio ullo lecta est; quinimo in nullo ex præcedentibus Constantinopolitanum sub Anatolio lecta est epistola celeberrima ad Flavianum, de qua in superioribus. De hac igitur ut loquatur reliquum est; at illi Concilio Eutyches non affuit, nec res ampliùs integra erat. Subiit it paragraphum omnium implicatissimum; Sanctus igitur, inquit, Leo ad Beatum Petrum hujus Ravennatis Urbis Pontificem res notas celeriter fecit, qui scribens epistolam ad ipsum hæreticum direxit, per quam in Chalcedonense Synodo non consensit, demersus est. Fx his, ut puto, argumentum nonnulli habere credidere, quo dicerent Petri Chrysologi epistolam in Chalcedonensi Concilio lectam fuisse, quod tamen repugnat Actibus ejusdem Concilii, in quibus nil de ea re, nec potuit fieri, ut Episcopi Ravennatis pro regula Fidei epistola legeretur apud eos, qui primùm sentiebant solummodo insistendum Symbolis Conciliorum Nicæni, Constantinopolitani, & Ephesini, admissis secunda S. Cyrilli ad Nestorium epistolâ, & alterâ ejusdem ad Johannem Antiochenum, & eo nomine laudatam S. Leonis epistolam ad Flavianum recepere, quòd à dictorum sensu minimè abluderet, explicaretque dilucidè, quid de Eutychetis hæresi sentiendum. Dominicus Mita rem in hunc modum dirimi possè censet in responsionibus ad opposita Vitæ Chrysologi à se conscriptæ n. 5. 6. 7. & 8., ut S. Leo intellectâ à Flaviano Eutychetis hæresi, & causa, Romam vocaverit Petrum, qui Pontifice jubente epistolam illam omnium celeberrimam conscripserit Pontificis ipsius nomine ad Flavianum, quæ primùm in Constantinopolitana sub Anatolio, deinde in generali

A

Chalcedonense Synodo credendorum regula contra Nestorium æquè ac Eutychetem, lecta fuit. Ut autem effugiat, quòd contra regeri ex styli diversitate ab aliis Petri monumentis potest, conjecturam ita circumscribit, ut sentiat Leonem conscriptam à Petro epistolam proprio transcripsisse stylo, & aliqua *suo marte adscripsisse. Id omne ex sermone 75. Chrysologi confirmare nititur, ubi se ex itinere Ravennam quadragesimali tempore reversum, ac propterea fessum admodum dicit. Conjecturâ se veritatem assecutum credidisset fortassis Mita si Nostrum legisset, cùm ex allato loco adstrui videatur Petrum à Leone vocatum epistolam scripsisse, quæ in Chalcedonensi Concilio Eutychetis hæresim jugulaverit. At ex subsequentibus*

B

agnoscitur Agnellum de epistola à Petro omnibus consentientibus scriptâ locutum; ait enim ostensam Beati Petri Chrysologi epistolam, *cujus etiam partem exhibet, de qua statim. Mitæ itaque conjectura hinc nullo modo fulciri potest, quæ aliunde etiam dehiscit, ruitque, etenim post quadragesimam anni 449. scripta est epistola Leonis, de qua fit quæstio, die videlicet 13. Junii, cùm præcedens ad eundem Flavianum data fuerit etiam post quadragesimam, die videlicet 21. Maji. At qui de ea re dubitari possit, cùm stylus, ac verba ipsa Leonem sonent?*

VI. Sequuntur apud Agnellum, quæ spectant ad alias Leonis epistolas, ob impetrandum Augustorum auxilium, quo res Catholica in pseudo-Synodo Nicæna malè habita, novo generali Concilio

C

restitueretur. Fœdè labitur, nisi Exscriptorum vitio Augustorum, & Augustarum nomina sint mutata, Honorium memorans, ac Gratianum, qui è vivis dudum ante Eutychianæ hæresis tempora abierant. Honorii loco cogitaveram an Honoria substitui posset, at cùm nulla extet Leonis epistola ad eandem, pessimâ etiam ob stuprum famâ laborantem, emendationem hujusmodi sustineri non posse cognosco. Martiani etiam loco, facili lapsu, Gratianum intrusum suspicabar; at illud obstat, quòd eadem periodo rem usque ad Martianum prolatum dicit. Theodorum insuper, quem in sancto Concilio ait cum Eutychete certasse, & ostensis Sanctæ Scripturæ voluminibus, Sanctorumque Patrum testimoniis Catholicam Fidem de duabus Naturis stabilivisse, tota veterum Actorum Concilii à Flaviano coacti (in quo tantùm Eutyches auditus est Eusebio Dorileense, & Flaviano ipso Hæreticum urgentibus) series ignorat. Omnia itaque hic apud Nostrum à veritate abeunt.

VII. Illud è re esse inficiabitur nemo, quod ad epistolæ, de qua in superioribus sermo fuit, integritatem pertinet, quam ex hoc Agnelli loco ubertimè probatam habemus contra nonnullos, qui contendunt postrema verba ad Summi Pontificis in Fidei dogmatibus supremam auctoritatem spectantia, Chrysologi non esse, sed recentiùs addita à Romanæ Sedis studioso, eique addicto. Gerardi Vossii hi auctoritate nituntur, qui epistolam Chrysologi Græco-latinam edidit cum aliis nonnullis subjunctis Gregorii Taumaturgi operibus impressis Moguntiæ anno 1604., monuitque in duplici Vaticano Codice postrema illa verba deesse. Inde Dupinius prælaudatus in Bibliotheca hæc, quæ latinè versa exhibeo, habet; porrò litera finiri videtur ante ea verba, & quod sequitur additum est ad Sanctæ Sedis auctoritatem commendandam. *At Agnello, ut adnotavimus, & suis locis constabit erga Sanctam Sedem non benè affecto, & nihilominus verba ex epistola, seu sensum eorundem referenti, nullus sanæ crisis studiosus refragrabitur. Constat profectò usque ad Agnelli tempora in Ravennatis Ecclesiæ, licèt longo schismate afflictæ, Codicibus integram Chrysologi extasse epistolam, quam postmodum decurtaverint, qui Sanctæ Sedis auctoritatem in rebus Fidei diffiniendis impugnavere, idque potissimùm imputandum iis, qui græca fide, in græcam linguam latinam epistolam transtulere. Hic operæ pretium esse cogitavi latinam ipsam vulgatam apud Baronium, aliosque, & è regione textum ejusdem, qualem in Codice Estensi reperi, describere, adjectis suo loco periodis Agnello relatis, ut Lector, quid in hujusmodi re sentiendum sit, dijudicet.*

D

LATINA EPISTOLA

Divi Petri Chrysologi vulgata.

Dilectissimo, & meritò honorabili Filio Eutycheti Presbytero; Petrus Episcopus Ravennæ.

TRistis legi tristes literas tuas, & scripta mœsta mœrore debito percurri, quia sicut nos pax Ecclesiarum, Sacerdotum concordia, tranquillitas Plebis gaudere facit gaudio cœlesti, ita nos affligit, & deicit fraterna dissensio, præsertim cum talibus oriatur ex causis. Triginta annis humanæ Leges humanas adimunt quæstiones; & Christi generatio, quæ divina

E

Lege scribitur inenarrabilis, post tot secula disputatione temeraria ventilatur? Quid Origenes Principiorum scrutator incurrerit, quomodo Nestorius lapsus sit disputans de Naturis, non latet prudentiam tuam. Magi Jesum in cunabulis Deum mysticis muneribus confitentur, & Sacerdotes, quis sit, qui Virginali partu de Spiritu Sancto natus est, dolenda interrogatione disquirunt? Cùm vagitus daret Jesus in cunis gloriam in excelsis Deo clamat cœlestis exercitus; & modò, quando in nomine Jesu omne genuflectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum, originis ejus quæstio commovetur? Nos Frater carissime unà cum Apostolo dicimus; etsi

EADEM EX CODICE ESTENSI.

Dilectissimo, & meritò honorabili Filio Eutycheti Presbytero; Petrus Episcopus.

TRistis legi tristes literas, scripta mœsta mœrore, & luctu percurri, quia sicut nos pax Sacerdotum, tranquillitas Plebis, gaudere facit gaudio cœlesti, ita nos affligit, & deicit fraterna dissensio, præsertim cum talibus oriatur ex causis. Triginta annis humanæ Leges humanas adimunt quæstiones; & Christi generatio, quæ divina lege scribitur inenarrabilis, post tot secula disputatione temeraria ventilatur? Quid Origenes Principiorum scrutator incurrerit, quomodo Nestorius lapsus sit disputans de naturis, non latet prudentiam tuam. Magi Jesum in cunabulis Deum mysticis muneribus confitentur, & Sacerdotes quid sit, qui Virginali partu de Spiritu Sancto natus est, dolenda interrogatione discurrunt? Cùm vagitum daret Jesus in cunis gloria in excelsis Deo cœlestis clamat exercitus; & modò, quando in nomine Jesu omne genuflectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum, originis ejus quæstio commovetur? Nos Frater cum Paulo dicimus; etsi novimus Jesum secundum carnem, sed nunc jam non novimus, nec possumus curiosè replicare, qui jubemur honorem dare, & timorem

etsi novimus Jesum secundum carnem, sed nunc jam non novimus, nec possumus curiosè perscrutari, qui jubemur honorem dare, & timorem reddere, & expectare, non discutere, quem Judicem confitemur. Hæc breviter respondi literis tuis plura rescripturus, si ad me Frater, & Coëpiscopus noster Flavianus aliqua de hac causa scripta misisset, si enim tibi displicet, quod quidem scribis, tibi ipsi electum judicium, nos quomodo de his judicare poterimus, quos neque vidimus propter absentiam, & quod intellexerunt eorum taciturnitate nescimus? Justus mediator non est, qui sic unam partem audit, ut nihil alteri parti reservet. (*) In omnibus autem hortamur te Frater honorabilis, ut his, quæ à Beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta sunt obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria Sede vivit, & præsidet, præstat quærentibus Fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis, & Fidei extra consensum Romanæ Civitatis Episcopi causas audire non possumus. Incolumem tuam dilectionem Dominus tempore longissimo conservare dignetur carissime, & honoratissime Fili.

A *morem reddere, & expectare, non discutere, quem Judicem confitemur. His omnibus respondi Frater literis tuis.* Cętera desunt.

B (*) Agnelli paraphrasis. *Verè oportet te humiliari ad Sanctum Romanum Pontificem, & diligenter ejus præcepta custodire, & non aliter æstimes nisi quòd ipse B. Petrus Apostolus vivus sit, ac Apostolatus Cathedræ Romanæ Sedis in carne teneat Principatum.*

VIII. Cùm diversissimis verbis iidem sensus explicentur in vulgatis, & apud Agnellum in his, quæ ipsi referre placuit, argumento idest illum ex Chrysologi epistola sensum sumpsisse, non verba, quæ etiam Agnelliana stribiligine vitiata nemo non videt. Quod spectat ad priora, ubi ex præscriptione annorum triginta ab humana Lege inducta argumentum desumitur contra Eutychetem, accepta ea sunt (vel ab eodem Chrysologo utrobique dicta) à Sermone 145. *num.* 15., humanæ leges intra triginta annos litigiosas omnes interimunt quæstiones, & Christus circa quingentos annos nativitatis suæ causas præstat, ortus sui lites patitur, status sui sustinet quæstiones? Hæretice desine judicare Judicem tuum, & adora in Cœlis Deum, *quem* Deum .... adoravit in Terris. *Licèt autem post legem à Valentiniano latam Acturo, & Protogene Coss. XV. Kal. Julii de triginta annorum præscriptione, sermo ille à Chrysologo sit recitatus, & circa Adventus Domini festa anni* 449. *attentè tamen legenti apparet Nestorii hæresim ibi præcipuè impugnari, illosque, qui* Græco turbine latinam nubilare nisi sunt puritatem ἀνθρωποτόκον χριστοτόκον, ut θεοτόκον tollerent blansphemantes. *Ex quo argumentum minimè leve desumitur productæ post annum prædictum Vitæ, & epistolæ à Chrysologo scriptæ seriùs, quàm vulgò putatur.*

IX. Inter opera magnifico sumptu Chrysologo curante excitata secundo loco recensetur Domus intra Episcopium Ravennatis Ecclesiæ, quam dixere Tricoli, eo quòd, *inquit Noster*, tria cola contineret, *quia videlicet in tria insignia membra distinguebatur, quæ Græci* τὰ κῶλα *dixere, unde* τρικῶλον *quod tria membra habet. Audiri ergo non merentur, qui ideo Ædem illam Tricoli dictam volunt, quòd ad speciem trium collium repræsentandum accederet. At Agnellum Chrysologo Petro tribuisse, quòd Petro ejus nominis tertio tribuendum erat, evidenter agnoscitur ex versibus, quos Agnellus ipse testatur lectos in Æde Tricoli à Maximiano Episcopo consummata, in quibus Pontificum Ravennatum series exponitur, qui Tricoli construendo operam impenderunt, & Petrus cognomento Junior, ut distinguatur à Seniori, & à Chrysologo, fundator dicitur ejus Ædis, quos juvat ex parte à suo in præsentem locum transferre.*

Hic Petrus junior Christi concepta secutus
Ut docuit, sacris moribus exposuit.
Hanc quoque fundavit mirandis molibus arcem,
Nominis ipse sui hæc monumenta dedit.
Hujus post obitum Aurelianus gessit honores,
Post hunc Antistes extitit Ecclesius.

C *Petrus itaque, qui Tricoli fundamenta jecit, is fuit, qui Aurelianum præcessit, non Chrysologus, cui Johannes alter successit, ac Agnellum ita Agnellus emendat, qui fortasse hinc errandi ansam habuit, & Petrum cognomento Chrysologum ponendi immediatè ante Aurelianum, quamvis dimidio quasi seculo ille hunc præcesserit.*

X. Primo tamen loco bene Chrysologo inter cæteras Ædes tribuitur Fons baptismalis miræ magnitudinis duplicibus, & altis muris conclusus. Cùm autem Agnellus dissertè tradat Fontem hunc juxtà Ecclesiam, quæ vocatur Petriana, quam Petrus Antistes fundavit, *constructum, nec hujus operis notitiam Rubeus aliunde haurire potuerit, quàm ex hoc Agnelli loco, mirum est Chrysologo quidem Fontis adscripsisse structuram pag.* 105., *at deleto* D *ex Ravennatibus Dypticis priori Petro, Petrianam Basilicam Petro illi tribuisse, qui Symmachi Pontificis tempore floruit, & Aurelianum in Ravennati Sede præcessit. Ex hoc itaque loco apertè constat ante Petrum Chrysologum Petrum alterum sedisse, quandoquidem Fontem, qui eidem Chrysologo tribuitur cogimur Basilicæ Petrianæ additum agnoscere, cui primitus Fons erat adjunctus cum exiguo Sacello S. Jacobi Agnelli ætate superstite, in quo Petri Episcopi Corpus repertum, quod senioris esse Agnellus idem censuit. Altera Ædes Chrysologo tributa est Monasterium, sive Sacellum S. Andreæ Apostoli non longè à domo Tricoli, in qua & Petri effigiem, & versus conscriptos fuisse Agnellus* E *asserit. Hæc tamen subdubito Chrysologo ne, an Petro juniori sint adscribenda, cùm videatur domus ipsius Tricoli commodo ædificata, & versus ipsi nec Chrysologi stylum, ac ejusdem ætatem sapere videantur, sed recentius quid sonet. Vox postrema secundi versus* τὸ *modernum Cassiodori ætatem sapit, & frasis ipsa à Cassiodori frasi minimè abludit. Rubeus loco supracitato Sacellum hoc elegans quidem dicit*, sed ligneis columnis suffultum. *Versus adscripti nil tale adstruunt, sed breve quidem Sacellum describunt, ex fenestris angustis diei lumini minimè pervium, sed pretiosis marmoribus murice comptis, splendidum, excluso externo lumine suoque lucens, ut sonant priores versus,* aut

aut lux nata est, aut capta hic libera regnat, cum cæteris, *quæ sequuntur. Postremi versus expiationem peccatorum per secretam exomologesim factam ostendunt, quod meritò adnotavit Rubeus. Cùm verò scripti sint hi versus post Nectarii Constantinopolitani Patriarchæ tempora, evidens fit, nil à celebri controversoque in Historiis ejus Patriarchæ facto habere heterodoxos, quo sublatam auricularem confessionem existiment, quinimo praxim, & post Nectarium perseverasse manifestum hinc efficitur. Effigiem etiam, quam super valvas tessellis expressam Agnellus Chrysologi fuisse credidit, existimo Juniori Petro potiùs, sicut & Sacellum, adscribendam esse.*

XI. *Quæ sequuntur de sancto Projecto Corneliense perspicua sunt, sicuti & illa de Ecclesia S. Johannis, quam S. Barbatianus Placidiæ carus tenuit, & Baduarius ædificaverat, ex S. Barbatiani Actis lumen mutuantur. Clara etiam sunt, quæ de obitu S. Petri Chrysologi tradit Noster, nec quidquam habent, quòd legentem remorentur. Illud addendum videtur, ex muneribus, quæ Chrysologus ad Corneliensem Ecclesiam accedens obtulit, pateram argenteam summa veneratione servari, cujus exemplum ære sculptum tradidit Dominicus Mita ante suam Sermonum D. Petri editionem, ad cujus oram versus recentioris modi sunt sculpti, quos adscribendos puto, & sunt qui sequuntur.*

Quem plebs tunc cara Crucis Agnus fixit in Ara
Hostia fit Gentis, primi pro labe Parentis.

Idem Mita veram, ut sibi quidem suadet, Petri Chrysologi effigiem libro præfixit, ex ea, quam opere musivo elaboratam extare ait Ravennæ in testudine Chori Metropolitanæ Ecclesiæ. Illa tamen nonnisi post undecimum à Christo nato seculum fieri potuit, ut & post illud tempus, Templi pars illa restituta est; sed & Palii forma recentior est. De patera prædicta expectari ab erudito Viro D. Abbate Pastrizio, doctam lucubrationem audio. Eam fortaſsis legere dabitur, antequam hæc mea in lucem edantur. At hæc ad Chrysologi Vitam sufficiant.

VITA
SANCTI AURELIANI.
CAPUT UNICUM.

Pauca de Aureliano. Querelæ in urgentes opus. Interpretatio versiculi ex Psal. tu dirupisti &c. *Mors Aureliani, & ejusdem Sepulcrum.*

Aurelianus XXII. Insignis Vir, ætate Juvenis, Senior sensu, & omni elegantior gratia, ab omni opere malo suspensus; mitis in populo, in ovibus mansuetus. Auxit ipse supra fundamentum domum, quam Beatissimus Petrus fundavit jam dicta Tricoli, sed nec ipse eam complens. Et ut sciatis dilectissimi maxima gravamina meam super imposuistis cervicem. De hoc denique Viro non potui aliqua facta reperire, nisi tantùm res, quas (1) Ursiana Ecclesia in Territorio Comaclense in loco, qui dicitur *Ignis*, & *Bajas*, idem Idolorum nomina, non longè ubi Ecclesia B. Mariæ in Pado vetere sita est, ipse adquisivit. Et ipsius temporibus prædictum edificatum est Monasterium. Sed propter vestram Orationem, ne ipsius Historia brevis appareat, quid valde humanus sensus ex Cœli auxilio scientiam nostram vos orantes inspirante Domino, sinè qualibet trepidatione narremus. Ille plasmator, & amator hominum, qui spiraculum vitæ tribuit, & Spiritum in visceribus meis confirmavit, sensus, & argumenta, & corda docilia dedit, & suam dilexit facturam, augeat nobis talem intellectum, ut nos vestram possimus postulationem implere, & vos suscipiatis, ut magis cum desiderio legatis, & amore, quàm cum fastidio, vel negligentia. Nunc replicetis volumus. Sed ego protinus infirmus ex corporis parte, vix hodie explere queo; (2) in quantùm valeo Creatore omnium adjuvante incipiamus. Nolite facere sicut externo fecistis die. Satis me impulit vestrum eloquium. Videte ne multùm gravetis me, quia juxta Salomonis verba; *qui vehementer premit verba, excutit sanguinem*. Sic de me vestra consideret prudentia. Hoc cogitate; non meum, sed Omnipotentis donum est. Oh miser ego, qui sic duris quæstionibus quotidie à vobis flagellor! non ita facite. Tamen si vultis me plus sermonibus confringere, ut coactus hunc Pontificalem citiùs expleam, & vestris manibus tradam, considerate priùs vestram fragilitatem, & postmodum meam cognoscite. Hodie denique sex gero lustra, duobus insuper annis, & bis quinos menses. Ex quo lumen recepi, & de vulva matris meæ egressus sum, nunquam tanta flagella passus sum, nunquam sic coarctatus, quomodo externo à vobis fui die. Et si tanta etiam delectatio est me vobis cedere, & auriculis huc illuc attrectare, & manibus post terga religatis vinctum ducere, insuper dorsum, pectusque flagellare, & meis scapulis plagas superimponere, consentiam. Facite quod vultis, & post hæc omnia, finite me, & à me cessate, patientiam tribuite, & alienate vos à mè, & quantùm *de Pontificibus* (3) scriptum est retinete; nihil à me ampliùs audietis. *Istius* (4) Vitam Aureliani expleam, & postea sileam. Aliud quid mihi plus, nisi sola patientia, quid prodest? quid me arguitis? nisi Dominus mihi dederit linguam eruditionis, quomodo illi placet de me fiat. Per Ezechielem intonans ait; *linguam tuam* adhærere (5) *faciam palato tuo, & eris mutus*, & ad Moysem; *quis fecit os hominis? Nonne ego?* & David Filius; *omnis sapientia à Domino Deo est*, & Daniel; *ipsius Regnum, & Sapientia, & fortitudo*. Ecce vos quare sævistis? Quantùm permittet mihi ille opifex, qui me ex luto suis finxit manibus, tan-

(1) *detinet*. Mur.
(2) *tamen*. Mur.
(3) *Pontificum Vita*. Mur.
(4) *Sed istius*. Mur.
(5) *adhærescere*. Mur.

tantùm loquar; non aliter possum. (1) omnia vobis *insinuare*. (2) Vos condita mente tenete. Scire igitur vos volo, quòd veniet tempus, si hunc Pontificalem propter vestram lacerationem reliquero, cùm legeritis, & dimidium usque hic invenietis, recordabitis postea cum gemitu ea, quæ à me vobis dicta sunt. Sed rei nihil proderit; & si volueritis me postmodum postulare, ut expleam, non exaudiam. Ego desidero, ut per Dei Omnipotentis dispensationem labor meus ad effectum perveniat; vos pro nimia celeritate vultis, ut relinquam. Non facio. Quia memini verba dilectissimi eo quòd in Vita Beati Johannis vestrorum debitor me esse professus sum, & callidè fugiens (3) coram *flammantis* (4) luminibus occultavi, & quia statim invenistis me, occultare non me possum, & si mea ignoratis debita, postquam me coëgistis, antequam examinetis, verissimè manifestem. Debitor sum vobis hanc quæstionem de fluvio Ethan. Scriptum est enim; *tu dirupisti fontes, & torrentes; tu siccasti* fluvios (5) *Ethan*. Ecce debitum meum. Sed quare siccavit *fluvios* (6) Ethan videamus. Audite per Prophetam dicentem; *ecce ego feci novam, dicit Dominus, in deserto viam, & in inaquoso flumina*, & si Dominus omnia flumina, etiam & Maria fecit, cur ergo solus Ethan fluvium siccavit dicente Propheta; *tu dirupisti fontes, & torrentes, tu siccasti* fluvios (7) *Ethan*. Denique allegoricè intelligi voluit alius fluvius Ethan, stirpem Esau, eo quòd non propagavit sobolem in filiis Jacob, dicente Isaach Patre eorum ad Jacob; *crescas in mille millia, & multipliceris, ut arena Maris, & astra Cœli, & velut pulvis terræ, germines, ut herbæ virentes, dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & ad Septentrionem, & Meridiem*. Ad Esau autem; *quid tibi faciam Fili mi? quia Dominum tuum illum constitui. Vives Gladio, & Fratri tuo servies*. Sed tamen quærendum nobis est valde historialiter, qualis iste fluvius Ethan fuit. Legimus in Exodo quando transducti sunt Filii Israël per Mare rubrum, non post multos dies *venerunt in locum, qui dicitur* Mora. (8) Ibi enim aquæ amaræ satis erant. Mora (9) verò *amara* interpretatur. Pro nimia autem amaritudine non ex ea Populus potabat. Sed arefacti à siti invenerunt flumen Ethan, & haustâ aquâ biberunt, corporaque eorum in tumorem versa sunt, atque Ethan aquæ, ajunt quidam, non solùm amaræ erant, sed etiam bibentes in tumorem vertebant, & dirumpebantur viscera eorum. Tunc vociferati sunt ad Moysem, & Moyses oravit cum ipsis ad Dominum, & siccavit Dominus fluvium Ethan. Potest & aliud intelligi. Ethan fluvius intelligitur Diabolus, qui verum venenum, & in superbia tumida colla extollit. Ipse sagittâ plenâ tosficis succis *Servos* (10) Dei semper sagittat stimulis ...... (11) Sed veniens per Virginem Christus Verbum, siccavit fluvium Ethan, hoc est religavit Diabolum principem mortis, restauravit Mundum, & misertus est humano generi. Et si Deus hominem fecit, secundùm quod legimus, & mundum totum fabricatus est solus, cur ergo necesse fuit homini subvenire, &

A mundum iterum restaurare? Primùm ex limo terræ fecit hominem in carnem, & dedit illi spiraculum; post multa tempora regeneravit per gratiam. Non quia non potuit Deus hominem educere de laqueo mortis, nisi sumpsisset virgineam carnem. Potuit, & sine dubio, credo, potuit, & cur non fecit? Superiùs jam audistis; *quis cognovit sensum Domini, aut quis Consiliarius ejus fuit?* Sed in quantum valeo dicam veraciter cum magno timore. Erat homo *extra* (12) terrenus, carnali positus in Paradiso, subjecta sub eo omnia, & princeps omnis creaturæ. Videns spiritualis Diabolus tantas divitias ei traditas, tumidus superbiâ, accensus

B furore, ac si diceret; ex Cœlo projectus sum, dignitatem perdidi angelicam, & quamvis spiritalis sum amissus cœlestia externa delectamenta, nihil habeo. Iste modò statim ut creatus est omnia bona tradita illi sunt, insuper gaudia Paradisi. Ego quid faciam? Hac invidia, Carissimi, quotidie Diabolus contra Protoplastem inardescebat. Igitur excogitatâ malitiâ ingressus est in Serpentis belvino gutture, & per gulam suasit hominem, & postquam sprevit præceptum Adam, omnes secum perdidit; & Diabolus non solùm exultavit, sed etiam delusit. Ecce transgressio mortis in Adam. Si consideretis prudentiâ magnâ coram vobis, quæ apposita est quæstio; sed juvante Domino solu-

C turus ero. Vicerat Diabolus Filium terræ virginis, necesse erat, ut à Filio vinceretur Mariæ Virginis. Ex limo, & substantia terræ factus est homo carnalis terrenus. Ex Verbo Dei, & Virgineo Verbo factus est homo carnalis, & spiritualis. Tentaverat Diabolus terrenum, & *seduxerat*; (13) tentavit cœlestem, & confusus abscessit. Ideo necesse erat, ut qui Filium Virginis vicerat, à Filio Virginis vinceretur; ut Virgo iterum repararet, quem antea per Deum generaverat Virgo. Quare non per Angelos, aut per aliquam Cœli militiam, sed per semetipsum Principem Dæmonum prostravit? Diabolus non spiritualem formam inspexit in Adam, sed carnalem. Ideo Christus carnalis se permisit tentari, ut non

D callidus diceret seductor, aliam formam habuit Adam, aliam Christus. Videns formam Christi, cogitavit Adæ. Æqualis formâ, sed non *æquales virtutes*. (14) Hominis Christus forma, sed deifica virtus. In multis possumus reperire locis in sancta Scriptura. Ubi Adam peccavit Christus recuperavit. Adam per gulam peccavit, Christus per abstinentiam Diabolum superavit. Adam de virgine terra, Christus de Virgine Maria. Terra dicta est à pedibus terendo; Maria interpretatur Domina, sive Stella Maris, sive illuminatrix; & si fortè (15) Maria produxeris, idest breviaveris, Maria dixeris, & plenitudo intelligitur. Adam *suam*

E (16) per mulierem... Christus restaurans Ecclesiam natus de muliere. Adam deceptus per lignum, Christus restauravit mundum per lignum. Adam projectus de Paradiso, Christus in Cruce Latronem introduxit in Paradisum. Adam projectus in Infernum, Christus retrahens eum de Inferno. Ecce inter utrumque qualis similitudo. Homo semetipsum perdidit, & Fi-

(1) *Hæc*. Mur.
(2) *insinuavi*. Mur.
(3) *vestris*. Mur.
(4) *flammantibus*. Mur.
(5) *fluvium*. Mur.
(6) *fluvium*. Mur.
(7) *fluvium*. Mur.
(8) *Mara*. Mur.
(9) *Mara*. Mur.
(10) *Conservos*. Mur.
(11) *incontinentiæ*. Mur.
(12) *ex terra*. Mur.
(13) *seduxit*. Mur.
(14) *æqualis virtute*. Mur.
(15) *alio modo*. Mur.
(16) *suasus*. Mur.

& Filius Dei omnes liberavit, qui est benedictus in secula. Vir autem iste Aurelianus post pauca annorum curricula defunctus est in pace VII. Kal. Junii. Observans Beati Petri Chrysologi præcepta, non declinavit ex eis. Ædificia verò domus inconsummata reliquit. Sepultus est in Ecclesia Apostolorum juxta Ambonem non longè à tumulo ubi Beatus requiescit Neon, antequam à nobis Neonis corpus ad Sedem translatum fuisset. Sedit autem Annos....... Menses....... dies........

OBSERVATIONES

AD VITAM

SANCTI AURELIANI.

Pomposiani Monasterii initia an hic indicentur. Ætas Agnelli hæc scribentis, & in aliud tempus reliqua differentis. Aurelianus Hormisdæ synchronus.

I. Pauca de Aureliano Petri Junioris successore tradit hic Noster, pauca etiam habent Recentiores. Habemus tamen unum, quod Historiam juvet, initia videlicet celeberrimi Pomposiani Monasterii, ut sentit Notarum Auctor. Monasterium nihilominus Aureliani tempore constructum A *affirmare certò non ausim, qui sciam Monasterii nomine ab Agnello Ædem Paroeciam non habentem intelligi, ex dictis alibi. Ædem potiùs tunc edificatam censeo, cui postmodum Monasterium accreverit post D. Benedicti ætatem. Ambiguum etiam est, an Agnellus de Territorio Comaclensi loquatur, quali suo tempore, an prout Aureliani ævo fuerat, in quo Bajarum, & Ignis loca. Porrò Padum veterem vocat, quem Volanæ dicunt. Comaclum, Cymaclum dicit Rubeus, Urbemque antiquissimam laudat à Pelasgis conditam. Ignis, & Bajas Idolorum esse nomina notat Agnellus, at Idola hujusmodi aliunde mihi ignota. De Pomposiano Monasterio infra ad Agnelli continuationem nonnulla adiicientur.*

B *II. Ex iis, quæ de ætate sua habet Noster, agnovi supra in Observationibus ad carmina operi prefixa circa annum 839. Aureliani Vitam, cum præcedentibus consignasse. Reliqua in tempus posterius distulit, ut ex ibi adnotatis constat; & quod instantiis Compresbyterorum pressus minatus fuerat fecit, reliquit videlicet opus imperfectum. Interim ne Aureliani Vita cæteris brevior videretur adjecit prolixam satis, rudemque exegesim ad psalmi versiculum;* tu siccasti fluvios Ethan.

III. Quod ad Aureliani ætatem pertinet, Hormisdæ Summi Pontificis tempore Is sedit. Reliqua incerta sunt, quæ tamen ex parte, dicendis in subsequentibus non parùm illustrabuntur.

AGNEL-

AGNELLI
LIBER PONTIFICALIS.
PARS SECUNDA.

Complectens Vitas eorum, qui floruere ab Ecclesii tempore usque ad Georgium.

DISSERTATIO
CHRONOLOGICO-HISTORICA
De Ecclesii, Ursicini, Victoris, Maximiani, & Agnelli temporibus.

Chronologia Rubeo tradita. Quæ ex Agnello ad temporum rationem spectant perpensa. Ordinatur Chronologia. Silverii, ac Vigilii Acta, & tempora examinata. Series annorum expensa.

UT, quod in præcedentibus præstiti, Chronologiam Ravennatum Pontificum pro viribus illustrem, hæc ad sequentes quinque Episcopos Dissertatio est præmittenda. Rubeus, quem secuti sunt, qui recentiùs scripsere, neglectis ex parte iis, quæ Agnellus tradit ad prædictorum tempora decernenda spectantibus, in hunc modum uniuscujusque Præsulis sedem definit. Aurelianum anno DX., VII. Kal. Junii mortuum statuit, ac ab eodem anno Ecclesii Episcopi initia auspicatur. Ecclesii obitum anno DXLII. consignat, & Ursicinum subrogat, quem, Agnellum secutus, tribus annis sedisse ait, defunctumque anno DXLV. Hoc eodem anno Victorem sufficit, quem etiam anno sequenti DXLVI., XV. Kal. Martii obiisse ait, creatumque Maximianum, cujus Vitam desiisse sentit anno DLVI., VIII. Kal. Martii ex ejusdem Pontificis Vita manuscripta ad Divi Andreæ Sanctimoniales Ravennæ servata. Tandem de ordinatione Agnelli locutus ad annum DLVIII. pag. sequenti, licèt eidem det Episcopatus annos tredecim, diem tamen obiisse ait, anno à partu Virginis quingentesimo sexagesimo sexto. *In nonnullis Agnello consonat, in aliis ab eodem recedit. Infrascripta ex Nostro notanda sunt. Quod ad Ecclesium pertinet, ait Ecclesiam S. Mariæ, quam Majorem dixere ab eodem incboatam*, postquam reversus est cum Johanne Papa Romam de Constantinopoli, cum cæteris Episcopis missis à Theodorico in legationem; *quæ quidem confi iunt ante legationem illam, Ecclesium sedere cœpisse. Vitam claudit addens sedisse Ecclesium annis X. mensibus V. diebus VIII. De Ursicino narrat sedisse eum tum, cùm* Athalaricus Rex defunctus est Ravennæ VI. Non. Octobris, & alia die elevatus est Theodahatus, *& Pontificem egisse annis III. mensibus VI. diebus IX. Victorem quamvis dicat* modico *tempore Ecclesiam rexisse, narrat nihilominus plura ingentia, & magnifica opera excitasse, ac tandem cùm sedisset* annis VI. mens. XI. diebus XI. *obiisse* XV. Kalend. Martii. *Maximianum ait* à Vigilio Papa in Civitate Patras apud Achajam Pr. Id. Octobris Ind. X. quinquies P. C. (*ineptè Descriptor interpretatus fuerat* pacifici) *Basilii Junioris, anno Nativitatis suæ XLVIII. Episcopum consecratum. Refert Inscriptionem in Basilica S. Stephani positam hujusmodi*; in honorem Sancti, ac Beatissimi primi Martyris Stephani, servus Christi Maximianus Episcopus hanc Basilicam ipso adjuvante à fundamentis construxit, & dedicavit die III. Id. Decembris Ind. XIV. novies P. C. Basilii Junioris. *Alteram exhibet ex Basilica S. Apollinaris*; B. Apollinaris Sacerdotis mandante Viro Beatissimo Ursicino Episcopo à fundamentis Julianus Argentarius ædificavit, ornavit, atque dedicavit, consecrante verò Beato Maximiano Episcopo die IX. Majarum Ind. XII. octies P. C. Basilii. *Alteram ex Ardica S. Vitalis*; B. Martyris Vitalis Basilica mandante Ecclesio Viro Beatissimo Episcopo à fundamentis Julianus Argentarius ædificavit, ornavitque, atque dedicavit, consecrante Viro Reverendissimo Maximiano Episcopo sub die XIII...... sexies P. C. Basilii Junioris. *Diem qua Is obiit signat VIII. Kal. Martii ad sedis ejus tempus silet, quod maximè dici oportuerat, propterea que ex sequentis Episcopi ætate agnoscendi, seu exquirendi necessitatem efficit. Agnelli itaque Episcopi Epitaphium à Nostro exhibitum, quale in Codice, quo utor, extat, hic describendum venit*; Hic requiescit in

pace

pace Agnellus Archiepiscopus, qui sedit annos XIII. mens. I. dies VIII. qui vixit annos LXXXIII., depositus est sub die Kal. Aug. Ind. III.

II. Singula suis annis consignare ex Agnelli Episcopi tumulo facillimum esset, nisi turbaret tenor ejusdem à Rubeo exhibitus, qui est hujusmodi; Hic requiescit in pace Agnellus Episcopus, qui sedit Annis XIII., mensem I., dies VIII. Vixit Annis LXXXXIV., depositus est sub die Kal. Augusti Indictione quartadecima. *Lectio Codicis, quo utor, sustineri nequit, & vitiata est à recentiori Exscriptore, qui minimè contentus Archiepiscopum pro Episcopo scripsisse Agnellum, Indictionem falsam III. pro vera XIV. videlicet, obtrusit. Etenim non posse Agnelli Episcopi Vitam produci, usque ad annum DLXX. quo Indictio III. mense Augusto currebat constabit ex dicendis infra in Dissertatione chronologica de ætate Episcoporum Agnello subsecutorum. Admittenda, itaque est Indictio XIV. Rubeo laudata; & in ea tantùm dubii nonnihil esse mihi fateor, quòd fortassis pro XIV., sequens XV. fuerit notata, spectato diuturniori duorum annorum interpontificio, quod servata XIV. Indictione admitti debet inter Agnellum, & Petrum. Fortassis etiam Agnelli annis unum X. ab Exscriptore Rubeo lecto, additum est, cùm ætas LXXXI. annorum, qua Episcopus est renunciatus, nimis gravis videri possit. His non obstantibus teneamus Indictionem XIV., quæ aliis ex capitibus commendatur, ut ex dicendis patebit: Obierit itaque Agnellus Episcopus Kal. Augusti anni DLVI. quo currebat Indictio XIV. retrocedendo per annos XIII. mense I., diebus VIII., invenietur annus, quo sedere cœpit DLIII. die videlicet XXII. Junii Dominica, currente Cyclo Solis II. Lunæ III. Litera Dominicali B. Eodem autem anno obierit Maximianus, ex Codice Monialium S. Andreæ Rubeo laudato, VIII. Kal. Martii. Codicis auctoritas diem certum reddit, at de anno silet. Crediderim obiisse anno præcedenti DLII. Cyclo Solis I. Lunæ II. Lit. Dom. G. F. duo ob argumenta. Primum est, quòd Vigilio Pontifice per ea tempora Constantinopoli ob trium Capitulorum quæstionem variè vexato, & Imperatore invito, diuturniori tempore opus fuit, quo novus Episcopus ordinaretur. Alterum est, quòd cùm videam IX. Kal. Martii in Martyrologio Maximiani obitum signatum, ex anni Bissextilis Februario evenisse credo, ut dies una excresceret apud Martyrologiorum Scriptores, & pro VIII. Kal. IX. Martii signatus sit dies Maximiani emortualis. Porrò libentissimè Rubeo assentirer ejusdem obitum in annum DLVI. differendo, spectatis ingentibus Ædibus, cæterisque magnificè à Maximiano peractis, itineribusque ejusdem Constantinopolim habitis, ac denique spectata etiam Rubei ipsius auctoritate; at tumuli Agnelliani characteres efficiunt, ut id sustineri nequeat, quare Rubeus ipse inconsequenter loquitur, & incompossibilia narrat; qui enim mortuum Agnellum tradit anno DLXVI. quo Indictio XIV. currebat, & admittit sedisse eum annos XIII. mens. I. dies VIII. non debuerat eundem ordinatum asserere anno DLVI., etenim spatium temporis sedis fuisset tantùm annorum decem, & mens. I. cum diebus VIII. Calculis itaque ritè adhibitis Agnelli ordinatio ad annum LV. est retrotrahenda.*

III. Indictio X. quinquies P. C. Basilii Octobri mense anni DLXVI. decurrebat, cùm ut Noster tradit Prid. Idus Maximianus ordinatus est à Vigilio apud Patras Achajæ Urbem. Omnia inter se probè respondent, etenim eo anno Cyclo Solis XXIII. Litera Dominicalis G. ipsa die ordinationis ejus

A

quartadecima Octobris, occurrit, quæ mirum in modum rem firmat. Vixit itaque in Pontificatu Maximianus annis quinque, mensibus sex, diebus octo. Obierat eodem anno Victor XV. Kal. Martii. Is autem cùm dicitur sedisse annis VI. menses XI. diebus XI. indicatur consecratus anno DXXXIX. die IV. Martii. At dies IV. Martii eo anno erat Feria VI. inepta videlicet Episcoporum Ordinationibus. Consequitur, itaque in numeris allatis sphalma irrepsisse, & vel diem deesse, & pro II. scribendum XII., vel & diem deesse, & annum abundare, scribendumque sedisse illum annis V. mens. XI. diebus XII., ac ordinatum die IV. Martii anni DXL. Bissextili, currente Cyclo Solis XVII. Lit. Dom. A. G., ipsa videlicet die Dominica. De Ursicini, qui Victorem præcessit

B

ætate illud tantùm habemus, sedisse videlicet annis III. mensibus VI. diebus IX. & sedere cœpisse antequam Athalaricus obiret, quod accidit anno DXXXIV. VI. Nonas Octobris. Ordinatus, itaque fuerit paucis diebus ante Athalarici mortem postremis Septembris diebus; desiit in vivis esse anno DXXXVIII. circa Aprilem. Longius, itaque interpontificium, qui renuet admittere inter Ursicini mortem, & Victoris Consecrationem, ordinatum hunc asserat anno DXXXIX. die quinta Martii ad vesperam videlicet Sabbati. Longum sanè plurium mensium saltem spatium intercessisse nemo diffitebitur, qui animadvertat Apostolicæ Sedis vices, quas passa est eodem anno DXXXVIII. quo & Ursicinus mortuus est, & Silverius Summus

C

Pontifex deturbatus, intruso per Belisarium Vigilio. Obierit itaque anno prædicto DXXXIV. Ecclesius, cùm sederit ex Nostro annis X. mens. V. diebus V., consequitur circa initia anni DXXIV. eundem ordinatum fuisse, quare anno subsecuto DXXV. cum Johanne Pontifice Romano, aliisque Episcopis, potuit Constantinopolim pergere, quod Agnellus ipse tradit.

IV. Temporibus in hunc modum dispositis, ut quod Nostro Agnello Duce assertum est, firmiùs stabiliatur, necessariò ad ea sermo vertendus est, quæ ad Acta Pontificum Romanorum spectant, ac in primis Silverii, ac Vigilii, quibuscum ordinationes Ravennatum Episcoporum, ac in primis Maximiani, necessario nexu connectuntur. Ea verò

D

multa caligine offusa in hanc diem fatebitur quisquis rem paulò accuratiùs consideravit. Anastasius, qui in hujusmodi negotio magno subsidio esse solet, turbidè, implicitèque rem tradit. Baronius ex eo, & ex Liberato, Victore Tunonensi, epistolisque Silverii, Vigiliique, Actisque Conciliorum, Historiam distribuere chronologicè curavit; Eruditorum tamen opinione visum est, Baronium, quæ majoris momenti erant certis sibi annis consignasse adhibitis solis documentis suspectæ fidei; Anastasium præterea rejectum, quòd sistemati semel præconcepto non suffragaretur, ex Liberati, & Procopii silentio, qui, quod Anastasio narratur, silent, cùm extra argumenti eorundem orbitam existat. Porrò ea ratione Silverii mortem in annum DXL. transfert, quòd fidem adhibeat epistolæ Silverio adscriptæ ad Vigilium, in qua

E

Pontifex scribens inducitur hæc; meque repulso, qui favente Domino tribus jam jugiter emensis temporibus ei (*Apostolicæ scilicet Sedi*) præsideo tempora mea niteris invadere. *Epistola autem data dicitur* VIII. Kal. Julii. *Hinc cùm Silverius Anastasio tradatur obiisse, & depositus dicatur XII. Kal. Junii, concludit Baronius nonnisi anno DXL. decessisse, cùm quartum Pontificatus annum inchoasset. Verùm cùm epistola illa communi Eruditorum calculo supposititia censeatur, nil adjumenti rei decernendæ afferre potest. Nec*

certè

certè inchoasset tantùm, sed complevisset ferè quartum Pontificatus annum; si enim, quod Baronius ipse ait, epistola laudata scripta à Silverio fuit tertio exacto Sedis *suæ anno, & eadem data est VIII. Kal. Julii, anno sequenti DXL. die XXI. Maji, pauci dies potuissent deesse ad quartum sedis annum complendum, quandoquidem ordinationis dies adeò Baronio ipsi incognita consignanda esset post diem XXI. Maji, & ante XXV. Junii anni DXXXVI. Præterea si totus epistolæ ejusdem tenor perpendatur, probat quod nollet Vir præclarissimus; cùm enim videatur scripta epistola contra Vigilium tunc recens Romanam Sedem invadentem, conficit Vigilium id patrasse quarto Pontificatus Silverii anno labente. Id efficiunt ea in superioribus descripta;* meque repulso, qui favente Domino tribus jam jugiter emensis temporibus ei præsideo, tempora mea niteris invadere. *Baronius tamen ipse, qui epistolam Vigilii ad Eutherium datam Kal. Martii Johanne, & Volusiano Coss. admittit, Vigilium intrusum ait ante Martium anni præcedentis DXXXVIII. Observandum tamen epistolæ hujus characteres vitiatos, etenim in ea à Vigilio dicitur Pascha proximum celebratum iri XI. Kal. Maji. Verùm anno DXXXVIII., quo Johannis Consulatus signatur (Volusianum meliores Chronologi ignorant) Pascha celebratum est die IV. Aprilis Cyclo Solis XV. Lunæ VII. Lit. Dom. C. Nec puto ulli ex vicinis annis epistolam illam assignari posse, præterquam anno DLXII., dummodo addita unitate legatur XII. Kal. Maji, in eam enim diem incidit illius anni Pascha, quo currebat Cyclus Solis XIX. Lunæ XI. Lit. Dom. E. Ex hujusmodi itaque epistolis nullum præsidium haberi potest ad Silverii dejectionem, Vigiliique intrusionem certo tempori assignandam.*

V. Anastasius tradit ordinato Silverio, post menses duos nutu divino extinctum Theodahatum Tyrannum, & Vitigem elevatum. *Ex Victoris Tunonensis Chronico nil boni ad hæc elici potest, cùm annis non suis cuncta tradantur. Marcellinus plura pro more Indict. XIV. P. C. Belisarii V. C., qui est annus DXXXVI. congerit. Inter cætera hujus anni propria, sequentia, quæ congruunt traditis ab Anastasio habet;* Agapito Constantinopoli defuncto Theodahatus Rex Silverium in Episcopatum subrogat, ibique residens dirigit Ravennam. Vitiges Theodahatum occidit in loco, qui dicitur Quintus juxta fluvium Salernum, & ipse subsequitur per Tusciam omnes opes Theodahati diripiens, quæ in Insula, vel in urbe Veneta congregaverat. Ravennam ingressus Metesuintham neptem Theodorici regno pulsam sibi sociam copulat; quamobrem Belisarius, Domino favente, Romam ingreditur. *Evagrius lib. 4. cap. 18. ex Procopii Historia Gothica tradit Belisarium Silverii operâ, qui ob eam rem Fidelium Curatorem Athalarici ad eum miserat, Romam intrasse,* quæ denuo Romanis subjecta post annos sexaginta, quibus à Gothis occupata fuisset, nono die Apellej, hoc est ad V. Id. Decembris, undecimo anno Imperii Justiniani. *Baronius advertit eadem tradi à Nicephoro, licèt Anastasius Belisarium dicat Româ potitum IV. Idus Decembris. Annus undecimus Imperii Justiniani cœpit Kalend. Aprilis anni DXXXVII. cùm in Imperii consortium adscitus fuisset ipsis Kalend. Aprilis à Justino, solusque regnare cœpisset defuncto Justino Kal. Augusti ejusdem anni Mavortio solo Cos., ut idem Marcellinus tradit, nec de hac re dubitandi locus relinquitur; extat enim Justiniani Constitutio edita Kal. Septemb. P. C.* Belisarii *anno secundo, quam exhibet Baronius ad annum DXXXVII. Hæc simul collata videntur non cohærere. Etenim Silverii Pontificis initia ante diem VIII. Idus Augusti anni DXXXVI. consignari nequeunt; Acta enim Concilii Constantinopolitani sub Menna, & Justiniani Constitutio, quorum illa nonnisi Julio mense finierunt, & hæc data legitur* VIII. Idus Augustas Constantinopoli P. C. Belisarii Viri Clarissimi, *Theophanis, & Pelagii Diaconorum Agapeti mentionem habent, nullam autem Successoris Silverii, qui proinde nondum creatus fuerat. Theodahati itaque mors, si post duos menses à Silverii ordinatione est patrata, nonnisi vergente ad finem anno accidit, & fortassis ipso Decembri mense, ut habet Agnellus in Vita Ursicini. Oportet igitur si sexagesimo anno, ex quo capta fuerat, Roma recepta sit V., vel IV. Idus Decembris, Belisarium eam intrasse eodem ferè tempore, quo Vitiges regnare cœpit, anno DXXXVI. Quod confirmari videtur epist. prædicti Vitigis ad Justinianum, quæ est 32. lib. 10. Variarum Cassiodori, si ea,* & ne pro parvitate sua negligi potuisset, non in provinciis tantùm, sed in ipso rerum capite, probatur inflictum, *ad Romam à Belisario receptam referri debeant, ut sentit Baronius; etenim ante Decembrem anni DXXXVII. immo paulo post adeptam regiam dignitatem, epistolam scriptam facilè est conjicere. Verùm si id admittatur, Roma non undecimo, sed decimo labente Justiniani anno recepta fuerit; quandoquidem undecimus à Kal. Aprilis anni DXXXVII. numerandus est, ut calculos subducenti ab anno DXXVI. patebit, eo enim anno Kal. Aprilis in consortium Imperii à Justino assumptus fuerat Justinianus. Alterutrum itaque rejiciendum est, vel enim Belisarius Romam recepit Decembri DXXXVI. sexagesimo anno, ex quo à Gothis occupata fuerat, & hoc admisso nondum undecimus Justiniani annus cœperat, vel si Decembri DXXXVII. undecimo hocce labente id accidit, Roma recepta haud est sexagesimo anno à Gothorum occupatione collecto.*

VI. Has inter angustias, quamvis (ne sexagesimum à Barbarorum in eandem ingressu, annum transiliant) Eruditorum sententia sit, Belisarium Româ potitum Decembri mense anni DXXXVI.; mihi tamen probabilius arridet id factum Decembri DXXXVII. currente undecimo Justiniani imperantis anno, sexagesimo primo ab Erulorum in eam ingressu, quod tempus Scriptores rotundo sexaginta annorum numero enunciarunt, uti in plurimis hujusmodi sæpius factum norunt docti. Planè id credibilius, quàm quòd decimi loco, undecimus Justiniani annus positus sit. Porrò omnia Marcellino relata in Chronico, loco supracitato, vix paucorum dierum brevissimo spatio intelligi possunt facta, quæ tamen his limitibus arctari necesse sit, si Theodahatus à Vitige occisus sit post duos menses à Silverii electione, & circa Decembris initium, & Belisarius Româ sit potitus ejusdem Decembris IV., vel V. Idus anni DXXXVI. Quod eo improbabilius efficitur, quia, uti Evagrio, & Procopio laudatis traditur, Belisarius Romam ingressus est Silverii operâ; quandoquidem ex Marcellino constat à Theodahato Silverium Ravennam missum, ubi eundem degisse quandiu Theodahatus vixit, tam verosimile est, quàm quòd simillimum. Plura itaque, immo omnia (si Silverii electionem, & Theodahati mortem excipias) eorum, quæ Marcellinus Ind. XIV., idest anno DXXXVI. consignat, ad annum sequentem DXXXVII. sunt consignanda, uti quòd Vitiges in Tusciam regressus, inde Venetias abiens, quas ibi divitias congregaverat Prædecessor, diripuerit; post-

A *postmodum Ravennam ingressus Metesuintham uxorem acceperit, quibus addendum, quòd Justiniano scripserit pacem procurans, expectaveritque Ravennæ subsistens epistolarum responsum; incertum enim omnino an ad Urbis res, & statum, verba illa referenda sint, de quibus in præcedenti paragrapho. At & illud observari meretur Indictionem XIV., cùm Theodahatus occisus est, in XV. transisse, hæc enim à Sept. anni DXXXVI. jam numerari cœperat, & si XIV. occisus fuisset circa Decembrem, annus DXXXV. notari deberet. At hæc postremis DXXXVI. diebus cœpta, transferunt in Decemb. anni sequentis DXXXVII. Belisarii in Romanam Urbem ingressum.*

VII. Cùm autem nonnisi IV., vel V. Idus De- B *cembris Belisarius anno DXXXVII. ingressus sit Romam, Urbis item obsidio à Vitige peracta non est ante IX. Kal. Martias, uti ait Anastasius, & innuit Procopius oraculum quoddam Sybillinum exhibens lib. primo Belli Gothici cap. 24. Ab imminente obsidione occasio arrepta inducendi in Silverium falsos testes, quæ Procopio laudato his indicatur*; cùm autem esset suspicio Silverium Urbis Antistitem cum Gothis proditionem moliri, eum quidem in Græciam misit statim, alterum autem Pontificem paulò post Vigilium nomine creari fecit. *Silverius igitur in hunc modum à Sede sua detrusus est circa vigesimam diem Februarii anni DXXXVIII., & statim in Græciam deportatus, unde brevì, Justiniano jubente,* C *Romam versus in suam Sedem restituendus migrare jussus, Româ ipsâ obsidione cinctâ, agenteque apud Belisarium Vigilio, in Palmariam Insulam veniens ibi post quatuor menses, die videlicet XX. Junii ad superos evolavit. Hæc autem aptissima sunt conciliandis meliorum Catalogorum characteribus, quorum plerique Silverio assignant Pontificatus annum unum, menses alii quidem quinque, ad vigesimam videlicet Februarii, qua à sua Sede pulsus est, alii novem, ad vigesimam scilicet Junii, qua obiit, tempus omne numerantes. Videantur Catalogi ipsi apud C.V. Papebrochium in Propylæo, quorum alter secundus vocatus, sicuti & tertius Palatino-Vaticanus Silverio tribuit annum I. menses V. dies XI., in veteri autem membrana à laudato Papebrochio cum gemino Corbejensi ma-* D *nuscripto collata, ad annum I. menses IX. dies XI. ejusdem Pontificis Sedes extenditur. Agente itaque Theodahato Silverius Pontificem se gessit die nona Septembris anni DXXXVI., licèt, consentiente inde Clero, nonnisi sequenti Dominico die sit ordinatus. Ad id temporis spectant, quæ Liberatus habet de Theodora, ac Vigilio post Agapeti mortem Constantinopoli degente*; Theodora Augusta vocans Vigilium Agapeti Diaconum profiteri sibi secretò &c. Lubenter ergo suscepit Vigilius promissum &c., & facta professione Romam profectus est, ubi veniens invênit Silverium Papam ordinatum, quin & Ravennæ (*Neapoli legendum*) Belisarium. *Ad sequentem autem an-* E *num pertinent, quæ Anastasio recensentur*; Theodora usa consilio cum Vigilio Diacono misit epistolam Romam ad Silverium Papam rogans, & obsecrans; ne pigriteris ad nos venire, aut certè revoca Anthimum in locum suum. Hæc cùm legisset Beatus Silverius ingemuit, & dixit; modò scio, quia causa hæc finem vitæ meæ adducit. Sed Beatissimus Silverius fiduciam habens in Domino, & B. Petro, rescripsit dicens; Domina Augusta ego rem istam nunquam ero facturus, ut revocem hominem hæreticum in sua nequitia damnatum. Tunc indignata Augusta misit jussiones suas ad Belisarium Patricium per Vigilium Diaconum ita continentes; vide aliquas occasiones in Silverio Papa, & depone illum de Episcopatu, aut festinus certè transmitte eum ad me, ecce ibi habes Vigilium Archidiaconum, & Apocrisarium nostrum carissimum, qui nobis pollicitus est revocare Anthimum Patriarcham. *Ut autem Vigilius, qui Silverio Petri Sedem tenente Romam venerat, inde Neapolim perrexit, rursus Romam, inde Constantinopolim cum Apocrisarii munere accessit, transigeret cum Theodora de Anthimo restituendo, scriptisque à Theodora ad Silverium epistolis responsum operiretur, habitisque cum Imperatricis literis ad Belisarium regrederetur, plurium mensium lapsu id omne factum fuisse oportuit, ita quòd ingruente tandem Urbis obsidione à Belisario Silverius è Pontificia Sede pulsus sit, & subintrusus Vigilius.*

VIII. Ursicino itaque Ravennati Episcopo circa Aprilem anni prædicti DXXXVIII. defuncto, impediebat non modò Silverii legitimi Pontificis exilium, sed & Romanæ Urbis obsidio, quæ nonnisi sequenti anno DXXXIX. soluta est, ne novus Ravennas Præsul in demortui locum ordinaretur. Sed & rebus Ecclesiæ Romanæ nondum compositis arbitror dilatam Victoris ordinationem ad diem quartam Martii anni DXL., cùm tandem Vigilius se non modò, sed rectæ Fidei dogma, & Ecclesiæ Romanæ privilegia tueri voluit, ejusque ritè Pontificem agentis testem habeamus epistolam Justiniani datam, alteram item Mennæ XV. Kal. Octobris. Quì autem fieri potuerit, ut Theodora impotentis animi, & furoris fœmina distulerit de Vigilio, qui promissis de restituendo Anthimo minimè steterat, vindictam agere, sunt inter rerum Ecclesiasticarum Scriptores, qui haud se intelligere asseverant, ac proinde ægrè ejusdem Pontificis à Romana Urbe abductionem ad subsequentes annos referunt, quæ tamen citiùs, quàm anno DXLV. fieri non potuit. C. V. Papebrochius parte prima Conatus Chronico-Historici ad Catalogum Summorum Pontificum Tomo illo, qui Propylæi nomen habet, & aliàs Pontificiæ Chronologiæ est utilissimus, modestissimè conjecturam affert, qua credi possit duplex Vigilii Constantinopolim profectio; prior scilicet statim post denegatam, quam promiserat Anthimi restitutionem, & post Silverii obitum, quem & ipse anno DXXXVIII. consignat, cùm adhuc recentissima ob patrata flagitia Romanis esset invisus, accusatus propterea apud Augustam diversorum criminum, ut Anastasio narratur. Altera anno DXLVI. ob trium Capitulorum quæstionem. Priori vice præter alia per summum nefas in eum admissa, Theodora jubente eundem exilio afflictum sentit, secundâ verò secus, licèt sibi timentem in Basilicam Sanctæ Euphemiæ confugisse noverimus. Quare priorem ærumnam ab anno DXXXVIII. ad finem vergente ad annum DXL. producit, distinctam ab iis, quæ rursus Constantinopoli gesta sunt, anno post priorem reditum septimo. Hæc C. V. conjectura sicuti plures historiæ tricas componeret, ita Victoris ordinationem diutiùs transferendam suaderet; verùm sunt, quæ me cogunt à laudata eruditissimi Viri sententia recedere. Primò etenim nec ex tota Vigilii Epistola ad Justinianum scripta, missaque per Flavium Dominicum Exconsulem, & Patricium, sicut nec ex altera Mennæ data XV. Kalend. Octobris Justino Cos. anno videlicet DXL. ullum eorum, quæ Papebrochius conjicit indicium apparet; quinimo dum Vigilius se purgat à maligni cujusdam calumnia, rationemque reddit, cur à suscepto Pontificatu in eam diem scribere distulerit, ostendit se antea nec Constantinopoli fuisse, nec inde aliò exilii causâ migrasse. Præterea ex Chronologia annorum Belli Gothici à doctissimo Cardinali Norisio in Dissert.

de

de V. Synodo cap. 6. emendata, unde agnoscitur, quo verè anno Belisarius Constantinopolim cum Vitige devicto perrexerit, argumentum eruitur, quo Papebrochii conjectura evertitur. Narrat Anastasius, cùm Belisarius Constantinopolim venisset, eundem ab Imperatore interrogatum, quomodo se haberet cum Romanis, vel quomodo in loco Silverii statuisset Vigilium, & dato ei responso gratias egisse Imperatorem, & Augustam. *Cum itaque Belisarius Constantinopolim vènit, Vigilius illuc minimè perrexerat, de cujus rebus Belisarium interrogabat Augustus. At Belisarius eo ipso anno, quo inde Romam rediisse Vigilium conjicit Papebrochius, Constantinopolim cum Vitige venerat, quingentesimo videlicet quadragesimo; non fuerat itaque ante hoc tempus Constantinopoli Vigilius. Procopius quidem Belisarii profectionem illam anno Belli Gothici quinto consignat; at sexto deputanda est, quandoquidem laudatus Cardinalis nos docuit Procopium secundi, & tertii Belli Gothici annos pro uno numerasse, unde continua annorum prolepsis, quæ doctissimos Scriptores in transversum egit. Cardinalis Baronius ritè anno DXL. Ravennam captam, Vitigemque devictum tradit; inde adicit*; porrò quintum annum Belli Gothici eundem esse Imperatoris decimum quartum, ex eo certo scies, Lector, dum idem Auctor undecimo anno ejusdem Imperatoris secundum Belli Gothici annum statuit. *Undecimus Justiniani annus non secundus Belli Gothici, sed tertius est, at secundus idem est, ac tertius Procopio.*

IX. Hæc illustranda erant, ut agnosceretur Vigilio Romæ degente Victorem Ravennatem Episcopum die IV. Martii ordinari potuisse anni DXL., nunc, quæ Vigilii sunt reliqua perpendere cogor, ut Maximianum quartadecima Octobris anni DXLVI. initiatum stabiliam. De loco, & tempore hujusmodi Agnellus nos dubitare non sinit, cujus proinde verba hìc denuo describi oportet; Justinianus, *inquit*, excogitato consilio jussit consecrari B. Maximianum Polensem Diaconum, Episcopum à Vigilio Papa in Civitate Patras apud Achajam Prid. Id. Octobris Ind. XV. P. C. Basilii junioris, anno nativitatis suæ XLVIII., & dato Pallio Ravennam misit. *Rubeus Agnellianis vestigiis insistens lib. 3. pag. 158. hæc habet*; quocirca Ravennatibus Pallium ab Cæsare per Legatos petentibus jussit Maximianum in eorum Archiepiscopum ab Vigilio Pontifice Maximo consecrari. Is tum Pontifex apud Patras Achajæ Urbem exulabat Theodoræ Uxoris Justiniani jussu ...... Archiepiscopus, itaque Ravennatum sacratur à Vigilio Maximianus Pr. Id. Octobris Basilii junioris quinquies P. C. Ind. X., quod incidit in annum à partu Virginis DXLVI. cùm annum ætatis ageret octavum, & quadragesimum. *Ritè, aptèque omnia, si exilium haud ex Agnelli fide, Vigilio Theodoræ jussu, ut ait is, procuratum excipias. Cuncta enim, quæ eorum temporum monumenta supersunt de Vigilii exilio silent, Anastasio excepto; nec exulare potuit, nisi brevi illo temporis spatio, quod inter quintæ Synodi Acta, quibus damnata sunt tria Capitula, & Synodi ejusdem confirmationem, per Vigilium ipsum præstitam intercessit, à die videlicet V. Non. Julii ad diem VI. Idus Decembris anni DLIII. Eo enim tempore data est Collatio VIII. Synodi, & Epistola Vigilii, quam ex Codicibus Regiis edidit celebris Petrus de Marca cum latina Interpretatione, doctissimaque Dissertatione. Tunc autem defuncta jam erat Theodora, & de Anthimi restitutione cessaverant quæstiones. Quamvis tamen anno illo non exulaverit Vigilius, Patris nihilominus Pr. Idus Octobris degebat, licèt communis sententia ea sit, eundem nonnisi die S. Ceciliæ Sacro ejusdem anni Romà abductum fuisse. Hi abductionis hujusmodi diem consignantes Anastasio credunt tradenti Vigilium* in Ecclesia S. Ceciliæ X. Kal. Decembris, cujus dies natalis erat tradentem populo, *detentum, Tyberique impositum in Navi Romà abductum*; qui ingressus Siciliam in civitate Catanensi permissus est facere ordinationem per mensem Decembris; *ab Anastasio verò paulò infra narrante eundem Constantinopolim pervenisse in pervigilio Nativitatis Domini Populo canente*; ecce advênit Dominator Dominus, *unanimi consensu recedunt, quòd navigationi Catanà Constantinopolim hyberna illa tempestate non potuerit suffecisse brevissimum paucorum dierum spatium, quod fluxit à Sabbato Ordinationibus dicato ad Natalis Dominici pervigilium, quod eo anno DXLVI. incidit in feriam secundam, Cyclo Solis XXIII., Lit. Dom. G., quare Marcellino potiùs adhærendum existimant, qui Vigilium Constantinopolim appulisse habet VIII. Kal. Februarii anni proximè sequentis DXLVII.*

X. At nec ita quidem res probabilis evadit, quandoquidem mensis unius spatium, nec tale est, quod diuturnioris temporis nomen mereatur, nec tantum, ut potuerint ea omnia per Vigilium præstari, quæ Synchronis Scriptoribus narrantur. Procopius de Bello Gothico lib. 3. cap. 16. Vigilius autem Romanus Antistes ab Imperatore ex Sicilia evocatus Byzantium vênit, ἐτύγχανε γὰρ πολὺν τινὰ χρόνον διὰ τῦτο ἐν Σικελίᾳ τρεβλὼ ἔχων, nam, ut eò contenderet, diutinam ea in insula hic traxerat moram. *Idem diutiùs in Sicilia moratum Vigilium innuit, eundem memorans ex Sicilia frumentum comparatum misisse Romam à Totila obsessam, fameque laborantem, quod Gothi intercepere.* Vigilius item literis ex itinere ad Mennam datis, *inquit Petrus de Marca in laudata Dissertatione*, damnationem trium Capitulorum reprehendit, & Legatis ad Justinianum missis petivit, ut pateretur eam rescindi, *quæ ex Facundo lib. 4. cap. 4. descripta sunt. Reliqua in hanc rem videsis apud Cardinalem Norisium Dissert. de V. Synodo cap. 4., ubi suo more, doctissimè videlicet, celeberrimi Viri Caroli Sigonii lib. 19. de Imperio Occidentali, sententiam confirmat, discessisse videlicet Vigilium Romà anno DXLV. contra Holstenium, Sirmundum, aliosque clarissimos Viros. Verùm Is in omnibus ab Anastasio sibi recedendum putans, & Vigilium Romà discessisse ait initio anni prædicti DXLV., nec Constantinopolim pervenisse nisi Januarii die XXV. anni DXLVII. Asserti prioris rationem ex Vigilii encyclica Nonis Februarii anni DLII., desumit, quòd in ea Pontifex dicat se Romà egressum ante septem annos, septimus autem vix cœptus à duobus mensibus fuisset, si Romà abiisset die XXII. Novembris anni DXLV. Item idem adstruitur ex Victore Tunonensi, ex quo ostenditur anno DXLIV. à Justiniano Vigilium Constantinopolim vocatum. Adiicit etiam idem probari ex Cleri Italiæ literis, seu libello supplici ad Francorum Regis Legatos anno DLI. scripto, in quo dicitur Vigilium Romà discessisse* ante sex annos. *At nullo modo Anastasio refellendo hæc apta videntur. Libellus supplex Cleri Italiæ scriptus fuit, ut ipse Doctissimus Cardinalis fatetur exeunte anno DLI., sex itaque anni effluxerant à die XXII. Novembris anni DXLV. Quòd Justinianus Vigilium vocaverit anno DXLIV., non efficit Vigilium itineri se commisisse initio anni DXLV., quinimo eundem moras traxisse consentaneum est, qui cùm tandem Romà abiit, abiit invitus, &* prope violenter deductus, *ut Clerus Italiæ te-*

status est, & consonat Anastasius. Septimum autem annum non completum, sed per duos menses incohatum indicari in Vigilii encyclica, haud adeò inverisimile est, ut cogamur ab Anastasio recedere. Solenne est in Chronologicis, quæstionum tricas ejusmodi remedio componere, quo cur in hac re uti non liceat, minimè video. Vigilium Constantinopolim advenisse die XXV. Januarii P. C. Basilii VI., idest anno DXLVII. traditur in Auctuario Marcellini, cui adhæret Eminentissimus Cardinalis; at quidni pro VIII. Kal. Januarii, irrepserit VIII. Kal. Februarii? Porrò Anastasio traditæ circumstantiæ pro pervigilio Natalis faciunt. Gregorius cognomento Magnus lib. 2. epist. 36. ad Episcopos per Hiberniam, seu per Histriam, componit quidem Vigilii sententiam contra Acephalos, & Romanæ Urbis à Totila captæ calamitatem, at præterquam quòd unius mensis discrimen tanti non est, ut pro Januario anni DXLVII. concludat, ex ipso Marcellini Auctuario, si fidamus Indictioni X. videtur erui Totilam XVI. Kal. Januarii anni DXLVI. Româ potitum; etenim à præcedenti Decembri Indictio X. currebat. Certè P. C. Basilii VI. non bene Indictioni X. Decembri mense anni DXLVII. colligatur, cùm tum XI. decurrere cœpisset. Id si admittatur, Totilam videlicet Româ potitum anno DXLVI. Decembri mense, & eodem tempore in pervigilio Natalis Domini Vigilium Constantinopolim intrasse, ubi statim Decretum contra Acephalos dederit, aptiùs Gregorius Magnus scripserit utrumque eodem tempore evenisse, quàm si dicamus Vigilium Constantinopolim accessisse XXV. Januarii, Romamque captam die XVII. Decembris anni DXLVII.

XI. At quota, qualive die Constantinopolim venerit Vigilius ad præsens argumentum minimè spectat. Illud Agnellianæ chronologiæ consonat, quòd anno DXLV. Româ abductus fuerit, quare sequentis anni Octobri mense apud Patras Achajæ Urbem degens Maximianum Ravennatem Episcopum ordinaverit. Verùm cùm ex hac temporis nota

A *agnoscamus Pontificem incipiente Octobri mense jam Patris degisse, unde terrestri itinere per Achajam progressurus Constantinopolim pergere decreverat, longiùs differri videtur itineris hujusmodi finis, si post ejusdem anni Dominicum Natale prorogetur, quandoquidem tres ferè menses ab Maximiani Ordinatione ad ejusdem anni Natale affluxerunt. Agnellus porrò cùm diligentiùs in Maximiani Vita annos, diesque, ac menses rebus gestis apponat, quàm in aliis solet, manifestò ostendit se ex legitimis Ecclesiæ Ravennatis documentis pleraque sumpsisse, ac fortassis ex ipsius Maximiani, quam laudat, Annalogia; quare Actorum Vigilii Pontificis chronologiæ disponendæ non spernendo subsidio is est. Cæterùm Patræ urbs celebris Peloponnesi Straboni lib. 8. laudata, sed &* B *apud Pausaniam in Achaicis multis nominibus illustris, & præcipuè quòd solis Patrensibus inter Achæos Augustus autonomiam concesserit. Nunc etiam floret apud Rhium Promontorium.*

XII. Tandem de tempore tantùm, quo Agnellus Ravennas ordinatus sit agendum remanet; at paucis res expedienda est. Cùm enim viderimus calculis adhibitis non posse ejus ordinationem transferri post anni DLIII. diem XXII. Junii, non est cur hic paragrapho secundo dicta repetamus. Turbaret equidem totam rerum seriem Vigilii exilium in Proconesum, magni nominis Scriptoribus assertum; verùm certis adeò argumentis Doctissimus Cardinalis Norisius in Dissert. de V. Synodo cap. 8. ostendit Pontificem nullo modo in exilium C *missum, ut plura veteri sententiæ confutandæ adiicere, esset in sylvam ligna conferre. Constantinopoli itaque novus Episcopus ordinatus est die prædicta, cùm duæ vix hebdomadæ à Synodi fine effluxissent. Pro coronide Dissertationis hujus visum est distincta annorum serie disponere tribus in laterculis singulis annis respondentia, quæ ad Secularem, quæ ad Romanam, quæque ad Ravennatum Episcoporum rem pertinent, ut uno veluti intuitu quæcunque usque modò disputata sunt conspiciantur.*

Ind. Coss. Anni Christi.		Secularia.	Romana.	Ravennæ.
XV. Symmacus, Boetius	522.			
I. Maximus	523.		Johannes Papa die 27. Maji creatur.	
II. Justinus Aug. II. Opilio	524.			Ecclesius circa anni initium eligitur, & ordinatur.
III. Probus Jun. Philoxenus	525.		Johannes Papa Constantinopolim pergit.	Ecclesius cum Johanne Constantinopoli.
IV. Olybrius	526.	Theodoricus moritur 6. Julii. Athalaricus sub Amalasventhæ tutela regnat.	Johannes Ravennæ conjicitur in carcerem 22. Februarii, moritur 18. Maji. Felix ordinatur 12. Julii.	Ecclesius Ravennæ.
V. Mavortius	527.	Justinianus Kal. Aprilis in consortium Imperii assumitur à Justino, quo Kal. Augusti mortuo, solus imperat.		
VI. Justinianus A. II.	528.			Circa hæc tempora Ecclesius contendit cum Clero, & res à Felice componitur.
VII. Decius	529.			

VIII.

VIII. Lampadius, Orestes	530.		Felix moritur 25. Septembris. Bonifacius eligitur 27. Sept. consensus Regis accedit 10. Novemb.	
IX. P. C. Lamp. & Orest.	531.			
X. II. P. C. Lamp. & Orest.	532.		Bonifacius moritur 24. Octobris. Johannes II. ordinatur 19. Decembris.	
XI. Justinianus A. III.	533.			
XII. Justinianus A. IV. Decius, Theod. Paulinus	534.	Athalaricus VI. Non. Octobris moritur; altera die Theodahatus regnat.		Ecclesius circa Julii mensem moritur. Ursicinus circa Augustum ordinatur.
XIII. Belisarius	535.	Amalasuentha in exilium mittitur Pr. Kal. Majas; occiditur. Belisarius Sicilia potitur. Annus primus Belli Gothici à vere incipit.	Johannes moritur 21. Aprilis. Agapetus ordinatur 29. Aprilis.	
XIV. P. C. Belisarii	536.	Theodahatus circa Decembrem occiditur. Vitiges regnat. Belisarius Neapoli potitur.	Synodus sub Menna. Agapetus moritur Constantinopoli 17. Aprilis. Silverius Theodahato agente fit Pontifex 9. Sept. & Ravennam mittitur.	
XV. II. P. C. Belisarii	537.	Vitiges in Etruria, inde Venetias pergit, tandem Ravennæ Metesvintham uxorem ducit. Belisarius Roma potitur V. id Decemb.		
I. Johannes	538.	Vitiges Romam obsidere incipit IX. Kal. Martias.	Silverius detruditur à sua Sede 20. Febr. Vigilius intruditur 28. Silverius statim in Græciam mittitur, inde in Palmariam, ubi moritur 20. Junii.	Ursicinus moritur circa Aprilem.
II. Appio	539.	Roma ab obsidione liberatur.		
III. Justinus Junior	540.	Belisarius Ravennam obtinet, & Vitigem captum Constantinopolim ducit.	Vigilius Justiniano, & Mennæ scribit XV. Kal. Octobris.	Victor ordinatur die 4. Martii.
IV. Basilius Junior	541.	Theodibaldo, & Ararico paucorum mensium Regibus occisis, Totilas regnat.		
V. P. C. Basilii	542.			
VI. II. P. C. Basilii	543.			
VII. III. P. C. Basilii	544.	Justinianus edictum contra tria Capitula ad Patriarchas scribit, vocatque Vigilium ex Victore Tunonensi.		
VIII. IV. P. C. Basilii	545.		Vigilius scribit ad Auxaniū Arelatensem, & Episcopos Galliæ XI. Kal. Junii. Die 22. Novem. abducitur Roma à Scribone, & in Sicilia subsistit, habetque ordinationes Decem. mense.	Ecclesia S. Michaelis finitur à Bachauda, & Juliano Nonis Maji. Victor Endothim offert die Paschatis, videlicet 16. Aprilis.

IX. V. P. C. Basilii	546.	Roma circa æstatem obsidetur a Totila, & Decembri mense capitur. Belisarius in Dalmatia. Justinianus cogit Episcopos Edicto contraria Capitula subscribere.	Vigilius in Illyrico. Patris in Achaja mense Octobris. Constantinopolim intrat in pervigilio Natalis Domini.	Victor XIV. Kal. Martii moritur. Maximianus ordinatur à Vigilio Patris in Achaja Prid. Id. Octobris.
X. VI. P. C. Basilii	547.		Vigilius malè habetur Constantinopoli à Justiniano, & Theodora.	Maximianus consecrat Basilicam S. Vitalis. 13. Aprilis. Constantinopolim pergit.
XI. VII. P. C. Basilii	548.	Belisarius Urbem recipit.	Vigilius Judicatum scribit contra tria Capitula.	
XII. VIII. P. C. Basilii	549.	Theodora Augusta moritur die 27. Julii expletis in Imperio annis 21. m. 3.		Maximianus consecrat Ravennæ Ecclesiam S. Apollinaris 9. Maji. Novembri mense incipit condi S. Stephani Ecclesia.
XIII. IX. P. C. Basilii	550.	Totilas iterum Romam capit.		Maximianus consecrat Ecclesiam S. Stephani.
XIV. X. P. C. Basilii	551.		Constituto Justiniani resistit Vigilius. Fugit ad Ecclesiam S. Petri in Hormisda.	
XV. XI. P. C. Basilii	552.	Narses in Italia, & Ravennæ Julio mense quinta feria.	Vigilius fugit Chalcedonem. Encyclicam scribit Non. Febr.	Maximianus moritur VIII. Kal. Martii.
I. XII. P. C. Basilii	553.	Totilas occiditur.	Synodus V. incipit IV. Non. Maji, finit IV. Non. Junii. Vigilius Synodum confirmat IV. Idus Decembris.	Agnellus ordinatur XXII. Junii.
II. XIII. P. C. Balii	554.			
III. XIV. P. C. Basilii	555.		Vigilius in Sicilia ex calculo moritur 17. Maji.	

VITA

VITA SANCTI ECCLESII.

CAPUT PRIMUM.

B. Virginis Ecclesia, & Imago. Ecclesii tempora. S. Vitalis Basilica laudatur. Ecclesii obitus, & Sepulcrum.

DE SANCTO ECCLESIO.

A Ecclesius XXIII. Sanctum Vas. Æqualis staturâ, nec longam attulit, nec brevem avertit. Plenum capillis habens caput, hirsutumque, *super aurem* (1) modica canities, decorusque formâ. Ipsius temporibus Ecclesia B. Vitalis Martyris à Juliano Argentario, unà cum ipso Præsule fundata est. Et hic Pontifex in suo proprietatis jure ædificavit Ecclesiam Sanctæ, & semper Virginis intemeratæ Mariæ, quam cemitis, mira magnitudine, & Cameram Tribunalis *in Camera* (2) effigies S. Dei Genitricis, cui similem nunquam potuit humanus oculus conspicere. Si quis Vir ausus est diutissimè intueri imaginem illam continentem, ita B versus metricos sub suis pedibus, videlicet.

Virginis Aula micat, Christum quæ cœpit ab astris,
Nuncius è cœlis Angelus ante fuit.
Mysterium! Verbi Genitrix, & Virgo perennis
Auctorisque sui facta Parens Domini.
Vera Magi, claudi, cæci, mors, vita fatentur.
Culmina Sacra Deo dedicat Ecclesius.

Inchoatio verò ædificationis Ecclesiæ parata est ab Juliano postquam reversus est prædictus Ecclesius Pontifex cum Johanne Papa Romam de Constantinopoli cum cæteris Episcopis, missi à (3) Theoderico in legationem, sicut superius audistis. Ædificavit *Tricolim*, (4) sed in- C consummatum reliquit. Heu vobis gregibus, quales erant Pastores! quantum mutati estis ab illis! Vera lucerna in Ecclesia fuerunt, quorum lumen lucernæ quotidie fulgebat his, qui in domo Dei erant, sicut dicit Dominus; *lucerna corporis tui est oculus tuus; si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum, lucidum erit*; & aliter, *si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit*. Sufficiant ista hodie, ut isto ammoto, alium Pontificem introducamus. Sed sicut superius dixi in tempore *ipsius* (5) Ecclesia B. Vitalis Martyris à Juliano Argentario constructa est. Nulla in Italia Ecclesia similis est in ædificiis, & in mechanicis operibus. Expensas verò in prædicti Martyris Vita- D lis Ecclesia sicut in Elogio sanctæ recordationis, & memoriæ Juliani fundatoris invenimus XXVI. millia aureorum expensa sunt solidorum. (6) Igitur iste Beatissimus obiit, & sepultus est in Ecclesia B. Vitalis Martyris infra Monasterium S. Nazarii ante Altarium in medio loco juxtà corpus hinc B. Ursicini Antistitis, & inde B. Victoris, in medio autem iste.

CAPUT SECUNDUM.

Turbæ inter Clerum Ravennatem, & Episcopum componuntur. Felicis Papæ literæ; Rursus de Ecclesii obitu nonnulla.

Contigit eo tempore, ut inter Beatum Ecclesium Pontificem, & Sacerdotes de singulis rebus Ecclesiæ contentio adcrevisset. Ierunt ad Sanctum Papam Felicem Urbis Romæ, ut inter eos justa moderamina sanciret; qui accersitum Ravennatem Pontificem cum Clero universo, mox inter eos decretum statuit, atque firmavit continentem ita.

LITERÆ FELICIS PAPÆ.

Felix (7) *Episcopus Urbis Romæ. Laudanda est Decessorum nostrorum solicitudo de pace, & quiete Ecclesiastica,* (8) *quia Pastor, qui advigilans continere debet contentiones, aut damnat, aut corrigit. Oportet in hunc ipsum tramitem nobis ambulantibus similis cum eis conspici; quia quorum per Dei misericordiam locum gerimus, ipsorum sequi nos decet exempla. Ex invidia Sacerdotibus Ecclesiæ Ravennatis talia contingerunt,* quæ (9) *omnium Catholicorum animos contristasse noscuntur, altercationes, seditiones, pravitates, quæ omnem disciplinam Ecclestasticam disrumpere niterentur. Ista nos iterum ..... verùm Dei timorem ante oculos habentes, ut nec illicitis audaciam demus excessibus, & non abjiciamus .... per Constitutum nostrum ordinare, quod justum est secundùm Salomonem dicentem*; non *dures* (10) transitum aquæ. *Ergo recensentes Capitulis à Fratre* nostro (11) *Ecclesio, & à Presbyteris, & Diaconibus, &* Clericis, (12) *& Notariis Ecclesiæ Ravennatis nobis oblatis, præsentibus Fratre, & Consacer-*

(1) *supercilium*. Mur.
(2) *& frontem ex auro ornatam, & in ipsa Tribunali Camera*. Mur.
(3) *Rege*. Mur.
(4) *Tricollem*. Mur.
(5) *istius*. Mur.
(6) *XXVI. millia solidorum aureorum expensa circa Ecclesiam S. Vitalis. Nulla in Italia Ecclesia similis. Quia in ipso Monasterio S. Vitalis in Capella, quæ dicitur Sancta Sanctorum est quædam Arca, scriptaque sunt quædam literæ græcæ, quarum sensus communiter ignoratur; idcirco quia ipsas declaratas inveni, ipsas ponere disposui, & ipsarum sensus, & declaratio est;* Hic jacet Stratigus Romam custodiens illæsam, & Occidentem. Conquisitor Dominorum Gallicorum, & Ysaac, qui erat impugnator Imperii, & Armeniæ magni mundi Regis Armeniæ. Erat enim iste Dominus illustris, quem hic condidit piè plangens conjux ejus Susanna, ac annis tricenorum modò sæpè suspirans viro privata apud viri sepulcrum Deo, opere suo benignè, qui benedicitur in ortu Solis, & in Occasu, militare enim cœpit in Occidentem procedens ad Orientem. *Bacch.*
(7) *IV*. Mur.
(8) *constitum*. Mur.
(9) *quòd*. Mur.
(10) *dares*. Mur.
(11) *deest*. Mur. (12) *Clero*. Mur.

sacerdote nostro Ecclesio, & ejus Clericis inferiùs designatis, quod rationi vidimus convenire, censemus, eos Clericatus officium debere suscipere, quorum vitam, & conversationem Sacrorum Canonum non possit impugnare auctoritas. Clericos verò secundùm Sanctorum Patrum regulas volentes duntaxat, & denunciatos; quantùm ad Presbyteos, & Diaconos pertinet, statutis jubemus temporibus solenniter promoveri. De verò Ravennatum, & Classicanorum Ecclesia, antiqua consuetudo servetur. Clerici verò, vel Monachi ad indebitum obtinendum ordinem, vel locum, Potentium patrocinia non requirant, per quæ, aut non faciendo ingratus, aut faciendo injustus videatur Episcopus. Quarta Patrimonii Ravennatensis Ecclesiæ, hoc est tria millia solidorum, solitis errogationibus Clericis omnibus, vel quibus errogari est solitum, compleatur. Si quid tamen ex pensionibus, vel hæreditatibus crescere, Domino nostro volente, contigerit, eodem Domino mediante, etiam quartæ portioni adjiciantur; (1) *Sic tamen ut brevibus ordinatis, quod singulis distribuitur latere non possit ...... secundùm merita, secundùm loca, quia omnia Deus secundùm justitiam, & mensuram constituit ...... itaut unusquisque extra necessitatem infirmitatis, aut causam idoneam Altaris omnia in suo officio vigilanter observet.* Redditus (2) *verò prædiorum, sive accessiones propter rei familiaris expensas, vel exenia, quæ diversis offeruntur, & convivia, quæ eis exhibere, vel pro loci sui, vel merito, vel pro advenientium susceptione, necesse est, Episcopo constituimus debere proficere. Nullam conjurationem, nullum conventiculum, quod vel apud Laicos esse non potest impunitum in Ecclesia Dei, ullus facere tentet ex Clero. Nam sicut nos optamus ne superna misericordia patiatur admitti, sic, si quis tentaverit, sentiat auctoritatem Canonum, & Ecclesiasticam disciplinam, secundùm Apostolum dicentem* : excedentes in conspectu omnium corrige, ut residui timorem habeant. *Mereantur boni laudem, qui in operibus Dei vigilant, sentiant affectum proprii Sacerdotis, qui per obedientiam suam videntur ornare propositum, glorientur de sui amore Pontificis, qui in suis officiis ab operibus Deo placitis, cum ejus obsequiis non desistunt; sicut divina loquuntur eloquia*; dignus est operarius mercede sua. *Ad patrimonium verò Ecclesiæ ex eorum Episcopi judicio .... ex Clero personæ electæ cum solatiis, quæ pro notitia deputaverit Episcopus sub idonea fidejussione mittantur, quorum fides fuerit, & industria comprobata, ut & alimonia pauperum fraudem non patiatur, & quantitas patrimonii Ecclesiæ latère non possit, & unusquisque Clericus sub timore Dei, & proprii Sacerdotis de his, quæ sibi commissa fuerint exponat fideliter rationes. Illud verò, quod omnino, ac religioso debet execrari proposito, nos nec oportebat loqui, nec verbis exponere. Pervenit ad nos aliquos de Clero spectaculo interesse, quæ res ita crudelis est, ut animas Catholicorum pro sui execratione conturbet, ut quos in domo Dei divina eloquia recitantes audivit, eosdem contra mandata in spectaculis aspiciat convenire. In his disciplina confunditur, divina præcepta calcantur. Unde oportet Episcopum, & de hac parte solicitudinem gerere, ut si non faciunt, non faciant in futuro, & si faciunt, juxta disciplinam Ecclesiasticam corrigantur. Si qui verò de Clero prædia urbana, vel rustica ad Ecclesiam pertinentia detinent, eisdem libellis sub justa pensionis æstimatione factis statuimus collocanda, hac* ratione, (3) *quod in quo modis suis solent accipere, ipsi retineant, quod superest Ecclesiasticis inferant compendiis profuturum. Circa prædia urbana, vel rustica, cæteraque mobilia pro animæ suæ mercede à Fidelibus nominatim diversis Basilicis derelicta, vetus consuetudo servetur. Notarii verò juxta ordinem Matriculæ, Primicerii, Secundicerii, tertius, quartus, quintus, sextus, septimus, suo periculo in conspectu Presbyterorum, & Diaconorum documenta Ecclesiastica sub fidelium Brevium descriptione suscipiant, ut quotiens exegerit causa, fideliter proferantur, contradant, atque recipiant. Omnia tamen cum jussione, & ordinatione Episcopi sui eosdem jubemus efficere. Ideò enim universa describenda sunt Ecclesiastica documenta, ne ullo modo, aut suscepta pereant, aut tempore, quo sunt necessaria utilitatibus Ecclesiasticis, exhiberi non possint. Qui tamen Notarii in officio suo observantes, strenui, consequantur sine imminutione commoda sibi, vel prioribus suis antiquitus deputata. Ipsi etiam, sicut exigit ratio, & antiquitas ordinavit, libellos, & securitates totius Patrimonii Ecclesiastici, quorum interest subscriptos Episcopi manu, contradant. Quibus verò cum secularis conversationis hominibus nullam necessitatem rei familiaris tolerantibus, Ecclesiastici juris prædia, vel urbana, vel rustica data sunt, Episcopi solicitudine, per eos, quibus jusserit, Clericos ad dominium revocet Ecclesiæ, nec deinceps, præter causam superius compræhensam, dare præsumat. Mastalo verò Archidiaconus Ecclesiæ Ravennatis, commoda* ejusdem (4) *loco juxta antiquam consuetudinem deputata, sine imminutione percipiat, sicut eos, qui ante eum fuerunt, claruerit consecutos. Monasteria verò Virorum, sive Ancillarum Dei ab Episcopo ordinentur, ut omnibus ratio, justitia, pax, & disciplina servetur. A nobis hæc loci nostri exigit ratio non tacere,* (5) *Fratri nostro Ecclesio ea imminet custodire, quia pacem generat cum Canonibus servatâ justitia. De justitia caritas procedit, per quam Deum videmus, & per cujus gratiam hæc possumus præcepta servare. In nullo ergo esse convenit negligentes, sed vigilantes ad omnia, ut talentum, quod nobis est creditum, cum boni operis* augmento (6) *ipsi omnium bonorum Datori reddamus. Recognovimus. Cœlius.*

Felix Episcopus Ecclesiæ Catholicæ Urbis Romæ huic Constituto inter partes subscripsi.

Nomina Presbyterorum, Diaconorum, vel Clericorum Ravennatensis Ecclesiæ, qui Romam venerunt cum Episcopo.

Patritius Presbyter.
Stephanus Presbyter.
Constantinus Presbyter.
Servandus Presbyter.
(7)
Exuperantius Presbyter.
Clemens Diaconus.
Ursus Diaconus.
Felicissimus Diaconus.
Vigilius Diaconus.
Neon Diaconus.
Johannes Diaconus.
Stephanus Diaconus.
Gerontius Subdiaconus.
Honorius Subdiaconus.

Petrus

(1) *proficiat*. Mur.
(2) *Excepta*. Mur.
(3) *ut exinde*. Mur.
(4) *eidem*. Mur.
(5) *taceri*. Mur.
(6) *augmento*. Mur.
(7) *Honorius Presbyter*. Mur.

Petrus Subdiaconus.
Vitalis Subdiaconus.
Julianus Acolytus.
Faustinus Acolytus.
Romanus Acolytus.
Severinus Acolytus.
(1)
Petrus Lector.
Marcus Lector.
Asterius Lector.
Petrus alter Lector.
Andreas Lector.
Marinus Defensor.
Majoranus Notarius Defensor.
Hermolaus Primicerius Defensor.
Honorius Cantor.
Tranquillus Cantor.
Antonius Cantor.
Melitus Cantor.

Nomina Presbyterorum, Diaconorum, qui Romam venerunt cum Victore Presbytero, & Mastalone Diacono.

Laurentius Presbyter.
Rusticus Presbyter.
Victor Presbyter.
Thomas Presbyter.
Mastalus Diaconus.
Magnus Diaconus.
Paulus Diaconus.
Agnellus Diaconus.
Maurus Subdiaconus.
Stephanus Acolytus.
Vincemalus Acolytus.
Thomas Lector.
Laurentius Lector.
Florus Lector.
Reparatus Lector.
Luminosus Lector.
Calunnius Lector.
Ysaac Lector.
Laurentius Horrearius.
Petrus Decanus.
Stephanus Decanus.
Vindemius Acolytus.
Colos Acolytus.
Cassianus Acolytus.
Laurentius Acolytus.
Stephanus Acolytus.

Resipuit autem Beatus post hæc Ecclesius, & sic fuit ovibus velut pater cum filiis, & largivit omnia Clericis suis, ut correptus fuit à Romano Pontifice, immo & amplius largus factus est, & post hæc rexit Ecclesiam suam in pace, & nullum verbum murmurationis, nisi laudes à suis audivit Clericis, & hæc statuta permansit suis posteris multis temporibus. Sepultus est, ut diximus. in Ecclesia S. Vitalis. Et in atrio ipsius *Fontis* (2) Aulæ versus metricos jussit tessellis argenteis scribi continentes ita.

Ardua consurgunt venerando culmine templa
Nomine Vitalis sanctificata Deo.
Gervasiusque tenet simul hanc Protasius arcem,
Quos genus, atque Fides, templaque consociant.
His Genitor natis fugiens contagia mundi
Exemplum Fidei, martyriique fuit.
Tradidit hanc primus Juliano Ecclesius arcem,
Qui sibi commissum mire peregit opus.

A *Hoc quoque perpetua mandavit lege tenendum,*
His nulli liceat condere membra locis.
Sed quòd Pontificum constant monumenta priorum
Fas ibi sit tantùm ponere, sed similes.
Sedit autem annos X. mens. V. dies VII.

OBSERVATIONES
AD VITAM
SANCTI ECCLESII.

Basilica S. Vitalis an Justiniani ære constructa? Dedicationi ejusdem non interfuit Augustus. Monogramma haud ad Narsetem pertinens. Julianus Argentarius officio, non cognomine. Ysaaci Strategi inscriptio. In Felicis Constitutionem analysis.

B

I. PRimò ingens Ecclesii, & Juliani Argentarii se se offert opus, Basilica videlicet S. Vitalis, ob cujus egregiam, miramque structuram seculo non admodum culto, afflictàque incredibilibus calamitatibus Italiâ, fabula, quam Rubeus meritò refutat, meretur nonnihil minus severæ crisis: etenim vix aliàs credibile privatum hominem, Episcopumve urbis Arianis Regibus parentis, impensis sufficisse, quas ad XXVI. millium solidorum aureorum ascendisse Noster testatur. C À Valentiniani, & Valentis temporibus, cùm antea 84. aurei solidi, auri libram conflarent, & septem singulas uncias, aucta solidi extrinseca æstimatione decretum est, ut sex solidi unciam, 72. libram unam auri valerent, quæ libra occidua dicta fuit. Ea de re habemus eruditissimæ, summæque utilitatis Dissertationem Jacobi Gothofredi ad Cod. Theodos. lib. 1. de oblat. Votorum Tit. XXIV., quæ & illustratur Cod. Just. lib. 2. de veteris numismatis potestate. Itaque XXVI. millia aureorum solidorum æstimabantur quatuor millia trecentum triginta tribus unciis auri cum tertia unciæ parte, quæ ferè respondeant triginta quatuor millibus sexcentis sexaginta quatuor nostris scutis aureis, quorum octo pro uncia una auri computantur. D Porrò cui conditæ Basilicæ gloria maneat ex Agnello constat, nec pluribus fabula confutari meretur, quam tamen vulgus in hanc diem mordicus tueri non desinit, ac si Ædis dignitas pereat, nisi, commento accedente, ab Augusto condita decernatur. Admonet autem Agnellus opportunè inchoationem ædificationis Ecclesiæ (*intellige non modò de Ecclesia S. Mariæ Majoris, sed & de S. Vitalis*) peractam fuisse ab Juliano, postquam reversus est prædictus Ecclesius Pontifex cum Johanne Papa Romam de Constantinopoli cum cæteris Episcopis missi à Theodorico in legationem; *nec enim ringente Ariano Rege contra Catholicos, immo & minante Catholicorum Ecclesias subvertere, liberum fuisset de ea re cogitare.* E *Verùm sub Amalasuenthæ regimine fieri id potuisse nullus mirabitur, qui noverit fœminæ optimæ sana consilia, ejusque cum Justiniano concordiam. Nec Templum Ecclesio vivente est absolutum, sed Maximiano demum sedente postquam Theodahati, Vitigisque conatibus exactis, Ravenna ab Justiniano recepta est. Tunc & coronis imposita, & musivis operibus memoriæ mandatus Augusti favor ei rei impensus, & munera eidem collata expressa sunt, quæ significari puto musivis illis adhuc superstitibus, quæ Rubeus ligno, Alamanus in notis ad Procopium ex parte, Octavius Ferrarius de re vestiaria, Duchangius*

(1) *Andreas Acolytus.* Mur.

(2) *frontis.* Mur.

A ſacerdote noſtro Eccleſio, & ejus Clericis inferiùs deſignatis, quod rationi vidimus convenire, cenſemus, eos Clericatus officium debere ſuſcipere, quorum vitam, & converſationem Sacrorum Canonum non poſſit impugnare auctoritas. *Clericos verò ſecundùm Sanctorum Patrum regulas volentes duntaxat, & denunciatos; quantùm ad Presbyteros, & Diaconos pertinet, ſtatutis jubemus temporibus ſolenniter promoveri. De verò Ravennatum, & Claſſicanorum Eccleſia, antiqua conſuetudo ſervetur. Clerici verò, vel Monachi ad indebitum obtinendum ordinem, vel locum, Potentium patrocinia non requirant, per quæ, aut non faciendo ingratus, aut faciendo injuſtus videatur Epiſcopus. Quarta Patrimonii Ravennatenſis Eccleſiæ, hoc eſt* B *tria millia ſolidorum, ſolitis erogationibus Clericis omnibus, vel quibus erogari eſt ſolitum, compleatur. Si quid tamen ex penſionibus, vel hæreditatibus creſcere, Domino noſtro volente, contigerit, eodem Domino mediante, etiam quartæ portioni* adjiciantur; (1) *Sic tamen ut brevibus ordinatis, quod ſingulis diſtribuitur latere non poſſit ...... ſecundùm merita, ſecundùm loca, quia omnia Deus ſecundùm juſtitiam, & menſuram conſtituit ...... itaut unuſquiſque extra neceſſitatem infirmitatis, aut cauſam idoneam Altaris omnia in ſuo officio vigilanter obſervet.* Redditus (2) *verò prædiorum, ſive acceſſiones propter rei familiaris expenſas, vel exenia, quæ diverſis offeruntur, & convivia, quæ eis exhibere, vel pro loci ſui, vel merito, vel pro advenientium ſuſceptione, neceſſe* C *eſt, Epiſcopo conſtituimus debere proficere. Nullam conjurationem, nullum conventiculum, quod vel apud Laicos eſſe non poteſt impunitum in Eccleſia Dei, ullus facere tentet ex Clero. Nam ſicut nos optamus ne ſuperna miſericordia patiatur admitti, ſic, ſi quis tentaverit, ſentiat auctoritatem Canonum, & Eccleſiaſticam diſciplinam, ſecundùm Apoſtolum dicentem* : excedentes in conſpectu omnium corrige, ut reſidui timorem habeant. *Mereantur boni laudem, qui in operibus Dei vigilant, ſentiant affectum proprii Sacerdotis, qui per obedientiam ſuam videntur ornare propoſitum, glorientur de ſui amore Pontificis, qui in ſuis officiis ab operibus Deo placitis, cum ejus obſequiis non deſiſtunt; ſicut divina loquuntur eloquia;* dignus eſt operarius mercede ſua. *Ad patrimonium verò* D *Eccleſiæ ex eorum Epiſcopi judicio .... ex Clero perſonæ electæ cum ſolatiis, quæ pro notitia deputaverit Epiſcopus ſub idonea fidejuſſione mittantur, quorum fides fuerit, & induſtria comprobata, ut & alimonia pauperum fraudem non patiatur, & quantitas patrimonii Eccleſiæ latère non poſſit, & unuſquiſque Clericus ſub timore Dei, & proprii Sacerdotis de his, quæ ſibi commiſſa fuerint exponat fideliter rationes. Illud verò, quod omnino, ac religioſo debet execrari propoſito, nos nec oportebat loqui, nec verbis exponere. Pervenit ad nos aliquos de Clero ſpectaculo intereſſe, quæ res ita crudelis eſt, ut animas Catholicorum pro ſui execratione conturbet, ut quos in domo Dei divina eloquia recitantes audivit, eoſdem contra* E *mandata in ſpectaculis aſpiciat convenire. In his diſciplina confunditur, divina præcepta calcantur. Unde oportet Epiſcopum, & de hac parte ſolicitudinem gerere, ut ſi non faciant, non faciant in futuro, & ſi faciant, juxta diſciplinam Eccleſiaſticam corrigantur. Si qui verò de Clero prædia urbana, vel ruſtica ad Eccleſiam pertinentia detinent, eiſdem libellis ſub juſta penſionis æſtimatione factis ſtatuimus collocanda, hac* ratione, (3) *quod in quo modis ſuis ſolent accipere, ipſi retineant, quod ſupereſt Eccleſiaſticis inferant compendiis profuturum. Circa prædia urbana, vel ruſtica, cæteraque mobilia pro animæ ſuæ mercede à Fidelibus nominatim diverſis Baſilicis derelicta, vetus conſuetudo ſervetur. Notarii verò juxta ordinem Matriculæ, Primicerii, Secundicerii, tertius, quartus, quintus, ſextus, ſeptimus, ſuo periculo in conſpectu Presbyterorum, & Diaconorum documenta Eccleſiaſtica ſub fidelium Brevium deſcriptione ſuſcipiant, ut quotiens exegerit cauſa, fideliter proferantur, contradant, atque recipiant. Omnia tamen cum juſſione, & ordinatione Epiſcopi ſui eoſdem jubemus efficere. Ideò enim univerſa deſcribenda ſunt Eccleſiaſtica documenta, ne ullo modo, aut ſuſcepta pereant, aut tempore, quo ſunt neceſſaria utilitatibus Eccleſiaſticis, exhiberi non poſſint. Qui tamen Notarii in officio ſuo obſervantes, ſtrenui, conſequantur ſine imminutione commoda ſibi, vel prioribus ſuis antiquitus deputata. Ipſi etiam, ſicut exigit ratio, & antiquitas ordinavit, libellos, & ſecuritates totius Patrimonii Eccleſiaſtici, quorum intereſt ſubſcriptos Epiſcopi manu, contradant. Quibus verò cum ſecularis converſationis hominibus nullam neceſſitatem rei familiaris tolerantibus, Eccleſiaſtici juris prædia, vel urbana, vel ruſtica data ſunt, Epiſcopi ſolicitudine, per eos, quibus juſſerit, Clericos ad dominium revocet Eccleſiæ, nec deinceps, præter cauſam ſuperius compræhenſam, dare præſumat. Maſtalo verò Archidiaconus Eccleſiæ Ravennatis, commoda* ejuſdem (4) *loco juxta antiquam conſuetudinem deputata, ſine imminutione percipiat, ſicut eos, qui ante eum fuerunt, claruerit conſecutos. Monaſteria verò Virorum, ſive Ancillarum Dei ab Epiſcopo ordinentur, ut omnibus ratio, juſtitia, pax, & diſciplina ſervetur. A nobis hæc loci noſtri exigit ratio non tacere,* (5) *Fratri noſtro Eccleſio ea imminet cuſtodire, quia pacem generat cum Canonibus ſervatâ juſtitiâ. De juſtitia caritas procedit, per quam Deum videmus, & per cujus gratiam hæc poſſumus præcepta ſervare. In nullo ergo eſſe convenit negligentes, ſed vigilantes ad omnia, ut talentum, quod nobis eſt creditum, cum boni operis* augumento (6) *ipſi omnium bonorum Datori reddamus. Recognovimus. Cœlius.*

Felix Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Urbis Romæ huic Conſtituto inter partes ſubſcripſi.

Nomina Presbyterorum, Diaconorum, vel Clericorum Ravennatenſis Eccleſiæ, qui Romam venerunt cum Epiſcopo.

Patritius Presbyter.
Stephanus Presbyter.
Conſtantinus Presbyter.
Servandus Presbyter.
(7)
Exuperantius Presbyter.
Clemens Diaconus.
Urſus Diaconus.
Feliciſſimus Diaconus.
Vigilius Diaconus.
Neon Diaconus.
Johannes Diaconus.
Stephanus Diaconus.
Gerontius Subdiaconus.
Honorius Subdiaconus.

Petrus

(1) *proficiat*. Mur.
(2) *Excepta*. Mur.
(3) *ut exinde*. Mur.
(4) *eidem*. Mur.

(5) *taceri*. Mur.
(6) *augmento*. Mur.
(7) *Honorius Presbyter*. Mur.

Petrus Subdiaconus.
Vitalis Subdiaconus.
Julianus Acolytus.
Faustinus Acolytus.
Romanus Acolytus.
Severinus Acolytus.
(1)
Petrus Lector.
Marcus Lector.
Asterius Lector.
Petrus alter Lector.
Andreas Lector.
Marinus Defensor.
Majoranus Notarius Defensor.
Hermolaus Primicerius Defensor.
Honorius Cantor.
Tranquillus Cantor.
Antonius Cantor.
Melitus Cantor.

Nomina Presbyterorum, Diaconorum, qui Romam venerunt cum Victore Presbytero, & Mastalone Diacono.

Laurentius Presbyter.
Rusticus Presbyter.
Victor Presbyter.
Thomas Presbyter.
Mastalus Diaconus.
Magnus Diaconus.
Paulus Diaconus.
Agnellus Diaconus.
Maurus Subdiaconus.
Stephanus Acolytus.
Vincemalus Acolytus.
Thomas Lector.
Laurentius Lector.
Florus Lector.
Reparatus Lector.
Luminosus Lector.
Calunnius Lector.
Ysaac Lector.
Laurentius Horrearius.
Petrus Decanus.
Stephanus Decanus.
Vindemius Acolytus.
Colos Acolytus.
Cassianus Acolytus.
Laurentius Acolytus.
Stephanus Acolytus.

Resipuit autem Beatus post hæc Ecclesius, & sic fuit ovibus velut pater cum filiis, & largivit omnia Clericis suis, ut correptus fuit à Romano Pontifice, immo & amplius largus factus est, & post hæc rexit Ecclesiam suam in pace, & nullum verbum murmurationis, nisi laudes à suis audivit Clericis, & hæc statuta permansit suis posteris multis temporibus. Sepultus est, ut diximus. in Ecclesia S. Vitalis. Et in atrio ipsius *Fontis* (2) Aulæ versus metricos jussit tessellis argenteis scribi continentes ita.

Ardua consurgunt venerando culmine templa
Nomine Vitalis sanctificata Deo.
Gervasiusque tenet simul hanc Protasius arcem,
Quos genus, atque Fides, templaque consociant.
His Genitor natis fugiens contagia mundi
Exemplum Fidei, martyriique fuit.
Tradidit hanc primus Juliano Ecclesius arcem,
Qui sibi commissum mire peregit opus.
Hoc quoque perpetua mandavit lege tenendum,
His nulli liceat condere membra locis.
Sed quòd Pontificum constant monumenta priorum
Fas ibi sit tantùm ponere, sed similes.

Sedit autem annos X. mens. V. dies VII.

OBSERVATIONES
AD VITAM
SANCTI ECCLESII.

Basilica S. Vitalis an Justiniani ære constructa? Dedicationi ejusdem non interfuit Augustus. Monogramma haud ad Narsetem pertinens. Julianus Argentarius officio, non cognomine. Ysaaci Strategi inscriptio. In Felicis Constitutionem analysis.

I. *Primò ingens Ecclesii, & Juliani Argentarii sese offert opus, Basilica videlicet S. Vitalis, ob cujus egregiam, miramque structuram seculo non admodum culto, afflictáque incredibilibus calamitatibus Italiâ, fabula, quam Rubeus meritò refutat, meretur nonnihil minus severæ crisis: etenim vix aliàs credibile privatum hominem, Episcopumve urbis Arianis Regibus parentis, impensis suffecisse, quas ad XXVI. millium solidorum aureorum ascendisse Noster testatur. A' Valentiniani, & Valentis temporibus, cùm antea 84. aurei solidi, auri libram conflarent, & septem singulas uncias, aucta solidi extrinseca æstimatione decretum est, ut sex solidi unciam, 72. libram unam auri valerent, quæ libra occidua dicta fuit. Ea de re habemus eruditissimæ, summæque utilitatis Dissertationem Jacobi Gothofredi ad Cod. Theodos. lib. 1. de oblat. Votorum Tit. XXIV., qua & illustratur Cod. Just. lib. 2. de veteris numismatis potestate. Itaque XXVI. millia aureorum solidorum æstimabantur quatuor millia trecentum triginta tribus unciis auri cum tertia unciæ parte, quæ ferè respondeant triginta quatuor millibus sexcentis sexaginta quatuor nostris scutis aureis, quorum octo pro uncia una auri computantur. Porrò cui conditæ Basilicæ gloria maneat ex Agnello constat, nec pluribus fabula confutari meretur, quam tamen vulgus in hanc diem mordicus tueri non desinit, ac si Ædis dignitas pereat, nisi, commento accedente, ab Augusto condita decernatur. Admonet autem Agnellus opportunè* inchoationem ædificationis Ecclesiæ (*intellige non modò de Ecclesia S. Mariæ Majoris, sed & de S. Vitalis*) peractam fuisse ab Juliano, postquam reversus est prædictus Ecclesius Pontifex cum Johanne Papa Romam de Constantinopoli cum cæteris Episcopis missi à Theodorico in legationem; *nec enim ringente Ariano Rege contra Catholicos, immo & minante Catholicorum Ecclesias subvertere, liberum fuisset de ea re cogitare. Verùm sub Amalasuenthæ regimine fieri id potuisse nullus mirabitur, qui noverit fœminæ optimæ sana consilia, ejusque cum Justiniano concordiam. Nec Templum Ecclesio vivente est absolutum, sed Maximiano demum sedente postquam Theodahati, Vitigisque conatibus exactis, Ravenna ab Justiniano recepta est. Tunc & coronis imposita, & musivis operibus memoriæ mandatus Augusti favor ei rei impensus, & munera eidem collata expressa sunt, quæ significari puto musivis illis adhuc superstitibus, quæ Rubeus ligno, Alamanus in notis ad Procopium ex parte, Octavius Ferrarius de re vestiaria, Duchangius*

(1) *Andreas Acolytus*. Mur.

(2) *frontis*. Mur.

gius in Familiis Byzantinis, ære sculpta publicæ luci dedere, sed & Ciampinius in antiquis Musivis Tomo secundo. Nec enim credo Dedicationis ejusdem Ecclesiæ pompam per ea exprimi, cùm nil ceremoniis ei congruentibus consonet, & cùm nec Justinianus, nec Theodora Ravennæ unquam fuerint. Oblata proinde munera Templo finiendo, ditandove significantur, ubi eorum uterque exhibet urnam, calathumve, vel quid simile oblationes indicans. Hinc liceat, & id laudis insigni Basilicæ adstruere, ut Justiniani Augusti munificentia accedente, quod Ecclesius, & Julianus cœperant finitum, auctumque sit, ablegatis ad fabulas his, quæ sustineri nequeunt, universa eorum temporum historia r pugnante. Ita utrumque verum erit quod Summus Noster Eruditorum Apex Mabillonius sub distinctione in itinere Italico scripsit; non alia, inquit, apud Ravennates majoris est dignitatis Basilica, quàm S. Vitalis, Monasterio Cassinensium Nostrorum insignis. Opus est sive Justiniani Imperatoris, ut Recentioribus placet, seu Juliani Argentarii ex mandato Ecclesii Episcopi, quod ex vetusta Inscriptione Rubeus probat. *Rubeus lib. 3. pag. 152. hæc habet*; interea Ravennæ ædificari cœptum est Beati Vitalis Martyris Templum ab Juliano Argentario, Justiniano, ut ajunt, Cæsare jubente, qui tribus jam annis Constantinopoli D. Sophiæ Ædem Sacram summâ impensâ, atque arte extruxerat, ac dedicaverat. *Pag. autem 560. eleganter descripto Templo, adnotatisque ædificiis Nostrorum cura in præsentem elegantiam ornatis, adiicit versus ex Agnello descriptos, & Inscriptionem integram, quam in Codice Estensi ex parte mutilam, in Maximiani vita habemus, quamque proinde hic dandam censeo, quæ talis est.* B. Vitalis Basilicam mandato Ecclesii Episcopi Julianus Argentarius ædificavit, consecrante verò Reverendissimo Maximiano Episcopo sub die XIV., Kalend. Maji Sexies P.C. Basilii Junioris V.C. Ind. X. quo loco, *sequitur Rubeus*, cùm nulla fiat mentio Justiniani, neque Procopius Rhetor eorum temporum æqualis, libello, quem edidit de Justiniani ædificiis, ubi omnia vel minima diligentissimè prosequitur, quidquam de his Ravennatibus afferat, ego nihil certi, quod scribam, habeo. Fides esto apud horum Auctores, qui consecratum Templum Justinianum, ac Theodoram egregiis muneribus exornavisse..... tradunt. *Antea autem dixerat, quòd eùm consecraretur Basilica interfuerint Justinianus, & Theodora, at id sustineri posse negavit Alamanus in notis ad arcanam Historiam Procopii cap. 9. Narsetem etiam Templo S. Vitalis construendo operam, pecuniamque contulisse dixerunt nonnulli, nec ob aliud argumentum, quàm quòd in ingentium columnarum capitibus monogramma inspiciatur ex literis his complicatis compositum, quæ Narsetis nomen componere videntur; alii tamen credunt Justiniani nomen exculpi posse. Mihi neutrum agnoscitur. Certè antequam Narses pro Justiniano in Italia rerum curam ageret, S. Vitalis Basilica non modò absoluta, sed & dedicata erat, ut ex superiori Dissertatione patet. Noster doctissimus Montfoconius in Tomo priori recens edito, in quo iter suum Italicum describit, sentit Monogramma illud Artificis nomen importare, qui* Nepos *vocaretur. Monogramma est hujusmodi.*



Est & in ejusdem Basilicæ columnarum quarundam capitulis adscriptum Monogramma, quo Juliani nomen videtur compendiosè scriptum. Hinc mihi admodum credibile alterum Monogramma cum crucis signo, Ecclesii Episcopi nomen complicatum exhibere.



II. Duo sunt quæ speciali disquisitione digna videntur; unum est an Julianus cognomine, vel potiùs ministerio Argentarius dicatur; alterum ædificandæ Basilicæ quid ipse contulerit. Plura addere, ut demonstretur cognominum Familiæ, Gentive distinguendæ causa usum recentiorem multò esse, quàm quòd Juliani hujus, sed nec Agnelli scribentis temporibus aptari possit, bonas horas rei clarissimæ adstruendæ, perdere esset; licèt non desint, qui opinionibus præconceptis mordicus, & in hanc diem adhærere velint. Officii itaque nomen est, quo Julianus iste distinguitur, Vir aliàs apud Ravennates magni nominis, cuique Bacauda Gener erat, quem laudans Agnellus sanctæ recordationis Virum appellat. Porrò Argentarios illos fuisse, apud quos fœnebris pecunia reponebatur, quique pecuniam ipsam commutabant, notum est, qui & Nummularii, Trapezitæ, ἀργυρομοίβοι *vocabantur. Is talis est qui*

... facti mercator per utrinque metalli.

Alterum, & alterius semper mutabit in usus. *ut habent Manilii versiculi emendati per Salmasium in Exercitationibus Plinianis. Horum Collegium, rationesque contrahendi pro ævo Ecclesii Ravennatis Episcopi discere possumus ex novella Justiniani Constitutione 136.* περὶ ἀργυροπρατικῶν συναλλαγμάτων data Kal. Aprilis D. N. Justin. P. P. Aug. Basilio V. C. Coss. *Ravennæ Argentarium Johannem quendam ætate D. Gregorii Magni novimus, qui cùm fidejussor accessisset cuidam Importuno Palatino Romam venerat, & diutius in Ecclesia resederat accusatus, quòd fidejussisset sui compendii, lucri videlicet, causâ, qua de re se purgavit ad Sacratissimum Corpus B. Apostolorum Principis, quare pro eo Patronum agit D. Gregorius apud Exarchum epist. 23. lib. 9. ad Johannem Ravennatem mense Januario Ind. IV. At quid Ministerium hujusmodi commune habuit cum Ecclesiæ redditibus? Videtur dubitari non posse S. Vitalis Ecclesiam Episcopi pecuniis constructam fuisse, Julianum autem Argentarium, sive Trapezitam illis ritè erogandis, Basilicæque extruendæ præfuisse, quæ altera quæstio proposita est. Id mihi significatur verbis illis exhibitæ Inscriptionis*, mandante Ecclesio Episcopo, Julianus ædificavit, *& versibus, qui in atrio Ecclesiæ legebantur*;

Tra-

Tradidit hanc primus Juliano Ecclesius Arcem,
Qui sibi commissum mirè peregit opus.

Crediderim itaque Julianum istum Ecclesiæ Ravennatis Argentarium fuisse, cui id muneris commissum, ut Ecclesiasticos redditus apud se depositos haberet, qui juxta Episcopi præscriptum, vel juxta conventa cum Clero, ut mox dicetur, illo, adhibitis rationum calculis daret Archipresbytero, Archidiacono, Primicleroque distribuendos. Thesauri Episcopalis custodem inter Ecclesiastica officia numeratum constat, quem Sacellarium dixere à Thesauro, quem Saccum vocabant. Ita Johannes Diaconus in Vita S. Gregorii lib. 2. cap. 23. Sacellarium laudat, cui ex consuetudine S. Pontifex præceperat, ut duodecim peregrinos ad prandium invitaret. *Gregorius ipse lib. 4. epist. 34. de ingentibus erogationibus, quæ per ea Longobardorum tempora in Ecclesia Romana fiebant, loquens;* sicut, *inquit*, in Ravennæ partibus Dominorum pietas apud primum exercitum Italiæ Sacellarium habet, qui causis supervenientibus quotidianas expensas faciat, ita & in hac urbe in causis talibus, eorum Sacellarius ego sum. *At hic Sacellarii nomine non Ecclesiastici officii hominem, sed munus intelligit cujuslibet, qui publicæ pecuniæ curam habeat, sicut & Fiscus Saccus publicus nuncupatur. Sacellarius tamen erat etiam Ecclesiæ Minister, cui Ecclesiæ Saccus, sive Thesaurus committebatur, quamvis toto, ut ajunt, cœlo diversus à Thesaurario. Hujus officium describit Isidorus;* ad Thesaurarium, *inquit*, pertinet Ostiarii Basilicarum ordinatio (*quos inter laicos recensitos sicut Basilicarios existimat Thomasinus in vet., ac nova Eccl. Disciplina part. 1. lib. 2. cap. 103.*) incensi præparatio, cura chrismatis conficiendi (*curam videlicet ea parandi, quæ ad chrisma conficiendum requiruntur*) cura baptisterii ordinandi, præparatio luminarium in Sacrario, & in Sacrificiis. *Quare Ecclesiæ Ravennatis Sacellarium fuisse Julianum arbitror, qui & Argentarius, seu Argentophilax sit dictus, cujus partes in construenda S. Vitalis Basilica, aliisque mandante Episcopo fuerint, pecunias recipere, & ex Ecclesiæ Sacco, sive Thesauro suggerere, operisque curam habuerit.*

III. Ineptus notarum marginalium Auctor, qui corruptam hic Ysaaci Strategi veterem inscriptionem protulit, cogit me græcam cum latina versione denuo recudere, quamvis & olim Rubeus lib. 4., & novissimè doctissimus noster Montfo.onius à se Ravennæ descriptam dederit in supra laudato priori de suo Italico itinere volumine. Ea græcè ita se habet.

Ενταῦθα κεῖται ὁ ςρατηγήσας καλῶς
Ρώμην φύλαξας ἀβλαβῆ, καὶ τὴν δύσιν
Τοῖς γαλήνοις τρὶς δεσπόταις ἓξ ἐνὶ αὐτοῖς
Ισαάκιος, τῶν βασιλέων ὁ σύμμαχος.
Ο τῆς ἁπάσης Αρμενίας κόσμος μέγας,
Αρμένιος γὰρ ἦν οὗτος ἐκ λαμπροῦ γένους.
Τούτου θανόντος εὐκλέως, ἡ σύμβιος
Σώσαννα σώφρων, τρυγόνος τρόπῳ σεμνῆς
Πικρῶς ςενάζει τοῦ ἀνδρὸς ἐςερημένη.
Ανδρὸς λάξαντος ἐκ καμάτων εὐδοξίαν
Εν ταῖς ἀνατολαῖς ἡλίου, καὶ τῇ δύσει
Στρατοῦ, γὰρ ἦρξε τῆς δύσεως, καὶ τῆς ἕω.

Hic jacet, qui rei bellicæ Ducem egit rectè
Romam incolumem tutatus, & Occidentem
Tranquillis Principibus ter sex annis
Ysaacius Regum Commilito.
Omnis Armeniæ ornamentum magnum,
Armenius enim erat hic ex illustri genere.
Hoc mortuo gloriosè, conturbenalis
Susanna prudens more castæ Turturis
Assiduè gemit Viro privata;
Viro, qui fortitus est ex laboribus gloriam
In Oriente Sole, & Occidente;
Exercitum enim auxit Orientis, & Occidentis.

Ysaaci hujus Ravennæ Exarchi Rubeus Acta suis locis eruditè tradit apud ipsum legenda. Juvat hic addere fragmentum ineditæ inscriptionis apud Cymaclum effossæ, quod Ravennæ in Civis cujusdam domo servatur; in ea enim Filius Ysaaci hujus defunctus laudatur, ut in Tabula signata A.

IV. Exorta in Ravennati Clero discordiâ Felix ejus nominis IV. Constitutionem edidit, quam magno Ecclesiasticæ eruditionis bono ab Agnello nostro conservatam nunc primùm publici juris facimus. Dolendum tamen Exscriptorum inscitiâ alicubi ita corruptam, truncatamque, ut cùm desperaverim aptè emendare, satiùs duxerim, & sphalmata ipsa licèt sensum omnem perimentia, ut extabant, describere. Id incommodi inprimis sub ejusdem initium offenditur. In progressu cuncta satis bene cohærent. Inscribebatur autem; Felix IV. Episcopus &c., *at notam numeralem, uti ex arbitrio ab Exscriptore appositam, expunxi. Id monuisse satis. An alias hujus Pontificis Constitutiones habeamus incertum; ex tribus enim, quæ sub ejus nomine circumferuntur, duæ priores ex aliorum Pontificum epistolis sunt ab impostore consarcinatæ; tertia, quamvis ob Consulatus notam à Sirmundo huic sit asserta, olim tamen Felicis ejus nominis tertii esse credebatur, ad Cæsarium Arelatensem. Ideo hujus pretium ex raritate commendatur; sed & plura sunt, ob quæ utilitas ejus agnoscitur. Primò etenim Agnello alibi indicata contra Romanæ Sedis auctoritatem hinc facilè difflantur; fatetur enim ipse, quòd Episcopus, Clerusque dissentientes* ierunt ad S. Papam Felicem Urbis Romæ, ut inter eos justa moderamina sanciret, *& tabulas exhibit, ex quibus constat ab Episcopo Ravennate, Cleroque agnitum Romanum Pontificem, ut Ravennatis Ecclesiæ Judicem, & ejusdem legitimum Moderatorem. Habetur secundò ex Decreti tenore, rebusque in eo statutis contentionis præcedentis nodum in eo stetisse, ut dissensio esset in his, quæ ad ordinationes Sacrorum Ministrorum, ad rectam distributionem redditûum Ecclesiæ, eorum maximè, qui ex Fidelium pietate extra ordinem accedebant, ad redditionem rationum per Oeconomos, Notarios, cæterosque hujusmodi præstandam pertinebant, ejusque contentionis Auctores præcipuos extitisse Victorem Archipresbyterum, & Mastalonem Archidiaconum, ac ex adjecta Cleri serie innotescit, qui Episcopo, quive Victori, Mastalonique adhærebant. Porrò cùm tria millia solidorum quartam redditûum Ecclesiasticorum Ecclesiæ Ravennatis partem conficerent Ecclesii Episcopi ætate, sequitur duodecim millia solidorum efficisse redditûum Ravennatis Ecclesiæ integram summam, quæ juxta superiùs dicta æstimatione respondebant sexdecim millibus ex nostris aureis scutis, quorum octo unciam auri efficiunt. Majores accrevisse redditus Ecclesiæ Ravennati subsecutis temporibus constabit, Maximiano in primis, & Agnello sedentibus, quibus Justiniano jubente, Arianorum Episcoporum, & Gothorum Ecclesiæ accessere. Benedictus Diaconus Mauri Episcopi ætate, ex solo Siciliæ Patrimonio* præter quinquaginta millia modiorum tritici sine quibusvis aliis aristis, aut leguminibus, pelles arietum rubricatas, & hyacinthinas, casulas, pluviales sericis exornatos, & cætera indumenta, vasa de auricalcho, & argento, *excepisse dicitur* solidorum aureorum

XXXI. millia, ex quibus quindecim millia in Palatio Constantinopolitano, & sedecim millia in Archivo Ecclesiæ deportavit. *Hæc tamen non unius, sed plurium annorum redditus fuisse, credo.*

V. Hinc etiam Ecclesiæ Ravennatis Clerum agnoscimus constantem ex novem Presbyteris, Diaconibus undecim, Subdiaconibus quinque, Acolytis undecim, Lectoribus duodecim, Cantoribus quatuor, Decanis duobus, Defensore uno, Notario defensore uno, Primicerio defensore uno, & Horreario uno. Licèt autem credam non omnes, qui in Canone descripti fuerant Romam ivisse, & consequenter agnoscam præter hos, & alios extitisse plures, cujuslibet tamen ordinis profectos existimo. Notarios plures fuisse ex ipsa Felicis Constitutione manifestum fit, qui ex eo quòd diversis temporibus descripti fuissent in cera, sive matricula, Primicerius dicebantur, Secundicerius, tertius, quartus, quintus, sextus, septimus. Hos ad Laicorum Ecclesiæ inservientium classem spectasse & aliàs constat (qua de re videndus Thomasinus loco laudato) & apertè colligitur ex hoc eodem Decreto, ubi cavetur ne relinquantur bona Ecclesiastica in manibus hominum secularis conversationis, *postquam datum est Notariis hujusmodi exhiberi* sine imminutione commoda sibi, vel prioribus suis antiquitus deputata. *Ex Clericorum tamen ordine habemus Notarium Majoranum, qui & Defensor dicitur, & in Romana Ecclesia, sicut & alibi ex Clericis Notarios assumptos sentit Duchangius in Glossario Latinitatis. Idem eruditè explicat Defensorum munus, quorum hìc tres habemus, inter quos antiquior, sive Primicerius. Decanos hìc binos in inferiori Clero, & ferè postremo loco recensitos legimus. Officium itaque Decani ævo isto toto cœlo diversum fuit à posteriorum seculorum munere Decani, qui in Canonicis, seu Collegiatis Ecclesiis id fuit, quod Prior in Monasteriis. Ea de re Duchangius idem, qui in Glossario Græcitatis ex Codice Alatiano agnoscit Decanos inter minores Officiales Ecclesiæ, quorum munus sic describitur;* ὁ Δεκανὸς τάσσει τοὺς ἱερεῖς ἐν τοῖς ἐρχομένοις αὐτῆς δικαιώμασι, *& rursus* ὁ Δεκανός ἵνα κάλη τοὺς ἱερεῖς εἰς τὰ αὐτῆς δικαιώματα, καὶ προσφερέματα. *Addit doctissimus Auctor*; illius igitur, *Decani videlicet*, munus est, ut Sacerdotes nominatim advocet, cum μλωαῖα, seu sportulas suas accepturi sunt; *& hoc ipsum munus fuisse Decanorum in Ecclesia Ravennati arbitror, quòd infimo hìc loco in Canone recenseantur. Ita Ravennas Ecclesia in pluribus græcizasse videtur. Ante Decanos Horrearius etiam locum habet, de quo nullibi quidpiam me legisse memini. Ex nomine autem videtur innui hujusmodi Viro publici frumenti curam traditam, quod & Clero, & Pauperibus divideretur, aut divenderetur. Hoc officium Ravennatis Ecclesiæ peculiare fortasse fuit, quòd ingens frumenti vis ex Siciliæ fundis capiebatur, de qua nonnihil infra ex Mauri Archiepiscopi vita delibabimus. Ex tota autem Cleri Ravennatis serie hìc descripta apparet Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolyti, Lectorisque nomina dignitatis esse, cætera verò officium quodpiam significare.*

VI. Quod spectat ad redditum ex Ravennatis Ecclesiæ Patrimonio quartam partem, quam Pontifex decernit solitis erogationibus Clericis omnibus, vel quibus erogari erat solitum, compleri: *id factum juxta Gelasii Romani Pontificis epist. ad Episcopos Lucaniæ, in qua præscribitur universos Ecclesiæ redditus in quatuor dividi partes*, quarum unam Episcopus sibi retinebat, alteram Clerici pro officiorum suorum sedulitate obtinebant, tertia fabricis, quarta pauperibus, & peregrinis erogabatur. *Distinguit hìc autem Felix tria aliorum redditutum Ecclesiastico-*

A *rum genera, unum eorum, quæ* expensionibus, & hæreditatibus *accedebant supra consuetos, & hæc quartæ Clericorum adjicienda jubet, & distribuenda juxta uniuscujusque meritum, ac laborem; secundum eorum, quæ ex prædiis de novo Ecclesiæ aquisitis trahi contingebat, & hæc decernit futura Episcopi, quibus is uteretur in familiaribus expensis, vel in exeniis, conviviisque hospitibus præstandis pro loci sui dignitate, & eorum quibus hæc parabantur merito, ac qualitate; tertium denique complectebatur* prædia urbana, vel rustica, vel mobilia *pro animæ suæ mercede à fidelibus* nominatim diversis Basilicis derelicta; *circa quæ nil novi statuit, sed servandam antiquam consuetudinem decernit, accedebant enim reliqua Ecclesiæ* B *Patrimonio. Ex his autem, & ex mox dicendis puto manifestum fieri jam tum, cùm hæc agebantur, recessum à veteri disciplinæ rigore, quem servatum voluerit Ecclesius, & cùm olim cuncta Episcopi nutu fierent, qui ex Ecclesiæ redditibus Presbyteris, Diaconibus, & Clero communi mensa, domoque utentibus, quod necessarium, decensque erat per Archipresbyterum, & Archidiaconum erogabat, paulatim irrepserit, ut certa pecuniæ, rerumque portio per eosdem singulis pro merito, pro officii gradu, cæterisque circumstantiis, eisdem daretur, cui Gelasius Pontifex certum modum præscripserit, juxta quem Felix IV. Ravennatis Cleri lites composuerit. Hinc haud una Ecclesiarum omnium consuetudo, licèt communior fuerit Gela-* C *siana, quam alii à Silvestri Papæ tempore trahunt; etenim dimidium redditum Episcopo, dimidium Clero tribuitur à Concilio Aurelianensi relato à Gratiano* 10. q. 1. Antiquos Canones. *Concilium Emeritense Can.* 14. *tertiam Episcopo, tertiam Presbyteris, & Diaconibus assignat*, tertia autem, *inquit*, Subdiaconibus, & Clericis tribuatur, ut à Primiclero, juxta quod in Officio eos præscit esse intentos, ita singulis dispensetur. *Quod indicat non vitæ communis rigorem servatum, sed à singulis rem privatam curatam fuisse, quamvis redditus omnes primò in unum* Saccum *confluerent. Erogationes hæ dictæ etiam Clericorum sportulæ, & Clericorum stipendia in Synodis Hispaniæ sexti seculi, unde paulatim strata via est ad Fundorum Ecclesiasticorum* D *divisionem, quorum singuli singulis Clericis pro dignitatis, & officii gradu, in beneficium sunt dati ab Episcopis, cujus rei in Ecclesia Ravennati initia ex hac ipsa Felicis IV. Epistola, seu Constitutione videre est, ubi statuit*; si quis verò de Clero prædia urbana, vel rustica ad Ecclesiam pertinentia detinet, eidem, libellis sub justa pensionis æstimatione factis, statuimus collocanda, hac ratione, quòd in quo modis suis solent accipere, ipsi retineant, quod superest, Ecclesiasticis inferant compendiis profuturum. *Cœperant itaque jam tum nonnulli ex Clero prædia Ecclesiæ detinere. Ea in re id cavit Pontifex, quòd non modò libelli nomine detinerent certo Ca-* E *none soluto, sed & quod sibi ex annuis redditibus retento, quod sibi aliàs pro sui ordinis, & officii modo erogatum fuisset, reliquum, in communem* Saccum *reponeretur. Res postmodum longiùs, & tandem in jus abiit, quod ab initio contra jus fieri certum erat. Theodorus Archiepiscopus conatus est veterem consuetudinem revocare, sed Cleri Ravennatis odium in se concitavit. Coëgit Archidiaconum, Archipresbyterum, & Clerum quartæ renunciare, & se providentiæ Episcopi committere. Id summa cum indignatione narrat Agnellus infra, ubi præmisso, quòd in summa frumenti caritate is monopolio omnem regionem frumento spoliavit, adiicit*; cùm autem Sacerdotes non inve-

invenirent unde emerent, ierunt ad illum supplicantes, ut auxilium tribueret illis. Ille autem accersitum Archidiaconum nomine Theodorum &c. dixit ad eos, dicite Sacerdotibus Ecclesiæ, & Clero universo, quare vos inopia famis consumit? Si dimittitis omnem quartam Ecclesiæ, & tantùm per anni circulum pro quarta donum accipiatis, secundùm providentiam Pontificis, modò relevabo inopiam vestram. Qui diu castigati, gravescente fame consenserunt, & ab illo tempore quarta à Clericis istius Ecclesiæ sublata est usque in præsentem diem. Consuetudinem verò Ecclesii, quæ in singulis voluminibus per unumquodque officium erat scripta, abstulit, & igne consumpsit.

VII. Ex hac Felicis Constitutione demum apparet Ravennæ habita frequenter spectacula, quibus Clerici interesse contra Ecclesiæ Canones solebant, qua de re Pontifex gravem adjicit querelam, cavetque ne imposterum id fiat, præcipiens in transgressores pœnâ animadverti. Indicari hæc à Salviano concione ea, quam de spectaculorum vanitate habuit, plurimos narrans Romam, Ravennamque adire solitos eorum videndorum causâ, observavit Rubeus ad Theodori Regis tempora pag. 134. Ea tamen diebus dominicis fieri vetitum novimus à Leone Augusto ex l. ultima C. de feriis, & Theodoricus ipse cruenta in primis, quæque hominibus cum bestiis pugnantibus peragebantur, toleravit potiùs, quàm permiserit, ut constat ex epistola ad Maximum Consulem 42. Variarum apud Cassiodorum lib. 5. Et hæc quidem ad Felicis IV. Constitutionem nunc primùm in lucem prodeuntem, adnotanda erant.

VIII. Ex versibus ab Ecclesio in Atrio Ecclesiæ S. Vitalis conscriptis, egregium argumentum habemus ejus, de quo aliàs disseruimus, non licuisse videlicet intra Basilicas Fidelium Corpora sepeliri, quod & hìc prohibet Ecclesius, monens tamen jam id Pontificum Cadaveribus indultum, quæ antea in porticibus, seu in ardicis sepulta adnotavimus.

VITA SANCTI URSICINI.

CAPUT PRIMUM.

Secularis Historiæ Analysis. Ecclesia Sancti Apollinaris per Julianum Argentarium finita.

DE SANCTO URSICINO XXIV.

URsicinus XXIV. Humilis Vir, rubicundam habens faciem, oculosque grandes, procer staturâ, tenui corpore, Sanctus de opere Sancto. Ædificator Tricoli, sed non explevit. Denique ipsius Pontificis temporibus defunctus est Athalaricus Rex Ravennæ VI. Non. Octobris, & alia die elevatus est Deodatus, & deposuit Malasvintam Reginam de Regno, & misit eam Deodatus in exilium in *Vulsenio* (1) Prid. Kal. Majas, &, ut ajunt quidam, domus ubi ædificatum est Monasterium S. Petri, quod vocatur Orphanum trophium, ipsa ædificari jussit proprio jure. Non post multos dies ivit Rex Deodatus Romam, & revertente ocisus est à Gothis XV. milliario de Ravenna mense Decembris. Et in mense Madio ipso anno ingressus est Belisarius Patricius in Civitate Classis, & ingressus est Ravennam. Dehinc reversus est ad Siciliam, depopulavit eam. Defuncta est Theodora Augusta Constantinopoli die XXVII. mense Julio. Et ingressus est Narses Chartularius Ravennam cum exercitu magno in prædicto mense feriâ V., & pugnavit cum Totilano Rege, & mortuus est, & multitudo exercitus ejus ceciderunt gladio, & reliqui vulnerati abierunt. Et levaverunt super se Gothi Regem nomine Teja in Ticino, & fuit modica quies. Sufficiant nunc ista hodie, tempus est jam ut *idem* (2) revertamur, & vitam Pontificis *explicemus*, (3) & quod residuum fuerit, cùm otium fuerit, constanter enarremus. Jussitque, & ammonuit hic Sanctus Vir, ut Ecclesia B. Apollinaris ab Juliano Argentario fundata, & consummata fuisset. Qui jussa mox adimplens, Deo volente, structa ab eo Sancto est Viro in lapidibus Italiæ partibus pretiosis. Nulla Ecclesia similis isti, eò quòd in nocte ut in die penè *scandefiat*. (4) Igitur iste Sanctus Vir quotidie Sacrum Agni Corpus super aram dominicam manibus discerpebat, & peccata populi lacrymis expiabat.

CAPUT SECUNDUM.

Agnelli meditationes in Sacram Synaxim. Ursicini Mors, & Sepulcrum.

SEd quia hodie in domum meam vestra nobilitate voluistis declinare; quid faciam, cùm sim custos pauperæ domus, & *indige* (5) sum *victu*? (6) Non mea mensa talis est, neque cordis cellarium, ut possit Corpora vestra reficere. Sed tamen pinguissimum habeo Agnum, cujus comestum Corpus nunquam minuit, sed semper integer permanet. Turpe est enim, ut postquam aditum Monasterii mei domus B. Bartolomæi intrastis, quòd non ex ipso Apostolo benedictionem percipiatis, & jejuni redeatis. Deferantur quatuor pedes, & ponite mensam desuper. Quatuor stabiles pedes quatuor Evangelistæ sunt, qui totum quadratum suis prædicationibus continent mundum. Mensa verò desuper est sancta ara, idest Crux ubi occubuit Christus, & oblatus est hostia Patri pro salute Mundi. Sicut quatuor pedes ita quatuor cornua mensæ. Discubuistis? Co-

(1) *Vulsenis*. Mur.
(2) *in ædem*. Mur.
(3) *expleamus*. Mur.

(4) *scandescitur*. Mur.
(5) *indigus*. Mur.
(6) *victus*. Mur.

Comedite panem. Ipse panis hic appositus est, qui dixit, *ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*. Vescimini non carnales cibos, sed cœlestes, non terrenum panem, sed Angelicum. Ille panis, de quo David cantabat; *panem Cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo*. Quomodo Angeli comedent, qui incorporei sunt? nunquid carne induti sunt? non comedunt morsibus, sed de plenitudine divinitatis satiantur, quæ est panis vivus in secula seculorum. Veniat hic Agnus super Discum positus, involutus sicut positus fuit in Sancto Sepulcro, ad ignem applicatus, sed non combustus. Idem ad Inferos descendit, extinxit gehennæ flammas, destruxit mortem, occìdit leonem, confregit tartara, abstulit justos, *destruit* (1) æreas Portas, & vectes adamantinos dejecit, juxta illud Prophetæ; *ero mors tua ò Mors, ero morsus tuus ò Inferne*. Resurrexit de Sepulcro, nobis reliquit carnem suam; ambulans super pennas ventorum calcavit capita nubium, receptus est in Cœlis, sedet ad dexteram Patris. Ipsa ex carne comedite immaculati Agni. Si comederitis ejus carnem, & biberitis ejus sanguinem in eo manebitis, & ipse in vobis, sicut ipse ait; *qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum in me manet, & ego in eo*. Nunquid non lex, quæ per Moysem data est præcepit, ut nullus animalis sanguis commestus sit, quia ipsius anima est? Præcepit, & verè præcepit. Sed hic Agnus nihil communis, nihil terrenus, sed ipse solus, solus immaculatus, solus de solo, verus de vero; qui sua non habet, nostra tollit. Sic & Hebræorum populus, quando egressus est de Ægypto postes sanguine Agni linivit, ut à percutiente Angelo non esset interemptus, & ubi non erat cruor sanguinis Agni, percussa est domus, quia Dominus transiens per medium Ægyptum divisit electos à reprobis. Ecce carnem, quam tota die comedimus Agni, & nihil minuitur, immo magis crescit, & se comedentibus vitam largitur æternam. Nunc post cibum subsequatur potus. Bibite lucidissimum vinum ex ea vite, quæ dixit; *ego sum vitis vera, & Pater meus Agricola est*. Hoc vinum veniat cum canticis, & organis, cum cytharis, choris, canticis, & psalteriis, cornibus, & cymbalis, & symphoniis, cum honore magno, & *majestate* (2) multa, quia dignum est. Cantica ista, laudatio spiritualis, organa verò fauces nostræ sunt, cythara autem pectus humanum, quod quotidie coram Deo percutimus, quia sicut cordis cythara, ita pectora nostra cordis pulsu percutimus. Chorus verò, Sacerdotum acies demonstrantur. Tuba autem vox nostra est, quia in ipsa laudes reddimus Patri. Psalterium à Psalmorum cantu, qui totam Trinitatem, & unitatem inseparabilem tenet figuram. Cymbala verò, & symphoniam, vox *psallentes* (3) in Choro in magno sonitu, per quam in tota Ecclesia lectiones concrepant, & die, noctuque Deum invocare non cessant. Hæc in suis temporibus Beatus iste Ursicinus peragens, jussu divino separata est ipsius à corpore anima. Ivit Corpus in propria, sepultumque est in Basilica B. Vitalis Martyris ante Altarium S. Nazarii. Sedit autem annos III. menses VI. dies IX.

(1) *contrivit*. Mur.
(2) *bonestate*. Mur.

OBSERVATIONES
AD VITAM
SANCTI URSICINI.

Agnelli historica emendantur, vel explicantur.

Pauca hìc denuo ad Chronologiam spectantia observanda sunt. Illud nullo modo sustineri potest, quòd scilicet Theodahatus non post multos dies *à cæde Amalasventhæ Romam iverit, undedum revertitur sit trucidatus, cùm ex Procopio constet Ravennam Constantinopoli missum Petrum, qui ibidem egit cum Theodahato de pace, remque eò deduxit, ut Theodahatus ipse de se à Regno abdicando promiserit, ac de ea re ad Justinianum scripserit, quibus tractandis per Legatos hinc inde missos, pauci dies non suffecere, nec Theodahatus Romam perrexit, antequam de pace desperaverit. Hæc referenda puto ad mensem Maji anni 536. quo primùm Belisarius Ravennam tentasse potuit, quod tradit noster, silente Procopio, cæterisque, inde Neapolim pergere, quod Agnellus indicat, Siciliam scribens à Belisario devastatam. Hinc fortassis Liberati assertio, quam omnes emendandam censuere, sustineri potest, qua tradit Vigilium à Theodora venientem invenisse Belisarium Ravennæ degentem, quo cùm inde in Siciliam perrexerit, indeque solus Romam Septembri mense ingressus Silverium ordinatum invenerit. Licèt enim Liberatus ipse videatur innuere Vigilium Romam venisse, qui Silverium ordinatum repererit antequam ad Belisarium accesserit, puto id minimè factum, nam antequam Romam proficisceretur Vigilius cum Belisario, ex Theodoræ præscripto agere debebat. Intellectum hujusmodi facilè patiuntur Liberati verba, quibus ait* Vigilium Romam venientem invenisse Silverium Papam ordinatum, quin & Ravennæ Belisarium. *Ita sanè probabilior ratio emergit moræ, qua Vigilius seriùs, quàm oportuisset Romam venerit, quia scilicet cum Belisario res agi debebat, qui aliquo modo Vigilii electionem promoveret, cùm interim Theodahatus vi adhibita, Vigilii, & Belisarii studia prævènit, Silverii electionem, & ordinationem maturari cogens. Quæ sequuntur per prolepsim narrantur, Theodoram enim obiisse tradit Procopius anno vigesimo secundo Imperii Justiniani, qui anno Christi 549. respondet. Ex Agnello alligatur ejusdem obitus diei XXIV. scilicet mensis Julii, ex quo, cùm idem Procopius tradat eam imperasse annum unum, & viginti, mensibusque tribus, conficitur à Justiniano in uxorem acceptam ante diem 27. Aprilis anni 528. Similiter ex Marcellini appendice apparet nonnisi anno 552. Narsetem in Italiam venisse, quare non potuit eodem mense, quo Theodora obiit, Ravennæ degere. Totilas probabiliori calculo anno sequenti 553. occisus est, cùm juxta S. P. Benedicti vaticinium regnasset annis decem completis, undecimo cœpto, quod idem Procopius tradit.*

II. Quæ hìc adduntur de imperata ab Ursicino Episcopo Juliano Argentario Basilicæ S. Appollinaris consummatione, confirmant ea, quæ supra de Juliani munere adnotata sunt; quibus plura addere, esset in re, ut mihi quidem videtur, clarissimâ lumen quærere. Reliqua de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento ab Agnello piè tractata, haud omnino inutilia ad Sacram Synaxim pro ea ætate illustrandam, Lectori erunt.

VITA

(3) *psallentium*. Mur.

VITA SANCTI VICTORIS.

CAPUT PRIMUM.

Ciborium argenteum Ecclesiæ Ursianæ. Endothis oblata. Balineæ constructæ pro Clero.

DE SANCTO VICTORE XXV.

VIctor XXV. Victor quid est? Ex optatione Parentum sibi divinitus fuerat cognomen; ex suo verò proprio actu, *& nomen*, (1) eo quòd castra Diaboli orando, jejunandoque per multas virtutes sæpissimè vicit. Iste pulcra fuit facie, & alacri vultu. Ædificator Tricoli, sed non explevit. Fecit autem & Ciborium de argento super Altarium S. Ecclesiæ Ursianæ, quæ à nomine Ædificatoris vocatur, miro opere. Alii ajunt unà cum plebe, & alii dicunt, quòd temporibus Justiniani orthodoxi senioris Imperatoris per suggestionem sibi postulasset, quòd tale opus facere voluisset, ut auxilium præberet; qui misericordiâ motus omnem censum istius Italiæ in ipso anno Beato Victori largivit, quem cùm accepisset construxit, ut cernitis, opus, quod dehinc sublato ligneo vetusto centies viginti librarum argenti justo pondere structum est. Et super *arces* (2) Ciborii versus conscripti hi sunt.

Hoc votum Christo solvit cum Plebe Sacerdos
Victor, qui Populis auxit amore fidem.
Pontifici Christo solventi vota ministrat
Aligerum cingens hæc loca sancta manus.
Egregium miratur opus sublata vetustas,
Quæ melior cultu nobiliore redit.
Catholicæ Legis venit .... si quis amator
Mox reparatus abit Corpore Christe tuo.

Reliquo verò, quod remansit diversa vascula ad mensam Pontificis extruxit, de quibus ex parte aliqua permanent, usque in præsentem diem. Fecitque Endothim super S. Ecclesiæ Altarium Ursianæ ex auro puro cum staminibus sericis ponderosa nimis mediam habens coccam; & inter quinque imagines suam ibidem cernimus, & subtus figuratos pedes Salvatoris grafia (3) contexta est purpurata. *Victor Episcopus, Dei famulus, hunc ornat: n ob diem Re urrectionis Domini Nostri Jesu Christi anno V. ordinationis suæ obtulit.* Refecitque Balneum juxta domum Ecclesiæ hærens parietibus muri Episcopi, ubi residebat, quo usque hodie mirificè lavatur, & pretiosissimis marmoribus parietes junxit, & diversas figuras, tessellis aureis, variasque composuit, & tabulam descripsit literis aureis tessellatis, in qua laboriosè legere curavimus, & ita hos exametros catalecticos versus in eadem conscriptos invenimus.

Victor Apostolica tutus virtute Sacerdos
Balnea parva priùs prisco vetusta labore
Deponens, miraque tamen novitate refecit,
Pulcrior ut cultus, majorque resurgat ab imo.
Hoc quoque perpetuo decrevit more tenendum,
Ut biduo gratis Clerus lavet ipsius urbis,
Tertia cui cessum (4) est, & feria sexta lavandi.

CAPUT SECUNDUM.

Fontis ad Petrianam Ecclesiam ornatus. Insectatio vitiorum. Victoris mors, & sepulcrum.

MOdicum tempus regit Ecclesiam suam, sed in quanto sedem tenuit ex ejus laboribus, magnus labor apparet. Fontem verò tetragonum, quem Beatissimus Petrus Chrysologus ædificavit in *Civitatem* (5) Classis juxta Ecclesiam Petrianam, iste ornavit, & in medio cameras parte virorum subtus arcum orbita modica, in qua usque hodie continetur ita; *Salvo Domno*; ex alia verò parte mulierum aliam orbitellam, ut supra, ex auratis literis invicem ex parte se respicientes à legentibus invenitur sic; *Papa Victore*, Hæc ut dixi valde comptavit (6), sed nunc à malignis hominibus destruitur, quia in tantùm coartat Diabolus corda eorum, ut Templum Dei, quod à Sanctis Sacerdotibus. & fidelissimis Christianis constructum est, à falsis Christianis destruatur. Quare hoc? Quia prope est finis, prope est terminus, & destructio Mundi. Sed juxta Apostolum sunt tempora periculosa, & sunt *homines seipsos amantes*. Mundus in malis finitur. Quanta alacritas in initio Mundi fuit, multò magis ploratus fit in consummatione Mundi. Antequam consummetur Mundus juxta Evangelium, pestilentia, & fames, terroresque de cœlo, iræ, rixæ, dissensiones, & gladii erunt. Elevabitur gens in gentem, & Regnum fremescet contra Regnum, & antecedet juvenis senem, & subsequentes nullum honorem prioribus reddent, sed & Filii despicient Patres, & non solùm deridènt, sed etiam subjugabunt. Hæc juxta Sanctum Evangelium. Veh *nobis* (7) miseris! Omnia conspeximus. Sed tu immortalis Deus excelse, & terribilis, magnâ potentiâ tuâ salva nos. Omnia hæc perspeximus, & terræmotus per loca, & signa in Sole, & Luna. Sed quia dicit ipsam consummationem, & horam, quæ Sanctis Angelis non revelata est, nescimus, sed scimus quòd prope est, atque intelligimus, quia vetus homo propinquè moriturus est, & signum mortis in eo cernimus. Nescimus qua die, vel hora iturus est; sic & omnia signa, quæ prædixit Veritas, eveniunt, dies, vel hora abscondita est nobis. Sed tibi co-

(1) *agnomen*. Mur.
(2) *arcos*. Mur.
(3) idest *Scriptura*. Bacch.
(4) *cessa*. Mur.
(5) *Civitate*. Mur.
(6) idest *ornavit*. Bacch.
(7) *vobis*. Mur.

cognitor *peccatorum*, (1) & scrutator cordium omnia cognita, & possibilia sunt. Hic postquam Beatissimus vitam finivit XV. Kal. Martii, honorificè in feretrum deductus est, & deinde scissa sindone sepultus est in Ecclesia S. Vitalis infra Monasterium S. Nazarii juxta Prædecessorem suum. Sedit (2) annis VI. mensibus XI. diebus XI.

OBSERVATIONES *AD VITAM* SANCTI VICTORIS.

Rubeus volens, sciensque errat. Ciborii usus, Endothis quid? Fontis Petriani Ædes.

I. M*Irari hìc statim subit Rubeum lib. 3. pag. 157. scientem, volentemque errasse, brevissimam paucorum mensium sedem Victori tribuendo, cùm Agnellus ipse licèt* modico tempore *dixerit à Victore Ravennatem Ecclesiam rectam, testetur nihilominus sedisse eundem annis VI. mens. XI. dieb. XI. Narrat Rubeus ipse inter cætera Victore curante ad Ecclesiæ ornatum factam Endothim ex auro, sericoque contextam,* inscriptis, *eodem Victore volente,* circa Endothim literis, quibus suum id esse munus testabatur; *at à referendo literarum, seu inscriptionis tenore abstinet, quòd in ea annus quintus Victoris sedentis enunCietur, unde malè comparatæ chronologiæ reus comparuisset. Nec paucorum certè mensium spatium sufficere poterat his præstandis, quæ ad Ecclesiæ ornatum, & commodum Victor contulit, Rubeo ipso scribente. Illud etiam agnoscere poterat eruditus Scriptor, quòd si construendo argenteo Ciborio Justinianus omnem Italiæ censum unius anni tribuit, fieri non potuit, quin saltem annus ille elaberetur, cujus censum donaverat Imperator. Id factum fuisse est consentaneum anno ipso, quo Victor est ordinatus* 540. *Ravennâ per Belisarium receptâ, Vitigeque Constantinopolim perducto, ob quæ potuit Augustus Numini obsequens ob recèns partam victoriam anni illius censum, pii, gratique animi argumentum Ecclesiæ Ravennati concedere. Censum omnem centies viginti librarum fuisse argenti asserit ex Agnello erui Rubeus, verùm alia Agnelli mens tradentis Ciborium* sublato ligneo vetusto, centies viginti librarum argenti justo pondere structum fuisse, *& insuper addentis*; ex eo quòd remansit diversa vascula ad mensam Pontificis extructa. *Puto ego pro centies viginti, scribendum centum viginti, nec ista ad Italiæ censum referri posse. Agnellus rumorem nonnullorum memoriâ proditum refert, cui tamen se minimè accedere satis innuit de unius anni censu ab Augusto donato. Porrò inscriptio à Victore posita, votum à Pontifice, & à Plebe positum dicit, quod satis ostendit nil ei rei à Justiniano collatum.*

II. Ciborium porrò quid esset, si aliunde satis superque non constaret, haberetur ex versibus laudatis, & in primis ex duobus postremis, qui non modò ostendunt tegendo Altari inservisse, quare testudinis, vocem Rubeus substituit, sed præcipuè ob id factum fuisse, ut in eo Sacra Eucharistiæ Mysteria pro usu reconderentur, ad alium enim sensum trahi non possunt ea;

Catholicæ Legis venit .... si quis amator
Mox reparatus abit Corpore Christe tuo.

De Ciboriis plura Duchangius in utroque Glossario, & in Descriptione S. Sophiæ ad Paulum Silentiarium n. 57. ubi de Ciboriis, eorumque formâ, & usu.

III. Idem Duchangius de Endothi loquens affert loca Rubei, in quibus hujusmodi ornamenta
A *à Maximiano oblata ex antiquis monumentis, præcipuè ex Agnello, in quorum uno expressa videbatur omnis Christi historia, in altero Episcoporum Ravennatum series cum eorundem effigiebus, monetque Viros doctos censere* ἐνδύτην *aut legi, aut intelligi debere, cùm & Græci eo nomine vocent Mappam Altaris majorem, uti Goarus ad Euchologium Græcorum sentit. Addit tamen, quòd certum videtur, ex materia, qua Ravennatis Ecclesiæ Endothis constabat, significari potiùs velum, quo Altaris pars anterior ornaretur. Monet etiam se de eodem argumento agere in Descriptione Sanctæ Sophiæ n. 65., &* ἐνδύτην *masculino genere construi. Porrò & Græcos in hujusmodi instratis, seu aulæis expressisse acu Sacras Historias apparet*
B *ex Auctore incerto post Theophanem pag.* 439. *relato ab eodem Duchangio in Glossario Græcitatis, hæc habente;* καὶ προσεκύνησεν τὴν ἐνδύτην τὴν ἔχουσαν τὴν ἁγίαν γένσιν τοῦ κυρίου. *Idem adstruunt, & plura loca Anastasii. Endothis porrò, de quo hìc Noster, ex auro puro fuisse dicitur serico stamine textus, in quo quinque imagines expressæ, unàque Victorem repræsentans, qui infima parte sub pedibus Salvatoris votivam inscriptionem adjecit, ex quo dignoscimus oblatum munus ipso S. Paschatis die, qui anno* 545., *quinto videlicet ab ejus ordinatione, ut in superiori Dissertatione ostensum est, incidit in* 16. *Aprilis Cyclo Solis XXII., Litera Dominicali A., Cycloque Lunæ XIV. Quid significent illa,* mediam habens coccam, *fateor*
C *me nescire, aliisque libenter relinquo divinandum veteris textrinæ studiosis. Balnei à Victore constructi fabrica, cum Decreto, quòd gratis in perpetuum Clerici lavarentur tertiâ, sextâque feriâ, quamvis utilem notitiam ferat, ulteriori tamen disquisitione non indiget.*

IV. Obscurius nonnihil habent tradita de Fonte Classicano baptismali; distinguere enim videtur Noster fontem ipsum, quem tetragonum designat à Camera, æde videlicet fontem ipsum circumambiente, in cujus arcu, seu altiori fastigio testudinis hinc inde in orbitis disposita legebantur verba Salvo Dono Papa Victore. *In Camera eadem partem virorum, mulierumque distinguit, quas ex ordine legendi à sinistra ad dexteram cognoscimus dispositas ut in Basilicis. Fontem autem muro suo*
D *circumdatum tetragono in media Camera ex Petri Chrysologi vita agnoscimus, ubi dicitur fons ipse* mira magnitudine duplicibus muris, & altis mœnibus *ædificatus. Fontis nomine totam ædem intelligit, muri ad fontem medium tetragonum, mœnia ad Cameram circumambientem referuntur. Quod pertinet ad Ædes hujusmodi fontis nomine ab Antiquioribus, Baptisterii verò ab infimæ ætatis Scriptoribus vocitatas plura eruditè de more Duchangius in Glossario utroque, & in Descriptione ædis S. Sophiæ n. 82. 83. Patrum nostrorum recentioribus seculis fontes, seu Ædes hujusmodi constructas, ubi omnes baptizarentur, ut laudet citatus clarissimus Scriptor, meritò commendat egregiam S. Johannis Baptistæ Ædem Florentiæ*
E *apud Cathedralem Ecclesiam sitam. Mihi Patriæ amori obsequenti liceat Parmæ insigne Baptisterium laudare constructum labente tertio decimo seculo. Constat universum ex ingentibus marmoribus mirè compactis, figurâ rotundâ, quam ingens testudo finit. In medio grandis lapis fornicibus impositus, in quos aqua derivabatur post celebratum Baptisma, quod factum per immersionem res ipsa ostendit. Nunc in Ædis angulo ad Portam, quæ Occidentem spectat pro recentiori more fastigiatum vas aquam capit, qua per aspersionem infantes totius civitatis baptizantur.*

VITA

(1) *pectorum.* Mur.

(2) *Obiit Victor Archiepiscopus circa Ann. Dom. DLXIII.* Bach.

VITA SANCTI MAXIMIANI.

CAPUT PRIMUM.

Maximiani Patria. Thesaurus inventus, cujus portio Justiniano exhibetur, altera sagaci consilio occultatur. Ordinatur Episcopus. Ravennates in se aversos, morum, & actuum lenitate conciliat.

DE SANCTO MAXIMIANO XXVI.

Maximianus XXVI. longævâ staturâ, tenui corpore, macilentus in facie, calvus capite, modicos habuit capillos, oculos glaucos, & omni gratia decoratus. Hic non ex hoc fuit ovile, sed alienâ ovis ex Polense Ecclesia Diaconus à suo Antistite *decoratus* (1) est. Sed cur alienigena Pontificatum istius urbis tenuit? Indicabo, non abscondam, sed publicè patefaciam sicut à narrantibus per curricula temporum longa audivi, & veritas est absque ulla dubitatione. Quadam verò die dum terram foderet, ut semina jaceret *primùm* (2) tonsa cesalis (3), statim invênit vas magnum auro plenum, & alias multas divitiarum species. Qui excogitato à semetipso consilio, quòd jam non poterat latêre, jussit bovem magnum deferri, & occidi, & ventrem ejus pervacuatum *stercorare*, (4) jussit *ex numismate aureo* (5) impleri. Similiter accersivit sutores calceamentorum, præcepit illis, ut magnas Zanchas ex hircorum pellibus operarent, qui & ipsas ex solidis aureis replevit. Reliquum verò, quod remansit, cùm in Constantinopolitanam urbem profectus fuisset, secum detulit. Justinianoque Imperatori obtulit, quod, ut vidit Augustus, post gratiarum actionem, diligenter eum interrogavit, si plus fuisset. At ille jusjurandum respondet Imperatori; per salutem tuam Domine, & per salutem animæ vestræ, quia non amplius inde habeo, nisi quantum in ventrem, & in Zanchas expendi. Ille cogitavit, quòd de victu dixisset corporis, & de calceamentis pedum; ille autem dicebat de eo, quod occultum habebat. Justinianus autem cogitabat qualem retributionem ei dedisset pro tali fide, quam ipse sibi detulerat. Contigit eo tempore, ut moreretur Victor Episcopus hujus Civitatis Ravennæ, & euntes Cives Ravennates Sacerdotes cum universa Plebe ad Imperatorem Pallium postulantes ad electionem. (6) Post præcepit Augustus petitoribus moras habere. Qui excogitato consilio jussit consecrari B. Maximianum Polensem Diaconum Episcopum à Vigilio Papa in Civitate Patras apud Achajam Prid. Idus Octobris Ind. X. quinquies P.C. Basilii Junioris, (7) nativitatis suæ XLVIII., & dato Pallio Ravennam misit. Qui cùm noluissent eum sic citiùs Ra-

A vennates Cives recipere, morabatur extra portam S. Victoris non longè à fluvio, qui vocatur Fossa-Sconti in Basilica B. Eusebii in Episcopio, quod Uvimundus Episcopus temporibus Theodorici Regis ædificavit. Similiter & in Episcopio (8) B. Georgii, quod Arianorum temporibus ædificatum est, & prædicta Episcopia usque ad nostra tempora permanserunt, penèque annos XXVI. demolita sunt jubente Valerio Præsule, ex quibus domum, quæ nunc nova, atque potiùs Valeriana nuncupatur, construi *fecit*. (9) Plebs igitur, ut diximus, cùm noluisset eum recipere, voluerunt viri ex parte Pontificis, ut mitterent Legatos ad ipsum nunciantes, quòd profani ejus

B fuissent jussa, & in atrocem superbiam Ravennates perdurantes *noluerunt* (10) ordinatum recipere Pontificem, & viduatâ Ecclesiâ huc illuc *Grex vagabat*......... (11) Quibus verò Beatissimus Maximianus non consensit, sed confregit eos sermonibus, dicens; cessate fratres, nolite alios accusare, nolite lætari in alterius *ruina*. (12) Qualis ergo Pastor sum si ovibus meis non pepercero? Vultis ut laniem eos? Non hoc bonum consilium. Sinite illos; non per me ulla molestia erit. Voluntas Domini fiat. Obsecro vos modicis diebus illis inducias date. Non post multos dies misit fidelem nuncium ex suis hominibus, vocavit unum de Sacerdotibus, & Primatibus urbis. Rogavit eos

C secum prandere. Cùm verò venissent, lætificavit se cum illis, & post cibum, & potum obtulit dona ex auro, quod dudum invenerat. Pacificatus cum illis cum benedictione remisit infra hanc civitatem Ravennæ, & postulavit ab eis, ut frequenter visitarent eum. Die verò crastina misit, & rogavit alios Primates, & fecit sicut priùs, similiter & tertia vice. Tunc retulerunt inter se invicem hujusmodi res. & dixerunt; quid est, quod facere *nolumus*? (13) Vir iste bonus est, prudens est. Nos cogitavimus contra eum nociva, ille noluit nobis malum pro malo reddere. Non possumus sine Pontifice, & Patre esse. Ecce Sacerdotes vagant, Populus claudicat, Ecclesia decrescit.

D Surgamus diluculo intromittamus eum in civitatem, & adoremus vestigia ejus. Tunc surgente aurora ierunt unanimes omnes, quasi vir unus, & aperientes portas civitatis cum Crucibus,

(1) *ordinatus*. Mur.
(2) *primis*. Mur.
(3) fortè *cerealis*. Bacch.
(4) *stercore*. Mur.
(5) *ex numismatis auri*. Mur.
(6) & hic cautè lege pie Lector schismatica fuligine infecta. Pallium non ab Imperatore, sed à Pontifice petebatur, cujus etiam erat Episcopi electionem probare, electumque ordinare. Vide Præfationem. *Bacch.*

(7) *anno*. Mur.
(8) *Eccl. sie*. Mur.
(9) *jussit*. Mur.
(10) *noluissent*. Mur.
(11) *greges vagarent*. Mur.
(12) *ruinam*. Mur.
(13) *volumus*. Mur.

cibus, & signis, & bandis, & laudibus introduxerunt eum honorificè infra hanc civitatem Ravennæ, & osculaverunt pedes ejus, & ornaverunt plateas civitatis, decorantes diversis ornatibus. Omnesque coronantur ædes, fiebat militantibus lætitia, privatis alacritas, & pusilli, & magni ovantes, & mediocres lætificantes. Et sedere rogaverunt eum in Sede Ecclesiæ, & Missas audierunt ab eo, & agebant illum diem solennitatis cum gaudio magno, & lætitia sempiterna.

CAPUT SECUNDUM.

Ecclesia S. Stephani ædificatur. Monasteria, sive Ædiculæ ad Basilicæ latera. Materiæ noctis unius spatio prodigiosè paratæ.

POst hæc autem fuit cum ovibus, quasi pater cum filiis. Ædificavitque Ecclesiam Beati Stephani hìc Ravennæ Levitæ, & Martyris (1) non longè à Posterula Ovilionis, à fundamentis, mira magnitudine decoravit, pulcherrimèque ornavit, & in Cameris Tribunæ suæ effigies tessellis variis infixa est, & in giro mirificè opere vitreo constructa est, multasque reliquias ibidem condidit de Sanctorum Corporibus, quorum nomina ita exarata invenietis. *In honorem Sancti, ac Beatissimi primi Martyris Stephani, Servus Christi Maximianus Episcopus hanc Basilicam ipso adjuvante à fundamentis construxit, & dedicavit die tertio Idus Decembris Ind. XIV. novies P. C. Basilii Junioris.* Et gavisus est in Domino, qui ei tanta præstitit bona, quanta nullus hominum dignè enarrare valeat. Collocavit autem hìc merita Apostolorum, & Martyrum, idest S. Petri, S. Pauli, S. Andreæ, S. Zachariæ, S. Johannis Baptistæ, S. Johannis Evangelistæ, S. Jacobi, S. Thomæ, S. Matthæi, S. Stephani, S. Vincentii, S. Laurentii, S. Quirini, S. Floriani, S. Æmiliani, S. Apollinaris, S. Agathæ, S. Euphimiæ, S. Agnetis, S. Eugeniæ, qui orent pro nobis, & in supercilio arcus Tribunæ invenietis versus metricos, continentes ita.

Templa micant Stephani meritis, & nomine sacra,
Qui primus (2) *eximium Martyris egit opus.*
Omnibus una datur sacro pro sanguine palma,
Plus tamen hic fruitur, tempore quo prior est.
Ipse fidem, votumque tuum nunc magne Sacerdos
Maximiane juvans, hoc opus explicuit.
Nam talem subitò fundatis molibus Aulam
Sola manus hominum non poterat facere.
Undecimum fulgens renovat dum Luna recursum,
Et cœpta, & pulcro condita fine nitet.

Ad latera verò ipsius Basilicæ Monasteria parva subjunxit, quæ omnia novis tessellis auratis, simulque promisquis aliis calci infixis mirabiliter apparent, super capitaque omnium columnarum ipsius Maximiani nomen sculptum est. Monasterio verò parte virorum sex literas lithostratas invenietis; ignorantes ad errorem perducuntur, nam scientes ibidem esse scripta MU. SI. VA esse intelligunt. Asserunt nonnulli, quòd quadam die accersitum Archiergatum, (3) *ac* (4) Principem Operis Pontifex interrogavit, & cur ædificium prædictæ Ecclesiæ non perficeret. At ille respondit dicens; eo quòd tu Domine noster navigasses in partibus Constantinopolis cæmentum, & latercula defecerunt, neque tantos habemus lapides, ut laborare potuissemus. Tunc jussu Pontificis nocte una tanta allata sunt omnia paramenta, calces, & latercula, petras, & bisalos, lapides, & ligna, columnas, & lastras, arenam, & sabulos in una nocte, ut dixi, præparaverunt vectores, quanta vix in undecim lucinis (5) laborare potuerant.

CAPUT TERTIUM.

Sylva in Histria Ecclesiæ Ravennati asserta. Tricoli ædi coronis imponitur.

DUmque in temporibus istius Sanctissimi Pontificis orta esset contentio de sylva, quæ cognominatur Vistrum sita Istricatis partibus, bis in Constantinopolim se detulit, ut talem Justiniani Augusti præsentia consumeret contentionem. Ambo canitie in eodem tempore exornati, quantùm recolerent se à juventute disjuncti (6) amantissimè pariterque cœperunt lugere. Dehinc verò pius Imperator Justinianus Augustus præceptum sibi ex eadem Sylva condidit perpetuè, legaliterque in Sancta Ravennati Ecclesia esse, quam justè, ac rationabiliter sibi pertinere cognoverat. Iste *Tricoli* (7) suis temporibus omnia ædificia complevit, & ubi ipse cum suis Antecessoribus depictus est, si legere vultis aspicientes, ita scriptum invenietis.

Hic Petrus Junior Christi præcepta (8) *secutus*
Ut docuit (9), *sacris moribus exhibuit.*
Hanc (10) *quoque fundavit mirandis molibus arcem,*
Nominis ipse sui hæc monumenta dedit.
Hujus post obitum Aurelianus gessit honores,
Post hunc Antistes extitit Ecclesius.
Hinc fuit Ursicinus, sequitur post ordine Victor,
Temporibus junior Maximianus adest.
Is Polensis erat Christi Levita profundus,
Lege Dei, miserans, & pietate bonus.
Quem Deus ipse Virum decoravit culmine sacro,
Ecclesiæque suæ Pontificem statuit.
Ipse autem factis propriis scit (11) *non meruisse*
Culmen Apostolicum, sed pietate Dei.

CA-

(1) *Monasterium S. Stephani, quia hìc Ravennæ in Civitate non est nisi unum Monasterium S. Stephani, in quo stant Moniales, & per ea, quæ videri possunt non apparet de tanta ædificiorum, & rerum pretiosarum structura, quod Monasterium est prope Ecclesiam S. Andreæ Gothorum, quæ vulgariter dicitur Ecclesia Gothica, credo quòd istud Monasterium, de quo hìc in ista Historia fit mentio, fuit prope Ecclesiam S. Barbatiani, quæ est non longè à Monasterio, & Ecclesia S. Zachariæ, prout vidi, & videri potest in quodam instrumento publico manu Morandi Notarii, quod est in ejus protocollis in MCCLXXXXVI. die.... mens...., à fol... & est in Cartulario Dominorum Cardinalium Ecclesiæ Ravennatis.* Bacch.

(2) *prius*. Mur.

(3) Caput eorum, qui operas urgent. *Bacch.*

(4) *idest*. Mur.

(5) lunis. *Bacch.*

(6) *in senectute conjuncti*. Mur.

(7) *Tricolim*. Mur.

(8) *concepta*. Mur.

(9) Rub. *decuit*. Bacch.

(10) Rub. *Hic*. Bacch.

(11) Rub. *se*. Bacch.

CAPUT QUARTUM.

Ecclesia B. Mariæ Polensis. Ecclesia S. Andreæ refecta. Corpus S. Andreæ Constantinopoli. Ejusdem Apostoli Barba. Ædium diversarum coronis, & dedicatio.

ÆDificavitque Ecclesiam B. Mariæ in Pola, quæ vocatur Formosa, unde Diaconus fuit, mira pulcritudine, & diversis ornavit lapidibus. Domum verò, ubi Rector istius Ecclesiæ in ipsa civitate habitat, ipse ædificavit, & omnes opes suas Ravennati Ecclesiæ tradidit, quas usque hodie possidemus. Ecclesiam verò B. Andreæ Apostoli hic Ravennæ cum omni diligentia non longè à Regione *Herculanea* (1) columnis marmoreis suffulsit, ablatisque vetustis ligneis de nucibus, proconisis decoravit. Tunc ablatum Corpus ipsius Apostoli Ravennam ducere conabatur. Dum hoc persensisset Imperator Constantinopolitanus, jussit Beatum Maximianum Constantinopolim venire, & pium Apostoli Corpus secum deferre. Quo gavisus Imperator, ait ad eum; non sit tibi grave Pater, quòd prima unum tenet Roma fratrem, istum verò secunda teneat. Ambæ sorores, & hi ambo germani. Nolo tibi eum dare, quia & ubi sedes Imperialis est, expedit & ibi Corpus esse Apostoli. At Beatissimus Maximianus dixit, fac quomodo jubes; tantùm postulo, ut in hac nocte cum meis Sacerdotibus ad hoc sanctum Corpus psalmodiam peragamus. Imperator moxque concessit. Tunc tota nocte pervigiles extiterunt, & post expleta omnia, arripiens gladium, oratione facta, abscidit barbam Apostoli usque ad mentum, & ex reliquiis aliorum Sanctorum multorum reliquias detulit cum Augusti alacritate; dehinc quoque ad propriam reversus est Sedem. (2) Et revera Fratres, quòd si Corpus (3) Andreæ germani Petri Principis hic humasset, nequaquam nos Romani Pontifices sic subjugassent. Consecravit Ecclesiam B. Apollinaris Pontificis in Classe sitam, & B. Vitalis Martyris in Ravenna, & B. Archangeli Michaëlis hic Ravennæ, quam Bachauda cum sanctæ recordationis memoria Juliano Argentario ædificavit in Regione, quæ dicitur ad Frigiselo. Ibique invenietis in Camera Tribunæ ita legentem; *consecuti beneficia Archangeli Michaelis Bachauda, & Julianus, à fundamentis fecerunt, & dedicaverunt sub die Non. Maji quater P. C. Basilii Junioris Viri Clarissimi Cos. Ind. VIII.* Et, ut asserunt quidam, hic Bachauda gener prædicti Juliani fuisset, & in Arca saxea non longè ab ipsa Archangeli Ecclesia infra turrem Bachauda requiescit. Et in Tribuna B. Vitalis ejusdem Maximiani effigies, atque Augusti, & Augustæ tessellis valde computatæ (4) sunt. Quandiu possumus de hoc Sancto Viro tantam bonitatem referre deficit mihi tempus narrationis. Iste plus omnibus laboravit, quàm cæteri Pontifices prædecessores sui. Illius temporibus ædificatus est numerus vicinus domui meæ, qui dicitur Banchus (5) primus non longè à milliario aureo, & illius nomen etiam in tegulis exaratum invenimus ita; *Maximianus Episcopus*

A *Ravennæ*, quod ego vidi, & legi. In Ardicaque B. Apollinaris, & Vitalis tabulas descriptas invenietis magnis literis continentes ita; *B. Apollinaris Sacerdotis (6) mandante Viro Beatissimo Ursicino Episcopo à fundamentis Julianus Argentarius ædificavit, ornavit, atque dedicavit, consecrante verò B. Maximiano Episcopo die VIIII. Majarum Ind. XII. octies P. C. Basilii.* In Ardica B. Vitalis ita invenietis; *B. Martyris Vitalis Basilica (7) mandante Ecclesio Viro Beatissimo Episcopo à fundamentis Julianus Argentarius ædificavit, ornavit, atque dedicavit, consecrante verò Reverendissimo Maximiano Episcopo sub die XIII. sexies P. C. Basilii Junioris.* Corpus verò B. Probi cum cæteris Sanctorum Pontificum Corporibus iste Sanctus Vir aromatibus condivit, & benè locavit, & in fronte ipsius Ecclesiæ B. Probi, & Eleuchadii, & Caloceri effigies (8) variis decoravit, & sub pedibus eorum invenietis (9) ....

CAPUT QUINTUM.

Maximiani scripta cum fragmento ex ejus Annalogia. Historiæ Secularis quædam.

NAvigaverat jam hic Beatissimus antea partibus Orientalibus, sicut ipse in suis voluminibus loquitur dicens; *In Alexandria verò nulla extrinsecus mali causa, sed quòd genus hominum ferox, seditiosum, semper inquietum est, civile inter se motum est bellum, non virtutis merito, neque ob defensionem, sed ob necem, atque interitum civium. Commoti universi Præfectum suum intra Ecclesiam occiderunt, quòd jam antea aliquanti similiter Episcopum suum accusantes hæreticum interfecerant. Quo comperto Imperator in iram versus funditus civitatem jussit everti. Denique misso alio Præfecto nomine Laudicio intra ipsam civitatem XL. viros per singulas regiones in ligno suspendit. Sed tunc allaboravit Dioscurus ejusdem urbis Episcopus, & manifestè posuit animam suam pro ovibus suis; electique ex Eremo Monachi apud Imperatorem properant, atque excessui civium veniam exorant. Tunc Imperator cessit Sacerdotibus, & deinceps caveri à talibus mandavit. Huic Episcopo apud Alexandriam Timotheus successit, quem ego navigans in Orientem in sua civitate bene administrantem vidi.* Sed ante pauca; *Nazarba civitas Ciliciæ terræmotu facto concidit, in qua periisse ferunt ampliùs XXX. millia hominum.* Hæc Pontificis verba sunt. Post B. Hieronymum, & Orosium, vel alios Historiographos, iste in Chronicis laboravit, & ipsos secutus per diversos libros nobiliorum Principum, non solùm *priorum* (10) Imperatorum, sed & Regum, & Præfectorum suam propriam Chronicam exaravit. Istius verò temporibus pugna facta est inter Gothos, & milites. Exierat Narsis in Kal. Octobris in Campania, & cæsi sunt Gothi, & corpora hominum Gothorum multa mortua sunt, & occisus est Theja Rex Gothorum à Narsi, & reversus est in pace, & vênit Lucam, & expulit inde Gothos mense Septembris. Et restituta est Civitas Fori Cornelii ab Antiocho Præfecto, & iterum vênit Ravennam prædictus Narsis cum victoria ma-

(1) *Herculana*. Mur.
(2) Votum scismaticum, quod in observationibus decideretur. *Bacch.*
(3) *Beati*. Mur.
(4) fortè *comptæ*. *Bacch.*
(5) Lege *Bandus*. Bacch.
(6) *Basilicam*. Mur.
(7) *Basilicam*. Mur.
(8) *tessellis*. Mur.
(9) Deest inscriptio. *Bacch.*
(10) *ipsorum*. Mur.

gna, deinde vênit Romam, & perrexit in Campaniam in castrum Cumas, & ibi moratus est. Post hæc autem Manichæorum hæresis exorta est in Civitate Ravenna, quam Orthodoxi Christiani convincientes ejecerunt extra civitatem in loco, qui dicitur Fossa-Sconii, juxta fluvium lapidibus obruerunt, & mortui sunt in peccatis suis, & ablata sunt mala à Ravenna. Post tertium verò annum signum ruboris apparuit in Cœlo die XI. mensis Novembris, mortuusque est Papa Pelagius die III. mensis Martii. Tunc Narsis Patricius cum exercitu suo Romam perrexit, & in ipso tempore multa signa, & prodigia facta sunt circa Ravennam, itaut multi signarent res suas, & domos, & vasa, ut agnoscerentur, & multis apparebant visiones in die quasi homines secum loquentes facie ad faciem. Et pugnaverunt contra Veronenses cives, & capta est Verona civitas à militibus XX. die mensis Julii. Et visum est aliud signum magnum, & terribile, & ecce in aëre quasi hominum pugna inter se dimicantium veluti in prælio VIII. Kal. Augusti horâ diei tertiâ, II. feriâ, & exinde territi sunt multi. Hora est jam claudendi hanc lectionem, ut quod sequitur crastino audiamus.

CAPUT SEXTUM.

Vascula Chrismataria, Endothes plures. Crux aurea. Libri Ecclesiastici à Maximiano emendati. Insectatio vitiorum.

FEcitque duo Chrismataria Vascula, quorum unus libras habuit quatuordecim mirificè *anagripha* (1) operatione, sed ante hoc tempus nuper periit, Petronacis Archiepiscopi temporibus, aliud (2) permanet in præsenti pulcherrimè operatum, in quo legitur. *Servus Christi Maximianus Archiepiscopus hoc Chrismatarium ad usus Fidelium fecit fieri*. Jussit ipse Endothim byssinam pretiosissimam, cui similem nunquam videre potuimus, *aculis* (3) factam, omnem Salvatoris nostri Historiam continentem. In Sancto die Epiphaniæ super Altarium Ursianæ Ecclesiæ ponitur, sed non totam complevit, Successor ipsius explevit unam partem. Quis similem videre potuit? Non potest aliter æstimare ipsas imagines, aut bestias, aut volucres, quæ ibi factæ sunt, nisi quòd in carne omnes vivæ sint. Et ipsius Maximiani effigies in duobus locis præclarè factæ sunt, una major, & altera minor, sed nulla inter majorem, & minorem distantia est. In minore habet literas exaratas continentes ita; *magnificate Dominum mecum, qui me de stercore exaltavit*. Fecitque aliam Endothim ex auro ubi sunt omnes Prædecessores sui; auro *textile* (4) imagines fieri jussit. Fecitque tertiam, & quartam cum margaritis, in qua legitur; *parce Domine Populo tuo, & memento mei peccatoris, quem de stercore exaltasti in Regno tuo*. Crucem verò auream majorem ipse fieri jussit, & pretiosissimis gemmis, & margaritis ornavit hyacinthos, & amethistos, & sardios, & smaragdos, & infra aurum medio loco de ligno Sanctæ redemptionis nostræ Crucis, ubi Corpus Domini pependit, occultavit. Est autem auri maximum pondus. Fecitque omnes Ecclesiasticos Libros, idest septuaginta duo, optimè scribere, quos diu, & cautissimè legit, absque reprehensione nobis reliquit, quibus usque hodie utimur, & ultimo loco Evangeliorum, & Apostolorum epistolarum. Si requirere vultis ipsius literas, invenietis ita *monentis*; (5) *emendavi cautissimè cum his, quæ Augustinus, & secundum Evangelia, quæ Beatus Hieronymus Romam misit, &* (6) .... *suis direxit, tantùm ne ab idiotis, vel malis Scriptoribus vitientur*. Edidit namque Missales per totum circulum anni, & Sanctorum omnium; quotidianis namque, & quadragesimalibus temporibus, vel quidquid ad Ecclesiæ ritum pertinet, omnia ibi sinè dubio invenietis. Grande volumen mirè exaratum. Modicum *de illis habemus*, (7) dictaque Romam transmeata sunt, & quantùm ibidem cogniti sunt Romulides, qui viderunt XII. libros sub uno volumine exaratos. Pauca de multis diximus, plura de eo invenietis, quàm hìc legistis. Nunquam suas laniavit oves, nunquam momordit, nunquam percussit, sed refovit eloquiis, nutrivit alimentis, monuit vagos, revocavit errantes, collegit dispersos, ministravit inopi, *condolivit* (8) tribulanti. *Mirum* (9) quòd iste, qui ex alterius fuit Sede, sic se cum suis disposuit ovibus, quòd nullum contra eum sermonem unquam mutilaverint. Modò ex nobis ipsis Pastorem habentes, postquam Sedem adipiscuntur, dentibus devorare volunt, & ullam nesciunt habere misericordiam; plus sublimitatem seculi, quàm cœlestem gloriam quærunt. Non participant cum ovibus, sed res Ecclesiæ soli deglutiunt, & tales ex ipsis opibus nutriti fiunt, quòd nec Ecclesiæ serviunt, sed magis depopulantur. neque pro dimissoris (10) anima preces Deo fundunt. Tunc ipsæ oves quotidie mœrendo clamant ad Dominum dicentes; erue nos Domine de captione dentium Pastoris nostri, quia non mercenarii locum, sed crudelitatem lupi tenet, omnes nos in sua extollentia consumit. Hic verò Beatissimus Maximianus nunquam talia peregit, sed cum mansuetudine inimicorum suorum corda humiliavit, ut adimpleretur quod scriptum est; *noli vinci à malo, sed vince in bono malum*, & alibi; *in patientia vestra possidebitis animas vestras*.

CAPUT SEPTIMUM.

S. Maximiani obitus, & Sepulcrum ejus. Lipsanorum translatio.

VIII. Kal. Martii obiit, sepultusque est in Basilica S. Andreæ Apostoli juxta Altarium ubi barbam prædicti Apostoli condidit; sed modò nostris temporibus juxta ipsius Ecclesiæ Apostoli sedes sepultus est. Quinto decimo anno Petronacis Archiepiscopi, dum singuli eum hortaremur verbis, quòd prædictum Corpus Beati Maximiani de sub terra traheret, & in sublimem poneret locum, die quadam ad semetipsum rediens, jussit nos omnes Sacerdotes unà secum ad Ecclesiam B. Andreæ properare, qui in cordibus nostris oratione facta jussit cæmentariis Plathoniam desuper levari. Sed incautè agendo fracta est. Iratus modicùm Pontifex cœpit comminare cæmentariis. Tunc dixit decimo Presbytero in ordine sedis suo nomine Agnel-

(1) Anaglyphtica. *Bacch.*
(2) *verò*. Mur.
(3) *acucullis* fort. *aciculis*. Mur.
(4) *textiles*. Mur.
(5) *monentes*. Mur.
(6) *parentibus*. Mur.
(7) *illius habemus dictis, quæ*. Mur.
(8) *condoluit*. Mur.
(9) *Miror modò*. Mur.
(10) *dimissor*, qui bona Ecclesiæ legavit. *Bacch.*

Agnellus, qui Andreas vocabatur (erat autem ille illo tempore artificiorum omnium ingeniis plenus) esto hìc prope, præcipe Artificibus quomodo facere debeant, ne arca, aut lapis, quæ ei superposita est, frangatur. Quo deposito Artifices paraverunt omnia juxta præceptum Presbyteri, & elevatus lapis, cum quo clausa erat arca apparuerunt ossa B. Maximiani subtus aquam, vas autem aquâ plenum erat; & ut vidimus cœpimus plorare fortiter, unà cum nostro Præsule, plorantesque dicebamus ad invicem; ubi sunt Pastor Maximiane oves tuæ, ubi grex tuus, ubi populus tuus, quem Domino adquisivisti, ubi monita, ubi dulcia eloquia, ubi sancta prædicatio, ubi tua doctrina? Si dixerimus tu noster Pastor, istum præsentem quomodo abiiciamus? Ecce ambo Pastores in uno estis, & tu qui *taces* (1) exanimis, & hic qui plorat, cui nos obedire oportet. Viscera nostra exemplum tuum constringit. Ecce nos te requirimus, & diligimus; quantò magìs amabilis fuisti illis omnibus, qui te noverunt? Postquam omnes diutissimè, & amarissimè flevimus, satiati luctu, allatum est nobis æreum vasculum, quod vulgò siclum vocamus; & projecti sunt sicli pleni aquâ, quæ erat infra arcam super ossa Beati Maximiani numero CXV., quos ego ipse palàm omnibus ore proprio *numeravi*. *Allata* (2) verò omnia ossa voluta sunt in syndone, quæ erat super Altarium B. Andreæ Apostoli, & ligata syndone sigillum ex latere suo Pontifex annulo signavit. Post hæc verò arca excussa est absque ulla læsione, & levatam diligenter sursum locavimus. Quæ verò ossa omnia integra invenimus tenuvia erant, sed procera, & sic ordinata ad juncturas suas, quasi penè anno uno exempta carne fuissent; nulla minuitas, nisi dens unus dexteræ parti deerat. Igitur lavata ossa cum vino electo, condîta aromatibus ordinabiliter cum psallentium præsentia, & Præsulis, omnia in eadem arca posita sunt, & cum ingenti luctu amabiliter sepulcro clausa sunt. Nos qui vidimus per multos dies fuit talis timor, & tremor, velut ipse B. Maximianus conspectui nostro staret. Sedit annos ...... mens....... dies......

OBSERVATIONES
AD VITAM
SANCTI MAXIMIANI.

Pallium ab Imperatore postulatum quî fieri potuerit? S. Stephani Ecclesia quæ? Maximianus post sedem adeptam semel Constantinopolim venit. D. Andreæ Ædes Oratorium, an Ecclesia? Quisnam Vitalis, ad quem Venantii Fortunati Carmina? D. Andreæ Lipsana quando Constantinopoli? Bandus quid? Alexandrinæ Ecclesiæ turbæ à Maximiano narratæ. Secularis historiæ quædam. Chrismataria quid? Libri pro usu Ecclesiæ Missalia.

I. RUbeus *ex Agnello Maximiani electionem referens ait, mortuo Victore, Ravennates* Pallium ab Cæsare per Legatos petisse. *Henschenius in notis ad caput primum Vitæ ex Rubeo desumptæ, hæc habet*; solùm id voluit fortassis, aut debuit Scriptor dicere, quia Ravennæ sedes erat Exarcharum, quos terræ Italiæ præficiebat Imperator, huic nunciatam esse mortem Epi-

A scopi, si quid juris fortè ad nominandum Successorem, arrogare is sibi solebat, uti etiam in Romani Pontificis confirmationem arrogasse ostendit Baronius ad annum 554. num. 1. & 2. *& circa Pallii ab Imperatore dati qualitatem, & usum pro Episcopis Ravennatibus, citat Baronium disputantem contra apocriphum Valentiniani privilegium, de quo suo loco. Circa hæc ab Henschenio adnotata, illud primò observandum puto, nil in electione Episcopi Ravennatis sibi Justinianum arrogare potuisse Vigilii Pontificis temporibus Exarcharum causâ, cùm Præfectura hujusmodi in Italia tunc nondum esset, nec esse cœperit ante Longobardorum ætatem, cùm jam Justinianus diem obierat. Arrogasse sibi non modò ad Ravennatis*
B *Episcopi electionem consensum præstare, sed & ad Romani Pontificis, nullus dubito, cùm id sibi arrogaverint, & Gothorum Reges. Electoribus temporum, rerumque calamitas ferenda erat. Vigilium Pontificem pro suo jure Pallium iis, quos decebat concessisse certum est, at ex Justiniani consensu. Extant, quæ id probare vid ntur ejusdem Pontificis Epistolæ ad Auxentium, & Aurelianum Arelatenses Episcopos. In ea, quæ data est X. Kal. Septembris quinquies P. C. Basilii, ait Pontifex Belisarium homini misso* laborem ad clementissimum Principem transeundi abstulisse, sed mox ut responsum recepit, sibi suis literis indicasse. *Mittebatur itaque, ut videtur, ad Imperatorem pro consensu obtinendo, ut Pallium à Pontifice reci-*
C *peretur. Ex his, quæ facti sunt, acres circa jus quæstiones exortas novimus inter nostræ ætatis doctissimos Viros; ea de re vide Petrum de Marca, Christianum Lupum, Thomassinum, aliosque. Illud breviter adnotare placet, vix prædicta duo exempla haberi consensus à Vigilio expetiti, quæ adstruunt id datum à Pontifice, quod de Pallio mittendo in eam Provinciam agebatur, in quam per ea tempora credebant Constantinopolitani Imperatores sibi aliquid juris comp tere. Ea, quam status rationem vocant, id fieri posse suadebat; ceterùm nil juris sibi competere credidere Augusti, quo Pallium tribuerent, qua de re vide Præfationem nostram, ubi Agnellum refellimus.*

D *II. Ecclesiam S. Stephani à Maximiano constructam illam esse, quam in Olivis dictam vetera Ravennatis Ecclesiæ monumenta testantur, ubi dudum, sicut & hodie incoluerunt Sanctimoniales, sentit Faber part. pr. operis sæpius laudati. Id negat notarum marginalium Auctor, eo ductus argumento, quòd Monialium Ecclesia suo tempore, ad ævum videlicet Constantiensis Synodi generalis, ejus elegantiæ non esset, quam Agnellus laudat, & alteram credit intelligi debere sua ætate superstitem ad Ecclesiam S. Barbatiani, & Monasterium, sive Oratorium S. Zachariæ. Id probat ex veteri documento Notarii Morandi anni 1296. in Cartulario Canonicorum Ravennatum existente. Agnellus ædificatam dicit non longè à Posterula Ovilionis. Primum versuum, qui inscribebantur supercilio arcus*
E *Tribunæ corruptè expressit Rubeus, & ex Rubeo Faber, Henschenius mendum correxit ad Maximiani Vitam Tom. 3. Febr. pag. 295. in notis ad cap. 3. Vitæ. Itaque legendum, ut in Codice Estensi pro* Martyris, meritis.

Templa micant Stephani meritis, & nomine sacra.

at merita hìc Sancti reliquias significari, probant alia hujus Vitæ ab Agnello scriptæ loca. Inscriptio etiam in nonnullis diversa est à nostri Codicis lectione. Ex his verò, quæ Noster adjicit, constat Maximianum semel Constantinopolim perrexisse circa

(1) *jaces*. Mur.

(2) *Ablata*. Mur.

ea annum 548., ut infra dicetur, dum D. Stephani Basilica conderetur; ob id enim evenit, ut deessent lateres, & cæmentum, ac opus interruptum sit, cujus moræ damnum S. Episcopus prodigio reparavit, nocte una ea parans, quæ multorum dierum labori sufficerent. Tunc autem Justiniani ætas erat ferè annorum 68. Maximiani verò quasi 55. Bene itaque inter se colloqui potuere de ætate satis grandi, quod ait Noster. Tricoli ædem tandem Maximianus complevit. Versibus appositis id præstitit, ut de plurium Episcoporum successione ambigendi posteris locum ademerit.

III. D. Andreæ Sacra Ædes, quæ primùm à D. Petro Chrysologo constructa Oratorium fuit, à D. Maximiano refecta Ecclesia evasit. Hæc nullam difficultatem habent. Illud sustineri nequit, quod de S. Andreæ Apostoli reliquiis narrat Noster, ut Rubeus, & Henschenius adnotavere. Verùm in ampliorem formam restitutam D. Andreæ Ædem à Maximiano, & conditas in eadem S. Apostoli reliquias, unà cum aliis Sanctorum lipsanis, non potest in dubium verti, sicut nec de ejus temporis Ravennæ Episcopis, quos omnes probè novimus. Extant nihilominus Venantii Fortunati Carmina ad quendam Vitalem Episcopum Ravennatem aliunde omnino ignotum, quibus hæc eadem Vitali tribuuntur. Plura de hac re Rubeus lib. 3. pag. 172. versus ipsos hìc adscribi haud inutile erit ad nodum, si fieri possit, solvendum.

Ad Vitalem Episcopum Ravennatem.

ANtistes Domini meritis in secula vivens,
 Gaudia qui Christi de grege Pastor habes;
Cum te Vitalem voluit vocitare vetustas,
 Noverat æternum te meruisse diem.
Dignus Apostolica præfulgens mente Sacerdos,
 Qui Sacer Andreæ tam pia membra locas.
Quàm bene pro meritis, Domini consedit in aula,
 Per quem digna Deo est ædificata domus!
Sumpsisti à Domino culmen, cui culmina condis,
 Qui tibi digna dedit, reddis honore vicem.
Emicat aula potens solido perfecta metallo,
 Quo sinè, nocte manet continuata dies.
Invitat locus ipse Deum sub luce perenni,
 Gressibus ut placidis intret amando lares.
Qui loca das Populis, Dominũ quò semper adorẽt,
 Ut capiant veniam, tu facis ipse viam.
Gratia, mens, animus, bonitas, dilectio plebis,
 Et gradus, & pietas te dedit esse patrem.
Prosperitas se vestra probat, quæ gaudia supplens
 Intulit egregios ad tua vota viros.
Dux nitet hìc armis, Præfectus legibus illinc,
 Venerunt, per quos crescere festa solent.
Ne tibi desit honor, Populum Deus auxit opimum,
 Qui vidit sensum hoc voluisse tuum.
Mysterium fidei complevit vota petenti.
 Felix cui Dominus quæ cupis, ipse vehit!
Plurima divino celebres solennia dono,
 Atque Dei florens templa locanda colas.

De Templo D. Andreæ, quod ædificavit Vitalis Episcopus Ravennas. (1)

QUisquis ad hęc Sancti concurris limina Templi,
 Si venias supplex, hìc prece sumis opem;
Quam Sacer Antistes Vitalis condidit arcem
 Culmine, quæ Cœlo est tempore ducta brevi.
Fundavit, struxit, dotavit, deinde dicavit,
 Et meruit Templi solvere vota sui.
Quo veneranda pii requiescunt viscera Petri,
 Qui meruit solus clave ligare polos.
Paulus Apostolicâ simul hac retinetur in Aula
 Seductor quondam, qui modò Doctor ovat.
Hanc Sacer Andreas propriam sibi vindicat arcem,
 Et cum Fratre pio participata regit.
Hæc sua tecta replet Laurentius igne sereno,
 Cui pia flamma dedit luce perenne diem.
Vitali domus ista placet, qui vivus arenis
 Defossus meruit perdere mortis iter.
Sunt loca Martini, qui texit veste Tonantem,
 Ne magis algeret, se spoliare dedit.
Ecce Vigili Arx est, quem rustica turba peremit,
 Unde mori voluit, mors magis ipsa fugit.
Incolit hæc pariter Martyrius, atque Sisennus,
 Quos genus, atque fides, & tenet una salus.
Sanctus Alexander, felixque Cecilia pollent,
 Quos meritis omnes una corona manet.
Hæc bonus Antistes, Vitali urgente, Johannes
 Condidit egregio viscera sancta loco.
O' nimium felix, æternum in lumen iture,
 Cujus Vita suo proficit *ista Deo*. (2)

IV. Ex his nonnulla certa sunt, quæ nodum implicant: unum certum, quod videtur nodum ipsum solvere. Quæ implicant sunt Vitalem hunc, de quo Venantius loquitur, Episcopum fuisse; Episcopi hujus nomen non posse in dubium verti; Templum Andreæ sacrum brevi tempore fuisse constructum; affuisse dedicationi exercitus Ducem, & Provinciæ Præfectum; plerasque ex Reliquiis convenire cum recensitis à Nostro. Ex his concludi videtur Vitalem Ravennatem Episcopum ea omnia præstitisse, quæ de Maximiano narrantur. Quod nodum solvere videtur illud est, quòd Vitalis iste Episcopus quidem fuit, sed sub Metropolita, qui proinde inducitur condens sacra lipsana urgente Vitali. Episcopus is Johannes nominatur illis versibus.

Hæc bonus Antistes, Vitali urgente. Johannes
 Condidit egregio viscera sancta loco.

arbitror itaque Vitalem Ravennatem Patriâ, & Episcopum cujuspiam ex Diœcesibus Ravennati Metropolitæ subjectis, qui & ipse D. Andreæ Ædem egregiam condiderit, dedicaritque, & à Metropolita obtinuerit Reliquias enarratas, earumque solennem in suos loculos translationem, intervenientibus Ravennatis populi proceribus, magnâque finitimorum frequentiâ. Johannes Ravennas Episcopus, quo sedente hæc acta sunt, is fuit, qui post Petrum Seniorem proximè floruit, de quo infra. Illud etiam observandum est Sanctorum Reliquias Agnello laudatas in Templo S. Stephani repositas fuisse, illas verò, de quibus loquitur Venantius, in Æde S. Andreæ à Vitali constructâ. At hæc pro re præsenti sufficiant.

V. De Apostoli Andreæ Corpore illud adnotare placet, Justinianum Ædem Divo illi quondam à Constantino dicatam, quod Eusebius tradit in Vita Constantini lib. 4. cap. 50., & 60., Socrates lib. 1. cap. 12., & 26., reædificasse, ut narrat Procopius lib. 1. de Justiniani Ædificiis. Id cùm fieret, latomi, artificesque invenerunt ligneas arcas tres insculptis literis indicantes trium scilicet Apostolorum esse Corpora Andreæ, Lucæ, & Timothei. *Sanctas hujusmodi Reliquias in Apostolorum Templum delatas solenniter anno 552. vigesimâ nonâ Junii tradit Baronius ex Nicephoro lib. 17. cap. 26. At Pagius in Dissert. Hypat. part. 2. cap. ultimo pag. 303. contendit Encænia dedicationis Basilicæ, & solennem translationem Reliquiarum peractam die 28. Julii feriâ III. anni 548. ex Theophane, qui narratis Circensibus, Aprili mense celebratis, addit;*

(1) alii *Ravennensis*. Bacch.

(2) alii *in studio*. Bacch.

dit; Julii mensis die vigesimo octavo tertiâ feriâ Sanctorum Apostolorum Ædis facta est consecratio, & Sanctarum Reliquiarum Andreæ, Lucæ, & Timothei, qui S. Apostoli, depositio. Episcopus verò Mennas unà cum Sanctis Reliquiis progressus est vehiculo aureo Imperatorio gemmis exornato vectus: tres autem SS. Apostolorum gestabat loculos supra genua; atque ita dedicationem celebravit. *Hinc annus eruitur, quo Maximianus Constantinopolim vénit, ipso videlicet* 548. *ubi cùm repertum Corpus Beati Andreæ ab Imperatore non obtineret, quod fortè aliàs habere curaverat, impetravit ut saltem cum suis Clericis ad Sacrum Corpus vigilare liceret, qua opportunitate arrepta S. barbam rescidit, quam postmodùm, cum aliis Reliquiis Ravennam detulit. Hæc ita conciliari posse crediderim. Cæterum SS. Andreæ, & Lucæ Reliquias ante multum tempus Constantinopolim certum est ex Achaja fuisse translatas, licèt dubitetur, an id factum sub Magno Constantino, an sub Constantio, qua de re agit Baronius in notis ad Martyrologium ad diem 9. Maji. Schismaticæ fuliginis horrorem spirant ea*; & revera Fratres, quòd si Corpus B. Andreæ Germani Petri Principis hîc humasset, nequaquam nos Romani Pontifices ita subjugassent. *At quid novi juris Ravennati Ecclesiæ cum Corpore S. Andreæ accessisset, ut inde à Romani Pontificis auctoritate eximeretur? Et ipsa Constantinopolitana Ecclesia, quæ aliàs sub Heracleensi fuit, ut aliquo colore recentiores conatus liniret, seque ab initio Romanæ saltem æqualis venditaret, aliquando ob Andreæ Corpus apud se servatum, se, ob id ab initio per eundem Petri Apostoli Fratrem conditam, dicere non dubitavit. Id Ravennati Ecclesiæ præsidii accessurum sensit Noster.*

VI. S. Michaëlis Ecclesia, quo anno à Maximiano fuerit consecrata, non exprimit Agnellus; finitam, dicatamque ostendit inscriptio Nonis Maji anno 545., *at Maximianus nonnisi anni sequentis Octobri sedere cœpit, quare Ecclesiæ Encænia minimè celebrari potuerunt ante Majum anni* 547. *Ita ædificatio, & dedicatio distinguuntur à consecratione in inscriptione Basilicæ S. Vitalis. Bachaudæ, Julianique genus, affinitas, & pietas hinc illustrantur.*

VII. Ædificatus dicitur Maximiani ævo numerus *vicinus Agnelli scribentis domui, qui dicebatur Bandus primus* (Bandum pro Bancho, *ut corruptè legebatur, posui*) *non longè à milliario aureo, in cujus tegulis legisse se ait scriptum Maximiani nomen, addito Episcopi Ravennatis elogio. Sibi constat, narratisque consonat in vita S. Johannis cognomento Angeloptis, ubi memorat ex ruderibus veteris Palatii à Theodorico ædificati, sibi Ravennæ domum ædificasse in fundo juris materni*, quæ vocabatur domus presbyterialis in regione, quæ dicitur ad Nimphecs juxta Ecclesiam S. Agnetis Martyris, & ab alia parte numero Bando primo non longè à milliario aureo. *In confinio itaque regionis ad Nimpheos, & milliarii aurei sita erat domus Agnelli. Sanctæ Agnetis Basilicam in Herculanea Regione sitam dicunt Rubeus, & Faber; ille tamen Ravennam in septem regiones dispersit Asianam, sive Ætianam, Herculanam, Milliarium aureum, Summum vicum, Forum Hyppodromi, Marciam, ad Veruecem; hic autem in quatuordecim. Porrò militare quid sonant* numeri, & Bandi *nomina cùm infra in vita Felicis temporibus difficillimis. civium ad Patriæ defensionem paratorum exercitum, à Georgio Johanicis filio, in supremum Ducem electo, distributum hoc ferè pacto intra urbem tradit*; divisit populum civitatis in undecim partes, duodecima verò pars Ecclesiæ est reservata; unusquisque miles secundùm suam militiam, & numerum incedat, idest Ravenna, Bandus primus, Bandus secundus, Bandus novus invictus, Constantinopolitanus, Firmans, Lætus, Mediolanensis, Veronensis, Classensis, Partes Pontificis cum Clericis, cum honore dignis, & Familia, & Stratoribus, vel aliis subjacientibus Ecclesiis. Et hæc ordinatio permanet usque in præsentem diem. Bandi *itaque nomine intelligebantur, uti & nunc in hisce Italiæ nostræ urbibus, civium turmæ sub certo Duce collectæ, quas* Bande *dicimus. fortè à cujusque turmæ vexillo, quod* Bandum *dixere, & nos* Bandiera. *Porrò Ædes cui ue numero, sive Bando constructa erat, ubi turmatim milites certo numero, cùm opus erat excubias habebant, vel ejusdem Duces rebus pertractandis conveniebant, quod ex hoc loco agnoscimus, sicuti &* numeri, *sive* Bandi *primi Ædes. earumque situm. Ut quid autem in ejus tegulis Maximiani Episcopi nomen inscriptum? Arbitror & ad hujusmodi publica opera magnificentiam suam extendisse Maximianum.*

VIII. Et hinc fabella de S. Eleucadii Corpore à Constantino Magno Ticinum ad D. Michaëlis translato difflatur, cùm Maximianus laudetur, quòd Corpus B. Probi cum cæteris Sanctorum Pontificum Corporibus aromatibus condiverit, & bene locaverit, & in fronte ipsius Ecclesiæ B. Probi, & Eleucadii, & Caloceri effigies *apposuerit. Agnello ignota quævis alia Eleucadii translatio, etiam Constantini ætate posterior, de qua si rescivisset minimè omisisset hìc loqui. Vide, quæ suo loco observavi.*

IX. Servavit Agnellus ex Opere Historico Maximiani fragmentum, quo non modò novimus eundem inter Ecclesiasticos Scriptores numerandum, sed & illud agnoscimus eum florente ætate Alexandriam navigasse, cùm Timotheus Dioscori successor Sedem illam occupabat, quod cœpit fieri secundùm Baronii calculum anno 519. *Itaque tum Maximianus vigesimum primum ætatis suæ annum agebat, natus anno* 498.. *qui cùm ordinaretur anno* 546. *erat annorum* 48. *Civile Alexandrinorum bellum, de quo hìc Maximianus, motum est ex occasione Dioscori ejus nominis secundi, Anastasii Imperatoris jussu, Johanni prædefuncto suffecti, quem ex eo conabantur excludere, quòd nec Alexandrinus, nec juxta Canones à Clero Alexandrino electus fuisset, quare eò res processit, ut tumultu facto Theodosius filius Calliopii Augustalis sit interemptus. Imperator ob id iratus. Acacius magister militum quotquot capere potuit interfecit. Hæc ex Anastasio Baronius ad annum* 516. *ubi etiam dicitur Dioscorum apud Imperatorem furentem intercessisse pro Alexandrinis. Ex Maximiani autem fragmento habemus Anastasium misso Præfecto Laudicio ex singulis Regionibus Alexandrinæ urbis, quadraginta viros in ligno suspendisse, & cum Dioscoro Monachos ex eremo Constantinopolim venisse veniam exorantes. Dioscorum, & Timotheum aliàs hæreticos laudat Maximianus ob ea, quæ in quolibet homine laude digna erant, nec enim ea, quæ ad dogmata minimè spectant, in heterodoxis cæteroquin sana, suo honore fraudari debent, si de his scribendi occasio non studio exquisita, sed ultronea se præbeat. Episcopus ante id temporis ab Alexandrinis occisus Proterius fuit, de quo vide Baronium ad annum* 457. *Anazarbus minoris Ciliciæ urbs primaria quater terræmotu diversis annis concussa narratur ab Evagrio lib.* 4. *cap.* 8. *Justino regnante quassatam Augustus ipse resti-*

restituit, & Justinopolim appellavit. Cæterùm Historiam à Maximiano conscriptam, quam hìc Noster ex Hieronymo, Orosio, aliisque Scriptoribus collectam fuisse tradit, variosque in libros dispertitam, alibi sub Annalogiæ nomine laudat, eâque potissimùm utitur, sicut & Paulo Diacono, cùm de spectantibus ad profanam Historiam scribit. Hic eandem Chronicon fuisse dicit non modò Imperatorum, sed & Regum, & Præfectorum.

X. Ex his, quæ subsequuntur ad secularem historiam, sed & ad Ecclesiasticam spectantibus, aliqua ad Maximiani ætatem pertinent, alia pro more προληπτικῶς sunt dicta. Ex Agathiæ Historia lib. 1. petenda, quæ ad Narsetis victorias hìc indicatas spectant post Thejæ mortem, Cumarum videlicet obsidio, Luca recepta, reliqui de Gothis, Francisque triumphi. Ea autem omnia, quæ ab Agnello de Narsete narrantur, post Maximiani obitum evenerunt, ex quo Fori Cornelii restitutam civitatem per Antiochum Præfectum Agathiæ laudatum, discimus. Maximiano ad meliora translato, accidisse puto, quæ de Manichæorum Ravennæ cognitá, suppressâque hæresi hìc dicuntur. Pelagii I. Pontificis mors non nisi post Maximiani ætatem Agnello Episcopo sedente accidit. V. C. Papebrochius in Conatu tradit eundem, postquam sedisset annos IV. menses X. dies XVIII. à priori qualicumque electione anno XI. mortuum, scilicet 561. die 2. Martii. Noster diem ejusdem emortualem signat tertium. Ait verò hanc evenisse post tres annos à Manichæorum cæde, quare illi multati fuerant circa annum 557. Agnelli Episcopi quarto, prodigium enim ruboris in Cœlo apparentis ad undecimam Novembris anni 560. spectat. Aliud prodigium aëreum ex charactere feriæ secundæ cùm die 25. Julii concurrente anno 567. deputandum est Cyclo Solis XVI., Lit. Dom. B. Veronam à Narsetis exercitu occupatam cum Brixia memorat Theophanes Indict. XI. idest ad annum 563. his; eodem etiam anno mense . . . . . . Victoriæ triumphales nuncii Româ Constantinopolim delati pervenerunt Narsetem videlicet Patricium duas urbes munitissimas Veronam, & Brixiam à Gothis recepisse.

XI. Chrismataria duo à Maximiano Ecclesiæ donata, majoris certè molis, quàm vascula sacro chrismati servando, quæ hodie adhibentur, ostendit pondus alterius, quatuordecim videlicet librarum. Inscriptio uni apposita probat tantùm ad usus Fidelium facta, at quisnam usus is esset, vix divinare liceat. Duchangius ex Rubeo in Glossario Latinitatis vasis nomen adnotavit, sed nil præterea de usu. Anne in Baptismate, extremaque Fidelium unctione amplior quàm modò chrismatis usus? Reliqua dona Ecclesiæ collata ab Maximiano ejusdem magnificentiam commendant, epigraphes verò inscriptæ humilitatem, animique moderationem ostendunt, qui se ubique à Domino de stercore elevatum profitetur. Quo loco Polæ natus sit ignoratur, at liberaliorem educationem ejus acta, & scripta testantur. Quæ de Thesauro invento à Maximiano, & ex parte Justiniano oblato narrantur, infelicissimè à Ravennatibus schismate infectis conficta arbitror. Indigna ea sunt, quæ narrentur de Sanctissimo Episcopo, quem inter Cœlites relatum catholica Ecclesia veneratur. Porrò ejus fabulæ finis, ut Pallium ab Imperatore per Ravennates petitum, & ab eodem collatum narraretur. Vide quæ in Præfatione adnotavimus. De Endothibus satìs supra ad S. Victoris vitam. Libros ad Ecclesiasticam Lyturgiam, & Psalmodiam, quibus per ea tempora Ecclesia Ravennas utebatur ex hoc loco novimus, videlicet veteris Testamenti, quæ septuaginta verterunt, & novum ex Hieronymi versione, adhibitis Augustini lucubrationibus, Missalia (quorum hìc nomen antiquissimum, quod legerim) per totum anni circulum. In his ritus Missarum, & ita ferè usque ad undecimum seculum Missalia non Evangeliorum, & Epistolarum lectiones, ut postmodum, continebant, sed Missæ ritum cuique diei proprium, quod observarunt viri docti, & docet vetus Missale in Cassinensi Bibiliotheca servatum. Ita & antiqui Codices, in quibus Gelasianus Ordo, quos ex Reginæ Christinæ Bibliotheca publici juris fecit doctissimus P. Thomasius, quique modo asservantur in Vaticana, ubi eosdem humanissimè exhibuit mihi evolvendos D. Zaccagnius ejusdem Bibliothecæ modò Custos. Volumen aliud ingens ex duodecim libris compositum, quod Romam asportatum lamentatur Agnellus, minimè arbitror Ecclesiasticis officiis deputatum, sed aliud insigne quodpiam Maximiani opus fuisse indicari videtur, ex eo quòd in Libros distingueretur.

XII. Ex Maximiani probitate, occasione arrepta suorum temporum corruptos mores insectando ad Petronacis ætatem transit, ut S. Episcopi ossa ex humili loco in digniorem translata ennarret. Ex hoc autem, & ex aliis hujus operis locis apparet post Petronacis Ravennatis Episcopi tempora, hæc ab Agnello conscripta fuisse, quod notavimus in Observationibus ad carmina operi toti præfixa n. 5., ubi & de ejus translationis tempore. Porrò hìc se, & decimo loco inter Ravennatis Ecclesiæ Sacerdotes sedisse, & Architectonicæ peritum satìs commendat ejus translationis narrandæ occasione. Sicli vox ad significandam Lagenam, sive Urceum aquæ extrahendæ adhiberi solitum adhuc apud nos perseverat in Secchio immutata. Gothicæ hinc originis eam dicere pronum est.

VITA

VITA SANCTI AGNELLI.

CAPUT PRIMUM.

Agnellus primùm conjugatus, & miles, inde Diaconus. Moriens Neptem hæredem scribit.

DE SANCTO AGNELLO XXVII.

AGnellus XXVII. rubicundam habuit faciem, plenam formam, modicos in superciliis pilos, rubeam capitis cutem, erectos oculos, duplicem sub barba habuit mentum. Hic verò æqualis staturâ, pulcher in corpore, perfectus in opere, sed post amissam conjugem relicto *militare* (1) cingulo, se totum Deo obtulit, atque donavit. Temporibus Ecclesii *Episcopi* (2) Diaconus consecratus est, servivit in Ecclesia B. Agathæ, unde Levita fuit, & ipsam Ecclesiam in titulo habuit, domusque ejus hærebat suprascriptæ Ecclesiæ muro, quam nos cognovimus, usque in præsentem diem. Ex nobili ortus prole, diversis possessionibus, & animalibus locuples, abundans opibus. Hic ad finem vitæ cùm circa vicinam esset mortem, Neptam suam (3) filiæ suæ post funus matris hæredem reliquit, quam inter cæteras divitias quinque ornamenta mensæ vasculorum argentea relinquens. & multa alia, quæ nobis per diveesa discurrere opus non est *divitias* (4), mors intervènit. Sed quærendum nobis est, cur iste conjugatus talem egregiam obtinuit Sedem. Si intelligatis auctorem Apostolum dicentem; unius uxoris virum, & filios habentem, Episcopus ordinari. Rectâ providentiâ, cùm & hoc Canones præcipiant. Sed redeamus ad ordinem, & de mulieribus postea disputemus.

CAPUT SECUNDUM.

Gothorum Ecclesiæ, & res à Justiniano Ravennati Ecclesiæ donantur. Plures earum recensentur. Singularia de Ecclesia S. Martini. Picturæ in ea extantis mystica interpretatio.

TEmporibus istius (5) Justinianus rectæ fidei Augustus, omnes Gothorum substantias huic Ecclesiæ, & B. Agnello Episcopo habere concessit, non solùm in urbibus, sed in suburbanis villis, & viculis etiam, & templa, & aras, servos, & ancillas, quidquid ad eorum jus, vel ritum Paganorum pertinere potuit, omnia huic condonavit, & concessit, & per Privilegia confirmavit, & corporaliter per Epistolam tradi fecit, ex parte ita continentem; *S. Mater Ecclesia Ravenn. verè mater, verè orthodoxa, nam cæteræ multæ Ecclesiæ falsam propter metum, & terrores Principum superinduxerunt doctrinam: Hæc verò & veram, & unicam Sanctam catholicam tenuit fidem, nunquam nutavit, vel fluctuationes sustinuit, à tempestate quassata*

A *immobilis permansit*. Igitur iste Beatissimus omnes Gothorum Ecclesias reconciliavit, quæ Gothorum temporibus, vel Regis Theodorici constructæ sunt, quæ Arianâ perfidiâ, & hæreticorum *sectâ* (6) doctrinâ, & credulitate tenebantur. Reconciliavit Ecclesiam S. Eusebii Sacerdotis, & Martyris, quæ sita est non longè à campo Coriandri extra urbem Id. Novembris, quam ædificavit Unimundus Episcopus anno XXIII. Theodorici Regis absque fundamentis. Similiter & Ecclesiam B. Georgii reconciliavit temporibus Basilii Junioris, sicut in ipso relegitur Tribunali. Reconciliavit Ecclesiam B. Sergii, quæ sita est in civitate Classis juxta viridarium, & B. Zenonis in Cæsarea. Infra urbem verò Ravennam Ecclesiam S. Theodori non longè à domo Droëdonis, quæ domus unà cùm Balneo, & Sancti Apollinaris Monasterio, quod in superiora domus structum Episcopium ipsius Ecclesiæ fuit. Et ubi nunc est Monasterium Sanctæ, & semper Virginis intemeratæ Mariæ, fontes prædictæ Matricis Ecclesiæ fuerunt. Sed de hoc *fero* (7) nomine *cosmedim* quod latinum fit (unde non solùm Latini, sed & Græci aliquantas altercationes inter se habuerunt) nam sine omni reprehensione *cosmi* idest ornata, unde & mundus apud Græcos *cosmos* appellatur. Igitur reconciliavit Beatissimus Agnellus Pontifex infra hanc urbem Ecclesiam S. Martini Confessoris, quam Theodoricus Rex fundavit, quæ vocatur Cœlum aureum, tribunal, & utrasque parietes de imaginibus Martyrum, Virginumque incedentium tessellis decoravit, suffixa verò metalla gypso aurea super infixit, lapidibus verò diversis parietibus adhæsit, & pavimentum lythostratis mirè composuit. In ipsius fronte intrinsecùs si aspexeritis Justiniani Augusti effigiem reperietis, & Agnelli Pontificis auratis decoratam tessellis. Nulla Ecclesia, vel domus similis in laquearibus, vel in trabibus isti. Et postquam consecravit, in ipsius Confessoris Episcopio (8) epulatus est. In Tribunali verò si diligenter inquisieritis supra fenestras invenietis ex lapideis literis exaratum ita; *Theodericus Rex hanc Ecclesiam à fundamentis in nomine Domini nostri Jesu Christi fecit*. De prædicta verò Ecclesia, cur latis stratis sic communita sit, sicut audivimus, nunciemus. Erat quidam illo tempore non perfectè orthodoxus Rex Vandalorum tempore, qui ex ipsa voluisset Ecclesia pavimenta eruere, & ad suam propriam deportare sedem. Nam quidem dum omnia pa-

(1) *militiæ*. Mur.
(2) *Archiepiscopi*. Mur.
(3) *filiam*. Mur.
(4) fortè *diuturs*, idest *serius*. Bacch.
(5) *Justinianus Imperator concessit omnes substantias Gothicas Agnello Archiepiscopo*. Bacch.
(6) fortè *sæva*. Bacch.
(7) idest *sentio*. Bacch.
(8) *ibidem*. Mur.

rata ad evellendum lastras fuissent, subitò turbine dies tenebrosus fuit, nocte verò ipsius subsequentis diei ventus validus per ipsam Ecclesiam discurrebat, mugitus ferens secum validos. Sonitus factus est ingens per totam ipsius Ecclesiam. Tunc verò omnes exinde concrepuerunt marmores, ac si à Malleatoribus fractæ, ac comminutæ fuissent; tamen hoc intueri potestis in pariete. Ibi verò, ut dixi, duæ factæ sunt civitates. Ex Ravenna egrediuntur Martyres parte virorum ad Christum euntes; ex Classe Virgines procedunt ad Sanctam Virginem Virginum procedentes; & Magi antecedentes munera offerentes. Sed tamen cum variis vestimentis, & non omnes unum indumentum habuissent depicti sunt, idcirco quia ipse divinam Pictor secutus est Scripturam. Nam Gaspar aurum obtulit in vestimento hyacinthino, & in ipso vestimento conjugium significatur. Balthasar thus obtulit in vestimento flavo, & in ipso vestimento virginitatem significat. Melchior mirrham obtulit in vestimento vario, & in ipso vestimento pœnitentiam significat. Ipse qui prævius erat purpurato sago indutus, & per eundem, significat ipsum Regem natum, & passum. Qui autem in vario sago munus nato obtulit, significat in eodem omnes languidos Christum curare, & variis injuriis, & diversis Judæorum verberibus flagellari. Scriptum de illo est; *ipse infirmitates nostras suscepit, & languores portavit, & putavimus eum tamquam leprosum*, (1) & post; *vulneratus est propter peccata nostra, affixus est propter scelera nostra*. Qui verò in candida munus obtulit, significat eum post resurrectionem in claritate esse divina, sicut enim illa tria pretiosa munera divina in se mysteria continent, idest per aurum opes regales, per thus Sacerdotis figuram, per mirrham mors intelligitur, ut per omnia hæc ostenderent eum esse, qui iniquitates hominum suscepit, idest Christum; sic & in sagis eorum, ut diximus, tria hæc dona continentur. Quare non quatuor, aut non sex, aut non duo, nisi tantùm tres ab Oriente venerunt? Ut significarent totius Trinitatis perfectam plenitudinem, ex quorum amore iste Beatissimus Agnellus partem *Endothis by finæ*, (2) unde superiùs fecimus mentionem, quam Maximianus Prædecessor ipsius non explevit. Iste Magorum historiam perfectè ornavit, & sua effigies mechanico opere oculis inserta est.

CAPUT TERTIUM.

Fons ad B. Martini reconciliatus, & ornatus. Crux argentea. Rus Argentæ acquisitum. Ecclesia Sancti Georgii fundata. Secularia quædam. Agnelli obitus. Epitaphium.

Fontesque in Beati Martini Ecclesia ipse reconciliavit, & tessellis decoravit; sed Tribunal ipsius Ecclesiæ nimio terræmotu exagitatum, Johannis Archiepiscopi temporibus quinti junioris confractum, ruit. Post ædificia cameram coloribus ornavit. Fecit Beatissimus Agnellus Crucem magnam de argento in Ursiana Ecclesia super sedem post tergum Pontificis, in qua sua effigies manibus expansis orat.

A Adquisivitque rura in Ecclesia Ravennæ argentea, quæ dicitur, & infra ipsius ruris Monasterium Beati Georgii à fundamentis ædificavit. Sed in senectute positus, & sua effigies mirè tabulâ depicta est, & ante introitum ipsius Monasterii versus metrici, quos non potui clarè videre. In diebus istius expulsi sunt Franci de Italia per Narsetem Patricium. Et post hæc apparuit stella Comis mense Augusto usque in Kal. Octobris. Et mortuus est Justinianus Augustus Constantinopoli quadragesimo anno Imperii sui, & luctus ingens ubique fuit, & mœror nimis de tali orthodoxo viro. Et apparuerunt signa rubra in Cœlo, & civitas Fano igne concremata est, & multitudo hominum flammâ consumpta est; Castrumque Cesenate incendio devoratum est. Tertio verò anno Justini minoris Imperatoris Narsis Patricius de Ravenna evocitatus, egressus est cum divitiis omnibus Italiæ, & fuit Rector XVI. annis, & vicit duos Reges Gothorum, & Duces Francorum jugulavit gladio. Sub istius Præsulis temporibus abundantia fuit magna, & ordinatio in Populo Italiæ. Monasteria verò in civitate Classis, quæ lateribus, fontique Ecclesiæ Petrianæ juncta sunt S. Matthæi Apostoli, & Jacobi, ipse tessellis ornari jussit. Et invenietis in Camera Tribunæ Apostoli Matthæi continente ita; *salvo Domino Papa Agnello. De donis Dei, & servorum ejus, quæ obtulerunt ad honorem, & ornatum SS. Apostolorum, & reliqua pars de summa cervorum qui perierunt, & Deo auctore inventi sunt. Hæc absida musi*[illegible] *ornata est*. Tempus est claudendi os, & opilari seris. Cruce claves signemus, ne fur veniat apertam inveniat januam, in imo cordis zizaniam non seminet, derideat, & perdat. Ideo pone Domine custodiam ori meo, & ostia circumstantiæ labiis meis; non declines cor meum in verbo *militiæ*, (3) sed adjuva me, ut possim ipsius Agnelli vitam finire, (4) qui obiit die primo Kal Augusti, & sepultus est in Ecclesia S. Agathæ Martyris ante Altarium, & literis marmore exaratis epitaphium super Corpus ejus sic invenies.

D *Pontificis requiem cœlesti munere........* (5)
Agnellus virtute Dei non perdidit illam,
Qui optatam meruit lucis cognoscere pacem,
Corporis ipse sui Templum servatum ut esset.
Justus cum Sanctis Christo mediante (6) *resurget,*
Sic quoque pro meritis gaudet qui talia gessit.

Hic requiescit in pace Agnellus Archiepiscopus, (7) *qui sedit annos XIII. mens. I. dies VIII.*; *qui vixit annos LXXXIII.* (8), *depositus est sub die Kal. Augusti Ind. III.* (9), sedit ann. XIII. mens. I. dieb. VIII.

OB-

(1) *&c.* Mur.
(2) *Endotbim byssinam*. Mur.
(3) *malo*. Mur.
(4) *Sepulcrum Agnelli Archiepiscopi Ravennæ, obiit circa annum Domini DLXVI*. Bacch.

(5) *gessa*. Mur.
(6) *medicante*. Mur.
(7) lege *Episcopus*. Bacch.
(8) Rub. LXXXXIV. *Bacch.*
(9) lege *Ind.* XIV. *Bacch.*

OBSERVATIONES

AD VITAM

SANCTI AGNELLI.

Agnelli Episcopi ætas. Hujus epistola ad Armenium. Titulus ordinati. A Titulo ad Titulum translatio. Ecclesiæ Arianorum. Fons Baptismalis Arianorum Ravennæ duplex. Inscriptio apud Rubeum ab Agnelliana diversa. Secularia ad sequentis Dissertationis examen reservata.

I. DE Agnelli Episcopi ætate plura in præcedenti Dissertatione, ubi epitaphium juxta Rubeo descriptam lectionem, emendandum diximus. Dubitavi tamen, an ætatis anni sincerius in nostro Codice descripti essent, & an retinendi anni 83. pro 94. Si placeat annorum 83. defunctum, fiet in Diaconum ordinatum, cùm excessisset annum quadragesimum secundum; etenim anno 524., quo Ecclesius Episcopus factus est, annum agebat quadragesimum primum. In serie Cleri Felicis Papæ Constitutioni subjunctâ, inter Diaconos, qui Mastaloni adhæserant, postremo loco recensetur. Itaque circa annum 527. relicto militari cingulo, & conjuge prædefuncta, inter Clericos adscriptus fuerat, & Diaconatus ordine insignitus. Juxta hanc hypothesim annum agens ætatis suæ septuagesimum Episcopus est factus anno 553. vegetus adhuc, sanusque, ut ex ejus effigie à Nostro descripta, evincitur.

II. Extat in Bibliotheca Patrum Tom. 6. epistola ad Armenium de ratione Fidei Agnelli hujus. Certum est eos falli, qui Agnellum Episcopum cum Agnello, quem nunc illustramus, confundunt. Cæterùm Agnellum Episcopum Ravennatem discimus olim ab Ecclesio ordinatum Diaconum servisse in Ecclesia B. Agathæ, unde Levita fuit, & ipsam Ecclesiam in titulo habuisse. Rubeus Præfectum Agnellum tradit Ecclesiæ S. Agathæ. Faber italico sermone idem importat, illum ejus Ecclesiæ Custodem adhibitum dicens. Sanè in titulo Ecclesiam habere idem est, ac ad ejus Ecclesiæ titulum ordinari; minimè tamen qui ad titulum alicujus Ecclesiæ ordinabantur, ejus Ecclesiæ Præfecti, seu Custodes ob id fiebant; ordinabantur enim ad certæ Ecclesiæ titulum non modò Diaconi, & Subdiaconi, sed & inferiores Clerici Acolyti, Lectores, Cantores. In veteri Codice Bibliothecæ Casinensis n. 451. legi ea ferè, quæ Hitorpius publici juris fecit ad sacros ritus spectantia. In ordine qualiter in Romana Ecclesia Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi eligendi sunt, ante antiphonam ad introitum, annunciat Pontifex in populo dicens, auxiliante Domino Deo, ac Salvatore Nostro Jesu Christo eligimus in ordine Subdiaconi, Diaconi, seu Presbyteri, Acolytum, Subdiaconum, Diaconum, de titulo illo, ad titulum S. Mariæ illum, ad Ecclesiam, quæ est in Pago illo, vel Monasterium illud. Si quis autem &c. Alligabantur itaque Ordinati omnes certis Ecclesiis, quibus servirent, sed earundem singulis Presbyter præficiebatur, qui res sacras ageret, & plebem instrueret inferiorum Ordinum ministerio adjutus. Diaconi autem, Subdiaconi, Acolyti, cæterique ad superiorem Ordinem promoti à titulo ad titulum transferebantur.

III. Gothis subactis Arianos cum suis Episcopis Ravennâ abiisse patet, quorum bona, & Ecclesiæ Justiniano jubente Ravennatis Episcopi juri accessere. Imperatoris Divali, ut dicebatur, epistolâ id actum est, ex qua verba nonnulla Noster excerpsit, quibus Ravennas Ecclesia à Catholicæ Fidei sinceritate sub Ariano Rege servata laudatur: ex Nostro eadem descripsere Spretus, Blondus, & Rubeus, at in nonnullis diversa. Sanctorum, quorum nominibus Ecclesiæ, quæ quondam Arianorum fuerant, dicatæ Deo recensentur, cultus in earum reconciliatione habitus significatur; aliàs qui credi potest Arianos, vel Divi Martini Turonensis, vel S. Eusebii Sacerdotis, & Martyris sive Samosatenus, sive Vercellensis is fuerit, nominibus, Ecclesias suas Deo dicasse? Ecclesias hujusmodi destructas dicit Faber exceptis S. Mariæ in Cosmedim, ac S. Martini in Cœlo aureo, qui priorem describit, de altera autem silet. Rubeus hujus musiva jam tum sua ætate decidentia, & ad breve tempus duratura (1) scribebat. Quæ hic Noster narrat de Rege Wandalorum non perfectè orthodoxo, qui strata pavimenti marmorea asportanda curaverit, & miraculo sit impeditus, non video cui ætati sint aptabilia, & quantùm veritati nitantur. Duplicem Baptismatis fontem Ravennæ habuisse Arianos hinc patet, unum ad S. Theodori, ubi domus Driedonis pro Episcopio fuit cum Balneo, ubi postmodum Oratoria S. Apollinaris, & S. Mariæ in Cosmedim ædificata fuerunt, alterum ad S. Martini, quem Agnellus Episcopus reconciliavit, & tessellis ornavit, cujusque Tribunal, sive Tribuna sedente Johanne ejus nominis V. terræmotu concussa ruit. Magnifica dona Ursianæ Ecclesiæ tributa ex observatis ad S. Maximiani vitam lumen mutuantur. De rure argenteo actum in vita S. Exuperantii. Ad latera fontis Ecclesiæ Petrianæ duo sacella, sive, ut is ait, Monasteria musivis ornata narrantur, dictaque unum S. Jacobi, alterum S. Matthæi nomine. Hujus inscriptio postremis verbis quid significet divinare vix liceat, fortè bona, Ædesque post Arianos ejectos receptæ, ex quibus cultus Deo accessit, indicantur. Inscriptionem hanc descripsit Rubeus, sed diminutam, & alicubi diversam, utì ubi habet; hæc sub Abside in ossibus exornata est, pro eo quod in nostro Codice legitur; hæc Absida musivo exornata est.

IV. Quæ spectant ad secularem Historiam in hac Agnelli vita relata, in sequenti Dissertatione examinanda sunt. Illud peculiare habent, quod ex Scriptoris mente videatur omnia Agnello Episcopo sedente accidisse; id important illa; in diebus istius, sub istius Præsulis temporibus, & similia. Id quàm verum sit, ex dicendis patebit.

(1) Extant adhuc. Vide Ciampinium in Musivis p. 2. Bach.

DISSERTATIO
CHRONOLOGICO-HISTORICA
DE ÆTATE
Petri Senioris, Johannis, Mariniani, & Johannis utriusque.

CAPUT PRIMUM.

Rubeo, & Agnello diversè tradita laudatorum Episcoporum ætas. In certa capita argumentum dividi, & pertractari debere.

I. *Rubei, ut & hic fiat, quod in præcedentibus Dissertationibus factum est, sententia tradenda, à quo recentiores recedere nefas duxere. Is itaque Agnellum Episcopum mortuum anno 566. Kal. Augusti cùm tradidisset, Petrum electum ait anno 568. XVII. Kal. Octobris. Hunc verò tradit obiisse circa annum 575. XVI. Kal. Septembris. De tempore, quo sequentes Episcopi sunt ordinati nil certi afferens, obitus tantùm eorundem designat, Johannis videlicet anno 595. III. Idus Januarii, Mariniani anno 606. X. Kal. Novembris, Johannis (utrumque enim unum fuisse arbitratur) ætatem usque ad annum 630. promovet.*

II. *Quæ de his Noster exhibet hæc ferè sunt; Agnellum depositum Kal. Augusti Ind. III., quod corrigendum ostendimus, & reponendum Ind. XIV. anni 566. Petrum secunda Indictione* consecratum Romæ absque jejunio *XVII. Kal. Octobris, obiisse XVI. Kal. Septembris, & sedisse annis VIII. mens. II. dieb. XIX. Johannem defunctum die XI. Januarii, postquam Episcopatus infulas gessisset annis XVI. mens. I. dieb. XIX. Marinianum decessisse X Kal. Novembris. Johannem Mariniani successorem sedisse annis V. mensib. X. dieb. XVIII. Johannem verò alterum annis XVIII. mens. VI. dieb. VIII. Singulorum verò vitis plura adnectit ad secularem Historiam spectantia ex Pauli Diaconi libris, quos de Langobardorum gestis habemus, ferè descripta. De his, ut quantùm fieri potest, Chronologiam ad hosce Episcopos spectantem digeramus, agendum est; etenim aliàs plura satis implexa extricare vix sperandum, cùm & Agnellus sua habeat, in quibus implicatur, vel decipitur, & in numeralibus notis multa Exscriptoris vitio insanabiliter laborent. In eo turpiter lapsum hic Agnellum ante omnia lubet adnotare, quòd Petrum hunc cum Petro Symmacho Romano Pontifici coævo confundens, eum in urbis Synodo sedisse tradit. Ut autem reliqua clarè, quo ad fieri poterit, ordine aliquo digeramus, de singulorum Episcoporum ætate distinctè, & per capita agendum reor.*

CAPUT SECUNDUM.

Petri senioris ordinatio ab ejusdem electione distinguenda. Diuturnioris interpontificii causa. Johannis Episcopi initia. S. Severi Basilica restituta. Inscriptio ad eam rem spectans. Johannis obitus certo tempori assignatus.

I. *Certis adeò characteribus Petri senioris ordinatio explicatur, ut de eadem dubitari nequeat.* Iste, *inquit Noster*, secunda Indictione

A consecratus est Romæ absque jejunio XVII. Kal. Octobris. *Indictio secunda à die prima Septembris anni 568. decurrere cœperat, & dies 15. ejusdem mensis Sabbatum fuit Cyclo Solis XVII. Litera Dominicali A. G. Ordinatus dicitur absque jejunio, idest ante jejunium septimi mensis, quod sequentis, seu intrantis hebdomadæ diebus futurum erat. Ad vesperam, itaque eius Sabbati ordinatus est Petrus, jam enim invaluisse crediderim morem, de quo vetus Ordo Romanus à Mabillonio editus de Gradibus Romanæ Ecclesiæ, ut Episcopi* nocturno tempore benedicerentur, *nocte videlicet Dominicam diem præcedente. At de hac re aptiùs nonnulla adnotabimus infra ad Petri hujus vitam. Cùm autem ordinationis Petri diem, mensem, annumque certum habeamus, & Prædecessorem obiisse statutum*

B *sit anno 566. longius interpontificium duorum annorum, & mensis unius cum dimidio admittere cogimur, indeque adigimur perscrutari, qui potuerit is annis 8. mens. 2., & diebus 19. sedere, quod scribit Noster.* Fundavit idem Ecclesiam B. Severi Confessoris Christi, sed mors sibi interveniens reliquit, *inquit Agnellus. Item in vita Successoris*; post B. Petri amissionem opus inconsummatum, quod reliquerat, idest Ecclesiam B. Severi, iste consummavit, & usque ad effectum perduxit. *Porrò Rubeus veterem Inscriptionem exhibet, quæ olim extabat, quæque hic describenda est; annum enim exprimit, quo Ecclesiæ illi coronis est imposita.*

C Multorum lucens divino fabrica cultu
Esse Sacerdotem, se manifestat opus.
Cœperat egregius hoc Petrus condere Pastor,
In quo nescit eum mors retinere virum.
Sed quæ tecta senex nec dum perfecta reliquit,
Romæ vir natus hocce peregit opus.
Successor prudens Petri, Pastorque Johannes,
Qui, quod inest tanto, tulit honore decus.
Ipse Pater Populi veniens Romanus ab urbe,
Digna suis meritis hæc monumenta dedit.
Hæc est prisca domus Sancto renovata Severo,
Cujus honore Deo psalluntur Cantica vero.
Quingentis Domini sub denis septies annis
Ampliùs his quinque, bone Lector, in ordine junge
(1) Virginis à partu, quæ peperit absque reatu,

D Imperium retinente secundo Justiniano
Annis undenis regnando vivus in Orbe.

II. *Placet hic illud animadvertere non unam Inscriptionem hanc esse, sed in uno lapide duas, quarum secunda recentior admodum priori est. Id evincit Leonini nonnihil in ea resonans, modus numerandi à partu Virginis, & stribiligo inspersa, qua, ut versus sibi constet, Justinus inter cætera Justinianus dicitur. His tamen non obstantibus, quæ ad chronologiam pertinent, cuncta invicem congruere arbitror; etenim invictis rationibus demonstra-*

(1) hic Versus à postremo loco in hunc restitutus est. *Bacch.*

*monstravit C. V. Pagius Dissert. Hypat. part. 3. nu. 1. & seqq. Justini imperantis initia ad Novembris finientis dies anni 565. spectare. Post diem itaque quartam decimam Novembris anni 575. numerari cœperat ejus Imperii undecimus. Igitur postremis anni illius diebus Basilica S. Severi finita fuerat à Johanne, qui proinde jam Pontifex sedebat, Petro ad meliora translato. Mortuum proinde arbitror eundem ipso anno 575. XVI. Kal. Septembris. Ut autem anni, quibus ex Agnello sedisse dicitur, subsistant, electio ab ordinatione distinguenda est. Ita electus anno 567. die 28. Maii, ordinatus anno 568. die 15. Septembris, mortuus die 16. Augusti anni 575., sederit ab electione quidem, ut Agnellus numerat, annis VIII. mensibus II. diebus XIX., ab ordinatione verò annis VI. mensibus XI. Causa, cur ab electione ad ordinationem sexdecim ferè mensium mora interfluxerit, ex eo petenda est, quòd Petri electio, & Agnelli Prædecessoris mors tunc accidit, cùm mox omnium Exarcharum primus Longinus anno ipso 575. Ravennam mitti debebat. Facta electione mittebatur de ea re Constantinopolim nuncius, & expectanda erat Principis jussio, ex quo non modò hujus, sed & præcedentium inter Pontificiorum mora longior est, quàm in subsequentibus. Etenim constituta Exarcharum Ravennæ consistentium Sede, non ab Constantinopoli expectandus erat Imperatoris consensus, sed ab ipso Exarcha præstabatur. Id & in Summorum Pontificum chronotaxi observatum viris doctis, licèt seriùs ab Exarchis Ravennatibus expetitum consensum probent, quæ de magni Gregorii electione narrantur in ejus vita à Johanne Diacono, & ejusdem Pontificis epist. 4. libri primi ad Johannem Constantinopolitanum Episcopum, aliæque in Regesto legendæ. In Ravennati autem Ecclesia jussio Principis ab Exarcha præstita est statim ac Exarchæ cœpere Ravennæ degere, quod primùm factum est obeunte Petro in Johannis electione. Obtinuisse autem jam tunc non modò in Ravennatis Episcopi, sed & in Romani Pontificis ordinatione, ut expectaretur Principis jussio, constat ex Anastasio, qui in Pelagio II. notat, eum Pontificem or*dinatum absque jussione Principis, eo quòd Longobardi obsiderent civitatem Romanam. *Hæc enim verò ferenda erant per ea tempora, quibus Italia à Langobardis occupari cœpta efficiebat, ut de suo jure admodum solicitus esset Imperator. Petro itaque electo, misso de ea re nuncio Constantinopolim, dilata est ordinatio ejusdem, quousque ingruentibus circum circa Langobardis, Longinus primus Exarcha cum opportuna auctoritate missus, ipso anno 568. veniens, assensu Imperatoris nomine præstito, Petrus Romæ est consecratus.*

III. Johannis, qui Petro seniori successit, initiis ad diem certam constituendis, nulla aptior, probabiliorve via haberi potest, quàm in anni, diei-que, quo obiit, inquisitionem incumbendo. Diem ex Agnello habemus, undecimam videlicet Januarii; annum Magni Gregorii epistolæ indicant. Etenim certò certiùs constat obiisse illum Indict. XIII., in cujus Februario datas habemus epistolas 64. Johanni Episcopo Squillatino, & 65. Clero, Ordini, & Plebi consistentibus Ravennæ. In hac enim infrascripta leguntur; vestri Antistitis obitum cognoscentes, curæ nobis fuit visitationem destitutæ Ecclesiæ Fratri, & Coëpiscopo nostro Severo Paulino solenniter delegare, cui dedimus in mandatis, ut nihil de provectionibus Clericorum, redditu, ornatu, ministeriis à quoquam usurpari patiatur. *Igitur die undecima præcedentis Januarii anni 595., quo Indict. XIII. currebat, Johannes defunctus fuerat. His habitis, ad tempus sedis idem ab Agnello tributum convertendus est sermo, cujus characteres facilè ab Exscriptoribus corrupti deprehenduntur. Anni enim non XVI., sed XIX. numerantur à 575. ad Januarium 595. Retentis itaque diebus 19, & mense uno, assumptisque loco annorum 16. annis 19., retrocedendo ab emortuali Johannis die undecima Januarii anni 595., eàque non computatâ, devenitur ad diem 23. Novembris anni prædicti 575. aptam Episcoporum ordinationibus, Sabbati videlicet, Cyclo Solis XXIV., Literâ Dom. F. Basilica itaque D. Severi penè refici finierat, cùm Johannes ordinatus, & intra mensis spatium ante anni finem, juxta præmissæ Inscriptionis tenorem, est completa. Hæc autem ex secularium rerum Agnello in cujusque Episcopi vita narratarum examine manifestam lucem accipient.*

CAPUT TERTIUM.

Langobardorum in Italiam ingressus. Narsetis mors. Epocha Regni Langobardici diversa ab Epocha eorundem in Italiam ingredientium. Sigonius à Camilli Peregrini censura vindicatus.

I. AD Petri senioris ætatem hæc ferè ab Agnello narrantur spectantia. Anno, quo ille ordinatus est, Venetias à Langobardis invasas, & occupatas. Anno Justini quinto boum interitum, Tusciam armis obrutam, Ticinum obsidione cinctum, & à Longino Exarcha Cæsaream palis munitam. Narsetem Romæ obiisse. Alboinum Uxoris dolo interemptum. In hæc omnia inquirendum. Ingressum Langobardorum in Italiam narrat Paulus Warnefridi mense Aprili Ind. I. alio die post Pascha, cujus festivitas eo anno juxta calculi rationem ipsis Kal. Aprilis fuit, cùm jam à Domini Incarnatione anni 568. essent evoluti. *Constat hæc omnia anno 568. vulgaris Epochæ à Christi Natali convenire, quo Ind. prima Pascha Kal. Aprilis celebratum est, Cyclo Lunæ XVIII., Solis XVII, Lit. Dom. A. G. Respondent etiam calculi à Rubeo, & à Baronio initi ex epistolis Gregorii ad Constantiam Augustam, & ad Phocam Imperatorem. At Agnello repugnat, quod Rubeus inquit;* Longinum *videlicet* ad excipiendos, ac impediendos potiùs Langobardorum impetus priore anno in Italiam Exarchum venisse. *Agnellus siquidem in præcedenti vita narrat, Longino Ravennam veniente, Narsetem ea egressum tertio Justini anno cœpto à Novembri 567., & consentaneum rerum ordini est, adveniente Longino Petrum Episcopum ordinatum, ut in superioribus observavimus.* Anno quinto Justini, *tradit Noster,* à Langobardis Tusciam devastatam, eosque obsedisse Ticinum. *Annus quintus Justini cœptus est Novembri mense anni 569. Paulus Warnefridi lib. 2. cap. 25. habet, Alboinum Liguriam introeuntem* Indict. III. tertio Non. Septembris, *& statim cap. 26.* Ticinensis, *inquit,* eo tempore civitas ultra tres annos obsidionem perferens se fortiter continuit, Langobardorum exercitu non procul juxta eam ab occidentali parte secontinente. Interea Alboin electis militibus invasit omnia usque ad Tusciam, præter Romam, & Ravennam, vel aliqua Castella, quæ erant in litore maris constructa. *Indictio tertia cœpta Septembri illo, cujus III. Nonas Langobardi Liguriam ingressi sunt, quare Novembri proximo Justini imperantis annus quintus cœpit, cujus Decembri anni ejusdem 569. Ticinus obsideri cœpit. Obsidione autem cœpta, annoque 570. currente adhuc Justini anno quinto, Alboinus usque in Tusciam*

A *sciam excurrit, latèque regionem depopulatus est. Addit Paulus cap.* 27. at verò Ticinensis civitas post tres annos, & aliquot menses obsidionem perferens, tandem se Alboino, & Langobardis obsidentibus tradidit; *& cap.*28. qui Rex, postquam in Italia tres annos, & sex menses regnavit, insidiis conjugis interemptus est. *Infra verò cap.* 31. *Clepham ait regnasse anno uno, & sex mensibus, & tandem cap.* 32. *hæc habet*; per hos Langobardorum Duces septimo anno ab adventu Alboin, & totius gentis, spoliatis Ecclesiis, Sacerdotibus interfectis, civitatibus subrutis, populisque, qui more segetum excreverant, extinctis, exceptis his regionibus, quas Alboin cœperat, Italia maxima ex parte capta, & à Langobardis subjugata est. *Ex his omnibus fit Ticinum circa priores menses anni* 573. *à Langobardis captum. Ait Noster Alboinum Veronæ trucidatum Uxoris operâ* IV. Kal. Julias, *& consentit Paulus, qui Alboinum regnasse ait in Italia tribus annis, & sex mensibus. Computantur itaque regni anni ab initiis Ticini obsessi die* 29. *Decembris anni* 569. *Verùm annorum Justini character apud Agnellum corruptus est, & pro VI. scribi debet VIII., qui decurrere cœperat anno præcedenti* 572. *Alboino extincto statim Clephis Rex dictus est, qui cùm regnasset anno uno cum dimidio, obiit circa finem anni sequentis* 574. *Anno autem* 575., *quo postridie Kal. Aprilis complebatur septimus annus ab ingressu Langobardorum in Italiam, per Duces Italia ipsa latè devastata est, ejusque mense Junio sextadecima die Benedictus Pontifex Romanus ordinatus est. Indicantur hæc ab Agnello, cùm tradit* post fundamenta Ecclesiæ, *S. Severi videlicet, à Petro Episcopo* posita, totam Italiam vexatione maxima exagitatam fuisse, *& Longinum Exarchum* palis *in modum muri suffixis* Cæsaream *munisse. Itaque ante initia anni* 575. *Clepho regnante, fundamenta Ecclesiæ S. Severi posita sunt, & primis* 575. *mensibus* exierunt Langobardi, *inquit Noster, &* transierunt Tusciam, usque Romam, & ponentes ignem, Petram pertusam incendio concremaverunt, & construxerunt prædicti Langobardi Forum Cornelii, & consummata est civitas ab eis.

II. Narsetis mortem consignat Noster circa annum 574., *quem Romæ obiisse tradit in Palatio nonagesimo quinto ætatis suæ anno, & consonat Anastasio, qui eodem anno mortuum Narsetem dicit, quo & Johannes Papa obiit. De ea re plura adjici possent contra Baronii sententiam ad annum* 567., *&* 568., *at procul nimis ab instituto evagaremur. Illud tamen obiter adnotandum, quòd si, cùm Narses defunctus est, annum agebat nonagesimum quintum, non potuit idem esse cum eo, qui militia clarus sub Mauricio vivebat. Corrippo Poëtæ Narses laudatur, qui anno* 566., *& sequentibus Constantinopoli degebat, diversus ab altero, qui eodem tempore senior in Italia clarus habebatur. Uterque tamen pro uno acceptus est à sequioris ævi Græcis Scriptoribus. Agnellus nil de Langobardis à Narsete vocatis; illud tamen ejusdem gloriæ minimè favens, quòd Romanorum inde decora deleta, & divitiæ direptæ dicuntur. At de his ex occasione, satis.*

III. Ex dictis constare puto de duplicis Epochæ constituendæ necessitate, unâ quidem ab ingressu Langobardorum in Italiam, alterâ ab Alboini in Italia regnantis initiis, quarum prima diei secundæ Aprilis anni 568., *secunda diei* 29. *Decembris anni* 569. *alligatur. Aliàs confusè omnia traderentur. Nec enim exempli gratiâ mirum, quòd eâ Epocharum distinctione neglecta, Baronius ad annum* 571. *Alboini mortem referat, licèt ibidem ex Pauli Diaconi verbis agnoscat trucidatum illum, postquam Ticinum receptum fuerat, elapsis obsidionis tribus annis, & aliquot mensibus, & regnantis Alboini tribus annis cum dimidio, ac præcedenti anno Alboinum, & Langobardos III. Non. Septembris Ind. III. in Liguriam ingressos. Vindicandus tamen hìc celeberrimus Mutinensium lumen Carolus Sigonius, cui, ob laudatam Epocharum distinctionem, diem dicit alter doctissimus Scriptor Camillus Peregrinus, Baronii calculos secutus in comparatione annorum Ducum Beneventanorum à Zottone omnium primo ad Arichim ejus nominis secundum pag.* 262. *Sigonium, is ait, in Regno Italiæ tradentem, Antharit Regem salutatum anno* 585., *decipi*; quoniam Paulum, laudatumque à se Landulphum pravè interpretatus, Alboini annos tres cum dimidio ab anno ducendos putavit 570., qui computandi fuerant ab anno 568. *At clara adeò sunt, quæ in superioribus adnotavimus de tempore, quo Alboinus in Liguriam ingressus à Paulo dicitur, de Ticinensi Urbe obsessa per annos tres, & aliquot menses, & de Alboini morte, quæ acciderit Ticino occupato, exactisque in Regno annis tribus cum dimidio, ut assensum etiam ab invito extorquere possint, ostendantque perspicuè Epocham Regni planè diversam ab Epocha ingressus Langobardorum in Italiam, efficiantque proinde Sigonio optimè Paulum intellectum, quem immeritò cum Paulo ipso censurâ afficit Peregrinus. Constat præterea Antharit anno* 591. *obiisse ex magni Gregorii epist. Ind. IX., qua Rex ille annum sextum in Regno compleverat, teneri cœpto* 585., *ut Paulus tradiderat. Hinc rationibus initis ad initium Regni ab Alboino primùm suscepti, devenitur retrocedendo ad postremos Decembris dies anni* 569., *quibus cœptum est Ticinum obsidione vallari. Cùm Paulus itaque probè cum magno Gregorio synchrono conveniat, non est cur à traditis per eundem recedatur. Agilulphum etiam Regem creatum dicit eodem anno, quo Antharit mortuus est, mense videlicet Novembris, & in Paschate sequentis anni confirmatum. Idem ex Gregorio elicitur, qui ep.* 17. *lib. primo datâ Decembri mense Antharit mortuum dicit, quod Paulus Nonis Septembris consignavit. Ipse autem Gregorius ep.* 32. *lib.* 2. *ad Johannem Ravennatem Episcopum Ind. X. Julio mense, anno videlicet* 592., *Agilulphum Regem Neapoli imminentem innuit cum Aroge. Aroges Rex, Agilulphus, Arnulphus corruptè ibidem scripti, ut viris doctis compertum.*

IV. At Epochas hujusmodi omnino distinguendas esse perspicuè demonstrandum iri censeo, si ratio à Peregrino inita in disponendis Ducum Beneventanorum annis consideretur, quandoquidem non distinctâ Regum Epochâ ab altera ingressus in Italiam, impossibile est, servatis annorum spatiis cuique Regi à Paulo assignatis, ad annum 663., *quo regnare cœpisse Grimoaldum Peregrinus statuit, devenire. Id, puto, patebit ex infrascripta collatione Pauli, prout à me intelligitur, & ejusdem, prout à Peregrino intelligi debet, confusis Epochis in unam.*

Statuta Regni Langobardici Epocha ad finem anni 569. seu initium 570., quod vult Sigonius.	*Statuta Regni Langobardici Epocha ad annum* 568. *cùm primùm in Italiam ingressi sunt, quod vult Peregrinus.*
Antharit circa initium anni 585. Regnum capessit. Moritur Non. Septemb. anni 590.	*Antharit circa Aprilem anni* 583. *Regnum init. Moritur Non. Septem. anni* 588.

Theo-

Theodelinda in Regem erigit Agilulphũ Septembri mense ejusdem anni.

Agilulphus eodem anno fit Rex mense Septembri.

Agilulphus in Paschate sequẽtis anni 591. Mediolani confirmatur, die videlicet 15. Aprilis, Cyclo Lunæ III., Solis XII., Lit. Dominic. G.

Mense Aprili anni 589. confirmatur in Regem à Langobardis.

Paulus Diaconus lib. 3. cap. 36.

Agilulphus post annos regni 25. mense Septembri finitos moritur anno 615.

Agilulphus post 25. annos mense Septembri finitos moritur an. 613.

Paulus lib. 4. cap. 43.

Adoaldus admodum puer cum Theodelinda matre eodem anno 615. statim à morte Agilulphi regnat.

Adoaldus regnare incipit cum matre eodem anno 613.

Adoaldus, cùm insaniret, postquam cum matre regnaverat annis decem, ejectus est, & Arioaldus substitutus circa Octobrem anni 626., cœpto videlicet Adoaldi undecimo.

Adoaldus eicitur anno 623. cœpto anno undecimo regni sui circa Octobrem.

Paulus lib. 4. cap. 43. videtur annos Adoaldi decem solidos numerare, sicut & duodecim sequentes Arioaldi, nec aliàs chronotaxis staret cum sequentibus mox dicendis. At calculum turbaret Honorii Pontificis summi ordinatio, si ea diei 28. Septembris alliganda esset ami 526., ut contendit V. C. Papebrochius in Conatu, etenim de ejectione Adoaldi, & Arioaldi electione extat ejusdem Pontificis epistola ad Isaacium Exarchum. Aptiùs itaque Sigonius hæc ad annum 625. refert, in cujus Septembri Honorius electus, seu ordinatus sit, quod evincitur ex ejusdem Honorii epistola altera ad Episcopos Epiri datá Idibus Decembris Ind. XIV. Porrò Pontificis ordinatio nullo modo ad Septembrem anni 623. retrahi potest, quod oporteret, si anni Regum Langobardorum numerari deberent ab anno 568.

Arioaldus itaque Rex creatur circa Octobrem anni 625.

Arioaldus creatur anno 623.

Post duodecim annos completos, vel saltem mox complendos, moritur Octobri mense anni 637.

Moritur anno 635.

Paulus lib. 4. cap. 44.

Rothari circa Octobris finem anni 637. regnat.

Rothari regnat anno 635.

Edictũ profert Novemb. mense anni 644.

Moritur cõpletis annis 16., & mensibus 4. sub Martii initium anni 654.

Moritur completis annis 16. mensibus 4. sub Martii initium an. 652.

Rodoaldus penè eodem tempore moritur, cùm regnaverit simul cum Patre annis 5. dies 7. Succedit Aripertus eodem anno.

A *Paulus lib. 4. cap. 44. scribit Rotharim Codicem, quem Edictum vocavit, edidisse anno septuagesimo septimo, ex quo Langobardi in Italiam venissent, currente videlicet à præcedenti Aprili. Edicti characteres Peregrinus ipse profert hujusmodi;* IIX. anno Regni sui Ind. 12. (*legendum est procul dubio secundâ*) mense Novembri (*productâ videlicet usque ad Kal. Januarii, ut aliàs sæpe*) atque anno LXXVII. post adventum Regis Alboini. *Consentit idem designari hic Novembrem anni 644. At ex præcedentibus, octavus Rotharis annus cœptus fuisset Novembri anni præcedentis 642., morsque Rotharis ad annum pertineret 652., nam fatente Peregrino regnavit annis 16., mensibus 4.*

B *Sigonius in diffiniendis annis regni Rodoaldi, & Ariperti à Paulo recedit, & exhibet Edictum Rotharis cum characteribus Pauli Historiæ repugnantibus. Id adnotare placuit, ne partium studiis teneri videamur. Ratio dicendorum efficit, ut nullo modo Rodoaldi regnum à Patris regno distingui possit; eo proinde regnante ea acciderunt, quæ Paulus tradit, quæque aliàs videri possent evenisse post Rotharis obitum. Aliquot tamen menses post Patrem regnasse credo tum, cùm uxorem accepit Gondibergam, quæ adulterii accusata, Carelli Monomachiâ absoluta est, & viro occiso ædificavit Basilicam Ticinensem S. Jo: Baptistæ. Itaque Rodoaldus obiisse intelligendus est circa Septembrem anni ejusdem 654.*

C Aripertus anno 654. circa Septembrem regnare incipit.

Hæc omnia probè suis annis à Peregrino consignantur; at si, confusâ Epochâ ingressus Langobardorum in Italiam, cum altera Regni, calculos adhibuisset, anno uno saltem cuncta anticipasset; etenim.

Moritur anno 661. ad finem vergente, anno regni ejus octavo currente.

Aripertus regnare cœpisset mensibus postremis anno 652.

Bertaridus, & Gadebertus filii succedunt eodem tempore.

Mortuus esset anno 659.

Post annum unum menses tres à morte Ariperti, Grimoaldus Dux Beneventanus regnum occupat, primis nempe mensibus anni 663.

D *Grimoaldus regnare cœpisset primis mensibus anni 662.*

Grimoaldus anno sexto Regni sui mense Julio Ind. XI. auget Edictum Rotharis, anno videlicet 668. Moritur anno 671.

Edictum supplevisset anno 667.

Mortuus fuisset circa annum 669.

De anno, quo Grimoaldus regnare cœpit dubitari nequit, cùm Peregrinus ipse Rotharis Edictum suppletum agnoscat anno 668. ex notis inscriptis legibus Langobardorum editionis Basileensis anni 1557. anno videlicet Grimoaldi VI. mense Julio Ind. XI.

E *V. Hæc observare placuit, ut agnosceretur optimè Paulum à Sigonio intellectum, & ritè duplicem Epocham constitutam, qua distinctione neglecta, ut ritè constituantur anni Rotharis, & Grimoaldi, de quibus dubitari nequit ob extantes in Langobardorum legibus characteres, spatia à Paulo indicata, quibus præcedentes Reges floruere, ampliandi sunt, à quibus tamen se haud recedere velle dixerat Peregrinus. Certè Landulphus aliter intelligi nequit, quàm constitutâ, admissâque duplici Epochâ ubi ait;* Langobardos anno 568. Ind. prima Kal. Aprilis de Pannonia egressos, secundâ in Italia prædari cœpisse, tertiâ dominatum instituisse. *Hæc ad ea ferè, quæ Noster ex seculari Historia in vita Petri Senioris narrat,* obser-

observare placuit. In Johannis vita, cujus sedentis initia, & finem jam in superioribus assecuti sumus, nil horum miscuit. Spectant tamen ad Johannis ætatem, quæ infra in vita Mariniani commemorat de Casinensi Monasterio à Langobardis destructo; qua de re nonnulla paulò infra adjiciemus.

CAPUT QUARTUM.

Marinianus sedet in Romano Concilio anni 595. Annus mortis Magni Gregorii. Rubeus emendatus.

I. PEtri Senioris, & Johannis Ravennatum Episcoporum ætate comperta, nunc Mariniani sedentis tempora illustrari debent. Die undecima Januarii anni 595. postquam Cometes diutiùs visus esset, ut Noster tradit, ex Paulo lib. 4. cap. 11. Johannes mortuus est. Qua die electus, sive ordinatus sit Marinianus, quo obierit, quotove tempore Episcopatum tenuerit silet ubique Agnellus. Illud tantùm tradit X. Kal. Novembris è vivis abiisse. Constat tamen Marinianum quinta die mensis Julii Episcopum sedisse eodem anno 595. in Synodo Romæ habita à Magno Gregorio, nam primus omnium Episcoporum subscribit. Extat autem hæc temporis nota; regnante in perpetuùm Domino nostro Jesu Christo temporibus piissimorum, & serenissimorum Dominorum Mauritii, Tiberii, & Theodosii Augustorum, ejusdem Domini Imperatoris Mauritii anno tertiodecimo, Ind. XIII., quinto die mensis Julii. Gregorius Papa &c. *A' die autem emortuali Johannis ad Mariniani consecrationem aliquod non modicum tempus fluxisse ex eo agnoscimus, quòd bis electio variata sit, licèt Principis jussio haberetur ab Exarcho Ravennæ degente, ut ostendit Gregorii ep. 89. lib. 4. ad Andream Scholasticum. In ea etenim Pontifex jubente Exarcho Donatum dicit Archidiaconum exhibitum, ut ordinaretur, inde Johannem Presbyterum, quorum priorem se recusasse ait consecrare, quòd multa in ejus actis reprehensibilia invenisset, alterum quia Psalmos nesciebat. Inde communi, concordique suffragio Ravennates Marinianum olim in Monasterio diu cum Gregorio ipso conversatum, & Presbyterum, elegère, qui reluctans licèt ordinatus est. Igitur cùm laudata epistola in Regesto immediatè post Synodum sit posita, consequi videtur statim ac ordinatus est in Synodo sedisse, ac propterea ordinationem ejus ad priores Julii dies spectare. Quod pertinet ad ejusdem Mariniani obitum, videtur Agnellus eum consignare eodem anno, quo magni Gregorii obitus accidit, narratâ enim hujus morte, immediatè subdit;* igitur, ut diximus, mortuus est hic Beatissimus die X. Kal. Novembris. *Nil in præcedentibus de Mariniani obitu dixerat; itaque τὸ* ut diximus *idem significat, ac anno,* quo diximus. *Magni Gregorii mortem eisdem penè verbis enarrat, quibus eandem Paulus lib. 4. cap. 30. anno videlicet secundo Phocæ Imp. Ind. VIII. sexcentesimo videlicet quinto. Verùm si secundus Phocæ annus currebat, cùm D. Gregorius obiit, & si obiit die 12. Martii, Indictio non VIII., sed VII. decurrebat uti Johannes Diaconus, & Beda, quod meritò in Paulo castigavit Baronius ad annum 604. Marinianus quidem mortuus fuerit Ind. VIII. fluente jam à præcedenti Septembri eodem anno 604., secundo adhuc durante Phocæ anno, nec finiendo nisi 25. proximi Novembris, obierit inquam die 23. Octobris, quod tradit Noster.*

II. Rubeus, qui Mariniani obitum anno 606. adscribit nihil habet, quo me à mea sententia removeat; at nec sibi, nec veritati consentit, cùm hunc tradit sedisse annos undecim, & mensem unum, mortuumque, ut Agnellus habet, X. Kal. Novembris, siquidem his admissis Mariniani consecratio caderet in diem 23. Septembris feriâ VI., Cyclo Solis currente XXVI., Lit. Dom. C. tribus ferè mensibus post Synodum Romanam, cui Marinianum subscripsisse Rubeus ipse notaverat pag. 189. Præterea extant epistolæ lib. 4. 89. Andreæ Scholastico, & 98. Mariniano ipsi, quæ cùm datæ sint Indict. XIII., probant nullo modo ejus consecrationem ad Septembrem transferri, quo Indictio XIV. cœpit. Remanet igitur, tempora Episcopatus Mariniani malè à Rubeo supputata, & nullam causam esse, qua à supra discussis recedam. Postremæ Magni Gregorii literæ ad Marinianum sputo sanguinis laborantem datæ sunt Ind. VI. Paucis itaque mensibus superstitem Gregorio fuisse, & Ind. VIII. mortuum rationi consentaneum videtur. Sederit itaque annis novem, & ferè mensibus quatuor.

CAPUT QUINTUM.

Lues inguinaria. Rursus de Epocha Alboini. Pugnæ inter Francorum Reges. Cassinensis Monasterii destructio quando acciderit. Agilulphi Regis Filia à Calinico capta. Reddita inde circa tempus, quo Marinianus obiit.

I. PLura hìc complectitur Agnellus ad secularem Historiam spectantia à Paulo ferè desumpta, de quibus videndum est, an omnia ad Mariniani ætatem referenda sint. Lues itaque inguinaria, quæ Romam primùm, cùm ob eandem Pelagio extincto, Gregorius sedere cœpit, inde Italiam, Gallias, Hispanias funeribus latè implevit, Mariniano ordinato Ravennam, & maritima loca, inde Veronam afflixit. Sic & Paulus Warnefridi lib. 4. cap. 15. narratâ præcedenti capite undecimo Johannis Episcopi Ravennatis morte, ait; subsequenti tempore rursus Ravennam, & eos, qui circa oram maris erant pestis gravissima vastavit. Sequenti quoque anno mortalitas valida populos Veronensium attrivit. *Baronius ad annum 590. de peste hujusmodi loquens, & Antharit mortem ad ejusdem anni Septembrem consignans, suam sententiam de morte Alboini anno 571. assignandâ evertit, cùm enim constet ex Paulo post Alboinum, Clephim regnasse anno uno cum dimidio, decem inde annis sub Ducibus Langobardos fuisse, & tandem Antharit sex annis dominatum, si annorum summa colligatur fient anni 17. menses 6., qui additi annis 571. conficient Antharit mortuum post Paschale Festum, seu Septembri mense anni 588., cùm tamen Baronius ipse tradat obiisse anno prædicto 590.*

II. Post aliquot à Mariniani ordinatione annos bellatum est inter Francorum Reges Theodepertum, & Theodoricum fratres, ac Clotharium patruelem; at Noster hìc de præcedenti certamine loquitur inter Theodepertum, & Clotharium patruelem, de quo Paulus lib. 4. cap. 4., eaque occasione, ut Noster metheororum phœnomenâ memorat, quæ appendix ad Gregorium Turonensem cap. 19. & 20., & Rhegino lib. 3. cap. 87., & 88. comparant cum subsequentibus certaminibus inter duos Fratres, & Patruelem, quem malè Paulus patrem vocat. Hæc notaverat Camillus Peregrinus in Chronologia Ducum Beneventanorum, quæ lumen huic Agnelli loco afferunt. Aimoinus etiam de gestis Francorum lib. 3. cap. 87. posterius bellum narrat, & refertur tem-

temporibus supputatis ad annum 603., *qui eum præcessit, quo Marinianus obiit.*

III. Celebris est doctorum Scriptorum conatus, ut Paulum Warnefridi cum Leone Ostiensi, & Ostiensem ipsum cum Ostiensi componant, ubi de Monasterii Casinensis per Langobardos eversione, & de temporis spatio, quod inter ejus desolationem, & Petronacis opera factam restitutionem, effluxit. Porrò Noster, qui Paulum exscribit, Paulum secutus est, & circa postremum Mariniani annum ejus Monasterii eversionem factam videtur ostendere. Verùm illud in controversiam minimè verti posse credo, Pelagio Summo Pontifice sedente, Monasterii Casinensis Monachos Romam migrasse, & apud Lateranum Monasterium obtinuisse; id enim & Leo Ostiensis in Chronico Casin. lib.p. cap. 2., & Anastasius Bibliothecarius in Pelagii vita. Leonis hæc verba sunt; Fratres Romam profecti sunt....., atque ex concessione Romani Pontificis Pelagii, qui tunc Sedi Apostolicæ præerat juxta Lateranense Patriarchium Monasterium construxerunt, ibique per centum & triginta annos, quod Casinense Monasterium destructum permansit, habitaverunt. *Anastasius* fugientes, *inquit*, ex Cœnobio Fratres Romam profecti sunt......., atque ex concessione S. Pelagii Papæ Secundi, & Tiberii Mauritii Imperatoris juxta Lateranense Patriarchium Monasterium construxerunt. *Camillus Peregrinus sæpius laudatus omnium primus ostendit Petronacem Casini in Monasterio restituto degisse anno 720. ex S. Willibaldi itinerario. Itaque restitutum Monasterium est paulò post Gregorii II. Papæ ordinationem, qui sedere cœpit anno 714. Hæc clara sunt. At quì factum est, ut Leo, qui loco laudato ab eversione ad restitutionem Monasterii numerat annos 130., in Præfatione Chronici Pauli sententiæ adhærere videatur, annos tantùm 110. computans? Breviorem etiam annorum desolationis numerum amplexi sunt Adrevaldus Floriacensis de miraculis S. Benedicti lib. 1. cap. 113., & Abbas Urspergensis in Chronico. Vir emunctæ naris Camillus Peregrinus laudatus in serie Abbatum Casinensium existimat numerum variatum non Ostiensi imputandum, sed vel Petro Diacono, vel alteri, qui sicut aliàs numerum 110. in Præfatione ex Paulo Diacono substituerit. Angelus de Nuce in Dissertatione ad cap. 2. Chronici Leonis, & Bollandus in Actis SS. ad 13. Febr. pag. 695., & sequentibus Peregrini vestigia relegunt. Bollandus tamen seriùs transfert S. Willibaldi ad Gregorium III. Pontificem adventum. Nucius firmat Gregorio II. sedente Monasterium reparari cœptum circa annum 718., & desolationis annos retrogrediendo numerandos, quo ad annum eversionis 688., vel 689 devenitur. Leonem constanter annos desolationis 130. scripsisse, uti ex contestibus locis ejusdem Chronici apparere existimat, sed à Petro Diacono, Pauli computum secuto pro 130. substitutos 110. in Præfatione. Et hæc quidem ritè constituta arbitror. At Paulus Diaconus ætate illi proximus à vero desolationis spatio tradendo viginti ferè annorum parachronismo peccavit? Ita communiter creditur. Liceat tamen observare Paulum annos 110. non à Monasterii eversione computare, sed ab eo tempore, quo* locus ille habitatione hominum destitui cœpit, *quæ ejus sunt verba lib. 6. cap. 40. Destructio itaque Monasterii, & expilatio anno 589. evenerit, cujus causâ fugerint Monachi, at fortè post unum, alterumve annum eorum nonnulli regredientes ibi habitaverint, qui demum circa annum 604. omnino abire coacti sint, quare evoluti fuerint ferè 110. anni, cum Gregorii II. tempore per Petronacem Monasterium est restitutum. At, ut quod sentio fatear, his minimè acquiesco, Paulus enim ipse eo temporis spatio intermedio agnoscit Casini* aliquos simplices viros resedisse, *quos adveniens Petronax reperit, quare* habitationis hominum *nomine Monasterium ipsum intelligit, quod eversum, expilatumque à Langobardis, Monachis indemnibus juxta S. Patris prædictionem fugientibus, testatur Magnus Gregorius Dial. lib. 2. cap. 17.,* cujus vocem, *inquit S. Pontifex*, tunc Theopropus audivit, nos autem cernimus, qui destructum modò à Langobardorum gente ejus Monasterium scimus, *cum his, quæ sequuntur, ex quibus clarè evincitur, circa postremum Pelagii Pontificis annum Monasterium eversum fuisse.*

IV. Quæ sequuntur de Agilulphi Regis filia à Gallinico Exarcho belli inducias rumpente Parmæ captâ, Ravennamque abductâ, Sigonius refert ad annum 601. Paulus lib. 4. cap. 21. ait; his diebus capta est Filia Regis Agilulphi, cum viro suo Godeschalco nomine de civitate Parmensi ab exercitu Gallinici Patricii, & ad urbem Ravennatium sunt deducti. *Cremonam obid, Mantuam, Pataviumque, & alia loca expugnata narrat cap. 29., quod Noster ad Phocæ initia spectare innuit, dum adhuc in vivis agerent S. Gregorius, & Marinianus. Smaragdus Exarchatu abierat anno 597. succedente Callinico, quo ejecto, ut Noster habet, seu revocato ab Augusto ob temerarium facinus, quo Langobardos importunè excitaverat, ut sentit Sigonius, Smaragdus denuo Exarchus effectus est. Sub eo, defuncto magno Gregorio, eodemque mense, quo Marinianus obiit, filia Regi reddita est, induciæque in proximum Aprilem factæ sunt. Id ex Paulo constat, qui lib. 4. cap. 29. hæc habet*; reddita est Filia Regis à Smaragdo, & facta est pax mense X. (*Novembrem intelligo*) usque ad Kalend. Aprilis, Indict. VIII. *Pax hæc, seu induciæ ad Novembrem anni 604. spectant.*

CAPUT SEXTUM.

Johannes ejus nominis duo. Utriusque Episcopi anni. Agnellus ex Paulo suppletur. Secularia Agnello narrata perpenduntur.

I. OCcurrunt post Marinianum Ravennates Episcopi duo ejusdem nominis, quos proinde Rubeus in unum conflandos censuit. Nil tamen eorum, quæ Rubeum moverunt, me ab illis distinguendis retrahit. Plures ejusdem nominis in unum alibi conflatos facilè credam, unum in plures distinctum difficiliùs. Agnellus unum ab altero distinguit, & utriusque Sedis tempus certis annis, mensibus, & diebus diffinit; incredibile est id ex arbitrio factum hic à Scriptore, qui aliàs tempora hujusmodi silet. In vita secundi Johannis tempora quidem confundit, & pleraque, quæ prioris ævo consignanda fuissent, refert; at id ejus momenti non est, ut à sententia sit recedendum, cùm chronologiam in his passim negligat, nec hic tantùm, sed alibi sæpe in unius vita, narret, quæ ad alterius Episcopi vitam spectant.

II. Prioris itaque Johannis Sedes durasse dicitur annis 5., mens. 10., diebus 18. Is autem cùm ordinari non potuerit nisi circa initia anni 605., cùm Marinianum obiisse statuerimus die 23. Octobris præcedentis anni 604. mortuus itaque fuerit circa Septembrem anni 610. Alter sedisse dicitur annis 18., mens. 6., dieb. 8., quare circa Julium defunctus credi potest anni 629., vel 630. Carolus Sigonius dissentit; dum Johannem alterum priori successisse tradit anno 618. de Regno Italiæ lib. 2. at ab Agnelli sensu mihi recedere nefas est absque anti-

antiquioris testis suffragio, cùm Sigonius ipse in aliorum Episcoporum Ravennæ temporibus designandis sæpius labatur.

III. Ut autem, quæ in posterioris Johannis vita narrantur ad calculos revocemus, illud primò animadvertendum, quod hic relata paucis mutatis à Paulo Warnefridi *descripsit Agnellus, quæ tamen duplici loco ab Amanuensi sunt detruncata, quæque ex Pauli lib. 4. cap. 37. suppleri debent. Prior locus est, ubi narrantur nonnulla ad Phocæ Imperium assecuti ævum spectantia, deest enim annorum, quibus regnavit numerus, ac proinde ita sanari debet;* igitur, ut diximus, Phocas, extincto Mauricio, ejusque Filiis, Romanorum invadens Regnum, per octo annorum curricula Principatum tenuit. *Secundus locus mutilatus est, ubi narratis Prasinorum, & Venetorum tumultibus deest, quod rem à re, & Persas à Prasinis, & Venetis distinguat. In hunc itaque modum suppletis ex Paulo, quæ desunt, verbis integer sensus restitui debet;* interea exagitatum est bellum in Orientis partibus, & Ægyptiorum. Prasini, & Veneti inter se civili certamine gravissimas strages mactantes, *se mutua cæde prosternunt. Persæ quoque adversùs Rempublicam gravissima bella gerentes*, multas Romanorum provincias, etiam ipsam Hierosolymam, &c.

IV. Agnello suppleto, videndum est eidem narrata conveniantne tempori prioris, an secundi Johannis Episcopi. Paulus narrata S. Gregorii morte, & quòd ejusdem anni æstate mense Julio Adoaldus in præsentia Agilulphi patris Mediolani in Circo Rex est salutatus, ipsique Regis Theudeberti Filiâ desponsatâ, pax cum Franchis firmata est, & cæteris minimè multis adjectis subjungit; sequenti denique mense Novembris Rex Agilulphus pacem fecit cum Smaragdo Patricio in annum unum, accipiens à Romanis duodecim millia solidorum. *At si, quod supra observatum est, Novembri 604. induciæ factæ sunt in proximum Pascha, vel paulò post eædem prorogatæ sunt in annum unum, vel hæ posteriores induciæ pactâ pecuniâ Novemb. sequentis anni 605. factæ sunt. Hoc posterius forta sis verius, nam anno sequenti post inducias videlicet ad Pascha, proximum Balneum Regis, & urbs vetus à Langobardis invasa est. Verùm Aprili, Majoque subsecuto iterum pax est sancita inter Langobardos, & Romanos ad tres futuros annos. Hæc porrò ad prioris Johannis ætatem pertinent. Johannis Consini in Neapolim irruptio spectat ad Heraclii tempora. Lucem his afferet Anastasius, qui in vita Deus dedit Pontificis hæc habet;* eodem tempore veniens Eleutherius Patricius, & Cubicularius Ravennam occìdit omnes, qui in nece Johannis Exarchi, & Judicis (*alii* ex Judicibus) Reipublicæ fuerant mixti. Hic venit Romam, & susceptus est à Sanctissimo Deus dedit Papa optimè (*alii* optimo) qui egressus de Roma venit Neapolim, quæ tenebatur à Johanne Composino (*seu* Consino) intarta (*fortè* arctata) qui Eleutherius Patricius pugnando ingressus est Neapolim, & interfecit Tyrannum, reversusque est Ravennam, & datâ rogâ militibus, pax facta est in tota Italia. *Rursùs in vita Bonifacii;* eodem tempore ante dies ordinationis ejus Eleutherius Patricius, & Eunuchus *Exarchus*, intrata assumpsit Regnum, & veniente eo ad civitatem Romanam in castro, quod dicitur Luceolis, ibidem à militibus Ravennaticis interfectus est, cujus caput ductum est Constantinopolim ad piissimum Principem. *Probabiliores calculi Deus dedit initia ad primos Januarii dies anni 616. Bonifacii V. ordinationem ad Aprilem anni 620. referunt. Sequitur ex his necem Johannis Exarchi patratam anno 615., Eleutherium anno sequenti 616. Ravennæ in Johannis occisores animadvertisse, inde post aliquot menses Romá Neapolim ivisse, ubi Johannis Consini tyrannidem extinxit; tandem ante Aprilem anni 620. eundem ad Castrum Luceolos extinctum. Pertinent itaque hæc omnia ad posterioris Johannis ætatem. Quæ sequuntur apud Paulum, & Agnellum manifestò ad prioris tempora spectant, immo nonnulla Gregorio, & Mariniano superstitibus acta sunt, uti Mauricii, filiorumque ejus laniena, initiaque Phocæ. Illud notandum est eidem Bonifacio tribui, quòd statutum fuerit Ecclesiam Romanam, tanquam omnium Ecclesiarum caput honorandam, & obtentum, quòd vetus Romanorum Pantheon ad honorem B. Virginis, & omnium Martyrum Deo dicaretur; constat tamen ex Anastasio, primum sub Bonifacio III. cautum fuisse, secundum Bonifacio IV. concessum. Reliqua facilè suis temporibus assignantur. Unum est, quod ignoro, cui anno consignandum sit; Johannis scilicet posterioris inclitum facinus, quòd scilicet* civitatem Classis ab hostili populo ope multa Ecclesiæ tribus vicibus emerit, & non solùm civitatem, sed & habitantes in ea, cum suburbanis suis omnibus, & factum suum redemerit. *Rubeus à Saracenorum incursionibus urbem liberatam ait, at eo tempore nondum Saraceni Ravennæ litora attigerant. Tributum potiùs Langobardis solutum reor Ecclesiæ opibus erogatis, cùm aliunde notum sit Gentem illam pecuniâ placari solitam, ut ostendunt Gregorii Magni epistolæ plures, & constet non modò ab Exarcho solutam ingentem auri vim, sed & pro exercitu Ravennæ degente Saccellarios extitisse, qui expensis extra ordinem præstandis paratam servabant pecuniam. Vide Gregorii epist. 34. Ind. XIII. Redemptam itaque arbitror, quod ajunt, vexationem Ecclesiæ pecuniis tribus vicibus, cùm res, & salus civium in discrimine essent, operâ Johannis Episcopi comparandi ob id cum Magno Gregorio, summaque laude dignissimi.*

VITA

VITA
PETRI SENIORIS.

CAPUT PRIMUM.

Basilica S. Severi reparari cœpta. Petrus Romæ ordinatus. Ordinato Ravennates cum acclamationibus obviam veniunt.

DE SANCTO PETRO SENIORE XXVIII.

PEtrus Senior XXVIII. Iste grandævus ætate fuit. Senior sensu, & corpore, *capite* (1) canitiâ decoratus, sanctam, & mansuetam vitam duxit. Verè Petrus, quia supra firmam petram templum corporis sui ædificavit. Temporibus Symmachi prope Romam in Concilio sedit, fundavitque (2) Ecclesiam B. Severi Confessoris Christi (3) in regione, quæ vocatur Vico Salutaris. Iste secunda Indictione consecratus est Romæ absque jejunio XVII. Kal. Octobris, & reversus in pace cum nimia alacritate cives Ravennates eum susceperunt. Classis verò occurrit ei obviam ad Nonum. Tunc omnes lætantes dicebant laudes; Deus te nobis dedit, Divinitas te conservet. Tunc pueri ante eum cum laudibus præibant, ut non solùm majores essent amabiles, sed etiam & pusilli.

CAPUT SECUNDUM.

Langobardorum in Italiam ingressus. Ticinum obsessum. Theodorici statua, quæ Ravennæ fuerat, describitur. A Carolo Magno Aquisgranas asportatur.

EO anno occupata Venetia à Langobardis est, & invasa, absque bello expulsi sunt. Anno quinto Justini II. Imperatoris pestilentia boum, & interitus ubique fuit; post verò depredatâ à Langobardis Tusciâ, obsederunt Ticinum, quæ civitas Papia dicitur, ubi Theodoricus Palatium struxit, & ejus imaginem sedentem super equum in Tribunalis Cameris tessellis ornatis bene conspexi. Hic autem similis fuit in isto Palatio, quod ipse ædificavit in Tribunale Triclinii, quod vocatur ad mare super portam, & in fronte Regiæ, quæ dicitur ad Calchi istius civitatis, ubi prima porta Palatii fuit in loco, qui vocatur Sicrestum, ubi Ecclesia Salvatoris esse videtur. In pinnaculo ipsius loci fuit Theodorici effigies, mirè tessellis ornata dextera manu lanceam *tenentis*, (4) sinistra clypeum, loricâ indutus. Circa clypeum Roma tessellis ornata adstabat cum hasta, & galea, unde verò telum tenens fuit, Ravenna tessellis figurata pedem dexterum super mare, sinistrum super terram ad Regem properans. Misera! undique invidiam passa. Cives inter se maximo zelo (5) ....

A in aspectu ipsorum Pyramis tetragonis lapidibus, & bisalis in altitudinem quasi cubitorum sex. Desuper autem equus ex ære auro fulvo perfusus, ascensorque ejus Theodoricus Rex scutum sinistro gerebat humero, dextero verò brachio erecto lanceam tenens. Ex naribus verò equi patulis, & ore volucres exibant, in alvoque ejus nidos ædificabant. Quis enim talem videre potuit, qualis ille? Qui non credit sumat Franciæ iter, & eum aspiciet. Alii ajunt, quòd supradictus equus pro amore Zenonis Imperatoris factus fuisset; qui Zeno natione Isauricus, & pro nimia *alacritate* (6) pedum eum Leo Imperator generum sumpsit, & maximum apud Imperatorem honorem acce-
B pit. Hic verò patellas geniculorum non habuit, & sic currebat fortiter, ut arrepto cursu quadrigas pedibus jungeret. Post mortem verò filii sui, qui avo Leoni successerat in Regno, iste Zeno Imperator factus est. Sexdecim annis gentibus imperavit. Pro isto equus ille præstantissimus ex ære factus auro ornatus est; sed Theodoricus suo nomine decoravit; & nunc penè anni XXXVIII., cùm Karolus Rex Francorum omnia subjugasset regna, & Romanorum percepisset à Leone III. Papa Imperium, postquam ad corpus Beati Petri sacramentum præbuit; revertens in Franciam, Ravennam ingressus, videns pulcherrimam imaginem, quam nusquam similem, ut ipse testatus est,
C vidit, in Franciam deportare fecit, atque in suo eam firmavit Palatio, qui Aquisgranis vocatur.

CAPUT TERTIUM.

Italia vastatur. Ravennæ trepidatum. Narses deleto Romanorum decore moritur.

REdeamus ad antiquam Historiam, quæ in tempore istius Petri Pontificis, ut ajunt quidam, facta. Eo namque tempore post fundamentum Ecclesiæ positum, tota Italia vexa-
D tione maximâ exagitata est. Tunc illis temporibus in Cæsarea juxta Ravennam à Longino Præfecto *palocopiam* (7) in modum muri propter metum gentis extructa est; deinde paulatim Romanus defecit Senatus, & post Romanorum libertas cum triumpho sublata est. A Basilii namque tempore Consulatum agentis usque ad Narsetem Patricium Provinciales Romani usque ad nihilum redacti sunt. Post

(1) *capitis*. Mur.
(2) fundavit Ecclesiam B. Severi circa ann. DLXXVIII. *Bacch.*
(3) (*sed morte sibi interveniente reliquit*) *in civitate dudum Classis*. Mur.
(4) *tenens*. Mur.
(5) hic desunt nonnulla. *Bacch.*
(6) *velocitate*. Mur.
(7) Aliàs *palorum copia*. Mur.

hæc verò exierunt Langobardi, & transierunt Tusciam usque ad Romam, & ponentes ignem Petram pertusam incendio concremaverunt. Et construxerunt prædicti Langobardi Forum Cornelii, & consummata est civitas ab eis. In diebus illis excitata est gens Avarorum, in Pannonia deventi sunt; Narsisque Patricius obiit Romæ, postquam gessit multas victorias in Italia cum denudatione omnium Romanorum, Italiæ in Palatio quievit; nonagesimo quinto vitæ suæ anno mortuus est.

CAPUT QUARTUM.

Alboini obtruncatio Rosmundæ uxoris operâ. Rosmunda Ravennæ à Longino cum honore recipitur. Ibidem ex veneno moritur. Petri Episcopi mors, & sepulcrum.

IGitur imperante Justino II. anno VI. nepote Justiniani, Alboinus Rex Langobardorum à suis occisus est in Palatio suo jussu uxoris suæ Rosmundæ IV. Kal. Julias. Causam verò interfectionis suæ, quam scimus, non prætermittam, sed alacriter in medio proferam, ut caveatis. Quadam verò die, dum lætus duceret prandii horam, & cibus regius sibi allatus fuisset, & crapula vini subsecuta esset, inter cætera pocula jussit deferri caput Soceri sui, Rosmundæ Patris; quod adductum jussit eum impleri Baccho usque ad summum, & sic eum totum ebibit. Biberunt omnes simul vino lætificati. Tunc præcepit Rex Pincernæ implere caput usque ad summum, & Rosmundæ uxori suæ dari; quod caput erat ex auro ligatum optimo, margaritisque, & diversis pretiosissimis gemmis infixum. Quo porrecto, ait Rex; bibe totum. Illa mox, ut accepit, ingemuit, sed fronte serena dixit; jussa Domini mei alacriter expleam. Postquam bibit reddidit Pincernæ, dolorem geminavit in corde, duritiem in pectore servans. Non vagemus per multa, interfectionem prodamus. Vir autem in illis diebus in ipso erat Regis Palatio fortis nomine Helmegis, qui *Vesterariæ* (1) Reginæ concubitu *fruebatur*; (2) quem Regina accersitum hortabatur, ut Regem extingueret. Cujus ille renuens voluntati, dixit, absit me, ut manum meam contra Dominum meum Regem levem. Tu scis, quia vir fortissimus est, & non queo eum superare. Et illa; quamvis non facias, nesciat quis. Et ille; certè nunquam hic sermo de ore meo egredietur. Alium adhibe interfectorem; ego non facio. Quando hoc facere voluisti, non debuisti (3) cum eo *sociari*, (4) sed postquam Regina effecta es, fidem serva. Tunc recepit se furibundam in cubiculum suum, & cogitare cœpit, quomodo maritum posset extinguere. Quo excogitato consilio vocavit Vesterariam suam, & ait ad eam; jura mihi, quòd non prodas me, neque denudes consilium meum, & quæcumque dixero tibi, facito. Postquam pollicita est, ut audistis, ait Regina, animus meus quotidie mecum expugnat in amore istius juvenis, qui tecum concubuit. Pone ei decretum in occultum locum, quando tecum dormire debeat, & dicito ei; repentè *fruito concubitu*, (5) quia festinans ego non possum morari, A & induam ego vestimenta tua posita in abdito, ut non cognoscar. Quodam die ille cùm vellet cum Vesteraria dormire, sicut solitus erat, illa monita dixit; nisi veneris illâ, & illâ horâ in tali abdito loco non possumus amplexibus constringi, quia frequenter vocata non possum ab aspectu Reginæ deesse. Ille autem consentiens, sic fiat, inquit. Fecit illa, ut ammonita fuerat, & omnia verba hæc retulit Reginæ. Horâ autem factâ tenebrosâ induit se Rosmunda vestimenta mancipiæ suæ, & stans in loco, ubi consummanda iniquitas fieri deberet; tunc ille veniens, cùm cœpisset obsculari, subdita, & levi voce dixit ad eum; hora est jam, revertar ad Dominam meam, ne for- B tè quæsita tribulatio mihi accrescat. Tunc ille mansit cum ea in eodem loco, illâ se prosternente: post quod expleto scelere dixit ad eum; quæ ego sum? Ille inquit; Vesteraria Reginæ. Cui illa subjunxit; nunquid non Rosmunda Regina ego sum? Nonne dixi tibi, quod spontè facere noluisti, cogam invitè? Ille verò cùm agnovisset quia Regina esset, cœpit plorare, & dicere. Heu mihi, ut quid induxisti super me hoc peccatum? Quare sinè omni occidisti me gladio? Quis thorum Regis aliquando maculavit, aut Reginam oppressit, sicut ego miser? Tunc illa consolatoria cœpit verba proferre, & dicere; tace; hæc ad salutem facta sunt; tamen talis inter te, & Albuinum Regem lis C *nata* (6) est, ut tu illum punieris, aut ille suo te gladio truncabit. Antequam hæc divulgata sint primus irrue in eum, & cùm dies fuerit aptus mittam ad te: tu verò veni ad locum paratum, interfice eum. Die verò quadam paratum regale prandium jucundatus est Rex protelante convivio, & bibit tantum vinum, quantum nunquam plurimo biberat tempore, hortante uxore sua. Et postquam se in strato suo recepit, Rosmunda ingressa cœpit capitis Regis capillos huc illuc dividere, & cutem unguibus attrectare, quasi pro delectamento ei fuisset. Qui subito somno arreptus, vino compulsus, tetigit bis, & ter, ut probaret fortè *non* (7) sopore gravi depresus eset, & misit vocare sceleris sui socium, ut citiùs veniret. D Tunc illa abstulit gladium ancipitem, qui erat ad caput ejus, quo utebatur lateris Regis, quem spatha vocamus, & alligavit juxta capitalia lecti fortiter cum ipso loro, quo Regi præcingebatur lumbos, qui in ipsa infixus erat vaginâ. Interfector verò cùm venisset, volens à tali evadere scelere, ut in eum manum non mitteret, illa contra exprobrabat eum; si proferas quòd infirmus sis viribus, & non valeas eum interimere, ego meam manum extendam. Dic tantùm quòd imbecillus sis virtute; modò conspicies, quid fragilis faciat sexus. Hæc contentio inter eos penè adcrevit horâ unâ; cùmque molesta ei esset, & vim faciente, ut Re- E gem occideret, subjunxit, dicens; *gladium* (8) ejus, quem expavescis maximè involutus, & fortiter ligatus est. Et ille; tu nosti, quia vir præliator est, & fortis viribus (9), & validissimus manibus, Multa vicit bella, plurimos subjugavit, inimicorum castra prostravit, depopulatisque hostibus, alterius oppida termino suo junxit. Et qui hæc sinè alterius metu omnia quassavit, quomodo eum solus ego possum jugu-

(1) *Vesterariam*. Mur.
(2) *fruebat*. Mur.
(3) *te*. Mur.
(4) *sociare*. Mur.
(5) *fruere concubitum*. Mur.
(6) In Codice scribitur *miscuata*. Bacch.
(7) *nun*. Mur.
(8) *gladius*. Mur.
(9) *est*. Mur.

gulare? At illa cum tristitia dixit illi; nullum mihi impingere crimen aliquod potes; recordare scelus, quod fecisti, quia si nudatus fuerit, morieris; omnes enim præter Regem me diligunt. Si hoc quis scierit facinus, occultè interficere te faciam. Ad hæc verba ille aporiatus, ingressus est cubiculum, ubi Rex ex parte vino digesto jacebat, & accessit ad stratum Regis, eduxit gladium, ut interficeret eum. Ille verò sentiens, *vigilans*, (1) de somno surrexit. Voluit gladium evaginare, quod non valuit, quia colligatus uxoris manibus fortiter fuerat. Tunc accipiens scabellum, ubi pedes ponere solitus erat, pro scuto usus est, seque modicè defendit, vociferansque, nullus erat, qui audiret, eo quòd jussu uxoris suæ, quasi Regis quies, omnes januæ palatii clausæ erant. Superatusque Rex interfectus est. Voluerunt Langobardi hunc interimere Homicidam, & Reginam cum eo, sed notum consilium, venit Veronam donec furor populi conquiesceret. Sed jurgantes fortiter Langobardi contra eam, depopulato palatio, cum multitudine Gebedorum, & Langobardorum mense Augusto Ravennam venit, & honorificè à Longino Præfecto suscepta est cum omni ope regia. Post aliquantos autem dies misit ad eam præfatus, dicens; si charitati meæ copulata fuerit, & si lateri meo adhærere voluerit, & connubio se junxerit, amplius erit (2), quàm modò Regina est. Nonne ei melius est, ut Regnum, & Principatum totius Italiæ teneat, quàm hoc perdat, & Regnum amittat? Illa autem mandavit ei, dicens; si ille vult, infra paucos dies fieri potest. Die verò quadam dum Balneum parari jussisset, & vir, qui maritum occiderat lavacrum ingrederetur, postquam egressus de Balneo, in ipso fervore corporis, quo calor obsederat, attulit Rosmunda calicem potione plenum, quasi ad Regis opus, erat enim veneno mixta. Tunc ille sumens de manu ejus vasculum, cœpit bibere. At ubi intelligens potum esse mortis, submovit ori suo poculum, & dedit Reginæ dicens; bibe & tu mecum. Illa verò noluit, evaginatoque gladio stetit super eam, & dixit; si non biberis de hoc, te percutiam. Volens, nolens, bibit, & eâ horâ mortui sunt. Tunc Longinus Præfectus abstulit omnes Langobardorum thesauros, & cunctas opes regias, quas Rosmunda de Langobardorum Regno attulerat, unà cum Rosmundæ, & Alboini Regis Filia ad Justinum Imperatorem Constantinopolim transmisit; & gavisus est Imperator, & auxit Præfecto plurima. (3) Ideoque viri quicunque conjugati estis, blandite uxores vestras, ne pejora patiamini, quàm hic. Mitigate illarum furias, & litigium vos silete. Sunt qui dicunt; quod ego præcepero erit stabile, quod tu dixeris, non fiet. Si inflammaveris in te ipsum vertes. Nullam inde habeo curam. Non tibi credere potero, quòd talem non gustasses calicem, sed propter turpitudinem, & verecundiam tacuisti, & ab alio verecundabaris. Profers statim; illa uxor mea, pro qua me derides, vel unde subsannas, non damnum meæ cupit domui, bene res meas servat, dispositio ejus placet mihi. Aliter non potes dicere, nisi verbis pacatis. Quod non si audierit conjux, inflammatus, diuque litigans maritus aporiatus huc, illuc vagans conjugis timore. Iste, qui obtinuit Regnum, qui attrivit inimicos, qui prælia vicit, qui urbes depopulavit, qui sanguinem effudit, qui civitates evertit, qui hostes humiliavit, videte, quomodo blandè interfectus est, & plagis corpus percussum est? Quis vir in malum potest habere consilium pestiferum, quomodo iste malignus sensus? Sunt enim nonnulli, qui etiam amicum, vel proximum, sinè conjugis voluntate in suam non recepit domum, quia uxor super virum primatum tenet; volentes, nolentes mulieris voluntati obtemperant. In crimine considerate Ægyptiam, in falsitate Jezabel, in seditione Dalila, in morte Jaël, in aspernantia viri Vasthi, in hillaritate Herodiadem, in furore Sunamitem, in ira Ancillam Principis ostiariam. Hoc vobis dico, quia multos tales invenimus, & maximè derisimus, & doluimus. Fratres homines sumus, sicut fœnum decidimus, sed si possumus, antequam veniat mors, nulla in nobis mala sint famæ, quia & sic docuerunt S. Prædicatores vestri, & hic cum ipsis magnus Petrus Pontifex, sub cujus temporibus hæc peracta sunt. Mortuus est autem in senectute bona die XVI. Kal. Septembris, & sepultus est, ut asserunt quidam, in Ardica B. Probi Confessoris in civitate dudum Classis. In Arca magna saxea ibidem positus fuit juxta Ecclesiam B. Euphemiæ, quæ vocatur ad mare, quam Maximianus Pontifex tessellis variis mirè ornavit, quæ nunc demolita est. Exinde ipsa arca evulsa est, & in alio loco posita. Sedit ann. VIII., mens. II., dieb. XIX.

(1) *evigilans*. Mur.
(2) *post*. Mur.
(3) *Ammonitiones Auctoris*. Mur.

OBSERVATIONES
AD VITAM
PETRI SENIORIS.

Ordinatio Petri Senioris *absque Jejunio*. Statuæ Theodorico positæ. Venetiarum nomine quid veniat. Historia Alboini occisi in nonnullis diversa à Paulo narrata.

I. N*Otavimus supra Ordinationem Petri, quæ Agnello* absque jejunio *facta dicitur, intelligi debere factam ante septimi mensis imminens jejunium. Duos ordines Romanos post Morinum, Menardum, & alios, publici juris fecit Noster celeberrimus Mabillonius ad Sacras Ordinationes spectantes, in quibus plura ad materiam pertinentia contineri ait idem harum rerum optimus Judex. In priori autem notabile est Episcoporum Ordinationem ad diem Dominicam referri per ea*; alia verò die, quod est Dominica &c. *in secundo retrahi ad noctem præcedentem; etiam extra inferiorum ordinum tempora per ea*; Episcopi autem omni tempore benedicantur, nunc verò mos est ut nocturno tempore benedicantur. *Ex his nescio, an bene argui debeat posteriorem Ordinem, priori recentiorem esse, an potiùs diversimode actum in Ordinationibus Episcoporum, servata traditione, de qua Leo Magnus, ut* Sabbati vesperi, quod lucescit in prima Sabbati, vel ipso Dominico die, *Ordinationes fierent. Constat saltem Leonis etiam tempore Episcoporum Ordinationes nocte, quæ Dominicam diem præcedit, factas. Jejunii Sabbati, quod in Ecclesia Romana antiquissimum fuisse aliunde constat, rationem habendam in Ordinationibus Leo ipse ostendit epist. 12. editionis Quesnellianæ, loco à Mabillonio laudato in Commentario cap. 16. Verùm hoc in primis ad cæte-*

caeterorum Ordinationes referendum duco, quae Jejuniorum temporibus fiebant; Episcopos ordinatos censeo, vel vesperi Sabbati, vel manè sequentis Dominicae, etiam cum Sabbato minimè jejunabatur. Id obtinuisse certè Petri hujus temporibus, hic Agnelli locus ostendit.

II. Statuas Theodorico Regi Ticini, & Ravennae positas Noster laudat, narratque, quae de Zenone Imperatore vulgò ferebantur, cui primùm Ravennae Statuae equestris honor tributus sit. Suidas Leonis, qui Marciano successit, tempore, ait Indacum quendam floruisse ea pedum pernicitate pollentem, qua brevissimo horarum spatio, longiorem viam cursu metiebatur adeò praecipiti, ut per abrupta montium citissimè ascenderet, descenderetque. Inde ortum puto vulgarem rumorem, quod idipsum Zenoni laudi verteret, quem propterea sibi Generum assumpserit Leo, cuique geniculorum patellae *(ut ait Noster) deessent. Lepida sanè cursus velocissimi ratio, quam cum risu ineptiores etiam Ossologi admittent, quandoquidem si ossa illa desint, cursui ineptus homo efficiatur. Ablatam à Carolo Magno Ravennatem Statuam, postquam ille Romae à Leone III. Pontifice novus Imperator inauguratus fuerat, ante annos XXXVIII., quàm haec scriberentur, adjicit hic; ex quibus Agnelli scribentis tempora observavi in praemissis ad carmina operi toti praefixa.*

III. Quod ait de Venetia à Langobardis occupata, & invasa, intelligendum est non de inclyta Venetorum urbe, sed de Venetorum regione. Id aliunde quàm ex Paulo Warnefridi Agnellus haud accepit. Is autem lib. 2. cap. 14. Igitur, *inquit*, Alboin Vincentiam, Veronamque, & reliquas Venetiae civitates exceptis, Patavio, & Monsilicis, & Mantua coepit. Venetia enim non solùm in parvis Insulis, quas nunc Venetias dicimus, constat, sed ejus terminus à Pannoniae finibus, usque ad Adduam fluvium protelatur. Probatur hoc annalibus libris, in quibus Pergamus civitas esse legitur Venetiarum. Nam, & de Lacu Benaco in historiis ita legimus; Benacus Lacus Venetiarum, de quo Mincius fluvius egreditur. *Venetiae igitur nomine regio, non urbs intelligitur. Haec autem in aestuariis posita facilius, quàm Patavium, & Monsilex, ac Mantua primum Langobardorum impetum sustinere potuit. Quod sequitur;* absque bello expulsi sunt, *nullo modo Historiae congruit, nisi aptetur regionis Venetae urbibus illis, quae à Langobardorum incursibus liberae à Paulo dicuntur.*

IV. De Alboino uxoris dolo necato Historiam narrat Noster diversam nonnihil ab ea, quam Paulus memoriae commendavit lib. 2. cap. 28., ubi narratur Rosmundam de Rege opprimendo consilium injisse cum Helmige Regis Schilpore, seu Armigero, qui auctor fuit, ut Rosmunda eadem Perideum virum fortem huic facinori patrando adhiberet. Id cum Regina curasset, adjicitur Perideum negasse, se tantum nefas admissurum, quare illa furtim Vestiariae loco cum Perideo concubuit, eumque per id ad necem Regis patrandam adegit. Hinc Paulus ipse tradit Helmigem se uti Rosmundae maritum egisse, usque dum uterque Ravennae veneno sumpto occubuerit. Omnia Noster de Helmige narrat, nec de Perideo habet quidpiam; & sanè mirum si Perideus, qui cum Regina concubuerat, quique facinus ingens ob id patraverat, patienter toleravit, ut sibi Helmiges praeferretur. Illud ea in re mihi certum est facti hujus historiam aliunde, quàm à Paulo, Agnello descriptam, qui etiam Alboini necem certo die consignat IV. videlicet Kal. Julias, & Rosmundam cum Helmige Ravennam appulisse tradit Augusto mense, quod Paulus silet, licet stabiliendo tempori, quo primùm Alboinus regnare coepit, admodum inserviat.

VITA JOHANNIS.

CAPUT UNICUM.

Johannis Patria. Basilica S. Severi finita, ac S. Severi Corpus translatum. Ejusdem obitus. Sepulcrum, & epitaphium ad Oratorium SS. Marci, Marcellini, ac Feliculae.

DE SANCTO JOHANNE ROMANO XXIX.

JOhannes Romanus XXIX. Johannes gratia Dei interpretatur. Iste non de ovibus istis, sed Romana fuit natione. Hic mediocris staturâ, nec satis longam habuit, nec brevem tenuit. Optimus corpore, nec macilentus, nec multùm pinguis. *Crispum* (1) capillis capitis, canitie mixtis. Post B. Petri amissionem, opus inconsummatum, quod reliquerat, idest Ecclesiam B. Severi Confessoris iste consummavit, & usque ad effectum perduxit, & Corpus B. Severi Confessoris in medio dedicavit Templo mira magnitudine visibus ornavit. Sublatum est ab eo sanctum Corpus de Monasterio Sancti Rophili, quod ad ipsius Ecclesiae latus suffultum est virorum parte, & in media Ecclesia collocavit. Temporibusque istius mense Januario apparuit Stella Cometis manè, & vespere, & in ipso mense praedictus defunctus est Pontifex, & sydus recessit. Iste, ut dixi, Romae natus, ab ipsa Sede, hìc missus doctrinam Apostoli instanter praedicabat, & ut omnes à peccato se averterent. Postquam autem obiit hic Beatissimus Johannes die XI. mense Januarii, sepultus est in Ecclesia B. Apollinaris civitatis Classis extra muros in Monasterio SS. Marci, Marcelli, & Feliculae, quod ipse à fundamentis aedificavit, & tessellis decoravit, & omnia consummavit; & super valvas dicti Monasterii versus metricos invenietis, continentes ita;

Inclyta praefulgent Sanctorum limina Templi
Marci Marcelli, Feliculaeque simul.
Pontifices hos Roma coepit, haec Martyr habetur,
Horum Gregorius dat Papa reliquias;
Quas petit Antistes meritis, animoque Johannes
Parvula pro summis reddere dona parat.

Ora-

(1) *Crispus*. Mur.

Oraculum statuit tanta virtute repletus ,
Cujus ab auspiciis gratia constat (1) *opus .*
Qui bis septeno sacri diadematis anno
Tractata vigili , quo regit Ecclesiam :
Hanc quoque regentem verendi (2) *culminis arcem*
Fixit , & eventum traxit ad arbitrium .
Mirandâ subitò suspendens arte cacumen ,
Inflexum reparat parte ab utraque latus .
Additur his meritis felix Smaragdus in ævum ,
Cujus in his titulis participatur opus .
Sedit annos XVI. mens. I. dies XIX.

OBSERVATIONES

AD VITAM

JOHANNIS ROMANI.

De Pallii usu nonnulla . Mappulæ quid ? Andreas , ad quem S. Gregorii Epistola , minimè Episcopus . Monachi Ravennæ frequentes . Apocrisiarius Romanæ Sedis Ravennæ . Johannes Episcopus vindicatur à crimine Schismatis , contra Rubeum , Blondum , Sigonium . Annus , quo Ædes SS. Marci , Marcelli , & Feliculæ consecrata est.

I. *PLura sunt , quæ Johannis hujus nomen celebre effecere , quæ omnia diligenter , & præclarè collegit Rubeus . Mirum ferè omnia Agnello omissa . Nil is de necessitudine , nil de quæstionibus super Pallii usum , quæ eum inter , & Magnum Gregorium intercessere . De hac re nonnulla in Dissertatione de Ecclesiasticæ Hierarchiæ orig., & supra in vitis Johannis Angeloptis, & Maximiani : at plura ex professo in Præfatione . Id omne ex Regesto epistolarum S. Gregorii discitur , unde Recentiores scribendi materiam sumpsere de usu Pallii, prout quisque eorum causæ semel electæ patrocinari voluit . Illud ego crediderim , quòd cùm Johannis , & Mariniani pietas satis comperta sit ex ipsis D. Gregorii literis , & Mariniani cum maximè, quem idem S. Pontifex ex Monacho invitum Ravennati Ecclesiæ præfecit , quandoquidem , & cum eo quæstio eadem viguit , facilè existimo verè à Prædecessoribus Episcopis Pallium adhibitum in Letaniis , seu cùm ad Ravennæ Ecclesias Clero , populoque sociati procederent orationis causâ , unde religione ea ducti , qua quisque honestus vir sui muneris decora tuetur , conati sint , quantùm quidem licebat , Pallii laudatum usum retinere . S. Gregorius autem , qui difficillimis licèt temporibus Romanæ Ecclesiæ supremam auctoritatem tuebatur , & id agebat , ut una Ecclesiasticæ disciplinæ regula per totum Orbem vigeret , nec in scriniis ejus rei asserendæ documenta inveniebat , monebatur autem id nequaquam consuevisse à S. Sedis Responsalibus , impediendum censuit . At ne jus alteri quæsitum læderetur , multa , gravique moderatione idem Gregorius egit . Etenim Johanni huic lib. 4. ep. 11. indulget*, ut donec subtilius veriusque aliquid cognoscatur in Letaniis solennibus , idest die Natalitio B. Jo: Baptistæ , & B. Petri Apostoli , & B. Appollinaris Martyris , atque in ordinationis Episcopi celebratione *Pallio utatur* . Reliquis Festis cultui *præscribit* , ut in Secretario secundùm morem pristinum susceptis, ac dimissis Ecclesiæ filiis induere Pallium debeat . *Denique juram nti per testes præstandi , quo veritas elucesseret , formulam ipse misit epist. eâ lib. 5. , quæ est 33., & inscribitur* ; ad Castorium Notarium de usu Pallii secundùm morem antiquum Andreæ Ravennati Episcopo restituendo . *Ineptè Andreæ Ravennati huic Episcopi titulus affigitur, qui nulli ejus nominis in Ravennati Eccl. ja tributus fuit . In epistolæ textu , quæ Mariniano sedente data est , Andreas à Magno Gregorio Magnifici , & Domni titulo ornatur . Hæc autem virum illustrem exhibent , sed laicum , qui pro usu Pallii restituendo enixè apud Gregorium oraverat . Altera etiam quæstio acta fuit de Mappulis , quas cùm passim adhiberent Ravennates Clerici , Romani , qui id sibi tantùm licere contendebant , egerunt , ut earum usus Ravennæ Clero interdiceretur . Sanctissimus tamen Pontifex concessit , ut Ravennatis Episcopi Diaconi Mappulis uterentur , quando cum Episcopo procedebant , & ejus obsequii gratiâ, non aliàs . Mappulas autem hujusmodi strata equorum fuisse , quibus Pontifice procedente Clerici Romani insidebant, monet Lantmeterus lib. p. de veste Clericali cap. 18. , & Ducangius confirmat in Glossar. Latin. ex Anastasio in Constantino .*

II. Amicitias , quas inter Johannem , & Gregorium intercessisse diximus , commendat Reliquiarum SS. Marci , Marcelli , & Feliculæ munus , qua de re plura Rubeus lib. 4., qui ex Agnello versus descripsit super Oratorii valvas positos, quod Johannes ipse construxerat à fundamentis , quodque Monasterii nomine vocatur . Huic Monachorum Monasterium adstitisse constat ex lib. 10. ep. 5. ad Castorium Notarium supra laudatâ . Castorio ea committuntur , quæ ad quædam ex legato , seu Testamento eidem Monasterio relicta pertinebant . Monachorum itaque cœtum Oratorio illi à Johanne additum videtur, cùm epistola illa data sit Ind. V. anno videlicet 602., Mariniano sedente . Frequentes autem Johannis , & Mariniani ævo Ravennæ Monachos fuisse , & plura Monasteria in Classe , ex diversis Gregorii epistolis pro eorundem indemnitate , ac disciplina datis , constat . Qua proinde in re duo mirari subit , Episcopos videlicet piissimos , quorum alter Monachus , & Monachorum pater fuerat , in eosdem non admodum benevolos extitisse , itaut non semel monendi fuerint à Sanctissimo Pontifice , & continendi ; nilque omnino Agnellum nostrum de Monachis Ravennatibus, seu Classensibus scripsisse usquiam in toto Pontificali Libro .

III. Cùm autem notabilia plura ex Magni Gregorii epistolis adnotaverit Rubeus ad Ravennatem Ecclesiam spectantia, illud mihi non omittendum censeo , Ravennæ videlicet S. Sedis Romanæ Apocrisiarium degisse. Constat id quammaxime ex laudata ad Castorium epistola , cùm in juramenti formula hæc habeantur ; sed hoc scio , & per memetipsum cognovi , quia ante tempora Johannis quondam Episcopi , Ravennas Episcopus præsente Apocrisiario Sedis Apostolicæ illo , atque illo , illo , atque illis diebus consuetudinem utendi Pallio habuit , & non cognovi , quia hoc latenter , vel absente Apocrisiario usurpasset. *Porrò sub Gregorii Pontificatu Castorium primùm, Johannem deinde Subdiaconum eo munere functos , ex diversis ejusdem Pontificis epistolis novimus . Conjiciebam cœptum Ravennam mitti Apocrisiarium S. Sedis Romanæ , cùm primùm Exarchi delegatâ veluti Imperatoris potestate Ravennæ fuere , at cùm hìc de veteris consuetudinis testimonio ferendo agatur, & non modò quæratur , an Pallio usus sit Johannes , vel Prædecessor ejus Petrus , sed Episcopi Ravennates antiquiores, Ravennæ existente illo , vel illo Apocrisiario , sequitur Magni Gregorii testimonio , ex veteri more, qui ante Exarchos obtinuerat , id urbi illi datum,* ut

(1) Rub. & extat. Bacch.

(2) reverendi . Mur.

ut Apocrisiarius in ea resideret. Quidni à Gothorum Regum tempore id inoleverit?

IV. Operæ autem pretium hic est Johannis hujus famæ à quacumque suspicione eximendæ gratiâ, clarissimi Ravennatum Scriptoris, sed & Caroli Sigonii de Regno Italiæ lib. 1., cui in hac parte nimium fidisse videtur, hallucinationem exponere, revincereque. Quod Paulus lib. 3. cap. 27., & ex Paulo Blondus narrat, is perperam intellectum obtrudit lib. 4. pag. 180., & ex Paulo, qui nil tale docuerat, ait Ravennatum Episcoporum, qui fastu insolenti laboraverunt, Johannem hunc antesignanum fuisse. Quinimo non Pauli tantum, sed plerorumque sensum se referre ait, qui senserint hunc primum omnium Ravennatum Episcoporum, qui defecerit à subjectione Romano Pontifici debitâ, & qui palàm id tentaverit, multis Italicarum civitatum Episcopis suam in sententiam adductis. Dum autem (ait idem) id in Severo Aquilejensi Antistite experitur, spemque non dubiam gerit facilè omnia ab illo, quòd civis suus esset, & patriæ dignitatem cupere existimaret, se impetraturum, contra reperit quàm putarat Severum omnino renuentem, qui nec ullis rationibus adduci posset, ut contra divinum jus, ipsamque Ecclesiam Romanam omnium Ecclesiarum matrem, ac magistram adeò impium facinus perpetraret. Hinc ait, vi per Smaragdum adhibita, Severum Ravennam pertractum cum aliis tribus Episcopis, coactum cum Johanne communicare, quos regredientes ad propria, Comprovinciales dubitantes, an in communionem recipere deberent, expectandam duxere Romani Pontificis sententiam, cujus est de Hæreticis judicare, qua habita, coacta decem Episcoporum Synodo, Severus, & tres reliqui Episcopi abjurata hæresi in suas sedes restituti sunt. Gregorio deinde Pontifice creato, inquit, Johannes Archiepiscopus visus est rescipuisse, tribusque Chalcedonensis Concilii capitibus, à quibus antea abhorruerat, assensisse. Sequitur, asseritque Blondum narrare rem contra se habuisse, Severumque hæreticnm effectum, conversumque Gregorii, & Johannis operâ, denuo in hæresim recidisse, & addit se Blondo, quàm Paulo superiora scribenti, libentiùs assentiri. Mirum quàm multimodis in his erret Rubeus deceptus, quòd Paulum Aquilejensem Diaconum non agnovit trium Capitulorum Defensoribus addictum, proindeque rem invidiosiùs narrantem, favereque Severo non quidem hæretico, sed schismatico. Qui tamen fieri potuit, ut Paulum ipsum non audiverit expressè narrantem Johannem trium Capitulorum damnatorem fuisse? Quis verò unquam scripsit Johannem Ravennatem Episcopum primum, qui tentaverit se à Romanæ Sedis auctoritate subducere, & Italicarum civitatum Episcopos in suam sententiam adducere, ut hi magno numero esse Rubeus indicaret, plerosque id affirmare asseverans? Paulus Warnefridi nil de his habet, vel de expectato Pontificis responso, antequam Synodus cogeretur, sed è contra tradit, Severum, qui Ravennæ Johanni communicaverat, & damnationi trium Capitulorum assenserat, revertentem ad sua, cum Johanne Parentino, Severo altero, Vindemioque Episcopis, ac Antonio Defensore, à Synodo in Mariano collecta, ubi ipse dedit libellum, inquit Paulus, erroris sui, quia trium Capitulorum damnatoribus communicaverat Ravennæ, receptum esse. Id ipsum narrant Schismatici Episcopi in libello ad Mauritium Imperatorem misso, cùm ad Romanam Synodum à Magno Gregorio vocarentur, & venire recusarint, quem Baronius exhibet ad annum 590. à Nicolao Fabro communicatum ex Bibliotheca, ut putat, Pithoeanâ, ex quo sequentia describenda in hanc rem duxi; post hoc, ordinato in Sancta Aquilejensi Ecclesia Beatissimo Archiepiscopo nostro Severo, quæ contumeliæ allatæ sint, & quibus injuriis, ac cæde corporali fustium, & qua violentia ad Ravennatem civitatem fuerit perductus, atque redactus in custodiam, quibusque necessitatibus oppressus, atque contritus fuerit, potuit ad Domini nostri pias aures sine dubio pervenire. Ruit itaque funditus plerorumque, qui tamen nulli inveniuntur, sententiâ nimis Johanni calumniosâ, & constat eundem pro Schismaticis ad unitatem reducendis cum Smaragdo Exarcho laborasse, & nil antiquius habuisse, quàm Romanæ Sedi subiici, quod Rubeus ipse agnoscit, vigente etiam de Pallii, & Mappularum usu cum Romano Pontifice controversiâ. Errat autem toto, ut ajunt, cœlo Rubeus, cùm Johannem dicit descipuisse à tribus Capitulis abhorrens, rescipuisse verò, cum ipsis assensum præbuit, nec satis novisse videtur trium Capitulorum historiam aliunde tritam; nam cùm Romana Ecclesia trium Capitulorum damnationi, demum Vigilio quintam Synodum approbante, calculum adiecisset, sapiebat, qui à tribus Capitulis abhorrebat, descipiebat inter Schismaticos, qui assentiebatur eisdem.

V. Anno 589., quo Johannes Episcopatus sui quartumdecimum agebat, SS. Marci, Marcelli, & Feliculæ Ædem finitam, dedicatamque novimus ex nono versu ex appositis ad ejusdem Præsulis vitam. Ante duos annos tamen magna ex parte ædificatam fuisse arbitror, cùm Smaragdus Exarchus dicatur postremos ejus operis sumptus pro parte suffecisse; Smaragdus enim anno 587. Romano novo Exarcho locum reliquerat. Hæc autem, quæ ferè ad rem chronologicam spectant, ex his, quæ in superiori Dissertatione dicta sunt, illustrantur.

VITA

VITA MARINIANI.

CAPUT PRIMUM.

Mariniani genus, & Patria. S. Gregorii Pastoralis Liber. In Episcopos Simoniacos insectatio.

DE SANCTO MARINIANO XXX.

MArinianus XXX. Iste Romana natione, rubeâ in se fuerat formâ, tensa, & longa facies, glavaneo fulgebat oculo, & in omnibus valde decorus, nepos prædicti Johannis Prædecessoris sui fuit. A' Beatissimo (1) Gregorio Romæ consecratus, & ab eo hic missus est, & cùm voluisset ex hac Cathedra evadere, ne Pontifex esset, dicebat se tanti honoris pondera implere non posse. Tunc Beatissimus Papa Gregorius cœpit consolatoria verba reficere dicens; ego propter te unum parvulum Librum faciam. Tene eum quotidie præ manibus tuis; semper in ipsum intende; observa verba illius Libri, & esto securus ab omni formidine. Et scribens Librum Pastoralem misit ei dicens; Frater carissime propter te hunc feci Librum, serva diligenter, sic edoce gregem tuum, sicut hìc continetur. Sis cum Sacerdotibus tuis, & cum universa plebe, ut securus possis dicere in examinis die; ecce ego Domine, & plebs mea mecum. (2) Et accipiens B. Marinianus erat quotidie legens in eo, & observans. Non fuit iste, ut cæteri, qui res Ecclesiæ devorant pro Episcopatus honore. Etiam alterius sumunt munera, & debitores fiunt, & si contigerit orta intentio de duabus personis, sic mercantur sui honoris dignitatem, quomodo aliquem venundent. Et mittunt inter se exploratores, quantam ille largire pecuniam vult. Et cùm renunciatur fortasse quingentos solidos, ille & deridet, quia pauci sunt. Ego, inquit, mille dabo. Interrogo: dicente Domino Ordinatori meo .... melius est illi mille solidos accipere, quàm illi pauci. Nesciunt miseri, quia Simoniacam hæresim sectantur. Et quomodo nesciunt, quando protestatur Pontifex dicens; *vide ne per dationem, aut repromissionem, quia Simoniacus es*? Et ille vetat; non utrorumque suorum malorum consensum? Occultè tribuunt, & accipiunt, & palàm omnibus negant. Cur non recordamini miseri? Quod coram hominibus negatis, patefiet coram divinis oculis, coram Angelis, & Archangelis, & coram Principatibus, & Potestatibus, coram Thronis, & Dominationibus, coram cœlestibus Exercitibus, & Virtutibus omnia occulta secreta ibidem publicabuntur. Vis pervenire ad culmen dignitatis? Conspice labores certaminis. Quid tibi prodest vestem induere pretiosam, cùm anima sit Diaboli laqueo capta? Num parum tibi videtur Ecclesiæ tenere regimen? Si considerare vultis Episcopus plus est, quàm Rex. Rex purpuratus, & auratus sedens in Throno regali semper de morte cogitat, gladii conscius, semper ut effundat sanguinem, pensat. Episcopus verò de salvatione animæ, de impiorum pœna solicitus, & de Paradisi gaudio. Videte quales inter utrumque, Rex, ut demoliatur corpora, Episcopus, ut coronetur animâ. Rex, ut captivos ducat rebelles, Episcopus, ut emat captivos, redimat, & absolvat. Iste, ut quieta nocte somnum ducat, ille nocte tota in laudibus persistat divinis. Et quid plura? Etiam & ipse Rex Episcopum, ut pro eo Deum deprecetur, rogat. Sufficiant ista; satis de vobis dixi. Non monendum, sed ad memoriam revocandum. Iste qui non ex nostro fuit ovili videte quomodo (3) tenuit archieraticam Sedem, monitus Apostolico dogmate.

CAPUT SECUNDUM.

Synchrona ex Historia Mariniano. Ejus mors, & Epitaphium.

ISTius igitur temporibus circa commorantes marina litora, maximèque in hac civitate Ravennæ, gravissima peste vastati sunt, & volutato anni circulo Veronenses cives valida mors consumpsit. Post hoc visum est terribile in Cœlo signum, & velut hostes sanguinei per totam noctem dimicantes, & lux clarissima lustrata est. Et ipso anno Theodepertus Rex Francorum cum Lothario patruele suo bellum commisit, ejusque exercitus vehementer attritus est. Post aliqua evoluta tempora Benedicti Patris Cœnobium, quod situm est in Castro Casino, nocte à Langobardis prædatum est tempore *Bonifacii* (4) Abbatis. Capta est inter hæc Agilulphi Regis filia cum Gudescalcho viro suo ab exercitu Callinici Patricii de civitate Parmense, & in hanc urbem Ravennæ capti, ducti sunt. Hic quoque antea privatus Smaragdus Patricius ordinatus est, qui postea ab honore Patriciatus à Callinico abjectus est, & ipse sibi dignitatem assumpsit. Tunc Ravennenses cives indignati, projecto Callinico temerario, Smaragdum in locum pristinum restituerunt, Mauritius verò Augustus post XXI. annum Imperium tenuit cum suis filiis Theodosio, & Tiberio, & Constantino, à Phoca ipsius Stratore, qui fuit Prisci Patricii, occiditur. Igitur, ut diximus, semper bellum fuit inter Ravennenses, & Langobardos, & discordia grandis propter filiam suam, quæ capta à Ravennatibus fuerat. Et propter ipsam iram ci-

(1) *Iste fuit consecratus à B. Gregorio Papa circa annum Domini DXLVIII.* Bacch.

(2) Hic enim verò sui temporis Clericos, & Episcopos insectatur Agnellus. Lege itaque ea cautione, quam doceris in Præfatione §. 1. *Bacch.*

(3) *pie.* Mur.

(4) lege *Boniti*. Bacch.

vitas Cremona à prædicto capta, & destructa est Rege, & Mantua nimis vexata est, & disrupta. Regnante Phoca anno secundo Indict. VIII. Beatus Gregorius migravit ad Dominum, successitque ei Savinianus; fuitque in ipso tempore validum frigus; messes verò vastatæ à muribus sunt, & aliæ percussæ uredine; & in eodem anno in populo fames valida, quia frugalitas omnis parva, & rara inveniebatur, sicut nunc est temporibus nostris. Idcirco hoc factum est, ut inditium amissæ prædicationis de morte B. Gregorii à Deo per ipsam famem validam ostenderetur, quia cibus animæ prædicatio divina est, corporis verò omnis frugalitas. Igitur, ut diximus, mortuus est hic Beatissimus die X. Kal. Novembris, & sepultus est in Ardica B. Apollinaris extra muros Classis cum multis lamentationibus, & est ibi Epitaphium exaratum ita.

Santificus semper monitis memorande Sacerdos,
Hoc positus tumulo Mariniane iaces.
Corpore defunctus, tamen est tua fama superstes,
Artus obit terris, lux tua facta tenet.
Mœnibus hic veniens Romana Antistes ab urbe,
Tutata est precibus Sancta Ravenna tuis.
Cuncta salutifero disponens tempore secla,
Te pius in populo Christe rogante dedit.
Quòd tamen his Templis meruisti sumere busta,
Te placuisse Deo, tanta sepulcra probant.
Utque vices Christi gessisti ritè Sacerdos;
Ipsius inque locis sit tibi sancta quies.

Sedit ann........ mens........ dies.........

OBSERVATIONES

AD VITAM

MARINIANI.

Marinianus Monachus, & Presbyter. An Abbas Cellæ Fratrum? Liber Pastoralis Johanni, non Mariniano scriptus. Qua occasione scriptus. Argumenta epistolarum omnium D. Gregorii ad Johannem, & Marinianum scriptarum.

I. A*Gnellus Marinianum Johannis Prædecessoris nepotem dicit, quod aliunde ignoratur, tacet Monachum cum D. Gregorio, quod ex S. Pontificis testimonio certum est. Lib. 4. epist. 45. ad Andream Scholasticum Monachus dicitur, ex Monacho Presbyter, & munus Episcopi refugiens.* Tandem, *inquit Magnus Gregorius,* his improbatis, *Donato videlicet, & Johanne*, venerabilem virum, fratrem, Presbyterumque Marinianum, quem diu mecum didicere in Monasterio conversatum .... petiverunt; cui refugienti diversis modis vix aliquando potuit suaderi, ut eorum præberet petitioni consensum, *& sequuntur multa ad Mariniani commendationem exarata. Cogitavi aliquando, an hic Marinianus idem fuerit, qui nominatur Cellæ Fratrum Romæ Præpositus, de quo Gregorius ipse lib. 1. epist. 54. ad Petrum Subdiaconum; at diversus visus est, siquidem ille, qui Abbas, sive Præpositus Cellæ prædictæ fuit, ille ipse videtur, cui Gregorius scribit de Ecclesia S. Gregorii restauranda. Porrò quod Noster tradit D. Gregorium, ut Mariniani animum erigeret librum Pastoralis scripsisse, non potest approbari, cùm Liber in editis, ac ineditis Johanni Episcopo inscribatur, & in Præfatione scribendi inde occasio nata dicatur, quòd Johannes Gregorium reprehenderit, quia delitescendo à Pastorali onere se subducere fugâ studuerat. Porrò Gregorius librum à se ob id scriptum ait, ut qui oneribus dignitatum caret, ea ne incautus expetat, qui incautus expetiit adeptum se esse timeat; argumentum planè aptius, quod ambientem retrahat, quàm quod Marinianum oneri subeundo alliceret. Noster itaque hic se prodit, & in libri ejus lectione omnino hospitem, & à vulgi rumoribus deceptum.*

II. Plura ad Mariniani Vitam illustrandam ex epistolarum Magni Gregorii Regesto congessit Rubeus lib. 4., plura & Carolus Sigonius in eximio illo de Regno Italiæ Opere. Ipse ad Johannis, & Mariniani Vitas absoluti Commentarii loco esse posse reor, si compendiosè epistolarum earum, quas utrique conscripsit Magnus ille Pontifex, breviarium hìc subjiciatur. Id eò opportunius fiet, quò in horum Episcoporum vitis conscribendis negligentiùs se gessit Noster, qui aliàs plura posteris commendanda ex his epistolis desumere debebat.

SERIES
EPISTOLARUM

D. Gregorii Magni ad Johannem, & Marinianum Ravennates Episcopos, & earum, quæ quovis modo ad eorundem Acta pertinent.

Ex Lib. I. ep. 35. Ind. IX. post mensem Martium Ann. 591.

M*Aurilio gloriosus vir, & Expræfectus innocens, ob calumnias illatas intra septa Ecclesiastica morabatur. Gregorius eundem Johanni Episcopo plurimùm commendat, ut absque oppressionis periculo apud Georgium Præfectum rationes reddere queat.*

Ex Lib. 2. ep. 22. Ind. X. mense Julio Anni 592.

Laudatur Johannes Episcopus, quia Castorium Ariminensem Præsulem infirmum non modò visitaverat, sed intra Ravennatem urbem susceperat. Illum ob petentium importunitatem à se ordinatum dicit Pontifex. Præcipit, ut si fieri potest Romam mittatur. Episcopos ad suam Metropolim pertinentes, non valentes ob impedita itinera ad se venire, Ravennati Episcopo commendat, ita tamen, ut Ravennam pro eorum causis minimè evocentur, ne difficillimis temporibus vexatio augeatur. Si sint tamen, quæ reprehendi mereantur, illos literis moneat Ravennas Episcopus; graviora verò ad se referantur.

Ex Lib. 2. ep. 28. Ind. eadem.

Literis his ad Johannem datis quæstionem inter Viulandum, & Gavimianum Diaconum vertentem, brevi manu expediendam præcipit.

Ex Lib. eodem ep. 32. Ind. eadem.

Gregorius ob id se Johannis literis non respondisse ait, quia Agilulphi, quem Arnulphum dicit, Langobardorum Regis hostilis in Romanos furor, se eâ mœstitiâ affecerit, ob quam in colicam inciderit. Agnoscit Ravennatis Episcopi ergâ se amorem, succurrere cupientis, sed minimè valentis. Laudat acta, scriptaque contra Schismaticos Histriæ Episcopos, seque Mauritio jubenti, ut à prædictis compellendis cessaret, libertate Apostolica scrip-

scripsisse ait. Romanum Patricium ferendum suadet, & agendum, ut ad breve saltem tempus induciæ cum Agilulpho fiant, id paucitate militum suadente. Monet Ordinatum semel, rursus ordinari non debere, sicut nec Baptizatum, baptizari; sed si quis cum levi culpa ad Sacerdotium venit, pœnitentiâ impositâ, debere in ordine collato permanere. Agilulphum cum Aroge Neapoli imminere ait. Eleemosynam Severo schismatico, cujus civitas incensa fuerat, minimè mittendam dicit, quòd ille muneribus rem suam apud Imperatorem tueatur; potiùs Fanensi civitati succurrendum misso Claudio Abbate cum pecuniis, quarum summam Johanni decernendam relinquit. Natalem Episcopum rescipuisse lætatur, Malchum item Episcopum rationes reddere jubet, antequam proficiscatur.

Ex Lib. 2. ep. 54. Ind. XI. mense Majo Ann. 593.

Johannes à Castorio Ravennam veniente Romanæ Ecclesiæ Notario monitus de Pallio nonnisi certis diebus ferendo, id ægrè tulerat. Gregorius ob id eundem rursus per epistolas monet, ac præcipit pluribus, ut mos aliorum Metropolitanorum observetur, nisi Privilegium singulare à Romana Ecclesia obtentum exhibeatur. Moderati animi rationes inculcat. Ait se Privilegium hujusmodi in scriniis quæsitum minimè reperisse, at potiùs extare nonnulla, quæ obstent; sed nec consuetudine probari ait. Prohibet, ne Pallium in publicis Letaniis ferat, sive ante fratrum dimissionem eo in Secretario utatur. Sacerdotum criminosorum causas, vel Ravennæ à Jo:anne finiendas, vel Sacerdotes eosdem compellendos, interdicto sacri Ordinis exercitio, ut Romam veniant. Circa Mappularum usum, indulget, ut Diaconi Episcopo procedenti obsequentes easdem adhibeant.

Ex Lib. 2. ep. 55. Ind. eadem.

Johannis Episcopi Ravennatis epistolâ, qua summa animi moderatione se tuetur, qui non superbiæ fastu, sed suæ Ecclesiæ zelo, Pallii usum pro suorum Prædecessorum more sibi deberi crediderat. Cæterùm se erga Romanam Sedem summo, ut par erat, obsequio duci, ait, in cujus sinu enutritus fuerat, & pro qua multorum invidiam, ac indignationem offenderat. Se nil novi ausum fuisse, sed illud egisse, cujus consuetudo Ravennatum omnium testimonio commendabatur. Quæritur, & peccatorum suorum causâ accidisse lamentatur, quòd post tot labores, & angustias, quas intus, forisque pro Ecclesia Romana sustinuerat, tales vices rependantur. Sperat tamen futurum fore, ut Pontifex patris more post correptionem acriùs adhibitam, blandiatur, & Privilegia non modò confirmet, sed augeat. Romæ etiam Ravennates Clericos Mappulis usos adjicit, qua de re Romanos ipsos testes appellat. Orat denuo, ut Privilegia Ravennatis Ecclesiæ serventur, quæ Romam misit; interim se ab usu Pallii abstinere, quousque quid super his Pontifex decernendum censeat, intellexerit.

Ex Lib. 3. ep. 37. Ind. XII. mense Julio anno 594.

Ad Constantium Episcopum Mediolanensem hæc scripta est epistola, in qua præter alia, cum plurimis admirationi, seu scandalo esset, quòd Constantius inter Missarum solennia Johannis Ravennatis nomen recitaret, is ne id agat admonetur, quandoquidem nec Ravennas Episcopus Mediolanensem nominat, & illud absque nonnullorum scandalo fieri minimè potest.

Ex Lib. 4. ep. 1. Ind. XIII. ante Januar., anno 594.

Cùm in Monachorum Monasteria Clerici, & Laici nonnulli eo ductu spiritu venirent, ut cæteris præficerentur, Pontifex hac ad Johannem epistola cavet, ne id fiat, & quod factum est, emendetur.

Ex Lib. 4. ep. II. Ind. eadem, mense Octobri, anno 594.

Johannem ob usum Pallii in Letaniis inhibitum dolentem, petentibus Exarcho, & Ravennæ Proceribus, consolatur Gregorius, indulgetque, ut juxta Adeodati Diaconi exhibitum testimonium, illo interim utatur in die Natalitio B. Jo: Baptistæ, B. Petri Apostoli, ac B. Apollinaris, & in solemnitate Ordinationis suæ; in Secretario verò, dimissis Ecclesiæ filiis.

Ex Libro eodem ep. 15. Ind. eadem.

Johannem reprehendit, quòd aliud loquatur, aliud scribat, servis suis imponat, & calumnietur, non incumbat disciplinæ Ecclesiasticæ promovendæ, Pallio extra Ecclesiam uti præsumat. Addit se Ravennatem Ecclesiam fovere, qui Diacono Ravennati locum auxerit, & Constantinopolim scripsisse, ut circa Pallii usum, quid cæteri Metropolitæ consueverint, edoceatur. Monet iterum.

Ex Lib. eodem ep. 18. Ind. eadem, mense Decembri, anno eodem.

Speciosus Presbyter à Johanne Episcopo in Monasterium relegatus, resistebat fretus Exarchi potentiâ. Exarchum monet Gregorius, ut Episcopo liberum sit uti jure suo, & ne auxilium præstet Sanctimonialibus ad seculum reversis.

Ex Lib. eodem ep. 20. Indict. eadem, mense Februario, anno 595.

Obitum Johannis Episcopi sibi per relationem significatum Pontifex dicit; Severo proinde Ficoclensi Ravennatis Ecclesiæ visitationem delegat, quam agat ita, ut nil eidem, vel Clero detrahatur.

Ex Lib. eod. ep. 22. Ind. ead.

Ad Ravennates data est, ejusdem argumenti, ac superior.

Ex Lib. eod. ep. 23. Ind. ead.

Castorium monet, ne post obitum Johannis, de quo dolet, novi Episcopi electio ob pecuniam fiat, sed meritis inspectis. Sive autem unus, sive duo electi fuerint, quinque de prioribus Presbyteris, & quinque de Diaconibus simul Romam ad se venire jubet; de Clericis verò præter eos, qui venire deliberant, si quos alios Castorius necessarios existimet, transmittat.

Ex Lib. eod. ep. 44. die 5. mensis Junii, Indict. eadem.

Acta Synodi Romanæ, in qua subscribit statim post Gregorium Marinianus Episcopus civitatis Ravennæ.

Ex Lib. eod. ep. 45. Ind. ead.

Andreæ Scholastico narrat Pontifex Exarchum commendasse Donatum Archidiaconum, Johannem verò Presbyterum electum, se utrumque rejecisse, priorem ob Acta non probanda, alterum quia psalterium nesciebat; Marinianum Presbyterum sibi quondam in Monachatu socium petitum, sed refugientem se probasse, & Episcopum Ravennæ ordinatum plurimùm commendat.

Ex Lib. eod. ep. 54. Indict. ead. mense Augusto.

Mariniano Pallium concedit ea ratione, ut eo utatur in Ecclesia sua, dimissis filiis, à Salutatorio procedens ad Missarum solennia, peractis verò Missis in Salutatorio Pallium deponat. Extra Ecclesiam id indulget pro quatuor anni diebus, ut Johanni concesserat. Confirmat Privilegia Ravennatis Ecclesiæ.

Ex Lib. 5. ep. p. Indict. XIV. anno 595.

Clerus Ravennas, Testamento condito, Johannem Ecclesiæ eidem offecisse, questus fuerat. Licèt igitur repudiata hæreditate præjudicium omne ablatum fuisset, decernit nihilominus, ut quæ ad Ecclesiam pertinent, quæque in Episcopatu adeptus fuerat testator, Ecclesiæ tribuantur: quæ verò ante Episcopatum possederat, eorum censeantur, quibus legata fuerant. Mariniano scripta est epistola. Adjicit suum effectum sortiri debere legatum Monasterio S. Apollinaris à Johanne constructo, quod vivens confirmandum petierat.

Ex Lib. eod. ep. 2. Ind. ead.

Ravennatibus asserit Marinianum pro S. Chalcedonensi Synodo stare, & præcedentes œcumenicas venerari.

Ex Lib. eod. ep. 24. Ind. ead. Novembri.

Conquerebantur Clerici Ravennates causam vertentem inter Ecclesiam, & Claudium Abbatem, Romam delatam. Gregorius id iure factum censet, quòd Claudius se à Johanne Mariniani prædecessore læsum diceret, ritèque ad Romanam Sedem quæstionem deductam. Ita & in civitate Regia Johannem Presbyterum contra Johannem Constantinopolis Episcopum secundùm Canones ad Romanam Sedem recurrisse, Romæque in causa judicatum. Marinianum monet, ut spatham, quam Petrus Diaconus Ravennæ reliquerat, per Secundinum, & Castorium Romam mittat.

Ex Lib. eod. ep. 28. Indict. ead. mense Martio, anno 596.

Mariniano roganti, quæ Monachorum Monasteriis præjudicium inferebant, negat petita, eumque monet, ut eadem foveat, defendatque, nec sinat à Clericis, laicisve in ullo molestiâ affici. Indulget, ut Romanum, & Dominicum Clericos, qui sine benedictione ausi fuerant Roma discedere, relaxare possit.

Ex Lib. eod. ep. 29. Ind. ead. Aprili mense.

Secundino de pace Agilulphi scribens, iubet Marinianum increpet cùm eleemosynas minimè præbeat, queriturque eundem suis literis minimè respondisse.

Ex Lib. eod. ep. 30. Ind. eadem.

Ad Ravennates datâ. Excommunicatione innodatur, qui nocte furtim libellos contestatorios contra Castorium posuerat.

Ex Lib. eod. ep. 33. Ind. ead.

Andreas, qui Magnifici, & Domni titulis decoratur, instaverat, ut juxta veterem consuetudinem Episcopus Ravennas in Litaniis publicis usum Pallii haberet. Decernit Pontifex, ut Castorius testes juratos ad Corpus B. Apollinaris super ea re audiat, & formulam juramenti præscribit.

Ex Lib. 7. ep. 39. Ind. XV. mense Julio, anno 597.

Marinianum monet, ut Episcopum ordinet in Corneliensi Ecclesia in locum lapsi.

Ex libr. eod. ep. 40. Ind. ead.

Præcipit ne Clerici quovis prætextu in Monasteriis degant, & si Monachus ad Clericatum, vel ad Ordinem sacrum promoveatur, nullam exinde in Monasterio habeat potestatem. Petit qui Romam veniat, cuique Monachos tradat in Monasteriis Ravennæ mansuros.

Ex Lib. 7. ep. 18. Ind. I. mense Aprili Anni 598.

Ad Marinianum, ut supra relata data est, continetque Privilegia pro Monasterio SS. Johannis, & Stephani in Classe.

Ex Lib. eod. ep. 19. Ind. ead.

Eidem Claudium Abbatem commendat.

Ex Lib. eod. ep. 21. Ind. ead.

Eidem uxorem Johannis commendat, quæ in controversiam suæ conditionis vocabatur.

Ex Lib. 7. ep. 9. Ind. II. post Septemb., anno 598.

Callinico Exarcho scribit se Mariniano significasse quid de Capritana insula statutum sit.

Ex Lib. eod. ep. 10. Ind. ead.

Johannes quidam veniens de Pannonia in castello Novas, cui insula Capritana quasi per Dioecesim coniungebatur, fuerat ordinatus, qui tamen ab Histrico Episcopo violenter expulsus à Sede, alio ordinato, permissus est in insula degere. Is nolens Schismati adhærere, petierat cum sua plebe uniri Catholicæ Ecclesiæ, & postmodum resilierat perseverante plebe in sua petitione. Jubet Gregorius, ut Marinianus videat an Episcopus ad unitatem redire velit; si nolit redire, ordinet alium, & insulam in sua Diœcesi habeat, usque dum Histriæ Episcopi Schismati abrenuncient. Agat etiam, ut Callinicus hæc Imperatori referenda curet, quod se egisse ait per Anatolium. Demandat Maximi causam, & si ita res exigat, Constantium Mediolanensem secum in Judicem adsciscat, ut cogno-

gnoscatur an ille ritè sit ordinatus, vel in Simoniacam hæresim lapsus.

Ex lib. eod. ep. 50., seu 84. Ind. ead. post Januarium, anno 599.

Imminente electione Ariminensis Episcopi, Mariniano committitur, ut in Electi merita, & in Electionem inquirat.

Ex Lib. eod. ep. 51. aliàs 85. Ind. ead.

Clero, Plebique Ariminensi præcipit ob Episcopi infirmitatem, alterum eligi debere, electumque Ravennam perduci ad Marinianum, qui testimonium pro Electo, Romam & ipse veniens perhibeat.

Ex Lib. eod. ep. 69. aliàs 103. Ind. ead.

Constantio Episcopo Mediolanensi Maximi Salonitani Episcopi causam demandat, quam Mariniano commiserat.

Ex Lib. eod. ep. 77. aliàs 111. Ind. ead.

Florentius Ravennas Diaconus testatus fuerat Episcopos Ravennæ consuevisse Pallio uti in omnibus Letaniis; Gregorius hac ad Castorium data ait se oppositum intellexisse, ac idipsum elici ex Johannis quondam Episcopi literis, in quibus dicitur ex prisca consuetudine Ravennates Metropolitas Pallium induisse in Letaniis solemnioribus, & Aleodatum Diaconum dixisse, id factum in quatuor, vel quinque solemnibus Letaniis. Sibi itaque perscribi vult quot Litaniæ solemnes consueverint celebrari, quæ majores vocabantur. Castorium tamen monet, ne id exquirat à Clericis, sed ab aliis nulli parti addictis, ut veritate comperta Mariniani animum consoletur.

Ex Lib. eod. ep. 80. aliàs 114. Ind. ead.

Mariniano, qui id per Castorium petierat, committitur, ut si Maximus Salonitanus Episcopus ad Corpus S. Apollinaris se purgaverit à reatu Simoniacæ labis, & aliorum, præstito Sacramento, impositaque pœnitentiâ, si opus sit, absolvatur. Ait Pontifex se ratum habiturum, quod iis in rebus Marinianus decreverit. Sequentes binæ epistolæ ad Castorium, & Maximum ejusdem sunt argumenti.

Ex Lib. eod. ep. 99. aliàs 133. Ind. ead.

Mariniano commendantur Schismatici ad unitatem Ecclesiæ reversi.

Ex Lib. eod. ep. 100. aliàs 134. Ind. ead.

Incolis Capreæ, sive Capritanæ Insulæ significat se Mariniano demandasse, quid facto opus sit, si eorum Episcopus schismaticus ad unitatem venire renuat. Hæc cùm ejusdem sit argumenti ac X. Ind. I., vel hæc ad præcedentem annum, vel illa ad hunc spectat.

Ex Lib. eod. ep. 130. aliàs 164. Ind. ead.

Maximo Salonitano, qui se plenè purgaverat ab oppositis, Pallium mittit.

Ex Lib. 8. ep. 8. Ind. III., anno 600.

Mariniano Johannem Præfectum, hujusque uxorem, quæ Romam perducatur, commendat.

Ex Lib. eod. ep. 9. Ind. ead.

Petrus quidam nequam Sanctimonialem à Monasterio abstraxerat, quam apud se retinebat. Urget Pontifex Marinianum, ut facinus puniat, promittens se auxilio affuturum, & si opus sit Constantinopolim scripturum.

Ex Lib. 9. ep. 2. Ind. IV., anno prædicto ante Decembrem.

Florentium, sive Florentinum Diaconum miserat Marinianus Constantinopolim, ut Patrimonium Ecclesiæ Ravennatis in Sicilia summo detrimento affectum, restitueret. Gregorius Marinianum monet, se Anatolio commendaturum Florentium. Indulget, ut quendam ad Sacrum Ordinem promoveat. Indicat aliquid à se commissum, quod Marinianus neglexerit.

Ex eod. Lib. ep. 3. Ind. ead.

Anatolio Florentium Diaconum commendat.

Ex Lib. eod. ep. 4. Ind. ead.

Alexandro Presbytero Patrimonium Siciliense Ecclesiæ Ravennatis, cui restituendo in Siciliam Johannem Diaconum miserat, plurimùm commendat.

Ex Lib. eod. ep. 28. Ind. ead. ann. 601.

Marinianum vomitu sanguinis laborantem, Gregorius epistolâ amoris, & existimationis argumentis refertâ, hortatur, ut dispositâ Ecclesia, Romam veniat, ubi ab ægritudine curetur; interim à jejuniis, vigiliis, aliisque hujusmodi abstineat.

Ex Lib. 10. ep. 5. Ind. V. anno 602.

Mariniano Maurentii homines commendat. Sequens ejusdem argumenti epistola ad Theodorum Curatorem.

Ex. Lib. eod. ep. 9. Ind. ead.

Castorio mandat, ut, si quædam Monasterio SS. Marci, Marcelli, & Feliculæ donata fuerunt, donatio teneat.

Ex Lib. eod. ep. 22. Ind. ead.

Defuncto Claudio Abbate agebatur de alterius electione. Præcipit itaque Gregorius Johanni Subdiacono, ut Optimus probetur, & à Mariniano ordinetur, cui id oneris incumbat è Monasterio peculiaritatis vitium extirpandi.

Ex Lib. 11. ep. 27. Ind. VI. mense Febr. anni 603.

Præcipit ut Bonifacius ad se Johannem Ravennatem Clericum mittendum curet.

Ex

Ex Lib. eod. ep. 34. Ind. ead. Martio.

Præcipit Mariniano, ut sibi in phthisi consulat, & cùm noverit se convaluisse, indulget ut semel, vel bis in hebdomada jejunet. Monet tamen ne nimis valetudini fidat, prævidetque morbum sopitum, non curatum.

Ex Lib. 12. ep. 1. Ind. VII. Octobri mense, anno eodem.

Fortunatus ordinatus fuerat Abbas SS. Laurentii, & Zenonis in Cesenati Castro à Natali quondam Episcopo. Is à Natalis Successore Concordio, A *nulla causa existente, remotus ab officio fuerat. Jubet Pontifex, re perspecta, in pristinam dignitatem à Mariniano restituatur.*

Præter hæc commodi gratiâ hîc ex Regesto Magni Gregorii collecta, extat Concilium Romanum, sive Lateranense tertium in Conciliorum Collectionibus, in quo Constitutum habetur pro Monachis datum Non. Aprilis Ind. III., alibi IV., in quo ex Codice manuscripto Cœnobii Flaviniacensis in Burgundiæ Ducatu, Marinianus Ravennas Episcopus *subscribit. In eo Constituto tamen eadem ferè continentur, quæ leguntur supra ep. 18. lib. 17. Ind. 1. Cæterùm Marinianum Romæ fuisse Ind. III., vel IV. vel toto ferè tempore, quo sedit, inverisimile fit ex superiorum epistolarum serie.*

VITA JOHANNIS.

CAPUT UNICUM.

Perpetua in sui temporis vitia insectatio est. Johannis Sepulcrum indicatur, & Sedis tempus.

DE SANCTO JOHANNE XXXI.

Johannes (1) XXXI. Hic plenus corpore, pulcher formâ, pinguis facie, magnos habens oculos, alacri vultu, decorus aspectu. (2) Iste non ut Dominus, sed ut pius pater ovium fuit, mansuetè cum eis vixit, ab omnibus dilectus, irreprehensibilis vir, pater Orphanorum, Viduarum lacrymis consolator, Pupillorum defensor, Egenorum tributor, Elisorum erector, Compeditorum absolutor, & omnium bonorum sectator, magis in Dei laudibus gloriosus. O qualis iste! & quales modo sunt! Non laniavit oves, sed de fructu gregis semper erat sua refecta mensa, & comedebat in lætitia, exultans cum Sacerdotibus, & universa plebe. (3) Sed tales hodie non sunt. Ergo quales sunt? Nonne sunt Episcopi, ut illi, & accipientes Spiritum Sanctum in hora Ordinationis, sicut & ipsi, & sunt Episcopi similiter sanctificati? Sed multò magis dissimiles ab illis, quia illi pro ipsorum animabus partem rerum maximam suarum Ecclesiis obtulerunt, & Ecclesias inclytaverunt; quotidie cum lamentationibus preces Deo dabant, & captivos redimebant, & pro talibus beneficiis peccata expiabantur, & quotidie in orationibus misericordem Dominum deprecabantur. Modò verò non sunt tales isti, ut illi. Sunt nonnulli, qui tali dono quondam Ecclesiæ concesso, canes nutriunt, pauperes projiciunt, aucupes gubernant, accipitres fovent, & *scurribus delectantur*, (4) Sacerdotes projiciunt, Officiales Ecclesiæ repellunt, & omnes suffocant Ecclesiæ cœtus, &, quod pejus est, venundant frumentum Ecclesiæ, & oleum, & *humida* (5) vina, & faciunt ex illis pondera argenti, & auri, dabuntque Principibus, & Potestatibus, ut demergant Sacerdotes suos, etiam plebem universam. Illi, ut superiùs audistis, tribuebant ad redimendum, isti nunc modò ad interimendum. Non sunt memores sermonis illius Prophetæ, qui ait; *Principes tui in medio tui sicut Leones rugientes, atque animas comedentes per potentiam*. Qui sunt isti Principes, nisi miseri Episcopi, qui res Ecclesiæ deglutiunt, & Sacerdotes suos spernunt, per occasiones res eorum auferunt, & nulla illis solatia impendunt, sed etiam, quòd illorum est, auferunt. (6)..... Ecclesia non participant, sed sua perdunt? Audite improperium vestrum, Salomonis verba; *Leo rugiens, & Ursus esuriens, Princeps superbus super populum humilem*. Cur non recordamini inspectores Episcopi, Ecclesiæ Præsules, quod in Evangelio dicitur, *quia qua hora nescitis Dominus vester venturus est*? Cur non piè vivitis, & datis exemplum *videntibus*, (7) ut ex vobis doctrinam sumant, & piè in Christo vivant? Si autem aliquem corripere volumus, statim improperant nobis vocem derisionis plenam; Tu quis es? Melior es illo, & illo Episcopo? Ego vidi illum talem inspectorem dantem de sua mensa panem canibus; vidi talem currentem cum equo secus canes, & lepores; vidi illum manibus suis tenentem accipitrem; & tu mihi predicas? Ecce cùm talia, & his similia audimus, confusi ab ipsis recidimus. Dicite mihi inspectores; unde divitias habetis? Nunquid ex vestris parentibus? Non; sed ex dimissione hominum mortuorum Ecclesiæ ditatæ sunt. Pro qua igitur causa ipsi dimissionem fecerunt? Nisi ut eorum *anima* (8) per vestras intercessiones mundaret, & ablueret Deus. Quare Sanctorum Patrum regulam transgredimini, & relinquitis, quæ præceperunt, dicentes; *Episcopi rebus Ecclesiæ tanquam commendatis, non ut propriis utantur*. Dicite

(1) *Tertius*. Mur.
(2) *Floruit circa annos Domini DLXVIII. temp. Phocæ Imp.* Bacch.
(3) In suæ ætatis Episcopos acerbè nimis hìc invehitur Agnellus. An vera, quæ insectatur vitia, prudens Lector aliunde perpende, & vide quæ in Præfatione §. 1.
(4) *scurriles delectantur cantus*.
(5) *legumina, &*. Mur.
(6) *ex ope*. Mur.
(7) *viventibus*. Mur.
(8) *animas*. Mur.

cite mihi, cùm egressi fueritis de corporibus vestris, si non ipsi querelaverint adversùm vos, & dimiserit vobis Deus hoc peccatum? Etiam si illi dederitis eleemosynam ex ipsis rebus, quam mercedem habebitis? Non ex vestra substantia, sed de Prædecessorum anima. Sicut enim Dominus, qui vocat Villicum suum, & jubet illi, ut dispendio familiæ suæ det centum modia tritici, & ille aliquantum teneat sibi, & non omnia expendat, & qui sunt extrinsecus annuncient Domino suo, de eo, quod non tribuit totum, sed fraudulenter tenuit, flagellatus à Domino, qui removeat eum à villicatu, aut foras projiciat, aut quòd omissione non explevit, mittatur in carcerem; ita & de vobis talem protulit Evangelista sententiam dicens; *quòd si dixerit Servus ille in corde suo moram faciet Dominus meus venire, & cœperit percutere pueros, & ancillas, edere, & bibere, & inebriari; veniet Dominus servi illius in die, qua non sperat, & hora, quam nescit, & dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.* Miseri! de vobis dicta sunt, qui Ecclesiæ regimen suscepistis, qui irreprehensibiles esse debetis absque ulla macula; & cùm rapti fueritis à morte in tali negligentia, qualis perditio est, cùm Episcopus rapitur ad supplicium, & populares invitantur ad regnum? Sed Patres mei cautè agite, quia dies Domini veniet sicut fur. In vice Apostolorum sitis, illorum tenetis Cathedras, per illorum discurrite vias; ut in eorum ordine connumeremini. Sed hic Beatissimus Johannes, qui Pontificium humiliter rexit, omnes vitæ suæ lætos duxit dies. Rexit in pace Ecclesiam suam divina implens mandata. Obiit corpore, & sepultus est, ut æstimo, in Ardica B. Apollinaris. Sedit ann. V., mens. X., dies XVIII.

VITA JOHANNIS.

CAPUT PRIMUM.

Classis opibus Ecclesiæ redempta tribus vicibus. Moralia rursus ad Episcopos.

DE SANCTO JOHANNE XXXII.

JOhannes (1) XXXII. mansuetus, & humilis vir, sapiens corde, prudens in verbis, pulcra habuit eloquia, honestam duxit vitam, moresque bonos de mellito sermone. Prædecessorum suorum ammonitiones inlæsas, & incolumes custodivit. Hic autem, ajunt quidam cives, (2) civitatem Classis ab hostili populo ope multa Ecclesiæ tribus vicibus emit; non solùm civitatem, sed & habitantes in ea, cum suburbanis suis omnibus, ut factum suum emit. Nam observans evangelica verba, quotidie intendebat, quod dicitur; *discite quod est, misericordiam volo, & non sacrificium.* Audite igitur per Prophetam; *nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Audite* (3) alium Prophetam Esajam filium Amos; *cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaveritis preces, non audiam.* Quare? *Ubi est* gloria Domini? Invocabis (4) *me in die tribulationis tuæ, eripiam te, & magnificabis me.* Certè & alter Propheta; *in die tribulationis clamabunt, & exaudiam.* Modò quid? Ubi ergo Esaja vaticinium, quod dixisti; *hæc dicit Dominus; cùm deprecatus eum fueris, adhuc te loquente dicet; ecce adsum?* E' (5) contrario dicit; *avertam oculos meos à vobis.* Una vox lætificat nos, alia contristat. Et quare nos non exaudiet *Dominus* (6) invocantes se? Immo exaudiet, sed moriemur. Audi; *quare manus vestræ sanguine plenæ sunt? Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quærite judicium, subvenite oppresso, defendite viduas, & venite, & arguite me, dicit Dominus.* Et iterum; *veh qui justificatis impium, & pro munere condemnatis justum. Veh qui dicitis bonum esse malum, & malum bonum dicitis, quia non est impiis gaudere dicit, Dominus. Sed si auferas à te omne vinculum iniquitatis, & verbum murmurationis; & da esurienti panem tuum ex animo, & animam humiliatam satiabis.* Et Esajas dicit; *erit Deus tuus tecum semper, & non declinabit à te. Tunc clamabis, & Dominus exaudiet te; adhuc te loquente, dicet; ecce adsum.* Videte quomodo citò exaudiet Deus observantes præcepta sua? De justis audi iterum David; *junior fui, & senui, & non vidi justum derelictum, neque semen ejus quærens panem.* De peccatoribus autem quid scriptum est? *Peccatori autem dixit Deus; quare tu enarras justitiam meam, & sumis testamentum meum per os tuum,* & cætera usque; *intelligite, qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit, qui eripiat.* O' carissimi hic sermo ante oculos vestros quotidie stare debet, ut quantùm soliciti sumus de timore, tantùm nobis proficiat ad salutem. Væ animæ illi, quæ sic rapitur, quomodo accipiter aves. Horâ egressionis animæ nihil nobiscum tollimus, nisi peccata, quæ gessimus. Subsannamur à malignis spiritibus, deridemur ab ipsis, & coarctamur sinè misericordia. Cùm malè attrectamur, dicunt; iste Christianus mentitus, Christi opera in eo non invenimus. (7) Ecce iste Judex captus est, en iste Rex lapsus est, non quomodo una obnoxia persona, sic iste Sacerdos in profundum præcipitatus est. Ante humanos oculos quietum jacet corpus, sed non videtur, qualiter à malignis spiri-

(1) *Quartus.* Bacch.
(2) *Classis civitas empta à Job. Archiep. Ravenn., quæ fuit destructa à Liutprando Rege Langobardorum proditione civium.* Bacch.
(3) *Audi &.* Mur.
(4) *ergo David? Invoca.* Mur.
(5) *Et e.* Mur.
(6) *Deus.* Mur.
(7) Et hic Agnellus sui tempor's Episcopos insectatur; eodem itaque animo, eademque cautela & hæc lege, qua superioris Episcopi Vitam legendam monui. *Bacch.*

spiritibus trahitur anima ipsius ad pœnam. Et non solùm inspectores Ecclesiæ pro se examinantur, sed pro ovibus suis, & pro omni populo, qui sibi commissus est. Popularis homo fortasse pro anima sua patietur pœnam; Inspectores pro toto grege. Si in tenebras exteriores immittendus est, qui animam non ad Christum attraxit, ubi mittendus est ille, qui christianas animas perdidit? Non prædicasti, tacuisti, non adquisisti; adquisitas, & quæ Deo serviebant, quare vexasti, aut quare adflixisti? Quare in judicio, ubi sedebas, perjurii conscius fuisti? Quare criminis auctor? Quare homicidii conscius? Nonne Canon præcipit, ut Episcopus nullam curam Secularium per semetipsum sumat, nil nisi lectioni incumbat, Evangelium assiduè legat, & doceat? Si hoc non vis sectari, imitare istum Sanctum Virum, æquipara Beatum istum Johannem, redime captivos, erue juxta Prophetam eos, qui ducuntur ad mortem, prædica, doce, releva laborantem ovem, non te sinas separari à fratribus tuis, ut unà cum ipsis beatus sis, & gratia Dei in nobis vacua non sit.

CAPUT SECUNDUM.

Bella, induciæque inter Langobardos, & Romanos. Johannis, & Eleutherii motus, & fata. Phocas imperat. Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum mater. Pantheon dedicatur. Bella in Oriente. Heraclii Augusti initia. Johannis mors, & sepulcrum.

IN hujus igitur temporibus Agilulphus, Rex Langobardorum, pace cum Smaragdo Patricio facta per annum unum, stabilis fuit; post namque annum expletum Balneum regis, & civitas Tusciæ, quæ cognominatur Orbevetus, ab exercitu invasæ sunt Langobardorum. Et in mense Aprilis, & Maii Stella Comis in Cœlo apparuit, & iterum fecerunt Romani pacem cum prædicto Rege tribus annis. Post hæc autem invasa est Neapolis à Johanne, & eum post dies aliquos Eleutherius, postquam expulit,

A interfecit eum. Et dum cum victoria reverteretur, Patriciatus dedignatus est fasces; & quamvis Eunuchus fuisset, Imperii jura suscepit. Qui egressus de Ravenna Romam volens ire, à militibus in Castro Luceolis gladio peremptus est; cujus caput conditum sacco Constantinopolim Imperatori delatum est. Eo quoque tempore prædictus Rex Agilulphus Notarium suum Stabilinianum ad Phocacem Imperatorem Legatum misit, deinde cum Legatis Imperatoris revertens, pax inter utrumque facta. Aliquantis annis quieta fuit Italia. Igitur, ut diximus, Phocas extincto Mauritio, ejusque filiis, Romanorum invadens regnum per octo annorum curricula Principatum tenuit. Postulante

B B. Bonifacio Papa statuit, ut Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum & Caput esset, & Sedes, quòd antea Constantinopolitana Ecclesia prima vocaretur. (1) Iterumque petiit ab eo prædictus Papa, ut in veteri Fano, quod Romani Pantheon vocabant, destructa Idolorum sorde, Ecclesia Sanctæ, & intemeratæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum Dei Martyrum, vel Confessorum fieret, atque firmaretur, ubi omnium conventus Dæmonum *congrebantur*, (2) ut ibi omnium Sanctorum, & Dei Electorum memoria veneraretur. Interea exagitatum est bellum in Orientis partibus, & Ægyptiorum. Prasini, & Veneti inter se civili certamine gravissimas strages mactantes (3) *se mutua cæde prosternunt.*

C *Persæ quoque adversùs Rempublicam gravissima bella gerentes* multas Romanorum Provincias, etiam ipsam Hierosolymam captaverunt, & Ecclesias deprædantes ad nihilum redegerunt, & opes Ecclesiæ, ornamentaque detulerunt, & ipsum vexillum, *per quod* (4) redempti sumus, Crucis auferentes depopulaverunt, & secum detulerunt. Heraclianus verò, qui in illis diebus Africam regebat, contra hunc Phocacem rebellavit, atque veniens cum exercitu, privavit eum regno, & vita. Heraclius, ejusque Filius rem Romanam publicam regendam suscepit. His itaque transactis defunctus est hic Beatissimus, & sepultus est, ut suspicarus sum, in Ardica B. Apollinaris. Sedit ann. XVIII., mens. VI., dies VIII.

E

(1) Ex Schismatico animo hæc perversè dicta animadverte. Notæ sunt, quæ inter Magnum Gregorium, & Constantinopolitanum Episcopum intercessere quæstiones, quaque constantia Pontifex ejus Patriarchæ temeritatem represserit. Phocas id egit, ut ille à cœptis desisteret, Romanumque Primatum assereret. Mendax Agnellus, qui id à Phoca *concessum*, *cùm antea Constantinopolitana Sedes prima vocaretur*, effutire audet. *Bacch.*

(2) *congregabantur*, Mur.

(3) Vide Dissertationem præcedentem, cap. 6. *Bacch.*

(4) *Sanctum*, *quo*, Mur.

DIS-

DISSERTATIO
CHRONOLOGICO-HISTORICA
DE ÆTATE

Sequentium Pontificum Ravennatum Boni, Mauri, Reparati, Theodori, Damiani, & Felicis.

PARS PRIMA.

Rubei Syntaxis exponitur. Plura in ea absque teste relata nequeunt sustineri. Agnellus cum Anastasio confertur. Sedes chronologicè disponuntur.

I. *Cum nil in postremis duorum Episcoporum vitis observatione dignum invenerim, ad sequentium Chronologiam transire operæ pretium putavi. Igitur pro more Rubei clarissimi Ravennatum Scriptoris chronologica syntaxis exponenda est. Ille horum omnium Pontificum acta, & res memoriæ mandavit lib. 4. Historiæ suæ. Mortem Boni contigisse ait paulò ante prælium ad Scultennam commissum, in quo Theodorus Exarchus à Langobardis est superatus, amissis septem millibus Ravennatum, quod prælium incidisse tradit in annum 650. Decessisse autem ait laudatum Pontificem anno præcedenti 648. VII. Kal. Septembris. De Mauro, relatis, quæ ad Synodum Romanam sub Martino pertinent, scribit sedisse* B *eum annos fermè 24., obiisse circa annum ab ortu Christi 672. Reparatum asserit decessisse III. Non. Sextiles, cùm præfuisset annos 5. mens. 8., dies 26. Dono Romano Pontifice, & Theodoro Exarcho. Theodorum Ravennatem narrat ad Agathonem Pontificem Maximum accessisse anno 680. ex Actis Concilii Romani, & Sexta Synodo;* Conone autem, *ait*, adhuc Pontifice, qui cùm annum Pontifex non perfecisset, Theodorus Exarchus moritur, eodem ferè tempore, quo & Theodorus Archiepiscopus, cùm undecimum jam annum Ravennati Ecclesiæ præesset, *&c. Damianum scribit, cùm sedisset annos 16., mens. 2., dies 16. III. Id. Martias obiisse, & post ejus mortem subrogatum Felicem anno à Partu Virginis* C *702. Demum de Felice ipso hæc habet;* Felix Archiepiscopus, cum divinis insignis muneribus maximum specimen sanctitatis præbuisset, tandem VII. Kal. Decembris ex hoc lacrymabili hospitio cœlestem in patriam profectus est, in numerum Sanctorum adscitus, *&c.* Præfuit Ecclesiæ annos circiter 18. *Hæc Rubeus, qui ab Agnello recedens absque validiori teste, aliàs rem diffiniendi locum relinquit. Sunt etiam, ob quæ ab ejus syntaxi recedendum esse suademur. Etenim cùm dissertè dicat Damianum sedisse annos 16. mens. 2. dies 16., & III. Id. Martias decessisse, quod idem tradit Agnellus, & similiter tradat Felicem anno à partu Virginis 702. subrogatum Damiano demortuo, consequens fit Damianum or-* D *dinatum Decembri mense ad finem vergente anni 685. die videlicet 27. prædicti mensis, feriâ V. Cyclo nempe Solis XII. Lit. Dom. G. At si Theodorus Prædecessor Damiani eodem ferè tempore* A *mortuus est, quo Conon Summus Pontifex, Conon autem secundùm Baronium, qui Rubeo præit, moritur anno 687., die 13. Octobris, consequitur Damianum ordinatum uno saltem anno, & mensibus ante Theodori mortem, cùm maximè juxta Baronii computum Conon nonnisi anno 686. ordinatus fuit. Hæc autem molestiùs Rubei assertum inficiabuntur, si spectentur rationes, quæ C. V. Papebrochium coëgerunt seriùs Cononis tempora consignare, ita quòd ordinatus fuerit die 8. Septemb. anni 687., & obierit 30. Augusti anni 688. Inde enim fieret Damianum ordinatum tribus ferè annis ante Theodori obitum, vel Theodorum obiisse non circa Cononis, sed circa Leonis (servato calculo Papebrochiano) morientis tempus. Initia Damia-* B *ni Episcopi sedentis anno prædicto 685. expressè consignat Ughellus, at, quod absurdius est, errorem non agnoscit, quamvis ex Anastasio didicerit eundem à Sergio Pontifice consecratum, nec vidit id haud potuisse fieri anno 685. quo secundùm Baronium Romæ sedebat Johannes V. vel, utì Papebrochius computat, Benedictus II. ordinatus fuit die 14. Martii eodem videlicet anno, & mense, quo Ughellus consecratum Damianum tradit à Sergio. Nec aptiùs ejusdem Damiani obitum consignat anno 707., tum ob dicenda, cùm quòd Rubeum in hac parte sequutus dicat, eum sedisse annos 16. menses duos, dies 16. Si enim, neglectis mensibus, & diebus, subtrahantur anni 16. ab annis 707. regrediemur ad annum 691., non ad 685. inter* C *quem, & annum 707. intercurrunt anni 22.*

II. Præterea apertissimè constat ex Anastasio in vita Constantini Papæ nonnisi eo Pontifice Felicem Damiani Successorem ordinatum fuisse, de hac enim re plura exhibet, quæ non dissimulat Rubeus, quamvis Pontificis nomen supprimat, ne malè compactæ Chronologiæ ulcus prodat. Porrò ex mente Baronii Constantinus nonnisi septima die Martii creatus fuit Pontifex anno 708.; non potuit itaque Felix consecrari Episcopus anno 707., quod ait Ughellus, & multò minùs anno 702. quod tradit Rubeus. Cùm autem is scribat Felicem præfuisse Ecclesiæ Ravennati annos circiter XIIX. si isti numerentur ab anno 702., quo creatus dicitur, fiet vitam produxisse ferè usque ad annum D *720.; non potuit itaque decessisse ante annum 718. quo consignare videtur Johannis subsecuti creationem, dum margini numeros adscribit, ex quibus Ughellus rem negligentiùs considerans errandi ansam accepit, & Felicem VII. Kal. Decembris*

mortuum dixit anno 717. *Quæ quidem contra Rubeum ex Rubeo ipso nascuntur. Is autem plurimis aliis difficultatibus implicabitur, si eorum, quæ Agnellus narrat, rationem habendam censeat, quorum hic Chronologia disponenda est.* A

III. Characteres nonnullos exhibet Noster, ex quibus temporum ordinandorum ratio pendet, quique propterea expendendi sunt, & conferendi cum Anastasio. Felicis Episcopi omnium postremi creatio, & ærumnæ id in primis præstant quod in præsenti argumento usui sit; etenim ex Agnello, & ex Anastasio habemus Felicem Ravennâ Constantinopolim fraude abductum, Justiniano Constantini Pogonati successore jubente; itemque ab Anastasio docemur, eundem à prædicto Constantino Pontifice ordinatum; hic, *ait Anastasius,* ordinavit Felicem Archiepiscopum Ravennatem, qui secundùm priorum suorum, solitas in scrinio noluit facere cautiones. B *Conveniunt Chronologi in anno, quo Constantinus Pontifex creatus est, quamvis in die dissentiant, idque consignant anno 708. Non potuit itaque consecrari nisi Martio anni prædicti, quo Pontificem electum dicunt, vel quartâ, vel septimâ ejusdem mensis. Consentiunt etiam Baronius, & Pagius, ille Tomo 7., hic in Dissert. Hypat. pag. 353. Justinianum, cùm post reditum ad Imperium ex Theophane annis sex imperasset, anno 711. exeunte, trucidatum à Philippico, cum Tiberio filio. Igitur Felix ante hunc annum certissimè est ordinatus. Cùm autem plura Agnello narrata Justiniano post reditum imperante acta sint, quæ spatium temporis haud exiguum requirunt, conficitur Felicis ordinationem ad priora Constantini Pontificis acta spectare.* C *Felicis abductio, tortura, excæcatio ab Agnello postremis Justiniani annis evenisse indicatur, qui Justinianum jugulatum narrat altera die à Johannicii dira, immanique mactatione. Porrò in ipsa Felicis ordinatione turbæ, tricæque illæ evenerunt, quas Anastasius narrat, post quas pacificè sedit toto eo tempore, quod exigebant opera ipso Episcopo jubente à Johannicio præstita, de quibus hæc Agnellus;* sapientissimus Johannicius istius in temporibus claruit, & rogatus à Pontifice, ut omnes antiphonas, quas canimus modò Dominicis diebus ad Crucem, sive Sanctorum Apostolorum, aut D Martyrum, sive Confessorum, necnon & Virginum ipse exponeret, non solùm latinis eloquiis, sed etiam græcis verbis, quia in utraque lingua fuit maximus Orator. *Hæc quidem exegisse videntur duorum saltem annorum spatium, post quos Ravennæ clades, Pontificis, & Johannicii ærumnæ cœperint anno 710., finierintque anno 712. trucidato circa finem 711. Justiniano. Consequitur ex his Felicem ordinatum anno ipso 708. statim post Constantini Summi Pontificis consecrationem. Rubeus licèt in annorum numero, quibus Felix sedit ab Agnello discordet, retinet tamen diem emortualem ejusdem, vigesimam quintam Novembris. Cùm itaque Noster, à quo non est quòd recedamus, nisi modico dierum augmento, dicat sedisse Felicem annis VIII., mens. VII., dieb. XIX. fiet Ordinationem ejusdem cum vigesima quinta Novembris collatam, incidisse in diem sextam Aprilis.* E *Hæc autem cùm inepta fuerit Ordinationibus Episcoporum anno 708., quo habebatur Cycl. Solis XV., & Lit. Dom. C., efficitur pro diebus XIX., scribendum XXI., & ordinationem ejusdem retrahendam ad diem quartam ejusdem Aprilis anni prædicti 708. Inde fiet Felicem obiisse anno 716. die prædicta 25. Novembris. Decem anni vitæ, annis Agnello notatis, à Rubeo additi, præterquamquod nullo teste firmantur, non videntur Felici tribui posse anteactis ærumnis attrito. Quod Agnellus ait, eum cùm ab exilii calamitatibus in suam Sedem rediisset,* post annos tres ædificasse domum infra Episcopium, quam de suo nomine domum Felicis nominavit, *eo sensu intelligendum est, quòd domus illa tertio à reditu anno finita sit.*

IV. Felicis Episcopi sedentis, & occumbentis ætate adinventa, lux clarior affulget, ut præcedentia prodeant. Agnellus Damianum ait sedisse annos XVI., mens. II., dies XVI., mortuumque III. Idus Majas. Consentit Rubeus, tantùm loco Maji Martium reponit, & bene, ut ex dicendis constabit. Itaque die 12. Martii ejusdem anni 708. Damianus decessit, qui ante annos XVI., mens. II., & dies XVI. ordinatus fuerat, die videlicet 27. Decembris anni 691. Cùm tamen eo anno curreret Cycl. Sol. XXVIII. Lit. Dom. A., festique Natalis dies essent tum Sabbati, tum Dominicæ dies, puto & hìc errorem in dierum numero irrepsisse, & pro diebus XVI., dies XIX. reponi debere, quare Ordinationem ad 24. retrahendam. Ordinatus autem est à Sergio Summo Pontifice, teste Anastasio in hujus vita. Theodorus Damiani Prædecessor obierat initio anni, die videlicet 18. Januarii, completis in Episcopatu annis XIII., mens. III., diebus XX., ut Agnellus tradit, licèt, quod supra observavimus, Rubeus Episcopatum ejus undecim tantùm annorum spatio concludat. Juxta tradita tamen ab Agnello à die 18. Januarii anni 691. retrocedendo per annos, menses, diesque adnotatos, Theodori ordinatio recidet ad diem 29. Septembris anni 677. Verùm cum eo anno Cycl. Solis esset XIV., Lit. Dom. D., numero dierum addendi sunt duo dies, scribendumque pro XX. XXII., & ordinatio ad diem 27. spectabit. Reparatus itaque obierat III. Kal. Augusti, idest die 30. Julii ejusdem anni, cùm Episcopatum tenuisset annis V., mens. IX., quibus omnibus consentit Rubeus, suppletque dies 26. ab Exscriptore nostri Codicis omissos. Ordinatus itaque fuerat quartâ Octobris, Sabbato anni 671. Cyclo Sol. VIII., Lit. Dom. E. Mauri Episcopi Schismatis infamiâ notissimi dies emortualis minimè consignatur, nec de eo quidquam Rubeus ipse tradit, qui aliàs, ut dies, & momenta definiat, diligentissimè agit. Spectato tamen eorum temporum statu, quo juxta obtenta ab Imperatore per Maurum præcepta, Imperatoris ipsius nutu Pallium induere debebat novus Episcopus, qui à tribus Suffraganeis suis ordinaretur, trium saltem mensium spatium intercessisse reor inter Mauri mortem, & Reparati schismaticam ordinationem, quibus Constantinopolim missum arbitror, qui Pallium expeteret, & redjisse: & amplior, diuturniorque mora etiam exigerent Pontificis conatus suum jus defendentis, nisi ejusdem mors eodem ferè tempore accidisset, quæ potuit Ravennatibus favere, ut malæ causæ victoriam reportarent. Id omne Mauro curante statutum novimus, tum ex ejusdem præcepto infra describendo ad Mauri vitam, tum ex Agnello, qui ait obtentum, ut futurus Pastor Ravennensis Ecclesiæ..... hìc (*Ravennæ videlicet*) consecraretur suus Electus à tribus suis Episcopis, Palliumque ex Imperatore Constantinopolitano deferebat. *Arbitror itaque circa Julium, Maurum obiisse eodem illo anno 671. ex eo etiam quòd inquirendo ex calculis Agnello traditis Ordinationis ejus tempus, subtractisque annis XXVIII. mens. X. diebus XVIII., quibus sedit ab annis 671. devenimus ad mensem Septembris anni 642., excludimusque à Mauri ætate diem 25 Augusti, quam Boni Prædecessoris emortualem Agnellus consignat. Hinc autem conficitur Bonum, quem Noster in senectute bona obiisse tradit, ab anno 630. ad Augustum 642. Sedem tenuisse.*

PARS

PARS SECUNDA.

Statuta turbantur à Pontificum Romanorum Chronologia Papebrochiana. Ea ad examen revocatur.

I. TRadita ex parte turbare videntur *Pontificum Romanorum Chronologia à Cl. Viro Papebrochio ordinata, ubi in primis Doni summi Pontificis, qui Adeodato successit, ætatem stabilire nititur. Sentit vir præstantissimus Adeodatum, qui Vitaliano successit, ordinatum die 14. Martii anni 672. sedisse annis quinque, mensibus duobus, diebus quinque, obiisse anno 677. die 18. Maji. Donum autem ordinatum quartâ Octobris ejusdem anni, sedisse anno uno, mensibus quinque, diebus decem, obiisse die 13. Martii anni 679. His autem admissis sequuntur in explicata Ravennatum Episcoporum syntaxi, malè Reparati Episcopi mortem anno ipso 677. die 30. Julii consignatam, duobus videlicet mensibus, & quatuor insuper diebus ante Doni Pontificis Ordinationem. Atqui Anastasius in ejusdem Doni vita hæc explicitè tradit*; hujus temporibus Ecclesia Ravennatum, quæ se ab Ecclesia Romana segregaverat causâ autocephaliæ, denuo se pristinæ Sedi Apostolicæ subjugavit; cujus Ecclesiæ Præsul nomine Reparatus è vestigio, ut Deo placuit, vitam finivit. *Oporteret itaque Reparati mortem in annum sequentem differre, & totam simul Sedium Ravennatibus Episcopis tributarum rationem invitis Agnelli calculis invertere, vel Felicis Episcopi creationem similiter postponere, repugnantibus his, quæ supra suaserunt ejusdem ordinationem anno 708. tribuere. Cogunt igitur hæc laudatorum Romanorum Pontificum ætatem, & ipsius Papebrochii mentem intimiùs perscrutari. Fatetur is omnia Anastasii exemplaria, & auctores Anastasium secutos Adeodato annos tantùm quatuor tribuere, quinimo idipsum tradi in Catalogo descripto annis circiter 80. post Adeodati mortem, quem exhibet ipso Propylæi Tomo pag. 72., cuique Anastasium fidisse autumat Vir Clarissimus. Cùm tamen vel in hoc, vel in subsecutis duobus Pontificibus erratum fuisse credat, Dono enim sesquiannus tantùm, Agathoni biennium, & semis datur, & nihilominus Agatho ipse existimetur ad finem anni 681. superstes, extendendam censet Adeodati Sedem ultra quadriennii spatium. Verùm cùm postremi hujus Pontificis Acta Agathonis videlicet, obtinuerint, ut septem annorum Sedem Baronius eidem tribueret, Papebrochius satiùs existimavit relicto Agathoni anno uno, septem annos Adeodato à Baronio tributos ad quinque contrahere*, ea tamen, *inquit*, lege, ut si decessorum ejus alteri possit annus unus addi supra numerum annorum, qui eidem in ipsomet Anastasio assignantur, Vitaliano scilicet tredecim, & duo Eugenio, posset Adeodatus annis quatuor manere contentus; & tunc ordinatus hic fuisset anno 673. VIII. Martii Dominicâ tertiâ Quadragesimæ obiissetque 17. Maji, & cessavisset Episcopatus menses quatuor, dies 17. Interim, ut jam dixi, apparet necessitas evidens hoc circiter tempore addendi annum saltem unum per conjecturam, quod aliàs haud libenter sic facio, ut salva habeatur reliqua ex Catalogis, & Anastasio Chronologia. *Huic autem Chronologiæ Pontificiæ ineundæ rationi, ob quam Donum obiisse die 13. Martii anni 679. consequitur, & Agathonem subrogatum 29. Maji, repugnare videbatur* Divalis Sacra *Concilio VI. Oecumenico præfixa* directa ad Donum Sanctissimum Papam Senioris Romæ, contradita verò Agathoni Papæ sanctissimo, ac beatissimo ejusdem antiquæ Romæ, eo quòd idem Donus de præsenti Vita decessisset, *quæ scribitur data* Pr. Id. Augusti Constantinop. Ind. VI. *idest anno 678. Fatetur vir ingenuus id sicuti Baronium, ita & se movisse, ut uno anno Doni mortem anticiparet, & Agathonis successionem*, quamvis, *inquit*, in nomine mensis appareret vitium; quocumque enim die anni mors statuatur, præcesserit tamen Idus Augusti mensibus ut minimùm quatuor, per quos eam ignoratam *fuisse Constantinopoli* tam est impossibile, quàm incredibile, quòd Agatho absque jussione, & scitu Exarchi Imperialis fuerit ordinatus. *Addit, postmodum se agnovisse, verba illa* data &c. *nullam mereri fidem, cùm nec in Græco habeantur, nec in latina veteri Parisina editione anni 1524. ex Codice Bellovacensi antiquissimo, quare censet Divalem illam datam anno 679. Ind. VII. in confinio Februarii, & Martii.*

II. His tamen non obstantibus mihi arridet Adeodati, Doni, Agathonisque tempora diversa ratione, ac Papebrochius censet, disponere, & Adeodato quidem, ad fidem omnium Codicum Anastasii, & antiquissimi Catalogi Papebrochio laudati, quatuor tantùm annos Pontificatus tribuere, quos inierit à die Ordinationis suæ 14. Martii anni 672. finierit anno 676. Pontificatum protrahens, usque ad 18. Maji; Dono autem, ordinato quintâ Octobris ejusdem anni, annum unum, menses quinque, dies decem, usque videlicet ad 14. Martii anni 678., Agathonem verò Pontificatum eodem anno cœpisse die Ordinationis suæ 30. Maji, tribusque annis sedisse, mensibus sex, diebus tribus, mortuumque die III. Decembris. In hac computandi ratione, retentis pro Ordinationibus Dominicis diebus, & retento pro Eugenio, & Vitaliano Papebrochii calculo, additur tantùm annus unus Agathoni, tresque fiunt, qui apud Anastasium duo dicuntur, cogentibus sextæ Synodi Actis, hisque, quæ in eam rem hic subjicere juvat. Extat in collectione Conciliorum Labbeana Concilium Romæ sub Agathone habitum pag. 579. Tom. 6., quod quidem hujusmodi initium præfert. In Nomine Domini Salvatoris nostri Jesu Christi, imperantibus Dominis nostris piissimis Augustis Constantino majore Imperatore anno vigesimo sexto, post Consulatum ejus anno decimo, sed & Heraclio, atque Tiberio novis Augustis ejus Fratribus vicesimo secundo, Indictione septima, mense Octobris, præsidente Agathone sanctissimo, atque ter beatissimo Apostolico universali Papa. *Indictio VII. Octobri mense currente nulli anno convenit, præter 678. Constantinus itaque Pogonatus mense Octobri anni prædicti agebat Imperii sui, seu Consulatus annum decimum, cùm Constans ejus Pater anno 668. non modò post 16. Septembris, quod observavit Pagius Dissert. Hypat. par. 3. cap. 3. pag. 149., sed nonnisi post Octobrem Syracusis occisus sit. Puto autem hinc apertè constare eo anno 678. mense Octobri Agathonem Pontificem sedisse, & malè Concilii titulum in eadem editione compactum, quo dicitur Concilium hujusmodi in* Basilica Salvatoris nostri Constantiniana nuncupata habitum anno Christi 680., vel, ut alii volunt, præcedenti, hoc est mense Octobri Indictione VII. *Indictio enim septima soli Octobri anni 678. convenit, non autem 679., vel 680., quibus nec annus Imperii Constantini decimus convenire potest, qui Act. prima sextæ Synodi 7. Novembris mensis Ind. IX., anni videlicet 680. Imperii, seu Consulatus sui annum XIII. numerabat, ut constat ex ejusdem actionis characteribus chrono-*

nologicis, qui fortaſſis diem ipſam ſignant Imperii quondam cœpti, quo voluerit Synodum aperiri. Perperam equidem cum Indictione VII., & anno X. Poſtconſulatum Conſtantini colligatur annus Imperii ejus XXVI., & XXII. Heraclii, & Tiberii, at cùm character Imperii Conſtantiniani, neque juvet ſententiam anno 680. Concilium illud deputantem, crediderim ex Amanuenſium errore ſphalma irrepſiſſe, & ad rationem duorum characterum inter ſe congruentium Indictionis, & Poſtconſulatus reponendum Conſtantini Imperatoris anno XXV., Heraclii, & Tiberii XX. Fragmentum ejuſdem Concilii additur juxta Malmesburienſem, ex quo colligitur in eadem Synodo Wilfridum abſolutum, quod Baronius factum fuiſſe arbitratur anno ſequenti 679., qua de re mox. Baronius idem tradit Johannem in Britanniam miſſum, ut inter cætera Theodorum ad Romanam Synodum convocaret. Johannes potiùs miſſus eſt, ut quæ ſtatuta Romæ fuerant de Britannica Eccleſia ad Theodorum perferret, præſcriberetque Theodoro Synodum in Britannia cogendam, quæ de Monotelitarum hæreſi fuit, ut docet Beda lib. 4. cap. 18. Conſequitur, itaque Theodorum Romam vocatum (quod ajunt Patres Concilii Romani in epiſtola, quæ habetur Act. 4. ſextæ Synodi) ſtatim ac accepta ab Agathone Divali, quæ Dono prædefuncto miſſa fuerat, cogitatum eſt de Synodo Romana cogenda, at intellectis ſtatim Britanniæ diſſidiis ſatiùs judicatum eſt Theodorum in ſua Diœceſi permanere, ibidemque omnium Britannorum Epiſcoporum Synodum congregari.

III. Ex toto itaque horum contextu apparet Pontificatui Agathonis, qui duobus annis tantùm apud Anaſtaſium circumſcribitur, annum unum addi debere, & Doni Pontificatum anno ſimiliter uno anticipari, citiùs illum conſignando, ac C. V. Papebrochius cenſuerit. Ita optimè Pontificum Ravennatum Chronologia conſtabit; & quamvis in menſe fortaſſis erratum ſit in Divali Sacra ſextæ Synodo præfixa, Indictionem tamen VI. tenendam eſſe, qua anno 678. data intelligatur. Id autem, quamvis à Latino quoppiam additum fuerit Græco textui, quod ex margine in textum irrepſerit, reprobari tamen minimè debet, cùm aliunde certis argumentis confirmetur. Et quidem Auguſtus menſis pro alio ab hujuſmodi additionis Auctore ſcribi potuit, ut epiſtolam Agathonis Pontificatui aptaret, & redditæ tempus ſignaret, non autem ſcriptæ. Ea autem dum Conſtantinopoli Romam mitti debebat, Agatho juſſionem ab Exarcho obtinuiſſe potuit, nunciumque de morte Doni ad Imperatorem pervenire, ac ſimul de Agathonis electione, indeque epiſtola, quæ Dono inſcripta fuerat, in Regeſtis Agathoni inſcribi, dataque menſis mutari. At quidquid de his ſit, nil arbitror opponi poſſe argumento ex allata Romana ſub Agathone Synodo ante Britannicæ Eccleſiæ diſſidia celebrata, quæ manifeſtò oſtendit Agathonem ſediſſe Octobri menſe anni 678., quo à præcedenti Septembri Indictio VII. currere cœperat. Ita bene Dono Romano Pontifice ſedente Reparatus Ravennas cogitare potuit de ſua Eccleſia Apoſtolicæ Romanæ ſubjicienda, juxta tradita ab Anaſtaſio. Donus etenim ſedere cœpit quintâ Octobris anni 676., Reparatus obiit III. Kal. Auguſti anni ſequentis 677. Accedit rei eidem confirmandæ excuſatio Agathonis in epiſtola Synodi occaſione data, immo Synodi totius nomine repetita in altera ejuſdem argumenti, eademque occaſione ſcripta, quæ cum priori Actione quarta ſextæ Synodi habetur; ea enim ſtudioſiſſimè collecta argumenta exhibentur Auguſto, quibus oſtendatur longiorem moram diſponendi ea, quæ pro mittenda ad laudatam ſextam Synodum Legationem neceſſaria fuerant, excuſandam, quòd prolixiori tempore opus fuerit, ut Epiſcoporum Occidentalium ſententiæ in Synodis Provincialibus præſtandæ haberentur, expectarique deberent ab ultimis Britannis reſponſa, præter alias ejuſdem moræ cauſas ab Agathone expoſitas, ægritudines videlicet ſuas, & doctorum virorum raritatem, de qua etiam Patres Concilii nomine ſcribentes. Quæ quidem longioris temporis moram probant interceſſiſſe, ultra anni ſpatium extenſam, ut ipſe C. V. Papebrochius agnoſcit in Diſſert. XV. de Pontificatu Agathonis; *& fortaſſis ultra biennium, ut tot excuſationum argumentis purgari deberet.*

IV. Negat ibidem vir doctiſſimus fidem adhiberi poſſe verbis, quæ deeſſe teſtatur in Græca, & veteri Latina editione, additis Divali alteri poſt Legatorum adventum Conſtantinopolim ſcriptæ ad Georgium Conſtantinopolitanum Epiſcopum. Sunt autem, quæ ſequuntur; data quarto Idus Septembris Conſtantinopoli, Imperante Domino piiſſimo perpetuo Auguſto Conſtantino Imperatore anno XXVIII., & Poſtconſulatum ejus XII. Cùm enim, *inquit,* Synodus cœpta ſit Imperantibus à Deo coronatis Sereniſſimis Dominis Flaviis Conſtantino quidem piiſſimo, & à Deo decreto magno Principe perpetuo Auguſto Imperatore anno XXVII., & Poſtconſulatum ejus à Deo inſtructæ manſuetudinis anno XIII. Heraclio verò, & Tiberio à Deo conſecrandis ejus Fratribus anno XXII., die VII. menſis Novembris, Indict. IX., & hac ratione conſequenter notentur omnes Synodi Actiones, neceſſe eſt ei, qui Divali prædictæ addidit datam, errorem obrepſiſſe in componendis annis Imperii, & Poſtconſulatus. *Malè propterea dici, ait, Legatos Conſtantinopolim veniſſe anno uno citiùs, quàm Synodus ipſa fieret, & dilatam Synodi ejuſdem Indictionem ad menſes ferè ſex. Notat etiam quòd in toto Concilio nil mutatur in deſignandis tot Epocharum annis, quarum prima, & ſecunda ſit Imperii per Conſtantem Patrem Conſtantino primogenito ſub annum 654., & quinquennio poſt duobus aliis filiis communicati, tertiam verò ſumi* poſt Conſulatum perpetuum depoſitum Patre moriente XV. Julii, anno 668., adeò, *inquit,* ut videatur Imperator commodi majoris causâ ad unam communem Epocham menſi Octobri affixam revocaſſe omnes illas Æras, ne multiplicitas pareret confuſionem in Actis publicis. *Fatetur tamen ſe cauſam ignorare, cur October electus ſit, niſi ea dicatur, quòd eo menſe cœperint ex Decreto paterno Imperii ejus anni ſcribi, omiſſis annis Conſulatus. Agnoſcit tandem verſionem latinam Act. IX. die 8. Martii incipientem notare annum Conſtantini XXVIII., & ſic deinceps proſequentem, quo Epochæ diſtinguantur; ſed diligentiam hujuſmodi ſibi ſuſpectam dicit, quòd nihil mutet in Fratrum Auguſtorum Imperio, nil in annis Poſtconſulatus, cùm ſentiat annum Poſtconſulatus debuiſſe mutari in Actione XVI., quæ fuit 10. die Auguſti celebrata, & factum bene, ait, quòd obſervata ſit mutatio Indict. IX. in X. Actione XVII. die XI. Septembris, quo fiat, ut prioribus illis non egeamus.*

V. Ex uniformitate tamen, qua Poſtconſulatus anni in Conſtantino Pogonato Conſtantis filio ſignantur, arguit vir doctiſſimus Pagius Diſſert. Hyp. part. 3. cap. 4. n. 2. pag. 351. minimè, ut in præcedentibus, intelligendam formulam Poſtconſulatum ſignantem, ita quòd excludatur annus Conſulatus, & à Conſtantino ipſo novam numerandi formam introductam, qua Conſulatus adinſtar Tribunitiæ Poteſtatis eſſet, unde annos poſt Con-

Consulatum numerare idem est, ac numerare Imperii annos. Hac observatione adhibita difflantur omnes Papebrochii conjecturæ, & ritè intelliguntur characteres supra notati, & agnoscitur eosdem aptissimè inter se cohærere. Annus enim Æræ Imperii Constantini est ipse 654., *quo à Patre Augustus renunciatus est ante diem* 26. *Aprilis, quod indicatur ab Actione XV. sextæ Synodi, in qua annus Imperii ex XXVII. mutatur in XXVIII., ut sentit laudatus Pagius; at si latina versio teneat, mutatio illa fit Act. IX. die octava Martii, & cogimur à Pagio in hac parte abire, & Constantiniani Imperii initia ante diem illam collocare, & præcisè die septima, qua Actio VIII. habita est. Illud tamen notari debet pro vigesimo octavo in Latinis scripto, in Græcis scribi* ἔτους εἰκοστῷ ἑβδόμῳ anno vigesimo septimo, *ob quamrem Actionis hujus IX. nullam rationem habendam pro multiplicandis Imperii annis existimavit laudatus Pagius, sicut nec de reliquis usque ad XV.* 26. *Aprilis anni* 681. *Quòd autem nec in ea Actione, nec in subsequentibus usque ad XVI. mutetur annus Imperii Heraclii, & Tiberii ex eo est, quòd diverso, & quidem posteriori mense in Imperium adsciti sint, sive Cæsares declarati anno* 659. *Cùm demum Act. XVI. die* 9. *Augusti habita, eorundem annus XXII. in XXIII. multiplicetur, manifestum fit ante eam diem Cæsares declaratos, ut Pagius observavit: Postconsulatus etiam anni perseverant, quia cùm Tribunitiæ Potestatis adinstar notent ipsum annum Imperii, ex quo Constantinus imperare solus cœpit, indicant die* 16. *Septembris, quo postrema Actio habita est, nondum completum fuisse annum XIII., qui cœperat ante diem decimam Novembris præcedentis anni* 680., *quo prima Concilii Actio celebrata est, indeque conficitur Constantinum patri successisse seriùs, ac V. C. Papebrochius censuit anno* 668., *ut supra Pagio facem præferente observatum est contra Anastasium, qui Constantis mortem diei* 15. *mensis Julii assignat. Divalis tamen Georgio Constantinopolitano datæ characteres corruptos video, signantes Imperii annum XXVIII. cùm Postconsulatus anno XII. IV. Id. Septembris, nec sustineri posse cognosco ex mox dicendis.*

VI. Dum hæc scribo opportunè C. V. Pagius Illustrissimo Magliabequio, cui bonarum Literarum Cultores quantùm debeant nemo ignorat, curante, dono mittit doctissimam epistolam Abbati Nicasio Divionensi Canonico gallico idiomate conscriptam, qua dum selectiora nonnulla ex Criticæ suæ Chronologicæ ad Baronianos Annales posterioribus Tomis, anxiè ab Eruditis expectatis, & propediem edendis, exponit, sitim totius Operis gustandi auget. Porrò ejus epistolæ pag. 5. *post medium sentit Wilfridum electum quidem ad Eboracensem Episcopatum anno* 664., *sed minimè ordinatum ante sequentem* 665., *unde benè Auctor Catalogi Episcoporum Eboracensium à Labbæo editi Tom.* 1. *Bibliot. ait Wilfridum ab Episcopatu pulsum anno* 677., *sui Episcopatus duodecimo, quod traditis per Bedam congruere censet. Ait itaque Wilfridum anno sequenti Romam perrexisse, quo in itinere hyemasse anno* 678. *in Frisia ad Paganorum conversionem intentum, Romamque venientem ante mensem Octobris interfuisse Concilio habito, inquit, eodem anno, minimè autem sequenti, cui adscribitur in omnibus Conciliorum collectionibus. In eo autem Wilfridus suo Episcopatui est restitutus, & in Angliam reversus est anno sequenti* 679. *Est in hac postrema assertione, quod me à Cl. V. dissentire cogit. Concilium illud, in quo absolutum dicit Wilfridum, esse intelligit, de quo supra egimus, annoque* 678. *ex certis notis assignavimus, qua in re assentientem eruditissimum Virum gaudeo invenisse; at non video, quomodo Concilium hujusmodi illud sit, in quo sit absolutus simul, & in quo inter Patres sederit, cùm ex absolutione in una Synodo percepta factum sit, ut sederit in altera Romana, nec dubitare possimus de ea, cùm esset in eadem, cujus epistola legitur Act. IV. sextæ Synodi, Wilfridi ipsius subscriptio hujusmodi.* Wilfridus humilis Episcopus S. Ecclesiæ Eboracenæ Insulæ Britanniæ, Legatus Venerabilis Synodi per Britanniam constitutæ, in hanc suggestionem, quam pro Apostolica nostra Fide unanimiter construximus, similiter subscripsi. *Optimè igitur utrasque Synodos Romanas distinxit Malmesburiensis his verbis;* his decretis gloriabundus Episcopus etiam jussu Papæ jussus est residere in numero Sanctorum Episcoporum CL., qui agitabant Concilium contra illos, qui unam operationem prædicabant in duabus naturis Domini Nostri Jesu Christi. *Manifestum autem est Synodum hanc Romanam, in qua Wilfridus resedit, cuique tanquam Legatus à Synodo Britannica deputatus subscripsit, non potuisse haberi ante initium anni* 680., *cùm Synodus Hedtfeldiensis, præsidente Theodoro Archiepiscopo, habita contra Eutychetis, & Monothelitarum hæreses, cujus nutu Wilfridus Legatus in Romana subscripsit, habita dicatur* Ecgfrido Rege Humbronensium, anno decimo regni ejus sub die quintadecima Kal. Octobris, Indict. VIII., & Edilredo Rege Mercensium, anno sexto regni ejus, & Aduulfo Rege Estranglorum, anno decimo septimo regni ejus, & Lodthario Rege Cantuariorum, regni ejus anno septimo. *Cœpta itaque est Synodus illa die* 13. *Septembris anni* 679., *cùm Indictio VIII. fluere cœperat, nec nisi post aliquot menses quid ibi decretum, Wilfridusve Legatus declaratus Romæ audiri potuit; quorum vigore is ejusdem Britannicæ Synodi Legatus in Romana anno* 680. *sedit, qua absoluta in Angliam remeavit. Observare autem lubet Synodum Britannicam diutiùs prorogatam post Wilfridum Legatum designatum, ita quòd Patres Synodi Romanæ in Synodica ad Constantinum Imperatorem innuant eam nondum dimissam; excusationem enim diuturnioris moræ exponentes, inter cætera hæc habent;* sperabamus deinde de Britannia Theodorum Consamulum, atque Coëpiscopum nostrum magnæ insulæ Britanniæ Archiepiscopum, & Philosophum, cum aliis, qui ibidem usque hactenus demorantur, exinde ad nostram humilitatem conjungere &c. *Fit igitur ad initia anni* 680. *Synodum secundam Romanam referendam esse, in qua Wilfridus tanquam Britanniæ Legatus sedit. Ad hanc item referendum est Theodori Ravennatis Episcopi, & suffraganeorum Episcoporum sanum consilium, quo se, quod Prædecessor morte præventus complere non potuerat, Ecclesiamque suam unioni Catholicæ restituit, eoque honore inter cæteros Metropolitas gavisus sit, ut solus Constantinopolim suæ Ecclesiæ Legatum miserit, qui sextæ Synodo interfuit, seditque immediatè post Synodi Romanæ Legatos, ut ex ejusdem Constantinopolitanæ Synodi Actis probatur. Hæc ad Reparati, & Theodori ætatem stabiliendam diligentiùs examinanda erant; hoc enim Chronologiæ nodo soluto cætera nullam difficultatem habent, sed ritè invicem cohærent. Pro horum omnium, & Dissertationis totius coronide, examini hic subjicere cogitaveram præceptum à Constante Constantini Pogonati patre editum favore Mauri Episcopi, ejusque characteres ad crisim revocare; at hæc aptiùs reservanda existimo, quæ pertractentur in observationibus ad ejusdem Mauri Vitam subjungendis, ubi & ejusdem præcepti tenor dabitur.*

VITA

VITA BONI.

CAPUT UNICUM.

Episcopis Ravennatibus Icones positæ. Rursus ad Episcopos Parænesis. Boni mors, & sepulcrum.

DE S. BONO XXXIII.

A BOnus XXXIII. Iste nomine, & operibus simul, macilenta, & rubea effigie, plano capillis capite, canitie ornatus, & omni gratia plenus. Et si fortasse quis secum cogitans dicat, aut alios interroget, quomodo iste, vel unde scire poterat horum Sanctorum effigies quales fuerint, si macilenti, si pingues, nulla dubitatio inde adcrescat, quia pictura insinuat mihi illorum vultus. Ab istius tempore vexationes gentium cœperunt crescere, & fluctus illidere; sed iste de oratione assuetus non cessabat preces assiduè Deo dare. Pro fidelibus orabat, ut perficerentur, pro infidelibus, ut ad gratiam perveniret; quia an-
B tequam destruatur mundus, omnes ad Christum concurrent. Audi David; *reminiscantur, & convertantur ad Dominum omnes Tribus terræ*, & *adorabunt ante conspectum gentium*. Videte quomodo ante Judicii diem omnis mundus post Christum ibit, & adorabunt solum Deum viventem in secula seculorum. Dic & cætera ò Rex; *& adorabunt eum omnes Reges terræ, & omnes Reges servient ei*. Et Paulus Apostolus clamat; *donec plenitudo gentium introierit, & sic omnis Israël salvus fiet*. Et quare non credunt modò? Quia eorum obdurata sunt corda, & clausa sunt viscera. Illud velamen, quod Moyses habuit in facie, illorum infixum est cordibus. Et si velatum cor habent, quomodo ergo
C Ezechiel clamat; *auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & scietis quia ego Dominus?* Data sunt illis carnea corda, sed duritia illa semper in eis adcrescit. Audi Apostolum; *secundùm duritiem autem tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & indignationem justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera sua*. De eorum duritia audi ipsam veritatem; *potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*. Apud Deum omnia possibilia sunt. Et quare non suscitavit? Si voluit, quis contradixit ei? Cùm solus omnium *Donator* (1) suscitavit Sanctos Apostolos, qui ex Abrahæ propagine fuerunt, cujus vos imitatores estis, & eorum gestatis figuram. Recordamini solicitè rogo Sanctæ Ecclesiæ Inspe-
D ctores, quamvis sublimem teneatis Sedem, tamen mortales estis, semper soliciti, semper pavidi. Audite per Prophetam; *vos sicut homines moriemini, & sicut unus de Principibus cadetis*. Et filius prædicti Prophetæ; *beatus homo, qui semper est pavidus, qui verò mentis est duræ corruet in malum*. Obiit autem hic Beatissimus Præsul die VII. Kal. Septembris in senectute bona, sepultusque est in pace in Basilica S. Apollenaris Sacerdotis, & Martyris in Classe. Sedit autem annos .... menses .... dies......

OBSERVATIONES.

AD VITAM

BONI.

Episcoporum effigies in Ecclesia apponi solitæ. Item Augustorum. Saracenorum cœptæ incursiones.

I. IN *hujus Pontificis Vita nil ferè observatione dignum. Noster cùm nil de Bono narrandum habeat, pro suo more convertitur ad suorum temporum vitia. Illud Auctoris fidem utcumque commendat, quod ne quis dubitaret de cujusque Episcopi corporis habitu, quem describere solet, id se ait ex eorum imaginibus picturâ expressis didicisse. Licèt autem (quod ex hoc Agnelli Libro Pontificali innotescit) ut minimùm à Valentiniani Martiani prædecessoris ætate solerent in Basilicis, earumque Porticibus honoris causâ Episcoporum imagines pingi, id tamen solenniùs obtinuisse circa hæc Boni tempora videtur, quibus orthodoxi Episcopi, sicut in Diptycis scribebantur, sic in sacris Ædibus picti locum habebant. Hinc Anastasius in Agathonis Vita ait, quòd in sexta Synodo Patres Monothelitis damnatis* abstulerunt de Diptycis Ecclesiarum nomina Patriarcharum, vel de picturis Ecclesiæ figuras eorum, aut in foribus, ubi illæ esse poterant auferentes, idest Cyri, Sergii, Pauli, Pyrrhi, Petri, per quos error orthodoxæ Fidei usque nunc pullulavit. *De Johanne etiam VII. hæc habet*; fecit verò & imagines per diversas Ecclesias, quas quicumque nosse desiderat, in eis vultum depictum reperiet. *Id etiam honoris tributum Augustis utriusque sexus, tum alibi, cùm Ravennæ plura ostendunt ex passim relatis in hoc Pontificali, usque à Valentiniani, Placidiæque temporibus, & infra ex Damiani Episcopi Actis. Facilè & hæc illustrantur ex Historia hæresis Iconoclastarum, quæ octavo seculo Ecclesiam turbavit.*

II. Quod ait Noster; ab istius *Episcopi* tempore *vexationes gentium esse cœpisse, manifestò ex his, quæ subsequuntur, apparet ad Mahometanam sectam, Arabumque in Romanum Imperium, & in Hispaniæ, Italiæque perniciem armatorum, initia spectare. Seriùs tamen hæc Ravennam afflixere. Vide Baronium ad annum 630., & seq.*

MONI-

(1) *Dominator*. Mur.

MONITUM

Ad sequentem

MAURI VITAM.

Hic enim verò, pie Lector, infandum Ravennatis Episcopi facinus detestare, quo nil iniquius in Historia Ecclesiastica invenire est. Verùm & Agnelli perversam mentem vide, qui eo sermonis genere hæc memorat, unde & ipse se Schismaticum, & in Romanam Sedem infensum ostendat. Hinc disce, quid fidei mereatur hic, sive cùm Maurum laudat, sive cùm infra Theodorum lacessit, ac insectatur, & Sanctissimos Pontifices calumniis petit. Id te paucis monuisse proderit.

VITA MAURI SCHISMATICI.

CAPUT PRIMUM.

Maurus Diaconus, & Abbas S. Bartholomæi. Episcopus factus contendit cum Romano Pontifice.

DE SANCTO MAURO XXXIV.

Maurus XXXIV. Iste fortis fuit viribus. Diaconus hujus Ecclesiæ fuit, & Yconomus, & Abba Monasterii S. Bartholomæi extitit, ubi nunc, sicut conspicitis, ego sum Deo favente, ex dimissione Sergii Diaconi patruelis mei. Hic prædictus, ut dixi, Pontifex multas vexationes cum Romano Pontifice habuit, multa certamina, multos turbines, multas altercationes. Multis vicibus Constantinopolim attigit, ut Ecclesiam suam ab jugo, vel conditione Romanorum averteret. Factumque est ita; & subtracta est Ravennatis Ecclesia, ne nunquam deinceps Pontifices Ravennæ Sedis ad consecrationes Romam irent. Futurus Pastor Ravennatis Ecclesiæ nec illud regimen super se haberet, nec sub (1) Romani Pontificis ditione foret aliquando, sed hic consecrassent suum Electum à tribus suis Episcopis, Palliumque ex Imperatore Constantinopolitano deferebat. Si nos discurreremus per multa, & longinqua itinera per ordinem narrare (2) quomodo hoc factum est, aut pro qua causa, vel quibus ingeniis; si hoc facere voluerimus, ut per omnia discurramus, chartas, & atramentum expendo, & vos expectantes tardabitis. Diaconus, & Vicedominus istius Ecclesiæ fuit; Monasterium B. Bartholomæi Apostoli, ubi ego Abbas esse videor, ipse tenuit......

CAPUT SECUNDUM.

Benedictus Diaconus Siciliæ Rector. Siculi Patrimonii ad Ravennatem Ecclesiam spectantis divitiæ. Manipularius iterum in Siciliam missus; dives revertitur,

Igitur misit ad Rectorem suum Siciliæ nomine Benedictum Diaconum, qui illo tempore regebat curam de causis, ac rebus Ravennatis Ecclesiæ, Manipularium suum, & voluit ipsum Rectorem Siciliæ constituere per epistolam dicens; *satis nobis servitium placuit. Senuisti; revertere ad Sanctam Matrem Ecclesiam, ubi nutritus fuisti. Tempus est jam ut videam te, & istum nostrum Manipularium constitue Rectorem post te. Si fieri potest, non sit tibi gravis hæc nostra admonitio; quòd si tibi gravis est hoc hujus, vide quomodo eum ad nos remittas.* Ille autem sciens voluntatem Pontificis, honoravit eum diversis exeniis, & donis, auro, argentoque, vasis concupiscibilibus, atque promiscuis aliis. Cùm verò deducti fuissent ad navem, obsculati sunt se invicem, & valedicentes dedit illi trecentos aureos, & misit illum opimum ad Pontificem suum. Tunc prædictus Benedictus Diaconus venit iterum in Siciliam, exinde oneratis Dromonibus quinquaginta millia modiorum tritici, sinè quibusvis aliis aristis, aut leguminibus, pelles arietum rubricatas, & hyacinthinas Casulas, & Pluviales sericis exornatos, lænas, & cætera indumenta, vasa de aur calco, & argento, solidorum aureorum triginta unum millia. Ex his quindecim millia in Palatio Constantinopolitano, & sedecim millia in Archivo Ecclesiæ deportavit. Hæc pensio omni anno solvebatur, triticum verò semper ad mensam inde Pontifex vescebatur. Reversus verò Manipularius Pontifici narravit omnia, quæ gesta sunt, & indicavit de donis, quæ sibi largitus est, & egit gratias absenti viro. Post tertium annum iterum misit eum, qui antea fuerat, in Siciliam ad prædictum Diaconum, occasione data pro horto, quem tenebat, accessionem faceret, ut iterum muneraret eum; & misit, ut si non posset definire causam, ne quis invadat, etiam Constantinopolim pergite, & Imperatori supplicate. Ille verò postquam legit missam sibi epistolam, suscepit eum honorificè, & dixit illi; Hortum, de quo agitur, dic Domino meo, nos habemus. Cras maneamus illuc, & causam, pro qua tu missus es, sic faciam, quòd tu nunquam ad Siciliam desideres venire. Qui tribuit ei argentum multum, ponderaque auri plurima, & ultra non fuit ei, postquam Ravennam attigit, necesse ad Siciliam remigare.

CAPUT

(1) *illius*. Mur.

(2) *potui*. Mur.

CAPUT TERTIUM.

Maurus Romam à Pontifice vocatus pergere renuit. Anathemate punitus, anathema in Romanum Pontificem dicere audet. Mors utriusque.

COntigit eo tempore, ut Papa Romanus mitteret ad eum Legationem, ut Romam pergeret, volens eum subjugare suæ ditioni. Qui acceptâ epistolâ legit, & complicuit dicens ad Legatos Apostolicæ Sedis; quid est hoc, quod facere nitimini? Nonne inter nos statutum est, (1) sacramento confirmatum, ut nec ille adversùs me, vel meam Ecclesiam, neque sui posteri successores meos inquietent? Meum chirographum apud se habet, & ego illius detineo post omnia inter nos conscripta, & Sacerdotum meorum, & illius manibus roborata. (2) In ipsius manibus præcepta paginâ confirmata sunt. Etiam vos ipsi ibidem literas exarastis. His jussis non consentio. Revertimini ad eum, qui vos misit, & quod audistis nunciate. Qui reversi nunciaverunt per ordinem gesta. Tunc indignatus Papa jussit scribere epistolam obligationis anathematis vinculis innodatam, & ipse manu propria subscribens, ut si non ad Apostolicam Sedem Maurus Archiepiscopus veniret, non haberet licentiam Missas canere, nec ullus homo ad ejus communicationem accederet, neque quicumque Clericus se illi adhæreret, nec ad Sacrosanctum Altare cum ipso accederet, nec ullam oblationem cum eo, vel pro eo offerret. Quicumque autem temerarius fuisset, & non observasset, Judaicis esset vinculis alligatus, & à Regno Dei alienus fuisset. Hæc omnia inserta in epistola deferunt Legati Romanæ Sedis, & Pontifici Mauro Ravennensis civitatis obtulerunt. Quas accipiens Maurus Antistes tristissimas legit literas. Qui & iste irâ repletus, *non* (3) specie furiæ, sed quasi furor irrevocabilis scribens & ipse epistolam similiter obligationis ex anathemate commissa, ut nec (4) Papa licentiam haberet Missas canendi, sicut nec iste. Ad instar Romanæ epistolam suam scribere jussit, misitque Romam ad prædictum Papam, quam lectam projecit à se, iterumque jussit colligi. Post hæc voluit dirigere Legatos Constantinopolim ad Imperatorem, ut eo coërceret Maurum Archiepiscopum ad Concilium Romam ire; & quomodo ausus fuisset Magistrum suum obligationis epistolam mittere. In tali verò obligatione mortui sunt ambo. Ex illa verò die nec Romæ oblationes pro eo offerunt, nec hic pro isto; sed tantùm omni hebdomada die quintæ feriæ post vespertinum Officium expletum conveniunt Presbyteri, Diacones, Subdiacones, Clerici, & ingrediuntur in Secretarium, & dividunt inter se bucellam panis, & botulos singulos, cyathum vini; & dicit Presbyter, vel quicumque in ordine prior est; *requiem æternam donet Dominus Deus animæ illius, in cujus commemorationem hæc sumpsimus*; & cæteri dicunt; *Jubeat Deus*. Et his dictis recedunt. Ajunt alii quòd post mortem ipsorum post plura tempora Romæ in Concilio hæc causa discussa fuisset; qui providentiâ Episcoporum quasi pro depositione illorum inciderunt summitatem cunpa-

A dis pedis dexteri. Sic illi, sic isti. In hora autem mortis suæ vocavit omnes Sacerdotes suos plorans coram eis, petens veniam, & dixit ad eos; ego ingrediar viam mortis, contestor, & moneo vos, non vos tradatis sub Romanorum jugo. Eligite ex vobis Pastorem, & & consecretur à suis Episcopis. Pallium ab Imperatore petite, quacumque enim die Romæ subjugati fueritis, non eritis integri. Et his dictis obiit, sepultusque est in Ardica B. Apollinaris.

CAPUT QUARTUM.

Sepulcri Lapis. Hunc Lotharius Augustus in
B *Gallias abstulit. Corpus B. Apollinaris ex Ardica in mediam Basilicam translatum. Mauri Epitaphium.*

MIræ sepulturæ ibi fuit lapis porphyreticus ante prædictam arcam, pretiosissimus, & valde lucidissimus in modum vitri. Et apertis januis, quæ respiciunt ad Ecclesiam B. Severi, qui intuisset illum lapidem sicut in speculum, tam homines, quamque animalia, sive volatilia, vel qualescumque res inde transissent, quasi ænigma in speculum videre potuisset. Sed penè annos XII. tempore Petronacis Pontificis Lotharius Augustus tollere jussit, & in capsam
C ligneam super lanam inclusit, & Franciam deportavit, & super Altarium, Sancti Sebastiani mensa ut esset, posuit. Præceptum mihi à Pontifice fuit, ut ego illuc issem, ne Cæmentarii incautè agendo frangeretur; sed corde dolore pleno in partem aliam secessi. Iste Corpus B. Apollinaris, qui dudum in Ardica ipsius conditum à Maximiano Præsule, cum Juliano Argentario fuit, exinde tulit, & in medio Templi collocavit, & ipsius Martyris historiam laminis argenteis infixit. Epitaphium verò desuper invenietis scriptum continens ita.

Prima fides nostrisque pater promiserat olim
Perspiciendum oculis, & legis voce vocandum,
D *Christum concrebrans Christum sonat, omnia Christum.*
O' nomen prædulce Mauri Pontificis, lux & decus,
Præsidiumque nostrum, requies ò certa laborum!
Blandus in ore sapor, fragrans odor, irriguus fons,
Castus amor, pulcra species, sincera voluptas. (5)
Si gens surda neget tibi tot præconia, de te
Tam multas rerum voces elementaque (6) ....
Vidistis (7) *angelicis comitatum cœtibus altè*
Ultima quà spatium non mensurabile tendit.
Currens namque ..... gradibus Regemque sedentem
Præmia digna ferens; quæ te tam læta tulerunt
E *Eloquia meritò primi sequaces defuisti.*
Tam generis tibi celsus apex, quàm gloria fandi.
Inviolatus amor, castæ præconia vitæ.
Ore decens, bonus ingenio, facundus & ore.
Vota probata Deo, meritisque faventia sanctis.
Omnia quæ voluisti prospera quæ (8) ..... & *idem.*
Optasti quidquid ...... contigit, ut voluisti.
Creditus & vitas hominum ratione medendi,
Inde & perfunctæ manet hæc reverentia vitæ.

Vir-

(1) &. Mur.
(2) Vide Observationes. Bacch.
(3) fortè *in*. Bacch.
(4) *ille*. Mur.

(5) *voluntas*. Mur.
(6) *tantae*. Mur.
(7) *Vidisti*. Mur.
(8) *vidisti*. Mur.

Virtutibus tuis ad culmen tuam relevasti sedem,
Serta tenens apostolica ad jura propria collocasti.
Nunc etiam manes placidus pia cura retractus,
Et nunc perpetuo sentiris sub honore sepulcri.
Corruptela patris nascentem turbida carnis
Progenies Christum invenies de corde parentem.

Et ante ipsam arcam invenies in pavimento tessellis exaratum continentem ita. *Hic requiescit in pace Maurus Archiepiscopus, qui vixit annos* (1) *plurimos LXVII. qui tempore Domini Constantini Imperatoris liberavit Ecclesiam suam de jugo Romanorum servitutis*, Sedit ann. XXVIII. mens. X. dies XVIII.

OBSERVATIONES

AD VITAM

MAURI SCHISMATICI.

Oeconomus Ecclesiæ, Latinis Vicedominus. Abbates in Clero. S. Bartholomæi Ravennatis Abbatia. Sedes Episcoporum Ravennatum in Synodis. Constantini Præceptum à Mauro obtentum. Emendantur chronologica. Series Exarchorum ex eo suppleta. Autocephalia exorta in schisma abiit. Agnellus confutatus.

I. MAurus, *quem vaferrimi ingenii hominem fuisse Agnellus ipse, licèt Romanæ auctoritatis satis impatiens, non obscurè indicat, œconomus ante Episcopatum Ecclesiæ Ravennatis fuerat. Oeconomum Græci, Vicedominum Latini dixere virum, qui Ecclesiasticos redditus procurandos, & juxta canonem dispensandos Episcopo, Cleroque demandante assumebatur, de quibus rationes reddere tenebatur. Constat id muneris institutum, cùm demum Ecclesiæ, præter Fidelium oblationes, latifundia, bonaque immobilia habere cœperunt, quorum redditus vix videbatur Clericos curare posse, absque eo quòd à rerum divinarum ministeriis distraherentur, quare statutum est plurium Conciliorum decretis, quorum antiquius est Chalcedonense can. 25. 26., ut id muneris in singulis Ecclesiis Laico demandaretur, à Clero eligendo, qui postmodum ab Episcopo constitutus est. De his Jacobus Gothofred. ad Tit.* de Bonis Cleric. *Cod. Theodos., ubi lex ea Theodosii, & Valentiniani data XIII. Kal. Januarii Ariovindo, & Aspare Coss. œconomos Ecclesiarum nominat, quare officium hujusmodi, dum lex illa ferebatur, anno videlicet 434. jam in usu erat. A' tempore autem Ecclesii Episcopi in Ravennati Ecclesia œconomi munus in plures ex Clero jam dispertiebatur, quibus id ab Episcopo demandatum, ostendunt Literæ Felicis Papæ: eorum autem officium per hæc explicatur;* ad Patrimonium verò Ecclesiæ ex eorum Episcopi judicio .... ex Clero personæ electæ cum solatiis, quæ pro notitia deputaverit Episcopus sub idonea fidejussione mittantur, quorum fides fuerit, & industria comprobata, ut & alimonia pauperum fraudem non patiatur, & quantitas Patrimonii Ecclesiæ latêre non possit, & unusquisque Clericus sub timore Dei, & proprii Sacerdotis, de his, quæ sibi commissa fuerint, exponat fideliter rationes.

II. Maurus non modò œconomus Ravennatis Ecclesiæ, sed & Abbas S. Bartholomæi extitit, quo munere Agnellus ipse ex Patrui resignatione ornatus fuit, ut ex hoc loco cognoscimus. Porrò A *notius est, quàm quòd huic probando operam impenderet Sarnellus in Opusculo Italico de vita communi Clericorum inscripto, nomen videlicet Abbatis non semper indicium esset Cœnobii, Monachorumque, & plures Ecclesias Abbatiali titulo gaudere, quæ ab initio Clericorum fuerunt. Monent nos ea de re plura sequioris ævi monumenta, sed & illud novimus non modò à Monachis ad Clericos, verùm & ad Laicos multifariè migrasse nomen Abbatis; videatur Duchangius in Glossario Latinitatis. Cæterùm hæc S. Bartholomæi, sicut & altera S. Mariæ ad Blachernas, cui Agnellus idem præfuit, Abbatia, Clericos, non Monachos habuisse censeo, licèt vocetur nomine Monasterii; etenim jam adnotatum est quid apud nostrum Mo-* B *nasterii vocabulum ferat. Ravennatum rerum Scriptores nil de S. Bartholomæi Abbatia, nil de ejus titulo Mauro huic, Agnelloque nostro tributo. Fabrus in sacris Ravennæ monumentis indicat duas Ravennæ Ecclesias invocato S. Bartholomæi nomine consecratas, quarum una adhuc superstes non magni nominis, quamvis ab anno 1262. nota, quo ab Urbano ejus nominis quarto Canonicis Ravennatibus Diplomate asseritur, & eorundem in illam jus confirmatur. S. Maria ad Blachernas, cujus Abbas Agnellus, illa fuit, quæ modò S. Maria de Pallatiolo nostrorum S. Vitalis Casinensium Monasterio unita, haud magno spatio Ravennà distans, uti haud obscurè ex Johannis Angeloptis vita indicat Agnellus ipse cap. 3. Altera S. Bartholomæi* C *Ecclesia ibi fuit, ubi nunc Templum elegans S. Romualdi nomine Deo dicatum, cum insigni Camaldulensium Cœnobitarum Monasterio. Utra ex his duabus S. Bartholomæi Ecclesiis Mauro, Agnelloque Abbatibus laudanda sit, ægrè diffiniri potest. Libentiùs suffragio meo priori accederem, quòd extra pomœrium milliario ferè à civitate distet, nec enim puto Abbates hujusmodi Ecclesiarum intra urbem, curam gessisse per ea tempora, Ravennæ; & eam ad Canonicorum jus antiquitus etiam spectasse. At de his satis, de quibus etiam egimus in Præfatione.*

III. Priora in Episcopatu Mauro laudabiliter gesta mirum est ab Agnello omissa; at Scriptor, qui Episcopum ex eo laude dignum censuit, D *quo omnium odium apud posteros promeruit, ob autocephaliam videlicet tentatam, minimè posterioribus priora congruere vidit, nec ista illis respondere, cùm antea Ecclesiam suam Romanæ subditam agnoverit Maurus, qui sciens, volensque independens fieri tentavit. Præclaram sanè operam à Mauro præstitam conficiendæ Monothelitarum hæresi in Lateranensi Concilio sub Martino Sanctissimo Pontifice per Maurum Cesenatem Episcopum, & Deusdedit Ravennatis Ecclesiæ Presbyterum, testantur ejusdem Concilii Acta, de quibus latè Rubeus lib. 4. ad annum 649. Ex priori laudatæ Synodi Secretario constat in Episcoporum serie Mauri Legatos tertio loco numeratos, videlicet post Maximum Aquile-* E *jensem, & Deusdedit Calaritanum Episcopos; verùm in sententia dicenda primo omnium loco loquentes. Nullus autem non videt potiori ratione argumentum præcedentiæ ex loco, quo quisque sententiam dixit, sumi, qui ex Actis superstitibus certus sit, quàm ex Episcoporum subscribentium serie, quæ Descriptorum vitio variari potuit. Rem dissertè, eruditèque tractat Rubeus in Historia Ravennati lib. 5. pag. 283., & 284. ad annum 1040., ubi refert Clementem II. celebre Romæ Concilium habuisse, cujus tamen Acta exciderunt, in quo de Patrum consilio in contradictorio, ut ajunt, judi-*

(1) P. M. idest *plus minus*. Bacch.

cio contra Aquilejensem, & Mediolanensem Episcopos statutum est Ravennatem Episcopum absente Augusto ad Pontificis dexteram, præsente verò eodem, ad sinistram sedere, ex veteris Ravennatis Ecclesiæ jure, cui minimè offecisset, quòd Petrus quondam Episcopus, Symmachi Pontificis ævo, in Romanis Synodis post Mediolanensem sedisset, quòd id ex Petri moderatione factum, Johannes item Pontifex Symmachi successor literis suis testatum reliquerit. Rubeus Clementis Diploma se vidisse in S. Vitalis Ravennati Archivio ait. Illud Ughellus ex Ravennati Tabulario exhibet, & ex eo nonnulla Cardinalis Noris in Dissert. de quinta Synodo. Extat & in Codice Estensi, in quo Agnelli Liber, apographum Diplomatis, cui infrascripta Notariorum testimonia subjiciuntur.

Ego Ubaldus Ravennas Tabellio, & Notarius S. Ravennatis Ecclesiæ, ut in Authentico vidi, & legi, ita scripsi.

Ego Artusinus, & Bartolinus, & Camelius de Artusinis vidimus authenticum Privilegium bullatum cum Bulla D. Clementis Papæ.

Et ego Paulus Scordili de Candia Doctor Decretorum, Præpositus S. Ravennatis Ecclesiæ illud Privilegium in Authentico vidi, & legi, & bullatum bullâ plumbeâ Apostolicâ, sed non more aliarum Apostolicarum Bullarum.

Paulus Scordili is est, cui nonnullorum Ravennatum Episcoporum Vitas debemus, in Appendice adjicendas. De diversa Bullarum plumbearum forma vide Mabillonium de Re Diplom. lib. 2. cap. 14. n. 10.

IV. At ut ad Nostrum revertamur, is relatis muneribus à Mauro ante Episcopatum gestis transit statim ad simultates, quas cum Romano Pontifice habuit, quem licèt non laudet, ex temporum tamen calculis Vitalianum fuisse agnoscimus. Plurium annorum spatium his gerendis, procurandisque Episcopum impendisse ostendit, qui Imperatorem Constantem impium, sibique simillimum nactus, quemque post patrata recèns in S. Martinum, Pontifices Romani in multis ex prudentiæ legibus tolerabant, quod animo foverat de suæ Ecclesiæ autocephalia, complendum curavit, votique tandem compos effectus est in propriam, & suorum perniciem. In eodem Estensi Codice, qui Agnelli Librum continet, extat Constantis præceptum, ut vocabant, ipsum, cujus hic tenorem describendum operæ pretium arbitror, cùm ex eo lux haud spernenda Ravennati Schismati intelligendo, Agnelloque illustrando affulgeat. Dolendum Exscriptoris vitio in plurimis deformatum ita, ut alicubi vix commodus sensus elici possit, & corrupta omnia restituere desperaverim. En ipsum pro ut extat.

Privilegium Constantini, (1) Eradii (2) *Imperatorum ad Maurum Episcopum Ravennatem.*

PReceptum (3) atque fidelem animum Sanctitatis vestræ, quòd circa nostrum pium Imperium (4) quæ hactenus exhibuit ipsius profectò operis nostram sæpe *demonstrat* (5) pietatem, & quod propositum suum erga nostrum servitium ampliùs quàm *ampliùs* (6) vivaciter exerceat, non solùm suggestio gloriosi Exarchi nostri, unde præstita sibi indicat solatia, verùm & suæ relatio Sanctitatis per Re-

A paratum Deo amabilem Presbyterum, & Vicedominum missa, per quam etiam, ut multò ampliùs protectores existere debeamus Christo dilectæ nostræ Italiæ Provinciæ, vel sanctæ ejus Ravennati Ecclesiæ; & ideo boni Pastoris pro commissi ovilis curam gerentis opus est pro quo & congruam dispositionem pro salute nostræ Christo dilectæ Italiæ Provinciæ agendam præcepimus per nostram piam jussionem Gregorio Exarcho nostro, & hortamur Sanctitatem vestram in omnibus pro nostro servitio.......... habere. Quia autem & pro suæ postulavit protectione Ecclesiæ, credimus eam jam satisfactam esse, quia nihil neglectum est, quod ad salutem, stabilitatem, vel honoris augmen-
B tum vestrum, vestræque Ecclesiæ pertinet, privilegiis eam munientes, quibus ab omni majoris Sedis ditione exui, & suis esse juris eam, Sanctamque ejus post eam Ecclesiam, sancivimus, & firmam, stabilem, atque inconvulsam manere jussimus perpetuò. Sed & nunc pro ampliori *alacritate* (7) mentis ejus per præsentem nostram piam jussionem *SANCIMUS* ampliùs securam, atque liberam ab omni Superiori Episcopali conditione manere, & solùm orationi vacare pro nostro exorando Imperio, & non subjacere pro quolibet modo Patriarchæ antiquæ Urbis Romæ, sed manere eam (8) Αυτοcephαλον, & Sanctam ejus post eam Ecclesiam, cum omnibus sibi pertinentibus per
C Diocesim, & Parochiis ordinatoribus, sicut reliqui Metropolitæ pro diversis Reipublicæ manentes Provinciis, qui & à propriis consecratus Episcopis, vestris videlicet, & decore Palei, sicut nostræ divinitatis sanctione, superna inspiratione perlargitum est. Oportet namque nos eximia devotione honorare eos, qui se nostro servitio toto mentis intuitu instanter devoverunt. Quid verò ampliùs est honorabile, quàm ea, quæ ita à nobis piè tractata sunt, pertinentia ad honorem Sacerdotis devoti, atque sinceri nobis nimium *apparentis*. (9) Providè hortamur paternam Beatitudinem vestram Omnipotentem Dominum incessanter orare pro dilatanda credita nobis ab ejus majestate Romana
D Republica. *FIAT*. Literæ Imperatoris. Datum Kal. Martias Syracusâ; Imperantibus Dominis nostris piissimis perpetuis Augustis *Constantino* (10) majore Imp. anno XXV., & post Consulatum ejus ann. *XIIII.* (11), atque novo Constantino *Heradio* (12), & Tiberio à Deo conservati filii; Constantini quidem ann. *XIIII.* (13) Heraclio autem, & Tiberio ann. VII.

V. Quod in primis in allato documento corrigi debuit, fuit multiplex chronologicus character corruptus à Descriptore. Syracusis cùm datum dicatur, spectat ad unum ex tribus annis, qui fluxere inter 664., & 668. quibus Constans in Sicilia moratus est. Novimus enim eum ingressum Siciliam per Ind. VII. *Syracusis degisse ex Paulo Dia-*
E *cono lib. 5. cap. 11., licèt Theophanes computans tempus, quo in Italia contra Langobardos rem gessit, Romæque fuit, dicat eum sex annis in Sicilia moratum, qui etiam causam docet, cur Constantinopoli discesserit, quòd scilicet sibi metuens cogitaverit Imperii Sedem Romam transferre. Paulus ibidem tradit eundem Syracusis degisse usque ad*

(1) *Constantis*. Bacch.
(2) *& Heraclii*. Bacch.
(3) *Perspectum*. Bacch.
(4) *Aliquid deest*. Bacch.
(5) *demeruit*. Bacch.
(6) *priùs*. Bacch.
(7) *claritate*. Bacch.

(8) αὐτοκέφαλην. Bacch.
(9) *parentis*. Bacch.
(10) *Constante*. Bacch.
(11) *XXIII*. Bacch.
(12) *Heraclio*. Bacch.
(13) *XII*. Bacch.

ad Indictionem XII, *quod verum est*, *nam occisus est circa Novembrem anni 668.*, *cùm XII. indictio jam cœpisset numerari*, *nec id repugnat Anastasio*, *vel Theophani*, *ut visum fuit Baronio*, *Anastasius etenim Indictionem XI. prorogat usque ad Kal. Januarii proximas*, *& bene subsistit cum Indict. XII. annus Imperii 27. Theophani signatus*. *Arbitror autem Diploma ad annum 666. spectare*, *cùm ex quatuor signatis characteribus duo anno illi conveniant*, *juxta quos duo reliqui sunt emendandi*. *Conveniunt autem annus Imperii Constantis XXV.*, *& annus Imperii Heraclii*, *& Tiberii VII.*, *quare annus Postconsularis emendandus est XXIII.*, *& pro Constantini anno XIV. reponendus annus XII. adhuc fluens*, *finiendus tamen sequenti mense*. *Rationes calculi in hunc modum initi petendæ ex præcedenti Dissertatione*. *Mendosè Constantis nomen in Constantini mutatur*, *quod familiare sphalma est in eorum temporum documentis*, *ut apparet ex Conciliorum Collectione Labbæana*.

VI. Ex hoc autem Diplomate Gregorium anno laudato 666. Ravennæ Exarchum fuisse novimus, *& Theodori Calliopæ Magistratum cessasse*. *Stupebamus autem hujus Exarchi tempus durasse ab anno 650. usque ad 686. annis videlicet 36. Ut horum tempora metiamur observari debet*, *innui in hoc Diplomate Maurum Imperatori sibi demerendo studuisse*, *illudque curasse*, *ut sibi Exarchum benevolum redderet*, *arreptis*, *quæ ea tempora suppeditabant*, *occasionibus*. *Inter has autem nullus dubito opportunissimam affuisse*, *Romanorum in Constantem odium ob impiam S. Martini abductionem*, *ac deportationem*, *quare potuit Maurus ea agere*, *quæ amplissimæ suæ Ravennati Diœcesi in officio continendæ plurimum conferebant*. *Verosimile autem est Constantem*, *qui ad facti invidiam avertendam Vitaliani*, *qui post Eugenium Martino successit non modò electionem ratam habuit*, *sed*, *quod tradit Anastasius*, *renovavit Privilegia*, *Legatosque officiosè habitos remisit*, *simulque ad S. Petrum muneris loco ferenda voluit* Evangelia aurea cum gemmis albis miræ magnitudinis in circuitu ornata, *verosimile*, *inquam*, *est Theodorum Calliopam*, *de quo nulla amplius mentio*, *ab Exarchatu removisse*, *& Gregorium suffecisse*. *Hoc factum*, *ex conjectura*, *Eugenio sedente*, *cùm satis sibi infensos*, *Exarchoque Romanos agnosceret*, *ex unanimi horum constantia in reprobanda Petri Constantinopolitani Patriarchæ Synodica*, quæ cum majori strepitu, *inquit Anastasius in Eugenio*, est à Sancta Dei Ecclesia projecta, *nec permiserint Pontificem Missas celebrare in Basilica B. Virginis*, *antequam spoponderit se minimè eandem aliquando suscepturum*. *Itaque circa annum 658. Calliopam revocatum reor*, *& Gregorium suffectum*, *quem statim Maurus duxerit ad sua vota præparandum*, *occasione Imperatoris in Romanos Pontifices infensi*, *& de Langobardorum potentia meticulosi*, *ac ob id cogitantis in Italiam cum exercitu transmittere*. *Post hunc Gregorium Theodorus*, *alter à Calliopa*, *subrogatus est*, *qui & Theodoro Episcopo sedente*, *Ravennæ erat*, *ut infra patebit*, *& usque ad annum 686. in Magistratu perseveravit*. *Novum Exarchum post Constantis obitum missum*, *illud facit*, *ut credam*, *quòd ut plurimùm*, *Augusti cùm soli imperare cœperunt*, *revocato*, *qui sub Prædecessore administraverat*, *alterum in Provinciam mittebant*. *Ita à Mauritio Smaragdus*, *à Phoca Smaragdus iterum*, *ab Heraclio Johannes Demiges*, *seu Remiges*, *& à Constante Theodorus Calliopas missi sunt*. *Sunt ob quæ credam Theodorum hunc juniorem Calliopâ*, *& Gregorio meliora consilia fovisse*, *quippe eo Magistratum gerente Ravennas Ecclesia Romani Pontificis jus fassa est*, *& ad ejus unitatem rediit*.

VII. Officii mei hìc est in primis Agnello narrata uti veritati contraria refellere, *ubi falsò innuit chirographum olim inter Maurum*, *& Sanctissimum Romanum Pontificem firmatum*. Nonne (*Maurum loquentem inducit Apostolicæ Sedis Legatis*) statutum, & sacramento firmatum, ut nec ille adversùs me, vel meam Ecclesiam, neque sui posteri, successoresque meos inquietent? *Porrò Vitalianus is fuit*, *qui inter Sanctos in Ecclesiasticis Tabulis scribi meruit*, *quique ea proinde in tuendis Ecclesiæ Romanæ juribus constantia fuisse certum est*, *quæ opinioni hujusmodi responderit*, *quam nonnisi impius infitietur*. *Virtutis hujusmodi argumentum sanè præclarum habemus ex ejusdem epist. 1. ad Paulum Cretensem Archiepiscopum*, *quem ibi severè arguit*, *quòd Johannem Lappæ Episcopum ad se appellantem*, *contra Canones cohibere tentasset*. *Hunc & in Synodo Romæ coacta à Metropolitano prædicto injuriâ affectum absolvit*. *Non potuit itaque ejus virtutis*, *& sanctitatis Pontifex*, *qui appellationum jus contra Orientalis Ecclesiæ Metropolitam præclarè tueri voluit*, *quique eo nomine ab Anastasio laudatur*, *quod* regulam Ecclesiasticam, atque rigorem, ut mos erat, omnino conservavit, *suum in Ravennatem Episcopum jus negligere*, *& quod*, *indignum fide*, *in suæ Ecclesiæ detrimentum*, *pactis hujusmodi consentire*. *Restitit enimverò*, *& excommunicationis mucrone Mauri jugulo adacto*, *autocephaliæ per nefas à Constante Augusto statutæ initia tollere*, *ingenti animo curavit*, *quod & Agnellus ipse testatur*. *Constans quamvis omnium consensu impius Monothelita*, *quòd eorum temporum*, *& Italiæ vices exigebant*, *Catholicum se demerendo Pontifici simulabat*, *& licèt ob eandem causam Gregorii Exarchæ operâ*, *ut sibi Archiepiscopum Ravennatem devinciret autocephaliæ præceptum concesserit*, *minimè tamen Vitalianum ad consensum adigere tentaverit*, *quem ob id alieno à se animo futurum timebat*. *Ex ipso*, *quod dedimus Constantis præcepto id haberi puto*, *quòd haud dari oportuisset*, *si Vitalianus in propria causa suo juri chirographo*, *& sacramento cessisset*, *vel si post cessionem Pontificis nihilominus idipsum suo edicto firmandum existimasset*, *id agens*, *de Pontificis consensu meminisset*. *Præceptum autem hujusmodi Typi nomine apud Anastasium indicari puto in Leone II.*, *quòd Pogonato imperante tandem* ad amputanda scandala Sedis Apostolicæ restitutum est; cùm *videlicet* percurrente Divali Jussione clementissimi Principis restituta est Ecclesia Ravennatis sub ordinatione Sedis Apostolicæ. *Idque ex eo confirmatur*, *quòd typi vocabulum significandis Imperatorum Constitutionibus passim usurpatum novimus*, *quam in rem Duchangius in Glossario hunc ipsum Anastasii locum affert*. *Ex hoc*, *aliisque Anastasii assertis*, *quid Maurus ausus sit*, *quid*, *& à quo obtinuerit*, *autocephaliam videlicet*, *intelligimus*, *quam non Pontifex*, *sed Constans concessit*, *quaque non eximeretur à jure illo*, *quo Pontifex toti Ecclesiæ præest*, *sed à Patriarchico*, *seu veteri Metropolitano*, *quo ab initio Ecclesiæ unus fuit in Occidente Metropolitanus*, *uti in Dissert. de Hierer. Origin. satis probatum puto*. *Secularis potentiæ viribus se voti compotem existimavit Maurus*, *& eadem via posse se tueri sperans*, *Pontificem statim ultorem sensit*, *cum anathematis interminatione ad obedientiam est vocatus*; *at homo superbus*, *& pervicax horribili temeritate ausus est in Pontificem ipsum anathema dicere*, *& in schisma dilapsus est*. *A' schismate* Ec-

Ecclesiam Ravennatem Theodorus omnino vindicavit, & sub Leone II. autocephaliæ prætextus omnis ablatus est, cùm Typus, Præceptum videlicet Constantis, restitutus.

VIII. Verùm in Ravennati Ecclesia veteris pervicaciæ id remansit, quòd crediderint Clerici rationem haberi debere anathematis per summum nefas à Mauro in Romanum Pontificem intorti. Ob id in Sacrificio ad Altare haud credidere Vitaliani nomen recitandum. Ejus rei jure Agnellus narrat, in Secretario, omni hebdomada die quintæ feriæ post vespertinum officium expletum, *convenisse Clerum, & acceptâ* bucellâ panis, botulis singulis, & cyatho vini, requiem æternam à Domino *animæ illius bene precatum. Video sanè in his, quod cum horrore detester, neque enim censeo absque errore creditum Pontificem Romanum per quemlibet cujusvis dignitatis Præsulem anathemate potuisse feriri. Cæterùm hæc in spretum Pontificiæ dignitatis facta aliunde quàm ex prædicto capite si* A *quis videat, habebit profectò causam, ob quam mecum Ravennatis Cleri temeritatem vituperet. Si quis verò censeat, & hæc falsò, ac ex perversorum rumoribus Agnello narrata, libentissimè in ejus sententiam me ire cupientem habebit, qui nobilissimæ Ravennatum Ecclesiæ famam undequaque à similibus vindicari posse optarem. Quod autem rumore ferebatur in Concilio quodam decretum circa censuras hujusmodi utrimque licèt dispari effectu latas, quidque significet* cumpadis pedis dextri incisa, *sicut me non intelligere lubens, volensque fateor, ita inter aniles fabulas, vulgique perversos rumores computandum crediderim. Epitaphium in fine Vitæ descriptum cùm emendare desperaverim, ut jacebat in MS. descripsi. Cætera* B *clara satis sunt, ac ea in primis, quæ spectant ad Patrimonium Siciliense. Optandum scire, quo nomine pensio ingens Constantinopolitanæ Aulæ solveretur quotannis quindecim millia aureorum.*

VITA REPARATI.

CAPUT UNICUM.

Reparati munera. Multa is ab Imperatore obtinet. Cautum, ne electus Episcopus Ravennas Romæ ultra octo dies moretur. Reparati, & Augustorum Icones. In sui temporis Episcopos querelæ.

DE SANCTO REPARATO XXXV.

REparatus XXXV. Iste jam senior ætate, & ejus macilenta effigies erat in Ecclesia B. Petri. Hic Ravennæ Episcopus à tribus suis Suffraganeis ordinatus est, ut mos est Romanus Pontifex consecrari. De Monasterio S. Apollenaris quæsitus est hic Ravennæ non longè à Posterula ovilionis in loco, qui vocatur Moneta publica. Exinde Abba fuit. Et istius Ecclesiæ Vicedominus fuit, post Pontificem similiter tenuit Principatum temporibus Constantini majoris *fratris* Heraclii, & Tiberii. Constantinopolim perrexit, & quidquid Imperatori postulavit, obtinuit. Inter cætera confirmationis exarare jusserunt tale præceptum, ut nullus Sacerdos, vel quicumque Clericus quemlibet censum in publicum dedisset, non ripaticum, neque portaticum, vel siliquatio, aut teloneum nullus exigere ab eis *potuisset.* (1) Et iterum statuit, atque decrevit, sive Ecclesia, sive ex Monasterio, vel *Conditor* (2) ipsius Ecclesiæ, aut Structores, vel Staurophori, à quocumque Judice, aut Exactore, aut qualibet potestate essent subjecti, nisi tantummodo Pontifici, aut Rectori Ecclesiæ; & hoc decrevit, ut in tempore consecrationis non plusquam octo dies Romæ Electus moram *vertat.* (3) Et jussit, ut eorum effigies, & suam in Tribunali Cameris B. Apollenaris depingi, & variis tessellis decorari, ac subter pedibus eorum binos versus metricos describi continentes ita; C

Is igitur socius meritis Reparatus ut esset,
Aula novos habitus fecit flagrare per ævum.

Et super caput Imperatoris invenies ita; *Constantinus maior Imperator Heraclii, & Tiberii...... Imperator.* Verus Pastor piè cum ovibus vixit. Non (4) sub Romana se subjugavit Sede. Sublevavit ex paupertate Sacerdotes, ditavit, & ampliavit Cleros, non eorum abstulit, ut modò faciunt, sed ex Ecclesiæ minoribus tribuebat, majoribus augmentabat. Oves gaudebant Ecclesiæ, pullulabat doctrina, per diem, ac noctem vigilabat. Non fuit cupiditate plenus, non tumidus, non elatus, non invidus, non gastromagiæ amator, non repletus philargyriâ, *xenodoxiam* (5) recusabat. fugiebat accidiam, spretor superbiæ. Talis fuit, sicut dixit Dominus, *verus Israelita, in quo dolus non fuit.* Quomodo recordamur seniores dicere de bonitate Pontificum, & modò multa in eis mala conspicimus? Ipsi, qui vas fractum sanare debuerunt, sanum (6) confringunt. Heu quanta nos cooperiunt lamenta! quanti nos luctus, & quantis impedimur lacrymis, fletibusque, & singultibus! & qui in simplicitate cordis Deum deprecari debent, maximè blasphemant, & omissis peccatis, ut liberentur à malis Pastoribus deposcunt. Hæc oratio in peccatis est, juxta illud; *& oratio ejus fiat in peccatum.* Sed melius est à Deo quotidie clamando liberari, quàm tacendo sub impiorum manibus redigi. Scriptum namque est, *in*

D E

(1) *debuisset.* Mur.
(2) *Commendati.* Mur.
(3) *invectat.* Mur.
(4) *Vide Observationes* §. 2. Bacch.
(5) *cenodoxium.* Mur.
(6) *ipsi.* Mur.

in tribulatione invocasti me, *& liberavi te*; & alibi; *invoca me in die tribulationis tuæ*, *& eripiam te*, *& magnificabis me*. Hæc promissa firmiter teneamus, quia exaudit, & liberat Deus petentes se in tempore angustiæ. Moises clamando liberatus est de manu Pharaonis. Ezechias clamando è cœlis Angelum promeruit, qui pro eo centum & octuaginta (1) millia ex Assyriorum castris prostravit. Petrus orando ereptus est de manu Herodis. Quis deprecatus est Deum non dissimulando, sed ex totis viribus, & non est ereptus de manibus inimici? Audi Dominum in Evangelio dicentem. *Judex erat in civitate*, *qui Deum non timebat*, *nec hominem verebatur*. *Vidua quædam molesta erat ei quotidie dicens*; *vindica me de adversario meo &c.* Ait autem ipse Dñs; *Deus* tamen (2) *non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die*, *ac nocte*? Ideo oportet semper orare, & non deficere, sicut ipse S. Pontifex orationibus omnia obtinebat magis, quàm pretio. Mortuus igitur, & sepultus est in Ecclesia B. Apollenaris. Epitaphium ipsius deletum est. Obiit, ut diximus, III. Kal. Augusti. Sedit ann. V. mens. IX. dies.......

OBSERVATIONES
AD VITAM
REPARATI.

Reparatus sub Mauro autocephaliam obtinendam procuravit. Ex Monasterio assumptus. Monasterium, ex quo quæsitus, quodnam? Privilegium à Pogonato obtinet, concordiam potiùs, quàm autocephaliam juvans.

I. PRima itaque ex autocephalia ordinatione Reparatus Ravennas Episcopus à tribus Suffraganeis est consecratus, receptumque non à Pontifice Romano, sed ab Imperatore Pallium. Nullus in Ravennati Clero erat Reparato aptior, qui Mauro subrogaretur, cæptamque restem produceret, quippe is eandem implicandi manus Mauro fuerat. Legatum sub Constante pro Episcopo egerat, ut autocephalia Divali jussione confirmaretur, ejus enim rei testis Augustus ipse accedit in exhibito documento. Ex Monasterio S. Apollenaris primùm quæsitus est, *ut loquitur Noster*, *nec Monasterii nomine*, *quòd aliàs solet hìc intelligit*, *sed Monachorum Cœnobium*. *Dubium autem remanet*, *an ex S. Apollinaris Monasterio Classensi assumptus fuerit*, *cùm ex Rubei mente Monachi ibidem locati sint demum circa annum 755. Yepesius tamen tom. p. ad annum 595. sentit Magni Gregorii ævo Monachis per Marinianum Ædem illam datam*, *quod si certis documentis constaret*, *Reparatum ibidem ab initio Monachum egisse verosimillimum fieret*. *Dubium*, *inquam*, *an ex altero assumptus S. Apollinaris Monasterio*, *quod fuit Ravennæ ad insignem illam Basilicam*, *quæ à Theodorico constructa*, *& ab Agnello Episcopo reconciliata*, *Divo Martino dedicata erat*, *describiturque Nostro in Agnelli Episcopi vita*, *& Blondo Dec. p. lib. 4. At non videtur Basilica hæc S. Apollinaris nomine vocata*, *nisi tandem*, *cùm circa annum 856. in eam ex Classensi Basilica Corpus S. Apollinaris translatum est*. *Monachos tamen à tempore cujus non extat memoria*, *ibi degisse testis est Faber*, *& Noster indicare videtur de quonam Cœnobio loquatur per ea*; Ravennæ non longè à Posterula ovilionis, loco, qui dicitur Moneta publica, *quibus Basilica intra Ravennam existens significari videtur*. *Eisdem gradibus*, *ac prædecessor ad Episcopatum ascendit*, *Abbatis videlicet in Clero*, *& Ecclesiæ Ravennatis œconomi*. *Ita publicorum reddituum*, *& Ecclesiasticæ pecuniæ administratio facilem ad majora ascensum præstabat*. *Episcopus factus est Constantino Pogonato imperante*, *quem*, *cùm corruptè in Agnelli Codice* pater *Heraclii*, *& Tiberii scriberetur*, fratrem *scribendum censui*, *quandoquidem extra controversiam est Vitalianum Pontificem Romanum*, *& ideo Maurum Pogonato imperante demortuos*.

II. Summa Reparatum opinione apud Imperatorem commendatum fuisse tradit Agnellus, *qui omnia*, *quæ peteret*, *impetraret*, *& ex Agnello Rubeus*, *cæterique*. *Inter alia autem obtinuisse ait Rubeus* dominatu Romani Pontificis Ravennates Archiepiscopos liberari, & ejus imaginem, atque Constantini Cæsaris librum eorum Privilegiorum Reparato porrigentis in S. Apollinaris Templi Classensis testudine vermiculato opere conspici. *Hæc ille lib. 4. pag. 207. Ex ejus fide Baronius ad annum 669. eadem tradit*, *& ex utroque Ughellus*, *& Faber*. *Verùm diversa toto cœlo narrat Noster*. *Privilegium à Constantino concessum immunitatis amplissimæ fuit à vectigalibus*, *& à laicali foro pro Episcopo*, *& Ravennatis Ecclesiæ Clericis*, *inter quos Staurophorus*, *sive Crucem præferens expressè numeratur*. *Illud observari meretur*, *statutum Imperatoris decreto*, *ne Ravennæ Episcopus electus*, *consecrationis tempore*, *ultra octo dies Romæ moram traheret*. *Actum itaque de restituendo in pristinum Romani Pontificis in Ravennates Episcopos consecrationis jure*, *ea conditione*, *ne ultra octavam ab adventu Electi Romam*, *exhibitioneque Decreti electionis differri posset ejusdem consecratio*, *quam ob rem obtentum*, *ut ad certum dierum numerum per Imperatorem moræ tempus coarctaretur*.

III. Porrò quidquid sit de traditis ab Agnello, *certum est ex Anastasio*, *Reparato sedente*, *Ravennatem Ecclesiam Romanæ Sedi redditam*; *hæc enim in Dono leguntur*; hujus temporibus Ecclesia Ravennatum, quæ se ab Ecclesia Romana segregaverat causâ autocephaliæ, denuo se pristinæ Sedi Apostolicæ subjugavit; cujus Ecclesiæ Præsul Reparatus è vestigio, ut Deo placuit, vitam finivit. *Malè tamen Agnellus*, *quod fortassis Pontifex clementer concessit*, *ut videlicet Electus Ravennas non plusquam octo diebus ordinationis causâ Romæ moraretur*, *scripsit decretum ab Imperatore*. *Aptiùs infra in Theodori vita hoc idem inter Romanum Pontificem*, *& Ravennatem Episcopum conventum narrat*, *Pontifice certè ex summa liberalitate annuente*, *nulla Imperatoris mentione facta*. *At si res ita ex Anastasio se habuit*, *quid significant ea Agnelli ejusdem de Reparato*; verus Pastor piè cum ovibus suis vixit; non sub Romana se subjugavit Sede? *Indulgens nimiùm erga Agnellum videar*, *si ut narrata cohæreant*, *Exscriptoris vitio factum dixero*, *ut cùm* nam *scriptum fuerit*, *descriptum sit*, non; *ideo si illi*, *quibus id minimè placeat*, *Agnellum apertè sibi contradicentem*, *& repugnantia tradentem arguant*, *nullus ipse repugnabo*. *Licèt autem Reparatus ad obedientiam*, *& ad cor redierit*, *nihilominus successor Theodorus autocephaliæ prætextu à tribus Suffraganeis ordinari voluit*; *at idem tandem*

(1) *quinque*. Mur.

(2) *autem*. Mur.

dem omnino se, suamque Ecclesiam Pontifici Romano submisit; qua in re Agnellus convenit cum Anastasio in Agathone.

MONITUM
AD
THEODORI VITAM.

Hic enim verò omnem in Theodorum rabiem exerit Agnellus. Causam ejus noris, reditum videlicet ejus ad obedientiam erga Romanum Pontificem. Mores etiam Cleri Ravennatis deformatos emendare cùm Episcopus vellet, nil mirum offendisse. Nos itaque Theodorum commendare decet ex iisdem capitibus, ob quæ, ringente invidia, ab Agnello calumniis vexatur.

VITA THEODORI.

CAPUT PRIMUM.

Quarta Ecclesiastica Clero dari solita tollitur. Documenta Clero favorabilia collecta, igneque consumpta.

DE SANCTO THEODORO XXXVI.

Theodorus XXXVI. Iste juvenis ætate, terribilis formâ, horridus aspectu, & omni fallacitate plenus. In Ecclesia Apostolorum hic Ravennæ à suis Episcopis consecratus fuit. Plures malitias de eo seniores nostri retulerunt. Miror quomodo die uno in suis malis actionibus Sedem obtinere valuit! Usque ad istius ingressum statuta Ecclesii, quæ in tempore Felicis Papæ inter Sacerdotes, & Clerum facta sunt, permanserunt. Crudelitatem ipsius in medium proferamus. Quartam à Clericis surripuit. Scripta statuta Ecclesii, quæ continebantur, rogo præcepit concremari. Pondera panum constituit; vini minuit mensuras. Deinceps multa, & alia addidit gravamina, quæ hic, dum ad cætera ire conor lacrymante calamo adsignare non valeo. In diebus igitur illis facta est fames valida in tota terra ista, & ipse deglutivit totius regionis frumentum. Cùm verò Sacerdotes non invenirent unde emerent, ierunt ad illum supplicantes, ut auxilium tribueret illis. Ille autem accersitum Archidiaconum nomine Theodorum, & Archipresbyterum similiter nomine Theodorum, dixit ad eos; dicite Sacerdotibus Ecclesiæ, & Clero universo; quare vos inopia famis consumit? Si dimittitis omnem quartam Ecclesiæ, & tantùm per anni circulum pro quarta donum accipiatis secundùm providentiam Pontificis, modò relevabo inopiam vestram. Qui diu castigati, gravescente fame, consenserunt, & ab illo tempore quarta à Clericis istius Ecclesiæ sublata est, usque in præsentem diem. Consuetudinem verò Ecclesii, quæ in singulis voluminibus per unumquodque officium erat scripta, abstulit, & igne consumpsit. Quadam die sedens in Cathedra dignitatis, dum murmur Sacerdotum, & Clericorum esset adversùm eum de consuetudine Ecclesii, quomodo unus ex officio habere potuisset, videns se superatum, palàm omnibus dixit; credite mihi filii, quia ego in omnibus vestram consuetudinem non usurpo, sed magis augumento; & data obligatione in Ecclesiæ cœtu, ut quicumque ex illis consuetudines ubique scriptas reperisset, ante eum allatæ fuissent. Quod, cùm multæ schedulæ ante eum allatæ fuissent, in machinatione cordis mala, placuit illi. Ille verò quasi cum gaudio accepisset, serena fronte coram omnibus, sed in pectore vulnus sævissimum erat, dixit iterum illis; exquirite etiam adhuc, ut inveniatis, & fiat confirmatio talis inter me, & vos, ut nunquam inter *nos*, (1) & meos posteros lites adcrescant. Illi iterum abierunt, & scrutati sunt diligenter, quas mox, ut invenire potuerunt, adduxerunt ad illum. Ille verò fraudulenter simulabat omnes schedulas, & ait ad illos; ite modò, ut mecum volutem, qualiter confirmem, ut nunquam causatio iteretur; & accepta omnia coarctans in volumina singula, in fornace istius Balnei (2) concremavit. Talia iste cum suis ovibus egit perjuria Pontifex, & seductione mala decepit. Utinam quòd non Cathedram Pastoris, vel etiam loco Mercenarii tenuisset! Iste in sua Sede, ut lupus in grege, leo inter quadrupedia, geracis inter volatilia, procella in maturis fructibus. Quid illi profuit Pontificium, qui etiam usque hodie, quando sepulcrum ejus Clerici mentiuntur, qui etiam post curricula annorum fortasse CLXXX. Corpus ejus ubi humatum, & destructum requiescit ..... maledictionem, & convitia dicunt. Etiam cæteri, qui ignorant irascentes dicunt; insinuate nobis, ubi requiescit ille iniquissimus Præsul.

CAPUT SECUNDUM.

Monasterium, sive Oratorium B. Theodori à Theodoro Exarcho constructum. Ejusdem Exarchi pietas. Johannicius floret. Plura de eo.

Tempore namque illo ædificatum est Monasterium B. Theodori Diaconi à Theodoro Patricio non longè à loco, qui vocatur Calchi, juxta Ecclesiam B Martini Confessoris, qui vocatur Cœlum aureum, quam Theodoricus ædificavit Rex, sed sub potestate istius Pontificis *relata*. (3) Fecit supradictus Patricius, & Exarchus calices aureos tres in hac San-

(1) *vos*. Mur.
(2) *igne*. Mur.

(3) .... Mur.

Sancta Ravennate Ecclesia, qui sunt in præsentem diem; quotidieque concurrebat ad Monasterium S. Mariæ, quod vocatur ad Blachernas, ubi Deo volente ego Abbas existo; & ibidem requiescit cum Agatha conjuge sua. Et fecit thecam super ipsius Altare Virginis ex blacta alithina pretiosissima, habentem historiam, quomodo Deus fecit cœlum, & terram, & creaturas mundi, & Adam, & progenies illius. Quis similem conspexit? Deo favente, usque hodie permanet. Ecclesiam verò B. Pauli Apostoli positam prope Wandalariam ipse cum isto Pontifice exaltaverunt, & adauxerunt, quia antea Synagoga Judæorum describebatur. Istius Patricii tempore cœpit Johannicius nomine in ejus Palatio hìc Ravennæ sapientia pullulare. *Causa* (1) verò pro qua, in medio proferamus, *non tanta* (2) relinquamus. Contigit eo tempore, quòd Notarius prædicti Exarchi divino jussu mortuus est, pro quo lamentabatur Patricius, non solùm pro morte ejus, sed plus, quia non habebat similem virum sapientissimum, qui potuisset epistolas Imperiales componere, vel cæteras scripturas chartulis, quas necesse erat, in Palatio perficere. Cùm autem ille suis suam tristitiam indicasset, dixerunt ad illum; nullam dubitationem Dominus noster ex hac habeat causa: est hìc adolescens unus Johannicius nomine Scriba peritissimus, in scripturis doctus, in sapientia facundus, in consilio providus, in sermone verax, cautus eloquio, omnique scientia plenus, nobilissimis ortus natalibus. Si mox jusseris venire, & ante tuum conspectum adstare, tunc placebit tibi, græcis, & latinis literis quia eruditus est. Quo audito verbo, quod dicebatur, exhilaratus præcepit eum venire. Et stetit ante eum, despexitque eum in corde suo, eo quòd brevis erat forma, & indecorus aspectu. Horruit visibilia, dilexit postmodum invisibilia. Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Patricius autem conversus ad Optimates hujus civitatis dixit; putatis, quòd ipse hoc Palatium per suam scientiam tueri poterit? Non puto. Et dixerunt ei; jubeat Dominus noster interrogari eum, quòd si non valet, recedat. Jussitque deferri epistolam, quæ ad se de Imperatore venerat græcè scriptam, dixitque ei Patricius; lege. At ille prostratus ante pedes ejus, surrexit, explicuitque, & ait; jubes Domine mi, ut græcè legam, ut exarata est, an per latina verba? Quia græcè, & latinè utebatur, & latinam, ut græcam tenebat. Tunc admiratus Patricius unà cum majoribus, & cœtu populi, jussit deferri præceptum latinis literis exaratum, & præcipiens ei dixit, tolle hoc præceptum in manu tua, & lege idem græcis verbis. Accipiens verò ille legit græcè per totum. Tunc placuit Patricio sententia ejusdem Johannicii, & glorificavit Deum, qui abstulit animam, & animatum restituit corpus; jussitque nisi pro sua scientia extra Palatium nullatenus moveret pedes, sed quotidie ante ejus staret aspectum. His itaque gestis post tertium verò annum Imperator Constantinopolitanus jussit exarari epistolam ad hunc Patricium, continentem ita. Mitte ad me virum illum, qui tales compositiones, quas ad me misisti, & carmina fingit. Qui onerata roborea navi diversa necessitate, misit eum in Constantinopolim, & cùm eum intuitus fuisset Imperator, incredibilis fuit de ejus scientia. Post dies verò paucos ejus claruit doctrina, & inter Primates eum habuit.

(1) *Causam*. Mur.
(2) *nec tacitam*. Mur.

CAPUT TERTIUM.

Clerus à Theodoro secedit in Nativitate Domini. Dissidium per Exarchum componitur. Clerus in pristinum restituitur.

IGitur Theodorus istius Civitatis Pontifex non recedebat à nequitia infinita, *qua* (3) cœperat. Quando amplectebatur Presbyteros, omnes Diaconos repellebat; post vindictam exercitam iterum diligebat Diaconos, & Presbyteros abiiciebat. Tales dissensiones ante eos nequissimus serebat sator, & unumquemque ludificabat. Post verò omnes in paupertatem redegit, & penuriâ nimis afflixit. Pro grandi necessitate omnes indignati sunt maximâ irâ. In die namque Vigiliæ Nativitatis Domini ierunt Sacerdotes unanimiter ad Theodorum Archipresbyterum, & ad Theodorum Archidiaconum, & dixerunt eis; dic Domino nostro Pontifici; malè contra nos agit, satis nos opprimit, sive stimulat, multa gravamina super nos imponit, quæ tolerare minimè possumus. Quartas nobis per occasiones abstulit, statuta Apostolica confregit, consuetudines Ecclesiæ incendit, Matriculas demit, à gremio nos Ecclesiæ repellit, Evangelia dissimulat, corpora affligit, substantias diripit, facultates tollit, censuales nos esse nititur. Iram illius tolerare non possumus. Illi autem euntes narraverunt Clericorum verba in aures Pontificis. Ille omnibus verbis auditis, quasi missile suscipiens telum, statim in iram versus, ait eis; vos irritatis Clericos, vos hæc verba in ore eorum ponitis. Certè qui hoc dixerunt nunquam in melius proficient: & conversus ad Archipresbyterum dixit; tu es hujus verborum sceleris auctor, tu Sacerdotum seditionis caput, tu plenissimè acerrimus hostis, tu concitator plebis; infestissimus undique adversarius es. Faciam post hanc festivitatem, ut nunquam alium voce lacessas. In ipsa verò ira perrexerunt omnes ad Ecclesiam Beatæ Mariæ semper Virginis celebrare vigilias; & post verò expletum officium retulerunt verba Pontificis ad Clerum universum, & indignati sunt, consiliantesque mutuò abierunt singuli in locum suum. Tunc Theodorus Archipresbyter ivit ad Theodorum Archidiaconum suum consobrinum in Monasterio S. Andreæ Apostoli, quod est fundatum non longè ab Ecclesia Gothorum, prope domum, quæ vocatur Mariniana. Pulsante eo ostium januæ, venerunt famuli domus percussorem ligni inquirere quis esset. At ille dedit notitiam, quia ego sum. Illi autem citiùs abeuntes narraverunt, dicentes, Theodorus Archipresbyter ostium pulsat, vult ad te ingredi. Rapidissimus alius venit, & dixit, quia in Monasterio erat. Et Archidiaconus ait; quid prodest, quod loquimur, quia ad effectum non pervenimus? Dixerunt ei domestici ejus; quid est quòd irasceris? Caro tua proxima, consobrinus tuus est, loquere cum eo, non separemeni. Quòd si Pontifex contra te sævierit, ille pro te quomodo verba proferet? Et ingressus in prædicto Monasterio locuti sunt inter se mutuò, & antequam separarentur dixerunt inter se; quomodo hæc consilia nostra stabilia erunt, quæ

(3) *quam*. Mur.

quæ locuti sumus? Archipresbyter dixit; Deus Omnipotens sit inter nos mediator, & iste Apostolus ejus, & in die judicii inter me, & te; qui transgressus fuerit, requirat Deus causam fallaciæ. Archidiaconus respondit; fiat, sic fiat. Talis terminus inter nos firmatus est, quem transgredere non possumus. Omnes Presbyteri istius ædis ad me concurrunt, tu convoca Diaconos omnes, & cæteros Ecclesiæ. Eamus ad Ecclesiam B. Apollenaris, & intrantes domum Antiocheni viri stemus, ibique Missas audiamus. Nullus cum eo hodie ministret. Repellamus eum, quòd non sit Pastor noster. His dictis abscedit. Nocte verò eadem ierunt omnes ad Ecclesiam B. Virginis Mariæ celebrare Missarum solennia, & locuti clam cum singulis *Officiis*, (1) consenserunt, & dixerunt; utinam ante factum fuisset, & non in talem devenissemus penuriam. Expletâ verò Missâ in Ecclesia Apostolorum insurgente aurora, cum Phœbea lumina terram lustrassent, perrexerunt omnes unanimes ad Ecclesiam B. Apollenaris, quæ sita est in civitate dudum Classis, & exclamantes ploraverunt amaro animo. Factum est autem postquam radius Solis in orbe emicuit, misit prædictus Pontifex Notarium juxta consuetudinem, ut vocaret Sacerdotes, ut procederent in Ecclesia, & Missas celebrarent: qui cùm venisset, nullum ex eis invênit, & reversus nunciavit ei. At ille ait; fortasse dormiunt, pro eo quòd in hac nocte fatigati fuerunt, ideo sopore depressi sunt. Sustinente autem eo quasi unâ horâ diei, iterum misit Notarium, & non invênit aliquem eorum, nunciavitque ei, quia omnes desunt. Et ait ille, quid est hoc? Qualis jam hora est? Si non omnes venerunt, vel etiam quanticumque sunt veniant. Respondens autem de circumstantibus dixit ei; non æstimet Dominus noster nisi quod ego dico. Nullum hodie ex tuis Sacerdotibus reperies, qui tecum ad Altare in hac solennitate accedat. Dixitque ille; quare? Et ait iterum; quia omnes transmearunt Cæsareæ, (2) tales ad S. ierunt Apollenarem, & ibidem Missam celebrant Presbyteri, Diacones, Subdiacones, Acolythi, Ostiarii, Lectores, Cantoresque cum universo Clero illuc ambulaverunt; non est relictus ex eis neque unus: sola Ecclesia est, non est ullus custos. Asserebant se valde afflictos esse, migraverunt. Tunc surrexit de sua sella, ubi sedebat, dedit sibi alapam in fronte dicens; heu victus sum. Ab alto trahens suspiria pectore seipsum lamentans, cubiculum introivit. Plebs autem in Ecclesia mirabatur, ignorans hujusmodi causam. His ita peractis statim Pontifex misit Nobiles viros, cum velocissimis equis, ut satisfactionibus ad Ecclesiam revocarent. Illi verò, cùm vidissent eos ad se venientes, mox levaverunt se omnes submissi humo vultibus, & magna voce, antequam Legati Pontificis locuti fuissent, dixerunt; recedite, quia non habemus *Pontificem*, (3) sed interfectorem. Quando in hoc ingressus est ovile, non talem, ut facit, dedit promissum. Surge S. Apollenaris celebra nobis Missam die Nativitatis Domini. Te nobis dedit S. Petrus Pastorem. Ideo tuæ sumus oves. Ad te concurrimus, salva nos. Non hìc consecrationem accepisti, sed ipse Apostolus suis te beavit manibus, & spiritum Sanctum tribuit, ad nos direxit, & nos tuam recepimus prædicationem. Ad guber-

A dum missus es, non ad delendum. Tu ante æquissimum Judicem stas, certa pro nobis, confringe ora cruenta lupi, ut nos deducere valeas per amœna pascua Christi. Quòd si non surrexeris, & hodie in hac Nativitate Missas celebraveris, omnes unanimiter statim ex domo tua egrediemur, & proficiscemur Romam ad B. Petrum magistrum tuum, & cum lamentationibus ante eum prosternemur, & cum ingenti luctu, immensoque fletu, magnisque cum suspiriis dicemus; fuimus ad discipulum tuum Præsulem nostrum, & Prædicatorem, quem nobis dedisti, & noluit Missas in tali præcipuo die Nativitatis Domini celebrare. Aut vindica nos de eo, aut da nobis novum Pastorem,

B qui nos defendat de ore Draconis, qui infra nostra mœnia cubat, & nostras condoleat afflictiones. Ecce tu ipse Pastor bone nosti, quia multæ ex tuis ovibus abierunt per nimia gravamina, & famis penuriam, recesseruntque à sancto mandato, & à doctrina tua, nequissimo Præsule suffocante. Quòd si non nos audierit, exinde *pergemus* (4) Constantinopolim ad Imperatorem, & quæremus ibi Patrem, & Pastorem. In his autem dictis talis lamentatio, luctusque ingens ex utrisque partibus fuit, ut illi, qui ad Pontificem reversi sunt pro intemperatis lacrymis, atque murmurationibus omnium illorum Clericorum, vix verba dare valuerunt, atque legationem explere ne-

C quiverunt. Tunc Theodorus Archiepiscopus metuens hoc, tristis ad Palatium cum magna festinatione profectus est, & omnia, quæ acciderunt sibi, retulit Patricio cum mœrore dicens; dereliquerunt me oves meæ, expoliatus sum pastorali honore, & repulsus, spretusque. Grex Domini mihi commissus quærit sibi Pastorem alium; properaverunt Classem, & ingressi in Ecclesiam B. Apollenaris accusant me apud Deum, & derident me. Patricius verò subitò misit nobiles viros, ut revocarent universos Cleros, & eorum omnes consuetudines in pristinum restitueret. Illi autem indignati cœperunt flere, & dixerunt; si Constantinopolim attingemus, etiam & super Exarchum hunc querelabimus, quia antea corrigere eum

D noluit. Non *venimus*, (5) sed usque horam nonam expectabimus hunc B. Apollenarem Pontificem nostrum; quòd si moras fecerit, Romam gradiemur. Et reversi largas fundentes lacrymas nunciaverunt Pontifici, & Patricio, ut audierunt, & lamentabantur. Addiderunt, quòd talis luctus, mugitusque infra ipsam resonat Ecclesiam, qualis nunquam nec auditus, nec visus in tota Classe fuit. Etiam & audientes illorum mœrentium voces, cum ipsis amarè flevimus. Tunc Archiepiscopus mœrore valde afflictus, voluit se pedibus Patricii prosternere; ait enim ingenti luctu; obsecro tuam clementiam, non vos pigeat illuc ire, & fati-

E gium (6) pro me habere, ut spondeas pro me. Omnia facturum pollicere, juxta quod illis placet, & ex rebus Ecclesiæ non ampliùs, nisi ut unus ex illis, particeps sum. Tunc Patricius faleras equo superimponi jussit, ascendit desuper, venit ad prædictum Martyris sepulcrum, & convocans omnes ad se, fudit lenia verba, pacificaque, & secum reduxit, promittens omnia emendare, sicut nuper audistis. Et venerunt, & Missas, & Vesperum unâ horâ celebraverunt cum mansueto Pontifice, vesperascen-

(1) *Officialibus*. Mur.
(2) Reponendum; *Classem*. Bacch.
(3) *Pastorem*. Mur.

(4) *vadimus*. Mur.
(5) *venimus*. Mur.
(6) Idest *laborem*, inde Italicum *fatica*. Bacch.

rascente die. Alia verò die venit Exarchus ad A
domum Ecclesiæ, & sedit cum Archiepiscopo, & cunctis Presbyteris, à tergo eorum Diaconi stantes, unà cum omni Clero Ecclesiæ steterunt in conflictu. Cùm multa controversia, & alterna verba inter eos essent, convictus est Pontifex, & statim restaurati sunt omnes de honore, & dignitatibus, & sortiti sunt opes Ecclesiæ, & non fuit ex eis aliquis, qui *quandam* (1) partem Ecclesiæ non haberet etiam, & subtractos actores, & prastias ab hujus Ecclesiæ familiaribus, & perrexerunt omnes læti ad Monasteria sua, & benedicebant Deum. *Quibusdam* (2) antea solis Pontifex utebatur, postea omnes sortiti sunt, & ex illo die tale
B fœdus inter Pontificem, & Sacerdotes statutum est, antequam consecretur per repromissionem, ut familiares Ecclesiæ auctoriam, curatiorem habeant.

CAPUT QUARTUM.

Theodorus Pontifici Romano submittitur. Statuta sub Agathone Leo II. confirmat, certis conditionibus admissis. Theodori obitus, Sedisque tempus.

IGitur post paululum tempus ipse Præsul dolorem in pectore servans nocendi suis Sa-
C cerdotibus, recordatusque malum, quod in eum exercuerant, & quia minimè poterat, ut volebat, suos parentes de rebus ditare Ecclesiæ, occulta suggestione Romam mittens ad Agathonem Papam, quasi pro causa Sanctarum Dei Ecclesiarum in Fide Catholica cum eo tractaturus, illuc eum juberet venire. Qui mox scripsit Epistolam, ut Theodorus Præsul pro sancta, & intemerata Fide Catholica Romam properaret. Qui ostensâ coram omnibus suis Sacerdotibus legens replicuit, dixitque ad illos; quid vobis videtur? Ecce Apostolicam Epistolam vidistis, & quod in ea continetur scitis; quid vobis videtur? Extra vestram non faciam voluntatem. Unum habemus consilium fratres, una voluntas, unus animus fit, eamus, an ces-
D semus. Illi verò in simplicitate respondentes, nescientes occultum consilium, dixerunt; oportet nos omnes pro Fide Orthodoxa, & Sancta Dei Ecclesia mortis subjacere periculo. Cùm autem pervenisset Romam, subjugavit se, suamque Ecclesiam sub Romano Pontifice. Romanus gavisus Pontifex, qui adquisierat quod Prædecessores sui perdiderant, gratulanter suscepit eum, & consensit ei quidquid postulavit, & quod petiit largitus est volontati ejus. Mortuo verò Agathone Papa, cum successore Leone omnia placita adimplevit, statutaque inter se fuerunt, ut qualem Electum hìc ex Ravenna Sacerdotes Romam deportassent, ipsum consecrasset; non ampliùs in tempore consecrationis Romæ maneret nisi octo die-
E bus, ultrà jam illuc non veniret. Nisi in die natalis Apostolorum Legatum ex Sacerdotibus mitteret, & Ravennensis Pontifex esset quietus, & alia multa capitula, quæ non possumus exarare, confirmata per manum Leonis cum Presbyteris. Igitur obiit iste ferocissimus die XVIII. mensis Januarii, cum multa alacritate Sacerdotum, & omnium gratulatione humo submersus est, in Ardica B. Apollenaris subtus jacet. Epitaphium verò ejus clarè legere non

(1) Fortè *quartam*. Bacch.

potui. Sedit annos XIII., menses III., & dies XX.

OBSERVATIONES
AD VITAM
THEODORI I.

Theodorus ab Agnelli calumniis vindicatus. Theodorus Exarchus à Calliopa diversus. Nonnulla indicata ad disciplinam spectantia, & ad Ravennatis Episcopi autocephaliam.

I. QUæ *Agnellus in hac Theodori Episcopi vita posteris mandavit, refert summatim Rubeus lib. 4. pag. 208., inde subjicit*; hanc Historiam ex vitis Ravennatum Archiepiscoporum à nobis descriptam facilè conjici potest, tum ex his, quæ cæteri omnes gravissimi Auctores tradiderunt, cum ex ipso rei merito à vero longiùs aberrare, ab ejusque seculi hominibus descriptam, qui arrogantiâ adversùs Romanam Ecclesiam elati, eam subjectionem ægreferebant. Nam Theodorus fertur summa pietate fuisse, & in pauperes munificentissimus, quique Sacerdotum Ravennatum mores in tanta rerum omnium licentia in deterius labentes, ac corruptos justa severitate correxerit. *Hæc ex pluribus excerpere placuit, Agnelloque narratis adjicere, ut quod Theodori famam juvare potest, maledictis, probrisque opponeretur. Licèt Agnellus præterea totus sit in Theodori memoriam diris insectando, non silet tamen quædam in ejusdem Episcopi laudem cedentia, qualia sunt quæ pertinent ad constructam, seu in meliorem, amplioremque formam redactam ædem S. Pauli in Vandalaria nuncupatam, quæ anteactis temporibus vel Synagoga fuerat Judæorum, vel uti Synagoga despectui habita, ambigua enim mihi phrasis est, qua id Nostro narratur.*

II. Ea occasione, quæ in primis Theodori Exarchi pietatem commendant, laudantur, qui Beato Theodoro Diacono Oratorium ædificavit, Calices aureos tres Ecclesiæ Ravennati, & thecam pretiosam obtulit, quique quotidie S. Mariæ ad Blachernas ædem extra Ravennæ pomœrium sitam frequens colebat, ubi & cum conjuge sua Agatha sepeliri mandavit. Hæc autem à Theodori Calliopæ moribus admodum abludunt, ostenduntque hunc ab illo diversum, quod supra in Mauri Episcopi vita indicatum est. Mitis etiam ingenii virum hunc ostendunt, quæ in hujus Episcopi vita referuntur, qui dissidium Cleri prudentissimè composuerit, & abstinuerit ab emendando Clero (quod verùm cum Rubeo existimo) refractario, Episcopique animo, vi adhibita, componendo, omneque judicium, uti Canones ferebant, Ecclesiæ reliquerit. Nullus etiam dubito eundem, consilium opere juvisse, quo Reparatus tractatu Theodorus effectu Romano Pontifici Ravennatem Ecclesiam restituit, quæ nullo modo Calliopæ moribus, ingenioque congruere potuisse palàm est. Referens Noster Oratorium Beati Theodori ab Exarcho constructum, meminit Ecclesiæ S. Martini in Cœlo aureo, ex quo conjectura infirmatur, qua suspicatus sum Reparatum ibidem Monachum egisse, nisi in illius Episcopi vita S. Apollenaris nomine eadem Basilica vocetur, quæ hìc veteri S. Martini vocabulo laudatur, cui repugnat Agnellus, qui S. Martini semper vocat.

(2) *Quibus*. Mur.

Rem eam itaque incertam agnosco, lubensque fateor quod aliàs semper, apud Nostrum Monasterii nomine Oratorium intelligi posse, apud quem Reparatus ministraverit, unde ad Episcopatum assumptus fuerit.

III. Plura ex hac Theodori vita excerpent Lectores ad disciplinae mores spectantia, veluti rationem redditum Ecclesiasticorum erogandorum, officia Archipresbyteri, Archidiaconi, Notariique, solennium Missarum in praecipuis anni festis indicendarum, & peragendarum methodum, & plura his similia, quae enarrare superfluum est. In Johannicii etiam historia publicus Exarchatus Notarius, quo munere illustris esset, deprehenditur. Caeterùm de eodem viro aget Agnellus infra in vita Felicis, addetque, quae ad ejus cognationem, genus, obitumque spectant. Illud observari me- A *retur prae caeteris Ravennatem Clerum assensum praestasse, ut cùm ageretur de controversia Fidei, quae Monothelitarum haeresi nondum prostrata, in discrimen vocabatur, Episcopus Romanae Synodo vocatus adesset, quod ipsum profectò erat ratione Synodi autocephaliae abrenunciare. Verùm potuit fieri, ut Episcopus se vocari diceret, vel ut extra Synodum Romanam, vel in generali, oecumenicaque cogenda, res ageretur; utroque enim modo potuisset adesse, non ut Romano Metropolitae, Patriarchove subditus, sed uti Acephalus. His assentiente Clero, Theodorus se, Ecclesiamque suam, quod Clerus noluisset, Romano Pontifici, & ordinationis, & Synodi ratione, submisit, & autocephaliae nuper à Mauro per fraudem obtentae re-* B *nunciavit.*

VITA
DAMIANI.

CAPUT PRIMUM.

Puer ad vitam revocatur, qui chrismate consignatus denuo obit. Johannicius Ravennam revertitur.

DE SANCTO DAMIANO XXXVII.

C Damianus XXXVII. Brevi corpore, non satis pinguis, ex isto ovili, consecratus Romae, humilis homo, mansuetus, & pius. Eo regente Cathedram, magna quies in Sacerdotibus, & populo fuit, sicut nobis vetustiores retulerunt. Audite. Contigit eo tempore, sicut narrare audivi, venit quaedam mulier cum infante parvulo, ut Pontifex Spiritum Sanctum per manuum impositionem, & unctionem chrismatis daret; ille verò tondebatur. Manipulum namque ejus dixerunt mulieri; expecta donec tondeatur. Illa autem vociferabatur dicens, oh quanta insania viri! Puer moritur, & non vultis subvenire animae procedenti, neque nunciare, & ego taceo? Currite, dicite Domino Pontifi- D ci, ut consignet hunc parvulum, quia in extremis est, antequam moriatur, ne post funus pueri noxii teneamini. Illis autem abeuntibus, & moram facientibus mortuus est puer. Tunc mulier coepit vociferare, & magnis vocibus clamare, theatrumque excitare, & plangorem tubicinum spargebat in vulgus. Audiens haec Pontifex coepit interrogare, quid hoc esset? Et illi volentes obtegere hujus facta rei, avertere Pontificem ab ira, & non potuerunt. Mulier verò exclamavit; ecce multis hic morata sum horis, & nullus nunciare voluit ex tuis, ut consignares puerum; modò verò anima non est in eo. Corpus mortuum quomodo potest Paraclitum suscipere Spiritum Sanctum? Tu videris optime Praesul. E Tunc accipiens Pontifex in ulnas suas valde gemens, & flens ingressus est post absidam Ecclesiae, prostravitque se cum eo pronus in terra flens, & orans diutissimè coelestem Dominum invocando. Eo autem orante reversa est anima pueri in viscera ejus, & consignans eum emisit spiritum. Eo namque tempore reversus est praedictus Johannicius Constantinopoli Ravennam, & claruit ejus sapientia in tota Italia.

CAPUT SECUNDUM.

Ravennates cives consuevere inter se praeliari. Factiosi ab urbis portis nomen mutuati. Caedes ingens hominum, inde plures proditoriè, & clam occisi. Indicia publica prece sceleris Auctores inventi, & poenâ multati.

Nos verò fratres semper in excubiis sumus sicut milites in procinctu; & quando Omnipotentis Dei nostri miracula audimus, gratulamur, quia dignatus est labentes ad regnum erigere. Et quando audimus Diabolum aliquem laedere, & suis laqueis irretire, tristamur, quia captus ille non certavit fortiter contra invisibilem hostem. Sed tamen nullus adversùs eum dimicare poterit, nisi coelesti fuerit clypeo munitus. Ille tergiversator, ut qui se Altissimus esse voluit, & Filium Dei derisit. Si non vos stare piget audietis, qualia suae calliditatis opera in istius Praesulis temporibus in hac seminavit civitate. In priscis ergo temporibus consuetudo orta fuit, usque nunc talis horrenda, & cavenda, & detrahenda iniqua fuit, & permanet usque nunc. Die omni Dominico, vel Apostolorum die Ravennenses cives non solùm illustres, sed homines diversae aetatis juvenes, & ephoebi, mediocres, & parvuli, promiscui sexus, ut diximus, post refectionem per diversas portas aggregatim egredientes ad pugnam procedunt. Deliri, & insani! quando sine causa se morti subjiciunt. Contigit eo, ut diximus, tempore, ut Tiguriensis porta iniret certamen cum Pusterula, quae vocatur summus Vicus, juxta fossam Lamisem. Qui ingressi in prima fronte à Fundibulariis insecuti, terga Pusterulenses dederunt. Tigurienses verò eos insequentes multa straverunt cor-

corpora humo, & venerunt ad prædictam Pusterulam, minaverunt residuum infra, & confregerunt molchos, & ferras, & cum victoria in suas reversi sunt domos. Et post dies octo, die Dominico ex utraque egressi sunt porta, & parvuli cum modica orbitella, sicut mos erat illorum, relicto ludo, irruentes inter se cum baculis sua capita fregerunt; alii verò se interficiebant procul manibus, & missili saxo; alii mugitu rumbolorum territi per diversa fugiebant loca; alii verò hinc, & inde induti juvenilibus armis contra suos strages mittebant coævos, & non erat ulla requies, undique vulgò cadentium gladio ex Pusterulæ parte mortui sunt; alii namque semivivi relicti, & calidus fluvebat sanguineus de pectore rivus; & alii erant, quorum ore aperto manabat roseus sanguis; multique ex corporis plaga largissimum fundebant cruorem, oreque terram mordente, spiritum exhalabant. Quicumque verò à suis hostibus petebat vitam, dicens; heu anima, anima mea, cessabat ictus, & non occidebatur. Ita & nunc, qui se confidit non mori, & vitam animæ postulat, sinunt eum vivere, & ultra non percutitur. Factaque est plaga magna in regione illa, qualis non fuit aliquando à priscis temporibus, quam seniores nostri memorare potuissent. Ecce perditio prima in regione illa, & luctus, & væ. Secunda verò perditio, & interemptio, maxima lamentatio est. His itaque gestis post has strages modica quies fuit. Diabolus verò perniciosissimus, & invisibilis hostis invidus generi humano stimulavit Pusterulensium corda, & quasi quis ostium pulsans, sic eorum quotidie præcordia urebantur, irritoque omnes consilio qualiter possent Tigurienses viros morti subjicere, & funditus eradicare. Tunc unusquisque dixit ad Compatrem suum, & Contubernalem amicum; *quod* (1) adhuc nobis vita? Ecce omnes socios nostros Tigurienses interfecerunt, vivos & nos Dominico die .... moliuntur. Natos relinquemus orphanos, nescimus cui servituri sunt; Uxores nostræ remanebunt viduæ; omnem censum nostrum inimici nostri deglutient. Ut quid nobis adhuc vita? Simus fortissima pectora in bello. Et elevata voce omnes fleverunt. Post depositum luctum dixerunt; venite, insidiemur illis. Occultè aptemus contra eos dolosa mendacia, & improba fingamus verba, & decipiamus eos in falsa humilitate. Subsequente die Dominico infra Ursianam Ecclesiam rogaverunt clam Pusterulenses viri, ut Tigurienses pranderent cum illis, & petierunt ne quis sciret. Expletis verò divinis eloquiis abiit unusquisque ad petitorem suum, & per mansiones singulas dispersi, diversis dapibus propinaverunt mortem. Alii verò pugione perempti humo commendati sunt, alii verò securibus cerebro illisi in stabulo sub stercore equorum sepulti sunt, ne signa interfectionis invenirentur; nonnulli verò missili per femur transfixi sunt telo; alii..... pannis exuti in cloaca projecti sunt; alii namque chelidonio mucrone irruentes dies finierunt, & vitam; multi verò percussi volatili ferro in cuniculum projecti, luto obtecti sunt. Tigurienses miseri à Pusterulensibus diversis pœnis sunt interempti, & sic occultè factum est, ut nec interfectionis, nec sepulturæ signum, neque amicorum quis scire potuisset. Alia verò die fit luctus ingens, mœrore undique tota in luctu civitas morabatur.

A Clausa sunt Balnea, cessaverunt spectacula publica, mercatores retexerunt pedes, oppilaverunt caupones tabernas, nundinatores reliquerunt negotia, Sacerdotes gemebant in Ecclesiis, seniores lugebant, omnes juvenes in plateis erant mœrentes, omnis maritus sumpsit lamentum, matronæque à thoro maritali mœrebant, viduæ indutæ sunt veste lugubri, speciositas virginum immutata est, parvuli singultibus nimium quatiebantur, in amaritudine animæ omnes afflicti erant. Alii plorabant patrem ignotæ mortis, alii expectabant filios, nescientes si essent fugitivi, alii fratrum ignorantes periculum, alii viros expectantes, nec quid certius sciebant, unusquisque diversas illuc, atque illuc incedebat vias quærentes, & minimè eos inveniebant.

B Verba verò mœrentium hæc erant; si verè terra eos absorbuit, fortè aliquis eos vidisset, si in profundo pelagi demersi essent, fluctus nobis eorum corpora reddidisset, si bestiæ devorassent, ossa non deglutissent. Si quis ipsos gladio interfecisset, cruor mortem eorum nobis ostenderet. Et multa alia opinabantur lugentes populi, submissi humo, capillos, & barbas extrahentes, unguibus ora fœdantes, vestes, *ac pectora* (2) scindentes, fratres, & cognatos, filios, & nepotes plorantes, amissos consanguineos requirentes, totam cives finierunt hebdomadam in lamento. Tunc sanctus vir Damianus videns hanc civitatem in tanto luctu morantem, ipse se in maximis dedit lacrymis.

C Die Dominico prædicavit jejunium, ut secundâ, tertiâ, & quartâ feriâ incessanter Deum deprecaretur, ut de Cœlo auxilio divino muniti, alicui hoc excidium revelaretur. Præsul verò præcepit populo, ut gregatim incederet. Ipse cum Clericis, & Monachis in unam partem, laici verò senes, adolescentes, & pueri unus præcepit ut esset chorus. Nuptæ verò mulieres, & innuptæ, viduæ, & puellæ in alteram partem, turma verò pauperum separatim. Non omnes in unum incedebant, sed separatim, quasi medio jactu lapidis. Sacerdotes verò sacris depositis vestibus saccos induti sunt, asperso in capitibus cinere, & pedibus nudis incedebant.

D Omnes nobiles, & ignobiles ciliciis se operierunt, inculta capita, squallidâque barbâ mœrendo incedebant. Matronæ depositis vestibus jucunditatis lugubrem indutæ sunt vestem. Omnes decalvabant vertices suos, & cutem nudabant. Speciositas Virginum sublata est. Abstulerunt à se mutatorias vestes, & pallia, projecerunt à se inaures, & anulos, & dextralia, & perefelidas, & monilia, & olfactoria, & acus, & specula, & lunulas, & liliola, præsidia, & laudosias, & omnia jucunda, & concupiscibilia projecerunt, carmen lamentationis *imbutæ* (3) sunt. Parvuli ab uberibus matris suspensi sunt, planctus hominum, vagitus parvulorum, fletus matrum, mugitus boum, hinnitus equorum, balatus pecorum, cæterorumque animalium,

E tota civitas conclamabat. Expletis tribus diebus afflictionis, ante Solis occasum Omnipotens Deus, qui revelat profunda de tenebris, & abscondita producit in lucem, fecit mirabilia, qualia nunquam in gentibus audita sunt. Ab Amphitheatro, quod fuit priscis temporibus juxta portam, quæ vocatur Aurea, usque ad jam dictam Pusterulam factus est quasi crepitus, & sonitus ingens, & elevatus est fumus quasi nebula, & hiens terra omnes mortuos, quos infra se clausos habuit, quos Pusterulenses demoliti

(1) *quid*. Mur.
(2) *a pectore*. Mur.
(3) *indutae*. Mur.

liti sunt cum nimio furore, in sinu suo ostendit. Tunc populi audito sonitu ad fœtorem currentes invenerunt singuli mortuos suos per singulas casas, infra plagas vermes nutrientes. Tunc adprehenderunt homicidas, judicaverunt eis digna factis, & regionem ipsam cum ædificiis subverterunt, & ad nihilum redigerunt, & vocaverunt illam regionem latronum, (1) usque in præsentem diem. Non solùm ipsi, sed & conjuges, & filii eorum diversos modos pœnarum perpessi sunt. De rebus verò eorum nihil aliquis contingere voluit, sed pyræ traditæ sunt ad pontem, qui vocatur Milvius, qui nuper diruptus est, & idem in ipsa regione fuit latronum juxta Tribunal Monasterii B. Confessoris Christi *Severini*. (2)

CAPUT TERTIUM.

Anonymi cujusdam Damiani ævo viventis nonnulla referuntur. Damianus ipse laudatur.

IGitur fuit in hac civitate Ravennæ vir religiosissimus, & bonæ famæ, & quando ad Ursianam Ecclesiam veniebat ejus superiori columnæ Templi parte virorum scapulæ adhærebant. Ante introitum Missarum psalmos cantabat, cum nullo homine aliquando ibidem colloquia habebat, & post introitum Missarum semper in faciem Pontificis intuebatur. Quadam verò die jussit eum Pontifex adire ad benedictionem S. Apollenaris, ut esset particeps Pontificiæ mensæ. Post extensum dapibus ventrem, & fibræ pectoris repletæ essent musto, sed tamen sobria mente, interrogavit eum Pontifex, quid hoc esset, quòd in Ecclesia semper in ejus aspiciebat vultum. At ille respondens dixit; non te intueor optime Præsul tantùm, quantùm illum, qui post tergum tuum stat, cujus pulcritudinem non pleniter tolerare possum. Et cùm *sanctificaris* (3) juxta te stat vultus ejus. Modò non est ipse, qui tunc est semper tecum ad Missarum solemnia, & nunquam te deserit. Post aliquot verò dies secessit in pace; & audierunt eum quidam dicentem ante tempus obitus sui, quòd quadam Dominica die dum nocte antiphonam ad Benedictiones (4) cantarent omnes, & dicerent; *montes, & colles cantabunt coram Deo laudes*, testificabat hic, quòd etiam ipsi lapides Ecclesiæ, columnæ, & lastæ, atque lateres, tegulæ, nec non etiam omnia metalla, prædictam antiphonam simul cum omnibus cantabant. Post igitur virum istum humatum jussit Pontifex ad prædictam columnam cancellos modicos fieri, ne quis basi columnæ ubi sancti steterunt pedes, indignis pedibus adhæreret, & modicam Crucem infigi jussit pro memoriale sempiterno, quod permanet usque in præsentem diem.

CAPUT QUARTUM.

Johannes S. Johannis trans Cæsaream Abbas. Constantinopoli rem suæ Ecclesiæ agit. Una nocte Dæmonum ope Ravennam venit. Facti pœnitet.

SEd & de Johanne Abbate Monasterii S. Johannis trans Cæsaream siti in dudum Clas-
A sis, quod vocatur ad Titum, non prætermittamus. Fuit iste temporibus hujus Damiani Antistitis Presbyter nomine Johannes Abbas Monasterii S. Johannis, qui vocatur ad Titum, quod Rustici nescientes vocant eum ad Pinum. Cùm prædictus Presbyter multas altercationes, & judicia de rebus sui Monasterii B. Johannis cum singulis hominibus haberet, & nullatenus finis impositus fuisset, sed maximè volebant multi prædia Monasterii injustè deglutire, attigit Constantinopolim, & moratus igitur ibidem multis diebus, faciem Imperatoris non vidit. Qui infra semetipsum varia consilia volvens, die quadam stetit deorsum juxta murum cubiculi, ubi Imperator sedebat, *versum* (5) istius vocatorii
B de adventu Domini dicens; *qui venturus est veniet, & non tardabit; regnum in manu ejus, & potestas, & Imperium*. Imperator audiens hæc delectabatur, auscultans. Ivitque tyro unus, (6) voluit eum amovere de eo loco; & jussit Imperator desuper, ne quis ei esset molestus, donec expleret; finitoque toto invitatorio vocavit eum sursum, stetitque ante Imperatorem, & suam, pro qua venerat, causam ordinabiliter cognitam fecit. Jussitque Imperator tale exarari præceptum, ut ipsa res in eo Monasterio in perpetuum esset, & ut ipsum munimen pro sempiterna lege fuisset. Post hæc autem prostravit se pedibus diu prædictus Presbyter Johannes flens, ajensque, jubeat mihi Dominus meus exarari epistolam ad Exarchum, ut non
C obligata fidejussor meus tollat, quia crastina dies erit constitutum placitum, ut ego cum adversario meo in conflictu stare debuissem. Paruit autem Imperator postulationibus ejus, & jussit scribi epistolam ad Exarchum, ut nullam distinctionem de hac fieret causa, neque in judicio eum quis deduceret, nec obligata fidejussor tolleret, nec ullo modo eum molestaret. Scriptâ verò epistolâ, quali mense, quali die, vel hora, munitâ sigillo datâ manibus suis, secessit, & venit vesperascente die ad portam ipsius Constantinopolitanæ civitatis, ut fortè usum navis discurrentis Ravennam, aut ad Siciliam invenire potuisset; & requisitis omnibus Cara-
D bis, & Celandriis, atque Dromonibus, non invênit. Ille autem juxta litus maris arripuit iter. Nox illi nigras expandens alas inimicitiam præstitit. Quantùm illi tenebræ offensæ fuerunt, tantùm Selenitis (7) suos sparsos radios ei beneficium præstitit, & quantùm altiùs in sublimitate se erigebat, tantùm clarior terra apparebat. Dum autem spatiatur in litore, & cogitaret quid ageret, apparuerunt ante oculos ejus tres viri in nigra veste, eique dixerunt; quid turbata mente Abba Johannes in hoc litore versaris? At ille respondens dixit; omnia quæcumque ab Imperatore petivi obtinui, multo tempore commoratus sum. Navis deest, ut Ravennam revertar, ideo mihi tristitia undique est. Dixerunt ei improbi viri; si ea, quæ dixe-
E rimus tibi, facies, crastina die eris in domo tua infra domesticos tuos. At ille dixit eis; facio quod vultis. Et illi; accipe virgam in manu tua, & designa in hoc sabulo navem, deinde vela, remigia, scaphas, nautasque. Fecit ita, ut sibi imperatum fuerat. Iterum dixerunt ad illum; jace in cataleta navis infra sentinam juxta carinam. Audies mugitus ventorum, postquam ingressus pelagus, audies voces pericli-tan-

(1) *Posterula sive Regio latronum*. Bacch.
(2) Fortè *Severi*. Bacch.
(3) *sanctificas*. Mur.
(4) *Idest canticum trium Puerorum*. Bacch.

(5) *sursum*. Mur.
(6) Legebatur *Tirenos*. Bacch.
(7) Idest *Luna*. Bacch.

tantium, audies tempestates, & horreas, audies sonitus aquarum inundantium, & sic oppila os tuum, ut nec etiam signum Crucis manus tua exprimat. Qui jacuit in terra prospiciens juxta se maria. Ecce undique factus est repentè sonitus quasi fragor nubium, & velut procellosa tempestas. Dabat ventus mugitus, ipsas suas verberabat pelagus undas. Franguntur remi, inciduntur antemnæ, solvuntur scaphæ, dabant Nautæ nigerrimi, teterrimique luctus, & ipse sic se coëgit Abba, ut nec flatum illius quis audire potuisset. Ad pullorum verò cantus inventus est super tectum Monasterii sui, & videns se solum, exclamavit voce magna ad suos, ut eum desuper de tecto deponerent. Illi denique putantes eum phantasma esse, nolebant parêre præceptis Domini sui. Tunc ille clamabat voce majori nominatim unumquemque eorum, ajens; deponite me, & cognoscetis, quia ego sum. Vos scitis, quia in Constantinopolim fui civitatem pro utilitatibus istius Monasterii, & modò venio, & ut non paveatis scitote, quia validis ventis huc projectus sum. Illi his verbis auditis citiùs posuerunt scalas, & descendit. Agnitus est à suis, *obsculatusque* (1) per ordinem universis, jussit pulsare tabulam dicens jam matutini hora est, & post opus Dei (2) eum petit quies. Alia autem die lustratâ Cæsareâ egressus est, & à Vandalaria Porta, quæ est vicina Portæ Cæsareæ, relicto Laurenti Palatio, Theodoricanum ingressus est, jubetque se Exarcho præsentari. Ille læto animo suscipiens eum, & jussit legere præceptum, & complicatum reddidit Præsbytero offerenti sibi, dixitque ad eum; hoc præceptum in perpetuum tibi, tuisque posteris tutamentum sit. Sponsionem fidejussori tuo tollam, quia negligens fuisti cum adversario agere tuo. Ad hæc ille respondens, dixit; Dominus noster Imperator suum præceptum per epistolam dedit, ut omnia obligata mea facta sint in judicio invalida. Denique in iram versus Patricius accepit epistolam de manu Presbyteri, legensque invênit exaratam secundùm quod superiùs diximus, & retinens epistolam in achemeniam versùs irrupit. dicens; dic falsitatis auctor, quando hæc exarata fuit epistola? Johannes Presbyter respondit; heri horâ nonâ. Patricius dixit; & quomodo tam citò venire potuisti? Eo quòd nullus est, qui in tribus mensibus Constantinopolim ire, & reverti possit. Quomodo ego reversus sum, Presbyter ait, Pontifici meo indicabo. Negotia mea, & mea pœnitentia patere in me hoc maneat. Tamen si me falsitatis urgues causâ, mitte mecum Legatos tuos, & pergamus illuc. Si hæc falsa inventa fuerunt secundùm paternos (3) audire definitum. Tunc inde removens pedem, venit ad Episcopium istius Ecclesiæ, & ingressus ad Damianum Papam prostravit se ad vestigia pedum ejus, & narravit ei omnia facta rei; indicavit quomodo eum phantasmæ per discrimina maris duxissent, & super tectum sui Monasterii posuissent, & solum ibidem reliquissent. Exhortatione autem Pontificis egit veram pœnitentiam, & finivit dies suos in pace.

(1) *osculatisque*. Mur.
(2) *expletum*. Mur.
(3) Fortè, *pacta inter nos audiam*. Bacch.

CAPUT QUINTUM.

Judæi cujusdam conversio. Damiani Patria, educatio. Archivi Ravennatis incendium. Pontificis obitus. Epitaphium.

OBsecro vos fratres stare non pigeat vos; adhuc unum restat miraculum. Quodam die Dominico post finitam Orationem Dominicam, Corpus Domini prædictus Pontifex cum Sacerdotibus frangeret, sicut soliti sumus, Judæus unus, qui solitus erat stare ad virgines in loco, qui dicitur Ermolas, cucurrit citiùs ad Sanctum properans Altarium, & ait Pontifici; obsecro te optime Præsul, da mihi partem ex Corpore Agni, qui nunc manibus vestris discerpitur. Cui summus Sacerdos; non est tibi licitum Corpori sociari Domini, quia Sancto Baptismate lotus non es. Iterumque Judæus; non (4) panem Sanctum quæro Pater, sed carnem Agni, quam manibus vestris discerpitis, quem ego super hanc Aram vos adtrectantes humanis video oculis meis. Ex Agno, quem video, quæro; non panem cupio, quem non video. Ad hoc Sanctus Vir respondens dixit; non possumus Sanctum immundis dare, donec qui inquinatus, aquâ sanctâ mundetur. Accipe signum Agni, & ex eo Agno vescere nobiscum. Statimque ipse videns, dedit nomen suum, & instructus à Pontifice, accepit Baptismum immortale, & ex infideli factus est fidelis. Hic verò Præsul ex Dalmatiarum fuit partibus, sed obtulerunt eum huic sui parentes Ecclesiæ, & iste sacris literis eruditus, ad hunc Ecclesiæ apicem pervênit. (5) Eo tempore Archivus Ecclesiæ istius ab igne concremmatus est, & ibidem multa monumenta flamma consumpsit, & multa à malignis hominibus rapta sunt, & absconsa. Tunc congregatis omnibus Sacerdotibus sedit cum eis Pontifex prædictus in Propina, deditque anathemata maledictionis unicuicumque, qui ex prædictis haberet muniminibus, & non redderet, illi anathema esset, & quicumque redderet, innocens esset à culpa. Obiit hic Beatissimus Vir III. Idus Maji. Epitaphium invenietis super sepulcrum ejus continentem ita;

Sanctificis semper meritis memorande Sacerdos
Hoc positus tumulo Tu Damiane jaces.
Corpore defunctus, tamen est tua fama superstes;
Artus obiit terris, lux tua facta tenet.
Dalmatiæ veniens Antistes beatus à rure,
Tutata est precibus sancta Ravenna tuis.
Cuncta salutifero deponens tempore ....
Te pius in populo Christo rogante (6) *dedit.*
Quòd tamen his Templis meruisti sumere busta,
Te placuisse Deo tanta sepul.ra probant;
Utque vices cuius gessisti ritè Sacerdos,
Ipsius inque locis sit tibi sancta quies.

Hæc infra Ecclesiam B. Apollenaris scripta super sepulcrum ipsius invenimus. Sedit annos XVI., mens. II., dies XVI.

OBSER-

(4) *Tibi*. Mur.
(5) *Fuit enim temporibus Constantini Imperatoris*. Mur.
(6) *Christus orante*. Mur.

OBSERVATIONES.

AD VITAM

DAMIANI.

Quæ de puero vitæ reddito hìc narrantur, alibi, & aliter Rubeo narrata. Consignandi ritus illustratur ex quibusdam ineditis. Pugnæ civilis abusus Parmæ ante paucos annos cessasse. Damiano adscriptum perperam, quod de altero dictum est. Fabulosum quod de Johanne Abbate narratur. Ex Monachis mutuatus ritus. Seculi illius barbaries ex Epitaphio.

I. *Quod primùm in hac Damiani vita occurrit, est puer ante confirmationem acceptam demortuus vitæ restitutus, qui statim à confirmatione recepta rursus obierit. De ea re Rubeus lib.* 4. *pag.* 212. *hæc paucula habet*; hominem vitâ jam functum ad vitam revocavisse, fusis ad Deum precibus, ferunt. *Idem ad Johannis cognomento Angeloptis vitam lib.* 2. *pag.* 99. *similem historiam narraverat. Hæc autem præmiserat*; omittendum hoc loco minimè putaverim, quod de Johanne Ravennatum Antistite scribitur, qui tamen cùm alius fuerit ab eo, cujus nunc meminimus, quo loco reponendus sit, cùm multi hujus nominis Archiepiscopi sint insecuti, adhuc clam me est. *Addiderat autem referri, quòd cùm Johannes in S. Vitalis Templo pueros sacro Chrismate inungeret. Vidua quædam præ turba accedere nequivit, ut puer ad mortem languens, quem in sinu ferebat, sacro Chrismate inungeretur. Illa itaque Episcopum domum revertentem prosecuta, januis exclusa, dum quærit, ut aliquis ad Præsulem sibi aditum paret, vidit puerum obiisse. Quare dum ejulatibus pueri ante confirmationem sibi prærepti jacturam lamentaretur, Episcopus accurrens, & in se culpam transferens ejus, quod evenerat, precibus puerum ad Deum fusis ad vitam revocat, consignatumque matri reddidit. Ejus prodigii memoriam in Sacello domus Archiepiscopalis extantem laudat Rubeus. His ait addi, quòd cùm ob miraculi patrati famam Johannes ille celebrior in dies haberetur, subduxit se ab omnium oculis, & in Pirchinniani, Caprasiique montis Alpes contrusit. Historiam suo loco motam, fabulisque variè infartam nemo non videt; memoria proinde illa, quæ in Archiepiscopali domo extare dicitur, si solam Infantis ad vitam revocati, & ab Episcopo confirmati seriem præfert, ad Damianum Episcopum, non ad Johannem quemcumque referenda est. Cætera absona, nec rebus, aut temporibus congruentia, ut Rubeus ipse scitè notat.*

II. Illud mirari subit, qui potuerit puer baptizatus à Damiano non sacro Chrismate consignatus relinqui, cùm recens Baptizati statim consignari solerent, inde sacræ Synaxis communione munirentur, seu communicarent de Corpore Domini, ut habent Alcuinus de officio Sabbati Paschæ, Rhabanus de institutione Clericorum, aliique passim. Dilatum alicubi in Galliis Confirmationis Sacramentum ex Jona Aurelianensi conficitur lib. I. *de Institut. Laicali cap.* 7., *qui dilationem hujusmodi sugillat; verùm illud statim post Baptismum in Italiæ Ecclesiis administrari solitum, plura probant jam edita. Ex ineditis hæc habeo. In Codice Sacramentario Eminentissimi Ottoboni seculo undecimo primùm descripto, postrema, quæ in Sacramenti Baptismatis collatione præscribuntur, sunt*; A baptizat, & linit eum Presbyter de Chrismate in cerebro, & dicit; Deus Omnipotens &c. Oratio ad Infantes consignandos. Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos, & famulas tuas ex aqua, & Spiritu Sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eis Spiritum tuum Sanctum Paraclitum de Cœlis, spiritum sapientiæ, & intellectus, spiritum consilii, & fortitudinis, spiritum scientiæ, & pietatis: adimple illos spiritu timoris tui, & consigna eos signo Crucis Christi in vitam propitiatus æternam. Per &c. *Extabant inter pretiosiora Eminentissimi Casanatæ, cujus memoria nunquam intermoritura est apud pios, & sacrarum literarum cultores, duo egregia volumina ex pergameno,* B *quæ ille dum anno* 1698. *Romæ essem propriis manibus è scrinio accepta mihi exhibuit, & humanissimè ea describendi copiam fecit. In eorum uno describuntur ritus benedicendi Fontis, & Baptismatis administrandi, in altero sacrarum Ordinationum cæremoniæ, & preces. Figuris pluribus ornatur utrumque volumen pro seculi genio non spernenda arte depictis, quæ ritus ipsos, & mysteria ob oculos ponunt. Notas etiam cantus videre est, verbis alicubi adjectas. Litaniæ adjiciuntur in eo, quod Baptismi ritus exhibet, in quibus S. Benedictus, & S. ejus Soror Scholastica invocantur. Scripta omnia charactere Langobardico, & spectasse ad Ecclesiam Beneventanam, seculumque undecimum, probant postremi ex adjectis versibus* C *ex eodem volumine huc transcriptis.*

Auricomas species cernis quas....... Lector
Æthereis rutilare modis, bracteisque coruscis;
Intus si aspicias, candescunt lumine membra,
Tramite si recto cautè descendas ad ima.
Plura datur nobis animus, quæ gaudet amare,
Lilia cum violis, casciæ cum flore, & amomi
Cuncta simul speciem perpulcrè mista decorant.
Fors & Auctorem quæris, qui comere jussit
Carmina, si legeris nomen.... comodat ipsa.
Egregius Præsul Landolphus sanctior alter,
Tempore sub cujus ditata est Virginis aula.
Pro cujus laude omnes nos exposcimus ipsi,
D Virginis ut prolem votivo corde rogetis,
Splendida quò loca Sanctorum mereatur habere.

Pro præsenti autem argumento notanda sunt, quæ de confirmatione, & communione post baptismum administrandis, in eodem volumine habentur. Exposito enim baptismatis ritu, hæc sequuntur; tunc extrahatur foris Cubela (*idest egrediantur è fonte, qui baptizati sunt*) & permaneant in Ecclesia usque dum Missa celebratur, & Dominicis Sacramentis confirmetur, & ante perceptionem Corporis Domini dicantur istæ orationes &c. *Post orationes tandem his omnia concludun*tur; tunc detur Eucharistia his verbis; Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam E æternam Amen. Hoc autem omnino præcavendum est, ut non negligatur, quia tunc omne baptismum legitimum christianitatis nomine confirmatur. *At hæc ex occasione descripta sufficiant.*

III. Capite secundo, & quarto narrata, plura Ravennatis urbis veterem faciem exhibent, portas, vicos, vias. Factiosum pugnæ genus, ex quo occasio horribilis, & clandestinæ stragis à Pusterulensibus in Tugurienses patratæ, perdurasse usque ad sua tempora Agnellus ipse testatur. Illud sanè observandum, vix modò desiisse apud Parmenses. Id ipsum palàm est ante paucos annos fieri consuevisse, quod hìc discribitur inter contermina-

rum

rum urbis portarum cives (infimæ tamen plebis) ut scilicet festis diebus post prandium, turmæ fundis, & saxis armatæ inter se extra pomœrium concurrerent, sæpius eorum pluribus capita saxis excussis confracta referentibus. Cùm demum res eò devenisset, ut non modò saxis, sed gladiis, fustibus, tormentis, pugnari cœptum esset, ex quo plures cædes fierent, quod sæpius antea tentatum fuerat, tandem pœnis præscriptis, inflictisque, Serenissimi Francisci Ducis pietate conflictatio hujusmodi videtur omnino sublata, dum præsentium per Italiam bellorum occasione militis ad urbis præsidium conscripti operâ, facilè plebis coeuntis in propriam necem conatus impediri possunt. Scilicet abusus semel admissi per plura secula perdurant, nec nisi ægrè, summaque cum difficultate tolluntur.

IV. Inter ea, quæ hìc Nostro narrantur de Ravennati Anonymo Damiani ætate sanctitate celebri, unum est, quod rerum Ravennatum Scriptores Damiano ipsi tribuunt. Quòd scilicet antequam diem obierit, cuidam narraverit sibi visum, ut cùm antiphona quædam canebatur, Ædes tota laudes Deo caneret. Porrò id perperam intellectum Agnellus ipse ostendit, qui demortuo viro illi addit statim ab Episcopo id datum, ut crate ferrea locus muniretur, ubi divina officia audiens consistere consueverat. Benedictionum nomine Canticum trium Puerorum intelligitur, quo etiam vocatur in S. P. Benedicti Regula cap. 12.

V. Quod sequitur de Johanne Abbate Monasterii S. Johannis Constantinopoli Ravennam ope Dæmonum brevi unius noctis spatio nec integro reversi, omissum est à Rubeo, cæterisque, qui post Rubeum scripsere, ob eam fortè rationem, quòd existimaverunt narrata fide prorsus indigna. Ipse & in eadem sententia sum, qui scio plebeculæ hæc somnia esse. Ivisse Johannem Constantinopolim, suæ Ecclesiæ jura vindicasse, rediisse cùm de ejus reditu minimè cogitabatur existimo; reliqua ad vulgi somnia ableganda censeo. Porrò non usquequaque spernenda hæc narratio fuerat. Situs Cæsareæ, qua hæc Ravennæ uniebatur, exponitur, & agnoscimus Abbates in hujusmodi Monasteriis degisse cum Clericis suis, qui statis horis diurnis non modò, sed & nocturnis divinæ psalmodiæ pensum solvebant. Tabulâ ligneâ signum dabatur, quo ad matutinas horas ad galli cantum surgeretur. Id nullus dubito quin ex Monachorum ritibus promanaverit. Σφυρίον ἐφυπνασίκον *Tabulam illam Palladio dictam in Historia Lausiaca cap. 104. notavit Duchangius in Gloss. Latinitatis, qui alia in eam rem addit apud eundem legenda.*

VI. Historia de Judæo converso Ravennatum Scriptorum in libris ex Agnello ritè descripta est; non est itaque cur in ea illustranda immoremur. Illud in his, quæ subsequuntur, mirum; tantam videlicet fuisse seculi ejus barbariem, ut cùm censuerint Clerici Damiani optimi Præsulis memoriæ Epitaphium scribendum, paucis mutatis illud transcripserint, quod Mariniano olim positum fuerat, & pauca, quæ mutata sunt, sphalmata admiserint, ut illa;

Dalmatiæ veniens Antistes beatus à rure.

Agnellus, & Mariniani, & Damiani Epitaphium ferè idem, uti à se lectum, descripsit. Quid quod Johannicius ille, qui Constantinopoli Ravennam ante Damiani mortem redierat, græcè, latinèque doctus, minimè scribendo Episcopi Epitaphio adhibitus est? Extat adhuc in Basilica S. Apollinaris Classensi hæc brevis inscriptio;

D. N. DAMIANUS ARCHIEP. FECIT.

VITA SANCTI FELICIS.

CAPUT PRIMUM.

Felicis facies, mores, scripta. Abbas idem, & Oeconomus. Nonnulla de Georgio Episcopo.

DE SANCTO FELICE XXXVIII.

FElix XXXVIII. (1) Iste brevi corpore, tenuis facie, modicis oculis, macilenta effigie, spiritu sapientiæ plenus fuit, & fons irriguus, optimus Pater, egregius Prædicator, multorum conditor voluminum, in sua sancta fœcundus Ecclesia; expositionemque, quam usque nunc habemus de die judicii, ubi ait in Evangelio; *cùm videritis abominationem*, ipse dictavit. Et solus iste à Sacerdotibus liberatus, nam reliqua omnia volumina manibus suis igne concremavit. Iste Monasterium B. Bartholomæi, ubi ego Deo favente Abbas, præfuit, & vicedominalia gubernacula suscepta luculentissimus tenuit; sed tamen post multas tribulationes, quas in Constantinopoli sustinuit, ut audituri estis, cum corona victoriæ ad propriam eum Dominus revocavit Sedem. Sic & mihi de prædicto Monasterio contigit. A Georgio Pontifice per pauca annorum curricula sine causa privatus *sum, & ad hoc Monasterium fui*. (2) Nam antequam ad tale culmen ascendisset, sic eramus ad invicem quasi ex uno duo verè germani; & postquam accepit Archieraticam dignitatem Deum offendit, & omnes Sacerdotes demolivit, cuncta occupans Monasteria, totasque Gazas Ecclesiæ, quas Prædecessores sui aquisierant, pro reatu sui corporis expendit.

(1) *Hic fuit Archiepiscopus circa annum DCLXXXXIII.* Bacch.

(2) *de hoc Monasterio*. Mur.

CAPUT SECUNDUM.

Justinianus, qui hic Constantinus dicitur, naribus, & auribus abscissis pellitur. Ad Imperium redit. De Ravennatibus vindicta. Felix captus, & excæcatus.

IGitur istius temporibus *Constantini* (1) Imperatoris à suis militibus cum aliquibus civibus Ravennæ nares, & aures abscissæ fuerunt. De præstantissimo demissum reddiderunt corpus, & de aula expulsus, projectus est in litore, cupientes eum truncare. At ille post debilitata membra vitam precabatur, asserens se totum Imperium esse oblitum. His itaque gestis dum æger spatiabatur In litore, consilio inito cum Bulgaris, in sua restauratus est sede, & potitus Imperio nares sibi, & aures ex obrizo fecit. Recolens populorum iram, jubet truncari Proceres ferro. Fit ingens clamor gravatorum; deleta juventa, & multi ad limina plectebant capita sua; alii transfossi capulum stridens præcordia (2) ....., nonnulli culeo in pelagus jactati in altum consumpti, multi pyris flammâ intensi medullis. Infelices alii prandia interanea dissoluti petebant, nonnulli plumbeas pœnas tyrannicum; ex ipsis multos recepit inops, consumptæque undique urbes. Ad Ravennam corda revolvens retorsit, & per noctem plurima volvens infra se taliter ajens; heu quid agam, & contra Ravennam quæ exordia sumam? Et videns animam, per multa consilia vagans, hæc alternatim infra se, mens rapitur in diversa. Mox Straticum fidelem suum tacitò vocat, ut aptet ratem, & socios in litore ducat, expensas paret; & quæ sit res omnis ignorat. Dissimulare jubet se quousque tempore *fuit apto*. (3) Tunc sic alloquitur illum, & talia verba jubet; esto constans meis parêre præceptis, firmiterque age, & meus nuncius ibis, & loquere Ravennensibus, & mea dicta celeriùs refer. Ipsa gens inimica mihi per fraudulenta consilia nares mihi absciderunt, & aures. Pone Papilionem tuum super ripam Eridani, & compone blanda verba, & iram serena tege fronte, & pro me illis salutatoria verba profer. Dona, tribue, & invita eos ad solemnia mensæ. In oculis eorum esto jucundus, in corde sis hostis. Qui egressus ex urbe attigit ratem, jussitque ventis vela dari, consedit transtrum, sulcabatque undas salsas carina. Lustrato Drapani portu, venit Pachinum delatus Siculi orâ. Desæviente pelago nigrâ super æquora nube, acquosus *Trion*, (4) inretractabile Cœlum. Invitus loco moratus est. Placidum fluctum, & mare videns tranquillum, Adriaticum penetrans sinum prospexit gaudens Ravennam, & fallax dolo vox prorupit dicens; ò infanda, improba, crudelis Ravenna, quæ rura extrinsecus, acerrimum intus latet venenum! Æqualis solo videris, sed capite nubila tangis. Inter hæc verba navis vicina facta est litori, & expansis remis Eridani ripam sulcavit, & cum populi gloria omnes exierunt. Cùm ex urbe *venissent*, (5) Ministraticus Grajorum in
A egregia aula jussit parari sedilia super viridissimum gramen, & omnes majores natu ad se invitans (6) .... hominis libenti animo suscepit. Alia verò die jussit diversa pallia, & cortinas ex utraque parte extendere, non minùs quasi stadio uno, & invitat Proceres omnes, qui ad limina veniebant duo, & duo à se invitati, (7) & comprehensis, mittebat *uncos* (8) ligneos in ora eorum, & ligabantur post tergum capita, & projiciebantur sub cathalecta navis. In tali verò dolo sunt omnes nobiles capti. Ibi & Felix Pontifex istius urbis deceptus est, ibi Johannicis sapientissimus captus est, ibi & mediocres multi vincti sunt, & nullus ex civibus hanc fraudem priùs agnoscere valuit, sed
B postquam *intralibus ruborum canis* (9) ingressi sunt, & fugam petierunt, sicut damna, sic eorum fraus manifestata est. Tunc residui introëuntes *infra* (10) mœnia muri, subposuerunt civibus ignem. Tumultus erant populis, & dabant fremitum usque ad Cœlum. Planctus undique ingens. Prostrati omnes in terra. Non similes marinus fluctus dat sonitus, nec tonitrus nubes, nec cùm magna cadit moles ex Alpium lucis, nec cùm magno vento quassantur in montosa Sylva Cypressi. Tubicines per plateas eunt, maximas dant voces, & insonabat terra. Lacrymis salsis fuderunt metus de præsenti: fletus nimius, consolatio nulla, nec reparatio vitæ. Undique clamor, undique suspiria, &
C jam terra mugitus ad sonitus eorum dedit. Quadam verò die dum prædones, & exules quinquies deni per vitrea discurrerent rura post excidium urbis, dixit Johannicis ad fratrem suum; defer chartam, & nigrum liquorem, & scribe, quia hodie horâ tertiâ cognata tua, uxor mea mortua est, & ego illâ vindicor, tuque reverteris cum maximis opibus. Igitur ingressi Constantinopolim invenerunt Imperatorem Justinianum in smaragdina aurea sedentem, & limbo cinctum caput, quem illi sua ex auro, & margaritis discreverat regia Conjux, & jussit omnes poni in custodia, quousque eos posset diversâ expendere pœnâ. Omnes Senatores graviores interempti, & deleti sunt, adstrinxitque
D se jusjurando, quòd Pontificem interimeret. Nocte verò eadem, pro quo dies venisset, antequam Oceanum *Auroram* (11) dedisset, & Phœbea *lampas* (12) illustrasset, dum caperet Divus Augustus pectore placidum somnum, astitit ante eum nobilissimus juvenis omni gloria decoratus unà cum Felice Pontifice, & ait ad eum; parce unico gladio viro. Et statim evanuit. Iterum in somnis respiciens vidit super caput ejusdem Antistitis quasi dexteram hominis hinc, & inde fulgore micantem. Expergefactus autem Imperator retulit suis, & propter jusjurandum, quod juraverat, ne mentitus esset, & Urbici eum non interficerent, jussit deferri ferculum magnum in (13) ....., & mun-
E dissimo argyrio, & missus in ingentem rogum post nimiùm calefactum, acetum acerrimum super illud jussit fundi; & coactus Pontifex ibidem diutissimè intueri, amisit amborum lumina oculorum.

CA-

(1) Lege *Justiniani*. Bacch.
(2) *texta*. Mur.
(3) *fuerit aperto*. Mur.
(4) *Orion*. Mur.
(5) *venisset*. Mur.
(6) *in ostensu*. Mur.
(7) *duos & duos ad se introduci*. Mur.
(8) *cuneos*. Mur.
(9) Fortè legendum; *in trabibus roborum cavis*. Bacch.
(10) *intra*. Mur.
(11) *Aurora*. Mur.
(12) *lampade*. Mur.
(13) *falso*. Mur.

CAPUT TERTIUM.

Novum Ravennatibus discrimen. Georgius Johannicii filius Dux cum summa potestate electus. Disponit omnia ad bellum extra, & intra civitatem.

INterea Ravennenses qui & Melisenses, sicut incerti de suis junctis, inter se varios sermones trahebant, & mœsti ex die nefanda, valde in luctu morabantur. Die verò quadam perveniente diluculo, antequam alas raperet quadriga submota humida nox, dum armati pelagus specularentur, procul in ponto intuentes, ecce maxima navis discurrens per vitrea rura, fortiterque sulcabat vitreos campos. Gubernator verò postquam aspexit mœnia urbis, contorsit clavum, & cœpit navis circumflectere cursum, præteriit portum adhærens Eridani litus. Tunc adventui viri omnes exierunt ex urbe armatis manibus, induti corpora ferro. Corda pavor pulsat, pallidos omnes colore se agnoscunt captos, lacrymas cœperunt inter se fundere. Et interrogaverunt ex eis virum, qui præ omnibus erat, dixeruntque ad eum; testamur caput, animamque tuam, ut non mendacia fingas, quia non est in tempore hoc tuta fides, sed fraus, perjuriaque in hoc præsenti seculo regnant. Tunc ille tendens ad sidera palmas, ad cœlumque lumina torquens, vocem cum magno gemitu dedit; testor cœlum, & terram per intemeratam fidem, & inviolabile æthereum regnum mendacia non fingam, falsa, vel inania non dicam (mendax, & improbus mendacia diligit semper.) Dixerat, & omnes intenti conticuerant, super eum erant pendentia ora, & conspicientes eum omnia agmina circum exposuit eis, quæ viderant. Omnia lethalia verba, & elevata voce fleverunt; feriens æthera clamor, gemuitque terra, & insonuerunt montes. Tunc elegerunt sibi Ravennenses *præstanti nomine* (1) virum (2) Johannicis filium nomine Georgium, qui illo tempore prudens in verbis, providens in consilio, verax in sermonibus, & omni elegantior gratia; devoveruntque se universi pariter præceptis ejus, & quisquis esset inobediens vindicaretur. Ille verò murino sedens Sonipede, extrinsecùs lustratâ Italiâ, sextâ reversus est horâ & ait ad socios; demus excubias istis, quò peragravimus *civitatibus*. (3) Fateor ex ore serpentis, qui ex Byzantii Ponto huc delatus est, cuncti ex eo unum bibimus venenum, & tumida corde dona. Danais terga non demus. Estote fidentes; pro Penate necesse est animus pugnæ. Date robustissima pectora, ac ferrea; adhibite socios, & terribili clangite tuba. Ite velociùs, supponite civibus noctem (4); fœderati viri de montuosis veniant locis. Toxos adhibete in armis, contortum cervinum tendite nervum, ut segetes spicula jacite, & volatile lignum. Prima pubes castra moveat cum juvenilibus armis; sonent arma, humeris clarescant splendentia scuta, lanceas exacuite, ... (5) rutilent æquora maris. Sinite vestrorum parentum matura corpora, & vetulorum miserrimos senectute. Copia sit illis Ecclesia penès orandi; cum Sacerdotibus eant, cœleste auxilium quærant, & ad Aram thura crement, & hostiam Sancto Altari ferant. In propugnacula per diem nobis igniformus contrarius sistit purpureus nasci, sed postquam in æthere vectus Oceanum relinquens, cùm se abderit polo igneos exuflans radios, humo quadrigas reddiderit, quærite populeas, & nudo *mergite* (6) ferro, nam ulli bipennas sumant, intonsa servate viburna, texite arbustis virgas, & miscite querno. Scænofactoriis operam date; capita ab ardore defendite vestra. Nullus sit ignavus, ubi primum audierit signum, nulli eum metus, nullaque sententia tradet. Omnes Ravennæ cœtus, omnesque certamina ponant; qui valet pedum cursu, & qui viribus pectore audax pigrum non sustineat, sed jaculo tepente sagittas...... Hoc videntes socii præparent animos pugnæ. Non paveatis, muros vestrâ defendite dextrâ; socii jungentur vobis ex suburbano undique, qui nostram defendant arcem, & civitatem salvent. Sint tuta litora, & per omnes vigiliæ portus. Sarxena excubet, Cervia æquoris ad nonas Papia armis flavia. Instet, quæ curva vocatur, Cesena. Popilienses viri adhæreant Sapis portu juxta conscendunt fluctus marinos. Coloni decumani speculentur juxta portus Candiani. Livienses Accolæ instent in litore curvo. Bedente vetere amne castra Faventina scrutentur post Lachernum portum, & Eridani orâ. Corneliensis acies lustret Coriandri campos, & loca omnia circa phalanges armatæ. Bononienses transmisso Eridano parte Lionis servient....... His igitur actis omnes voces ad sidera mittebant, benedicentes; cœlum, & terra laudibus resonabant. Tunc imperat Georgius manu, jubet validas mutescere voces. Post hæc autem rogaverunt eum viri religiosi Melisenses, ut sicut est vallata civitas in ambitu coronâ, ita intrinsecùs excubias poneret. Acquievitque petitioni eorum, & divisit populum civitatis in undecimas partes. Duodecima verò pars Ecclesiæ est reservata. Unusquisque miles secundùm suam militiam, & numerum incedat, idest Ravenna, Bandus primus, Bandus secundus, Bandus novus, invictus, Constantinopolitanus, firmans, lætus, Mediolanensis, Veronensis, Classensis, partes Pontificis cum Clericis, cum honore dignis, & familia, & Stratoribus, vel aliis subjacentibus Ecclesiis. Et hæc ordinatio permanet usque in præsentem diem.

CAPUT QUARTUM.

Johannicio per sævam lanienam illata mors. Justinianus occiditur. Johannicii soror viso Justiniani capite, quod optaverat, occumbit.

DEflectamus ad aliam urbem stylum, & de amissis nostris civibus per ordinem enarremus. Igitur Justinianus in achemeniam versùs jussit deferri ante conspectum suum Johannicium, & quasi nescius in illusionem interrogans de eo, & dicens; nunquid iste est Johannicis Scriba? Et ubi responsum est de eo, quia ipse est, surrexit altiùs divalis ira. Arundinem deferri jubet, & sub ungulis omnibus illius digitorum in furore præcepit usque ad secundum articulum. Chartam, calamumque dari imperat, ut scribat; quam cùm accepisset, inter duos digitos calamum coëgit. Noluit cum liquore, sed cum sanguine, qui fluebat ex digitis literas exarare continentes ita. *Deus in adjutorium*

(1) *præstantiorem*. Mur.
(2) *Hymenaeos*. Mur.
(3) *Civitates*. Mur.

(4) *vigrantem*. Mur.
(5) *foederis*. Mur.
(6) *incidite*. Mur.

meum intende; Domine ad adjuvandum me festina. Libera me de inimicis meis Deus meus, & de manu iniqui Imperatoris istius. Et projecit ipsam chartulam in faciem ipsius Imperatoris in exedra sedentis, dicens; accipe iniquissime, & satia te sanguine meo. Et minatur *ille* (1) dicens; quid moriture agis? Periet audacia tua. Jussitque apparitoribus, ut ducerent eum ad locum vitâ puniendum, & præconem clamare jussit; *Johannicius Ravennianus ille facundus Poeta, quia invictissimo Augusto contrarius fuit, inter duas fornices murina morte vitâ privetur*. Electi sibi septenam cervicem vectes mittentes in annulos ferreos, levaverunt duriter desuper lapidem. Ille autem flammantia lumina ad cœlum retorsit, cum cruentis extendens cruentas ad sidera palmas. Expleta oratione dixit interfectoribus suis; cras eâdem, quæ ut nunc est, horâ interficietis Imperatorem vestrum, & erit mecum ante æquissimum Judicem. Sic dicetis illi. Et extensum desuper lapidem unum, & aliam plathomam desuper .... (2) colla emissa fregit corpus ejus, & reliquerunt eum mortuum. In tali tormento, & martyrio vitam finivit. Alia verò die, horâ, qua prædixerat ille, irruentes super Imperatorem non sustinentes populi ejus malignitatem, occiderunt eum. Alii latus inter, & iliâ lanceas figunt, alii telo transfodiunt inguina. Renes vomebant cruorem, & sparsis crinibus aulam, ligatis stuppâ pedibus per clivum tractus ad ima laceratum frigidum corpus irruit mors obscura. (3) Diversis circumspicientibus, unus ense arrepto comam concludens manu caput avulsum divale, stridens, micans ferro trajecit corpore humo. Consilioque inito inter se condiderunt illud sacco, & miserunt per totam Italiam. Soror verò prædicti Johannicis hoc audiens cum fletu cœlestem Dominum rogabat, ut videret Justiniani ablatum caput, sicut rumor erat, & statim occumberet morte. Factum est autem cùm per singulas plateas duceretur jam dictum caput in summitate lanceæ fixum, nunciatum est ad præfatam fœminam, quòd truncatum caput inde sit ferendum. Quæ subitò in superiora ascendit domus per fenestras respiciens, stare illum portatorem rogavit, & cùm diutissimè idem intueretur, lacrymis obortis pectus replevit, agens gratias Deo, quia quod desideraverat, conspexit; & dum vellet se à fenestra deflectere, cecidit retro, & quassata mortua est.

CAPUT QUINTUM.

Philippicus Felicem liberat, donatque multis. Reversurus hic Ravennam miraculis claret. Ob hæc ab Imperatore honoribus, & Privilegiis cumulatus in suam Sedem restituitur. Domum ædificat, quam Felicis dixere.

POst mortem verò Justiniani levaverunt super se Pelasgi Philippicum novum Imperatorem, & constituerunt eum Dominum universæ terræ, ac Imperium confirmatum fuit in manu ejus. Dixit ad Felicem Pontificem; revertere in terram tuam, & in Sedem tuam. Cui Pontifex respondens, dixit; quò revertar? Aut quò vadam? Et Imperator ad eum; quare non? Pro qua causa? Respondit Pontifex. Lu-

A mina oculorum amissa habeo; omnes fortunæ meæ Ecclesiæ hìc consumptæ sunt, & quas antecessores tui pii Principes in ornamenta Ecclesiæ dederant, detulerunt, & in hac deportata sunt civitate, & nihil remansit nisi ambitus murorum. Dixit autem ad eum Imperator; & qui eas abstulerunt? Si tua tibi non sunt, vel etiam ex nostris tolle. Dixitque ad eum Felix Antistes; sufficiunt mea mihi, si reddere jubes, quia diversi diversa tulerunt. Tunc Imperator misericordiâ motus jussit Præconem per totam clamare urbem, ut quicumque ex Ravennæ Ecclesia aliquid haberet, velociùs ad Palatium deferret. Et allata sunt vasa, & pallia, & omnia ornamenta Ecclesiæ Pontifex suscepit. B Non perdidit ex eis nisi candelabrum unum. Post hæc autem rogavit Imperator Pontificem, ut ex palatio ejus aliquam benedictionem acciperet. Qui respondens ad eum inquit; sufficit mihi tantummodo gratia tua. Tamen si pro remedio animæ tuæ, meæ Ecclesiæ vis dona offerre, habes gemmas cristallinas in illo, & in illo loco infra hujus Gazam Palatii, quæ possunt ad ornatum Ecclesiæ mirificè, & optimè decorari. Quo audito Imperator misit fidelissimos viros ex Mirmidonibus, ut comprobaret in loco illo, si essent, ut Pontifex dixit, & inventa sunt. Jussit deferri, & dari ei omnia vasa, quæ ibidem inventa sunt. Descriptio facta. Craterem unum cristallicium grandis ex C auro, & gemmis ornatum, & alios crateres duos ex gemma onychina, & ipsi ex auro, & gemmis. Canistrum unum magnum, in quo erant imagines hominum, & diversa volatilia ex vitro mundo similè cristallo. Amas una, & ipsa benè sculpta. Urceus ad aquam manu similis, & ipse Aquimanile desupra ex argento investito talis, qualis visus hominis in hoc tempore nullo modo videri potest. Trullas duas ex cristallo. Corona ex modico auro una, sed tamen habens pretiosissimas gemmas, ita ut temporibus nostris interrogatus Judæus negotians à Karolo Imperatore, quo pretio venundari posset, adjecit, quòd omnes opes istius Ecclesiæ, & omnia ornamenta etiam, & tegmina si ve- D nundentur, non possunt eam explere. A tempore Georgii non comparuit. His itaque gestis, dum vellet ex urbe egredere, unus ad portæ aditum simulans se claudum, & omnia debilia habere membra, ut munera acciperet, exclamavit dicens; Fortunate Felix adjuva invalidum corpus. Stans autem Beatissimus Papa dixit ad eum; Fili quare te esse simulas quod non es? Quare mihi illudis? Quamvis exterioribus luminibus privatus sum, interiora tamen fulgida per gratiam Christi intus patescunt; & *adprehensum manum* (4) ejus, dixit; surge, leva, vade, & servos Dei noli iterum subsannare. Viri autem civitatis, qui erant cum eo juxta portam, cœperunt signare facies suas, & ter- E riti dixerunt intra se; quia hic homo justus est. Egressus verò illius ex mœnibus urbis, dum à ratibus longiùs modicùm esset, expectabant eum Dromidas, ut acciperent aliquid ab eo, initoque inter se pessimo consilio, dixerunt; dicunt, quòd iste vates Ravennianus vir eleemosynarius sit, & ad tribuendum largas manus habeat; probemus si veritas est in eo. Unus ex nobis sub falsa morte in humo jaceat, & quæramus pro sepultura munera, & quidquid nobis dederit, sortiamur. Quo facto, transeunte Pontifice

(1) *diu*. Mur.
(2) *viventium*. Mur.

(3) *tenebris*. Mur.
(4) *adprehensa manu*. Mur.

tifice levaverunt ululatus, voces fictas, lacrymas mentientes, & dicentes; adjuva nos Pastor bone, tribue nobis, ut sepeliamus mortuum nostrum. At ille exutus se, chlamidem, qua indutus erat, tribuit illis dicens; tollite si verè mortuum habetis, sepelite eum. Illi autem fictè plorantes, verè plusquam ovantes acceperunt. Cùm autem Pontifex paulùlum discessisset, putaverunt prædicti Dromida collegam suum sub falsa morte in terram jaceret. Dixerunt ad hominem jacentem exanimem; surge, leva, ecce habemus Pontificis chlamidem. Illi mors, quam ad se deridendo, & simulando invitaverat, propria venit. Decidentes latera hinc, & inde, sed nullus ille movetur: fletibus falsis, nec respicit lacrymas: volvunt eum, immotus manet. Hæc fama velociùs implevit regiam urbem. Audiens autem Divus jussit reverti Beatum Felicem à nave, & suscepit eum in domum mirifico marmore factam, & postulavit ab eo benedictionem, & obtulit ei multa dona, idest duos magnos Discos ex cristallo, & Cannatas ex eo, & alia vascula in ornamentum Ecclesiæ; & jussit exarari privilegia omnia secundùm petitionem Pontificis, & quidquid ab eo postulavit, obtinuit, & naves præparare Divus imperat, & omnia necessaria, & concupiscibilia onerari, & osculans eum, valedicens ei, percepta ab eo benedictione secessit, & privilegia, ut sibi placuit, exarari jussit, & exaltavit eum multò magis, ac antea fuerat; lætusque, & gaudens ad propriam suam Sedem eum remisit. Interea relicta regia urbe jussit ventis dari vela, & remos expandere alas sulcantes pelagus. Queritur falsa carina. Drapani lustrat portus, Siculas attingit oras. Aliquantis hic moratus diebus proprias res Ecclesiæ suæ disponens, susceptus Panormi, paucis ibidem moratus, (1) pervênit Tindarides; exinde transgressus, ad Pachinia devênit litora, & dum Sol novos spargit radiis in terras, æquatas jubet procedere classes, relicto fine remige portu deseruerunt litora, torquebantur spumæ, & cærula iverunt discurrentes vitrea rura. Blanda respirante aura transmisso Adriatico sinu Eridani attigit portus, ingressusque urbem, ipsa Sedes alacriter (2) suum suscepit Sessorem. Post verò annos tres ædificavit domum infra Episcopium, quam de suo nomine domum Felicis nominavit.

CAPUT SEXTUM.

Johannicius ante prænarratam cladem officia sacra disposuerat. Ejus Genealogia. Ejusdem pietas miraculo probata. Cætera ad id spectantia.

IGitur antequam hujusmodi strages, & pernicies facta fuisset, sapientissimus Johannicis istius in temporibus claruit, & rogatus à Pontifice, ut omnes Antiphonas, quas canimus modò dominicis diebus ad Crucem, sive Sanctorum Apostolorum, aut Martyrum, sive Confessorum, nec non & Virginum, ipse exponeret non solùm latinis eloquiis, sed etiam græcis verbis, quia in utraque lingua fuit maximus Orator. Ex ipsa autem arbore, & ex (3) generositate habemus ramuscolos, & pronepotes. Johannicis Agnem genuit, Agnes Andream procreavit. Ex Andrea Basilius natus est, Basiliusque genuit Andream Presbyterum editorem hujus Pontificalis. Sed quæ ejus Notarius, qui postea hujus sanctæ Ecclesiæ ab eo eruditus Scriniarius fuit nomine Hilarus ad ejus nepotem filium filiæ suæ, Andream ut diximus nomine, avum meum *patrem matris meæ* (4) de eo retulit, in medium proferamus. Cùm per singulas noctes per Sanctorum Dei Ecclesias graderetur, & tardiùs ad suam diverteret domum, Notarius ejus, quem superiùs nominavimus, volens inlicita penetrare, quæ nosse ei non fuerat, in silentio noctis conticinii horâ surgens de mollibus stratis, ad Ecclesiam B. Johannis Evangelistæ iter arripuit. Notarius verò ejus factus est cum eo, ut videret quid ageret. Dicebat enim intra se; videbo si homo iste nocte clam cum Exarcho ineat consilium, aut fortè cum meretricibus delectetur; aut pro qua causa solus graditur. Cùmque pervenisset prædictus Johannicis ante ejusdem *pilam* (5) Ecclesiæ, statim patefactæ sunt januæ, & vectes, & serræ in aliam tacitæ evulsæ sunt partem. Et orans diutissimè ante conspectum Salvatoris, in Ardica Ecclesiæ ipsius Apostoli ingressus est, & patefactis omnibus claustris, pronus in terra oravit. Post orationem recessit, & januæ clausæ sunt, omnia illorum arctamenta discurrerunt, unaquæque in locum suum. Videns hæc omnia Hilarus obmutuit amens, & abdicavit se in angulo ipsius introiti, ubi corpus suum sine anima pro ipso testimonio poni infra marmore jussit. Et cùm pervenisset ad locum, leniter emisit vocem, dicens; Hilare cur te proripis, & vis latêre? Quod vidisti, quousque ego vivo, nemini dicas. Quòd si me vivente dixeris, statim invadêris à morte. Testificabatur & alia de eo, quia in quocumque loco hyemis tempore aspiciebat in die pauperem, & ubi infirmos videbat, jubebat sibi præparari cœnam, & cùm ante eum attulissent, ut gustaret, simulabat gravitudinem, & jubebat integrum reponi usque ad crastinum. Nocte verò visitabat *infirmos*, (6) deferebat cœnam, quam reponere imperaverat, tribuebat infirmo, & postquam recipiebat infirmus vires, per Ecclesias Dei absconditè gradiebatur, in sua se modò postmodum recipiebat. Monasterium S. Andreæ Apostoli, quod vocatur Jerichomium sua ipsius fuit domus. Quingenta pondera librarum ærearum vascula ibidem reliquit in usum ipsius Monasterii, & super Altarium, ubi corona dependebat per catenulas æreas, dependebat filum ex auro, quo nobilissimæ utuntur Virgines Ravennianæ. In fronte posuit. Et ubi coronæ pendebant, per catenulas æreas dependebant zonæ aureæ muliebres, & suspendi præcepit. Dicendo de viro isto (non tantùm pro gloria prolis, sed ut illius manifestaremus opera) per multa longiùs itinera à Pontifice vagati sumus; sed quod semel cœpimus, relinquere non possumus, donec expleamus. De illius tumulo requisivi; firmiter, & certiùs inveni sicut mihi Maurus Diaconus penè dies XXX. retulit, quod ex Constantinopoli rediens dixit; ad portam, quæ vocatur aurea ibidem ipsius modica Ecclesia est, ibique fui, & in eodem Templo preces Omnipotenti Deo fudi.

(1) *est diebus*. Mur.
(2) *clamans*. Mur.
(3) *ejus*. Mur.
(4) Legendum *Patrem Patris mei*. Bacch.
(5) Idest *portam*. Bacch.
(6) *infirmum*. Mur.

CAPUT SEPTIMUM.

Felicis opera. Ab eo Reliquiæ Sanctorum conditæ. Rogat, ut à se scripta igni consumantur. Colligit S. Petri Chrysologi sermones. Ejus mors, sepulcrum & Epitaphium.

IGitur Beatissimus hic Felix post aditam Ecclesiam multas Reliquias condidit, & paginas ex argento extruxit, & supercilii arcum (1) continentes ita .... Multasque ibidem Sanctorum Reliquias condidit, & capsam in Altari ex cypressino facta fuit; atque usque ad Petronacis Pontificis tempus, quam postmodum Sergius Diaconus Abba Monasterii S. Bartholomæi Apostoli, ubi prædictus Pontifex Abba, & Diaconus, & istius Sedis œconomus fuit, & ubi Deo juvante post prædictum Sergium Diaconum ex ejus largitate nunc à divino nutu Abba existo, prædictum Altarium removit ex proconiso lapide, cum diversis marmoribus ornatis mirificè, inter quos, & ego opera decoravimus. Fecit hic Beatissimus Felix Salutatorium, unde procedunt usque hodie Pontifices ad introitum Missarum, palàm populis videntibus; & super ipsius Regias inveni scriptum continentem ita.

Forma loci dudum ....
Squallida sed tantùm pervia plebis erat.
Postquam Pontificis meritis juvenescere visa est,
Vicinum Ecclesiæ concipit inde diem.
Turba Sacerdotum meliùs hinc pergit in Aulam,
Oblitum nescit linquere Pastorem. (2)
Per medios gradiens populos reverentia crescit,
Cùm super effundit cognita verba Dei.
Hunc ritum servet veniens quicumque Sacerdos; (3)
Nec finem teneat pontificalis apex.
Fama loquax tantos nunquam reticebit honores,
Nam (4) ...

Qui cùm prope esset vicinæ morti adjuravit Sacerdotes, & Cleros, ut quicumque ex ejus habuisset, homeliis, aut quæcumque dicta, ante eum attulissent. Quæ cùm omnia ante se allata fuissent, statim jussit præparari pyram, & omnes incendio concremavit. Qui cùm interrogatus à Sacerdotibus fuisset, quare hoc fecisset, dixit; ego orbatus de meis luminibus nihil videre possum, aut retractare, quos edidi Libros. Fortasse ego superposui, aut Scriba fefellit; ne quis post me veniat, & vitia ex meis proferat verbis. Habetis libros Chrysologi Petri, quos videtis, *& inveni*, (5) & luculentissimè scripsit, ipsum tenete, utimini, ut vobis placet. His autem expletis defunctus est die XXV. mensis Novembris, sepultusque est in Ecclesia B. Apollinaris, non longè à Monasterio S. Feliculæ; epitaphiumque ipsius invenietis continentem ita.

Inter almas laudes, virtutumque triumphos,
Quibus coronantur Præsules digni Deo,
Summæ patientiæ Felix amator fuit;
A *Moribus præcipuis vitam digessit honestam.*
Pastorali culmine magnanimè floruit.
Uno cunctas animo respectat Pontifex plebes,
Nec tristem quemquam tolerat conspicere.
Subtilis ingenio, acutus, prudens, & gravis,
Præcessorum compar.
Culmen Apostolicum colere summè novit,
Cujus ope fretus profana dogmata polet. (6)
Facundus eloquio, ditantia (7) *copia solens,*
Doctus, eruditus color (8) *memorabilis dicta videt.*
Pertulit pro patria nimias Præsul ærumnas,
Exul damna, famem, nuditatem, cædem, pericla,
Contemptus, exilia, terrores vincula, fustes.
Summusque Pontifici sufferre ludibria honor.
B *Finibus, ademptus propria de Sede, privatus.*
Lumine carens corporis divina ornatus est luce.
Arto in telluris scopulo Ponti portatur.
Ubi victus deerat, sed panis aderat Christus,
In quo toto corpore, atque virtute sepultus.
Gratiâ summâ Dei est consolatus Antistes,
Erectusque gravi de claustro, insulâ Ponti.
Cœlum (9) *ad dilectæ vectus* (10) *patriæ portum.*
Estractus (11) *omnia pristina Sede ornatur.*
Ubi corde puro hostias Domino libans,
Lustra (12) *super terram, geminos simul prorogat annos.*
Hic itaque sacro conditus (13) *funere* jusso (14)
Planctus cujus casibus non memoretur donis.
C Sedit annos VIII. mens. VII. dies XIX.

OBSERVATIONES
AD VITAM
SANCTI FELICIS.

Agnellus Felicis cum Romano Pontifice dissidia silet. Recentiores minimè vera tradunt. Irarum Justiniani in Ravennates causæ. Alia Agnello omissa. Nonnulla Agnello narrata Rubeus neglexit. Agnelli genealogia ex Johannicio. Felix inter Sanctos. Scriptor D Ecclesiasticus.

I. DE *præstantissimo aliàs Episcopo Agnellus silenda censuit, quæ famæ quoquo modo ejus apud posteros officere posse prævidebat. Silet proinde, quæ cum Romano Pontifice intercesserunt, dissidia. Laudat itaque Felicem, quòd, ut postremi Prædecessorum, & sequentium plures, S. Bartholomæi Abbas fuerit, & Ecclesiæ Ravennatis œconomus: sed quæ spectabant ad ejus consecrationem Romæ à Pontifice peractam, omnino omittit. Anastasius hæc de his habet in Constantino*: hic ordinavit Felicem Archiepiscopum Ravennatem, qui, secundùm usum priorum suorum, solitas in scrinio noluit facere cautiones, sed per potentiam Judicum exposuit, ut maluit. Cujus E cautio à Pontifice in sacratissima Confessione B. Petri Apostoli posita post multos dies tetra, & quasi igne combusta inventa est. *Idem de Felicis reditu*; eodem tempore Felix Archiepiscopus Ravennæ ab exilio remotus, pœnitentiâ motus, licèt oculorum lumine privatus, ad propriam tamen

(1) *versus*. Mur.
(2) *Pontificem*. Mur.
(3) *Nam via, quae media est, fixa manere solet. Reparat haec meritis felix, dignusque Sacerdos*. Mur. *Nec &c.*
(4) *Nam antea de vespertino salutatoria erat egressio*. Mur.
(5) *Invenietis: hic*. Mur.
(6) *Pellit*. Bacch.
(7) Fortè *dictare*. Bacch.
(8) Fortè *cultus*. Bacch.
(9) Fortè *cæcus*. Bacch.
(10) *est*. Mur.
(11) Fortè *& natus*. Bacch.
(12) Fortè *Lustrum*. Bacch.
(13) *sacer conditur*. Mur.
(14) Fortè *justo*. Bacch.

tamen rediit Sedem, & solita, quæ ab universis in scrinio Episcoporum fiunt indicula, & fidei expositiones, & hic confessus est, sicque reconciliationis promeruit absolutionem. *Idem in Nicolao, de Johanne Archiepiscopo Ravennate tradit, quòd* cautiones, & indiculos, quæ solita sunt ab Archiepiscopis Ravennatibus in scrinio fieri initio consecrationis suæ, more Felicis decessoris sui falsavit, & quædam barbara scripta, quædam verò falsa composuit. *His ab Anastasio traditis multa superstruxere recentiores, Anastasio ipsi, ut quidem puto, ignota. Platina in Summorum Pontificum vitis inter cætera argumenta, quibus probet Justinianum post Imperium receptum summâ erga Pontificem Constantinum veneratione, & addictissimo obsequio fuisse, illud affert, quòd, cùm Felix in sua ordinatione cogeretur scripto de more obedientiam, & cautionem de pecunia Romam mittenda, promittere, præstareque, idque præ arrogantia facere detrectaret, Justinianus cognito Episcopi rebelli in Pontificem animo, Theodorum Patricium miserit Ravennam cum classe, qui Ravennatibus superatis, Felicem catenis devinctum Constantinopolim abduxit, ubi Imperatoris jussu excæcatus, in Pontum relegatus sit*: nequaquam tamen, *adjicit Platina*, hanc sævitiam Constantinus probavit; redigere enim hominem ad sanitatem volebat, non tantis malis affici. *Infra verò de Felicis reditu*; Felix verò (quem diximus in Pontum à Justiniano relegatum) à pristina hæresi discedens in patriam revertitur, ac Sedem, unde pulsus fuerat, repetit. *Ex Platina Rubeus lib.4. pag.213. & 214., historiam luculentissimam, & pro suo more ornatissimam texit, qua Felicem ait* potentiâ Romanorum Judicum nixum, *scripta suæ fidei ratione pro suo arbitratu, Ravennam reversum* pecuniæ pensionem *denegasse*, quæ more majorum, veterique instituto, & recenti superiorum Archiepiscoporum testimonio *debebatur. Eundem tradit Ravennates convocasse, & hortatum, ut à Romani Præsulis obedientia resilirent, & tributum pendi solitum minimè redderent. Constantinum proinde, cùm paternè Ravennates monuisset, nil proficientem, de his omnibus certiorem fecisse Justinianum, qui classe immissa, & Ravennates clade affecit, & Felicem abductum excæcavit, exilioque multavit. Verùm ex his plura ex arbitrio conficta veritati minimè niti mihi certum est. Imperatoris Constantinopolitani juris Ravennam fuisse, cùm Felix ordinatus est, quis in dubium vertat? Tributum proinde à Ravennatibus Pontifici Romano pendi solitum non credam, quousque idoneo teste id probetur. Cautionum vocem apud Anastasium malè acceptam omnia clamant; nec enim significat promissionem de solvenda certa pecunia, sed assertam certis verborum formulis sinceram fidem, qua etiam Ordinatus jurabat se velle subesse, & obsequio illo generali, quo omnes Episcopi, & speciali, quo Metropolitæ Ravennates Romano Episcopo subjiciebantur. Difficile omnino sit* more majorum, veterique instituto, & recenti superiorum Archiepiscoporum testimonio *ostendere solutam Pontifici ullam pecuniæ quantitatem Felicis hujus ævo. Judices, quibus fretus cautionem fecit Felix pro arbitratu, seu quod ait Anastasius*, ut maluit, *non Romani, sed Exarchatus, & si Romæ, Imperatoris nomine jus dicentes, & ab ejus nutu pendentes; quare in eos primùm, non in Episcopum, & si in Episcopum, non in Ravennates accendi ob id debuisset Imperator.*

II. Censeo itaque Felicem Archiepiscopum Ravennatem in eo peccasse, quòd præstare noluerit solitas cautiones Sedi Apostolicæ cujusmodi sunt illæ, quæ habentur in libro diurno, quibus fortasse Felix aliquid addere, vel demere volebat in favorem Ecclesiæ suæ, Pontificem verò jure expetivisse formula utendum, qua cæteri Episcopi, & Metropolitæ, quique in primis ab ineuntis Ecclesiæ ævo, & Synodo, & ordinatione immediatè Romano Pontifici paruerant, utebantur; Felicem etiam Exarchi auctoritate fretum, scriptum, uti maluit, *fecisse, Pontifice ægrè id ferrente, remque Deo, Divique Petri patrocinio comittente. Porrò ut Felix adigeretur ad præstandum, quod debebat, Romanum Pontificem Justiniani favorem implorasse, qui ob id Ravennam evertendam, & Felicem abducendum jusserit, veritati minimè congruit, cùm ex Agnello constet aliam toto cælo diversam eâ imperandi causam habuisse. Justiniani furor, uti in cæteros, qui quoquo modo crediti sunt in suæ exauctorationis, & mutilationis crimen cooperasse, exarsit, quos dirè obtruncasse, demersisse, mactasse, tum Constantinopoli, tum alibi, Scriptores eorum temporum unanimi testimonio ferunt: sic & in Ravennates accensus est, qui dicuntur cum militibus conjurasse in Justiniani necem, quos Imperator vocabat* gentem sibi inimicam, quæ per fraudulenta consilia nares sibi abscidisset, & aures. *Inter eos præ omnibus Johannicium magnæ auctoritatis virum oleum igni superfudisse credidit Imperator, qui proinde atrocem de eo vindictam sumpsit, Præ one præcinente* Johannicium Ravennatem facundum illum Poëtam, quia invictissimo Augusto contrarius fuit, inter duas fornices murina morte vitâ privari. *Episcopus malè habitus est non ob dissidia cum Romano Pontifice, sed quòd in capitis injuria, acrior fieret, de Ravennatibus quæ sumebatur, vindicta. Hæc ex toto contestu Agnellianæ narrationis minimè in hac parte suspectæ facilè colliguntur, unde cætera Recentioribus repetita fidem non merentur. Cæterùm qui plura legere cupit de Justiniani furore in Patricios, in Constantinopolitanum Episcopum, in amicos etiam, quorum favore Imperium recuperaverat, sed & de ejus cæde, & de ipsius reciso capite in Italiæ urbibus publicæ contumeliæ exposito, quod Noster in casu Sororis occisi Johannicii factum narrat, consulat Theophanem, Cedrenum, Anastasium, cæterosque.*

III. Præter ea, quæ ad Felicis Ordinationem pertinebant, alia etiam Agnello prætermissa sunt, uti quòd in Pontum relegatus sit, quod quidem Agnellus ignorare non potuit, cùm id in epitaphio expressè memoretur. Nomen etiam Strategi, seu Ministratiei, ut illum vocat, qui Ravennatibus, & Felicis calamitati inferendæ adhibitus fuit, Theodorum appellatum scribit Anastasius, primumque exercitibus Siciliæ *præpositum. Silet de Justiniani in Chersonenso mora, postquam à Throno deturbatus, auribus, nasoque mutilatus fuit, ab anno videlicet 695. ad 705. Silet etiam Johanni cognomento Rizocopo mortem Ravennæ illatam, de qua hæc Anastasius in Constantino*; veniens igitur Neapolim Constantinus Papa, illic eum reperit Johannes Patricius, & Exarchus cognomento Rizocopus, qui veniens Romam jugulavit Paulum Diaconum, & Vicedominum. Petrum Arcarium, Sergium Abbatem presbyterum, & Sergium Ordinatorem, pergensque Ravennam, pro suis nefandissimis factis judicio Dei illic turpissima morte occubuit. *Cùm tamen certum mihi sit Agnellum mutilum esse, ubi narratâ ignoti cujusdam in Ravennæ litus exscensione, non modò ejus nomen, sed & officium, finisque ob quem armatum militem exposuerat, excidit, arbitror ibi, & de Rizocopi morte aliquid scriptum fuisse, cùm electio in Ducem*

Geor-

A *Georgii, & cætera ibi descripta ostendant Ravennates excusso Exarchi jugo sibi jus dixisse contra quoscumque, quæ quidem sub Justiniani jugulati tempora evenisse ex eo probatur, quòd Rizocopus occisus sit Ravennæ post Papæ reditum, & post tres menses ab hujusmodi reditu Romæ nuncium allatum sit de Imperatoris nece, ut tradit laudatus Anastasius. Philippico autem rerum potito, res cum Ravennatibus compositæ sunt, missusque est non modò Exarchus, sed Episcopus suæ restitutus Sedi. Petrus tamen, qui, ut Exarchi non modò, sed & Ducis officio in Italia fungeretur, missus fuerat, Ravennam non venit; sed nec Scholasticum Exarchum ab Artemio, qui & Anastasius, missum, Ravennæ diutiùs degisse facilè demonstra-*


B *bitur.*

IV. Mirum vice versa plura, quæ in hac Felicis vita Agnello narrantur, à Ravennatum rerum Scriptore dissertissimo, qui Agnellum legerat, vel neglectâ, vel jejunè admodum narratâ; uti Justinianum ob id in Ravennates exarsisse, quòd in ejus exautorationem, & mutilationem, vel cooperati sint, vel cooperatos fuisse, crediti; illum, cùm jurasset Felicem morti tradendum, nocturna visione deterritum ab occidendo abstinuisse, excæcare contentum; Georgium Johannicis filium Ducem electum, qui & Ravennæ, & in Exarchatu certa ratione exercitum conscripserit, excubiasque limitaneas disposuerit, aliaque minoris momenti. At illa minimè omitti debebant ingentia sanè, &

C *mira, quæ de Johannicio narrat Noster. Ea omnia Rubeus hac brevi clausula complectitur lib. 4. pag. 216.* Hoc tempore Johannicius Ravennas claruit, qui sacros libros, antiphonas, ritusque omnes distinxit, quibus Ecclesia Ravennas in peragendis Sacris utitur, de quo in Annalibus nostris mira quædam habebantur. *Hæc saltem posteris tradenda erant, quòd Theodoro sedente Notarius Exarchi creatus sit, postmodum ab Imperatore Constantinopolim vocatus, Damiano sedente, post Justinianum à Throno deturbatum, Ravennam redierit, & eo in regnum restituto cum Felice Episcopo, & Ravennatum Optimatibus Constantinopolim abductus, carceri mancipatus fuerit, donec die illa, quæ Justiniani necem præcessit, crudeli morte, quam invicto animo tulit, macta-*

D *tus est, & in quadam Ecclesia ad Portam Auream humatus. Dies porrò, qua Justinianus occisus interiit, incerta est; at ex Anastasio Baronius evicit ad finem anni 711. consignandam: eodem itaque tempore Johannicius periit, quo sequenti die futurum, ut Imperator jugularetur, moriens prædixit. Cùm autem à Constantino Pontifice, qui sedere cæpit anno 708. Felix Episcopus sit consecratus, isque cum Johannicio Officia Ecclesiastica ordinaverit, cui rei perficiendæ plurium mensium spatium necessarium fuit, conficitur Justinianum de clade Ravennatibus inferenda cogitasse eodem ferè tempore, quo in Chersonesi incolas exarsit, vertente videlicet anno 710. At quæ ad Johannicis posteros spectant, minimè omittenda*

E *erant, cùm ob viri insignem virtutem, tum quòd inter eos Agnellus hujus Pontificalis Libri Auctor numeretur. Dandum scilicet hoc erat grati animi signum Auctoris, licet aliàs minimè pii, & inepti, manibus, cui antiquiora Historiæ suæ accepta referre debet Rubeus, & cum Rubeo quisquis Ravennatum res memoriæ mandandas, vel illustrandas assumit. En ex traditis ab Agnello collectum genealogicum Stemma.*



Ex dispositis porrò per Georgium in limitibus excubiis fortassis agnosci poterant, qui per ea tempora essent Exarchatus fines, à Sarsina videlicet Boroniam usque. Faciem præterea circumpositi Ravennatis agri agnoscere proclive, & Eridanum non longè ab urbe fluxisse intermedio campo, quem Coriandri vocabant, ad cujus fluminis Ostia Portum extitisse, ubi merces, militesque exponi solebant.

V. Felicem inter Sanctos numerari longo temporum, & hominum consensu Baronius cum cæteris docet ad annum 711., qui ex Rubeo inscriptionem tumuli describit hujusmodi. Hic tumulus clausum servat Corpus Domini Felicis Sanctissimi, ac ter Beatissimi Archiepiscopi. *Extat adhuc in Basilica S. Apollinaris Classensi recentior altera in marmoreo suggestu S. Mariæ Majoris, quam exhibet idem Rubeus. Faber in sacris Ravennæ monumentis alteram exhibet ex Comaclensis Cathedralis Campanaria Turri, quæ est hujusmodi.*

✠ TEM. DN. FELI. TR. B. ARCP. SCE. ECC. RAV. F. D. F. VINCENTIUS RIMU. EP. C. ECC. SCI. CASSIANI. CI. CUM. PRIMI. EDIFIC. P. IND. VI. ✠ FELICIT.

Spectat hæc ad annum 708., quo primùm Felix ordinatus est. Ecclesiasticorum autem Scriptorum albo inserendum Felicem hunc probant, quæ hic de ejus scriptis narrantur, quamvis non modò ea, quæ vivens igni tradenda jussit, sed quæ Agnelli ævo superstes erat Homilia, omnino perierint. Illud moderati animi ingenium commendat, quod cùm cæcus sua recognoscere, emendare, & retractare nequiret, timeretque excidisse fortassis suo vel Amanuensium vitio, quæ obesse Lectoribus possent, maluit omnia incendio consumere, quàm cum aliorum periculo servari. Habemus ejus opera, & labore Petri Chrysologi sermones, quibus à se inventis, collectis, digestisque compensandam scriptorum suorum jacturam edixit.

VI. Pro harum ad Felicis vitam Observationum coronide juvat chronologicarum rerum peritis hic exhibere characteres, quibus obsignatum legitur Johannis, ut quidem puto, VII. Romani Pontificis Diploma in celeberrimo, egregioque Farfensis Monasterii Codice. Datum dicitur P. K. Julii, imperante D, N. Piissimo Imp. Augusto Tiberio anno VIII. Principatus ejus anno VI., sed & Theodosio, atque Constantino. *Video ad annum 705. Diploma spectare, & Prid. Kal. Julii ann. Tiberii Absimari octavum, decurrere cæptum.*

Septem

Septem itaque anni, quibus Theophanes Tiberium imperasse tradit, completi intelligi debent, nec nisi post Junium mensem ejus anni Justinianus in Thronum restitutus est. Hæc clara, nec dubium patiuntur. Illud ignotum, quid significet Principatus ejusdem Epocha ab anno 700. ineunda, ab Epocha Imperii diversa. An hæc Consulatus ab eo initi post duos ab arrepto Imperio annos significat? Theodosius, atque Constantinus in consortium Imperii adsciti quinam? Hæc certè aliunde incognita. Videant, ac decernant eruditissimi nostri ævi Chronologi. Diploma Thomæ Farfensi Abbati inscribitur, ac in eo Monasterii ejus origo, & facta narrantur, Thomas autem ab anno 680. ad 715. floruit, & IV. Id. Decembris obiit, ut ex eodem Codice facilè dignoscitur, & ex Indice Ducum Spoletanorum, quem ex laudato Farfensi Archivo edidit Mabillonius in Itinerario Italico adjectis monumentis.

EXCURSUS
CHRONOLOGICUS.
AD ÆTATEM
Reliquorum Ravennatum Pontificum, de quibus Agnellus.

Mutilæ, & jejunæ sequentium Episcoporum vitæ. Rubeus, & Ughellus quæ tradant. Liutprandi, Aldeprandi, Rachis, & Aistulphi tempora. Commutata apud Agnellum Stephani, & Pauli Pontificum nomina. Alia ad Ravennatum Pontificum ætatem spectantia.

I. *Nonnullorum, qui sequuntur, Pontificum vitæ omnino desunt, aliæ pleræque mutilæ, & admodum jejunæ. Præterea Agnello narrata ubique ferè Scriptoris inscitiâ, & livore inficiuntur; inscitiâ quidem, cùm rerum gestarum, & temporum ratio confundatur; livore autem, cùm ex vulgi rumoribus fabulas Schismatis tempore natas posteris propinet. Verùm de veritate narratorum hîc nil tuti Lectori promittere ausim, ubi multa apertè falsa sunt; de Chronologia paucula expiscari licuit. Hoc itaque brevi Chronologico Excursu censui nonnulla tantùm adnotare, quæ ad eorundem Pontificum tempora aliquo modo cognoscenda conducunt, & nonnullam Chronologiæ lucem afferunt. Rubeus ut plurimùm initia, & fines Sedium hîc non decernit, sed adhibitâ particulâ, circiter, vel circa, rem prudentissimè indecisam relinquit. Ughellus uniuscujusque Episcopi tempora definit hoc modo. Felicem ait mortuum VII. Kal. Aprilis anni 717., Johannem consecratum anno 718., mortuum 748., Sergium ordinatum eodem anno, obiisse VIII. Kal. Septembris anni 770., Leonem à Stephano consecratum anno prædicto, decessisse XVI. Kal. Martii anni 777., Johannem alterum suffectum anno 777. septem annis sedisse, & obiisse anno 784., Gratiosum ipso anno consecratum, mortuum 788. VII. Kal. Martii. Post Gratiosum Johannem alterum addunt Rubeus, & Ughellus, quem decessisse ajunt anno 807., vel 809. Hic verò, cùm & Agnello, & ei qui Agnelli Codicem recognovit, ignotus fuerit, in serie Ravennatum Episcoporum meâ quidem sententiâ locum non habet. S. itaque Valerium Ughello traditur anno 809. ordinatum fuisse, & Id. Maji 812. è vivis abiisse, quo Martinus electus est. Hoc autem decedente Id. Septembris, Petronacium anno 817. ordinatum, qui decesserit VI. Id. Martii anni 835. cùm tandem Georgius est consecratus, sedens deinde usque ad unum 846. Hæc, quibus rationibus fultus Ughellus tradiderit, minimè docet; ipse certiora his, quæ mox afferam, non habeo.*

II. Porrò Johannes, qui Felicem excepit omnium diutiùs vitam produxit. Agnellus, eo sedente, Ravennam à Liutprando civium proditione captam tradit. Cùm Venetorum auxiliis auctus Exarchus eam recepisset, post aliquot annos illam tentatam, Johanne ipso Ravennate Archiepiscopo, cum Exarcho, populoque à Romano Pontifice suppetias petente, auctor est Anastasius in Zacharia. Capta à Liutprando Ravenna est circa annum 725. De ea re Gregorius II. in epistola priori ad Leonem Isauricum pro Sanctarum Imaginum cultu hæc habet; Langobardi miseram Decapolim incursionibus infestarunt, ipsamque Metropolim Ravennam occuparunt, & ejectis Magistratibus tuis proprios constituêre Magistratus, & vicinas nobis Sedes regias, ipsamque Romam sic tractare statuerunt, cùm tu nos defendere minimè posses; *quæ quidem indicant à Liutprando per aliquod non breve tempus Ravennam occupatam, antequam illam Exarchus reciperet. Ravennæ rursus trepidatum esse Johanne Archiepiscopo adhuc superstite, cùm Liutprandus in eam movit, tradit Anastasius loco supralaudato;* Indictione undecima, *inquit,* dum nimiùm opprimeret prædictus Rex provinciam Ravennatium, fuissetque præparatus ad motionem faciendam, & obsidendam Ravennatium urbem, cognoscens motionem ejusdem Regis Eutychius Excellentissimus Patricius, & Exarchus unà cum Johanne Archiepiscopo Ecclesiæ Ravennatis, atque universo populo &c. *Indictio undecima ad annum 743. pertinet, quo hæc evenerunt. Vitam Johannem hunc prorogasse post Liutprandi mortem certum ferè est, at cùm haud annus certus indicetur, hæret aquâ. Conjecturæ loco esse possit illum ad Aistulphi ætatem pervenisse, quòd Noster relata Sergii ordinatione Romæ peracta, statim adjiciat;* hæc autem civitas vexabatur à Longobardis, & Veneticis, *quandoquidem motus Langobardorum in Ravennates nulli sub Rachi, qui post breve Ildeprandi regnum Liutprando successit. Aistulphus quidem non irrito conatu Ravennam vexavit, immo vi cœpit statim ac Rachi Monachum induente*

Rex

Rex factus est. At, ut pro viribus ad annum accedamus, quo Sergius sedere cœpit, Ravennæ Aistulpho captæ tempus agnoscere operæ pretium est, id enim ex eo etiam magni esse momenti inficiari nequit, quòd tunc, Eutychio in Græciam fugiente, Exarchatus defecerit. Aistulphi initia Baronius anno 750. consignat; Rubeus ait Regem electum statim in Ravennam movisse, eamque cœpisse circiter annum 752. Extat in laudatissimo Farfensi Codice, de quo supra, Aistulphi Regis confirmatio Bonorum, & Privilegiorum ejusdem Monasterii Data Ravennæ in Palatio, quarto die mensis Julii, anno felicissimi regni nostri tertio per Indict. IV. Indictio quarta currebat Julio anni 751. Ante Julium itaque ejus anni Aistulphus Ravennam occupaverat, & ante Julium anni 749. regnare cœperat. Hinc optimè ad Rachis initia retroceditur. Ante Julium prædictum is Monachum induerat: cùm autem regnaverit annis quinque, & mensibus sex, quod tradit Ostiensis Chron. Casin. lib. 1. cap. 8., fiet, quòd regnare cœperit circa finem anni 743., & ante sex menses Ildeprando tribuendos, Liutprandus obierit, contra communem sententiam, quæ ejusdem mortem anno 744. consignat. Porrò Indictione undecima, quod ait Anastasius, Ravennam à Liutprando tentatam, referendum puto ad postremos anni 742. menses quibus Indictio illa currere à Septembri cœperat.

III. Verùm hæc omnia, si, quod Ughellus ait, Johannes anno 748. obiisset, efficerent Rachi adhuc regnante Sergium ordinatum; cùm autem certum sit Rachim Zacharia sedente Monachum effectum, consequeretur Sergium etiam ab eodem Zacharia ordinatum, qua de re sunt, ob quæ vehementer dubito. Agnelli Historia examini hìc seriò subjicienda est. In hujus Sergii vita, is cùm præmiserit tum Aistulphum jam Ravennæ degisse, narrat, quòd Paulo Papæ in Franciam pergenti cùm Sergius obviam venire neglexisset, ille à Francia rediens Vallem Galliatæ à jure Ravennatis Archiepiscopi avulsit, Sergiumque ipsum Romam deductum voluit dignitate spoliare. Cùm autem obiiceret Romanus Episcopus irritam Sergii ordinationem, quòd contra Canones uxoratus ad Episcopatum ille transisset; ad hæc, inquit Noster, Ravennæ Pontifex ajebat; & non mea præsumptione, sed elegerunt me Clerus, & plebs universa. Interrogasti per ordinem canonico more, & de me omnia vobis patefacta sunt, quomodo laicus fui, & sponsam habui, & ad Clericatum perveni, & cognitum vobis factum est, & dixistis, nullum obstaculum mihi esse potest. Postquam talia de me sensisti, cur me consecrasti? Paulò autem infra adjicitur, quòd cùm Sergius in magno animi mœrore esset, nocte eadem Pontifex decessit, & Stephanus præmortui frater, qui eidem in Pontificatu successit, libertatem Sergio promisit. Stephanum inde hunc ait in Franciam euntem, Ravennæ substitisse, unde plura asportaverit, cum cæteris ibi relatis, quæ an fide digna sint non est hujus loci exquirere. Hic quæ Chronologiam tangunt ad incudem sunt revocanda.

IV. Paulum Pontificem fratri successisse, qui Stephani III. nomine in serie summorum Præsulum scribitur, non è converso, certissimum est. Qui Paulo successit Pontifex Romanus, Stephanus quidem dictus est, sed nil ad prædecessorem Paulum pertinuit. Præterea Paulo decedente per annum, & mensem Constantinus intrusus Romanæ Sedi incubavit, antequam Stephanus ejus nominis IV. consecraretur. Hæc autem minimè Sergii Historiæ congruunt. Is in sua causa Pontifici respondet, se ab eo ordinatum, & juxta Canones de suo statu interrogatum ab eodem, qui tunc criminabatur, & se Episcopatu spoliare minabatur. Licèt autem potuerit Sergius à Stephano III. ordinari, non potuit certè à Paulo. Anno 759. restitutum Sergio Galliatense Monasterium à Paulo, Diploma testatur, in quo illud ablatum dicitur per prædecessorem suum Stephanum; ubi è contra Agnello Monasterio illo Sergium privatum à Paulo fuisse dicitur. Paulus præterea nunquam in Franciam perrexit, qua occasione in Sergium obviam sibi minimè procedentem subirasci potuerit, ut tradit Noster. Hæc omnia ponderata efficiunt Agnellum non modò in Historia, sed in re etiam Chronologica omnia susdeque permiscuisse, &, ut puto, cùm quædam Ravennati Ecclesiæ sinistrè sub Stephano IV. evenerint, de quibus in Observationibus, eaque ex Cleri livore Pontifici tributa sint, nominum similitudine factum, ut Stephano III. tributa sint confusis, ut somniantium mos est, pluribus veris in unum solenne, & putidissimum mendacium. Inde commutata duorum Pontificum tempora, & perperam Paulo successor datus Stephanus, cùm tamen Paulus Stephano successerit. His animadversis utcumque Ravennatis Ecclesiæ Chronologia veluti è densis tenebris elucet, & consequitur Sergium à Stephano III. ordinatum, cùm accusaretur de statu, ex quo ad Episcopatum assumptus fuerat, ritè excepisse, se eidem Pontifici, qui de se in ordinem redigendo cogitabat, juxta Canones in sua consecratione interroganti omnia narrasse de statu laicali, & uxorati, quæ, ne ordinaretur, minimè ejusdem Papæ judicio offecerant. Sic circa annum 752. cùm jam Aistulphus Ravennam occupaverat, Sergius ordinatus fuit; annno 757. Romæ sibi timuit, cùm Stephanus obiit VI. Kal. Martii; Paulo sedente Galliatæ Monasterium recepit anno 759. De ejus mortis anno paulò post: nunc duæ Pauli Pontificis epistolæ hic considerationi subjiciendæ, quæ certam ferè efficiunt seriem temporum usque modò ordinatam. Indicem argumentorum hujusmodi ex Panuinio, cùm frustra epistolas quæsivisset, dedit Baronius ad annum 767., dederant Centuriatores Magdeburgenses Cent. 8. pag. 725. Gretserus epistolarum volumen collectum primùm jubente Carolo Magno, ex manuscriptis edidit, recudit verò Franciscus Duchesne in Scriptoribus Historiæ Francorum Tom. 3. Argumentum ejus, quæ 29., & Gretsero 27., utrobique idem est, & in postremis habet, Paulum laborare, ut Sergius in suam Sedem restituatur. At argumentum, & epistola Baronio 14. Gretsero 28. aliud præferunt, quamquod argumentum Baronio allatum præferebat. Baronio ita scribitur; Literas proditorias Sergii Ravennatis Episcopi mittit, & petit auxilium. Gretserianum verò argumentum, & epistola affert, Pontificem Pipino literas à Sergio Ravennate Episcopo scriptas mittere, quibus orat, ut Pontifex à Desiderio, quocum pax composita fuerat, auxilia petat pro tuenda Ravenna, ac Pentapoli. Emendato per Getserum ejus epistolæ argumento, exhibitáque epistolá ipsá, ex utriusque tenore, & ex restituto per eundem Pontificem Galliatense Monasterio, cujus rei Rubeus documentum exhibet, luce meridiana clarius apparet, Paulum non modò nunquam Sergio iratum fuisse, sed eximiè hunc amasse, & fovisse, quem aliquando à sua Sede deturbatum pro virili restituendum curaverit. Hinc palàm fit errorem communem emendandum, quo, cùm apud Agnellum non animadverterit Rubeus Paulo tributum, quod Stephano III. tribui debebat, & viceversa, & ipse, & ex ipso Baronius, Faber, Ughellus, cæterique dixerint Sergium sub Paulo

malè

malè habitum, cùm id sub Stephano Pauli Prædecessore acciderit, Sergiusque Paulum semper erga se bene affectum senserit.

V. Sergii obitum, & Leonis initia schismate luctuoso funestata narrat Anastasius in Stephano ejus nominis IV. Licèt ea certo anno consignari nequeant, certum tamen est evenisse post aliquod tempus à Synodo Romana in causa præcedentis Pseudopontificis Constantini celebratâ mense Aprili, Indict. VII., anno vid.licet 769. Cùm itaque Sergii Ravennatis Archiepiscopi obitum, & Leonis ordinationem narraturus Anastasius, hæc habeat; his autem peractis Synodalibus gestis, contigit post aliquantum temporis de hac vita migrasse Sergium Archiepiscopum civitatis Ravennatium &c. *consequitur Sergium obiisse circa finem anni prædicti, vel circa initium subsequentis 770., nec potuit post annum 771. differri Leonis pacifica Sedes, extincto per Stephanum Michaëlis schismate, cùm Stephanus ipse Kal. Februarii defunctus sit anno 772. Quod ad ejusdem Leonis obitum pertinet, ex Ughelli computis is Kal. Martii anni 777. decessit, illique subrogatus est Johannes; quem ejus nominis Sextum dicunt. Idem ferè tradiderat Rubeus, margini, ubi hæc consignat, annum prædictum 777. adscribens. Inter Hadriani Pontificis epistolas sunt, quarum argumenta afferunt Baronius, & Centuriatores, & ad Ravennatum res pertinent.*

Quinta, qua Carolo Regi indicat jussisse se, ut Veneti Ravennâ, sive Pentapoli expellerentur, Germanum Ducem res, ac possessiones Ravennatis Ecclesiæ invasisse exponit.

Duodecima Carolo Regi musiva, & marmora urbis Ravennæ tam in Templis, quàm in parietibus, & stratis sita donat.

Vigesima octava propter inobedientiam Leonem Ravennatem Episcopum accusat.

Vigesima nona indicat se mittere epistolam Gradensis Patriarchæ. Hanc à Leone Archiepiscopo Ravennate priùs apertam, & lectam fuisse queritur. Idem Leonem iterum accusat.

Trigesima. De Leone Archiepiscopo Ravennate, indicat gratum sibi esse, quòd ad Carolum profectus sit.

Trigesima prima. Iterum vehementer Leonem Ravennatem Archiepiscopum accusat, quòd inobediens, ac protervus factus sit ab illo tempore, quo à Carolo rediit, & Carolum orat, ne S. Petro auferri patiatur, quæ ab ipso, & Pipino patre ejus ipsi B. Petro oblata sunt.

Trigesima nona. Ipsum mendacii arguit, & objurgat, quòd Ravennam ad electionem novi Pontificis Legatos suos direxerit.

In Codice autem Carolino infrascriptæ epistolæ ad Ravennatem Historiam pertinentes extant, quarum argumenta exhibemus.

Ep. 50. Pontifex Carolo scribit Langobardos, & Ravennates, pro eo quòd Rex missum retinuisset, dicere, nullo modo Regem ipsum in Apostolica permanere caritate. Petit itaque remitti.

Epist. 51. in Embolo. Accusat Leonem Ravennatem, quòd, postquam à Carolo reversus fuerat, obedire nolebat, sed detinebat Imolam, atque Boniam. Præterea, quia missum Pontificis Dominicum, directo exercitu vinctum Ravennam deduxisset, nec permitteret quemquam ad Pontificem venire de civitatibus Æmiliæ, quæ numerantur Faventia, Ducatus Ferrariæ, Comiado (1) *Foro Livii, Foro Populi, Cæsena, & Bobio, seu Tribunatu decimo, petit, ut in ordinem redigatur.*

(1) Legatur *Comaclo*. Bacch.

Ep. 52. in Embolo. In ea ferè de Leone habentur, ac in antecedenti.

Ep. 53. Leonem Ravennatem, sibi haud ingratum ad Carolum ivisse, ait.

Ep. 54. Denuo Pontifex Leonem accusat ob enarrata in superioribus ep. 51. & 52. Notabilia autem ea sunt, quibus dicitur, quòd Leo retinens urbes Æmiliæ exemplo Sergii se tuebatur; ait enim à Stephano Pontifice Sergium Exarchatus regimine privatum, dum contra ejus voluntatem agere spiritu superbiæ nitebatur. *Ex quo agnoscimus, Sergium à Stephani favore excidisse.*

Ep. 67. Concedit Pontifex Carolo musiva, & marmora Palatii Ravennatis.

Ep. 71. Significat, quomodo fiat electio Episcopi Ravennatis, & ait, quòd quando Sergius obiit, res cum dissidio processit ob schisma Michaëlis. Addit electionem novi Archiepiscopi fieri cum beneplacito Apostolicæ Sedis à Clero, & plebe, nec missum à Regibus directum, vel in electione Johannis, vel in altera Gratiosi.

Ep. 82. memoratur Johannes Monachus, & Abbas Ravennas missus à Pontifice ad Carolum.

Ep. 84. significat Pontifex Carolo se jussisse, ut Mercatores Veneti ex Ravennati urbe, & Pentapoli ejicerentur. Orat, ut coërceatur Dux Geramnensis, qui occupaverat quasdam terras ad Ecclesiam Ravennatem spectantes.

VI. Ex præmissis epistolis ea, quæ numero 71. designatur, lumen præbet pro Chronologia disponenda; novimus enim non modò Leonis electionem factam Stephani sedentis tempore, sed & ante Hadriani obitum decessisse Leonem, Johannem, & demum Gratiosum, & in ea agi de successoris electione, qui Valerius extitit. Cùm verò Gratiosus, ex Nostro, sederit eo tempore, quo Carolus Hadriano superstite Ravennam venit, necessariò consequitur anno 786. jam Episcopum ordinatum; Carolus enim tunc hyemis tempore contra Beneventanos venit, & Florentiæ Natalem Domini celebravit, ut Eginhardus narrat. Johannes autem Gratiosi prædecessor potuit obiisse paulò ante ex morbo, quem contraxerat paulo postquam juveni maledixit circa festum S. Apollinaris, 23. Junii. Hic autem, si, quod Agnellus habet, sedit annos VII. mens. I. dies III., circa annum 776., quo Leo cœpit, decesserat. At Gratiosi Episcopi vita nequit protrahi ultra annum 795., qui Hadriano fuit emortualis. Cùm epistolæ Hadriani, absque chronologico ordine collectæ sint, nulla lux inde affulget, ut putem ad postremos Hadriani annos Gratiosum pervenisse, ex eo, quòd ex omnibus Hadriani epistolis nulla quidquam habet de Ravennæ Episcopo Gratiosi successore.

VII. S. itaque Valerius ab Hadriano circa annum 794. ordinatus est. De Martino, qui Valerio suffectus fuit, hæc Agnellus in ejus vita, & penè annos LXXX. istius adeptus est Sedis, consecratus Romæ per manus Leonis III. Papæ. *Numerus LXXX. ad Martini ætatem referendus est, cùm Episcopus ordinatus fuit, dum autem à Leone III. consecratus dicitur, fit eundem ante annum 816. sedere cœpisse, eo enim Leo III. è vivis abiit. Sed & ante annum 811. consecratus est Martinus; ait enim in ejus vita Noster;* mortuus est istius temporibus Pipinus Langobardorum Rex, & voluto tempore obiit Carolus Imperator die trigesima mensis Januarii. *Pipinus paulopost quàm bellum cum Venetis confecerat, quod ad annum 810. refertur, diem obiit, Carolus verò anno 814. Verùm, & ante annum prædictum 811. sedere cœpisse Martinum, sunt quæ suadeant,*

plura videlicet, quæ Leone III. vivente evenerunt, quæque plurium annorum spatium exegisse videri possunt; reparatum videlicet Sancti Apollinaris Classense Templum Romani Pontificis liberalitate, & controversiæ inter Martinum ipsum, ac Leonem. Hinc Sancti Valerii ætas ferè concluditur inter annos 794. & 809. Martinum præterea Stephani Papæ ætatem superasse ferè certum est, nam Stephanum ipsum Ravennam venientem excepit, ut ex Nostro intelligimus, qui plura præter ea, quæ extant, de Martino scripserat, quæ simul cum integra Petronacis Episcopi vita exciderunt. Itaque Pontificem hunc prioribus Paschalis Papæ annis nonagenario majorem obiisse, ferè certum fit. Erravit igitur, qui Petronacis vitam supplevit, cùm scripsit hunc Carolo Imperatori honorem jurasse, quandoquidem plures ante annos Carolus decesserat, cùm Petronacius sedere cœpit. His addenda sunt, quæ ad

A *Agnelli ætatem investigandam adnotavi in Observationibus ad versus Libro Pontificali præfixos, Observatione quarta. Paschalis Papæ initia ad diem 28. Januarii anni 817. alligat Baronius, & Petronacii initia ante annum 819. collocanda concluditur ex ejusdem Paschalis Privilegio dato mense Julio, Ind. XII. apud Rubeum legendo, qui ex autographo illud descripsit, in arboris cortice, ut ipse ait, veriùs in charta Ægyptia, exarato. Petronacius anno 826. in Romano Concilio sub Eugenio subscripsit, pervènitque usque ad Gregorii IV. ætatem, à quo ejus successor Georgius ordinatus est, quod tradit Noster. Gregorius autem sedere cœpit circa annum 827. Georgius ætatem produxit ultra annum 841., quo quidem ad VII. Kal. Julii Ca-* B *rolus Calvus de Lothario Fontanis victoriam reportavit. Plura de horum Pontificum Chronologia addere, somniis indulgere esset.*

VITA JOHANNIS.

CAPUT PRIMUM.

Ravenna à Liutprando civium proditione capta. Johannes exulat. Epiphanio Scriniario curante restituitur. Idem Epiphanius de Johannis hostibus vindictas sumit.

DE SANCTO JOHANNE XXXIX.

JOhannes (1) XXXIX. Hic patientissimus fuit, humilis, & mansuetus. Istius temporibus Ecclesia Petriana cecidit terræmotu post completa solennia Missarum die Dominico. Et Liutprandi Regis regnum Langobardorum *regens*, (2) ab ipsius exercitu prædicta civitas coronâ cincta, & devastata est, à suis decepta civibus simulata fraude à Porta, quæ dicitur Vicus salutaris, quæ erat juxta fluvium Pantheum. Omnes cives *concurrerunt* (3) illuc; unus autem ex illis infensus suis civibus, promissâ pecuniâ, allatis clavibus, subductis modis Portæ, quæ pergit ad Vicum Leprosum, ubi est pons ex basibus *factivis*, (4) reseratis claustris, omnibusque patefactis Portis, inimici ingressi civitatem, & eam (5) subverterunt. Nam judicio Dei ipse, qui insidiator suorum civium fuit, & *Pilæ* (6) claustra aperuit, quamprimum *Ligni* (7) stipite perfossus interiit, promissam pecuniam non accepit, sed ante omnes suum sanguinem dedit, nec terræ commendatus est. Igitur irati Ravennenses cives contra Pontificem hunc, in Venetiarum partibus eum exilio relegaverunt, & fuit exul per annum unum. Tunc Epiphanius Scriniarius videns excidium (8) istius Ecclesiæ, & patrem patriæ in angustia, & matura detineri afflictione, eum per hujus civitatis Exarchum ad hanc propriam revocavit Sedem. Post autem in Pontificali Solio restitutus quadam die prædictus Epiphanius Scriniarius ait ad eum; Domine Pater, non te pigeat in palatium ad Exarchum ire, & offerre illi ex ar- C gyrio *Palvitam* (9) magnam, & postula ab eo, ut coarctet viros illos ad judicium, qui te in exilium miserunt, & vindicemus nosmet de illis, & hoc, quod das, decuplum ex eis restituam. Tu Pontificales tene mores, ego cum eis litigabo, & scio juvante Domino de hostibus reportabo triumphum. Factumque est, ut superiùs audistis, & ut mox recepit (10) prædictus Johannes Pontifex infra maternum Ecclesiæ sinum; alia verò die auctor consilii idem Epiphanius Scriniarius cum singulis hominibus in conflictu stans, ita ajebat; præceptum ex rebus exaratum habes, ut nunquam contra Sanctam hanc Ecclesiam, aut contra hujus Sedis Pontificem de quacumque causa agas, aut ore D mussites. Dic qualis ovis tu es, quæ Pastorem tuum, dum ille te foveret, & per gramineos duceret campos, tu cornu percussisti, & contra eum chirographa conscripsisti? Convicti in judicio jugies collegit, quæ Exarcho dedit. His itaque gestis venerunt humiliter omnes unanimes ad eum, petentes misericordiam, & nullus eum postmodnm in amaritudinem deduxit.

CAPUT SECUNDUM.

Pugna inter Ravennates, & Græcum Ministraticum cum prodigio. Dies SS. Johannis, & Pauli ob id festus. Johannis mors.

E TEmporibus Johannis venit iterum *Ministrategus* (11) Ravennæ, ut eam depopularet, putans se, ut antea, evadere. Quo co-

(1) *Quintus*. Bacch.
(2) *regentis*. Mur.
(3) *cucurrerunt*. Mur.
(4) *factus*. Mur.
(5) *Ista videtur fuisse civitas Classis*. Bacch.
(6) idest *Portæ*. Bacch.
(7) *tigni*. Mur.
(8) *sanctæ*. Mur.
(9) *Palaream*. Mur.
(10) *se*. Mur.
(11) *Ministraticus*. Mur.

cognito Ravenniani egressi sunt ad eum more præliandi in campum Coriandri. Qui simulatâ fugâ terga dantes, cùm pervenissent ad stadium Tabulæ, ubi pro signo terminus lapideus fixus est, reversi ad Græcorum frontem cœperunt fortiter dimicare, & non erat requies undique cædentium, gladio strages maximas Græcorum peremptas. Sacerdotes verò unà cum Pontifice, & Senioribus prostrati humo, cilicium induti, asperso in capitibus eorum cinere, Omnipotentem Deum deprecabantur. Seniores verò saccis sunt cooperti, inculti capitibus, & squallidi, lacrymosis oculis, in Cœlum clamabant. Similiter & omnes, qui infra urbem relicti sunt masculi, & fœminæ Omnipotentis auxilium expectabant. Reliqui verò accincti ferro, sumptis juvenilibus armis cædebant hostes sinè intermissione. Tunc, sicut à Narrantibus audivimus, apparuit inter utrosque exercitus quasi effigies magni tauri, & cœpit contra Græcorum exercitum pedibus pulverem spargere, & vox mox insonuit (unde venisset, aut cujus fuisset, nullus agnovit) in auribus omnium increpuit, dicens; eja Ravenniani fortiter pugnate; victoria vestra erit hodie. Videntes *autem* (1) Pelasgi cornu suum esse contractum cœperunt fugere, infra Dromonibus putantes se liberare. Tunc Melisenses, idest Ravenniani cives circumdederunt eos cum cymbis, & carabis, & irruentes super Byzantios, omnes interfecerunt, & corpora eorum in Eridanum præcipitaverunt; & sic fuit, ut per annos VI. ex *Patheremo* (2) nullus inde unquam piscem comederet. Hoc autem factum est in die Sanctorum Johannis, & Pauli, & cœperunt agere diem istum quasi diem festum Paschæ, ornantes plateas civitatis cum diversis *palliis*, (3) & Letaniis ad eorum Ecclesiam gradientes, benedicentes Deum in secula seculorum. Amen. Mortuus, & sepultus est in Basilica B. Apollenaris. Epitaphium invenies super eum continens ita (4) .... sedit an. VIII. mens. .... dies...........

OBSERVATIONES

AD VITAM

JOHANNIS.

Johannes hic ejus nominis sextus. Cur quintus dictus sit? Peculiaria de capta per Liutprandi exercitum Ravenna. Classis diruta. Johannes exulat haud ob Iconoclastarum causam. Scriniariorum munus. Quæ ad Ravennatum victoriam narrantur incerti temporis. Flumen Pantheum, sive Pateremum quodnam?

I. *Johannis hujus liberalitatem commendantes publicas tabulas marmori incisas affert Rubeus, ex quibus dignoscitur, plura ab eo donata circa annum 731. Monachis ad S. Apollinaris in Classe degentibus. Dicitur autem is* Johannes almus Pontifex junior in nomine quinctus; *unde sibi certum putat laudatus Ravennatum rerum Scriptor, duos illos Mariniano suffectos Johannes, de quibus Agnellus, unum censeri debere.* Hinc illud est, *inquit*, quòd dicebamus Johannes illos duos Archiepiscopos, qui sibi nullo medio successere, scribente Agnello, & qui eum secuti sunt posterioribus, unum fuisse quartum hoc nomine; hunc verò quintum. *Argumentum Rubeo peremptorium visum, minimè tamen tale est. Eadem, quæ Agnello per ea tempora, quibus monumentum illud positum est, Ravennatum sententia erat, unum videlicet ejusdem Sedis Johannem, & Angeloptis cognomine decoratum, & qui Attilæ Italiam invadenti occurrit, ac Theodorico rerum potito convixerit. Ipsis proinde distinguebantur Johannes illi duo, qui Mariniano successere; aliàs hic non quintus, sed quartus fuisset. Ob hæc, & ob ea, quæ suo loco adnotavi, ab Agnelli sententia de duobus Episcopis ejusdem nominis minimè recedendum censui, cùm maximè viderem gratis à Rubeo, & sine testibus, Johannem alterum additum post Gratiosi Episcopi Sedem, & suspicaret id actum, quòd ex sequentium Pontificum Ravennatum serie, & eorum, qui Johannis nomine vocati sunt, numeris in publicis documentis additis, viderit Rubeus Johanne hocce quinti numero distincto, unum ad seriem continuandam necessarium defuisse. Hic itaque Johannes ejus nominis sextus est, licèt quintus dictus sit, septimus qui Gratiosum præcessit, octavus, qui post Deusdedit Georgii successorem sedit.*

II. *Captam ab Liutprandi Exercitu Ravennam prioribus Johannis hujus Episcopi annis certum est, rem tamen Recentiores tradentes inter se discrepant. Noster id peculiare narrat civis cujusdam proditione rem actam, qui, cùm civium ad Portam Vicus Salutaris concursus esset, cui inprimis ex composito hostis imminebat, alteram Portam ad Vicum Leprosum tradidit indefensam, unde Langobardi irrupere. Dubitavit notarum marginalium Auctor, an hæc intelligi deberent de civitate Classis, quæ per eam occasionem subversa sit; ob id fortassis, quòd Porta Vicus Leprosi ad Classensem urbem ingressum præberet; ipse certò vid o Ravennam à Langobardo Liutprandi milite captam, licèt potuerit Classis primùm occupari, cui plurimum damni illatum sit. Agnello proinde scribente Classem in ruinis ferè jacuisse, argumento est, quòd is Classem nominans adjecta* dudum *voce, innuat suo tempore vix extasse. Classem tamen à Faroaldo Spoletanorum Duce occupatam, antequam à Liutprandi milite Ravenna caperetur, scribunt alii, qua de re nil habet Noster.*

III. *Ravennâ captâ, neque ejus, qui patriam prodiderat narratis, ad Johannem Episcopum apud Venetos exulantem, qui Epiphanii Scriniarii operâ restitutus est, transit. Id Ravennæ à Langobardis occupatæ occasione factum conjicio.* Exilii causam, *inquit Rubeus*, non adhibent: existimatur tamen à plerisque Paulum id Exarchum fecisse, cùm Archiepiscopus hæresi Iconoclastarum non assentiret. *Cum Agnello narrata aliud ferant, non credo. Epiphanius, ope Exarchi revocato Pontifice, qui civium odio, & calumniis in exilium pulsus fuerat, calumniarum Auctores in jus vocatos ad palinodiam benè multatos canendam adegit, quod fieri non potuisset, si Johannes ob id Paulo ejiciente exulasset, quòd hæresim Iconoclastarum suo dissensu improbasset. Probabilius mihi est, Paulo ipso apud Venetos degente, postquam Ravennâ à Langobardis captâ aufugerat, apud novos Dominos Johannem calumniis impetitum, & in suspicionem vocatum, urbe pulsum; qui rebus compositis, receptâque Venetorum, & Romani Pontificis operâ, Ravennâ, ab Exarcho facilè in suam Sedem sit restitutus.*

IV. *Epiphanium hunc de Johanne bene meritum,*

(1) *vero*. Mur.
(2) *Pathereno*. Mur.
(3) *paulus*. Mur.

(4) Hic deest Epitaphium, quod non inveni in Originali. *Bacch.*

tum, qui eundem in suam Sedem revocandum curavit, quique in judicio cum Episcopi calumniatoribus stetit laicum ex eo cognosco, quòd Præsuli suggesserit in calumniarum se actorem agere velle, dum Pontifex Pontificis mores teneret, *ab accusandis videlicet civibus abstineret, Scriniarius itaque is Exarchi erat, non Episcopi, multò minus Quæstor, ut aliis visum est. Scrinia erant, ubi publica Reipublicæ documenta certo ordine reposita servabantur: quique documentis illis describendis, disponendis, reponendisque operam dabant, Scriniarii dicebantur. In Ecclesia tamen Ravennati Scriniarium fuisse, sicut & Ecclesia Romana Scriniarios habebat, constat ex Anastasio in Stephano IV.*, qui Scriniarium Ecclesiæ Ravennatis *laudat. Scriniariorum hujusmodi officium fuisse inter cætera literas, quas Pontifex mittebat, conscribere, tum ex Pontificum monumentis constat, tum ex Nicolai I. epistola 27., in qua Pontifex dicit, se more solito literas scribere non fecisse, quia* ob Festa Paschalia, Scriniarios suos, eo quòd debitis vacabant occupationibus, habere, ut debuisset, non valuerat. *Eodem munere functos Ecclesiæ Ravennatis Scriniarios verisimile est.*

V. Admodum difficile est decernere, quo tempore Ravennam tentaverit Ministrategus ille, ut Agnello vocatur, quo devicto Ravennates victoriæ anniversariam recurrentem diem festivis honoribus celebraverint. Græcum illum, & Byzantino milite stipatum apertè narrat Agnellus, eundemque antea, sub Felice nempe Episcopo, in urbis necem venisse, cladeque per fraudes illatâ, evasisse. At qui fieri potuit, ut, Exarcho Imperatoris nomine Ravennæ degente, Ravennates in Classis Ducem exurgerent, eique venienti armati occurrerent, & eo devicto, victoriæ memoriam quotannis agerent? Novi, Johanne hocce sedente, Ravennatum animos in diversa studia scissos, immo Paulum Exarchum ejusque filios neci per tumultum traditos, cùm Constantinopolitanus Imperator ob Iconoclastarum hæresim in Pontificem, & in Catholicos fureret. Ea occasione mitti cum Classe potuit ille idem, qui Ravennæ sub Felice Episcopo excidium penè intulerat, quem oppresserint Ravennates. Rebus tamen, dissidiisque compositis, Eutychio Ravennæ degente, victoriæ ejus singulis annis memoriam summâ pompâ celebrari potuisse absque ejusdem Exarchi indignatione, vix est credibile. Fluvius, qui hic non longè à Padi hostiis fluxisse indicatur, primùm quidem Pantheon corruptè, secundò Pateremus dicitur. Fossam fuisse censeo ex vicino Padusæ stagno fluentem, quæ piscosa Ravennatibus, uti Padusa ipsa, de qua Virgilius.

Piscosove amne Padusæ.

Ecclesiam Petrianam post celebrata Missarum solennia die Dominico terræmotu repentè concidisse traditur ante cætera hujus Johannis vitæ. Conjecturæ id loco sit prioribus hujus Episcopi annis Ravennatibus cladem hanc evenisse.

MONITUM

Ad sequentem

SERGII VITAM.

Rumoribus Schismaticorum conspurcatam sequentem Sergii vitam agnosce Lector. Agnellum etiam habes, qui vindictæ stimulis actus indigna de Romano Pontifice narrat. Fidem proinde nullam in his meretur Auctor, qui & in historiæ veritate fœdè labitur, ut suis locis notatum est. Vide infra in Observationibus.

VITA SERGII.

CAPUT PRIMUM.

Sergius ex Laico, & uxorato Episcopus. Ejus uxor Euphemia Diaconissa effecta est. Clerus Episcopo infensus. Episcopus novos Sacerdotes creat, & Diaconos. Compositis rebus, hi diverso habitu, & in inferiori ordine ministrant.

DE SANCTO SERGIO XL.

Sergius XL. Juvenis ætate, brevis corpore, ridens facie, decorus formâ, glaucis oculis, nobilissimis ortus natalibus. Iste laicus fuit, & sponsam habuit, quam, postquam regimen Ecclesiæ suscepit, eam Euphimiam sponsam suam Diaconissam consecravit, & in eodem habitu permansit. Quin in tempore istius zelum Sacerdotibus, & *verum non* (1) habentibus, non unitis animo scissa est multitudo, & postquam Romæ consecratus est, spreverunt eum Sacerdotes, & separaverunt se ab eo Ministri, & nullus erat, qui cum eo ad Sanctam accederet Aram. Hæc autem civitas vexabatur à Langobardis, & Veneticis. Non possumus per tanta discurrere, quia olescit; tamen compendii *proferimus causa*. (2) Pontifex verò misit ad Diaconos, & ad reliquos Ministros Ecclesiæ, ut se omnes in gremium conglobarent Ecclesiæ; at illi in ipso perdurantes doloris stimulo renuerunt. Tunc excogitato consilio, consecravit Presbyteros, & Diaconos. Illi verò duri corde hæc audientes venerunt, & die Dominico cum eo ad solemnia Missarum processerunt: novellæ verò oves, quæ se putaverant sublimiter stare, à veteribus Sacerdotibus repulsi sunt, & verecundati oppilaverunt ora. Tunc Pontifex blandè, & leniter priores refovens Sacerdotes, blanda circa eos eloquia fundens, quousque ab ira eos in mansuetudinem revocavit. Tunc inter se multa volventes post fœdus pacis statuerunt de novella consecratione, ut Diacones relictâ Dalmaticâ superhumerale imponerent more Græcorum, & circa Altare assisterent; & ex illo die cœperunt Levitæ multiplicare, nam Canones prohibent Apostolica auctoritate muniente.

CA-

(1) *virginum*. Mur.

(2) *proferamus causam*. Mur.

CAPUT SECUNDUM.

Zachariæ Pontificis, qui Pipinum Regem unxerat, adventus Ravennam. Missam celebrat, & Endothim donat. Aistulphus, & Romæ, & Ravennæ dona offert. Petrianam Ecclesiam restaurat. Alia de eodem.

EO namque tempore Zacharias Papa Romanus egressus de Roma, oras attigit Franciæ postulans tutamina, atque præsidia ad expellendos Langobardos à Romanorum finibus, quia Aistulphus Rex Italiam duriter opprimebat. Sed, ejecto à Solio Francorum altero Rege, Pipinus Sceptrum regni accepit, & Papæ manibus benedictus est, (1) chrismate sacro perunctus est, Romamque reversus est. Et antequam reverteretur Romam, in Ecclesia Beati Apollenaris Missam celebravit, & Endothim ex blatta alithena cum margaritis mirificè ornatam obtulit, & suum nomen ibidem exaratum est. At ut vidit Aistulphus Rex, quia undique super se ingravata essent mala, dexterâ Italis petit, quia tempus eum non adjuvabat, & ivit ad limina B. Petri Principis, & obtulit dona, & exenia multa; deinde Ravennam reversus Chlamidem ex auro pictam, qua erat indutus, super sanctum Altarium Ursianæ Ecclesiæ posuit. Ecclesiam Petrianam, quæ funditùs eversa est per terræmotum, spontè ædificare voluit, & pyramides per gyrum erexit, columnas statuit, quæ manent usque nunc, sed non consummavit. De prædicto Rege, (2) nomine Aistulphus (3) vocatus est. Eloquar, an sileam? Tamen narrabo. Quinque in una hora, in uno partu, ex uno ventre parvulos sua peperit mater. Quod cùm nunciatum Regi fuisset, & innotuisset admiranda res, novo inito consilio, jussit eos ante se deferri in unum maximum calathum; & videns eos, noluit eos projicere in sterquilinium. Horrebat esse pater, qui fuerat genitor. Præcepit deferri regalem contum, dicens suis; quicumque ex eis manu contum adstrinxerit, hic vivat. Statim ut in medio contus positus est, inter cæteros fratres iste contum tenuit extento brachio. Tunc vocavit eum Pater Aistulphus. Revertamur ad superiora eloquia.

CAPUT TERTIUM.

Sergius à Romano Pontifice, uti contra Canones ordinatus, judicio sistitur. Novus Pontifex Sergium suæ Sedi restituit. Hic D. Nicolao gratias agit.

VIr autem iste Sergius Præsul, cùm *Paulus* (4) Papa Romanus *iter per Franciam* (5) pergeret, non ei obvius fuit, & indignatus Papa, de valle, quæ dicitur *Calle Collata*, quæ rustico more Galliata dicitur, cum ira magna *eum exuit*. (6) Lustrato Langobardorum regno, calcatâ præexcelsâ muniâ, Jovis montis pertransiit jugum; deinde Franciæ arripuit iter, & quidquid ad Pipinum postulavit Regem, obtinuit: deinde reversus, Sergium Archiepiscopum vexare cœpit. Ille autem fiduciam habens in Rege, ut (7) adminiculum ei præberet, & fefellit illum; & deductus est Romam à suis civibus, atque fraude deceptus. Et congregatis Episcopis jubente Papa, voluerunt eum honore privare, & de gradu Pontificali projicere. Apostolicus talem contra eum proferebat sententiam; Neophitus es; non ex ovili fuisti, nec secundùm Canones in Ravennensi Ecclesia militasti, sed subitò invasisti Cathedram, quasi latro, & Sacerdotes tuos, qui digni de his Ecclesiæ perfrui, repulisti, & per secularium favorem, potenter tamen, Sedem obtinuisti. Ad hæc Ravennæ Pontifex ajebat, & non mea præsumptione, sed elegerunt me Clerus, & plebs universa. Interrogasti per ordinem Canonico more, & de me omnia vobis patefacta sunt, quomodo laicus fui, & sponsam habui, & ad Clericatum perveni, & cognitum vobis factum est, & dixistis, nullum obstaculum mihi esse potest. Postquam talia de me sensisti, cur me consecrasti? Diversas autem sententias inter se Episcopi ferebant, & infra unumquodque cubiculum cordis magna quatiebatur tempestas. Dicebant enim omnes; quomodo possumus, cùm simus discipuli, Magistrum judicare? Hæc audiens Papa in furore versus asseruit se die crastino manibus suis Orarium à collo ejus velleret. Tunc Sergius Antistes Ravennensis nocte eadem cum lacrymis projecit se ad Altarium B. Nicolai, & se totum in magnis lamentis dedit. Prostrato corpore tandiu lacrymas fudit, quòd locum ubi mœrebat valde roravit, & rivulos produxit. Judicio Dei nocte illa mortuus est *Paulus* (8) Papa repentè raptus est subitò quievit, & tenuerunt eum sui occultè usque manè. Insurgente verò aurora diei, antequam ex eo radius Solis splendesceret, & terram phœbeo perlustraret radio, venit ad eum *Stephanus* (9) urbis Romæ Diaconus, germanus prædicti Papæ in ipsa custodia, ubi Sergius Pontifex erat. Ait ad eum; quid mihi daturus es, si reversus fueris cum pace ad domum tuam, & omni honore, & dignitate ampliatus? His auditis Præsul, quasi de laqueo ereptus, & egressus, ait; non parva tibi statuo dare munera, nisi quod audis, facio. Veni tu ipse Ravennam, & ingredere infra (10) Episcopium in ea Ecclesia, & scrutare diligenter omnes Gazas ipsius domus, aurum, argentum, vascula, nummos; omnia sint tibi data, & quantum vis pro benedictione dimittere, dimitte. Super hæc verba juraverunt sibi mutuò. In ipsa verò die electus est prædictus Germanus defuncti Papæ in solio Apostolatus, & statim solvit omnes captivos, & omnibus noxiis veniam concessit. Tunc jussit venire Sergium Ravennensem Pontificem cum omni honore, & gloria, & cùm vidisset eum, sublevavit se de sella, ubi sedebat, & eum prostratum humo, & vultu submisso, elatis manibus sublevavit, & irruit super collum ejus obsculans eum, & jussit deferri sedem illius juxta sedem suam, & locuti sunt inter se pacifica, & dulcia verba, & permisit eum redire ad Sedem suam cum gaudio magno, & alacritate. Post tertium annum Ravennam ingressus est, quem suscipientibus *cum* (11) suis modica gratula-

(1) *atque*. Mur.
(2) *qui*. Mur.
(3) *Rex*. Mur.
(4) *Stephanus*. Bacch.
(5) *Franciae iter per Tusciam*. Mur.
(6) *exivit*. Mur.
(7) *Rex*. Mur.
(8) *Stephanus*. Bacch.
(9) *Paulus*. Bacch.
(10) Cautè lege, & notas consule. *Bacch.*
(11) *eum*. Mur.

tulatio fuit, & modica quies. Ivit Sergius Pontifex ad Monasterium B. Virginis Mariæ, quæ vocatur Cosmedim. Post Missam celebratam prostravit se ante Altarium B. Nicolai orans diutissimè, & lacrymas fundens, quæ apparent usque in præsentem diem.

CAPUT QUARTUM.

Pontifex Ravennam venit. Clerus in eum infanda machinatur. Uviliaris Diaconi sanius consilium. Plura Pontifex asportat. Sergius uti Exarchus regioni imminet. In Pontificem rei Romam abducti. Alia ad Sergium spectantia. Aliqua desunt. Omnia cautè legenda.

EO namque tempore exiens *Stephanus* (1) Papa Romanus Româ, Franciæ arripuit iter, properans hinc Ravennam, infra Episcopium ejus applicitus est. Scientes autem, & videntes Sacerdotes, quòd ipse scrutaretur Gazas, atque omnes opes Ecclesiæ deglutire deberet, erant inter eos incommoda verba. Alii dicebant, suffocemus eum; alii, non: serventur Ecclesiæ fortunæ. Erant dispares voces in vulgo. Tunc Leo Diaconus, & ipsius Domini Vicedominus Sacerdotibus dixit; cùm cœperit depopulare omnia (2) quasi aliquid ad ostendendum ei, & præcipitemus eum, ut demersus in profundum aquæ nunquam compareat. Hoc erat inter eos consilium, & verba incommoda, *ut* (3) commoda agebantur, *ut* (4) conclusa; alii cùm quasi facta fuissent, remotionem criminis meditabantur. Audiens hoc Uviliaris Archidiaconus istius Sedis Ravennæ de Monasterio S. Bartholomæi, qui illo tempore ibidem sistebat Abba, ubi Deo favente, post ipsum quartus ego sum modò, ad Episcopium Ecclesiæ cum summa velocitate occurrit, & vidit omnes Sacerdotes in talibus machinamentis sermocinationum sistere, & diversa inter se consilia volvere, agnoscens suum in contraria cœptum, complosis manibus contra eos vocem misit; O quanta insania fratres, si ista meditati estis! dirimere Pontificem? Non æqua consilia in pectoribus vestris gestatis. Adquiescite mihi, ut Papa honorificè hinc abscedat, manusq; vestras servate innoxias, & sacramentum Præsulis nostri servemus illæsum. Cùm incumbere cœperit atra nox, & Romanorum cùm fuerint corpora ex dapibus, & lucidissimo lyæo plena, prima quies, quasi

A sepulti jacent; cuncta atrii lychnia extinguantur, ne illis flammæ candelarum nocte solatia præstent, & quod possumus occultè abdicare, omnia *impustellentur*, (5) ignorante Pontifice nostro. Apertis locis divitiarum, quas Papa Romanus invenerit, tollat. Placuitque omnibus hoc consilium, & decreverunt, quia hæc Uviliaris melior est, quàm cæterorum sententia prolata mente (6) ingressi Sacerdotes infra singula loca Gazarum, absconderunt quantum valuerunt. Intempestivo verò noctis venit prædictus Papa *Stephanus*. (7) Allatæ sunt ante eum omnes claves à Vestiariis Ecclesiæ, & reserata sunt ei omnia ostia. Abstulit reliquias, quas non potuerunt sic citiùs occultare, ex auro (8) balantias novem, vascula argentea plurima, & coclearia argentea tractoria, quaternaria una, & diversas alias aureas, & argenteas species, & sic in Franciam perrexit, *una* (9) verò cum Cloaribus Romam transmisit. Tunc cognitum Ravennensibus civibus, postquam Papa egressus est, depopulationem Ecclesiæ, voluerunt prosequi Plaustrum, quod argentum *vegebat*, (10) sed timidi, vehiculatores in Ariminum delati sunt, & Ravennenses ad suam reversi sunt civitatem. Igitur judicavit iste à finibus Perticæ totam Pentapolim, & usque ad Tusciam, & usque ad mensam Uvalani, veluti Exarchus, sic omnia disponebat, ut soliti sunt modò Romani facere. Reversus C verò Papa *Stephanus* (11) ex Francia Romam, inito antea cum Archiepiscopo consilio per nimia blandimenta, & pacificas epistolas ad aliquantos Nobiles Ravennenses Judices misit *orantes*, (12) ut Romam pergerent illi, qui in necem Pontificis consenserant. Inter quos etiam avus patris mei fuit, & tandiu Romæ sunt coarctati, quousque omnes ibi mortui sunt. Et post hæc conjunxit fœdus Pontifex cum Veneticis, ut ne deterius quid ei contingeret, & postmodum eveniret, quia fefellit eum Langobardorum Rex, & ultra non fuit credulus illi, & distributâ pecuniâ *juventibus* (13) VII. balantias per nobilissimos viros aurum expendit. Ædificavit iste Cellam B. Apollenaris de D parte virorum, ubi & Monachos statuit, & reliquit ibidem multas possessiones............ (14)

OB-

(1) *Paulus*. Bacch.
(2) *vocemus eum occulte*. Mur.
(3) *&*. Mur.
(4) *&*. Mur.
(5) *in cryptis celentur*. Mur.
(6). *Et*. Mur.
(7) *Paulus*. Bacch.
(8) *plenas*. Mur.
(9) *unam*. Mur.
(10) *vehebat*. Mur.
(11) *Paulus*. Bacch.
(12) *hortantes*. Mur.
(13) fortè *juvantibus*. Bacch.

(14) Hæc in margine adnotantur.

De Sergio Archiepiscopo taliter invenio de ejus morte.

His vero peractis contigit post aliquantum tempus de hac vita migrasset Beatus Stephanus Papa Sergium Archiepiscopum Ravennatem, & continuo surgens Michelius Scriniarius ipsius Ecclesiæ, qui nullo Sacerdotali fungebatur honore, profectus Ariminum ad Mauritium Ducem Ariminensem, & congregans ipse nefandissimus Mauritius exercitum una cum praesidio Regis Langobardorum properavit: & ingressus Ravennam, & brachio forti elegit Michelium praedictum, & in Episcopio Ravennatis Ecclesiæ introduxit, & Leonem Archidiaconum, qui electus erat in Episcopio, Ariminum deportans, ibique in arcta custodia idem Mauritius detineri fecit. Sicque praedictus Leo in Monasterio S. Aghatae deductus ibidem per triduum ob dolorem oculorum suorum effoditionem vitam E *finivit. Sergius vero in Monasterio Clivo Scauri deportatus est, & postmodum in Lateranis deductus illic usque ad transitum praedicti Pontificis extitit. Quia prima noctis hora veniens Calventinus Cubicularius cum Russione Presbytero, & Leonatio Tribuno habitatoribus Civitatis Anagninae, ipse eumdem Sergium abstulit vivente Domno Stephano Papa ante octo dies, quam de hac luce migrasset, & praefatis Campaninis illum tradidit ex praecepto sibi facto a Paulo Cubiculario cognominato Africa, alias Arsiaca, & Gregorio defensore Regionario, & Johanne Duce germano Domni Stephani Papae, atque Calvillo Cubiculario sibi hoc fuisse praeceptum; & illis praeceptum fuisse praenominatum Sergium ad tollendum, ac interficiendum. Protinus direxit Campaninis videlicet Anagninis suos fidelissimos ministros, & interfecto sepelierunt dictum Sergium cum fune gutturi ejus constricto, atque ictibus corpus ejus vulneratum. Et hoc sufficit de Sergio Archiepiscopo Ravennate.*

OBSERVATIONES
AD VITAM
SERGII.

De veritate narratorum in vita Sergii ad Romanos Pontifices spectantium. Novus Clerus à Sergio ordinatus. Superhumerale Diaconorum. Monasterium Sancti Hilari Galiatæ. Tempus, quo Sergius Romæ detentus est. Ditionis Ravennatis fines. Descriptoris hujus Codicis inepta supplementa.

I. HIc enim verò *Agnellus, quod vulgo apud Ravennates irreligiosè æquè, ac ineptè ferebatur, irreligiosiùs, & ineptiùs conscripsit. Acta diversorum, quæque alio, ac alio tempore evenere, commutatis personis, ac temporibus, eò contorserunt Ravennates, quo sanctissimos duos Romanos Pontifices Stephanum III., & Paulum I., quorum hic, & in Martyrologio Romano, & apud Petrum de Natalibus inter Divos numeratur ad 28. Junii, invidiosè traducerent. Scilicet nec Ravennas Clerus Schismaticum virus planè evomuerat, nec vulgus ferox dominatum Romani Pontificis patiens ferebat. Vera hìc nonnulla indicanda sunt brevissimè, ex quibus puto mendacia narrata conflata fuisse, & apud Ravennates invaluisse, quæ Agnellus libenter uti suâ, pro ea, qua laborabat rerum ignoratione, & erga Romanam majestatem aversione, descripsit. Primò igitur constat Stephanum III. difficillimis temporibus sedisse, cùm Aistulphus Langobardorum Rex dirè Romanam Ecclesiam vexabat, & Ravennnam cum Exarchatu occupabat. Constat etiam pium, strenuumque Pontificem in Gallias ad Pipinum ivisse, cujus ope Aistulphus coactus est Ravennam, ac Exarchatum reddere, quod actum Ind. IX., idest anno 756. Mortuo Ind. X., VI. Kal. Maji Stephano, post 32. dies ejus frater S. Paulus I. electus est Pontifex, cui Stephanus ejus nominis IV. post luctuosum Constantini Schisma successit anno 768. Porrò hoc Stephano sedente Ravennas etiam Ecclesia post Sergii Archiepiscopi mortem Schismate laboravit, intruso Michaëlio ejus Ecclesiæ Scriniario, Mauritii Ariminensis Ducis Langobardi potentiâ freto. Tentata est summi Pontificis constantia munerum copiosa promissione, ut Michaëlium consecraret; at frustra: ille enim sui officii memor intrusum repulit, & Leonem legitimum electum defendit. Hæc ferè ex Anastasio, cujus ea adnotari debent ad Ravennatis Ecclesiæ expilationem spectantia*; nullo modo *Michaëlius* intrusus Apostolicis admonitionibus acquiescere voluit, dansque plurima munera Desiderio Langobardorum Regi, & cymilla, & ornatus ipsius Ecclesiæ, cum aliis diversis speciebus, brachio forti per unius anni curriculum, & eo ampliùs ipsius Episcopium invasum detinuit, denudans, atque in magnam paupertatem redigens. *His observatis materias habemus, quibus perperam collocatis, Agnellianæ narrationis portentum compactum est. Cùm hæc Ravennatis Ecclesiæ spoliatio Stephano IV. Romano Pontifice sedente facta sit, Stephano est tributa, & quod Michaëlius intrusus Desiderio dedit, & Stephano refutanti obtulerat, Stephano datum à Sergio confinxere. Id autem ea occasione factum comminisci placuit, qua, cùm Sergius idem dicere causam debuisset, quòd ex Laico ad Archiepiscopatum transierat, quod quidem sub Stephano III. evènit, ab ejus successore Sancto Paulo est absolutus. Verùm cùm Pauli nomen repugnaret, & sub Pontifice Romano Stephano Ravennas Ecclesia à Michaëlio expilata sit, commutata sunt tempora, & nomina, diversaque virorum, & rerum phantasmata in unum quasi insomnium conflata sunt. Nullam itaque fidem hìc meretur Agnellus, nec ulla inde nobis utilitas provenit, præter eam, qua agnoscimus, quibus opinionibus per ea tempora Clerus, & plebs Ravennatis Ecclesiæ laboraret, quod minimè Historiæ inutile censeri debet; juvat enim apprimè veritati dignoscendæ opiniones populorum, & sensa pro certis temporibus recta æquè, ac perversa perspecta habere; quam in rem plura afferri possent, si id argumenti præsentis esset, quod olim fortassis præstare operæ pretium erit. Certè utile admodum esset Historiam opinionum præjudicatarum pro regionum, ac temporum diversitate exarare; inde enim optimum subsidium haberemus, quo de plurimis, quibus in veterum lectione intelligendis torquemur, judicaremus. Unum hìc ad Paulum I. sanctissimum Pontificem spectans adnotare placet. Sanctitatem ejus, quæ publicis Ecclesiæ tabulis est consignata, in dubium revocare nefas. Qui tamen fortè apud quempiam eorum temporum Scriptorem legeret, quæ quomodolibet ejus famæ, officere viderentur, in transversum agi posset, ignorans Pontificem illum, licèt sanctissimum, in Romani tamen populi perversa opinione fuisse, cùm Constantinus in Romana Synodo sub Stephano IV. professus sit,* se vim à populo pertulisse, & per brachium populi fuisse electum, atque coactum, in Lateranense Patriarchium deductum, propter gravamina, & præjudicia illa, quæ Romano populo ingesserat Domnus Paulus Papa. *Scilicet S. Viri ex eo etiam capite in Divorum albo conscribi meruerunt, quòd apud suæ ætatis homines malè audierint, odioque habiti sint; & hæc agnoscere, certisque documentis perspicere, sanctitatis opinioni, quam apud posteros obtinuerunt, augendæ, stabiliendæque optimè prodest. Et hæc quidem animadvertere placuit, ut quæ Agnello hìc narrata sunt, si cui S. Paulum quomodolibet tangere videantur, Sanctissimi ejus Pontificis virtuti, & constantiæ adstruendæ inserviant, qui Sanctorum, & Christi etiam conditionem passus est, odio habitus à perversis, calumniisque vexatus.*

II. Recusantibus Presbyteris, & Diaconibus Ravennatis Ecclesiæ ob simultates, & dissidia, quæ unde nata fuerint ignoratur, cum Episcopo ad sacra Missarum solemnia ministrare, Sergius aliis pluribus, & inopinatò Ordinatis effecit, ut qui ex pervicaci dissidio ministrare renuerant, & invidiæ vitio, quo recèns Ordinatos excluderent, tanquam sibi jure debitum ministrandi officium expeterent. Turbæ ea conditione compositæ dicuntur, ut novi Diaconi relictâ Dalmaticâ superhumerale imponerent more Græcorum, & circa Altare assisterent. *Dalmaticis uti proprio habitu Diaconos Romanæ Ecclesiæ usos, aliàs autem nobiliorum Ecclesiarum, ex Romanæ concessione, observaverunt Eruditi. Ea itaque Ravennatum Diaconorum prærogativa ab his, qui antiquæ ordinationis jure se tuebantur, retenta est; recèns Ordinati Dalmaticis uti vetiti sunt, & Dalmaticæ loco superhumerale, quo more Græcorum uterentur, concessum. Superhumerale hoc loco, non quod solet, sed quod Græcis* ὠράριον *dicitur, intelligi debere existimo, fasciam videlicet longam à sinistro humero utrinque dependentem. At hac eadem supra Dalmaticam usos Latinæ Ecclesiæ Diaconos constat ex veteribus monumentis. In eo Græcorum, & Latinorum discrimen fuisse autumo, quòd Latini Orarium supra Dalmaticam contra, ac modò fit, Græci verò supra talarem, longamque tunicam*

cam deferrent, uti videre est in Tabula X. ex exhibitis Duchangio ante Glossarium Græcitatis. Diaconi itaque Ravennates recenter ordinati exutâ Dalmaticâ, Orarium immediatè supra Albam deferre debere statutum est. Ita multiplicati Diaconi, factique duplicis generis, quorum alii Dalmaticas deferebant, alii sine Dalmaticis procedebant. Id etiam cautum, ne Episcopo celebranti propiùs assisterent novi Diaconi, sed circa Altare longiùs starent, nec sacra, ut priores, attingerent. Agnellus, qui de his agens Orarium superhumeralis *nomine vocat, in hac eadem vita* superhumerale *Orarii vocabulo significat, ubi ait Papam* asseruisse se de crastino manibus suis Orarium à collo ejus evellere. *Pallium intelligit præcipuum Metropolitæ ornamentum.*

III. Quæ de Zacharia summo Pontifice Ravennam veniente scribuntur, loco non suo narravit Agnellus, cùm, ut in superioribus ostensum est, à Stephano III. Sergius sit ordinatus. Stephano eodem agente Aistulphus adactus est Ravennam, & Pentapolim dimittere. Hunc ad Limina Apostolorum cum muneribus, quæ obtulit, venisse, ait Noster. Id factum fuerit oportet, cum Stephano in Gallias Pipinum vocaturo abeunte, Langobardorum Rex sibi timere potuit. Ravennæ etiam ob id Petrianæ Ecclesiæ reparandæ manum admoverit. Quòd Stephani iram incurrerit Sergius, quia venienti Pontifici minimè obviam accesserit, quare à Galliis ille regressus, Monasterium Galiatense abstulerit, falsò tradit Agnellus; veram enim causam docemur à S. Paulo in Diplomate, quo Monasterium idem Sergio restituit; Contigit, *inquit*, eo, *Stephano scilicet*, revertente suum peragrari iter per Monasterium B. Hilari situm in Territorio Populiensi. Cessante Æmulorum sævitia gravissimè, atque cum maxima honoris humilitate susceptus est ab Anscauso quondam Populiensi Episcopo, & Abbate ipsius venerabilis Monasterii. *Hinc officiis hujusmodi permotus dicitur*, quòd vicissitudinem propensi beneficii eidem Anscauso Episcopo irrogans, prædictum Monasterium diebus vitæ suæ fruendum illi concessit. *Lubinus in Notitia Abbatiarum Italiæ Lit. G. ait in Codice Taxarum Cameræ Monasterium hoc modò S. Hilarii, modò S. Ellarii de Galeata vocari, constructumque à S. Hilaro ad fluvium Bedese, & prædiis locupletatum ab Olibrio, quem S. Hilarus sanaverat. Addit in illud introductos Monachos Camaldulenses anno 1488., & Monasterium in excelso monte situm, unde utrumque mare conspicitur. Itinere igitur admodum difficili usus est Pontifex, cùm ex Galliis Romam reversus est. Potuit igitur idem Pipino de suo itinere ea scribere verissima;* tradidimus enim corpus, & animam nostram in magnis laboribus, viam spatiosam, & longinquam provinciam valde sisi in vestra fide, per Dei nutum illuc profecti sumus afflicti nive, & frigore, æstu, & aquarum inundatione, atque validis fluminibus, ac atrocissimis montibus, seu diversis periculis. *Per Galiatæ fortassis montes tutiùs à Langobardis Pontifex in Tusciam transiit, quàm Æmiliâ, Flaminiaque procedens.*

IV. Tribus annis Romæ inter reos Sergius degit, qui moriente Stephano, Pauloque sedente, ad propria rediit. Stephanus obiit VI. Kal. Maji, & circa Junii initia Paulus est ordinatus anno 757. Per aliquot itaque menses Romæ moratus est post Pauli assumptionem, & anno 754. cadente, statim ac Stephanus à Galliis rediit, civium suorum fraude Romam deductus est. Furebat tum Aistulphus non modò ditionis occupatæ restitutionem, quam promiserat, denegans, sed comparato Exercitu Romæ imminens. A Rege itaque sibi contra Pontificem præsidium procurasse Sergium, & fortassis populi vota favore Regis captasse credo, ob quæ recepta Ravenna à Pontifice multari meruerit. Aistulphus mox Ravennam cum Pentapoli dimittere coactus est. Recenset Anastasius urbes, quas Fulradus Abbas Pipini nomine à Desiderio recepit, Divoque Petro obtulit Ravennam, Ariminum, Pisaurum, atque Fanum, Cæsenam, Senogallias, Esium, Forum Pompilii, Forum Livii, cum Castro Sussubio, Montem Feretrum, Acerragium, Montem Lucari, Serram, Castellum S. Marini, Bobium, Urbinum, Callium, Luceolum, Eugubium, Comaclum. *Civitatem Narniensem Duces Spoletani invaserant, quæ hac occasione cum superioribus ab Aistulpho dimissis est reddita. Sergius, Paulo sibi addictissimo sedente, latè, ut Agnellus inquit, dominatus est*, & judicavit à finibus Perticæ totam Pentapolim, & usque ad mensam Walani veluti Exarchus, sic omnia disponebat, ut soliti sunt modò Romani facere. *Id ab initio indulgente Romano Pontifice factum non dubito, & Pipino consensum præbente, quare sub Hadriano evènit, ut Leo, qui Sergio successit invito Pontifice, pluribus civitatibus dominari auserit, ex concessione, ut jactabat, Caroli Regis, ut ex pluribus epistolarum Hadriani argumentis manifestò apparet. Porrò fines ditionis totius Ravennatis, cui Sergius dominatus dicitur ita intelligo. Ab Oriente fines Pertiæ, quæ modò* Pergola *dicitur, ab Occidente* Mensa, *idest, Ditio ad Mensam, sive jus spectans Ravennatis Ecclesiæ*, Walani, *ubi nunc Portus, quem* Volanæ *dicunt, à meridie Tuscia, à septentrione mare. Hæc cum superiore Anastasii loco collata lucem accipiunt, redduntque.*

VITA

VITA LEONIS.

CAPUT UNICUM.

Carolum in Italiam allicit, & per Martinum iter ostendit. Desiderius capitur. Adelgisus fugit. Cætera desunt.

DE SANCTO LEONE XLI.

LEo XLI. iste ex isto fuit ovili, non multùm procerâ staturâ, nimis macilentus, sed fortis viribus. Hic primus Francis Italiæ iter ostendit per Martinum Diaconum suum, qui post eum quartus Ecclesiæ regimen tenuit, & ab eo Karolus Rex invitatus Italiam venit, Regnum Langobardorum depopulavit, & Rex eorum Desiderius socer suus in Franciam captivus portatus est. Adelgisus filius prædicti Regis unà cum Exercitu suo ante eum terga dedit, & in partes Chaonides fugit, & per aliquantos dies Salerni commoratus, exinde cùm Karolus Romam venisset, timidus cum suis aliquantis fidelibus Constantinopolim perrexit.................

OBSERVATIONES AD VITAM LEONIS.

Leo satis improbi ingenii vir deprehenditur. Quomodo primus iter ostenderit Francis in Italiam venientibus. Nullus inter Gratiosum, & Valerium Episcopus medius.

I. *Magnâ Historiæ Ecclesiasticæ jacturâ excidit hujus Episcopi vita; plura enim ejus tempore summi momenti accidisse, & quæ cognoscere operæ pretium fuisset, facilè conjicitur, ex his, quæ vix indicantur in Hadriani Summi Pontificis epistolis in superiori Chronologico Excursu relatis, & in Hadriani vita ab Anastasio descripta. Interim si qua fides Agnello præstanda esset, qui prorsùs nullam meretur, ingenii ejusdem Leonis improbi crudele specimen haberemus in superiori Sergii vita. Ipse enim Diaconi munere fungens, Clero Ravennati auctor fuisse dicitur perdendi Pontificem, & ex præcipiti loco in subjectum flumen dejiciendi. At falsa omnia judicare præstat. In Schismate Michaëlii, qui Langobardorum potentiâ fretus ex laico Sedem invaserat, electus fuit, inde dejecto pseudo-Episcopo ritè, & canonicè ordinatus est à Stephano IV., qui nullis vel minis, vel promissis ad Michaëlium ordinandum se adduci passus fuerat. Ita bonum pro malo redditum est ab Apostolica Sede: Leo verò ordinatus malum pro bono reddidit. Sub Hadriano Ditionem latè occupatam, & suas ad Gradensem Patriarcham apertas, lectasque epistolas, questus est apud Carolum Regem idem Pontifex. Pluribus ex aliis capitibus in Hadrianum peccasse Leonem, ex his tam certum fit, quàm quod certissimum, licèt pleraque ignorentur.*

II. *Ostendisse hunc Carolo in Italiam venienti iter per Martinum Diaconum suum, & Carolum ipsum contra Langobardos invitasse, tradit Noster. Quod ad iter ostensum pertinet, primus dicitur, qui illud docuerit, quæ de primo Francorum ingressu, quo illi Italiam petentes ibi deinceps dominati sunt, intelligenda esse, observaverunt, qui ex Agnello hæc descripsere. Ad Carolum, Desiderium, Adelgisum spectantia obvia sunt. Illud prodest Episcoporum Ravennatum seriei disponendæ, quòd Martinus sub Leone Diaconus, quique Episcopo jubente venienti Carolo iter monstravit, dicitur ab hoc quartus Ravennæ Episcopus sedisse. Post Leonem Johannes sedit, post Johannem Gratiosus, post Gratiosum Valerius, inde quarto loco Martinus. Nullus itaque Johannes inter Gratiosum, & Valerium admitti potest, quod placuit Rubeo. Agnellus certè, qui Martino sedente vivebat, nullum medium Pontificem cognovit, nullum ipse agnosco.*

V I T A
J O H A N N I S.

CAPUT PRIMUM.

Vita acephala. Diſſidiorum cum Epiſcopo quidpiam. Johannis Abbatis Ecſtaſis.

DE SANCTO JOHANNE XLII.

A JOhannes (1) XLII. Junior .... Hæc audita Pontifex aſpera verba immutavit faciem ſuam, & factum eſt cor ejus, ut fremitus Leonis; & ait ad Archidiaconum ſuum; ò quantam inſaniam in corpore vegetas! auxiliare ei, ſi potes. Tunc irâ contra iram inſurgente, veloti nebula in altum ſe erigens, aut tumidas undas elevatas in præexcelſo, & verberat litus, ſic Sacerdotum corda diverſa pulſabantur. Poſt hæc autem dixit Archidiaconus ad Archipresbyterum; vis ut eamus, & excutiamus eum foras? Et dixerunt ad reliquos Sacerdotes; eamus fratres, viſitemus fratrem noſtrum, tribulemur cum eo. Membrum noſtrum, & caro noſtra eſt, [B] ex uno ſumus ovili; unum patrem habemus, & incorruptam matrem, in uno fonte loti. Et ierunt omnes ad januam Cuthina, & ambo erecto poplite Archidiaconus (2) cum Archipresbytero, fregerunt januam ipſius excubiti calce percuſſi, & extraxerunt eum foras, & ierunt omnes in Eccleſia cum eo, & ſederunt in Sacrario, uſque dum nuncius deſurſum venit, rogans, ut omnes aſcenderent, ut mos eſt. Et iuvenerunt litigantem Pontificem, & magnis vocibus perſtrepentem, ſed non ſunt Sacerdotes ejus territi minis. Igitur quadam die dum prædictus Pontifex poſt Tribunal Eccleſiæ reſideret cum Sacerdotibus, & multi ex plebe, ſubitò Johannes Abba Monaſterii S. Donati, [C] qui vocatur in Monterione extra Portam S. Laurentii juxta Vandalariam non longè à Monaſterio S. Mariæ, quæ vocatur ad Blachernas, ubi Deo volente ego Abba exiſto, protinus in terram cecidit, & factus in Ecſtaſi eſt, & aſpectus ejus evanuere, & reverſus ad proprium ſenſum, interrogatus à circumſtantibus, quæ cauſa contigiſſet, ille erectus dixit eis, ſi dixero vobis, mors me conſumet. Tunc palàm omnibus eum Pontifex interrogavit; ejus quæ cauſa accidit tibi. Et ille reſpondens dixit; mortuus eſt Leopatus ſtatim, & vidi animam ejus in linteo lucidiſſimo ab Angelo in Cœlum deferri alacri vultu. Stupefacti omnes præſentes adſtantes mirabantur; & ut veritas probaretur, [D] ſtatim miſit unum ex Cubiculariis Pontifex, ut veritas probaretur, & invênit eum ipsâ horâ mortuum. Abba verò ille poſt octo obiit dies.

CAPUT SECUNDUM.

Injuſtæ maledictionis in inſontem jactæ funeſti effectus. Infelix Johannis obitus.

DE morte verò Pontificis vobis inſinuare feſtino. State, & videte divina, & juſta judicia Dei. Erat in hac civitate nobiliſſimi filius viri, qui poſt mortem patris tenebat poſſeſſionem Monaſterii S. Martini, qui (3) vocatur in Aqua longa, avunculus matris meæ. Quotidie Pontifex inſidiabatur, ut prædictum Monaſterium invadere poſſet, & quia vim ei inferre non poterat propter nobilitatem parentum, maledictione, & blaſphemia, linguæ eum gladio occîdit. Die verò Natalis S. Apollenaris, obtulit ei ipſe, quem maledicebat, puer, oblationem, quam renuit prædictus Pontifex, ſed maledixit eum, dicens; poſt maledictionem videam mortem tuam, & ſtatim moriar. Ibat ille repulſus, & ſcandalizatus plorans. Ille verò poſt expleta Miſſarum ſolemnia ivit ad viduatam marito matrem, & retulit ei omnia plorans, & ita denunciavit; quòd etiam Corpus Domini mihi tradere noluit. Factum eſt autem poſt hæc divina juſſione, ut Deus dedit infirmitate ſtomachi detritus, mortuus eſt in villa, quæ dicitur Aureliacus, longè ab urbe milliario XII. juxta Aquæductus prope Herculem. Turbata tota ejus domus, & poſtquam lavaverunt corpus ejus, poſuerunt ſuper plauſtrum, ibique tumulatus jacebat exanime. *Multis* (4) orbati impleti ſunt lacrymis. *Humo* (5) diurna mater jacebat, alii tundebant pectora, alii ora unguibus fœdabant, alii Salicum vimine intexebant crates, alii tondebant Salicum ramos, qui operiebant gloſochomum; alii luſtrabant deſuper virentes herbas, alii evellebant ebulos *fagineos*, (6) adhærebant ſaxos, velocius, ut diſcurrerent rotas, alii undique præcedebant diverſis Salicum virgis, alii ſtimulo boves exagitabant, nonnulli verò gramineos ſubſternebant corpori flores, Herculenſes antecedebant oneroſa animalia, Camarini, qui & Lecticarii virgis coſtas agitabant taurorum, & ibant cum naribus patulis per viam *Aquæductus* (7) juvenci, & pervenerunt uſque ad pontem Odionis. Tunc Andreas cognatus ipſius defuncti viri ſtare imperavit corpus, & puberes per in gyro figere gradus jubet; ornaveruntque diverſis palliis exanime corpus, & *lembum* (8) à barba uſque ad caput innodatus erat, quod illi ſua ex auro Baſilii miſerat mater. Tunc

(1) *Sextus*. Mur.
(2) *una*. Mur.
(3) *quae*. Mur.
(4) *Multi*. Mur.
(5) *Proſtrata humo*. Mur.
(6) *faginos*. Mur.
(7) *lacteaque cornua aquae ducti*. Mur.
(8) *loibum*. Mur.

exeuntes omnes de civitate à magno usque ad parvum, nobiles, & ignobiles, anus, & innuptæ puellæ, & erat maximus planctus, & luctus undique, & non solùm lugebant tumulatum corpus, sed orbatam de filio matrem. Tunc collo levatus virorum, perductus in Monasterio S. Euphemiæ in S. Calinico, ibi sepelierunt eum. Tunc ingressâ in civitatem turbâ plorante dederunt optabiles voces in aures Pontificis. Et interrogavit, quid hoc esset; & dixit ei nuncius, qui viderat; Deusdedit filius Petri Tribuni mortuus est. Iterum misit alium nuncium, ut certiùs sciret, & venit, dicens similiter, & dum sederet ad mensam post Tribunal Ecclesiæ super vivarium, elevatis sursum manibus respiciens ad vultum Salvatoris dixit; gratias tibi ago Domine Jesu Christe, & tibi B. Apollenaris, quia exaudisti me. Hunc diem semper desideravi. Et dixit Pincernæ suo; misce, quia, Deo gratias, exauditus sum. Tunc Pincerna accipiens ex Calicodimia (1) impleta mero porrexit Pontifici. Quem ille accipiens, ebibit usque ad dimidium poculum, & subitò in latere sinistro punctâ percussus celeriter calicem Ministro dedit, & jussit removere mensam, & gaudia dapium in tristitiam versa sunt, & dedit se in lectum; septimo die post excessum juvenis, mortuus est. Et jucundabatur mater orbata libero, sicut & ille gavisus de morte adolescentis fuerat. Ecce vindicta divina! Sepultus est in Basilica B. Apollenaris Confessoris. Epitaphium super Sepulcrum ejus invenietis exaratum. Sedit ann. VII. mens. I. dies III.

OBSERVATIONES
AD VITAM
JOHANNIS.

Dissidium inter Episcopum, & Clericos indicatum. Quæ de Johanne Rubeo narrentur. *Calicodimia* quid?

I. PRiora *hujus vitæ dissidium quoddam inter Clerum, & Episcopum indicant, quo quidam ex Clericis carceri traditus per Archidiaconum, & Archipresbyterum, vi portis illata, liberatus est. Quæ hic narrantur reliqua Rubeus lib. 5. pag. 229. breviter, & ut consuevit, eleganter complexus est. Johannis S. Donati Abbatis sanctitate laudata, de Leopati morte nil habet. Monasterium, cui Pontificalis hujus Libri Auctor Abbas præsedit, vocat S. Mariæ ad Blacharras, at in Codice, quo utor, constantissimè ubique ad Blachernas scribitur. Johannem Episcopum ex eo commendat, quòd Ursiani Templi maximam testudinem plumbeis laminis, quibus ejus rei memoria literis indita sit, contexuerit, & S. Apollinaris in Classe Aram maximam ex argento, atque auro, ac testudine pyramidis instar ornaverit, & coronas metallicas ingentes eidem Basilicæ donaverit. Ex Deodati affinibus laudat Agnellus Basilium patrem suum, & Andream avum, qui defuncti cognatus dicitur, cujus uxor Basilii mater, & ut reor, Deodati soror limbum, seu fasciam auream miserat, qua defuncti facies obligaretur, postremum amoris erga fratrem monumentum. Sepultus dicitur Deodatus non in Basilica, sed in Oratorio, quod de more Monasterium vocat Noster; Cæmeteriis enim hæc superstructa alibi demonstravimus.*

II. *Inter vocabula barbara, quibus utitur Noster, occurrit hic* Calicodimia, *& satis intelligitur locum fuisse, unde Pocillator calicem accepit, quem vino plenum Pontifici porrexit. Scriptum fuisse puto* Calicotheca. *At hæc tanti non sunt, ut diutiùs immoremur.*

VITA GRATIOSI.

CAPUT PRIMUM.

Carolus Rex Ravennæ. Cum Episcopo epulatur. Gratiosi simplicitas, ob quam laudatur à Carolo.

DE SANCTO GRATIOSO XLIII.

GRatiosus XLIII. (2) Iste humilis, & mansuetus, pulcher aspectu, modicè recalvatus, extenso in quantitate gutture, oculos grandes, decora forma, & dulcia eloquia. Ex Monasterio B. Apollenaris Abba fuit, quod est fundatum non longè ab Ecclesia Sanctæ Redemptricis Crucis ad Monetam veterem, unde Sanctissimus Reparatus fuit. (3) Istius temporibus apparuit signum terribile mortiferæ cladis, ut in cujus apparebat vestimentis, aut in quolibet indumento, vel cherumanica, sive calciamento tres guttas *venetas*, (4) in tertio die rapiebatur morte, & erant strata corpora humo, quæ vix vivi tradere sepulturæ valebant. Et venit in illis diebus Karolus Rex Francorum Ravennæ, & invitatus, ut ibidem epularet, gratanter venit. Dixerunt enim Sacerdotes suo Pontifici; Domine retine simplicitatem tuam, & cave, ne aliqua loquaris, quæ apta non sint. Quibus ille respondit. Non filii, non, sed oppilo os. Cùmque comederent, & biberent, cœpit Pontifex rogare Regem dicens; pappa Domine mi Rex, pappa: & admiratus est Rex, & interrogavit dicens; quis est hic sermo, quem vates loquitur, pappa, pappa?

(1) lege *calicotheca*. Bacch.

(2) *Fuit circa ann. DCCCX., qui in eodem tempore prophetavit*. Bacch.

(3) *Vere Gratiosus, quia gratia Dei perfusus istius Sedis Archidiaconus fuit*. Mur.

(4) fort. *venenatas*. Mur.

A pappa? Tunc de circumstantibus Sacerdotibus dixerunt ei; non attendat Dominus noster Rex, quòd aliqua injuria, aut illusionis sint verba, sed suasionis. Vir iste servus, & orator vester, magnæ simplicitatis est; sed sicut mater, quæ blandit filios suos, & præ nimio amore suadet, ut aliquid comedant, ita & iste magnâ clementiâ postulatus est vestram clementiam, ut comedatis, & jucundemini. Tunc Rex palàm omnibus imperat silentium, vocem erupit, dicens; *ecce verè Israëlita, in quo dolus non est*. Post hæc autem quidquid imperavit ab eo Præsul, obtinuit. Alium autem exponam horribilem, quod factum est in æthere signum. Tempore illo, quo Karolus Langobardiam accepit, visum est multis hominibus post Solis obitum
B in cœlo, *qui* (1) cum ascensoribus suis inter se invicem decertantes, & erat motus ubique.

CAPUT SECUNDUM.

Prophetia Auctoris, quæ Gratioso tribuitur. Gratiosi mors, & sepulcrum.

IGitur (2) carissimi non sitis segnes, sed state, & audite, quid Dominus per me erit locutus, ut sciatis, quæ ventura sunt. Ego Propheta non sum; sed ipse Spiritus, qui locutus est in Prophetis, potest similiter in nostra se effundere corda. Ipse Spiritus Sanctus
C per Johel clamat; *effundam de Spiritu meo super omnem carnem*; & ad Hieremiam ait; *ecce dedi verba mea in ore tuo*. Et Jacob Patriarcha dicit; *congregamini filii Jacob, audite Israël Patrem vestrum, unde annunciet vobis, quæ ventura sunt*. Et ipse Filius æterni Patris ait; *ego dabo vobis os, & sapientiam*. Quid mirum si ante Incarnationem Spiritus Sanctus Prophetarum corda replebat, ut prænunciarent ventura, & nunc postquam nostræ socius est carnis effectus, totam verbo suo largitus est gratiæ plenitudinem, dicente Evangelista; *nos omnes de plenitudine ejus accepimus*? Si ergo idem Spiritus per gentium, & infidelium os, sicut per tyrannum crudelem Nabuchodonosor Regem, & Gentilem Poëtam Virgilium, & per vatem Sy-
D billam locutus, & futura prædixit; quare ergo modò ipsa divina Majestas per Christianum hominem, & Sanguine redemptum, non loquatur? Si enim in fragili sexu, Annâ scilicet, & Sybillâ ipse habitavit Spiritus, ergo non dubii sitis Evangelica verba; dicentia; *Spiritus, ubi vult, spirat*. Sed ego vobis dico fratres mei, commilitones mei, Ravennenses cives, quia veniet tempus in eo, quale nullus ibidem commorantium memorare poterit. Et erit ex suis omnibus minorata donis, & à suis civibus maximè consummabitur; & erunt inter se bella, & diversas lites inter se invidentes, maligna cogitantes, ex ore pacifica verba loquentes, gladium in corde habentes.
E Caput omnium est in obsidione, & conculcabunt eam inimici sui; undique erit in ea vastitas, & insurgent contra hostes suos, *& territi vertentur*. (3) Et adsument spolia vicinarum civitatum, & conculcabunt Sanctorum Ecclesias, & Apostolorum deprædabuntur. Et venient ex occiduis partibus rasi barbas pro defensione ejus, sed ipsi maximè lædent. Eritque in tempore illo maxima fames, perditio multa. Eruntque circa marina litora pestilentiæ graves, pelagusque tumidas undas fortiter suos vorabit litus, & juvabit mare contra creaturam suam; quos tunc gratanter invenerit in æquora suos projciet pisces. Omne genus corrumpet semen suum. Etiam ipsum cœlum serenitatem obscurabit, & opportunitatis tempore rorem retinebit, & nubes suâ temperantiâ pluviam stringent, sed recollecta radia tenebrosam diem ostendent. Veniet prophetia illa, quæ scripta est; *occidit illis Sol in meridie*; quasi ex Sole justitiæ dixisset Christus, qui medio die crucem ascendit. Tamen, & spiritualiter, & carnaliter intelligitur. *Et Luna minuetur lumine*, idest doctrina Sancta mea Ecclesiæ per malos, & inscios Sacerdotes minuetur. Quia veniet tempus nequissimum in hac Ecclesia; antecedent juvenes senes, & doctrinam seniorum, & Sanctam derident Ecclesiam. Dicentes se sapientes esse, stulti erunt, & juxta Apostoli verba, *semper discentes, nunquam ad scientiam veritatis pervenientes*. Hi sunt idiotæ, & maximè pravi, & duri corde, qui talia agunt. Lac Ecclesiasticum nullo modo suggere valent. Hi non proprii sunt filii, sed privigni. Ravenna paulatim, paulatimque contrarietur. Non invenientur in ea viri quatuor unam voluntatem habentes, & tres in una si inventi fuerint domo, invicem se zelantes mordebunt; & erit in hominibus, & in creaturis sævum, & pessimum vulnus. Et terra non dabit fructum suum, & ipsa mater omnium, matertera efficietur. Et desiderabilia deficient poma, & omnia gaudia in mœrore vertentur. Et quod nunc est Romanorum Imperium desolabitur, & super Augustale solium Reges sedebunt. Et erunt Christiani censuales aliis Christianis, & unusquisque misericordiam contra proximum suum non habebit. Hoc erit initium signorum, cùm Sacerdotes elati, & cupidi esse cœperint, & honorem nullum antecedentibus repræsentabunt. Per malos Pontifices Ecclesia Ravennatis dehiscens, pro suo honore thesauros Ecclesiæ tribuent, & munera spargent, & postquam omnia consumpserint ornamenta Ecclesiæ, prædia tribuent. Et veniet tempus, ut ad Ecclesiæ mensam cum vasculis ligneis ministrent, & interficient Pastores oves suas, non adtondent. Quæ Dei sunt, sed seculum diligent plus. Et venient circa litora maris gentes ignotæ, dum & interficient Christianos, & prædabuntur regiones eorum, & qui residui fuerint, erunt eis tributarii. Et insurgent Christiani contra Christianos, & pessimè oppriment eos, & res illorum diripient, & corpora illorum affligent, & pro nimia debilitate blasphemabunt in cœlum. Universus contra se excitatur invicem mundus. Et Agarenorum gens ab oriente insurget, & prædabunt civitates in marinis litoribus sitas, & non erit qui eruat. Nam in cunctis regionibus terræ erunt inopes Reges, & diligentes munera, & opprimient populos sibi subjectos, & peribit Romanum Francorum Imperium, & sedebunt Reges super Augustale solium, & minuentur omnia, & præcellent servi Dominum suum, & his mugiet terra, & elementa dehiscent, & confidet unusquisque in gladio suo, & omnia terræ corda fremebunt, & deficient seniores, & juvenes exaltabuntur, & non recordabuntur antiqua præcepta, sed unusquisque in sua pravitatis ambulabit via, & commovebuntur ex cœlo astra, & percussio erit in creatura, & in pecoribus, & in jumentis, & gemebunt

(1) *qui*. Mur.
(2) *Vaticinat Gratiosus Archiepiscopus Ravennæ, non Auctor istius Operis*. Bacch.
(3) *& videntes eos territi reverterentur*. Mur.

mebunt multi nimiam penuriam sustinentes, multorumque deficient corpora propter penuriam famis, & vadent Nobiles Romani in aliena terra captivi. Propter suas divitias depopulabitur à suis Roma, & concremata in incendio erit. Et omnis terra sterilis, & fructus non erit in ea, & quicumque pacem, aut auctoritatem dilexerit, abominabilis erit. Justitia autem non memorabitur, & erunt perversa judicia, & munera excæcabunt oculos eorum, & suffocabunt pauperum causas, & super viduas jucundabuntur. Et erunt Monasteria disrupta, & Ecclesiæ exterminabuntur, & in tantùm exagitabit Diabolus in Sanctas Ecclesias, quas à fidelibus Christianis demolientur, & erit tenebrosa Domus Dei, & ministri auferent thura à Sancto Altario, & non ministrabunt, & vexabuntur Sacrificia multa, quia Sacerdotes non honorabuntur ab hominibus, sed cùm aliquem cupient admonere, deridentur ab eis. Sacrificium autem non Deo placabile erit, si perfectè hujus seculi cupiditas (1) non abjiciatur; si autem ira ab animo non ammoverit, munus immaculatum non erit. Et erit in diebus suprascriptis, nubent servi cum filiabus Domini sui, & ignobiles cum nobilibus, & procreabunt filios, & filias ex stupro, & erunt nascentibus Judices, & Duces, & subvertent terram. Et multi non ferentes opprobrium exibunt de civitatibus suis, & de locis suis, & commorabuntur in terra aliena, & erunt Ecclesiæ castra subversa, & Sacerdotes dispersi etiam, & Sanctimoniales oppressæ à singulis hominibus vitæ, & invitæ, alienæque partus suos necantes, ne ventris fructus, & testis, & proditor fiat. Hæc fratres de profundis pauca haurivi, quia à dolore capitis consumor; sed tamen juxta B. Job eloquia, *conceptum sermonem tenere quis possit?* State prudentissimi, & dimicate cum perniciosissimo hoste, ne caput doleat, ne oculi caligent, ne aures surdescant, ne os taceat, ne lingua fileat, ne animus à signo Crucis quiescat, ne brachia arescant, ne cor tumescat, ne fibræ pectoris animo extendantur, ne venter à cibo extendatur ne genua rigescant, non incurvata dorsa, non indeflexo poplite, nec pigro pede, sed totum stabile sit corpus. Estote, Deo volente, perfecti, sicut hic Beatissimus Gratiosus fuit omnibus diebus vitæ suæ. Obiit autem die XXIII. mensis Februarii, & sepultus est in Ecclesia B. Apollenaris Sacerdotis, & Martyris Christi in civitate Classis. Sedit autem ann. *III.* mens. .... (2) dies XI.

OBSERVATIONES

AD VITAM

GRATIOSI.

Monasterium S. Apollinaris in Veclo. Prodigia hic, indicata non spectant ad Gratiosi ætatem. Quæ Agnellus Gratiosi vitæ subjicit, perperam Gratioso tribuuntur.

QUæ ad vitam Reparati Episcopi narrantur de Monasterio S. Apollinaris, hinc lumen accipiunt, quandoquidem & hic ejusdem loci Abbas fuit. Dicitur autem situm non longè ab Ecclesia S. Crucis. Si S. Crucis Ecclesia ea fuerit, quæ à Placidia Augusta erecta & dedicata est, ea ad Fabri mentem est, quæ modò Parochialis ad jus nostrorum S. Vitalis Casinensium spectat. De hoc S. Apollinaris Monasterio agit idem Faber, testaturque eodem nomine vocatum in Bullis Alexandri III. & Urbani IV., sicuti & ab Agnello in vita Reparati vocatur, Monasterium, videlicet, S. Apollinaris, quod situm est prope Pusterulam Opilionis. Nunc Ecclesia Parochialis S. Apollinaris in Veclo *vocatur, recentiori denominatione, ut distinguatur à Basilica S. Martini in Cœlo aureo, postquam hæc* S. Apollinaris novi *vulgò dici cœpit. Pusterula itaque Opilionis, seu Ovilionis ad Ravennæ mœnia, regioni urbis nomen dedit, ubi, & S. Apollinaris, & S. Crucis Ecclesiæ fuerunt.*

II. Prodigia, quæ hic narrantur, & quorum alia dicuntur visa, cùm Carolus Langobardiam accepit, quasi per parergon dicta sunt, nec ad tempora Gratiosi pertinere mihi certum est, sed potiùs ad præcedentia Leonis. Non est itaque, ut hinc quis dubitet de statutis circa Pontificum horum chronologiam. Agnellus ipse satis ostendit, se alieni temporis res narrare, cùm ait; tempore, quo Karolus Langobardiam accepit; *tempora enim illa à Gratiosi temporibus distinguit.*

III. Mirum profectò ex inepta farragine vitæ Gratiosi ab Agnello subjuncta, ansam arripuisse Ravennates Gratiosum ipsum inter Prophetas numerandi. Porrò Auctor notarum id bis Lectori inculcat, & quotquot de Ravennatum rerum historia scripsere, id ipsum scripsere. At quis non videat hæc Agnello tribuenda, qui cùm pauca ex Pontificis alicujus gestis suppetebant, ne breviorem vitam scriberet, similia adjicere consuevit? Gratiosum satis descripsit Agnellus ipse, qui tamen nil de ejusdem prophetico spiritu dicit. Vates vocatur à Carolo, ubi interrogat; quis est hic sermo, quem vates loquitur? *At vates hic idem est, ac Præsul, senex, vel quid simile. Certè quæ hic Gratiosi vitæ adjiciuntur, sive Agnellum, sive Gratiosum Auctorem habeant, nil habent, quod prophetiæ charismata redoleat; immo potiùs ad Schismaticum, & seditiosum Agnelli animum referenda, qui indirectè, & quasi aliud agens, Romanæ Sedis temporale, & Ecclesiasticum Jus Ravennatibus exitiosum fore (falsus equidem Propheta) ominatur.*

Subsequentis Pontificis vita deest, cujus loco hæc habet Codicis Descriptor.

HIc, & Valerii Archiepiscopi Historia deberet esse, sed deest; & ista pauca de illo scripta hic, non sunt de dicto Agnello, sed inveni in aliis Chronicis, unde hic posui.

DE S. VALERIO XLIV.

Valerius XLIV. Quatuor Kal. Februarii in Classis Ecclesia celebratur Festum.

Rubeus lib. 5. pag. 235. ex variis ferè Agnelli locis S. Valerii vitam hoc modo supplet.

VAlerius nactus Pipinum Religioni Christianæ addictissimum, divinum cultum plurimùm instauravit, templaque ornavit, ut monumenta testantur in D. Apollinaris Classensis, præsertim ad gradus marmoreos Aræ maximæ, & Ara D. Eleocadio Archiepiscopo ad sinistram, juxta sacram Turrim, dicata, Petro

(1) *Sacerdos* fort. *a Sacerdotibus*. Mur.

(2) Supple X. Bacch.

Petro Sacerdote rem potissimùm juvante. Demoliendas etiam curavit Basilicas Divorum Georgii, & Eusebii, Arianorum ætate, uti scripsimus, exædificatas extra D. Victoris Portam. Ex iis autem omnibus eversis Templis, egregias Ædes, Agnello teste, extruxit, cognomento Valerianas. Ubi Archiepiscopus Valerius abacum ex argento, Platani specie, multaque alia argentea vasa cùm Ravennati Ecclesiæ dono dedisset, moritur, & in Classensi D. A Apollinaris Æde sepulturæ traditur Idibus Martii. *Idem Rubeus lib. 6. narrat anno 1222., die Maji nona, Simeone Archiepiscopo curante, D. Valerii ossa ex Æde Classensi, solenni indicta Episcoporum Populiensis, Cæsenatensis, & Ficoclensis supplicatione, Ursianam in Ædem translata fuisse. Cultus itaque antiquissimus hujus Episcopi ex allatis satis probatur, quamvis injuria temporum, ejusdem gestorum memoria exciderit.*

VITA MARTINI I.

CAPUT PRIMUM.

Martinì ætas cùm à Leone III. est ordinatus. Forma Corporis procera. Auctori Monasterium S. Mariæ ad Blachernas confert. S. Euphemiæ Ædem munit. Moriuntur Pipinus, & Carolus. Romani Pontificis expensis reparatur S. Apollinaris Classensis Basilica. Martinus ab eodem offenso Romam vocatur. Johannes Arelatensis Ravennæ muneribus donatur.

DE SANCTO MARTINO XLV.

Martinus XLV. Iste longâ staturâ, grande caput, calvumque, omni densitate corpore plenus, de Monasterio B. Andreæ, quod situm est non longè ab Ecclesia Gothorum, Archidiaconus hujus Sedis fuit, & penè annos LXXX. istius adeptus est Sedis, consecratus Romæ per manus Leonis III. Papæ. Qui cùm ex Roma reversus fuisset misit missos suos in Franciam ad Karolum Imperatorem, & jucundatus exinde Augustus est. Iste Monasterium S. Mariæ, quod vocatur ad Blachernas, ad Andream largivit Presbyterum, eratque adhuc puer, & accepit ab eo prædictus Pontifex solidos aureos CC. pro utilitate suæ Ecclesiæ, & fecit exinde Amulam auream adhibens plus aurum, in similitudinem coculæ marinæ, & est ad utilitatem Chrismæ, usque in præsentem diem. Igitur talis fuit in suo corpore, ut dixi, vastus, ut prædictos CC. aureos, quos ego ei in *gemella* (1) porrexi, in sola conclusit læva; & admirati sunt Proceres istius Melisensis (2) urbis, unà cum Sacerdotibus hæc videntibus. Munivit hic Antistes Ecclesiam B. Euphemiæ, quæ vocatur ad Arietem, quam olim aqua dominabatur. Mortuus est istius temporibus Pipinus Langobardorum Rex, & voluto tempore obiit Karolus Imperator die XXX. mensis Januarii, & suscepit Imperium Ludovicus filius ejus pro eo. Eo namque tempore Leo Romanæ Ecclesiæ, & urbis Antistes misit Cubicularium suum nomine Chrysaphum, & reliquos Cæmentarios, restauravit tecta B. Apollenaris. Omnia ex trabibus, & laquearibus abiegnis, & omnia illius Martyris tegumenta uno cum suo dispendio. Omnes suburbanæ civitates veniebant, omnia docaria, & subtegulata, & omnia ligna abiegna, & quæ necessaria erant, Ravennenses cives volventes in angaria cum finibus, & ingemas cætera. Cæmentariique ordinabant trabes super parietes, & perfecta sunt omnia; B solaque hypocaustos hic Pontifex *infringere* (3) præcepit. Non post multum tempus iratus Leo Papa *cum Martino Antistite*, (4) misit Legatum suum in Franciam ad Ludovicum Imperatorem, volens contra prædictum Martinum agere Pontificem. Tunc Ludovicus Imperator consensit voluntati ejus, & misit Johannem Arelatensem Episcopum, præcipiens illi, ut iret cum Martino Pontifice Romam, & ageret cum Leone Papa. Qui prædictus Johannes Arelatensis Sedis Antistes veniens Ravennam, & inito cum Archiepiscopo consilio, coëgit eum per fidejussorem, ut jam dictus Ravennensis sedulus Romam iret, & fidejusserunt eum viri per solidos aureos duo millia, excepta infirmitate corporis. C Post X. verò dies de sua egressus Sede ibat, ut properaret Romam, & veniens non longè à Ravenna quasi milliarios XV. ad Novas, ubi olim fuit civitas nunc dirupta, infra Ecclesiam B. Stephani per dies XV. ibi commoratus est. Et misit Legatum suum Romam, qui diceret, quia egressus de civitate venire voluit, & infirmavit. Ille autem equitare non valebat, quia minus erat corpus. Ex parte simulabat infirmitatem. Quo audito Romanus Pontifex tristatus est valde, quia eum ad se accersire non potuit, ut validè eum coartaret. Tunc finivit eum, & jussit reverti unà cum Legato Imperatoris ad propriam Sedem. Post hæc autem expleta legatione Arelatensis Sacerdos ingressus est Ravennam, D & suscepit eum Martinus Pontifex cum gaudio magno, & alacritate multa, & prè dapibus repleti Ravenna scedulus vascula argentea tota expleta mensa (5) in modum Platani, quam ex dimissione Valerii Archiepiscopi in suo Palatio erat, quam suis in temporibus fecit. & alapas Evangeliorum aureas parùm mechanicis factas operibus.

CA-

(1) *gomella*. Mur.
(2) *Melisenses, idest Ravennates*. Mur.
(3) *infigere*. Mur.
(4) *contra Martinum Antistitem*. Mur.
(5) *facta*. Mur.

CAPUT SECUNDUM.

Moritur Leo III. Stephanus succedit, qui Ravennæ Missas celebrat, ostendens Sandalia Salvatoris. Ludovicus Imperator offert Ecclesiæ Ravennati mensam argenteam. Cætera desunt.

EO tempore defunctus est Leo Papa, cujus Stephanus succedit in Sede. Et hic prædictus in Franciam Papa ad Ludovicum Imperatorem quidquid postulavit ab eo, obtinuit: & venit Ravennam, & obsculati sunt ambo Pontifices Romanus, & Ravennianus. Et celebravit Romanus Antistes Missas in Ecclesia Ursiana, & ostendit *Sandalia* (1) Salvatoris, quas omnis populus vidit. Et lætus *cum* (2) civitate egressus, ad propriam reversus est Sedem. Igitur istius Martini temporibus misit Ludovicus Imperator ex dimissione sui Genitoris Karoli ad Martinum Pontificem hujus Ravennatis Sedis mensam argenteam unam absque ligno, habentem infra se anaglipthè totam Romam, unà cum tetragonis argenteis pedibus, & diversa vascula argentea, seu, & cuppam auream unam, quæ cuppa hæc sita in cratere aureo sancto, quo quotidie utimur ....

DESCRIPTOR.

HIc multum deest de isto Martino. Et post istum sequitur Petronacius Archiepiscopus, sed deest, nec in Originali reperi. Sed ista pauca de illo Petronacio Archiepiscopo secuto hinc, non est de dicto Agnello, sed inveni in aliis Chronicis, unde hic posui.

OBSERVATIONES
AD VITAM
MARTINI.

Martini ætas, & acta nonnulla. Johannis Arelatensis tempora. Mensa argentea à Carolo Ravennati Ecclesiæ legata. Sandalia Salvatoris.

I. QUi *anno* 775. *Carolo in Italiam venienti annorum ferè* 44. *iter ostendit Martinus, in Episcopatu Ravennati circa annum* 811. *Valerio successit, cùm esset annorum* 80., *& utì Ferretus in Manuscriptis, Fabro referente, tradidit, ex ejusdem Valerii designatione. Gratam Carolo Imperatori Martini consecrationem scribit Agnellus: ob ea quæ sibi in Italiam venienti præstiterat Antistes, id sibi placere ostendisse Carolum, consentaneum est credere. Collatum inde Mona-*A *sterium S. Mariæ ad Blachernas Agnello nostro admodum tunc juveni percipimus, qua de re actum est in Observationibus ad versus operi præmissos. Vastitas Corporis Præsulis hujus ex eo designatur, quòd oblatos ducentum solidos aureos in læva concluserit. De S. Euphemiæ Ecclesia, quam Antistes hic reparaverit, plura Rubeus, & Faber, apud ipsos legenda. Illud ex Nostro discimus, antiquitus aquis circumfusis inædificatam, quæ Martini ævo in sicco erat, quòd jam tum ex aluvionibus excrescente solo mare distaret. Leone Summo Pontifice agente, expensasque sufficiente reparatam S. Apollinaris in Classe Basilicam, Anastasius etiam tradidit, quod referens Noster rem universam barbaro scriptionis genere involvit. Illud satis intelB ligimus, urbes Ravennæ subditas operas præstitisse Ædi reparandæ, ducendisque abietibus per angariam addictas.*

II. Quæ autem de Leone Romano Pontifice in Martinum subirato, qui per Legatum apud Ludovicum egerit, ut is Romam deduceretur multandus, & de cæteris subsecutis ad Martinum, & ad Johannem Arelatensem spectantibus, narrantur, omissa sunt à Rubeo, cæterisque Ravennatum rerum Scriptoribus. Hæc evenisse circa vitæ Leonis finem, cùm in eum atrox Romanorum conspiratio facta est, ex vitæ contextu apparet. Putaverim dimissum ad suam sedem Ravennatem Pontificem, cùm gliscere cœpit in Leonem conjuratio. Causam, ob quam Ravennas Archiepiscopus LeoC nis iram meruerit, ignoramus. Illud hìc ad Valerium Martini prædecessorem spectans, nactus est Rubeus, constructam mira arte mensam ad similitudinem Platani, quæ an Johanni donata sit, vel tantùm adhibita, cùm Antistes ille à Martino convivio exceptus est, vix ex corrupto hocce Agnelli loco, est intelligere. Porrò Martini ævo, & prioribus Ludovici imperantis annis Johannem in Arelatensis Ecclesiæ Cathedra sedisse hinc agnoscimus, cùm aliunde constet eundem Johannem, & Nebridium Narbonensem Archiepiscopum, ex Imperatoris Caroli adhuc superstitis jussu in Concilio Arelatensi anni 813. curasse, ut Patres, qui convenerant, rem, & disciplinam Ecclesiasticam restituerent, ejusdem enim Concilii Acta adhuc exD tant. Johanni Theodulphus successit in eorum temporum monumentis notissimus.

III. De mensa argentea Ravennati Ecclesiæ à Ludovico ex Caroli testamento oblata, plura Eghinardus, & ex eo Recentiores. Item iidem plura de Stephani Summi Pontificis itinere in Gallias. Inde idem Pontifex rediens Ravennam venit, & Missas in Ursiana Basilica celebrans, Salvatoris Sandalia populo ostendit. Quid hæc essent, non indicat Agnellus, nec de iis usquam aliàs meminit in toto Opere. Anastasius in Nicolao tradit Johannem Archiepiscopum Ravennatem, cùm ad bonam frugem rediisset, cautiones, & scripturas super vivificam Crucem Domini nostri Jesu Christi, atque Sandalia ejus *posuisse*.

(1) *Sandalios*. Mur.

(2) *de*. Mur.

VITÆ

VITÆ PETRONACII

Nonnulla à Descriptore collecta.

DE SANCTO PETRONACIO XLVI.

PEtronacius XLVI., qui juravit honorem Karolo Imperatori. Hujus tempore Andreas, qui & Agnellus, Abba S. Mariæ ad Blachernas, & S. Bartholomæi hunc Codicem Pontificalem composuit, ut patet supra in principio hujus Libri in versu, quod incipit; *In Patris & Nati*. Item, & istius tempore repertum est Corpus Beatissimi Maximiani Archiepiscopi Ravennatis, ut *hic* (1) supra in Capitulo, *Maximianus*, & iste Agnellus Andreas Ravennatis Ecclesiæ fuit Presbyter Cardinalis.

OBSERVATIONES
AD SUPERIORA
DE PETRONACIO.

Non potuit is honorem Carolo jurare. Agnellus Petronacio sedente Librum ex parte scripsit. Cardinalis Presbyteri appellatio in Ravennati Ecclesia Agnello recentior. Paralipomena quædam.

I. J*Am supra in Excursu chronologico observatum est non potuisse Petronacium Carolo Imperatori fidelitatem, sive honorem jurare, cum pluribus annis post Caroli mortem is sederit. Vel itaq; id omnino falsum est, vel pro Carolo Ludovicus scribi debebat. At cætera satis ostendunt Descriptorem admodum in Historia ineptum, cuique proinde fidere haud tutum. De tempore etiam scripti hujus ab Agnello Libri, quæ traduntur, ex parte* A *te tantùm vera sunt, uti observavimus ad versus, quos hic citat. Idem Agnellum Presbyterum Cardinalem nuncupat pro sui potiùs, quàm Agnelli more, nam Agnelli ætate Ravennæ ita notari solitos Presbyteros ejus Ecclesiæ principes, seu in Cardine, ut vocabant, positos, ex Agnello ipso minimè constat. Ipse se, cùm Petronacius Maximiani Corpus transferre aggressus est inter Presbyteros decimo loco fuisse ait, se, quoties per occasionem licet, & Presbyterum, & Abbatem apellat, nunquam verò Cardinalem. In Ecclesia itaque Ravennati id Agnello recentiùs existimo. Rubeus contendit à Magno Gregorio in Diplomate, quod exhibet lib. 4. pag. 189., Mariniano dato, appellationem hujusmodi adhibitam; at præterquamquod nullibi in eo Cardinalium Ravennatum* B *mentio expressa habetur, Diploma vel spurium, vel certè nil ad Gregorium Magnum, vel ad Marinianum spectans, facilè ex plurimis demonstrari posset, inter quæ illud palmare, quòd à Gregorio confirmentur Privilegia Ravennati Ecclesiæ à Langobardorum Regibus concessa. Per ea enim tempora Langobardos Reges Ravennatibus Episcopis Privilegia concessisse omni probabilitate caret.*

II. Quæ ad Petronacium spectant, Descriptori ineptissimo omissa sunt, anno 819. à Paschali Summo Pontifice confirmata Archiepiscopo huic, Ecclesiæque Ravennati Privilegia, à Prædecessoribus concessa, per Diploma ex Archivo Ursiano Rubeo relatum. lib. 5. pag. 236., & quod ex Rubeo exscripsit Ughellus, Eugenio autem ejus nominis secundo sedente Petronacium primo post Romanum C *Pontificem loco subscripsisse in Concilio Romano sexaginta trium Episcoporum anni 826.*

VITA GEORGII.

CAPUT PRIMUM.

Gregorius IV. Georgium consecrat. Gazas Ecclesiæ is expilat. Papiæ Lotharii filiam è Sacro Fonte levat. Prodigia. Ludovici Pii mors. Bella inter ejusdem filios.

DE SANCTO GEORGIO XLVII.

GEorgius XLVII. Iste juvenis ætate, capillo crispo capitis, grandes oculos. Ab Gregorio IV. *Romæ* (2) consecratus fuit; sed postquam Sacramentum à Corpore B. Petri præbuit, egressus Româ, statim contrarius Ordinatori suo extitit. Hic postquam accepit regimen, omnes Gazas Ecclesiæ confregit, & cryptas disrupit, & thesauros præ- D decessorum Pontificum extraxit, & ut filiam Lotharii de Fonte levaret, magnas opes exinde expendit. Eo anno ivit Papiam, & post omnia exenia Augustali tributa, emit ex palatio ejusdem Imperatoris vestimenta baptismalia quingentos aureos, ex auro ornata byssina alba, & suscepit filiam prædicti Augusti, nomine Rotrudam, quam mihi porrexit, & manibus meis vestivi, & calciamenta in pedibus decoravi auro,

(1) *habes*. Mur.

(2) *Papa Romano*. Mur.

ro, & hyacintho ornata, & postmodum Missas ad Augustum celebravit. Pariter Ermengarda Augusta stipata puellis, induta clara veste, aureo circumdata limbo, conligata crines vittis hyacinthinis, gemmis *proso*..... (1) velata facies, stolata, sarduisque Smaragdus auro...., & ante introitum Missarum fatebat se exardescere siti, & bibit occultè plenam phialam vini peregrini, & post hæc *cœlestem* (2) participavit *mensam* (3) infra palatium ejusdem civitatis in Monasterio S. Michaëlis. Igitur tempore illo die VII. mensis Madii Dedicatio Basilicæ S. Michaëlis, hic Ravennæ pluit sanguinem, Indictione II. VIII. ejusdem mensis in vigilia noctis apparuit in cœlo signum mirabile discurrentium inter se stellas ab Oriente in Occidentem; & iterum alia ab Oriente in Occidentem velocissimum cum Luna XX. Item die quinta mensis Madii Indict. III. factus est meridie Sol tenebrosus nimis per universum mundum, usque ad horam nonam. Et apparuit in cœlo Stella ardens tanquam facula superans virtutem Solis, & aliqua modica sub ipsius, quasi passus duos, ibant ab Oriente in Occidentem, & post virtutem radii Solis iterum candor earum in ipsis erat Stellis. Mortuusque est Ludovicus Imperator, ut ajunt quidam, ipsa die. Et successit Lotharius filius ejus post eum. Et antequam hic moreretur Augustus, divisit Imperium suum inter Reges filios suos. Lotharius Augustus maxima pars; Pipinus Aquitaniæ regnum; Ludovicus Bajoariæ. Hi Ermengardæ filii. Ad Carolum verò plus fertilem, & opimam largivit partem, & Giselam filiam suam tradidit marito Curado nomine. Piissimus homo. Hunc, & hanc Judith Augusta parturit. Mortuo autem Ludovico semper bellum inter germanos fuit, eratque pax, sed instabilis.

CAPUT SECUNDUM.

Georgius obtinet, se cum Legatis à Pontifice pro pace in Gallias mitti. Pompa, & prodigalitas, qua perrexit. Prælium Fontanis. Capitur Georgius, & probris afficitur. Pro eo Caroli uxor intercedit. Revertens in Sacerdotes suos crudelis. Moritur.

His itaque gestis sensit Georgius Archiepiscopus, quòd Legati Sedis Apostolicæ Franciam ire deberent, ad impetrandam inter fratres pacem; misit missos suos ad Lotharium Augustum, ut peteret ad Gregorium Papam, quatenus ipse cum Legatis Romanis Franciam pergeret. Factumque est ita; & ivit cum maledictione Apostolica. Et putans se ipse Georgius vicem Apostolicam tenere, ivit cum equis CCC., qui diversa portabant onera, & sumpsit secum aurum multum, & argentum, depopulatâ Gazâ Ecclesiæ, & coronas aureas, quas B. Petrus Antistes fecit, & calices, & patenas aureas. & diversa vascula argentea, & aurea, & gemmas de Cruce, & coronis, quas demolivit, secum detulit, ut ad omnes larga manu largiretur. Cogitansque quòd per eam posset subvertere Imperatoris corda, ut exiret de sub potestate Romani Pontificis, & Privilegia, quæ

(1) *prosobsi*. Mur.
(2) *coelesti*. Mur.
(3) *Mensae*. Mur.
(4) *Fontaneum*. Mur.
(5) *lateri erat, qui possit auxilium praebere*. Mur.
(6) *omnes*. Mur.

A Maurus, & cæteri Pontifices Ravenniani meruerunt à sacris Principibus, omnia deportabat. Et pervênit cum Legatis Romanis usque ad Imperatorem, & invenerunt eum in Campo prælii in loco, qui dicitur *Fontaneam*, (4) contra Carolum dimicantem. Tantaque plenitudo exercitus Lotharii erat, ut ajunt, ut nulla quadrupedia, aut minuta volatilia evadere, vel transvolare potuissent. Igitur inito certamine die Sabbato post externo die S. Johannis Baptistæ diversa inter se miscebant lucida tela. Sonant arma, humeris ventilantur splendida scuta, tremebant milites animo, & terga dabant, pavida corda, & gemitus immensos, cadebant corpora ferro. Lotharius armatus se se
B medios mersit in hostes, videns victos suos fugientes passim undique, nec erat quies. Secantur gladiis membra. In medio inimicorum, ut dixi, arma deventus, non ejus *latere, qui possent auxilium erant præbere*, (5) sed solus acer multa demolivit cadavera. Hastâ bella solus vicit, sed sui (6) terga dederunt. Crinito sedens sonipede pictas ornatus phaleras, rostro, calce equum percutit, inimicos morsibus vastans. Qualis in hoste solus decem sicut ille fuissent, Imperium divisum non esset, nec tantos in sedilia Reges. Interea versa est victoria in manus Caroli. Adjuvabat eum Ludovicus frater suus Bajoariorum Rex. Sed postquam venit Pipinus filius Pipini Lotharii nepos Rex Aquitaniæ,
C confortatus exercitus Lotharii, iterum commissum est *prælium*, (7) & aliquanti ex parte Caroli ceciderunt, quia erant vagi per loca; qui colligentes se inito certamine, ex parte Lotharii, & Pipini ceciderunt ampliùs, quàm XL. millia hominum. Captus est ibi Georgius Archiepiscopus, deposueruntque eum de equo invitè, & abstulerunt Pluviale, quo erat coopertus, & compellebant eum ire hostes sui ante equum suum, quasi unum ex pecudibus; & cùm non valebat gressu pedum incedere, percutiebant eum lanceâ, hastâ. Tunc unus ex illis posuit eum per subsannationem in jumentum dorso disruptum, sine stramento, aures, & cauda abscissa, valdeque deformis, & ibat mœrens.
D Iterumque alius venit, deposuit eum exinde, & sedere fecit illum super alium jumentum stratâ vitâ; & flascones, & *sitarium* (8) ad sellam ligatum, & perduxerunt eum ad Carolum Regem, & jussit eum excubias detinere per tres dies. Sacerdotes verò ejus omnes dispersi sunt, & opes Ecclesiæ distractæ sunt per manus prædantium. Legati verò Romani Episcopi, qui fuerunt tres, fugâ arreptâ, iverunt in civitatem *Antisiodorum*. (9) Tunc Carolus misericordiâ motus jussit, ut ubi inventi fuerint Sacerdotes Ecclesiæ Ravennensis, vel Clerici, illæsi, (10) incolumes, honorificèque ante eum allati fuissent. Judith verò Caroli mater dedit eisdem Sacerdotibus *tribilium* (11) argenteum modi-
E cum unum, asserens se non plus habere, dicens; tollite hunc ferculum, refocillate penuriam vestram. Carolus verò, & Ludovicus germani ex uno patre nati audientes de malignitate Georgii, eo quòd sævus, & pessimus esset, voluerunt eum in irrevocabile exilium mittere, sed diu, quamvis malus fuisset, pro eo sui Sacerdotes deprecantes cùm vidit Augusta Caroli

 ma-

(7) *bellum*. Mur.
(8) *sitarcium*. Mur.
(9) *Autisiodorum*. Mur.
(10) *&*. Mur.
(11) *trililion*. Mur.

mater ad misericordiam adcomodans nimium, citò postulavit filium, & privignum suum, ut ad suam Georgium remitterent Sedem. Tunc jussit eum Carolus ante se venire, prostratus humo ejus pedibus se advolvens. Stans autem Rex indutus juvenilibus armis, indutus purpureâ, succinctusque aureâ fibulâ, veste; ex sinistro latere obriziaca pendentia bullâ connexa smaragdus, & hyacinthinis fulgens gemmis, clypeo tectus humero, loricâ indutus, hastam tenens manibus, & juncta lancea ferro; stans acer in armis, *cristatum* (1) in agmine caput, emissam palàm omnibus erumpens de pectore vocem: Oh tu Pastor, si *justè* (2) istud permanet nomen, cur reliquisti Ecclesiam tibi commissam, & plebem *tuam* (3) afflixisti, non recuperasti? Si pro longinquo itinere, ut videres prælium, venisti, quid (4) necesse fuit tuam depopulare Ecclesiam, & quod à Christianis Principibus, vel Imperatoribus illatum fuit, & à tuis prædecessoribus adquisitum, unâ omisisti horâ? Etiam si centum vivas annos, non recuperabis. Tunc Georgius vates gemens, audiens imperium tale, *devexit* (5) transversa lumina in terram, & statim obmutuit amens, & stabat aporiatus præ confusione, nec valebat respondere purpurato Regi, submissoque in terra vultu, ajebat cum largissimis fletibus: Nos pacem postulare venimus, non contra vos arma parare. Ad hæc superjunxit Carolus dicens; ut video inreverens, & infrunitus es. Dic modò fronte duelli; nonne externa cùm esses die, in tua dicebas tentoria, quia cùm victus fuerit Carolus, & innodatus loris brachia, post exutas palmas, ego eum clericabo, & ad meam deportabo Parrochiam? Quare propria dicta negabis? Ecce duo mala, una inexpedibilia, quia dixisti, altera propter metus hominis inhonoras Deum, & provocas Deum viventem in cœlo, qui te ex nostris liberavit manibus. Cùm venerit, secundùm tua propria reddet tibi. Ecce, sicut mea præcepit genitrix, solvam. Revertere ad propriam Sedem. Tunc jussu Regum allatæ sunt Sanctorum Reliquiæ, & sanctum Lignum Crucis Domini, sanctaque Evangelia, & ejectis omnibus foris, introducti sunt postea viri non multo maturi corpore, & præbuit sacramentum Georgius Ravennæ Sedis Episcopus juxta quod sibi fuerat imperatum, & statim dimisit eum. Et ubicumque de rebus Ecclesiæ apud eum inventæ sunt, statim reddere jussit. Evangelia verò habentia alapas aureas unus ex Clericis in superiori sinu habens, dolorem simulans, pronus super eum recubans per quinque dies, noctesque, hæc liberavit. Privilegia antiqua, cum quibus se fidebat ex potestate Romani Papæ subtrahere, in loto projecta sunt, & ab hastis *lanceâ* (6) comminuta. Corona verò aurea de Ecclesia Beatorum Martyrum Johannis, & Pauli ibidem capta fuit habens pretiosissimas gemmas, similiter & canistrum aureum, & calices gemmis infixis, & multæ species ibi sublatæ sunt. Sacerdotes verò, & alii populares, qui non sunt inventi in manu Caroli, nimia ab hostibus afflictione, omnia perdiderunt; tantùm in linea veste dimissi sunt, & qui antea ascensores erant, (7) postea pedestres effecti sunt, & veluti peregrini, omnes eleemosynas

A petebant per vias. Horâ verò eâdem cùm serò incepisset, suis promittens fortiter coram inopibus Sacerdotibus in conspectu divino omnia emendare, & resciрiscere à malis, quæ antea perpetravit. Et cùm aliquantos solidos ab his, qui fugâ lapsi sunt, inventi fuissent, & se cibo, potuque refocillasset, reversus à mala conscientia, postquam Jovis montem obtectum nube istis partibus calcatas vias remeantes mentitus est omnia, quæ dixit, & non recordatus jusjurandum, quod Domino pollicitus est. Sacerdotes verò adnihilati, & fame confecti dixerunt ei; mutua nobis aliquantam pecuniam, unde vivamus. Ibimus Ravennam, duplum exige. Qui noluit adquiescere petitioni eorum, sed ampliùs in crudelitate sua permansit. Istiusque
B temporibus (8) crepitavit panis in furno cujusdam Judicis, & inventi sunt omnes panes lutum, & omnes oblatas nigras sicut fuliginem. Similiter in furno ipsius Episcopi. Multique proceres mutuaverunt ad vicinos panes, & facta est lamentatio in civitate ista. Sed hæc fratres, quid aliud in hoc ostenditur, nisi tenebrosa Sacerdotis opera, ut manifestaretur qualis ille fuisset, & quale sacrificium offerre deberet? *Adprobant* (9) hoc, quamvis de sua malitia oves suæ dicere contra Pastorem suum non ausissent, oblationes, quas discerpere segniùs solebat, ipsæ contra eum clamabant, & à se suum repellebant Sacrificatorem. Miranda talia sunt signa, & lacrymanda fratres mei,
C quando creatura in variam per nostra facinora mutatur figuram. Cùm enim non convertimur, ut emendemus, nec Sanctam adquiescimus nobis protestantem Scripturam, neque Evangelico præcepto, per creaturam nobis cominatur, ut resciрiscere debeamus. Interea infirmavit pessima infirmitate, & dicunt quidam, quòd malè tradidisset animam suam, quod *nobis* (10) necesse dicere non est; quia meliùs est maligni facta præterire, quàm laus justi tacere. Mortuus est die XX. mensis Januarii, & nunc est sepultus, sicut mos est, à suis Sacerdotibus, sed cùm deducebatur..........

D *Explicit Pontificalis Ecclesiæ Ravennatis, edito ab Andrea dicto Agnello Abbas Ecclesiæ S. Mariæ ad Blachernas, continens vitam, & fines istis Sanctissimis Præsulibus. Amen.*

OBSERVATIONES

AD VITAM

GEORGII.

Rubeo multa de Georgio dicta haud vera. Lotharii filia Rotrudis; non Geltrudi vocata. Irmingardis ejus mater. Prodigia ad chronologiam perpensa. Illud de pane, & oblatis, quid singulare probet.

E I. PLura falsa veris miscet Rubeus in hujus Pontificis vita, quæ Faber exscripsit. *Missum à Gregorio IV. Georgium Legatum in Gallias pro pace inter Ludovici filios procurandâ scribit Rubeus; Agnellus permissum potiùs ire cum Legatis ab invito Pontifice, quòd ille apud Lotharium agens eam sibi provinciam procurasset. Is* Rubeo

(1) *cristatus*. Mur.
(2) *in te*. Mur.
(3) *quam*. Mur.
(4) *tibi*. Mur.
(5) *deflexit*. Mur.

(6) *lanceae*. Mur.
(7) *equorum*. Mur.
(8) *die Dominico*. Mur.
(9) *Adprobat*. Mur.
(10) *nihil*. Mur.

Rubeo scribitur à prælio ad Fontanas fugâ elapsus, inde saniori consilio pacem felici exitu procurasse, & cum Ludovico Lotharii filio in Italiam veniens in suam Sedem Ravennatibus licèt repugnantibus restitutus; Agnellus, qui, quod viderat, memoriæ mandavit, Georgium tradit probris affectum, & intercedente Juditha Caroli Regis matre permissum ad sua redire. Agnello hic potiùs, quàm Rubeo credendum. De anno autem, quo memorabile Fontaniacum bellum evènit, nullum dubium esse potest, & anno 841. assignatur benè, quamvis Eghinardus anno 842. illud tradat; at dies Sabbati immediatè festum Sancti Johannis Baptistæ subsecuta priori anno convènit 841., quo currente Ciclo Solis X., Litera Dominicalis fuit B. Imminente prælio scribunt, Lotharium moras nectentem injectis pacis tractatibus, expectasse Pipini nepotis copias, quæ cùm venissent, pugnam cum fratribus commeruisse. Agnellus verò tradit prælium ante Pipini adventum consertum, & cùm malè Lothario res cessisset, denuo veniente Pipino renovatum. Hic etiam ex Lotharii, & Pipini militibus narrat plusquam quadraginta hominum millia occubuisse. Cæteri computatâ utriusque exercitus clade, centum hominum millia cecidisse ajunt.

II. Rubeus Lotharii Italiæ tum Regis filiam, quam Papiæ Georgius ex Sacro Baptismate suscepit, Geltrudem vocat; Noster Rotrudem Irmingardæ filiam. Irmingardem Lotharius à patre uxorem acceperat Hugonis Comitis filiam anno 821., uti Eghinardus, aliique tradunt, ex qua Lotharius non modò Rotrudem, sed filios Lotharium, Ludovicum, & Carolum suscepit. Rotrudem post annum 830. baptizatam, ex ratione temporum, quibus Georgius sedere cœpit, in proclivi est conjicere. Irmingardis Rotrudis mater obiit anno 850. ex Chronographo Saxone à doctissimo Leibnitio edito. Quod ad Solis Eclypsim pertinet, quam Noster factam ait die quinta Maji Ind. III., Eghinardo idem traditur, ubi id evenisse dicitur tertia die Litaniarum majorum. Tertia hujusmodi dies in quintam Maji incidit anno 840., Cyclo Solis IX., Litera Dominicali D. C., Cyclo autem Lunæ V., & Pascha celebratum est die 28. Martii. Eghinardus tamen malè hæc ad annum 841. refert. Cætera prodigia à pluribus eorum temporum Scriptoribus commemorantur. Illud peculiare pluisse sanguinem Ravennæ, Indict. II., anno videlicet 839., circa quem videtur collocari Baptisma Rotrudæ.

III. Aliud ingens, & Ravennæ visum prodigium narrat Noster, quod sanè observari meretur; Panes videlicet in furnis in lutum versos, & Oblatas fuligine tinctas, & id præcipuè in furnis Episcopi accidisse. Oblatarum nomine nullus inficiabitur ab Agnello intelligi Hostias, quas vocamus, pro Missæ Sacrificio paratas; easdem enim oblationum nomine vocat, easque quas discerpere, idest in sacra Lyturgia frangere sibi, & populo Pontifex debebat, contra Pontificem ipsum clamasse, & à se suum repulisse Sacrificatorem. In furno itaque Ravennæ coquebantur oblatæ. Duo hinc evinci posse crediderim. Primùm oblatas pro Sacrificio Missæ diversæ formæ fuisse, & differentis artificii à communi pane; Agnellus enim inter utrumque distinguit. Secundò oblatas easdem, licèt ex azymis confectas, ad placentarum modum crassiores extitisse nostris azymis, quæ ferreâ formâ non furno coquuntur. Ad hanc rem spectant, quæ habet Hincmarus Rhemensis in Capitulis ad Presbyteros suæ Diœcesis, anno 852. datis, ubi art. 7. statuit, ut de oblatis, quæ offeruntur à populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis, Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido, & convenienti, ut post Missarum solemnia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico, & in diebus festis exinde accipiant. Sic & quod legitur in Ritu Monasterii Athanacensis relato à Martene Nostro in Tractat. de Antiq. Eccl. Discip. &c. finitâ videlicet Missâ in Cœna Domini dandi pauperibus hostias non consecratas, sed benedictas in loco panis benedicti. Hæc in præsenti re Doctiores perpendant.

APPENDIX
AD AGNELLI
RAVENNATIS PONTIFICALE.

LECTORI MONITUM.

IN eodem Estensis Bibliothecæ Codice, ex quo Agnelli librum Pontificalem descripsi, legebatur addita infrascripta brevis omnium Ravennatum Episcoporum series per Anonymum usque ad Opizonem Sanvitalium deducta, & inde copiosiùs à Paulo Scordilla Ravennatis Ecclesiæ Præposito usque ad sua tempora continuata. Eam Agnello adjicere visum est, licèt ex parte admodum jejuna, quòd & illa Scriptoribus Ravennatibus usui fuerit, Pauli autem continuatio plura non contemnenda contineat. Suis præterea locis nonnulla ex manuscriptis interjicere visum est, quæ pleniori rerum, & Episcoporum Ravennatum historiæ lumen afferent. Eorum itaque omnium tenor est, qui sequitur.

INCIPIT CHRONICA.

Reverendi Patres, & Præsules Archiepiscopi Ecclesiæ Ravennatis (1) sub compendio missi. Usque ad MCCLXXXVI. fuit opus unius, & usque in præsentem diem opera alius.

INCIPIT FELICITER.

ISti sunt Reverendi Patres Domini Archipræsules Ravennates, qui fuerunt à tempore Apostolorum B. Petri Principis, & Apollinaris ejus discipuli, qui fuit primus hujus Sedis Archiepiscopus, usque in præsentem diem, quo præest Venerabilis Pater Dominus Opizo de Sancto Vitali de Parma, Dei, & Apostolicâ gratiâ Sanctæ prædictæ Sedis Archiepiscopus, quo tempore currebant anni Domini quinquagesimus primus, nunc autem MCCLXXXVI. Indictione nona, inter quos prædictos XII. hujus Ecclesiæ præfuerunt instar XII. Apostolorum per varia tempora, non humanâ electi industriâ, sed potiùs supernâ adsciti clementiâ, super quorum capita cœlitus emissa requievit columba.

DE SANCTO APOLLINARI

Archiepiscopo Primo.

APollinaris primus *Patriâ* (2) Antiochenus græcis, & latinis literis eruditus, Apostoli Petri, & ipsius Domini Discipulus. *Ab* (3) ipso Pontifex ordinatus, & Spiritum Sanctum recipiens, osculo ab eo recepto missus est Ravennam, & ab urbe Roma, quasi terdenis milliariis communiter cum eo ipso venit, ibique prædictus Sanctam Ecclesiam Ravennæ, & ipsam urbem Martyrio dedicavit. Vixit autem in Pontificale Solio annos XXVIII., mens. I., dies IV.

DE SANCTO ADERITO

Archiepiscopo II.

ADeritus secundus, Vir Sanctus, & timoratus à Beatissimo Apollinare est Presbyter ordinatus, & electione Columbæ in Archiepiscopum consecratus. Defunctus autem, & se-
A pultus est in civitate Classis V. Kal. Octobris.

DE SANCTO ELEUCADIO

Archiepiscopo III.

ELeucadius tertius à Beatissimo Apollinare Diaconus consecratus, & ipse tanquam Philosophus græcis, & latinis literis eruditus, multa volumina estruit. Defunctus, & sepultus XVI. Kal. Martii extra muros Classis, cujus doctrina floret officio Sancta Ravennensis Mater Ecclesia. Corpus istius hodie requiescit in civitate Papiensi.

B
DE SANCTO MARTIANO

Archiepiscopo IV.

MArtianus quartus à Beatissimo Apollinare Diaconus ordinatus, & simul cum prædicto (4) Eleucadio sepultus in prædicti Beati Eleucadii Ecclesia.

DE SANCTO CALOCERO

Archiepiscopo V.

C
CAlocerus V. per eum Dominus magna mirabilia fecit, ejusque prædicatio utilis, & magna fuit. Defunctus est, & sepultus in Basilica B. Probi Confessoris, III. Idus Februarii.

DE SANCTO PROCULO

Archiepiscopo VI.

PRoculus VI., qui suæ prædicationis dulcedine velut mellis esum populis tribuebat. Mortuus est autem, & sepultus in Basilica B. Probi, vel dicti Eleucadii, prima die Decembris.

D
DE SANCTO PROBO

Archiepiscopo VII.

PRobus VII., à quo quicunque languidus ad eum venire potuisset, suis orationibus sanus revertebatur. Sepultus in Ecclesia per eum

(1) *seriatim*. Mur.
(2) *Natione*. Mur.
(3) *atque ab*. Mur.
(4) *Sancto*. Mur.

eum condita infra civitatem Classensem, III. Idus Novembris.

DE SANCTO DATHO

Archiepiscopo VIII.

Dathus VIII. præcipuus animarum adquisitor, mortuus autem, & sepultus, ut dicunt quidam, in Ecclesia B. Probi.

DE SANCTO LIBERIO

Archiepiscopo IX.

Liberius IX. caritate plenus, fons irriguus, omnisque Philosophiæ tenuit principatum, sepultus, ut quidam dicunt, cum prædecessore suo.

DE SANCTO AGAPITO

Archiepiscopo X.

Agapitus X. munuscula præbens pauperibus, divino superveniente mandato, Sancta anima à carne soluta est, sepultus cum superiùs nominatis.

DE SANCTO MARCELLINO

Archiepiscopo XI.

Marcellinus XI. justus, & timoratus, cujus tanta corporis ordinamenta flagrarunt, ut pretiosissimæ myrrhæ incensum sepelientium nares sentirent. Sepultus est in Basilica Sancti Probi.

DE SANCTO SEVERO

Archiepiscopo XII.

Severus XII. vir miræ simplicitatis. Defunctus est sub die Kal. Februarii, & sepultus est in Ecclesia, quæ sita est in civitate dudum Classis, non longè à regione, quæ dicitur Salutaris. Omnes prædicti supra per Spiritum Sanctum electi fuerunt mirabiliter.

AD SEQUENTEM

SANCTI SEVERI VITAM

MONITIUNCULA.

Vitam adjicere hìc operæ pretium visum est, à Monacho circa B. Petri Damiani ætatem conscriptam, ex Lectionario antiquo Ravennati. Commodatum hoc habui, operá Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini Cavalli Ravennatis Ecclesiæ Archidiaconi, ab S. Andreæ illius urbis Sanctimonialibus. Folium in autographo deerat, facilè tamen historica omnia eruuntur ex allegoricis, & moralibus, quæ vitæ Auctor pro seculi genio adjecit.

A

INCIPIT

VITA SANCTI SEVERI

ARCHIEPISCOPI RAVENNÆ.

Quotiescumque virorum gesta fortium, eorumque laudabiles provectus in Ecclesiis recitantur, qui desiderio cœlestium flagrantes præmiorum infirmioribus proximis planiorem viam fidei reliquerunt, ob id proculdubio actitari creditur, quatenus ille divini amoris ardor, qui quotidie abundante iniquitate, etiam in Sanctis viris flatu quodam sinistro agen-
B te torpescere solet, iterum quasi gravissimo hausto flamine reaccendatur. Unde Ecclesia in Canticis; *surge*, inquit, *Aquilo*, *& veni Auster*. Hinc est, quod nos penè idiotæ, atque inertes pretiosissimi lilii Christi Beati Severi Archipræsulis vitam, ordinationem, nec non & obitum sacratissimum qualicunque stylo palificare gestientes, simpliciter ea, quæ de tanto viro ad nostræ parvitatis notitiam pervolare potuerunt, auribus fidelium intimare proposuimus, plùs prospicientes illorum ædificationi, & saluti, quàm curiosorum pompaticæ urbanitati. Qui enim juxta Salomonem sophisticè loquitur, Deo per omnia odibilis invenitur, quia & semetipsum jactantiæ spiculo interimit, & insuper
C Auditorum infirmitati minimè consulit. Sed quia rei gestæ fidei anchoram annectere opus est more Historiographi solito, tria in fronte narrationis instrumenti gratiâ ponimus, quibus ad contexendum propositum opus congruenter utendum est, idest personam, Patriam, ac conditionem. Nam, ut de persona ejus paucis vera perstringamus, non sine divino quodam auspicio Severus est à parentibus vocitatus. Non enim si propensiùs inspicere etymologiam nitimur, severitatem, vel sævitiam sonat, sed potiùs paternam gravitatem, de qua Psalmista *in populo*, inquit, *gravi laudabo te*. Nec immeritò, quia futurus profectò erat, & vitiorum extirpator austerrimus, & virtutum corrasor
D avidissimus. Patria verò ejus satìs omnibus in promptu habetur, quia civis Ravennas extitit, & sicut de B. Papa Gregorio dictum est, *unde genus duxit*, *summum conscendit honorem*. Cujus autem conditionis fuerit, sanctissimæ ejus Vitæ summa comprobat, quia verè christianus erat, & columbinam vitam in simplicitate cordis agebat. Pauperem quidem vitam cum Tobia gessit, quia divinam præsentiam timuit, & circumspectionem Omnipotentis semper cogitavit, omnia bona possedit, quia charitatem, quæ Deus est, omnimodè habuit. Quantùm enim ad seculi luxum pertinet, pauperem vitam duxit, quia, ut veracissimis fertur Relatoribus, unà cum conjuge, quam sibi jamdudum castissimo copulabat matrimonio, nonnisi lani-
E ficii opere sumptus quotidianos carpebat, nam utpote religiosus, & orthodoxus Catholicus de labore manuum cum Apostolo vivebat, nullique hominum vim, vel fraudem inferebat, neque enim surda aure præteriit Psalmistam intonantem; *labores manuum tuarum qui manducabis, beatus es, & benè tibi erit*. In hoc loco, si quis superciliosus, eruginata mente, & insulsa objectione Beato viro detrahat, quòd uxoratus ad Archisterium Ravennæ accesserit, audiat Apostolum pro illo respondentem, quia *omnia munda mundis*. Sicut enim ciborum edulio non polluitur homo, nisi insidiatrix concupiscentia

præ

præcedat, ſic quippe legali conjugio non inquinatur Chriſtianus, qui ſe nullatenus vel virginitatis, vel continentiæ voto alligavit, niſi illum priùs corrumpat obſcœni amoris fermento ipſa deceptrix libido. Cæterùm ſi quis voto conſtringitur, reddere cogitur, quia ſcriptum eſt, *vovete, & reddite*. Sed quia tantiſper pro aſſertione veritatis quaſi per exceſſum diximus, ad cœpta redeamus. Igitur poſtquam præeminentiſſimus Athleta veritatis Apollenaris, ſicuti ante ſecula divina prædeſtinavit providentia, ab Apoſtolorum Principe ordinatus eſt Pontifex ad prædicandum ubique verbum Domini, & claves Regni cœlorum idoneus, & per omnia probatiſſimus Vicarius accepit, mox nobiliſſimam Italiæ civitatem, & multarum Metropolim urbium, ac ſi ſecundam Romam, ſibi in Apoſtolatum adſcivit; nam ſic quidem urbem meritis præcipuis ejuſdem ſui triumphatoris adeò clemens, & pius Rex præ cæteris decorando inſignivit, ut poſtquam ille miles felix laureatus coronâ Martyrum intravit in gaudium Domini ſui, inſtar duodeni Apoſtolorum apicis, duodecim illi ſucceſſores per varia annorum curricula ſuppleret, non humanâ electos induſtriâ, ſed potiùs Divinâ accitos clementiâ, & ſuper quorum capita cœlitus emiſſa requievit Columba. Ætate quippe Beati jam dicti, ſemperque dicendi Severi, contigit Ravennatem Eccleſiam proprio Paſtore viduari. Cùmque multi Epiſcoporum convenirent, finitimi videlicet, atque remotiores, quatenus tantæ civitati Pontificem more ſolito ordinarent, finitoque oramine, omnes in commune lætabile opperirentur ſpectaculum, aliquem ſcilicet per Columbam cœlitus aſſignari, idem vir Dei B. Severus fortè operi ſuo domi inſtans, ut erat ſimplex, & Columbæ amicus, his verbis ſuam affatur conjugem. Vadam, ſi placet ociùs, & videbo viſionem mirabilem, quomodo divinitus è cœlo Columba veniat, & ſuper caput Electi conſedeat. Ad quem illa; ſede, inquit, hìc, & labora, noli otio vacare, quia non expedit nobis, ſive enim pergas, ſive in loco ſubſiſtas, te Pontificem populus non ordinabit. Ad hæc ille, ſine me, inquit, & vadam: & illa, vade, ſi placet, quia quacunque hora intraveris, Epiſcopus ordinaberis; talia uxore ironico ſermone proſequente, illico ſurrexit, Eccleſiam concitus adjit, ubi erat populus cum Sacerdotibus congregatus, & ob veſtimentorum vilitatem, quia ſquallido amictus erat indumento, occultabat ſe poſt januas Templi; & expleta oratione confeſtim deſcendit de cœlo Columba nive candidior, & ſedit ſuper caput Beati Severi latitare cupientis. Ille autem dum à ſe Columbam repelleret, & illa hac illac volitaret, iterum, iterumque reviſit dilectum ſibi caput ejuſdem Beati viri, ac ſi Spiritus Sanctus ſpecie tenus, quod in re erat, proderet, dicens; *ſuper quem requieſcam, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem verba mea?* Et iterum; *ego diligentes me diligo*. Unde & hoc venerabile Proverbium jamdudum vulgatum eſt per univerſi orbis circulum. *Beata*, inquit, *Civitas illa, ubi in electione Pontificis Spiritus Sanctus deſcendit in Columbæ ſimilitudinem, & ordinatur ille, ſuper cujus caput requieſcit*. Stupefactus ſuper hoc omnis Potentatus, & Clerus, & omnis, qui huic divino ſpectaculo intererat, omnium bonorum, ac dignitatum largitori Deo gratias egerunt. Tali namque modo ordinatus eſt Beatus Severus Ravennati Eccleſiæ Epiſcopus, unctuſque eſt oleo exultatio-

A nis, & unguento Sacri Chriſmatis juxta morem Pontificis. Tunc adimpletum eſt in illo, quod Dominus dixit in Evangelio; *apud homines hoc impoſſibile eſt, apud Dominum autem omnia poſſibilia ſunt*; & juxta Pauli vocem; *infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*. Ecce eſt quod Petrus Apoſtolus; *quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet Dominum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi*. Sed oh mutatio temporis, & oh nefas negotiationis! Redemptor itaque noſter, ut oſtenderet fidelibus ſuis quàm ſit damnabile officium negociationis, ingreſſus in Templum omnes vendentes, & ementes in illo vehemens ejecit, & facto de reſticulis flagello, eos potentiſſimè,
B qui Columbas vendebant de Templo eliminavit. Antiquus autem humani generis inimicus, qui jam juxta Apoſtolum in membris ſuis myſterium operatur iniquitatis, quique ſedet cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem, iterum cum felle amaritudinis per Simonem ſuum venalem facit Columbam, nec deſinit per ſuos trapezitas emulare nummos iniquitatis, quò eos valeat profundiùs mergere in puteum perditionis. Ecce nemo jam nunc uſquam Epiſcopus eligitur, quia nec Eccleſiis permittitur, ſed quod horribilius eſt omnibus monſtris, & deterrima adulterii ſpecies, quæ primum locum obtinet. In pejus adhuc vivente alicujus civitatis Epiſcopo, ab aliquo indocto,
C & depravato honor ejus concupiſcitur, petitur, promittitur, ſacramento ſpes ſolidatur, pecunia impudenter datur, ut poſtmodum deteriùs vendatur, quod tam nefario auſu comparatur. Sed quia ſe hujus rei ratio conſequenter per Columbam ingeſſit Eccleſiaſtici vigoris gratia, venditores ejus malè meritos ut cœpimus, perſequamur. Vides ne, ut Simoni primo hæreſiarchæ, cujus inter ipſa lactantis Eccleſiæ cunabula Apoſtolico mucrone triſte caput amputatum eſt, ac deinde tot juſtitiæ faventibus Patribus apud Eccleſiaſtica Concilia perpetuo anathemate ſepultum, alia rurſum, quaſi hydræ capita ſuccreſcant? Inde neceſſe eſt, ut noſtri nunc temporis Epiſcopi apud omnipotentem
D Dominum, aut rari adſint, aut nulli. Hinc enim, & Propheta dicit; *Principes extiterunt, & non per me; ipſi regnaverunt, & non cognovi*. Quid ad hæc muſſitant novelli, & indocti quidam quidem quomodo ſciunt, ſed minimè ſapiunt? Monachi, inquiunt, non habent licentiam prædicandi, tametſi ſint auctoritate divina pleniſſimi, ſed non eſt mirum, quia caro neſcit ſpiritum. Veritas quippe amara eſt, & qui illam docere nituntur, amaritudine replentur. Ecce B. Severus propemodum idiota, & abſque literis Spiritu veritatis attactus, efficitur Doctor uberrimus, & Monachus, qui ab incunabilis divinis literis ſtuduit tacere habet. Paulus Apoſtolus hoc ſpecialiter privilegii na-
E ctus eſt, ut quia ad pedes Gamaliel ſacras literas didicit, Vas Electionis & apellari, & eſſe promeruit; unde & Doctor totius orbis ſpecialis dicitur................

Hic folium integrum deeſt.

ſuum, quem longè ante per revelationem Spiritus Sancti præſcivit, ſaluberrima Sacramentorum perceptione muniret, convocato ad ſe totius urbis Clero, nec non utriuſque ſexus populo juxta morem Eccleſiaſticum de integritate Catholicæ fidei, deque unanimitate, atque fraterna caritate obtinenda, prolixiùs ſecundùm ſibi datam ſapientiam ſermonem protulit. Quo finito firmata pace, atque benedictione, ſtola

ut

ut erat pontificali trabeatus, populique frequentia hinc inde vallatus, proprium sibi jussit aperiri sepulcrum, quod videlicet vivus ingressus inter conjugem, & filiam mira auctoritate semedium collocans, voce sonora, vultuque vigorabili valde, ultimùm dormiturus in Domino se dedit, suaviterque se obcludi marmore jussit. Ibi quippe aliquandiu orans, pretiosam Deo animam, atque in Ecclesiæ nido perfectam lætus reddidit, sicque sarcinâ carnis exutus, cœlestis regni Capitolium est indeptus. Tali namque modo in pace Ecclesiæ defunctus est plenus dierum sub die Kalendarum Februariarum. Ex eo tempore, usque in præsentiarum pius, ac misericors Christus Redemptor noster ad ostendenda Confessoris sui singularia merita, apud tumulum ejus innumera, atque humanum modum excedentia operatur miracula, ubi nunc habetur in ejus honorem Basilica, marmoreo tabulatu decenter ornata in civitate, quæ dudum vocabatur Classis, haud longè à Regione, quæ dicitur Salutaris, usque in præsens. De innumeris autem beneficiorum signis, quæ Deus omnipotens per dilectum suum Beatum Severum erga infirmos propalare dignatus est, unum, quod nostris solibus emicuit, fideli cautione depromimus, quatenus per hoc cætera commendentur, quæ nostræ pusillitati ignota habentur. Mulier quædam Ravennas, cujus nos vocabulum fugit, parvulum habens filium quotidiano febrium typo plùs æquo laborantem, quem decrevit ob nimietatem continui doloris, citiùs recuperandæ salutis gratiâ Deo offerendum apud sepulcrum Beati Severi Archiepiscopi, & Confessoris. Quò dum amicorum adminiculo comitata pervenisset cum filio, prostraverat se suppliciter Deo, Sanctoque suo Severo, attentiùs pro salute parvuli orantes. Cùmque spe bona incitati pernoctare in Ecclesia deliberarent, partim prolixitate noctis, partim constantiâ orationis, omnes lassitudine victi obdormierunt. Intempestâ autem noctis horâ, cunctis inerti somno depressis, solus ille puer infirmus in stuporem versus vocem flebilem emisit, & cunctos excitavit. Qui circumspicientes, viderunt lampades, quæ antea extinctæ erant, congruo fulgoris lumine resplendere. Et cùm cognovissent miraculum cœlitus emissi luminis, consternati mente, dederunt gloriam Deo, & Sancto Severo. Puer autem, cùm in medio deductus fuisset, cœpit mater ejus interrogare eum, dicens, quid tibi contigit fili? At ille coram omnibus dixit: vidi ex hoc sepulcro egredientem quendam Gerontam Episcopali habitu, niveo capillo decoratum, angelicum habentem vultum, qui tetigit me, & expavi. Infirmitas verò illa confestim recessit à puero, & ammodo febrium torris extinctus est in eo. Sed quorsum isthæc? Quia dubitari nequit, quia omnia, quæ ab omnipotenti Deo petere voluerit, dubio procul absque mora consequitur. Hæc interim de tanto Ecclesiæ Præsule dicta sufficiant, cujus...... historiæ, ut credimus, nullus sufficit stylus, etiamsi accedat Tullianus. Ecce uti promisimus, novorum verborum phaleras evitavimus, quamquam & alia, quatenus suppeterent, si non magis intendere placuisset benevolentiæ, quàm jactantiæ. Parvuli quippe parvulis scripsimus, legimus enim, quia parvum parva decent. Cæterùm docet nos Apostolus non alta sapere, sed humilibus consentire debere: & certè lex prohibet, ne quis coram cæco offendiculum ponat. Non est utique regnum Dei in sermone, sed in virtute. Sed quia jam flante favonio historiæ stagnum salvis mercibus utcumque enatavimus, libet paulisper intueri, si qua in eadem historia, quasi in concha lateat pretiosa allegoriæ margarita. An putandum est, Columbam facilè, & absque magna auctoritate de supero cardine ad terram usque delapsam? Non utique. Nusquam legitur Columbæ adventus, nisi ob testificationem præsentiæ Sancti Spiritus. Nullus quippe hæreticis relinquitur locus objurgationis, quæ Sanctum Domini Severum ad Ecclesiæ dedecus putant esse conjugio ligatum, quique suæ cænositatis fæcibus obvoluti, ignari sunt omnimodis gratiæ S. Spiritus. Si quis igitur mellis gustum nunquam probavit, cujus saporis sit, non est mirum, si nescit: at contra qui solo absinthio cæteris neglectis herbis omni tempore utuntur, his nimirum dulce amarum videtur, & cæteras herbas ejusdem putant esse amaritudinis, propter inexperientiam ejusdem saporis. De talibus namque scriptum est; *væ his, qui dicunt bonum malum, & malum bonum*. Si cui ergo malum aliquid esse videtur, ipse sibi testis est, quia malus est, & quod ipse effectus est per privantiam, omnes indifferenter putat habere per naturam; qui autem omnia simpliciter intuetur, & incorruptis oculis omnem creaturam Dei bonam esse credit, ipse sibi testis est, quia bonus est. Bonus ergo gaudeat se à Deo creatum, malus verò sciat se sine Creatore esse, & ob hoc nihil. Nihil enim, excepto Domino, non creatum est. Si ergo malus aliquid esset, quid, rogo, nisi bonum esset? *Et vidit Deus*, inquit Scriptura, *cuncta, quæ fecit, & erant* non solùm bona, sed etiam *valde bona*. Hinc definire licet, ea, quæ sunt, bona esse, neque omnino esse si bona non sunt. Omnia igitur bona, non etiam justa. Beatus itaque Severus columbinis oculis omnia opera Domini inspexit, conjugium valde esse bonum, si quis eo legitimè utatur, quia si bonum non esset, nequaquam mulier Protoplasto in adjutorium creata etiam etiamque fuisset. Oculos quippe Columbæ habuit filius Columbæ, per quam significatur Spiritus Sanctus; non quòd aliquis fidelium jure dici queat filius Spiritus Sancti, sed planè Dei Patris, & Matris Ecclesiæ per adoptionis gratiam. Unde Sponsus in canticis Sponsam alloquitur, *o uli tui*, inquiens, *Columbarum*. Hos quidem oculos primi parentes nostri perdiderunt, quando exigente prævaricatione à Deo sunt derelicti, & aperti sunt amborum oculi. Postquam autem oculos Columbarum perdiderunt, justo Dei judicio confestim se erubescunt, quia jam mors intravit per fenestram carnalium oculorum. Verbi gratiâ, quandiu puer non contristavit Spiritum Sanctum, Columbæ oculos habere perhibetur, quia omnia, quæ in mundo versantur, simpliciter intuetur; non enim membra sua erubescit, nemini irascitur, nulli machinatur dolos, nil impudicum cogitat, nulla illicita concupiscit, quia inhabitator Spiritus, qui illum incorrupta mente custodit, nihil horum novit. Si autem per divortia vitiorum ad concupiscentiam carnis vitæ exul prolabitur, jure jam erubescit, quia impletum est in illo, quod Psalmista ait; *homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Spiritus enim adoptionis, quem Beatus Severus in sacra renascentia suscepit, quasi Columba in caverna maceriæ, sic virtutum pullos in cordis ejus nidulo nutrivit, nec ab eo recessit, donec in electione Pontificis, quoniam manifestaret, hominibus

bus innotesceret. Ecce qualiter homines christiani vitam postponunt cœlestem, postquam ab alto innocentiæ culmine, corruptâ conscientiâ, incidunt in terrestrem, & pecualem. Habuit ergo vir simplex, & rectus Beatus Severus conjugem, habuit & filiam, sed ante Episcopatum. Numquid nam propterea Episcopatu indignus extitit, quia uxorculam habuit? Absit. Numquid, ut supra cervicem loquamur, Beatus Apostolorum Princeps legali jure conjugium non habuit? Habuit planè, sed ante vocationem. Eadem denique ratione Beatus Severus, Evangelii jam passim coruscante novitate, conjugio copulatus fuit, quia continentiæ votum non habuit, neque Doctor orbis Paulus illum prohibuit, sed potiùs assensum dedit. Ecce Petrus ad Apostolatum vocatus, & electus circumducit uxorem, sed non utitur, uxor quippe in sororem conversa est, quia verò oriente mundo Sole ordo temporum mutatus est. Ipse enim, qui dudum per legem mandavit eos, qui sinè semine remanerent in populo Israël, nunc jam terribiliter per Evangelium suum intonat; *sint lumbi vestri præcincti*. Beatus quoque Severus, in Episcopatum per Columbam electus, uxorem cum Magistro Petro simpliciter circumduxit, filiam virginem nutrivit; nullo modo tamen uxore posthac usus est, quia Ecclesiæ Christi Pastor, & Vicarius constitutus est. Recedant eminus malorum inventores, qui non intelligunt, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Quòd autem vir Sanctus de lanificii opere victum sibi quotidianum quæritabat, simplicitatem ejus sanctam commendat, quia nimirum decebat, ut ovis Domini rationis, quæ illius agni, qui tollit peccata mundi, erat vellere encæniata, non aliunde, quam de ovium, mundorum videlicet animalium tegmine suam, suorumque sustentaret vitam. Erat quippe una ex his, nec qualiscumque, quas verus, & æternus Pastor Christus his verbis in Evangelio commendans, ait; *oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis*; & iterum *alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient*. Est quippe, ut fertur, ovis naturaliter præ omnibus animal mundissimum, & mansuetum, nec non & simplicitati deditum. Si enim aliqua est rationalis, & irrationalis significativa collatio, quæ per accidens fit, jure in talibus similia similibus comparamus. Non enim vir tantus talem vitam casu fortuito sortiri credendnm est, sed futuri ejus officii certi videtur esse causa indicii, quippe cui deleganda erat cura Pastoralis, qua, & agnos cum Petro pascere Evangelicâ obedientiâ deberet, & oves. Sic, & in Apostolorum Actibus legimus, quòd totius Ecclesiæ Magister Paulus de labore manuum suarum vixerit, ut nulli Auditorum suorum oneri esset. Erat autem scænofactoriæ artis. Numquid nam Paulus aliunde victitare non poterat, qui omnibus artibus plenus erat? Poterat utique; sed certi causâ mysterii credimus actitari, ut quia Prædicator egregius omnia, quæ fidelibus prædicavit, ne ipse reprobus efficeretur, operibus commendavit, modis omnibus oportebat, ut & manuum ejus labores vitæ, & prædicationi ejus testimonium darent; & quia opus ipsum, unde vivebat, commigrantibus, & peregrinantibus necessarium erat, hoc, quod ipse contemptum mundi persuadens scripturus erat, dicens; *non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*; jam tunc quadam præsaga lingua officii sui æquum fuit, ut significativè loqueretur, ac si humana ratione ipsa obumbracula apertè se utentibus dicerent; videte, ò nautæ & viatores peregrini instrumentum, & vilem materiam tuguriorum vestrorum, & ex ratione nostræ vobis cognitæ naturæ, perpendite celsitudinem dignitatis vestræ, quam opifex noster, atque consertor Paulus sinè cessatione vos docet. Nos originem de aquis sumpsimus, & in ripis stagnorum nascimur, & tantæ levitatis, atque expeditionis sumus, ut & facilè à conviantibus asportari possimus, & tamen per nostrum ministerium optatum habeant obumbraculum. Vos autem, qui ratione uti potestis, & de aqua, & Spiritu Sancto renati, nolite per terrena oblectamenta, & mundi illecebras vos onustare, quatenus liberati, atque expediti brevem hujus peregrinationis viam percurrere, & ad æternam patriam quantocius remeamini pervenire. Ecce qualibus verbis opus Apostoli possessores suos alloquitur, unde vitam præsentis exilii transigere ...... Eadem quippe licet de opere domestico Beati Severi conducibiliter sentire, quatenus per ovina vellera suos ammoneant asseclas, mansueta, & simplicia gerere corda. Jam verò expositionis ordo rogitat, ut & hoc quoque lynceis oculis penetrare conemur, quidnam sibi velit, quòd in hora divini officii in Spiritu rapitur, & funeri Beati Sacerdotis Geminiani interesse perhibetur. In hoc denique specialis doni miraculo æstimare non immeritò possumus Sanctum Domini Severum Archiepiscopum per omnia Beato Ambrosio æquiparandum, quia sicut ille Beatissimus Hierarcha Sancti, & gloriosi Martini Episcopi Natalitio deservivit, sic & iste Beati Geminiani. Quòd si quis amico conflictu obtendere velit, ob hoc dissimile aliquo modo haberi miraculum, quòd inter Mediolanum, & Turoniam, laxiora terrarum spatia habeantur, noverit pro certo, quòd omnipotens Deus, qui in omnibus locis sinè loco habetur, nec in maximis ampliatur, nec in minimis angustatur, quia centrum Cœli, quod est, terra non est regnum ejus, qui difficilè invenitur ubi sit, difficiliùs ubi non sit. Sed quia certum esse tempus in Beato Severo Scriptorum agente neglecto, non habemus quis eorum altero prior fuerit ætate, obvium nobis non est, tamen unum, idemque per omnia donum utrisque collatum esse, nullus, qui sano cerebro utitur, ambigere permittitur. Objicitur autem nobis fortassis hoc modo. Et quî, inquies, fieri potest, ut aliquis de Sacerdotum globo collibretur Ecclesiæ Doctori Ambrosio? Quam utique objectiunculam, veluti quandam novæ calumpniæ ansam citiùs solvimus, si Sancti Spiritus moralem laudem subtiliùs intueri curamus. Scriptum quippe de Spiritu Sancto constat, quòd sit multiplex, & unicus. Multiplex ergo est propter multiformem gratiam, quæ omnibus dispensatur fidelibus, simplex autem ob indisgregabilem Divinæ Essentiæ unitatem. Invenitur enim multiplex Spiritus Sanctus, ob multiformis scientiæ donum in Ambrosio, qui post Vas electionis primatum obtinuit dominici sermonis; non tamen minoris auctoritatis invenitur in Beato Severo unitatis simplicitate contento, quia unus, atque idem est Spiritus, qui operatur omnia in omnibus. Unius quoque, ejusdemque meriti extitisse gloriosos Patres Ambrosium, atque Severum, testatur in hoc facto simile donum. Sed & hoc quoque intueri libet quænam causa sit tantæ auctoritatis, quòd vir Domini

A

mini in filiæ sepultura corpus longè ante defunctæ, conjugis corpusculum in latus mutari jussit. Sicut enim idem miraculum rarò usitatum invenitur, ita non sinè difficultate à nobis exponitur. Attamen quidquid illud est, quod interlucet intellectibus nostris nequaquam silentio occulere integrum judicamus. Videtur quoque nostræ imperitiæ intelligendum per omnia fore, hunc Sanctum Virum nequaquam imparem esse ad resuscitandum conjugis corpus, qui hoc apud omnipotentem Dominum obtinere potuit, ut solo jussu tam citò se in latus versaret. Est nempe & aliud, quod intelligi utile videtur. Superiùs namque satis superque contra hæreticos, atque Ecclesiæ æmulos lunato ense certavimus, qui ipsâ conjugis

B

infamiâ ad nullam rem Sanctum Domini desudaverit, ideoque necesse fuit, ut & Diabolus per suos complices, utpote versipellis vafer in propatulo confunderetur, & Sancta ubique terrarum Ecclesia in tanto........... divini præcone gloriam consequeretur. Ut enim verum fateamur cujus castitatis, & continentiæ ante Episcopatum extiterit, ipse evidenter Spiritus Sanctus in electione ejus per Columbam monstravit, qui tot secularis ordinis supervolitavit personas, & dilectum sibi penetrale assignando revisit. Et notandum, quòd Spiritus Sanctus, qui duodenarii amicus est numeri, in Beato Severo corporalis præsentiæ modum fecit, quia juxta Catalogum Ravennatis

C

Ecclesiæ est duodecimus à Sancto Prædecessore suo Apollinare. Ut autem nihil inevisceratum apud nos remaneat, unde falsi homines occasionem clamitandi nanscisci queant, videtur Sacratissimus Pontifex Ecclesiæ suæ latenter satisfacere pro dudum copulatæ sibi conjugis opinione. Quod enim priùs flere dicitur, quàm miraculum perpetraret, recordari eum vitæ pristinæ credendum est, quoniam christianâ licentiâ conjugali catenâ ligatus legitur. Quòd autem tam imperiosa auctoritate mandatum dedit, ut corpus ipsum tam celeriter se declinaret in latus, liquidò ostendit, quàm immunis extitisset à contactu illius, ex quo effectus est Episcopus. Novissimè transitum ejus conside-

D

rare eamus, & quàm plenus esset virtutibus Vir Sanctissimus, aquilinis, ut sic dictum sit, oculis videamus. Descendit, inquit, vivus in defossum sepulcri locum, in quo Sancta dudum Conjux unà requievit cum filia, ibique se medium collocans, obdormivit in pace. Quem namque vir iste, quem in obitu suo est imitatus, nisi splendidissimum radium, Johannem Theologum, qui denique uti Ecclesiastica testatur historia simili modo requievit in ultimo senio? Johanni quippe neminem possumus post Coapostolos ejus comparare, quia totus mundus reclamare compellitur, sed tamen in hac mira virtute asserimus, hunc virum cum Johanne habere participium. Beatus, & speciali

E

prærogativa à Domino electus, & dilectus Johannes assumptus esse creditur; Vir autem Domini Severus apud nos pleniùs in proprio titulo habetur. Habetur ergo in terris Synecdochicῶς; præstolatur quietus è cœlis tempus generalis anastaseῶς. Qua de re omni devotionis instantia, tantum, ac talem studeamus venerari Patrem, ac Patronum, & quasi adhuc in carne nobiscum degentem, ita intueamur ejus absentiam præsentem, quia ut veritas pateat præsentior nobis adstare creditur, quàm si vivus in carne haberetur. Enimverò summo, & æterno Soli, qui lucem habitat inaccessibi-

lem junctus in cœlis, nihil in creaturis agitur, quod oculis ejus nudum non appareat. Quapropter gaudeamus. Gaudeamus, inquam, & exultemus, & lætemur in Domino, quia hodie alternantibus hymnodicis Angelorum choris intravit pascua æternæ hæreditatis, ubi una societas omnium Beatorum, ubi post labores, & ærumpnas seculi hujus, felix, & suavis refectio est animarum sanctarum. Gaudeamus omnes, gaudeamus singuli, quia hiero-præses noster Beatus Severus de sua jam securus immarcessibili gloria, ad cœli palatium hodie usque pervênit. Habemus in illo patronum dulcissimum, defensorem clementissimum, qui vota nostra, & preces qualescumque summo Pontifici Christo Jesu Domino quotidie offerat, & ut pius advocatus se pro clientibus suis fidedicendo interponat. Illi modis omnibus conscientiæ nostræ secreta pandamus, ut in illo die tremendi examinis sub suæ paternitatis nos parma defendat, & ad Judicis dexteram collocare contendat. Laus illi, & gratiarum actio, qui eum ante secula in regnum prædestinavit, & in Libro vitæ conscripsit, & per Columbam Spiritus Sancti animal in Episcopatum elegit, in pace assumpsit, & in æternæ Hierusalem municipio perpetuò gratulandum introduxit; qui vivit, & regnat in Trinitatis nomine, Unitatisque numine in secula sempiterna. Amen.

Sequitur Chronica.

DE LIBERIO

Archiepiscopo XIII.

Liberius XIII. Orphanorum Pastor præcipuus, largus eleemosynis, post obitum suæ vitæ officiosissimè sepultus est.

DE PROBO

Archiepiscopo XIV.

Probus XIV. pinguis divinâ gratiâ, & speciosus formâ. Circa ultimam mortem positus, Angelorum contemplatus agmina, lætus, exultans tendit ad sidera, sepultus cum Prædecessore suo.

DE FLORIANO.

Archiepiscopo XV.

Florianus XV. Justus homo, pater pauperum, tutor viduarum, magnus Prædicator. Sepultus est in Monasterio Beatæ Petronillæ juxta muros Apostolorum.

DE LIBERIO

Archiepiscopo XVI.

Liberius XVI. vir sanctus, lactifluam habens eloquentiam. Suo tempore occisus est Valentinianus Augustus, & multi vulnerati. Sepultus est in Monasterio Sancti Pullionis, III. Kal. Januarii celebratur.

DE URSO

Archiepiscopo XVII.

Ursus XVII., qui fundavit Ecclesiam, quæ dicitur Ursiana, & in die Resurrectionis vi-

vitam finivit Idibus Aprilis, & in tali die ab eo dedicata est, & vocata Anastasis, & in ea sepultus est subtus porphyreticum lapidem, ubi stat Pontifex, quando Missam canit. Sedit annos XXVI.

DE PETRO

Archiepiscopo XVIII.

PEtrus XVIII. Antistes fundator Ecclesiæ Petrianæ, sed non consummator. Nulla Ecclesia similis illi in ædificio, ubi dicuntur fuisse CCC. Altaria. Defunctus est Pr. Kal. Augusti.

DE NEOM

Archiepiscopo XIX.

NEom XIX. Fundator Ecclesiæ S. Petri Majoris, & Fundator Tricolis, sed non consummator. Hic fuit tempore orthodoxæ matris Gallæ Placidiæ. Obiit III. Id. Februarii. Sepultus olim in Basilica Apostolorum ante Altare S. Petri Apostoli.

DE EXUPERANTIO

Archiepiscopo XX.

EXuperantius XX. vir grandevus, humilis, & mitis. Ipsius tempore ædificata est Ecclesia S. Agnetis. Obiit III. Kal. Julii. Sepultus est in antedicta Basilica ante Altare sub porphyretico lapide.

DE JOHANNE

Archiepiscopo XXI.

JOhannes *primus* XXI. Sanctissimus, qui vidit Angelum. Hic quatuordecim civitates in Archieratica potestate à Valentiniano Catholico Rege huic Ecclesiæ adquisivit. Obiit nonis Junii, sepultus est in Ecclesia S. Agathæ Ravennæ nonis Junii. Sedit annos XVI., menses X., dies XVIII.

DE PETRO RAVENNATE

Archiepiscopo XXII.

PEtrus XXII. Ravennas Antistes, qui & Chrysologus dictus. Ante eum nullus in Pontificibus sapientiâ sibi similis fuit, & post eum non surrexit. Corpus ejus sepultum est Imolæ in majori Ecclesia III. Non. Decembris celebratur Festum. Qui electus fuit, & confirmatus in Archiepiscopo circa annos Domini CCCCXXIX.

Est Sacellum in superiori Archiepiscopali Palatio antiquo, musivo opere eleganter ornatum, quod ex Monogrammate Petri *nomen exprimente communi existimatione à D. Petro Chrysologo ædificatum creditur. Nonnullis in locis musiva exciderunt, maximè autem supra Altare, ubi Pictoris operi scripti sunt versus, quos lectos quondam in Oratorio S. Andreæ à Chrysologo constructo testatur Agnellus, & ex Agnello Rubeus. Bene Lectori consultum putavi, si Ædiculæ ornamenta tribus æreis tabulis insculpta hic darentur. Inter Sanctos, quorum imagines testudinis latera quatuor ornant, est S. Cassianus, cui Petrum Chrysologum devotione, quammaxime addictum fuisse constat, quippe qui ad ejus Ecclesiæ titulum Diaconus olim ordinatus, juxta ipsius Corpus obire demum voluerit. Hinc solidum argumentum pro opere Petro ipsi Chrysologo adjudicando. Plura in hanc rem non est hic addere, cùm pluribus opus illud illustret eruditus, ac doctus amicus Dominus Abbas Ferrus Foro-Corneliensis Patricius in suo Opere ad patriæ illustrationem egregiè exarato, & propediem edendo. Tabulæ hic loci compingendæ signantur literis A. B. C.*

MONITUM

Ad sequentem

S. BARBATIANI VITAM.

SEquentem vitam Sancti Barbatiani ex antiquo Ravennati Lectionario descriptam hic inserendam censui, cùm in editis desideretur. Sunt quædam, quibus temporum ratio repugnat, uti Bonifacii, & Eulalii Schisma compositum cum Valentiniani Placidiæ filii adventu Romam; hic enim, cùm Schisma illud obortum est, fortassis, nondum natus erat. Rubeus ad annum 425. *Placidiæ, & Valentiniani Romæ degentium pietatem laudat, qui Barbatianum inviserint, Romàque Ravennam cum honore deduxerint. Hæc autem, ut puto ex conjectura narravit. Cæterùm omnia, quæ de Sancto Barbatiano Rubeo eidem luculento sermone illustrantur, ex hocce veteri vita desumpta fuisse nullus dubito. Notari meretur frequens oblationum mentio ad Missam Sancti Barbatiani delatarum, eisque privatis votis satisfactum quod aliàs recentioris ætatis ea, qua Sanctus iste floruit, quis suspicetur. S. Petrus Chrysologus* Librifici *adjuncto laudatur. At de his satis.*

INCIPIT

VITA S. BARBATIANI


CONFESSORIS.

JUstum quidem arbitror miraculorum narrationem aggressus in primis, quæ domestica sunt Augustarum Civitatum exponere, in quibus Sanctorum ammirabile certamen exactum est, & veneranda eorum mirabilia exorta sunt, & ut miracula, quæ narrationis tenent exordium tantæ plebi, talique magnæ civitati vera hæc (1) in diebus nostris testificati sunt, etiam his præbeant fidem, quæ subsequenda dicenda sunt. Quamobrem, cùm Zosimus Papa urbis Romæ jussu Dei suæ vitæ cessasset Episcopatum, facta est discensio in Clero Sedis Apostolicæ, & elegerunt duos Episcopos, unum nomine Bonifacium, & *alium* (2) Eulalium. Bonifacium verò ordinaverunt in Basilica Constantiniana. Audiens hoc Galla Placidia Augusta cum filio suo Valentiniano Augusto, dum federent Ravennæ, retulerunt Honorio Augusto Mediolani sedenti, *qui ambo* (3) Augusti missa auctoritate hoc præceperunt, ut ambo de urbe Roma exirent. *Qui ambo expulsi, veniens in proximo sanctus dies Paschæ*, (4) tunc Eulalius præ-


(1) *fuisse*. Mur.
(2) *alterum*. Mur.
(3) *Continuo*. Mur.

(4) *Quibus expulsis veniente in proximo sancto die Paschae*. Mur.





T. II. pag. 194. Tab. BC.



præſumptâ audaciâ introivit in urbem Romàm, & baptizavit, celebravitque Paſcha in Baſilica Conſtantiniana. Quo audito Auguſti *miſerunt, & reſpuerunt* (1) eum in Campaniam, ibidemque vitam finivit. Bonifacium verò revocaverunt, & conſtituerunt eum Pontificem. Eodem tempore Galla Placidia Auguſta unà cum Honorio, & Valentiniano Auguſtis *venientibus*(2) Romam *apud* (3) Limina Sanctorum Apoſtolorum, ubi & multa dona obtulerunt. Tunc diffamatum eſt apud eos, quia ab Antiochia adventi ſunt duo viri in urbem Romam, unus nomine Timotheus, & *alius* (4) nomine Barbatianus, presbyterii honore fungentes, timorati Deo, facientes mirabilia, & *ægroti* (5) per ſacras ſuas præces *ſalvificabantur*, (6) unde ſpeciales ab omnibus hominibus attendebantur, & dum ab ipſa Auguſta requiſiti fuiſſent, jam Sanctiſſimus Timotheus Presbyter migraverat ad Dominum ante quartum inquiſitionis ſuæ diem. Cujus Corpus à quadam nobiliſſima fœmina vidua ſepultum fuerat, condîtum aromatibus, & diligenter diſpoſitum cum magno gaudio, & honore, ut Sanctis condecet fieri in Vaticano monte, qui dicitur Aureus, ad cujus ſepulcrum malè habentes homines ſalvi facti ſunt, & dæmones fugati ſunt. Et multa mirabilia ad laudem, & honorem Domini Noſtri Jeſu Chriſti ibidem quotidie operantur.

Sanctiſſimus verò Barbatianus Presbyter, & Confeſſor Chriſti, adplicuit ſe in Cimiterio Callixti, & ibi occultè demorabatur, & facta inquiſitione ab Auguſta propter Sanctiſſimum Virum, eo quòd nolebat ſe Principibus oſtendere, invenerunt eum clam latentem in ſua cellula, & cum magno honore perduxerunt eum ad Auguſtam. *Et dum ipſa eum intuita fuiſſet, agens gratias* (7) Deo, quia meruiſſet eum invenire. Cui Sanctiſſimus vir Barbatianus talem dedit ſalutationem. Pax tibi Galla Placidia Auguſta famula Chriſti, & victoria *filio tuo Auguſto*. (8) At ubi reſponderunt omnes, amen, accedentibus Auguſtis ad invicem ſe ſalutaverunt, & dum requiſiſſent ab eo, à qua patria Romam veniſſet, tunc ipſe Confeſſor Chriſti ab Antiochia cum Timotheo viro Sanctiſſimo *aſſeruit adveniſſe*. *Et data oratione tunc poſtulata eſt eum* (9) Auguſta, ut Manipulam ſuam, quæ dolore peſſimo oculorum urgebatur, ſuo adjutorio eam adjuvaret, non tantùm *in hoc*, *ſed* (10) ut ejus comprobaret opinionem, quæ ſonuerat. Ille verò nihil aliud aſſeruit, niſi quæ bona ſunt, ut proficiant in oculis ejus. Et dum ab ipſa receſſiſſet, ad cellulam *pervènit*, (11) qui proſtratus in oratione oravit ad Dominum. Et elevans ſe, faciale ſuum, quod habebat cum aquarum humore infuſum, puellæ direxit, ut oculos ſuos extergerer. Quæ dum mandatum adimplens ſuos exterſit oculos, omnis tumor ſanguinis, & caligo, cunctis videntibus, qui ibidem *fuerunt*, *demonſtratum eſt*, *ita ut* (12) nunquam in ſuis oculis aliquam maculam habuiſſet, & hymnis, atque laudibus aſſi-

(1) *expulerunt Eulalium de urbe Roma, & miſerunt*. Mur.
(2) *veniens*. Mur.
(3) *ad*. Mur.
(4) *alter*. Mur.
(5) *aegrotos*. Mur.
(6) *ſalvificantes*. Mur.
(7) *Quo viſo Auguſta congaudens egit gratias*. Mur.
(8) *filiis tuis Auguſtis*. Mur.
(9) *aſſerit ſe veniſſe. Igitur data oratione poſtulabat*. Mur.
(10) *ob hoc, quantum*. Mur.
(11) *perveniens*. Mur.
(12) *fuerant, ceſſarit, & ipſa ſtatim ſanè facta eſt, ac ſi*. Mur.

duè Domino Noſtro Jeſu Chriſto gratias referre nullo modo ceſſabat. Sed (13) de reliquis mirabilibus, quæ idem Sanctiſſimus Vir geſſit ad inluſtranda corda omnium credentium in *Dominum* (14) referimus.

Fuit vir unus nomine Gallogenis natione Græcus, qui dum ab Auguſto Valentiniano juſſus fuiſſet feſtinus per ſcalam deſcendere, compeditus eſt, & deſuper terram cecidit, pedeque contrito periclitabatur pedibus, & tibiis, & oſſibus diminutis. Qui dum Medicorum præſidia conſpexiſſet ad ſuccurrendum invalida, dumque ferè jam ipſius pedes, & tibiæ oſſa paulatim cadendum difluerent, carnibuſque cum affluenti ſanie liquefactis, ad Sanctiſſimum Virum Barbatianum deportatus confûgit, ut de hoc ſanitatem ſupplicans inveniret. *Qui dum intuitus eum* (15) conſpexiſſet Sanctiſſimus Chriſti Confeſsor, aſpiciens in cœlum, & proſtratus cum lacrymis oravit Dominum. Et elevans ſe ab oratione, juſſit ad ſe claudum deportari, & dans orationem ſuper eum, ſignum ſanctæ Crucis (16) faciens, redintegrata ſunt dampnata oſsa dilapſorum. (17) Et poſt actam ammirabilis ſanitatis ægritudinem, fuit vir unus nomine Iſidorus, qui de pulmone fuerat graviter cruciatus, pro qua ægritudine nullus Medicorum poterat ei remedium ſanitatis præſtare, ſed omnia, quæ illi faciebant, contraria exiſtebant, & cùm jam putrefactus fuiſset, paulatim expuebat in flegma, atque in ſanguinem reſolutus, finem vitæ ex hoc expectabat ſibi venire. *Et dum in hoc* (18) Iſidorus ſe ipſum deſpiciens, & cognoſcens, quòd nullam ſanitatis ſpem (19) accepiſset, abiit ad Beatum Barbatianum ſilentio manè, ut de ejus manibus benedictionem perciperet, & ſalutis ſibi recuperaret remedium. Quem dum Sanctiſſimus *Vir exquiſiſſet*, *in lacrymas vultus ejus deventus eſt*. (20) & humo proſtratus Dominum deprecabatur, ut illi ſalutem ſui corporis priſtinam redonaret. Qui ſurgens ab oratione, modicam citri petiam ei porrexit. *Qui ipſe ægrotus*, *quod ab eo acceperat*, (21) gratè ſuſcepit, & libenter comêdit. *Qui cum adhuc extremum citri*, *quem comedebat*, *manderet*, (22) illico in vomitum motus eſt, & turbatus eſt, & unà cum cibo vermem, qui ejus pulmonem, vel viſcera comedebat, abjecit. Qui eum eiciens, pariter & ægritudinem abſtulit, & ſanitatis firmitatem continuò recepit.

Poſt ammirabilem verò curationem Iſidorii, Minatis infirmitatem in medium proferamus, ut veſtris auribus audientes Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum laudibus, & hymnis glorificetis. Hic autem Minas, quem memoravimus infirmatus eſt graviter, eratque ejus infirmitas febris vehemens, quæ *inteſtanter eum*, (23) atque flagranter agreſsa eſt, & ferè omne corpus ejus humore extinguens ad empſicheam emenſitatem, deſiccationemque produxit. Ad quam ventris deſiccationem diſcipuli Medicorum deferebant antidota, & cibos, qui ventrem ſolverent,

(13) *&*. Mur.
(14) *Domino*. Mur.
(15) *Quem dum*. Mur.
(16) *ante*. Mur.
(17) *& illa hora ſanus factus eſt*. Mur.
(18) *Propter hoc*. Mur.
(19) *ab hominibus*. Mur.
(20) *inquiſiſſet, & infirmitatem ab eo indicatam audiſſet, lacrymatus eſt diutiſſime*. Mur.
(21) *quam aegrotus*. Mur.
(22) *Quumque adhuc extremam partem citri manderet*. Mur.
(23) *inſtanter*. Mur.

verent, & nihil ei, quæ dederant, profuerant, sed deterius habebat, & graviter ei nocuerunt. Qui dum per bis septem dies perpessus periculum, *ut* (1) ultra ferre non valens, ad Sanctissimum Virum Barbatianum in cellulam, ubi se applicuerat, confugit, & eidem vitam, mortemque committens; (2) quando ad eum venit, non pedibus, neque furibo venit, in quo deportantur ægroti, (3) nec sedere poterat, nec ambulare, sed in lectulo jacens à sedecim hominibus *vice* (4) portatus est. Qui venientes ad ipsum Sanctissimum Virum Barbatianum, humo prostrati portitores *postulantes*, (5) ut eum salvum faceret. *Qui confestim* (6) ut vidit eum, misertus est ei, & oculos suos ad cœlum levans, oravit diutissimè; & post orationem expletam, tollens unam caricam, & signum sanctæ Crucis desuper fecit, & detulit illi ægroto, ut comederet. Qui dum confestim cum magno gaudio recepisset, & comedisset, de præsenti sanitatem adeptus est, & perfectam salutem potitus est. Et fidelis præco ab ipso missus gratiam Sanctissimi Viri conlaudabat, & in suis humeris lectulum sumens, in quo ad veniendum subvectus est, deportabat. Et in hoc imitans illum opere, qui in Probatica Piscina languens jacuerat, quem Christus post triginta & octo annos salvificans, *ait; tolle grabatum tuum, & ambula. Ipse jusserat ineffabilem virtutem, & opus ammirabile, quod in eo pertulerat.* (7)

Eodem tempore fuit vir quidam nomine Geddeo, qui habebat in inguine fistulam. *Ad hoc expectaculum* (8) ad sui considerationem nos *attraxit*. (9) Passio verò languoris fistulæ, quam *habens* (10) in inguine ex eo *gignitur*, (11) quòd flagella perpessus, *& humoris effluentibus guttis, & ibidem ex toto corpore collectis, & hoc supplicio impeditus salutem* (12) cupiens Medicorum adhærebat vestibulo frequenter, & jugiter procedens ad eos deducebatur. Dum verò omnium experientiam accepisset, omniaque impendens, & non fuisset liberatus à fistula ad Sanctissimum Virum Barbatianum veniens noctu, non habens Medicum, qui ei *continuisset* (13) curam, nec aurum habens, neque argentum, sed ad ipsum virum, qui non *indigens* (14) mercedibus, sed magis inopes nutrit, & infirmis præstat beneficia, pervênit. *Qui dum adinvenisset*, (15) vulnus suum *illi* (16) Sanctissimo Patri ostendit, & in oratione prostratus Dominum deprecatus est. Qui elevans se ab oratione, porrexit eidem de manu sua confectum cataplasma, quod accepit, tam ad eradicandum fistulam, quàmque ad complendum ipsum vulnus. Quo verò superposito, & fistula siccata est, & cavitas statim repleta est, & ad honorem, & laudem Sancti Christi Confessoris sanus effectus est.

Sed alia miracula, quæ per Sanctissimum Confessorem Christi Barbatianum Dominus operatus est, in medium proferamus, & divini Medici disciplinam, & virtutis gratiam, quæ ei à Deo concessa est conlaudantes ad Minantem *lordum* (17) transibimus. *Hic canendi Barbatiani Martyrio faciente velox pedibus erat Minas*, (18) tanquam si una caprea in agro, juxta Sanctam Scripturam dicentem; Asahel illum, qui per velocitatem pedum in Scripturis esset ammirabilis. Qui dum velocissimus cursibus uteretur, *lorpes conversus est de eripede*, (19) & de longa tandem vix exiliens ægritudine non tamen evasit ejus perniciem, sed immobilis permansit lectulo, etiam non erectus de ægrimonia. Medicis verò longam quidem infirmitatem prædicentibus, & desperantibus eum ægritudine, quæ ex morbo illo progenita fuerat, in somnis apparuit ei *visio* (20) Sanctissimi Viri Barbatiani orationibus liberari. Et subitò vigilans, aliorum pedibus ad ejus cellulam deportatus est nocturnis horis. Qui dum confidenter perrexisset, videns eum Confessor Christi oravit ad Dominum, & *nervam* (21) illam abjecit, & velocitatem pristinam recepit in Christo Jesu Domino nostro.

Sed & post hoc miraculum sanitas Theodori accedat in medium, qui ipse Theodorus ægrotans oculorum corporis *orbitate*. *His quidem dolens Theodorus, & non inveniens diligentiam competentem*, (22) in utrisque oculis induit *tenebrosas* (23) cicatrices. Qui dum abjisset ad Medicos, & esse insanabiles didicisset, ad Sanctum Barbatianum se portare jussit, *unam spem credulitatis affatur, quia si apud eum jungi potuero. Sed dum ad ejus cellulam properasset*, *obsecrans* (24) Sanctissimum Virum, ut aliquantos dies in *ejusdem demoraret cellula. Quem Sanctissimus Pater refutare noluit, sed ibidem idem orans gratissimum fructum adeptus est. Post hæc Sanctissimus* (25) Confessor Christi Barbatianus præcepit ei, ut ad fontem egrederetur, aquam in situla *efferendum*; (26) cui respondit, cæcus sum, videre non valeo, & quomodo ire possum ad aquam hauriendam? Cui respondit B. Barbatianus; vade tantummodo. Qui dum egressus fuisset, tamen non aspiciebat, quò pergeret. Ipse verò Sanctissimus Confessor Christi in orationem prostratus, pro eodem viro Dominum deprecabatur, ut lumen oculorum suorum reciperet. Sed ejus misericordia, qui eum inspiraverat (27) ad veniendum edocuerat, impletam situlam aquâ attulit ei, qui benedicens, & dans ei, faciem ejus jussit lavari, qui dum lavisset, statim sicut squammæ piscium, *tales* (28) ab ejus oculis ablatæ sunt. Et elevavit vocem maximam cum lacrymis, agens gratias Deo, qui per orationem Sanctissimi

(1) *&*. Mur.
(2) *&*. Mur.
(3) *quia*. Mur.
(4) *per vices*. Mur.
(5) *postulaverunt*. Mur.
(6) *Christi vero Confessor*. Mur.
(7) *tollere grabatum suum, & ambulare ipsum miserat, ineffabilem virtutem, & opus admirabile, quod ei Sanctus praestiterat, patefaciens*. Mur.
(8) *Hoc spectaculum*. Mur.
(9) *attrahit*. Mur.
(10) *habebat*. Mur.
(11) *nata est*. Mur.
(12) *humoresque confluentibus guttis ibidem ex toto corpore collecti sunt. Ex hoc supplicio eximi penitus*. Mur.
(13) *continuasset*. Mur.
(14) *indigebat*. Mur.
(15) *Ad quem dum venisset*. Mur.
(16) *illico*. Mur.
(17) *loripedem*. Mur.
(18) *hanc in laude Barbatiani materiam habentes. Velox pedibus erat minans*. Mur.
(19) *longam incurrerat aegritudinem, in qua loripes factus est de eripede*. Mur.
(20) *deest*. Mur.
(21) fort. *herniam*. Mur. fortè *ignaviam*. Bacch.
(22) *dolore, & non inveniens diligentiam competentem*. Mur.
(23) *tenebrositas*. Mur.
(24) *In via sibi spem credulitatis affatus, quia si ei jungi potuero salvus ero. Dum autem ad ejus cellulam pervenisset, obsecratus est*. Mur.
(25) *demoraretur cellula, cui Sanctissimus Pater annuit, sicque ibidem idem infirmus orans in brevi fructum salutis taliter adeptus est. Sanctissimus*. Mur.
(26) *afferri ad eumdem*. Mur.
(27) *&*. Mur.
(28) *deest*. Mur.

A ſimi Viri inluminatus eſt. *Et hoc perſonatur* (1) in omni regione urbis Romæ ad honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui eſt honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Eodem tempore Galla Placidia Auguſta cum filio ſuo Valentiniano Auguſto Ravennam perrexerunt; Barbatianum verò Sanctiſſimum Presbyterum cum magno honore ſecum detulerunt. Honorius verò Auguſtus rediit Mediolanum. Qui dum ingreſſi fuiſſent civitatem Ravennatium intra palatium, ſtatim contulit ipſi venerabili viro Ergodotum ſuum, in quo ipſe Dei famulus à fundamentis unà conſtruxit, (2) in quo & Monacorum regulam confirmavit, cum quibus die, noctuque jejuniis, & orationibus Domino ſerviendo minimè ceſſabat. B His itaque geſtis fuit vir unus nomine Julianus de nobili genere ortus, quia audiens, quòd vir Sanctiſſimus præſtaret ſingulis beneficia, perrexit cum oblationibus obtinendum, ut Miſſarum ſibi ſolempnia celebraret ad liberandum ejus filium ſuis ſanctis orationibus, quia ejus guttur ſcruphulæ circumdederant, & maximas cutes habens, minimè valebat ſuam cervicem erigere, intantùm, ut jam ulcera foris apparerent, & ſanies putredinem emanaret. Qui dum *completam Miſſarum* (3) orationem feciſſet, proſtravit ſe ad pedes Sanctiſſimi Viri Barbatiani, & cum lacrymis eum rogare cœpit, ut ſuo filio curam ſanitatis adhiberet, quia per nullius artis medicinam, vel aliis dictantibus C valuiſſet eum liberare. Ad hæc Beatiſſimus Vir elevatis oculis ad cœlum, & data oratione ingreſſus eſt ſuam cellulam, qui ſumens unum *emplaſtum* (4) in manu cum cera, & diminutum panem miſtum cum oleo, juſſit ejus filium adduci. Et facto ſignaculo Crucis ſuper *emplaſtum*, (5) poſuit ſuper duriſſima vulnera, ſtatimque crepuerunt, & coram *omnibus*, (6) qui ibidem fuerunt, ceciderunt pluſquam ſexaginta ſeptem vermiculi, ſicut *annumerantibus* (7) eos dicebatur. Et collecti ſunt omnes ab ejus genitore, & per multos dies ſuſpenderunt, eos demonſtrantes cunctis pro credulitate, quod factum fuerat ad laudem, & gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quòd per iſtum Sanctiſſimum D Virum mirabilia facta ſunt.

Per idem tempus, dum divina inſpiratione à Galla Placidia Auguſta erecta fuiſſet Eccleſia B. Johannis Evangeliſtæ Chriſto dilecti Diſcipuli, in nimia cogitatione devênit Auguſta, cum ſuo filio pro eo, quòd nullæ Reliquiæ ipſius Apoſtoli Corporis inveniebantur. Tunc accerſitum pariter Sanctiſſimum Confeſſorem Chriſti Barbatianum, inito conſilio, ut vigiliis, & orationibus Dominum obtinendum ipſius Chriſti Sancti Diſcipuli Reliquiæ *demonſtrarent*. (8) *Quod factum eſt* (9) aſſiduis pernoctationibus Dominum deprecandum minimè diſceſſerunt. Qui, dum oratio expleta fuiſſet, abierunt paululum requieſcere, *dum & tanquam* E *ſopore* (10) ſomni ad Sanctiſſimum Confeſſorem Chriſti acceſſit, qui nec fortiter dormiens, nec vigilans pleniùs, vidit hominem in veſte præclara ambulantem vultu Angelico, & thurribulum in manu geſtantem incenſum Domino mittendum, & expergefactus exiſtimabat ſe viſum vidiſſe. Qui cum apertis oculis eum *alacriter* (11) intuitus fuiſſet, ſilenter perrexit, ubi Auguſta dormiebat, & leniùs eam contingens, ut evigilaret. Quæ dum evigilata fuiſſet, digito ſuo ipſe Sanctiſſimus Barbatianus virum illum, quem viderat, eidem Auguſtæ demonſtravit, *quia ipſe* (12) fervens animo erat in Domino. Erecta eſt de loco illo, ubi jacebat, & *adcurrens* (13) cum magno gaudio, ad pedes ejus provoluta eum tenere volebat. Qui ſubitò ab oculis ejus ſublatus eſt, & ſandaliam, quam in dextero pede habuerat, in ejus manibus reliquit. Quæ ut vidit hoc ammirabile myſterium Auguſta, cum magno gaudio elevans vocem, conlaudans Dominum Jeſum Chriſtum, qui *Sanctus* (14) in mirabilibus Sancti ſui Apoſtoli operatus eſt. Unde *miro* (15) gaudio repletus (16) Auguſtus ejus filius, vel cuncti audientes, qui in *hoc* (17) Deo amabili Ravennatium *myſterii* (18) civitate manebant. Et poſt hoc ſacramentum myſterii conſecrata eſt ipſa Sancta Eccleſia, ad laudem Domini noſtri Jeſu Chriſti, in *honore* (19) Beatiſsimi Johannis Evangeliſtæ. Sanctiſſimus verò Barbatianus ampliùs à cunctis venerabatur hominibus, & cuncta, quæ facta fuerant per ipſum Confeſſorem Chriſti, omnibus per ſe ipſa Auguſta enarrabat miraculum. Qui ipſe Venerabilis Vir ad ſuam reverſus eſt cellulam.

Poſt non multum tempus, dum ipſe Dei famulus in ſuo demoraretur Monaſterio, fuit quædam mulier nobiliſſima intra hanc Ravennatium urbem nomine Theodora, quæ nimia perpeſſa infirmitate *devênit*, (20) habens ſanguinis fluxum, cui Medici, & ſinguli homines curationes facientes nihil ei *ad adjutorium fuerant*, (21) ſed omnia ei contraria extiterant, in tantùm, ut minimè ſe valeret ſurſum erigere, vel ambulare. Quæ ut audivit de mirabilibus Sanctiſſimi Viri Barbatiani, quòd multi per eum ſalvi facti fuerant, poſuit ſpem ſuam, atque confidentiam in Domino, & ait intra ſe, quid faciam? Credo omnipotenti Deo, ſi abiero ad eum, ſalva ero. Unde ſuos vocavit parentes, ut ad januam cellulæ Monaſterii B. Barbatiani eam perducerent. Quæ dum abiiſſet, notum factum eſt Beatiſſimo Viro Barbatiano de adventu mulieris ægrotæ, & *elevat* (22) ſe ab oratione, *pergens* (23) ad januam Monaſterii cum cæteris deſervientibus ipſius venerabilis loci, & dum intuitus eam fuiſſet, dans orationem, ait mulieri; Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui ſanitatem Veronicæ (24) mulieri præbuit, & eam à fluxu ſanguinis liberavit, in ipſius nomine, & fiducia tibi dico ſurge, & vade in domum tuam. Quod dum in auribus ejus continuò perſonatum fuiſſet, ſana effecta eſt, & abiit in domum ſuam ſaniſſima, tanquam ſi nullam habuiſſet *malitiam*, (25) & benedi-

(1) *Et haec perſonuerunt*. Mur.
(2) *& in honore Beati Johannis Baptiſtæ ſanxit*. Mur.
(3) *completum Miſſarum ſolemniis*. Mur.
(4) *emplaſtrum*. Mur.
(5) *emplaſtrum*. Mur.
(6) *omnibus aſtantibus*. Mur.
(7) *à numerantibus*. Mur.
(8) *demonſtrarentur*. Mur.
(9) *Quo facto*. Mur.
(10) *& dum tamquam ſopor*. Mur.
(11) *clariter*. Mur.
(12) *quae & ipſa*. Mur.
(13) *ad eum*. Mur.
(14) *ſic*. Mur.
(15) *nimio*. Mur.
(16) *eſt*. Mur.
(17) *hac*. Mur.
(18) *deeſt myſterii*. Mur.
(19) *honorem*. Mur.
(20) *per quam in magnam defectionem venit*. Mur.
(21) *adjutorium profuerat*. Mur.
(22) *elevans*. Mur.
(23) *pergit*. Mur.
(24) *Haec antiquior, quam viderim, Veronicae mentio Matronae*. Bacch.
(25) *maculam*. Mur.

nedicens Dominum, qui sic per Sanctissimum Virum mirabilia operatus est.

Quod audientes populi, magnam admirationem in Dei famulo habebant; unde ab eodem die Theodora assiduè cum oblationibus veniebat, obsecrans Missarum sibi *celebrare* (1) solempnia, petens benedictionem Sanctissimi Viri. Et dum ipsa diutiùs ipsum dignum opus adimplens minimè discedebat, vir ejus nomine Ursicius protervus, atque malignus diabolico spiritu instigatus, zelo ductus de ipsa sua conjuge. Et dum matutinis horis ad Ecclesiam (2) pergeret, & eleemosynas, quas ab Augusta acceperat, pauperibus errogaret, & non longè à fluminis ponte appropinquaret, obcelatus adstitit juxta parietem domus post columnam saxeam, ut Sanctum Virum transeuntem evaginato gladio percuteret. Qui erecto brachio, nec percutere valuit, nec deponere, sed arefacto brachio, & manum rigidam detinebat, & mens illius mutata est. Qui Beatissimus Vir pertransiit adimplens, quæ cœperat. Manè verò primo diluculo venientes populi invenerunt pertinacem illum virum, tanquam mutum, & brachium ejus rigidum tenentem, & in manu sua *tenentem* (3) gladium. Mirabantur tamen omnes, & nullus agnovit, pro quo ei contigisset. Qui, dum hora diei tertia jam præterisset, & ad Ecclesiam *reverterentur*, *Christi* (4) Dei famulus, dum hoc factum cognovisset, elevatis oculis sursum ad cœlum cum lacrymis ingemuit, & dans orationem, statim in se reversus est, & lingua resoluta est, statimque cecidit ad Pedes Sanctissimi Viri Barbatiani, deposcens, ut ei hoc peccatum dimitteretur. Cui Sanctus Vir dans benedictionem, perrexit ad suam cellulam. Qui ipse Ursicius omnia innotuit in populo de malo, quod gesserat, & cunctus populus reddebat Deo laudem, qui sic in Servo Dei operatus est mirabilia. Unde recurrit hoc nuncium in palatium, nunciatum est Gallæ Placidiæ Augustæ, & filio ejus Valentiniano Augusto, qui & ipsi gratias Deo dederunt. Ab *eo dein* (5) die amplius cellulam sui Monasterii minimè est egressus, sed in suo sancto ipso Monasterio *demorabatur* (6) vigiliis, & orationibus Domino referre gratias minimè cessabat, & multi, qui (7) occultè veniebant, beneficia, sanitatisque gratiam recipiebant. Quo tempore cupiens Augusta habere ejus benedictionem, quotidie ipsius viri sanctificatione participabat benedictionem.

Et dum Ecclesia B. Stephani primi Martyris in mœnibus post muros civitatis Ariminensis ab ipsa Augusta construeretur, & ipsa illic ad supplendum eam cum suo filio Augusto demoraretur, Sanctissimus Vir, & Confessor Christi nocturnis horis dum evigilasset, in ipsis vigiliis infirmatus est. Qui Domini Dei omnipotentis jussu *cùm finis vitæ ejus appropinquaret*, (8) nunciatur Sanctissimo Patri Librifico Petro Ravennati Episcopo, dum esset ipse in suis vigiliis intra sanctam Ecclesiam, quòd idem Sanctissimus Confessor Christi Barbatianus *migravit* (9) ad Dominum. Qui sub omni celeritate misit nuncium ad *Augustum*, (10) ut ei indicaret finem rei. Quæ ipsa Augusta cum filio suo quantocius properantes venerunt, &

A introëuntes cellulam, in qua ipse Dei famulus, & Confessor Christi jacebat. Ipse verò Sanctus Vir dum intuitus eos fuisset, dans orationem, & benedictionem pro eis, & pro omnibus credentibus in Domino, ut potuerat, tanquam eructuans per tres vices, migravit ad Dominum. Qui Sanctissimus Pater Petrus Episcopus lavit Corpus ejus, & condivit aromatibus inæstimabilibus cum omni diligentia, sicut mos antiquitus Sancti condiebantur, unà cum Galla Placidia Augusta, & filio ejus Valentiniano Augusto. Qui in optimo loco sepelierunt eum in monumento novo, quod noviter in saxo marmoreo mirificè incidi præceperat, juxta Altarium Beatissimi Baptistæ Johannis. Sepelierunt

B eum sub die secundo Kalendarum Januariarum, ubi multi nobiles, & ignobiles advenerunt, & multi ægroti sanitatem pro ejus sacris precibus adepti sunt. Ipsa verò Dei famula Galla Placidia Augusta, unà cum filio suo Augusto *egressi* (11) sunt ad opus Ecclesiæ sanctæ perstruendum, quod se Domino *noverant* (12) esse adimpleturos, ad laudem Domini nostri Jesu Christi, qui cum Deo Patre regnat in Cœlis in unitate Spiritus Sancti modò, & semper, & per omnia secula seculorum. Amen.

Celebris est apud Ravennates memoria consecrationis Ecclesiæ S. Johannis Evangelistæ, quæ narratur in hac S. Barbatiani vita. Ejus rei historia

C *extat adhuc expressa iu marmore opere anaglyphtico supra Portam majorem frontis ejusdem Basilicæ. Reverendissimus P. Thomasius, quem hìc cum omni honoris obsequio ob pietatem, ac sacram in primis eruditionem, & eo in me collata amoris signa, laudatum volo, dono humanissimè dedit ejus operis delineationem, quam hìc ære incisam duabus tabulis adjicere placet. Porrò ex duplici alterius tabulæ typo eidem Reverendissimo Patri Ravennâ transmisso, secundùm accuratiorem seligere placuit hìc exhibendum. At æqui bonique consule Lector, si in hac tabula signata D., & in altera huic affini signata C., sicut, & in aliis contra adjectis Sculptor italicis verbis usus est, ubi quædam notanda*

D *erant. Id enim fecit ille juxta exemplaria, nec, semel admissis verbis italicis, hæc in latinum verti potuere, & mutari. Id hìc te monuisse satis.*

Ad hæc eadem tempora spectat infrascriptum antiquissimum monumentum, cui lubet nonnulla præmittere.


EXemplum hoc ex autographo in papyro ægyptiaca descripto mihi paravi, quod ut viderem humanissimè curavit eximius Vir Illustrissimus Dominus Johannes Gallianus de Coccapanis Serenissimi Mutinæ Ducis à secretis, exhibuitque Dominus Comes Andreas Sora ex Cymeliis generosissimæ gentis Sanbonifacianæ. Papyrus, in qua documentum conscriptum est, ejus est structuræ, quæ narratur.

E *Allatio in animadvers. num. 66., ejusque speciei, quæ Plinio teste amphitheatrica dicebatur lib. 13. cap. 12.*


Cùm papyrus mutila sit, & plurimis in locis corrosa, vix assequi potui documentorum sensum. Illud agnovi, agi in eis de fundis, eorumque redditibus in Sicilia per Tribunum, & Conductores diversos administrari solitis, quorum cura committitur

(1) *celebrari*. Mur.
(2) *B. Johannis Baptistæ*. Mur.
(3) *habentem*. Mur.
(4) *reverteretur Christi*. Mur.
(5) *eodem*. Mur.
(6) *demoratus*. Mur.
(7) *ad eum*. Mur.
(8) *quum finem ejus appropinquare videret*. Mur.
(9) *migraret*. Mur.
(10) *Augustam*. Mur.
(11) *reversi*. Mur.
(12) *voverant*. Mur.

T. II. Tab. C. pag. 198.



T. II. Tab. D. pag. 198.



tur Sisinnio cuipiam post Pyrri Tribuni recessum. Epistola prior Sisinnio ipsi scripta videtur. Secunda hominibus in fundis illis degentibus. Tertia Eleutherioni, & Zosimo praecipuis Conductoribus, quibus omnibus injungitur, ut Sisinnio obediant, & ratio datur mittendorum redditium Ravennam.

Mutilum est Scribentis nomen, praefixum tertio documento. Ex historia Ravennate Lauricium novimus celebrem Theodosii Augusti aevo, quem Majorem domus Imperatoris vocat Agnellus noster. Fortè an igitur is est, qui haec scripserit? Tribuni officium Siciliae redditibus praepositum videtur adstruere rem augustam hic actam; at aliunde constat per ea tempora Ecclesiam Ravennatem ampla latifundia in Sicilia habuisse, quae per Rectorem administrabantur.

A

Notae Consulares, quibus nomina debitorum, & rationes consignantur, spectant ad annos Aerae vulgaris 443., & 444. Quare haec sunt antiquissima documenta, quae in papyro aegyptiaca supersint, quaeque observaverint in hanc diem doctissimi harum rerum Scrutatores, inter quos videatur Mabillonius de Re Diplom. lib. 1. cap. 8.

Forma characterum est eadem cum testamento (ut vocant) Julii Caesaris, de qua vide laudatum C. V. pag. 344., & 460.

Dum haec scriberem, edidit doctissimus Mabillonius haec eadem documenta in Appendice aurei Operis de Re Diplomatica. Cogitabam itaque de his omittendis; at cum ex collatione mei autographi, quod ipse ex apographo descripsi, facta cum editis à Mabillonio, viderim nonnulla in Mabillonianis deesse, obtenta à viro humanissimo per epistolas recudendi venia, utraque hic dare operae pretium duxi.

B

Exemplum Documentorum Ravennatum pro Fundis Siciliensibus.

Desunt in principio aliqua.

.... & Conductores, vel homines nostri .... vena...... feliciter........ Siciliam perveneris duodecimae, & tertiaedecimae Indictionis.... Massae Fidilianae, quam ille... .... profligavit discussis omnibus .... undecima Indictione...... ecies rationes, ut quidquid per illius negligentiam perditum, vel corruptum, est tuâ industriâ corrigatur, atque nobis reformetur, nihilominus .... profic .... aut .... ipsa ra........... dem relictis scire possimus fi... d........ a procur ..... ut dum à nobis alius fuerit directus fide industriae tuae.......... nostrae........... Ante omnia de Fundo Pacilaico, quem Tranquillus in temp...... jori quondam sub certa depactione fiduciae nexu obligaverat juxta cautionem, quam tecum portaveras, quam ipsi Pyrro refudisti, qui à proxime....... cio quibusque eorum personam ignoramus dicitur occupatus, & licet auct........ ut domus nostrae reformetur, vel cer.........., nis quis tibi ci.......... ... functi satis...... à debito, ut in hac parte prudentiam tuam ostend......... profligaveris, quoniam cautionem ipse tecum habes majorem .... quam tibi adquiras, quos solidos cum pensione quartaedecimae Indictionis de praeteritis temporibus quidquid solicitudine tua exactum fuerit........ e deferas, vel certè...... periculo....... di...... idoneos.............. bus...... omnia documenta, quae Pyrrus egerat diriges debit........ rigoris servatâ justitiâ exiges, ut cùm nobis satisfactum fuerit de..... nu ejus habita moderatione judicare possimus, quaeque tamen...... solertia, ut omnia requirantur, ne in aliquo nobis, aut secundae sententiae....... dispendium adferatur. Similí modo .... de peculi..... a Clodian..... nandum esse jubemus ad Conductores etiam, vel Actores, & simul....... stri literas dedimus, ut admonitione nostra pro utilitate nostri ......s obsecundent jussionibus. Vide ergo ne rursus ..... desideria............. intercedat, & novitate nos................. ipse facias........ pec.......... domui nostrae necessa..... si navis fuerit inventa, quae ad Ravennatem Portum feliciter opportuno tempore disponat transmit ...nias,

C

D

E

Ex Mabilloniano exemplo.

Commonitorium Theodosii Junioris pro Sisinnio, cui res à Tranquillo extortae fuerant, sed per Pyrrum Tribunum jussu Imperatoris restitutae. Datum Consulatu Theodosii Junioris, & Albini

....

dem relictis scire possemus........ ut dum à nobis alius fuerit directus, fidei, industriaeque.... noster.... Ante omnia de Fundo Facilaico, quam Tranquillon in temp.... ori quondam sub depactione fiduciae nexu obligaverat juxta...... nem, quam tecum paraveras, quam ipsi Pyrro refudisti, quia proximo... nescio quibus, quorum personam ignoramus, dicitur occupatum elic. auct........ ut domui nostrae reformetur, vel cer...... quis vel obvi.... facti satisfacit debito: ut in hac parte prudentiam tuam osten....... profligaveras, quoniam cautionem ipse tecum habes majorem..... tibi acquiras, quos solidos cùm pensiones quartaedecimae Indictionis praesentis temporibus quidquid solicitudine tua exactum fuerit.... e deferas, vel certè fide, & periculo....... di... bus cum omnia documenta, quae Pyrrus egerit, dirigas debita .... rigoris servata justitia exige; ut cùm nobis satisfactum fuerit di....... ejus habeat moderationem judicare possimus

quaeque men.... llere jura omnia requirantur, ne in aliquo nobis, aut secundae sententiae...... dispendium adferatur. Simili modo peculia Clodian ...... andum esse jubemus. Ad Conductores etiam, vel Actores &....... nostri literas dedimus, ut admonitione nostra pro utilitate nostri...... obsecundent jussionibus. Vide ergo rursus, aut traditas, aut desidera...... desideria intercedat, & novi ante nos excogitare ipse facias spec...... domui nostrae necessaria, si novis fuerit...... enta, quae...... dra...... cum feliciter opportuno tempore disponat transmitte...... nias, qui Ravennae ad urbem mittatur, & in horreo nostro... .... tur. Et manu Domini subscriptio. Opto multos annos bene valeatis.

Aliud

A .... nias, qui Ravennæ veniat ad urbem mitti curet in horreo nostro............... ur........... Domini subscribtio. Opto multos annos bene valea...

.... s ur̄.......... it ....

.... no de nostra incolumitate gaudere, illud etiam admonemus, ut Sisinnio Conductori .... diliana manente dispositione Conductorum vestrorum ejus jussionibus....... indetis, cui post egressum Pyrri Tribuni ad omnia,
B quæ minimè egit procuranda Commonitorio nominis nostri curam mandavimus, ut nemo vestrum rebellis con....... ne in exemplo disciplinæ ultione prosternatur, quidquid enim memo......... jus pro nostris commodis egerit, ex lectione Commonitorii nostri gratum.......
.... esse scibitis. Opto bene valeatis.

...... ricius V. C. Eleutherioni, & Zosimo Conductoribus............ dissentientibus, utilitates nostras ab initio lacessiri non habentur ambiguum.... cessio... s.......... coëgit, ut
C Pyrrum Tribunum in tempore ad Siciliam miserimus......... triennium reversus diverso tempore corporali tædio detentus edocuit se....... commodis prodesse minimè potuisse, & quia Sisinnium, qui adversùs eundem......... illa deposuerat occasione adventus ejus præsentem invênit, necesse fuit..... omnia agenda, & corrigenda injungeremus, ut universa exactè, remota fraude....... igeret quartædecimæ Indictionis ad nos pensiones, aut ipse feliciter deferret...... transmittet. Quid igitur illi à nobis injunctum sit, lecto Commonitorio nostro agnoscetis. Videte ergo memores salutis vestræ, ut pro nostri utilitatibus...... obsecundetis jussionibus. De Fundo Pacilaico nihilominus actionem memorato Sisinnio mandamus.
D Participato itaque consilio, & solatio agite, ut omnium rerum indemnitas........ r...... It subscribtio B. V.

.... ni Siciliensis, qui damn......... ab Ind. XII. Consf. Maximi ter..... Paterni V. V. C. C. conlo....... Bonifacio præsente.... .... ibus....... singulis........ dare debent.
Ita.
E ..... Massa Emporitana, per Zosimum, & Ecupriorem — Solid. n̄ DCCLVI. ..... Fundus Annianus sive.... rus per SS — Sol. n̄ CXLVII.
..... on tritici, sive hordei, quod ante barbarico fisco præst — Sol. n̄. LXXV.........
Fundi operæ per SS -- Sol. n̄ LII..... cullius conlocante Sisinnio Sol. n̄ V....... sufradilianensis per Sisinnium Sol. n̄. CCXLV....... sucassitoria per Eleutherionem, Zosimum, & Ebandum —— Sol. n̄ D........ SS qui de Ind. XII. inferendi sunt solidi CCCLXXV.
.... XIII. Consf. D. N. Theodosi Aug. XVIII., & Albini V. C. ingerendi per SS Pyrrum

Aliud Rescriptum ejusdem argumenti.

.... *jus vir in̄ Ast*..........

de nostra incolumitate gaudere. Illud etiam admonemus, ut Sisinnio conducta....... dilianæ mari ...... dispositione Conductorum vestrorum ejus jussionibus co....... indetis, cui post egressum Pyrri Tribuni ad omnia, quæ minimè..... procurant .... Commonitorio nominis nostri curam and.. ..... mus, & nemo vestrum rebellis con....... ne in exemplo disciplinæ ultioni prosternatur..... quidquid enim nemo........ jus pro nostris commodis egerit, ex lectione Commonitorii nostri grav. ...... esse scibitis. Opto bene valeatis.

Item aliud.

.... *jus Vir in̄ Eleutherioni, & Zosimo cond...... dissentientibus utilitates nostras ab initio lacessiri non habetur ambiguum........ cessionis coëgit, ut Pyrrum Tribunum in tempore ad Siciliam miserem....... triennium reversus, diverso tempore corporali tædio detentus edocuit...... omnimodis prodesse minimè potuisse. Et quia Sisinnium qui adversùs eundem..... lla deposuerat, & occasionem adventus ejus præsentem invênit, necesse fuit...... omnia agenda, & corrigenda injungeremus, ut universa exacta, remota fraude.... quartædecimæ Indictionis ad nos pensiones, aut ipse feliciter deferat...... transmittat. Quid igitur illi à nobis injunctum sit, lecto Commonitorio nostro........ Videte ergo memores salutis vestræ, ut pro nostri utilitate obsecundetis..... jussionibus de Fundo Pacilaico nihilominus actionem memorato Sisinnio manda...... jus. Participato itaque consilio, & solatio agite, ut omnium rerum indemnitas.......... is. Item subscriptio. Opto bene valeatis.*

Fragmenta de executione Commonitorii Imperialis.

....
ni Siciliensis..... Ind. XII. Consf. Maximia. reg. patri V. V. C. C., & Bonifacio...... præsente relegi Pyrro.... cessa Emporitana per Zosimum, & Cuprionem Sol. n. DCCLVI......

...... *dus Ariniara sive murus per supra scriptes — Sol. n. CXLVII......... one tritici, sive hordei, quod ante barbarico fisco præstare — Sol. n. LXXV*...

XIII. Consulatu D. N. Theodosi Aug. XVIII., & Albini V. C. inferendi per suprascriptum Pyrrum — Solid. n̄. CLXXV.

& de reliqua Zosimi juxta relationes epistulæ Tribuni

rum —— Sol. IICLXXV.
.... faciunt omnes qui de Indictione XII., & XIII. per Tribunum Pyrrum inferendi sunt auri Sol. IIIICVL., & de reliqua ....
....
...... Zosimi jux .... lationis epistolæ Trib. Pyrri ——— Sol. MDCCC..... faciunt tam de pensionibus Ind. XII., & XIII., quàm de reliqua Zosimi, qui ..... Tribunum Pyrrum inferendi debent rationibus D. N........ V. C. Laurici Solid. ñ VIC..... CX.........
...... Ravennæ —— Solidi IIDVXVI.........
.... tiendus —— Solidi M....... Gratiano ..... Cassio na ...... mpori Ind. XII., & XIII.
..... ñ de —— Solid. MDXXXVII. unius Ind. ——— Sol. ñ D
cum sportula, & interpondiis...... tuor intulit, vel erogavit Tribunus Pyrrus Solid. IIIIVXVI........ ent, quos inferre debet Tribunus Pyrrus de — Sol. ñ VICL.
.... Sol. ñ MDCCCCXXXIIII.........
creto debebit Eleutherionis —— Sol. ñ IICLXXIIII. requirendum .... operâ suâ egerit, vel detulerit.
.... verò Tranquilli, qui Sisinnio .... cessit de — Sol. IMDCCCXL.
Const.... us .... l... parte Solidos acceptos Sisinnius .... dine Conductoribus ..... testimoniis adprobauit. —

A *buni Pyrri — Solid. VIII.*

verò Tranquilli, qui res Sisinii extorsit, de Solidis n. DCCCXL. *constectus legentium ...... Solidos acceptos Sisinnius ..... vidisse Conductoribus Ecclesiæ Raven. testimoniis approbavit.* ——

B

Sequitur Chronica.

DE AURELIANO
Archiepiscopo XXIII.

AUrelianus XXIII. insignis vir, ætate juvenis, senior sensu, & omni gratia elegantior, post pauca annorum curricula defunctus est in pace *VIII.* (1) Kal. Junii. Sepultus est in Ecclesia Apostolorum juxta Ambonem in loco, ubi Beatus requievit Neon.

DE ECCLESIO
Archiepiscopo XXIV.

ECclesius XXIV. Secundùm varios ædificator Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Majoris, ejusque tempore constructa est Ecclesia Sancti Vitalis Martyris à Juliano Argentario. Nulla Ecclesia in Italia similis. Expensa sunt in ea XXVI. millia aureorum solidorum. Sedit annos III., mens. VI., dies VIII. Jacet in Ecclesia Sancti Vitalis. Obiit *annos vitæ LXII.* (2)

DE URSICINO
Archiepiscopo XXV.

URsicinus XXV. humilis vir, cujus tempore constructa fuit Ecclesia S. Apollinaris à Juliano Argentario. Nulla Ecclesia similis illi, eo quòd in nocte penè, ut in die, coruscat. Sepultus est in Basilica Beati Vitalis, (3) ante Altarium Sancti Nazarii. Sedit annis III., mens. VI., dieb. VIII.

C

DE VICTORE
Archiepiscopo XXVI.

VIctor XXVI. pulcra facie, & alacri vultu. Ædificator Tricolis, & non consummator. Fecit autem & Civorium ex argento supra Altario sanctæ Ecclesiæ Ursianæ, & census totius Italiæ propter hoc largitus est, quod scriptum est centies viginti librarum argenti justo pondere. (4) *Obiit XV. Kal.* Maji (5) *circa annum Domini* V.cLXVIII. (6) Sepultus est in Ecclesia prædicta S. Vitalis infra Monasterium Sancti Nazarii. Sedit annos VI., mens. XI., dies XI.

D

DE MAXIMIANO
Archiepiscopo XXVII.

MAximianus XXVII. *longinquâ* (7) staturâ, calvus capite. Ædificator multarum Ecclesiarum, quas longum esset enarrare. Consecravit Ecclesiam Classensem. Obiit VIII. Kal. *Maji*. (8) Requiescit in Monasterio S. Andreæ Apostoli.

E

DE AGNELLO
Archiepiscopo XXVIII.

AGnellus XXVIII. rubicundus facie. Aquisivit ipse Archiepiscopus Argentam Ecclesiæ Revennæ. Ædificavit Monasterium Sancti Georgii ibidem. Quo tempore expulsi sunt Franci de Italia, & mortuus Justinianus Augustus Constantinopoli. (9) *Obiit p. Kal. Aug.* V.cLXVI. (10) *Sedit ann. XIII., mens. I., dies VIII.*

(1) *VII.* Mur.
(2) *Anno DLXII.* Mur.
(3) *Martyris*. Mur.
(4) Recent. manu. *Bacch.*
(5) *Martii*. Mur.
(6) *DLXVIII.* Mur.
(7) *longeva*. Mur.
(8) *Martii*. Mur.
(9) Recent. manu. *Bacch.*
(10) *DLXVI.* Mur.

VIII. Sepultus est prædictus Agnellus in Ecclesia S. Agathæ majoris, *ac* (1) Martyris. A

DE PETRO SENIORE

Archiepiscopo XXVIIII.

PEtrus Senior XXVIIII. grandævus ætate, fuit Senior sensu, & corpore. Fundavit Ecclesiam Beati Severi Confessoris, sed non consummavit, *circa ann. Domini* V.c LXXVIII. (2) Eo tempore occupata fuit Venetia à Langobardis, & absque bello expulsi sunt. (3) *Obiit die XVI. Kal. Septembris*. Sepultus est in civitate Classensi in arca magna saxea in Ecclesia S. Probi. Sedit autem annos VIII., mens. B II., dies XVIII.

DE JOHANNE ROMANO

Archiepiscopo XXX.

JOhannes (4) XXX. consummator, & consecrator Ecclesiæ Sancti Severi. Sedit annos XVI., mens......., dies XVIII.

DE MAURITIO

Archiepiscopo XXXI.

MAuritius XXXI., *al.* (5) *Marinianus*. C *Natus est* (6) Romanus, in omnibus valde decorus. Nepos prædicti Johannis prædecessoris sui. Ipsius tempore visum est terribile signum in cœlo, & Theodoricus Rex Francorum cum Lothario Patruele suo bellum commisit. (7) *Obiit die X. Kal. Novembris*. Sepultus est in *Arca* (8) Beati Apollinaris extra muros Classis, qui consecratus fuit à B. Gregorio Papa circa annum *V.c LXXXXVII.* (9)

DE JOHANNE

Archiepiscopo XXXII.

JOhannes Classensis XXXII. *Joannes tertius* (10) D Hic plenus corpore, *pulcrâ* (11) formâ, & omnium bonorum sectator. Sepultus est in Ardica Beati Apollinaris. (12) *Hic sedit annis Domini VI.c V. tempore Phocæ Imperatoris*. (13)

DE JOHANNE

Archiepiscopo XXXIII.

JOhannes IIII., XXXIII. Sepultus est in Ardica Beati Apollinaris. Iste fuit tempore Bonifacii Papæ, & usque ad ipsius tempora, & Phocæ Imperatoris Constantinopolitana (14) Ecclesia prima erat. (15) *Tunc currebant anni Domini* VI.c (16) *nonaginta tres*. Sedit E ann. XVIII., mens. VI., dies VIII.

DE BONO

Archiepiscopo XXXIV.

BOnus XXXIV. Iste Bonus nomine, & operibus fuit. (17) *Obiit die VII. Kal. Septembris*. Sepultus est in Basilica B. Apollinaris Martyris in Classe.

DE MAURO

Archiepiscopo XXXV.

MAurus XXXV., qui excommunicavit Papam. (18) Iste tempore Constantini Imperatoris liberavit Ecclesiam suam de jugo Romanorum servitutis. (19) *Maurus fuit cira annos Domini* VI.c LXVIII. (20) Hic sedit annis XXVIII., mens. X., diebus XVIII. Sepultus est in Ardica Beati Apollinaris.

DE REPARATO

Archiepiscopo XXXVI.

REparatus XXXVI. Senior ætate. Iste (21) non sub Romana se subjugavit Sede. Sublevavit in paupertate Sacerdotes. Mortuus est igitur III. Kal. Augusti, & sepultus in Ecclesia Beati Apollinaris. Sedit ann. V., mens. VIII.

DE THEODORO

Archiepiscopo XXXVII.

THeodorus XXXVII. (22) Iste juvenis ætate, terribilis formâ, horridus aspectu, & omni fallacia plenus. Obiit iste ferocissimus cum multa alacritate Sacerdotum XVIII. mensis Januarii. Sepultus est in Ardica Beati Apollinaris. Sedit ann. XIII., mens. III., dies XX.

DE DAMIANO

Archiepiscopo XXXVIII.

DAmianus XXXVIII. Qui suscitavit mortuum. Obiit (23) Idus Maji. Sepultus est in Ecclesia Beati Apollinaris. Sedit ann. XVI., mens. II., dies XVI.

DE FELICE

Archiepiscopo XXXIX.

FElix XXXIX. Iste fuit fons irriguus, Pater optimus, Prædicator egregius, multorum voluminum conditor. (24) *Obiit XXV. mensis Novembris circa annum Domini* VII.c (25) *LXXXXIII.* Sepultus est in Ecclesia Beati Apollinaris. Sedit ann. XVI., mens. VII., dies XXIV.

DE

(1) *alias*. Mur.
(2) *LLXXVIII.* Mur.
(3) Recent. manu. *Bacch.*
(4) *II. Romanus*. Mur.
(5) Recent. manu. *Bacch.*
(6) *Natione*. Mur.
(7) Recent. manu. *Bacch.*
(8) Lege *Ardica*. Bacch.
(9) *DLXXXXIX.* Mur.
(10) Recent. manu. *Bacch.*
(11) *pulcher*. Mur.
(12) Recent. manu. *Bacch.*
(13) *Hic sedit annis V. mens. X. diebus XVIII. Floruit Johannes Classensis circa annum Domini DCVI.* Mur.
(14) Id impiè, & falsò scriptum ab Agnello suo loco notavimus. *Bacch.*
(15) Recent. manu. *Bacch.*
(16) *DC.* Mur.
(17) Recent. manu. *Bacch.*
(18) Hæc schismatica ex Agnello descripta sunt. *Bacch.*
(19) Recent. manu. *Bacch.*
(20) *DCLXVIII.* Mur.
(21) Hæc ex Agnello. *Bacch.*
(22) Hæc Agnelli sunt. *Bacch.*
(23) *III.* Mur.
(24) Recent. manu. *Bacch.*
(25) *DCC.* Mur.

DE JOHANNE

Archiepiscopo XL.

JOhannes (1) *quinctus*, XL. Hic sapientissimus fuit, humilis, & mansuetus. Ipsius temporibus Ecclesia Petriana terræmotu cecidit circa annum Domini *VIIII.c I.* (2) expletis Missarum solenniis. Sepultus est in Ecclesia Beati Appollinaris. Sedit ann. VIII., mens. .... diebus.......

DE SERGIO

Archiepiscopo XLI.

SErgius XLI. Juvenis ætate, decorus formâ. Iste laicus fuit, & sponsam habuit, (3) quam post regimen Ecclesiæ suscepit. Tempore ipsius Zacharias Papa ivit in Franciam, petens præsidia à Rege Francorum, ad expellendum Langobardos, quia Austolphus Rex Italiam duriter opprimebat. Qui Sergius invasor Ecclesiæ fuit, & ab omni populo Ravennate depositus est. (4) *Alii dicunt de Sergio, videlicet; his verò peractis contigit post aliquantum tempus, Sergium Archiepiscopum Ravennatem de hac vita migrasset, & statim surgens Michaëlius Scriniarius ipsius Ecclesiæ, qui nullo Sacerdotali fungebatur honore, profectus est Ariminum ad Mauritium, & congregans ipse nefandissimus Mauritius exercitum, & unà cum præsidio Desiderii Regis Langobardorum properavit, & ingressus est Ravennam, & brachio forti elegit prædictum Michaëlium, & in Episcopio Raveniannæ introduxit Ecclesiæ, & Leonem Archidiaconum, qui electus erat in Episcopio, Ariminum deportans, ibique in arcta custodia mancipatum idem Mauritius detineri fecit.* (5) *Sicque prædictus Leo in Monasterio S. Agathæ Martyris postea adductus ibidem post triduum ob dolorem oculorum suorum effoditionem vitam finivit.*

DE LEONE

Archiepiscopo XLII.

LEo XLII. Iste ex isto fuit ovili, non multùm procerâ staturâ. Sepultus fuit in.... ....

DE JOHANNE

Archiepiscopo XLIII.

JOhannes, (6) *sextus*, XLIII. Sepultus est in Ardica Beati Apollinaris. Qui sedit annis VII., mens. I., & diebus III.

DE GRATIOSO

Archiepiscopo XLIV.

GRatiosus XLIV. Israëlita humilis, & mansuetus. Suo tempore Carolus Francorum Rex venit Ravennam invitatus ab ipso ad prandium, & celebravit prandium cum eo. Iste ((7) *prophetavit circa annos Domini* VIII.c X. (8)) de his, quæ accidere debebant civitati Ravennæ. Obiit die XXIII. mensis Februarii. Sepultus est in Ecclesia Beati Apollinaris. Sedit annos III., dies XI.

DE JOHANNE XLV.

JOhannes, (9) septimus, XLV.

DE VALERIO

Archiepiscopo XLVI.

VAlerius XLVI. *Quatuor* (10) Kal. Februarii in Classensi civitate celebratur Festum.

DE MARTINO

Archiepiscopo XLVII.

MArtinus XLVII. Iste longam staturam, & grande caput habebat. Mortuus est Pipinus Langobardorum Rex. Istius etiam tempore Stephanus Papa veniens Ravennam celebravit in Ecclesia Ursiana, & ostendit Sandalia Salvatoris, quas omnis populus vidit.

DE PETRONACIO

Archiepiscopo XLVIII.

PEtronacius XLVIII. Qui juravit honorem Caroli Imperatoris. Hujus tempore Andreas, qui & Agnellus Abbas Sanctæ Mariæ ad Blachernas, & Sancti Bartholomæi floruit, qui composuit Codicem Pontificalem (*qui* (11) *fuit Ecclesiæ Ravennatis Presbyter Cardinalis*) Item istius tempore repertum est Corpus Beatissimi Maximiani Archiepiscopi Ravennatis Ecclesiæ.

DE GEORGIO

Archiepiscopo XLIX.

GEorgius XLIX. Populares Gazas omnes Ecclesiasticas confregit, cryptas disrupit, & thesauros prædecessorum suorum extraxit. Et ut filiam Lotharii de fonte levaret, magnas opes exinde expendit. Ejus tempore factus est meridie Sol tenebrosus nimis per universum mundum usque ad horam nonam. Obiit die XXIV. Januarii.

DE DEODATO

Archiepiscopo L.

DEusdedit quinquagesimus.

DE JOHANNE

Archiepiscopo LI.

JOhannes VIII. Hic fecit deferri Corpus S. Apollinaris ad Ecclesiam Sancti Martini in Cœlo aureo timore Agarenorum, qui asportaverant Civorium argenteum de Ecclesia Classensi.

(1) Recent. manu. *Bacch.*
(2) *DCCCI.* Mur.
(3) Falsus hic est, vel ineptissimus. Sergius uxoratus fuit ante regimen Ecclesiæ, nec illud suscepit, nisi uxore dimissa. Id ex ipso Agnello perspectissimum est. *Bacch.*
(4) Recent. manu. *Bacch.*
(5) Hoc postremum perperam de Leone Ravennate narratum. Vide Anastasium. *Bacch.*
(6) Recent. manu. *Bacch.*
(7) Recent. manu. *Bacch.*
(8) *DCCCX.* Mur.
(9) Agnello ignotus. *Bacch.*
(10) *Quarto.* Mur.
(11) Recent. manu. *Bacch.*

MONITUM

Ad sequentia

ACTA CONCILII ROMANI.

Cum ex Cathedralis Mutinensis insigni Tabulario nactus essem Acta hujus Concilii, & hæc in editis Conciliorum collectionibus vix indicentur, bene posse hìc edi existimavi. Exemplar hoc est, seu Summarium eorum, quæ pro Episcoporum Ravennati Metropoli subditorum indemnitate in Concilio illo acta fuerant contra Johannem Ravennatem Episcopum. Plura hujus apographa ex Concilii præscripto facta hinc videre est, quorum singula singulis Episcopis missa sunt, ut decretorum memoria ad posteros transmitteretur. Hæc autem cum editis collata plurimum lucis eorum temporum disciplinæ affundent. Ea sunt, quæ sequuntur.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Pontificatus Domini Nicholai summi Pontificis, & universalis Papæ anno IV. Imperii piissimi Augusti Lodovici anno XI., die octavodecimo mense Novembris. Ind. X. Capitula, quæ in sancto Concilio à Beatissimo Domino Nicholao Papa Romæ collecto statuta, atque canonicè firmata sunt contra Johannem Ravennatem Archiepiscopum.

Caput primum. Episcopos per Æmiliam non consecres, nisi post electionem Cleri, & populi.

Caput secundum. Eosdem quoties ad Apostolicam Sedem venire voluerint, nequaquam prohibeas. Sed & nullam dationem contra canonicam auctoritatem ab eis exigas.

Caput tertium. Prædia, quæ præceptis dirruptis à jure Sancti Petri ad jus S. Apollinaris transtulisti, & per emphyteosim, vel libellum ea singulis hominibus contulisti, diligenter exquire, & inventis ipsis emphyteosim, vel libellum dirrumpe, & ad jura S. Petri cujus fuerunt restitue, & talem ultra facere nunquam præsumas.

Solicitudinem omnium Ecclesiarum Dei circumferentes convenit Nos universorum necessitatibus consulere, & omnibus vulneribus salubria conferre remedia; Dominicarum quippe ovium Pastores sumus. Sed tantò nobis præ cæteris specialiter præsens cura major incumbit, quantò vicem illius gerimus, cui divino oraculo ipsæ oves specialiter commendantur, cui & præcipiens ait: *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Et ideo sanctitas vestra (vobis Episcopis in Æmilia commorantibus) à Johanne Archiepiscopo Ravennate multis impulsionibus queritur agitari. Debemus manum Apostolatus nostri vobis quantocius porrigere, & quia vos ex illis fratribus estis, quos Sanctus Petrus conversus est confirmare, necesse est, ut à tantis ejus impulsionibus vestram fraternitatem eruentes, in petra, quam ipse confessus est, ne ulterius .... valeatis, statuamus. Constat autem Sanctitatem vestram, unà cum fratribus, & Coëpiscopis Æmiliæ Regionis Pontificio nostro lamentabiles querelas flebili voce coram Synodo, quam Romæ celebravimus exposuisse, cui cum numeroso, Campaniæ videlicet, Tusciæ, & Pentapoleos, & aliarum Regionum sanctissimorum Episcoporum cœtu, & ipsum Johannem Archiepiscopum interfuisse dignoscitur. Oppressio verò injuriarum, quibus à præfato Archiepiscopo vos querebamini affectos, prima fuit, quam perhibuistis, eundem Johannem Archiepiscopum Ravennatem per binos annos semel Episcopia vestra circuere, & tandiu per singula residere, quousque ipsa paupertas, quæ ad utilitatem Episcopii, & sustentationem Clericorum, & pauperum, & gubernationem familiarum, ac susceptionem peregrinorum, atque restaurationem Basilicarum, vel Episcopii, hinc inde separatur, cum suis hominibus illam consumat, & non antea inde recedere, quàm ab Episcopo loci illius ad Archiepiscopum, & familiares ejus, quæ non debentur, dona non modica tribuantur. Insuper omni anno, quod in toto mundo minimè invenitur, colonicio more, berbices, & oblatas, vinum, & pullos, & ova Archiepiscopo, & ad suum Archipresbyterum similiter, & ad Archidiaconum, & ad Vicedominum, & ad Arcarium, & ad Majorem cubiculi, & ad Cartularium, & ad Scriniarium, & ad Defensores, & ad Cubicularium, & ad Majorem domus tribus pro omnibus his supradictis omne annualiter sinè intermissione ad unumquemque supradictum redditum, sicut tributarii facere. Plebes quoque vestras, & Titulos, ac Curtes, atque Monasteria Episcopii vestri pertinentia ad gubernationem vestram, alienare, & sibi subjicere, & delere. Aliud autem non minori querimonia asseruistis, vos compelli ab eo Episcopia vestra deserere, & more populorum, Ravennæ per singulos menses alternis, vel mutatis vicibus ministrare, & infantuli Parochiæ vestræ illis diebus sinè chrismate obire. Clericos prætera quoscumque novatur alicujus utilitatis existere, pro suo libitu asseverastis ad vestram subjectionem, & disciplinam, eum esse subtrahere solitum. Nec minùs magno clamore firmastis, quòd idem Archiepiscopus vos non dimittat, quoties ad Limina Apostolorum amplectenda, vel ad Sedem venire vultis. Quas nimirum querulas voces, & inauditas assertiones Reverendissimi Episcopi, qui in eodem residebant sancto Concilio audientes, omnes pariter clamaverunt, hæc præter Canones fieri, & ut in perpetuum prohibuissemus Præsulatum nostrum supplices postulare. Quapropter tam perniciosa gravamina, & tam mala consuetudo in Ecclesia Dei tyrannicè cùm pullulasset, dolentes maximè cùm contra omnes sanctorum Patrum regulas, & contra omnem Ecclesiarum Dei morem in sola Ravennate Metropoli à præsumptoribus sint temerè usurpata, ne aliis Metropolitanis Episcopis talia præsumendi occasio remaneret, & Ecclesiæ Dei tali inficerentur exemplo; statuimus unà cum omni sancto Concilio hoc vobis, & vestris successoribus, immo à vestris Sanctis Ecclesiis penitùs resecandum. Unde coram eodem Reverendo Concilio, ipsi Johanni Archiepiscopo, & omnibus suis successoribus interdiximus, & de unaquaque præsumptione pronunciatis capitulis, promulgatisque sententiis, Apostolica auctoritate præcipimus, videlicet ut tale quid ulteriùs nequaquam nec ipse, nec ejus successores agere præsumant, quæ scilicet capitula apud nos retinentes, exemplaria eorum vobis pro futuris temporibus retinenda mandavimus. Sed quoniam Fraternitas vestra Apostolatum nostrum pro futura cautela, & propter omnimodam securitatem suam præceptum auctoritatis nostræ vobis specialiter, vestrisque successoribus Episcopis in perpetuum mittendum obnixè poposcit;

ſcit; inclinati precibus veſtris per hujus præcepti ſeriem præcipimus expreſsè, jubemus, atque omni interditione prohibemus, ut nullus ammodo, & deinceps Archiepiſcopus Ravennæ ad veſtra Epiſcopia ſinè voluntate veſtra accedere temptet, vel aliquam pecuniam à vobis exigere, vel res Eccleſiæ veſtræ, aut Monaſteria veſtra, ſive plebes, aut titulos, ſive prædia, per quodvis ingenium diripere audeat, neque vocare Ravennam præter tempora à Patribus diffinita, quibus Concilia Epiſcoporum bis in anno celebranda ſanxerunt, vos ullo modo præſumant. Hoc præ cæteris ſupprimendum, ut illud quod trigeſimale dicunt, Ravennæ ullo modo vos facere, aut cogere audeant. Itaque nec dationem aliquam Archiepiſcopis Ravennatibus ſit licentia à vobis, veſtriſque ſucceſſoribus Epiſcopis ammodo, & deinceps, ideſt in perpetuum exquirendi, nec non & vobis licentiam tribuimus, ut quoties pro Beatorum Apoſtolorum amore, vel pro viſitatione Apoſtolicæ Sedis Præſulum more Deceſſorum veſtrorum Romam occurrere vultis, nullum impedimentum vobis Archiepiſcopus Ravennæ, nec palàm, nec occultè facere præſumat, ſed Deo comite vobis occurrere liceat. Sed & hoc decernimus, ac diffinimus, ut cùm ſtatutis temporibus Archiepiſcopus Ravennas vos ad Concilia convocaverit, nullo modo vos diutiùs retinendi licentiam habeat, ita ut ultra XV. dies pro gravi neceſſitate Ravennæ nullo modo remoremini. Secundùm ſaluberrimum S. Leonis Papæ decretum nec licentiam habeat Clericos Matricis Eccleſiæ veſtræ, vel Diœceſeos abſque veſtra voluntate à veſtra diſciplina, & ſubjectione ſubtrahere. Sed neque Eccleſias, neque plebes, neque titulos, nec Monaſteria Epiſcopio veſtro pertinentia à veſtro regimine, & ditione, ac ordinatione, eis licitum ſit auferre. Siquidem vobis, veſtriſque ſucceſſoribus Epiſcopis manere decernimus, tam quidem Clericos, quàm omnia Eccleſiæ veſtræ regendi, fruendi, ac ordinandi licentiam. Archiepiſcopo verò Ravennati nullam volumus habere ſuper vos valitudinem, vel facultatem, præter quam ſacri Canones præcipiunt. Sanè ſi in aliquo tempore quilibet Ravennas Archiepiſcopus prænotata gravamina ſuper vos renovare, vel reducere temptans per longa jam tempora, hæc vos ſolviſſe affirmare conatus fuerit, & tale jus in vos habuiſſe Ravennatem Archiepiſcopum ante multa tempora probare niſus extiterit, nulla talis aſſertio vires obtineat, nec poſſit longitudo temporis ſuffragari, quòd conſtet præter juſtitiæ regulam perniciosè diu fuiſſe præſumptum; præcipuè cùm ſacri Canones doceant non minùs malam conſuetudinem, quàm pernicioſam corruptelam eſſe vitandam. Proinde decernimus, ut nihil exhibeatis Archiepiſcopo Ravennati, qui per ſingula tempora fuerit, niſi quod Canones ſancti præcipiunt, quodque cæteri Epiſcopi per Liguriam, & Venetiam, atque Iſtriam ſuis Metropolitanis exhibere probantur. Archiepiſcopum autem Ravennatem nihil à vobis exigere debere cenſemus, nec in vos aliquod jus exercere diffinimus, niſi ut ſuperiùs libavimus. Si quis autem Archiepiſcopus Ravennas ammodo, & deinceps contra noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis præceptum, vel contra hujus Decreti tenorem in toto, vel in parte venire temptaverit, & vobis, veſtriſque ſucceſſoribus Epiſcopis ſuperiùs prohibita injunxerit, vel tulerit, vobiſque aliquid de præſignatis oneribus

A impoſuerit, & non in omnibus hujus paginæ textui obedierit, ſit ſententiâ Dei omnipotentis, Beatique Petri, & Pauli Apoſtolorum Principum, & Apoſtolica auctoritate anathematis innodatus vinculis, & tanquam contumax ſacrorum Canonum, & Apoſtolicarum violator Inſtitutionum, ab omni Sacerdotali alienus in perpetuum exiſtat officio. Hæc verò, quæ ſuperiùs ſcripta continentur, in perpetuum confirmamus, ac roboramus, ſalvo duntaxat honore, & ſubjectione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, atque docibili reverentiâ, & congruo Pontificum Apoſtolicæ Sedis obſequio.

Cujus præcepti tenori ſcripto per manus Leonis Scriniarii Indictione ſubſcripſit Decima.

B *Nomina autem Epiſcoporum, qui huic Sancto Concilio interfuerunt, conſenſerunt, & ſubſcripſerunt hi ſunt, videlicet.*

Ildebrandus Verulinus.
Johannes Velitri.
Petrus Gabo.
Magiſtus Porti.
Arſenius Ortano.
Petronacius Albano.
Liutprandus Cluſinus.
Petrus Aretinus.
Geremias Sabroni.
Ragio Niaraſis.
C Ropertus Nocerinus.
Arigiſus Fulinatus.
Johannes Forchoninus.
Leodriſius Marſicanus.
Colo Reatinus.
Arnulphus Bellue.
Oſipus Peſtorenſis.
Anſelmus Camortinus.
Lanſtrienſis Petroſinus.
Dominicus Eugubinus.
Juſtinus Gallicanus.
Silianus de Humana.
Articarius Sinogallia.
Johannes Faneſtrienſis.
Raguel Penſaurienſis.
D Johannes Ficoclenſis.
Dominicus Calliſinus.
Johannes Falaritanus.
Martinus Narnienſis.
Leo Amerinus.
Aldericus Tibertinus.
Dominicus Centuncufenſis.
Andreas Nepeſinus.
Paulus Corninus.
Otto Roſſelanus.
Stephanus Monteſeletranus.
Petrus Presbyter Viceagens Romanæ Eccleſiæ.
Johannes Archidiaconus Romæ.
Adrianus Presbyter Rom.
E Leo Presbyter Rom.
Romanus Presbyter Rom.
Petrus Presbyter Rom.
Lunicius Diaconus Rom.
Johannes Diaconus Rom.
David Subdiaconus Rom.
Benedictus Subdiaconus Rom.
Salomon Subdiaconus Rom.

Nomina quæ ſequuntur erant in latere ſiniſtro pagellæ Bacchinianæ è regione eorum quæ ſupra.

Leo Sylvæ Candidæ.
Sergius Balnearicius.

Lan-

Landulphus Capuanus.
Petrus Spolitinus.
Donatus Fesulanus.
Petrus Florentinus.
Johannes Tuſcanenſis.
Raſtaldus Suanenſis.
Bonifacius Bilarinus.
Martinus Priverinus.
Johannes Subtrinus.
Sergius Abinenſis.
Leo Gajetanus.
Leo Tiburtinus.
Petrus Urbianus.
Johannes Terracinus.
Petrus Ferentinatus.
Johannes Ariminenſis.
Johannes Signinus.
Georgius Trajectanus.
Rodericus Caſtello-felicitatis.
Lepardus Ancona.
Dominicus Trive.
Neo Aratinus.
Conſtantinus Ferrarienſis.
Apollinaris Bobienſis.
Romanus Faventia.
Petrus Imolenſis.
Leopertus Aforienſis.
Florus Cæſenatis.
Johannes Forumpopulienſis.
Apollinaris Livienſis.
Leo Orbertano.
Aldualdus Balneregienſis.
Paulus Subdiaconus Rom.
Benedictus Subdiaconus Rom.
Martinus Subdiaconus Rom.
Donatus Subdiaconus Rom.
Georgius Subdiaconus Rom.
Petrus Subdiaconus Rom.
Romanus Subdiaconus Rom.
Leoninus Subdiaconus Rom.
Stephanus Subdiaconus Rom.
Elia Olacionarius Rom.
Joſeph Primiſcrinius Romanus.

Sequitur Chronica.

DE ROMANO

Archiepiſcopo LII.

ROmanus de Calcinaria *Nuncius* (1) LII.

DE DOMINICO

Archiepiſcopo LIII.

DOminicus LIII. Ublatella.

DE JOHANNE

Archiepiſcopo LIV.

JOhannes IX. LIV.

DE JOHANNE

Archiepiſcopo LV.

JOhannes X. LV. qui fuit Papa nonus. Hic congregavit Ravennæ Synodum LXXIV. Epiſcoporum, ubi Synodus Stephani Papæ

A contra Formoſum *reperta* (2) fuit, & (3) habemus in Chronica Martiniana cap. Johannes nonus Papa.

Ex Liutprando Ticinenſi inter Johannem IX., & X. ſcribunt Recentiores Petrum paucorum menſium Archiepiſcopum. Synodus Ravennæ coacta eſt à Johanne Romano Pontifice, qui Stephano ſucceſſit, non à Johanne, qui Marotiæ operâ ad ſummum Pontificatum aſcendit. Sedebat autem tunc Ravennæ Archiepiſcopus Johannes VIX., cui Petrus ſucceſſit.

DE CONSTANTINO

B Archiepiſcopo LVI.

COnſtantinus LVI.

DE PETRO

Archiepiſcopo LVII.

PEtrus Bononienſis LVII., qui rexit Eccleſiam quadraginta ſex annis.

DE HONESTO

Archiepiſcopo LVIII.

C HOneſtus LVIII. Hujus tempore glorioſum Corpus B. Urſicini Martyris translatum eſt ad Eccleſiam Urſianam, cujus Honeſtus Antiſtes, & hujus ſanctitate portæ Claſſenſis Eccleſiæ miraculosè aperiebantur.

DE JOHANNE PAPIENSE

Archiepiſcopo LIX.

JOhannes XI. Papienſis LIX.

DE HERBERTO

Archiepiſcopo LX.

D HErbertus ſexageſimus Antiſtes.

MONITUM

Ad ſequentem

CONSTITUTIONEM.

CElebris hic eſt Gerbertus ex Monacho Floriacenſi Archiepiſcopus primùm Rhemenſis, poſtea Ravennas, inde Romanus Pontifex, Silveſtri II. nomine. Plura de ipſo ſcripta ſunt. Placet hic ex Farfenſi laudatiſſimo Codice exhibere Othonis III. Conſtitutionem contra alienantes bona Eccleſiarum, quam à Gerberto dictatam ex Inſcriptione facilè credo. E *Notabile ex Inſcriptione eadem illud eſt, habitam Romæ Synodum anno ibidem indicato 998. Septembri menſe, & in eadem actum eſſe de Arnulpho Mediolanenſi Archiepiſcopo, qua de re nil alibi memini me legiſſe. Notandum hic etiam eſt Chronicæ hujus Auctorem, qui pro Gerberto Herbertum ſcripſit, infra fabulam Gerberto affictam Giberto tribuere. Inſcriptio autem, & Conſtitutio, de qua ſupra, eſt quæ ſequitur.*

In-

(1) *Noncius*. Mur.
(2) *repulſa*. Bacch.

(3) *ut*. Mur.

Incipit Constitutio sacræ Legis Domini Othonis Imperatoris data XII. Kal. Octobris Ind. XII. anno III. Pontificatus Domini Gregorii V. Papæ, promulgata per manus Gerberti S. Ravennatis Ecclesiæ Archiepiscopi in ea Synodo, in qua Mediolanensi Episcopo Arnulpho nomine Papatum ablatum est in Basilica B. Petri, quæ vocatur ad Cellam auream, & subscripserunt omnes, qui adsuerunt Episcopi.

OTho Dei gratiâ Romanorum Imperator Augustus Cos. S. P. Q. R. Archiepiscopis, Abbatibus, Marchionibus, Comitibus, & cunctis Judicibus in Italia constitutis in perpetuum. Comperimus quòd Episcopi, & Abbates Ecclesiarum possessionibus abutantur, & per scripta quibuscumque personis attribuant, & hoc non ad utilitatem Ecclesiarum, sed pecuniæ, affinitatis, & amicitiæ causâ. Dumque eorum successores, pro domorum Dei restauratione, ac Reipublicæ officio, nostroque obsequio commonentur, suarum Ecclesiarum prædia ab aliis detineri causantur, seque imperata non posse perficere revera demonstrant. Proinde quia status Ecclesiarum Dei annulatur, nostraque Imperialis Majestas non minus patitur detrimentum, dum subditi Nobis debita non possunt exhibere obsequia, constituimus, & Imperiali Edicto firmamus, ut omnia scripta, sive libelli nomine, sive emphyteusi prolatum fuerit quid de Ecclesiis Dei, sive aliquo modo, effici non possit. Obeunte Actore, obeat, solusque detrimentum habeat, qui se eo scripto obligavit, atque vinxit, nec omnino ad eum superscripti damna pertineant, qui ei in regimine successit; sed sit ei libera facultas, omnia, quæ per libellos, vel aliâ qualibet scripturâ abalienata fuerint, in proprium jus Ecclesiæ revocare, & ita ordinare, ut Deo, & nobis debitum obsequium valeat exhibere. Nam cùm Regibus, & Imperatoribus ea, quæ regni, & Imperii sunt, nisi se viventibus dare non liceat, exceptis Ecclesiis, quomodo Abbatibus, & Episcopis res Ecclesiarum per tempora suorum successorum distribuere liceat? Omne quippe jus, sive lex, sive quodlibet scriptum, vel quælibet consuetudo, si contra Ecclesiæ utilitatem fuerit, in irritum deducenda sunt: nec nostra auctoritate debent firmari, quæ contra Imperii Auctorem, & propagatorem probabuntur inferri. Hoc ergo solùm scriptum pro lege in talibus causis habeatur, quod Ecclesiæ Dei prosit, & nullo modo obesse possit. Quòd si aliquis contra hanc Constitutionem nostram ire tentaverit, tanquam rebellis judicetur, & sit ei Anathema, Maranatha, nisi resipiscat, ab universis Episcopis, qui huic Imperii nostri edicto subscripserunt, vel assensum præbuerunt, sive præbituri sunt. Amen.

Sequitur Chronica.

DE NEOMUTO

Archiepiscopo LXI.

NEomutus LXI. Antistes.

DE FEDERICO

Archiepiscopo LXII.

FEdericus LXII. in eo anno, in quo mortuus est, Rex Henricus Rex Maximus primus venit in Italiam.

DE ARNALDO

Archiepiscopo LXIII.

ARnaldus LXIII. Antistes.

DE ERIBERTO

Archiepiscopo LXIV.

ERibertus LXIV. Antistes.

DE GEBEARDO

Archiepiscopo LXV.

GEbeardus LXV. Hujus electio præsentata fuit Corrado Imperatori anno Domini MXXVI., & à Suffraganeis, Clero, & populo Ravennati subscripta. Iste ædificavit Ecclesiam Beati Andreæ Apostoli in Ravenna, ut habetur in aliis Chronicis, & multa alia bona fecit. Obiit prædictus Gebeardus Archiepiscopus Ravennatis anno Domini MXLIV., qui jacet in Monasterio Sanctæ Mariæ de Pomposia in Pado veteri Diœcesis Comaclensis in Capitulo Fratrum sub lapide marmoreo opere Musaico, impressis his versibus, videlicet

Pontificis Magni Corpus jacet hic Gebeardi,
Per quem Sancta Domus crevit, & iste locus.
Plurima donavit, quæ tali lege legavit;
Quæ patitur Judas, raptor ut ipse luat.
Christo funde preces lector, dic miserere.
Obiit anno Domini MXLIV.

& nota, quod multum ampliavit dictum Monasterium Pomposianum, ut habetur in Chronicis suis.

DE HIMFRIDO

Archiepiscopo LXVI.

HImfridus LXVI. Antistes.

DE HENRICO

Archiepiscopo LXVII.

HEnricus LXVII. Antistes.

DE GIBERTO

Archiepiscopo LXVIII.

GIbertus (1) LXVIII. hic primò fuit Archiepiscopus Rhemensis deinde Ravennas, postmodum Papa nominatus Silvester II. homagium Diabolo fecit, & malè finivit, ut totum habes in Chronica Martiniana. (2) *Post hæc bene sequentia adduntur per modum notulæ; non;* (3) quòd

(1) Et fallitur barbarus chronicæ Scriptor Gibertum cum Gerberto confundens, & vulgares, indignosque de Silvestro secundo rumores sequitur. Fama docti, piique Pontificis in tuto posita ab Eminentissimo Baronio, à Ciaconio, & novissimè à Reverendissimo P., ac Abbate Andrea Rainerio in sua S. Anselmi erudita Panegyri historica, non indiget ut plura hic adjiciam. *Bacch.*

(2) *in Capitulo Sylvestri II.* Mur.

(3) *Nota.* Mur.

quòd iste non fuit, de quo facta est mentio. Guibertus verò de Parma ex Cancellario Imperatoris in regno Italico, defuncto Ravennate Archiepiscopo per (1) .... Imperatricis electus est in ipsa Ecclesia, postmodum ab Alexandro Papa, licèt invito, multorum instantiâ consecrationem obtinuit. Cui postquam consecrationis manum imponeret prophetico repletus spiritu idem Pontifex sic fertur dixisse. Ego quidem jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Tu verò hujus sacrosanctæ Ecclesiæ *totam* (2) senties ultionem de cætero.

ADNOTATIO.

Interseruntur hìc à Rubeo Ricchardus, Otho, Hieremias, quorum prior legitimè à Gregorio VII. consecratus dicitur, & Ricchardus ex conjectura vocatur, quòd in quibusdam Gregorii Pontificis literis capitali litera R. indicetur. Ob id apud Ughellum Ricchardus nuncupatur. Otho, ac Hieremias subintrusi creduntur. Hieremiæ Rubeus Gualterium sufficit; Ughellus verò Philippum ex cujusdam Chartæ fide Archiepiscopum interjicit. Hunc canonicè electum haud leve argumentum *esse ait, quòd assederit Mathildæ Reginæ*, quando credibile non est Catholicæ Sedis fœminam studiosissimam in sui consortium vitio electum, schismaticumque admittere voluisse. *Verùm unde noverimus Mathildem illam Catholicæ sedis studiosissimam fuisse? Cave enim, ne tibi nominum similitudo imponat. Charta anno* 1118. *data dicitur. Mathildis verò Bonifacii filia Catholicæ Sedis studiosissima objerat anno præcedenti* 1115. *Cùm igitur & hic ab hujus Chronicæ Auctore sit omissus, facilè credo ipsum inter intrusos numerandum. Id apertè ex Gelasii literis Rubeo relatis ad Gualterium datis comprobatur.*

Sequitur Chronica.

DE GUALTERIO

Archiepiscopo LXIX.

Gualterius LXIX. Vir religiosius, atque eloquentissimus, qui Ecclesiam rexit Ravennæ XXIV. annis, mensibus VI. diebus VIII. Obiit autem in Idibus Februarii anno Dominicæ Incarnationis MCXLIV.

DE MOISE

Archiepiscopo LXX.

Moises LXX. Vercellensis, vir optimè literatus, bonus Ecclesiæ Rector, qui rexit Ecclesiam Ravennatem annis X. mensib. III. diebus XXIV. Obiit autem VII. Kal. Novembris, feriâ quartâ, anno Dominicæ Incarnationis MCLIV. tempore Anastasii Papæ quarti, anno secundo Federici Regis mensis III. quando primò venit in Italiam. (3) Nullus in pontificibus nostris literatior eo; fuit instructus legibus, tam divinis, quàm humanis, multisque aliis scientiis decoratus. Plurima bona huic Ecclesiæ contulit. VIIC. libras in expignorando possessiones Ravennatis Ecclesiæ expendit. De

A isto Archiepiscopo reperi in quodam Instrumento antiquo sic; *anno Dominicæ Incarnationis MCXLIV. tempore Lucii Papæ II.*, (4) *& Conradi Regis Indictione VII. ingressus est Moises electus Archiepiscopus civitatis Ravennæ in die prima mensis Junii, quæ tunc fuit V. feria. Susceptus est ab omnibus cum honore maximo: Sequenti verò mense consecratus est in civitate* Faëntina (5) *à prædicto Apostolico in die SS. Processi, & Martiniani, quorum festum tunc fuit die Dominica*. Et demum istud erat in quodam scrineo Ecclesiæ Ravennatis. De isto Archiepiscopo ita reperio, quod hìc pono.

B

Literæ Eugenii Papæ ad Electum Placentinum.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Johanni Placentino Electo salutem, & Apostolicam benedictionem. Nobis non extat incognitum, & (6) tuâ non credimus excidisse memoriâ, quod tam per literas nostras Placentinæ Ecclesiæ, quàm viva voce te præsente dedimus in mandatis, ut proximè præterita S. Lucæ festivitate nostro te conspectui præsentari, Ven. fratri Moisi Ravennati Archiepiscopo respondere, & quod dictaret justitia exequi, præpara.......... (7) *Verùm quia præfato termino ad nostram venire præsentiam, vel responsales literas transmittere, quæ aliquam rationabilem causam ostenderent, sub-* C *terfugisti, Prædecessorum nostrorum privilegiis, & scriptis eorum, & nostris diligenter inspectis, communicato fratrum nostrorum consilio, judicavimus, ut tu, & successores tui Placentini Electi à Ravennate Archiepiscopo tamquam Metropolitano proprio consecrationem sinè contradictione suscipiant, & ei obedientiam, & reverentiam sinè molestia difficultatis exhibeant. Per præsentia itaque* (8) *scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus usque ad octavas Epiphaniæ præfatum fratrem Ravennatem Archiepiscopum adeas, & ab eo tamquam Metropolitano proprio consecrationem accipias; quod si non feceris ex nunc te ab administratione Ecclesiæ Placentinæ suspendimus. Datum Pisis V. Idus Novembris.*

D Alia Litera ejusdem Eugenii ad Clerum, & populum Placentinum. *Ecclesia Placentina subest Ravennati.*

Eugenius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Clero, & populo Placentino salutem, & Apostolicam benedictionem. Sicut obediens per obedientiam virtutum custodiam tenet; ita inobediens per inobedientiam peccatorum cumulum introducit. Est enim quasi peccatum ariolandi, repugnare, & velut scelus Idololatriæ est nolle aquiescere. Per præsentia itaque scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus Ven. Fratri Nostro Ravennati Archiepiscopo, tanquam Metropolitano vestro, obedientiam, & reverentiam deferatis, ne E *super vos....* (9) *querela ad nostras aures pervenire debeat, & nos inobedientiam vestram punire districtiùs compellamur. Datum Pisis V. Idus Novembris.*

DE

(1) *inclimentum*. Mur.
(2) *acerbam*. Mur.
(3) *De isto Moise Archiepiscopo tali invenio in aliis Chronicis. Circa annos Domini MCLXXXIIII. Lucius III. Papa natione Tuscus Moisem Vercellensem in Archiepiscopum Ravennæ confirmavit, cujus Corpus requiescit in Ecclesia Ursiana Ravennæ*. Bacch.

(4) *Lucii III.* Bacch.
(5) *Ferentina*. Mur.
(6) *& à tua &c.* Mur.
(7) *praeparata*. Mur.
(8) *à nobis*. Mur.
(9) *irata*. Mur.

DE ANSELMO

Archiepiscopo LXXI.

ANselmus LXXI. Hamelburgensis Episcopus. Huic successit, & ea die, qua Fridericus ab Adriano IIII. coronatus est in Ecclesia S. Petri, Pallium suscepit. Mortuus est in principio obsidionis Mediolani secundâ feriâ, scilicet secunda die post festum Beati Laurentii sub annis Domini MCCXXVII.

DE GUIDO

Archiepiscopo LXXII.

GUido LXXII. Præsul.

DE GERARDO

Archiepiscopo LXXIII.

GErardus LXXIII. Hujus tempore repertum fuit Corpus Beatissimi Christi Martyris Apollinaris ab Ildebrando Cardinali, & Legato Apostolico, ut habemus in Legenda translationis B. Apollinaris.

DE GUJELMO

Archiepiscopo LXXIV.

GUjelmus LXXIV. (1)

DE GUIDOTO

Archiepiscopo LXXV.

GUidotus LXXV. (2)

DE *GUGLIELMO* (3)

Archiepiscopo LXXVI.

GUglielmus LXXVI.

DE *ALBRETO* (4)

Archiepiscopo LXXVII.

A*Lbretus* (5) LXXVII. (6)

DE ÆGIDIO

Archiepiscopo LXXVIII.

ÆGidus LXXVIII.

DE UBALDO

Archiepiscopo LXXIX.

UBaldus LXXIX (7)

A

DE SIMEONE

Archiepiscopo LXXX.

SImeon LXXX. Obiit sub anno Domini MCCXXVII.

DE THEODORICO

Archiepiscopo LXXXI.

THeodoricus LXXXI. Vir corpore, & animo pulcher, fuit tempore Friderici Secundi Imperatoris. Iste accepit Investituram
B Archiepiscopatus à Friderico Secundo Imperatore. Obiit anno Domini MCCL. die Lunæ V.o exeunte Decembri apud Forolivium, cujus Corpus delatum est Ravennam, & sepultum juxta magnas portas Ecclesiæ in Arca, in qua Moises bonæ memoriæ Archiepiscopus extitit tumulatus anno Domini MCCXLVIII. die octavo, intrante Junio. Rediit Dominus Theodoricus Archiepiscopus *Ravennæ* (8) cum omnibus civibus Ravennæ, qui erant *exteri sui*, (9) & reversa est Ravenna ad fidelitatem Ecclesiæ.

DE PHILIPPO

C

Archiepiscopo LXXXII.

PHilippus LXXXII. Electus Ecclesiæ Ferrariensis. Vir strenuus, & sapientia multiplici decoratus. Qui propter ipsam strenuitatem Legatione multoties functus est pro Ecclesia Romana. Quo officio utens inter cæteras probitates Paduam cepit cum exercitu suo, quem habebat, de manu Ezelini de Romano perfidi Tyranni in Marchia Trivisana. Circa annos Domini MCCLVI. dictus Archiepiscopus Legatus Brixiæ capitur, & traditur Ezelino, quem carcere tenuit. Hic ordinavit portari *Arca* (10) Sanctorum, quæ est in Ecclesia Ursiana. Obiit circa annos Domini MCCLXX. Iste fuit de domo de illis *de la Fontana* Civium
D Ferrariæ.

DE BONIFACIO

Archiepiscopo LXXXIII.

BOnifacius LXXXIII. de Ordine Prædicatorum, ampliator bonorum Ecclesiæ, valde diligens, de natione de Lavania, pulcher Orator, per bonæ memoriæ Gregorium Papam X. Nuncius fuit ad Regem Francorum Philippum IX., & postea per eundem Papam in Concilio Lugdunensi de eo fuit *hujus Eccl siæ Legatus. Et fuit in Francia*, (11) in Guasconia, unà cum Archiepiscopo Montisfregalis, qui postea fuit
E Capuanus, & demum Aquilejensis Patriarcha, pro procuranda relaxatione illustris memoriæ Caroli Principis Tarentini, qui postea fuit Hierusalem, & Siciliæ Rex, qui detinebatur à Rege Arragoniæ carceratus. Bona temporalia Ecclesiæ multùm auxit. Sedit in Archiepiscopatu XXII. annis, vel circa. Mortuus in vigilia Nativita-

(1) *Hic Rubeo, & Ughello omittitur*. Bacch.
(2) *Rubeus hunc Gherardum vocat, Ughelius Uvidonem, de quo plura ex S. Antonino, & Bellovacensi*. Bacch.
(3) *GUJELMO*. Mur.
(4) *ALBERTO*. Mur.
(5) *Albertus*. Mur.
(6) alias *Albertus*. Bacch.
(7) *Post hunc Rubeus, & Ughellus Picininum Archiepiscopum laudant*. Bacch.
(8) *Ravennam*. Mur.
(9) *extrinseci*. Mur.
(10) *Arcam*. Mur.
(11) *provisum huic Ecclesiae. Legatus etiam fuit in Francia*. Mur.

tivitatis Domini Orioli MCCLXXXXV. (1) A In habitu Ordinis Prædicatorum usque prope Ravennam per homines in grabato portatus, sepultus est in Ecclesia Ursiana juxta Altare B. Mariæ Magdalenæ, quod fundari fecit in Mausoleo pulcherrimo, *quem* (2) vivens fecit asportari de S. Laurentio extra muros Ravennæ. Qui Bonifacius Archiepiscopus fecit Concilium in Ravenna super factis civitatis Acri, quæ capta fuerat à Saracenis, quæ dicitur Acon.

DE OPIZO

Archiepiscopo LXXXIV.

B OPizo LXXXIV. de Parma de prosapia de Sancto Vitali. Hic antea fuerat Parmensis Episcopus; bonus curialis, & largus, latus corpore, & pinguis; filius militis, mater verò natione Januensis, soror bonæ memoriæ Innocentii IV. Papæ. Hic literatus diversis scientiis, & in agendis expertus. Magnanimus fuit multùm, & magnus bonorum temporalium distributor, pius ad pauperes fuit. Priùs Ecclesiæ Parmensis Canonicus extitit, ac deinde Tripolitanæ Ecclesiæ per V. annos electus præfuit. Per prædictum patruum suum Innocentium IV. ad Ecclesiam Parmensem est translatus, ubi præfuit per XLIV. annos (3) *Per* Bonifacium Papam VIII. ad Sedem Ravennatem translatus est anno Domini MCCLXXXXVI. C

Usque huc facit memoria ista Chronica de istis Archiepiscopis, videlicet usque ad Opizo de Sancto Vitali Archiepiscopum, qui fuit circa annos 1286., (4) ut apparet in exordio istius operis.

CONTINUATIO

PAULI SCORDILLÆ.

Reliqua de Opizone.

IN qua (Sede videlicet Ravennati) cùm confectus esset senio, & debitis aggravatus potissimè servitio per eum Ecclesiæ Romanæ præstito, non profuit, immo tradidit Argentam Azzoni Marchioni Estensi, quam postmodum nullatenus recuperare potuit, & de qua multùm redarguebatur à Romana Sede, & ob hoc in Curia Romana citatus, variis tribulationibus anxiatus, & infirmitatibus aggravatus pauperrimus in urbe veteri vitam finivit anno Domini MCCC., (5) Indictione III., XII. die Septembris, & sepultus est in Ecclesia Fratrum Minorum juxta Altare majus. D

DE RAYNALDO

Archiepiscopo LXXXV.

RAynaldus LXXXV. de Mediolano de domo *de Corrigio* (6). Hic antea fuit Episcopus Vicentinus homo sanctæ, & honestæ vitæ, qui multa miracula fecit. Circa annos Domini MCCCXIV. de mense Augusti tempore Domini Raynaldi Archiepiscopi constructa est de novo tota navis Ecclesiæ Ursianæ. Ejus tempore Balena Ravennæ reperta est in ripa maris. Obiit anno Domini MCCCXXI. die XVIII. E Augusti. Sepultus est in Ecclesia majori de Ravenna in Arca juxta Altare S. Mariæ in medio Ecclesiæ.

DE RAYNALDO

Archiepiscopo LXXXVI.

RAynaldus LXXXVI. de Polenta. Iste fuit per Ostasium ejus consanguineum interfectus.

DE AIMERICO

Archiepiscopo LXXXVII.

AImericus LXXXVII. de Castro Luci Capellanus Domini Papæ, fuit Comes Romandiolæ, qui translatus est ad Episcopatum Carnotensem, & subsequenter Cardinalis S. Rom. Ecclesiæ.

DE GUIDO

Archiepiscopo LXXXVIII.

GUido de Tripoli de Reggio. Vir literatus, modicùm vixit, qui sepultus est Bononiæ in Ecclesia Fratrum Minorum ante Cancellos anno Domini MCCCXXXIII. in mense Septembris.

DE FRANCISCO

Archiepiscopo LXXXIX.

FRanciscus LXXXIX. de Venetiis de domo de *Cà Michele*, postea translatus ad Archiepiscopatum Candiæ, in Insula Cretensi.

DE NICOLAO

Archiepiscopo XC.

NIcolaus XC. de Canale de Pergamo translatus postmodum ad Archiepiscopatum Patrensem.

DE FORTUNATO

Archiepiscopo XCI.

FOrtunatus XCI. de Ordine Fratrum Minorum natione Caturcensis tenuit Sedem Archiepiscopalem ferè annos VII., & menses IV. postmodum Patriarcha Gradensis Ecclesiæ, & Ravennæ administrator, & subsequenter Cardinalis S. Rom. Ecclesiæ.

DE PETROCINO

Archiepiscopo XCII.

PEtrocinus XCII. Ferrariensis, Doctor magnus, & profundus, Orator magnus, & *Consiliarius* (7) bonus, magnæ justitiæ, & veritatis. Iste fuit Monachus in Monasterio S. Bartoli prope Ferrariam de vili satis genitus progenie, deinde postmodum Abbas S. Cypriani de Torcello prope Venetias, postmodum assum-

(1) *die XXV. Decembris*. Mur.
(2) *quam*. Mur.
(3) *cum magna seculari potentia, ac fama. Et demum post quadraginta quatuor annos per*. Mur.
(4) 1296. Mur.
(5) *alii MCCCIII. die S. Agnetis in mense Januarii*. Bacch.
(6) alii *de Concoregio*. Bacch.
(7) *Consiliator*. Mur.

assumptus in Episcopum Torcellanum, deinde in Archiepiscopum Ravennatem electus, & consecratus tempore Urbani (1) V. Iste, ut audivi, de quadam arca saxea, quæ est prope Campanile Ecclesiæ S. Johannis Baptistæ in ingressu Ecclesiæ ad manum sinistram extrahi fecit quædam ossa mortuorum, quæ vulgò Reliquiæ Sanctorum putabantur, & quia in jam dicta arca scriptura reperta non *fuerat*, (2) quendam ejus compatrem nomine Johannem de Porcellinis defunctum intus poni fecit. Post quæ omni nocte in dicta Ecclesia rumores maximi, & clamores auditi sunt, &, ut fertur, imago Diaboli, prout depingitur à quadam Moniali Virginula, quæ sæpius Ecclesias visitabat, pluribus, & diversis vicibus desuper jam dictam arcam visa est; itaut necessariò funus dicti Johannis, ac ejus ossa exinde sunt ablata, & ossa priora, velut erant primitus, in dicta arca fuerunt locata. Iste Petrocinus reformavit Constitutionem capitulorum Cardinalium, & Cantorum, quæ tamen reformationes in contemptum abierunt, & nullatenus observantur, & quatuor beneficia, quæ Mansionariæ nuncupantur, in Ecclesia Ursiana posuit, quarum Mansionarii Missas diebus non festivis alternis hebdomadis cantant, quod opus peroptimum fuit. Pro Ecclesia Romana in Romandiola Rector fuit, quæ Rectoria vulgariter Comes Romandiolæ nominatur, & diu in dicta Rectoria stetit, & dum ad Cardinalatus fastigium aspiraret, consultum fuit ei per Curiales Romanæ Curiæ, de quibus confidebat, qui tamen aulico more eidem non modicùm invidebant, quòd Rectoriæ Romandiolæ renunciaret, ut Papa faciliùs ipsum ad Cardinalatus dignitatem promoveret, quod & ipse fecit. Dumque summus Pontifex disposuisset Dominum Petrocinum in Cardinalem assumere, æmuli tandem ipsius astitêre, dicentes; quomodo sufficiens erit ad regendum in Ecclesia Romana, cùm Rectoriam Romandiolæ renunciaverit, se insufficientem reputans. Quod audiens Papa distulit, ipsumque in Cardinalem non promovit. Iste dum videre voluisset Corpus Elisei Prophetæ, quod in Monasterio S. Laurentii in Cæsarea requiescit, unà cum aliquibus discretis Clericis, & Laicis, Cæmentariis, & Muratoribus arcam dicti Elisei aperiri fecit. Quid viderit non bene audivi, nisi quod à Domino Petro de Zabaronibus Legista sensi, dictum Petrocinum vidisse Corpus dicti Elisei indutum stolâ candidâ, in manu sceptrum tenens, & caput ornatum tiarâ rotundâ, faciem habens barbatam barbâ longâ satis albâ. Post quam aperturam Petrocinus Archiepiscopus cum aliis, qui eidem astiterunt, non diu vixit, præter unum cæmentarium nomine Remesinum, quem vidi, & in ejus operibus habui, & doleo quòd immemor ipsum de (3) beati Elisei Corpore, aliisque non interrogavi. Sedit autem hic Petrocinus annis VII., mensibus V., dieb. XXII., sepultusque est in Ecclesia Ursiana in arca magna, & artificiosè incisa, ubi Corpus optimi Bonifacii de Lavania Archiepiscopi requiescit, quæ est juxta Altare B. Apollinaris. (4)

(1) *Papae*. Mur.
(2) *fuit*. Mur.
(3) *praedicti*. Mur.
(4) *martyris*. Mur.

DE PILEO

Archiepiscopo LXXXXIII.

Pileus LXXXXIII. natione nobilis de Foro Julii ex progenie nobilium de Prata de Castro Pratæ oriundus. Vir Grammaticus satis, sed in alia liberali scientia nullatenus fuit eruditus, vel juris canonici, vel civilis, vir mendax, (5) consumptor maximus. Hic priùs Paduanæ Ecclesiæ fuit Episcopus, postmodum ad Ravennatem sanctam translatus Ecclesiam, & demum per Gregorium XI. Papam in Ecclesia Romana in Cardinalem assumptus. Iste rogatu Jacopi de Alpinis de Parma Ravennatis Ecclesiæ Archidiaconi, & aliorum, nostræ Ecclesiæ Ravennatis Officium vetustissimum removit, nullo tamen Clerico refragante saltem publicè, officiumque Romanæ Curiæ primus introduxit, quo & hodie utimur. Qui Jacopus Archidiaconus in divinis prædictæ Ecclesiæ solicitator optimus fuit, morbo podagræ, quo premebatur, nullatenus obsistente, quàm plùs ...... (6) in ejus juventute. Senio tamen gravatus *Archiepiscopo deserente prælibato* (7) in Ecclesia Ursiana pro eodem Vicarius, & negotiorum gestor fuit, & apud ipsam resedit in regione Gazzii juxtà plateam Ecclesiæ, quæ vulgariter Forum Boum nominatur. Tandem finivit vitam anno Dominicæ Nativitatis MCCCCXII., quo & valida fuit ubique pestilentia, sepultusque est in pace ante frontem Ursianæ Ecclesiæ in loco ubi dicitur *le Laste* in quadam arca saxea. Pileus iste domesticus primò fuit, & valde Domini Guidonis, quondam Domini Bernardini de Polenta Ravennæ Domini, & Vicarii Generalis pro Romana Ecclesia in eadem civitate, ejusque districtu; demum jus nomine Ravennatis Ecclesiæ, & dignitatis Archiepiscopalis in eadem civitate prætendens, in inimicitiam priorem amicitiam convertit. Et dum de Castro Luci veniens Ravennæ civitatem ingredi voluit, intrare per custodes Portæ Adrianæ non est permissus, sibique dictum fuit, ut expectaret tantùm, quòd licentia dicti Domini Guidonis impetraretur. Quo verbo admirans Archiepiscopus cùm priùs, & sinè licentia civitatem ingrederetur, dedignatusque, equorum fræna revolvens Lucum reversus est, & nusquam apud sponsam ejus Ursianam Ecclesiam resedit, quam tamen pauca quidem residentiæ consolatione visitarat. Dum autem iste pecuniis indigeret, misit Nuncios ad dictum Dominum Guidonem, ut ei mille Ducatos mutuaret, eique Castrum Luci pro pignore spopondit; quo Guidone nuncios Archiepiscopi in longum ducente per verba, idem Pileus ad Dominum Nicolaum Marchionem Estensem sapientiâ, virtutibus, & potentiâ Virum Illustrissimum nuncios pro eodem negotio destinavit. Quod audiens Marchio prælibatus ei dictam pecuniam celeriter mutuavit, & Luci Castrum in pignus accepit, quod postmodum Ravennas Ecclesia nunquam habuit, sed per dictos Marchiones detentum fuit usque ad tempus Nicolai Junioris Marchionis Estensis, cujus Gubernatores incautè perdiderunt, ut infra legetur in Historia Cosmatis Archiepiscopi. Similem & aliam alienationem idem Archiepiscopus fecit de Castro

(5) *& omni fallacia plenus, expensor, &c.* Mur.
(6) *fuerit*. Mur.
(7) *Archiepiscopum deserens praelibatum*. Mur.

Arioli in Sinibaldum militem de Ordelafis Foroliviensis civitatis Dominum, & de aliis Castris Ecclesiæ Ravennatis multas barattarias fecit, quibus non dubium animam ipsius in districti Judicis examine fuisse punitam. Cùmque mortuo Gregorio Papa XI. iste Pileus Presbyter Cardinalis titulo S. Praxedis adversùs Urbanum VI. Papam cum aliis Cardinalibus conspirasset, Urbanus septem ex ipsis capiens, ligatosque secum ducens, Januæ nimio ferri, & lapidum pondere in stabulo quodam interemit, & alios Archiepiscopos, & Prælatos conspirationis prædictæ conscios trucidari, & diversis pœnarum generibus occìdi jussit, quod idem de Pileo, & aliis Cardinalibus fecisset, si eos capere potuisset. Pileus verò Ravennatum Ecclesiam desolatam relinquens, & libros, & jocalia multa dictæ Ecclesiæ secum portans, unà cùm aliis Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ Anagniam fugit, & demum in civitatem Fundorum appellentes, ibi consilio, & suggestione Nicolæ de Neapoli in utroque jure Doctoris famosissimi Advocati Consistorialis viri nefandissimi, Robertum XII. Apostolorum Presbyterum Cardinalem Geben. in Antipapam eligunt, & cum eodem Electo se in Avenionensem civitatem omnes transtulere; propter quod idem Pileus, & alii Cardinales dignitate Cardinalatus, omnibusque beneficiis eorum à dicto Urbano privantur, uno solo restituto, videlicet Bartholomæo de Mezzavachis de Bononia Cardinale Reatino, quem tamen in conspectu omnium publicè dehonestavit, turpiter ipsum in sessionibus omnium etiam infimorum ultimum collocando, quod idem Bartholomæus pacificè semper tulit, nullum verbum effundens malum, nec quidquam profani auditum est ex ore ejus. Schisma jam dictum in Ecclesia Dei antiquatum per triginta tres annos, & ultra duravit, & adhuc viget. Causa tanti schismatis, ut audivi, fuit quia idem Urbanus, dum fuisset electus conditionaliter, ut renunciare deberet, dum à Cardinalibus incitaretur, idem cœpit eos malè tractare, quosdam beneficiis spoliare, quibusdam ponens metam in equis, & familiaribus; propter quod indignati Cardinales de ipsius Urbani morte tractare cœperunt; propter quod ad jam dictam eorum privationem, & Antipapæ electionem deventum est. Ut tamen legentibus non desit veritas, Gregorii XI. tempore, qui Avenione morabatur, Ecclesiâ Romanâ in Italiæ partibus agitatâ, & omnes ipsius civitates, & castra perdente, Gregorius Romam devênit omnia reformare desiderans, & credens, ibidem diem extremum claudit; quo mortuo Romanus populus armata manu nolens ampliùs Papatus dignitatem in manus transire Francigenarum clamant, Papam Italicum petentes, & ad Sancti Petri Palatium currunt. Cardinales in Papam Cardinalem Sancti Petri eligunt, qui triduo in Sede Papali stans nunquam acceptare voluit, instanteque Romano populo, Cardinales Urbanum, qui tunc Bartholomæus de Prignano nomine vocabatur, Archiepiscopusque Barensis erat, Romanæ Ecclesiæ Cancellariam regens, sub conditione prædicta, quòd cessante populi furore renunciet, in Papam eligunt, & acceptant, & inthronizant, sibique postmodum velut Papæ supplicant, & reverentiam omnimodam exhibent.

. . . . . *Hic plura desunt*. (1)

Revertamur ad Pileum nostrum. Pileus diu cum Roberto, qui se Clementem VII. nominabat, stetit. Demum Robertus ipsum Legatum Romam mittit post mortem Urbani Papæ, ut pro Ecclesia contra Bonifacium substitutum Urbano aquisitionem faciat. Qui Pileus magnas pecuniarum quantitates expendit suo more solito, & demum post multa per ipsum, & suos peracta mala cum Bonifacio Papa VIIII. Urbano substituto concordat, qui Bonifacius ipsum ad Cardinalatus honorem restituit, & utì priùs Presbyter Cardinalis S. Praxedis (nunc Episcopus Tusculanus nuncupatur.) Tandem senio jam affectus moritur, vidique ipsius Sepulcrum in Urbe in Ecclesia S. Mariæ Novæ, cum duobus aliis Cardinalibus ibi sepultis. Fertur modò mihi ipsius ossa ad Ecclesiam Patavinam translata, ipsiusque funus ibidem esse honorabiliter tumulatum.

DE

Restituuntur haec ex Codice Estensi.

(1) Urbanus vero, si verum dicere fas est, obtento Papatu in stultitiam convertitur, & multa & multa Reginae Apuliae Johannae infert, omnibusque ipsius Reginae petitionibus assensum denegat. Cardinales male tractat, ac omnes Curiales; quae omnia schismatis horrendi causa fuerunt impulsiva, de quibus aliqua sub breviloquio transire nolui, sed narrabo. Cardinali praedicto S. Petri in prandio jecur cum pulmone edi cum foeniculis conditum pro exenio fecit, dicendo quod quia non bene videt, Papa sibi foeniculum destinat, herbam ad visum optimam. Cui Cardinalis responsum exhibet. *Non bene video: verum dicit; & pejus vidi, quia Papatum non tenui, quod si fecissem Urbanus Papa non esset*. Cardinali autem duodecim Apostolorum Gebennensi pullum sine alis truncatis tamen exeniat dicens: *Amputabimus alas ipsi, sociisque suis*. Cui responsum præbet Cardinalis: *Alas habemus ego & socii, & volabundi non tantum per hanc Urbem, sed per totum mundum, si erit necessarium*. Nicolaum vero de Neapoli, qui ad mensam positus fuerat, & supra Octonem de Brusvich Militem praedictae Johannae Apuliae Reginae maritum publice reprehendit, dicens: *Domine Nicolae de Spinellis, non vides tu Dominum Octonem maritum Reginae Dominum tuum sedere sub te? Surge in mala hora*. Et similiter eidem Nicolao ter de aliis Viris Nobilibus fecit. Nicola vero in prandio illo bolum non comedit, cogitans & inter arcana mentis iracundae revolvens, qualiter de Urbano vindictam sumeret, quod & fecit. Nam Cardinalibus consuluit, ut alium eligerent in Papam, quod & fecerunt, ut supra dixi. Sed vae tibi Nicola! cur Dei tunicam inconsutilem lacerasti! non poenas evades: indubie anima tua denique cruciabitur in profundum inferni, & in extremum infra, si dici permittitur. Fratri Thomae de Ghifono Generali Ministro Ordinis Fratris Minorum ad dictum Urbanum Oratorem per Johannam Reginam praelibatam decretum, & cum pompa multa & familiarium & equitum, aliud agit non honestum. Interrogat enim Fratrem Thomam fingens: *Quis es tu? &* ille: *Beatissime Pater, Frater Thomas de Ghiforo sum Generalis Minorum, Orator filiae vestrae Johannae Apuliae Reginae*. Cui Urbanus: *non decet Cordonem Beati Francisci cum tali transire pompa*. Per . . . . , per . . . . clamat Urbanus publice, *ego humiliabo te. Quid petis?* At ille prudentem ambasciatam exponit Reginae Dominae suae, orans, ut coronare dignetur Dominum Octonem ipsius Maritum Reginae in Apuliae Regem. Cui Papa. *Quid, Diabole, vult ista foemina? Ego nolo, nec quod petit habebit*. Revertamur &c. Muratorius.

Paulus iste Scordilla, qui hæc vigente adhuc schismate scripsisse profitetur nimis Urbano Pontifici Max. infensus, vel ob exauctoratum Sacerdotio, & Cardinalitia dignitate Pileum Archiepiscopum suum, vel animo ad Schismaticos inclinato, multa ex factioso fortasse ingenio miscet, quæ cautè legenda.

DE COSMATE

Archiepiſcopo XCIV.

COſmas XCIV. natione Sulmonenſis de vili conceptus proſapia, de progenie de Melioratis, ſatis decorâ formâ, calvus in ſincipite, alacri vultu, Doctor Decretorum, & in civili ſapientia peritus, licèt non Magiſtratus, & rerum experientiâ doctus, homo boni conſilii. Tempore, quo fuit in minoribus Bononiæ ſtudens, fuit tempore Johannis de Lignano utriuſque juris, & ſeptem liberalium Artium doctoris famoſiſſimi. Hic, dum Johannes de Lignano fuiſſet ad Urbanum Papam VI. Orator transmiſſus pro Communitate Bononiæ, cum dicto Johanne Romanam profectus eſt ad Curiam, quem Johannes de Lignano cordialiter præfato Summo Pontifici commendavit. Quod Urbanus audiens ſecum Coſmatum retinuit, & proceſſu temporis ad partes Angliæ Collectorem Apoſtolicum deſtinavit; qui, perſecutione ſchiſmatis adversùs Urbanum invaleſcente, de qua ſupra dixi in præcedentis Hiſtoria Pontificis, ſæpiſſimè Papam per literas (1) viſitavit, quod Urbanus gratiſſimum habens cogitabat intra ſe, qualiter Coſmatum aliquo retributionis beneficio decoraret. *Vacante* (2) ſancta matre noſtra Ravennate Eccleſia, quæ agia nominatur Anaſtaſis, ob privationem Pilei ſupranominati, Coſmatum ad ipſum regimen promovit, cujus poſſeſſionem hìc Ravennæ habere non potuit, quoniam Guido de Polenta miles, & Dominus civitatis Ravennæ prædicto Roberto Schiſmatico adhærebat, & cum quodam Ludovico Duce Andegavenſi, qui cum quadraginta quinque millibus armatorum venerat tempore Pilei, ut ſe Apuliæ Regem faceret, concors erat. Qui tamen Ludovicus ad petitionem Reginæ Apuliæ per Ravennæ partes tranſitum faciens, dictum Guidonem in ejus opinionem reduxit. Ob hoc autem orta eſt diſcordia maxima inter Galeottum de Malateſtis militem Dominum Arimini, & Dominum Guidonem, & ſub velamine Romanæ Eccleſiæ, & Urbani Papæ nomine civitatem Cervienſem, Caſtrum Polentæ, & Cuglianelli, quæ dicti Guidonis ditione, & imperio regebantur, furtim, & vi aufert à dicto Guidone, & huic civitati Ravennæ multa mala intulit. Dumque noctis tempore cogitabat per ſcalarum aditum Ravennæ civitatem invadere, totus populus morboſis febrium ictibus perculſi jacebant. Multi tamen ſubditi Galeotti prædicti muros civitatis aſcendentes civitatem ingreſſi ſunt. Quod audiens Dominus Guido de Polenta Bernardinum ejus filium primogenitum ad civitatis defenſionem deſtinat. Pavore verò Bernardinus non modico territus fugit, ejuſque patri civitatem hoſtes ingreſſos *nunciat*. (3) Guido autem turbatus filium baculo verberat, & cum quibus valuit gentibus hoſtes aggreditur, eoſque de civitate repellit, quorum repulſioni viriliter inſiſtunt in Turri Presbyterorum Leonardus de Foſſolla Præpoſitus, & Laurentius de Luderano Cardinalis hujus Eccleſiæ. Quinque tandem ex hoſtibus captis, qui ſub quæſtionum examine poſiti, & cur eorum propoſitum non adimpleviſſent interrogati, reſponſum dedêre; audivi-

A mus civitatem ægritudinum morbo ſepultam, ſed dum per ſcalas ingreſſum faceremus, vidimus armatorum millia intra civitatem Ravennæ cum vexillis albis, & ſigno Crucis rubeæ ſignatis, unde diſtulimus, timentes non modicùm. Qui demum quinque laqueo prope Turrim Presbyterorum, ubi antiquitus fuit Arx, ſive Caſtrum Romanum Eccleſiæ, & ubi fecerant aditum, ſuſpenſi ſunt. Dominus Galeottus autem de Malateſtis prædictus caſtrametatus unà cum ejus exercitu nedum in Monaſterio, ſed in Eccleſia S. Laurentii in Cæſarea, morbo corripitur, & inde diſcedens, versùſque Ariminum tendens diem extremum claudit, unde illud Evangelicum venit ſuper eum; *ut quid templum meum feciſtis ſpeluncam latronum*. Non
B tangant igitur laici Chriſtos Domini, licèt mos ſit Ravennatibus in contrarium in ejuſdem civitatis Eccleſiis operari. Hujus Coſmati tempore Urbanus in urbe moritur, & Petrus de Tomacellis de Neapoli in Bonifacium IX. ordinatur. Qui paucis diebus elapſis Coſmatum in Presbyterum Cardinalem aſſumit Sanctæ Crucis in Hieruſalem, & ei Ravennatem commendat Eccleſiam, qui Domino Guidone de Polenta de Domino civitatis Ravennæ depoſito nuncios pro tenuta mittit. Filii verò Domini Guidonis prædicti, qui paulò ante dictæ civitatis Vicariatum interventu Domini Alberti Marchionis Eſtenſis eorum Avunculi à Bonifacio impetraverant, per decennium duntaxat poſſeſ-
C ſionem Eccleſiæ *manuteneri permittunt*. (4) Coſmatus inde ad paucos dies Barnabam de Leoniſſa Decretorum Doctorem Vicarium Ravennæ deſtinavit, virum utique ſenſu, & corporis audaciâ, nec non & armorum peritiâ conſpicuum. Qui Barnabas Caſtra Ravennatis Eccleſiæ de manibus Ubaldini, & Antonii de Ubaldinis, & Aſtorgi de Manfredis viriliter manu armata recuperat, auxilio tamen Caroli, & Malateſtæ fratrum de Malateſtis, quorum Coſmatus ſatis domeſticus fuit. Quem tamen Barnabam ad petitionem æmulorum quorundam, & infimorum brodia manducantium, ab officio Vicariatus, & Vicecomitatus dictorum Caſtro-
D rum removet quantùm in eo fuit. Barnabas autem diſcedere non diſpoſuit, ſed quendam ejus invidum Abbatem Antonium de Loratino Canonicum Capuanum ejus detractorem inhumaniter torquet, & cruciat, & per teſticulos appendit. Qui tandem Barnabas cum dicto Coſmato in arbitros compromittit, qui Cardinalem per ſententiam in magnis pecuniarum quantitatibus condemnarunt. Demum Barnabas literis dictorum Caroli, & Malateſtæ confiſus Romam properat, ibique carcere truditur. Hujus exempli meminerint quæſo, qui Dominorum ſervitiis inſiſtunt. Amor enim Domini, vinumque *vaſi* (5) ſerotenus optimum uſque
E mane dimiſſa, turpiter evaneſcunt. Hujus Coſmati tempore defuncto Domino Alberto Eſtenſi Marchione, Azo Eſtenſis Marchio hoſtiliter Mutinenſe Territorium invadit, indeque diſcedens ſe ad Barbiani Caſtrum Romandiolæ ditionis tunc Johannis Comitis de Cunio perſonaliter transfert. Timentes autem Domini Philippus de Robertis, & Johannes à Sale Azonis Marchionis adventum, Oratorem quendam Johannem de S. Georgio ad dictum Johannem Comitem *deſtinavit*, (6) orantes ut Azonem præ-

(1) *& pecuniis*. Mur.
(2) *Vacanteque*. Mur.
(3) *denuntiat*. Mur.

(4) *Ravennatis manutenere promittunt*. Mur.
(5) *vaſis*. Mur.
(6) *deſtinant*. Mur.


prædictum velit interficere, vel ejus neci consentire, quod si facere velit ipsi Castrum Luci, & Consilicis promittunt. Johannes autem id promittit, Azonem tamen hujus rei conscium facit, & quendam familiarem dicti Azonis Theotonium nomine occidunt vestibus dicti Azonis indutum, & ei similem non modicùm. Qui Johannes dicta Castra *Luci*, (1) & Consilicis dicto Johanni Comiti tradit. Negotio verò discooperto Johannes de S. Georgio capitur, & omnes stipendiarii Nicolai junioris Marchionis armis, & bonis omnibus hostiliter spoliantur. Sed quid ad laceratam Ravennatem Ecclesiam, cujus bona unusquisque, prout potest, invadit? Inde ad dies Cosmatus Ecclesiæ Ravennati renunciat, & Johannem ejus nepotem per Bonifacium ordinari solicitat, & procurat, qui fortè filius ejus fuit. Mortuoque Bonifacio in Papam Innocentius VII. eligitur. Ante ejus electionem Romanus populus dominium urbis de manu Innocentii violenter accepit, & populariter regunt. Post paucos verò dies dum cives Romani XIII. numero Pontemollem à Papa instanter petierunt, Ludovicus ejus nepos omnes tredecim trucidavit, & mactavit, & de fenestris domorum Sancti Spiritus de urbe ad terram dejecit; unde commotus populus omnes Aulicos spoliat, Papa verò Viterbum fugit, & demum rediit in Sedem, & dominium urbis, & Campaniam Ladislao Regi Apuliæ sponte relaxat, & in ejus potestatem dimittit. Inde ad paucos dies moritur, sepultusque est in quadam *Capelli* (2) prope Capellam Auditorum in Ecclesia S. Petri in Vaticano ad manum dexteram ingressus dictæ Capellæ, cujus Corpus terrâ tegitur, & similiter Bonifacii *VIII.* (3) ejus prædecessoris.


DE JOHANNE


Archiepiscopo XCV.

JOhannes XCV. (4) Sulmonensis nepos Cosmati prædecessoris proximè nominati. Staturâ pusillus, oculos habens parvos, magnum os, & magnos dentes habens, variolosus in facie, albi coloris, Doctor legum, licèt earum modicam habuerit notitiam, simplex simplicitate non tamen columbina, sed ultra, & taliter, quòd potiùs vitium, quàm virtus potuerit appellari, expensor maximus bonorum Ecclesiæ, potiùs incuriâ servientium ei, suâque, quàm prodigalitatis (5) vitio. Hic velut ejus avunculus, seu patruus, Ecclesiam suam personaliter nunquam visitavit, sed aut Ferrariæ, aut Bononiæ, aut Romæ moram traxit. Tempore hujus maxima est orta contentio inter Cantores, & Cardinales Ecclesiæ Ravennæ, asseverantibus Cantoribus se ita sicut Cardinales ad Altare argenteum, ubi est Civorium Victoris Archiepiscopi, ubi requiescit Corpus .... Archiepiscopi debere, & posse celebrare; cujus zizaniæ seminator fuit Servideus primò Cantor, (6) nunc verò Abbas Monasterii Sanctæ Mariæ in Cosmedim, cognomine vocatus *el Bagatella*, propter ejus cavillationes umbratiles, & pueriles, vel quòd illam artem noverit bagattandi. Qui Servideus ad dictum Johannem Archiepiscopum Bononiam accedens privilegium pro Cantoribus impetrat, ut ita sicut Cardinales celebrare valeant. Quod audientes Cardinales Bononiam properant, quos audiens Archiepiscopus privilegium priùs concessum revocat, mandaturque Cantoribus, quòd de cætero ibi celebrare non audeant, quod mandatum facit Lucas de Cantarellis de Reggio dicti Johannis Vicarius. Furiata potiùs mente, quàm solenni habita deliberatione Servideus imperitus omnium risui patet omnibus. Postquam autem Abbas efficitur, cujus promotionis ego Paulus Scordilli Doctor Decretorum, Præpositus hujus almæ Anastasis, pars magna fui, ecce retributionem, quam ille gratissimus per antiphrasim *Bagatella* præbet. Altera die post ejus benedictionem novum zizania seminat in me, & Cantores, quorum fuerat, (7) & cum Canonicis provocat Abbates, ut eam moveant adversùs Cantores dicendo, quòd in Processionibus Cantores prosequi debeant Abbates, deinde Cardinales. Quo facto Cantores condolent, cùm semper mixtim cum Cardinalibus sint ire soliti. Quam litem dictus Johannes Archiepiscopus Angelerio de Monte Fano Doctori Decretorum ejus Vicario audiendam remittit, qui aliquibus testium vetustorum receptis (8) per ejus literas Cantores in quasi possessione sequendi Abbates fore pronunciat; unde cujuscumque, ut priùs, Servideus, aliàs *Bagatella* risui patet. Alia quidem postea seminat, & in omnibus velut ignarus, & imperitus cadit, atque succumbit. Demum Johannes in Cardinalem Presbyterum Sanctæ Crucis in Hierusalem per eius avunculum, vel patruum assumitur, & à vinculo, quo Ravennati Ecclesiæ tenebatur, absolvitur. Clerus denique, populusque Ravennas hoc audientes Bertrandum de Arnasano Decretorum Doctorem eminentis scientiæ Sacri Palatii Apostolici Auditorem in Archiepiscopum eligunt, qui fuerat hujus Ecclesiæ Ravennatis Presbyter Cardinalis, cujus electionem Innocentius carnalitate motus confirmare distulit, dictumque Bertrandum, ut silendi materiam haberet, Subdiaconum ejus fecit, & multa eidem (9) contulit. Hic Johannes molitus est Argentam Castrum de manibus Domini Nicolai Marchionis Estensis, & Luci Castrum de manibus Ludovici, & Manfredi Comitum de Cunio per litigium *capere*, (10) sed tandem opera ejus redierunt in nihilum, *postquam* (11) ad Romanam Curiam se transtulit, ibique usque ad mortem Innocentii resedit. Mortuo autem Innocentio substituitur Gregorius XII., qui priùs Presbyter Cardinalis Sancti Marci fuerat, (12) qui cæteris promisit, & vovit Cardinalibus, & Deo, quòd renunciaret Papatui, unde exinde unio sequeretur, nunciosque ad Benedictum Antipapam (13) solenniter mittit, & quantùm foris videri potuit unioni in principio operam dedit, renunciare paratus in civitate Saone, *quæ* (14) & Antipapa facere paratus erat. Tandem *ostatu* (15) attinentium suorum Antonii Correrii, & Gabrielis Condulmerii, & Johannes Dominici de

(1) *Lugi*. Mur.
(2) *Capellula*. Mur.
(3) *IX*. Mur.
(4) *natione*. Mur.
(5) *imminente*. Mur.
(6) *hujus Ecclesiae*. Mur.
(7) *confirmatus*. Mur.
(8) *testimonibus, & publicatis*. Mur.
(9) *beneficia*. Mur.
(10) *eripere*. Mur.
(11) *post quae*. Mur.
(12) *nomine Angelo Correrio de Venetia*. Mur.
(13) *XII. nomine vero Petrum de Luna*. Mur.
(14) *quod*. Mur.
(15) *hortatu*. Mur.


Piedi 3. ō. 3.
Piedi 3. ō. 3.
Piedi 3. ō. 3.
Piedi 3. ō. 3.
Piedi 3. ō. 3
Lunghezza di dentro piedi
ō. sette
Mezzo piede
Piedi uno
Piedi uno ō. 4 ½
Piedi uno ō. 9 ½
Piedi tre oncie sette e mezza



Perduti
Parte di Dietro















T. II. pag. 215. Tab. H.



pars intima.



pars intima.



de Ordine Prædicatorum, suggestionibusque ipsorum seductus eosdem Gabrielem, & Johannem Dominicum, & Jacobum de Utino contra formam voti promissionis, & juramenti, Cardinales creat, & facit, & à tanto sancto opere unionis discedit, in hocque dictum Prophetæ Psalmigraphi moraliter patefecit; *si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo*. Propter quam novorum Cardinalium creationem factam, cæteri Cardinales in civitate Lucana à Gregorio fugiunt, & ab eodem appellant ad Christum, & ad futurum Concilium, ac ad Papam novum futurum, de novo eligendum, & à Papa malè informato ad ipsum meliùs informandum. Cui appellationi Gregorius non defert, quinimo omnes secretè privat præter Antonium Tudertinum Cardinalem Presbyterum Sanctæ Praxedis, qui solus cum dicto Gregorio remansit. Gregorius verò Senas properat, de Senis Ariminum. Audiens Clerus, populusque Ravennas....... Johannis Commendatarii Ravennatis Ecclesiæ priùs tamen Archiepiscopi, me Paulum Scordili Doctorem Decretorum, Præpositum hujus Ecclesiæ, rogatu tamen magnifici Domini Opizonis de Polenta, in Archiepiscopum Ravennatis Ecclesiæ unanimiter, & nemine discrepante ipsorum, eligunt. Quam electionem Gregorio Ariminum missam sub procuratione Johannis de Refellis Legum Doctoris (1) confirmare distulit, negligentiâ tamen dicti Johannis, qui Abbatiam Monasterii Classensis pro Benedicto ejus filio perquisivit, memor illius; *agris propriis sitientibus, alieni irrigandi non sunt*. Gregorius autem de Arimino discedens Utinum properat, contra quem Antonius Patriarcha Aquilejensis guerram ingentem, & validam facit. Gregorius inde discedens, Cajetam properat. Cardinales, cum quibus & Antonius Tudertinus Cardinalis Sanctæ Praxedis contra Gregorium convocato Concilio, & citato Gregorio, & Antipapa Benedicto, ipsos, & ipsorum quemlibet privatos denunciant, & Pisis Alexandrum V. priùs Petrum XII. Apostolorum Presbyterum Cardinalem eligunt, qui Alexander Cretensis natione fuit ex progenie de Filardis, & de Ordine Minorum. Qui Alexander veniens Bononiam parvo tempore Papatu gaudens Bononiæ diem extremum claudit, & in Minorum Ecclesia Sancti Francisci tumulatur usque in hodiernum diem. Post hæc Cardinales se in Conclavi includentes Baldassarem Cossam de Neapoli Diaconum Cardinalem Sancti Eustachii in Johannem Papam XXIII. eligunt. Post cujus electionem Johannes Cardinalis noster Commendatarius, primò tamen Archiepiscopus, vitam est universæ carnis ingressus, & in sacristia majoris Ecclesiæ Bononiensis (2) sepelitur, vilissimis satis pro ipsius animæ commendatione *paratis* (3) exequiis. Post ejus decessum Malatesta de Malatestis Cæsenam dominans Castrum Ripæ *Urriani*, (4) & *Trideroni*, & *Surcinolæ*, (5) & alia subripit, exinde ammoto Vicecomite Ravennatis Ecclesiæ. Profecit autem iste Johannes, ejusque avunculus, vel patruus Cosmatus (6)........... hujus Ecclesiæ, fructusque (7) permaximos habuerunt, aliter tamen quàm nunc ante districtum Judicem de administratione reddunt rationem. Veruntamen opto ipsorum animas, & aliorum defunctorum mo-

(1) *Gregorius*. Mur.
(2) *nova*. Mur.
(3) *peractis*. Mur.
(4) *Ursianae*. Mur.

A re christiano ad cœlestem Hierusalem evolare. Hujus Johannis tempore Apollinaris de *Gracchis* (8) Abbas Monasterii Sancti Apollinaris novi, inspiratus, ut idem asseruit, in somnis à B. Apollinari Martyre Christi gloriosissimo, ut Corpus ejus effoderet, & notum faceret, sub Altari majori dicti Monasterii fregit, & quoddam foramen fecit, & ibi quandam arcam ligneam reperit, in qua corpus, sive cadaver quoddam repertum est habens occiput capitis confractum, & totum corpus sindone quadam coopertum erat, & sub capite dicti cadaveris erat quædam lamina plumbea visu vetustissima, in qua tales literæ intus sculptæ, & cavatæ erant artificiosè, videlicet. *In hoc sar-* B *cophago requiescit Corpus sanctissimi, ac beatissimi Martyris Christi Apollinaris depositum à Johanne Archiepiscopo*. Quod negotium tactum est supra in Historia translationis ipsius beatissimi Apollinaris. Nunciatum istud Fratri Gualterio de Galeata Ordinis Eremitarum Episcopo Bononiensi, ac Vicario generali dicti Johannis, negotium vidit. Cum quo ego Paulus Scordilli Doctor Decretorum, Præpositus dictæ Ecclesiæ Ravennatis fui, & multi alii quamplures Clerici. Frater Gualterius rem Johanni domino suo nunciat; Johannes verò se provisurum optimè per literas pollicetur. Tandem nihil agit, & sic negotium mansit infectum.

De Thoma Archiepiscopo XCVI.

C *Pro Appendicis hujus coronide apponere hic tandem volui quatuor æreis laminis descriptam Sedem Pontificum Ravennatum, quam vidi in Archivo Archiepiscopalis Ecclesiæ. Ea lignea est imaginibus anagliphtico opere ornata ejus materiæ, quæ facilè ebur imitetur albicans. Imagines lemniscis concluduntur variis animalium, aviumque figuris circumdatæ.*

Tabula prima signata E. integram Sedem cum suis dimensionibus repræsentat.

Tabula secunda signata F. partem convexam exteriorem exhibet. Ex imaginibus supersunt, quæ tribus alveolis continentur. In superiori Christus à Johanne baptizatur in Jordani; in aliis duobus idem panes, piscesque multiplicat, & post resur- D *rectionem cum Discipulis manducat. Conjector in ea Sedis parte Christi Domini vitam expressam, cujus cætera exciderε.*

Tabula tertia signata G. continet bina latera Sedis, in quibus Josephi Historia per partes expressa est.

Tabula quarta signata H. habet partem inferiorem Sedis, & in medio Christum Dominum, qui dexterâ benedicit, sinistra vero orbiculum tenet, in quo ovicula. Præfert autem Pastoris, & Sacerdotis figuram. Ad ejus latera duo hinc, duoque inde Evangelistæ. Supra Salvatoris caput est Monogramma, ex quo mihi videor videre facilè exculpi posse literas, quæ conficiant MAXIMIANUS EPISCOPUS. Operis totius ingenium si E *Periti ad ejus Episcopi ætatem referri posse crediderint, gratulabor mihi ipsi, qui rem acu tetigerim.*

Pars intima satis conspicua est in priori tabula, qua patet figuras periisse, & quæ remanent ad Christi nativitatem referenda. Et hæc brevi manu notanda eruditis salivam movere poterunt, ut intimiùs in tempus inquirant, quo Sedes hujusmodi parata fuit.

MO-

(5) *Tuderani*, & *Surnolae*. Mur.
(6) *modicissimum*. Mur.
(7) *tantum*. Mur.
(8) *Gracchis*. Mur.

MONITUM.

Extat in insigni Tabulario Mutinensis Cathedralis Codex membranaceus, in quo descriptæ sunt charactere Langobardico leges Salicæ, Langobardicæ, Romanæ, cum quibusdam Capitularibus. In fine ejusdem Codicis legitur Calendarium pro divinis officiis, & regulæ quædam pro anni temporibus, quibus ex Computistarum rationibus ea disponebantur. Cùm autem Mutinensis Ecclesia Ravennati tanquam Metropoli subderetur, visum est pergratum Lectori futurum, si Calendarium idem apponeretur, ex quo appareret, quænam Sanctorum Officia celebrari consueverint in Ecclesiis Ravennati subjectis. Ad initia autem seculi XI. Calendarium hocce spectare arbitror. Alia fortasis haud inutilia hinc habebit Lector eruditus.

CALENDARIUM.

ECCLESIÆ MUTINENSIS.

		JAN. dies XXXI. Lun. XXX.		A
a.	A.	Kal. Jan.	Circumcisio Christi. (Dies Ægypt.	
b.	B.	IIII. Non.		
c.	C.	III.		
d.	D.	Prid.		
e.	E.	Non.		
f.	F.	VIII. Id.	Epiphania Domini.	
g.	G.	VII.		
h.	A.	VI.		
i.	B.	V.	Pauli Anachoritæ.	
k.	C.	IIII.		
l.	D.	III.	S. Leucii Confess.	
m.	E.	Pr. Id.		
n.	F.	Idib.		
o.	G.	XIX. Kal. Feb.	S. Felicis in Pincis.	B
p.	A.	XVIII.		
q.	B.	XVII.	S. Marcelli PP.	
r.	C.	XVI.	S. Antonii Monachi.	
ſ.	D.	XV.	S. Priscæ.	
t.	E.	XIIII.		
u.	F.	XIII.	S. Sebastiani.	
a.	G.	XII.	S. Agnetis.	
b.	A.	XI.	S. Vincentii.	
c.	B.	X.		
d.	C.	VIIII.		
e.	D.	VIII.	Conversio S. Pauli.	
f.	E.	VII.		
g.	F.	VI.		
h.	G.	V.	Octava Sanctæ Agnetis.	
i.	A.	IIII.		C
k.	B.	III.		
l.	C.	Prid.	S. Geminiani Episcopi.	
		FEB. dies XXVIII. Lun. XXVIII.		
m.	D.	Kal. Feb.	S. Severi Episcopi.	
n.	E.	IIII. Non.	Purificatio S. Mariæ.	
o.	F.	III.		
p.	G.	Prid.	Dies Ægypt.	
q.	A.	Non.	S. Agathæ.	
r.	B.	VIII. Id.		
ſ.	C.	VII.		
t.	D.	VI.		
u.	E.	V.		
a.	F.	IIII.	S. Scholasticæ.	
b.	G.	III.		D
c.	A.	Prid.		
d.	B.	Id.		
e.	C.	XVI. Kal. Mar.	S. Valentini.	
f.	D.	XV.	S. Faustini, & Jovitæ.	
g.	E.	XIIII.		
h.	F.	XIII.		
i.	G.	XII.		
k.	A.	XI.		
l.	B.	X.		
m.	C.	VIIII.		
n.	D.	VIII.	Cathedra S. Petri:	
o.	E.	VII.	(vernus dies XCII.	
p.	F.	VI.		
q.	G.	V.		
r.	A.	IIII.	Dies Ægypt.	
ſ.	B.	III.		E
t.	C.	Prid.		

		MAR. dies XXXI. Lun. XXX.	
a.	D.	Kal. Mar.	Dies Ægypt.
b.	E.	VI. Non.	
c.	F.	V.	
d.	G.	IIII.	
e.	A.	III.	
f.	B.	Prid.	
g.	C.	Non.	
h.	D.	VIII. Id.	
i.	E.	VII.	
k.	F.	VI.	
l.	G.	V.	
m.	A.	IIII.	S. Gregorii PP.
n.	B.	III.	
o.	C.	Prid.	
p.	D.	Id.	
q.	E.	XVII. Kal. Ap.	
r.	F.	XVI.	
ſ.	G.	XV.	
t.	A.	XIIII.	
u.	B.	XIII.	
a.	C.	XII.	S. Benedicti Abbatis.
b.	D.	XI.	
c.	E.	X.	
d.	F.	VIIII.	
e.	G.	VIII.	Adnunciato S. Mariæ.
f.	A.	VII.	
g.	B.	VI.	
h.	C.	V.	
i.	D.	IIII.	Dies Ægypt.
k.	E.	III.	
l.	F.	Prid.	
		APRIL. dies XXX. Lun. XXVIIII.	
m.	G.	Kal. April.	
n.	A.	IIII. Non.	
o.	B.	III.	
p.	C.	Prid.	
q.	D.	Non.	
r.	E.	VIII. Id.	
ſ.	F.	VII.	
t.	G.	VI.	
u.	A.	V.	
a.	B.	IIII.	Dies Ægypt.
b.	C.	III.	
c.	D.	Prid.	
d.	E.	Id.	
e.	F.	XVIII. Kal. Maj.	S. Tiburtii, & Va- (leriani.
f.	G.	XVII.	
g.	A.	XVI.	
h.	B.	XV.	
i.	C.	XIIII.	
k.	D.	XIII.	
l.	E.	XII.	
m.	F.	XI.	
n.	G.	X.	
o.	A.	VIIII.	S. Adelberti Episc., &
p.	B.	IIII.	S. Georgii. (Mart.
q.	C.	VII.	S. Marci Evangelistæ.
r.	D.	VI.	
ſ.	E.	V.	
t.	F.	IIII.	S. Vitalis.
a.	G.	III.	
b.	A.	Prid.	

MAJ.

MAJ. dies XXXI. Lun. XXX.

c.	B.	Kal. Maj.	S. Apostolorum Philip-
d.	C.	VI. Non.	(pi, & Jacobi.
e.	D.	V.	Inventio S. Crucis. Ale-
f.	E.	IIII.	(xandri, Eventii, &
g.	F.	III.	(Theoduli. Dies Ægy.
h.	G.	Prid.	S. Johannis ante Por-
i.	A.	Non.	(tam Latinam.
k.	B.	VIII. Id.	S. Michaëlis, & Victo-
l.	C.	VII.	(ris.
m.	D.	VI.	S. Gordiani, & Epi-
n.	E.	V.	(machi, & Christinæ.
o.	F.	IIII.	S. Pancratii, Nerei, &
			(Achillei.
p.	G.	III.	S. Mariæ ad Martyres.
q.	A.	Prid.	
r.	B.	Id.	
f.	C.	XVII. Kal. Jun.	S. Possidonii.
t.	D.	XVI.	S. Syri.
u.	E.	XV.	
a.	F.	XIIII.	S. Pudentianæ.
b.	G.	XIII.	
c.	A.	XII.	S. Senesii, & Theopon-
d.	B.	XI.	(tii.
e.	C.	X.	
f.	D.	VIIII.	
g.	E.	VIII.	S. Urbani. Dies Ægy.
h.	F.	VII.	
i.	G.	VI.	
k.	A.	V.	
l.	B.	IIII.	
m.	C.	III.	
n.	D.	Prid.	

JUN. dies XXX. Lun. XXVIIII.

o.	E.	Kal. Jun.	S. Nicomedis.
p.	F.	IIII. Non.	Sanctorum Petri, &
q.	G.	III.	(Marcellini.
r.	A.	Prid.	
f.	B.	Non.	
t.	C.	VIII. Id.	
u.	D.	VII.	
a.	E.	VI.	S. Primi, & Feliciani.
b.	F.	V.	
c.	G.	IIII.	Dies Ægyp.
d.	A.	III.	S. Barnabæ Apostoli.
e.	B.	Prid.	
f.	C.	Id.	
g.	D.	XVIII. Kal. Jul.	(atque Crescentiæ.
h.	E.	XVII.	S. Viti, & Modesti,
i.	F.	XVI.	Dies Ægyp.
k.	G.	XV.	(liani.
l.	A.	XIIII.	S. Marci, & Marcel-
m.	B.	XIII.	S. Gervasii, & Protasii.
n.	C.	XII.	
o.	D.	XI.	
p.	E.	X.	
q.	F.	VIIII.	Vig. S. Jo: Baptistæ.
r.	G.	VIII.	Nat. S. Jo: Baptistæ.
f.	A.	VII.	
t.	B.	VI.	S. Johannis, & Pauli.
a.	C.	V.	
b.	D.	IIII.	S. Leonis P., & Vig.
			(Apost. Petri, & Pauli.
c.	E.	III.	Nat. eorundem.
d.	F.	Prid.	Sanctor. Cantianorum.

A

JUL. dies XXXI. Lun. XXX.

	e.	G.	Kal. Jul.	(niani.
	f.	A.	VI. Non.	S. Processi, & Marti-
	g.	B.	V.	
	h.	C.	IIII.	
	i.	D.	III.	S. Margaritæ.
	k.	E.	Prid.	Oct. Apostolorum.
	l.	F.	Non.	
	m.	G.	VIII. Id.	
	n.	A.	VII.	(tatis.
	o.	B.	VI.	VII. Fratrum S. Felici-
	p.	C.	V.	(goræ.
	q.	D.	IIII.	S. Naboris, & Ermar-
B	r.	E.	III.	Dies Ægyp.
	f.	F.	Prid.	
	t.	G.	Id.	S. Quirici, & Julitæ.
	u.	A.	XVII. Kal. Aug.	
	a.	B.	XVI.	
	b.	C.	XV.	
	c.	D.	XIIII.	
	d.	E.	XIII.	
	e.	F.	XII.	S. Praxedis. (Ægyp.
	f.	G.	XI.	S. Mariæ Magd. Dies
	g.	A.	X.	S. Apollenaris.
	h.	B.	VIIII.	S. Christinæ.
	i.	C.	VIII.	S. Jacobi Apostoli fra-
	k.	D.	VII.	(tris Johannis Evan-
	l.	E.	VI.	(gelistæ.
C	m.	F.	V.	S. Nazarii, & Celsi.
	n.	G.	IIII.	S. Felicis., Simplicii,
				(Faustini, & Beatricis.
	o.	A.	III.	S. Abdon, & Sennen.
	p.	B.	Prid.	

AUG. dies XXXI. Lun. XXIX.

	q.	C.	Kal. Aug.	VII. Fratrum Macha-
				(bęorum. Dies Æg.
	r.	D.	IV. Non.	S. Stephani Pontificis.
	f.	E.	III.	
	t.	F.	Prid.	
	u.	G.	Non.	(Agapiti.
D	a.	A.	VIII. Id.	S. Sixti, Felicissimi, &
	b.	B.	VII.	S. Donati Episcopi.
	c.	C.	VI.	S. Cyriaci.
	d.	D.	V.	Vig. S. Laurentii.
	e.	E.	IV.	S. Laurentii.
	f.	F.	III.	S. Tiburtii.
	g.	G.	Prid.	(siani.
	h.	A.	Id.	S. Hippolyti, & Cas-
	i.	B.	XIX. Kal. Sept.	S. Eusebii.
	k.	C.	XVIII.	Adsumptio S. Mariæ.
	l.	D.	XVII.	
	m.	E.	XVI.	
	n.	F.	XV.	S. Agapiti.
	o.	G.	XIV.	
	p.	A.	XIII.	
	q.	B.	XII.	(mothei.
E	r.	C.	XI.	S. Hippolyti, & Ti-
	f.	D.	X.	
	t.	E.	IX.	
	a.	F.	VIII.	S. Bartholomęi Apost.
	b.	G.	VII.	(Autumn. dies XCI.
	c.	A.	VI.	
	d.	B.	V.	S. Hermetis, & Aug.
	e.	C.	IV.	Decollat. S. Johannis
				(Baptistæ, & Savinæ.
	f.	D.	III.	S. Felicis. & Adaucti.
	g.	E.	Prid.	(Dies Ægyp.

A

SEPT. dies XXX. Lun. XXX.

h.	F.	Kal. Sep.	S. Priſci.
i.	G.	iv. Non.	
k.	A.	iii.	Dies Ægyp.
l.	B.	Prid.	
m.	C.	Non.	.
n.	D.	viii. Id.	
o.	E.	vii.	
p.	F.	vi.	Nat. S. Mariæ.
q.	G.	v.	S. Gorgoni.
r.	A.	iv.	(thi.
ſ.	B.	iii.	S. Proti, & Hyacin-
t.	C.	Prid.	
u.	D.	Id.	
a.	E.	xviii. Kal. Octob.	(nelii, & Cipriani.
b.	F.	xvii.	Exalt. S. Crucis, Cor-
c.	G.	xvi.	S. Nicomedis.
d.	A.	xv.	S. Euphemiæ.
e.	B.	xiv.	
f.	C.	xiii.	
g.	D.	xii.	Vig. S. Matthæi Apoſt.
h.	E.	xi.	Nat. S. Matthæi Apoſt.
i.	F.	x.	(Dies Ægyp.
k.	G.	ix.	
l.	A.	viii.	Conceptio S. Johannis
m.	B.	vii.	(Baptiſtæ.
n.	C.	vi.	
o.	D.	v.	S. Coſmæ, & Damiani.
p.	E.	iv.	
q.	F.	iii.	Dedic. S. Angeli.
r.	G.	Prid.	S. Hieronymi.

B

C

OCTOB. dies XXXI. Lun. XXVIIII.

ſ.	A.	Kal. Octob.	
t.	B.	vi. Non.	S. Thomæ Apoſtoli.
u.	C.	v.	Dies Ægyp.
a.	D.	iiii.	
b.	E.	iii.	
c.	F.	Prid.	
d.	G.	Non.	
e.	A.	viii. Id.	
f.	B.	vii.	S. Domnini, Dioniſii,
g.	C.	vi.	(Ruſtici, & Eleutherii.
h	D.	v.	
i..	E.	iiii.	
k.	F.	iii.	
l.	G.	Prid.	S. Calliſti P.
m·	A.	Id.	
n.	B.	xvii. K. Nov.	S. Galli Abbatis.
o.	C.	xvi.	
p.	D.	xv.	S. Lucæ Evangeliſtæ.
q.	E.	xiiii.	
r.	F.	xiii.	
ſ.	G.	xii.	
t.	A.	xi.	Dies Ægyp.
a.	B.	x.	
b.	C.	viiii.	
c.	D.	viii.	
d.	E.	vii.	(Simonis, & Judæ.
e.	F.	vi.	Vigilia Apoſtolorum
f	G.	v.	Nat. eorundem.
g.	A.	iiii.	
h.	B.	iii.	
i.	C.	Prid.	S. Perpetuæ.

D

E

NOVEMB. dies XXX. Lun. XXX.

k.	D.	Kal. Nov.	Feſta omnium Sancto-
l.	E.	iiii. Non.	(rum, & Cæſarii Diac.
m.	F.	iii.	
n.	G.	Prid.	S. Vitalis, & Agricolæ.
o.	A.	Non.	Dies Ægyp.
p.	B.	viii. Id.	
q.	C.	vii.	
r.	D.	vi.	Quatuor Coronatorum.
ſ.	E.	v.	S. Theodori.
t.	F.	iiii.	
u.	G.	iii.	S. Martini, & Mennæ.
a.	A.	Prid.	
b.	B.	Id.	S. Bricii Confeſſoris.
c.	C.	xviii. K. Dec.	
d.	D.	xvii.	
e.	E.	xvi.	Initium Quadrageſimę.
f.	F.	xv.	
g.	G.	xiiii.	
h.	A.	xiii.	
i.	B.	xii.	
k.	C.	xi.	
l.	D.	x.	S. Cæciliæ.
m.	E.	viiii.	S. Clementis.
n.	F.	viii.	S. Proſperi. Hiemps
o.	G.	vii.	(inchoat. dies xc.
p.	A.	vi.	
q.	B.	v.	
r.	C.	iiii.	(Saturnini.
ſ.	D.	iii.	Vig. S. Andreæ, & S.
t.	E.	Prid.	S. Andreæ Apoſtoli.

DECEMB. dies XXXI. Lun. XXX.

u.	F.	Kal. Decemb.	
a.	G.	iv. Non.	
b.	A.	iii.	
c.	B.	Prid.	
d.	C.	Non.	
e.	D.	viii. Id.	
f.	E.	vii.	S. Ambroſii, & Savini.
g.	F.	vi.	S. Dalmatii, & Zenonis.
h.	G.	v.	
i.	A.	iv.	
k.	B.	iii.	S. Damaſus P.
l.	C.	Prid.	Dies Ægyp.
m.	D.	Id.	S. Luciæ Virginis.
n.	E.	xix. Kal. Jan.	
o.	F.	xviii.	
p.	G.	xvii.	
q.	A.	xvi.	
r.	B.	xv.	S. Ignatii.
ſ.	C.	xiv.	
t.	D.	xiii.	S. Hilarii.
a.	E.	xii.	S. Thomæ Apoſtoli.
b.	F.	xi.	
c.	G.	x.	
d.	A.	ix.	Vig. Nat. Domini. (ſti.
e.	B.	viii.	Nat. Dñi noſtri Jeſu Chri-
f.	C.	vii.	S. Stephani.
g.	D.	vi.	S. Johannis Evangeliſtæ.
h.	E.	v.	Nat. Innocentium.
i.	F.	iv.	
k.	G.	iii.	
l.	A.	Prid.	S. Silveſtri Papæ.

	Anni Domini.	
D. IIII.	E. DCCCCXCI.	
E. V.	G. DCCCCXCII.	
F. VI.	A. DCCCCXCIII.	
G. VII.	B. DCCCCXCIIII.	
H. VIII.	C. DCCCCXCV.	
I. VIIII.	E. DCCCCXCVI.	
K. X.	F. DCCCCXVCII.	
L. XI.	G. DCCCCXVCIII.	
M. XII.	A. DCCCCXVCIIII.	
N. XIII.	C. Ī	
O. XIIII.	D. Ī	I.
P. XV.	E. Ī	II.
Q. XVI.	F. Ī	III.
R. XVII.	A. Ī	IIII.
S. XVIII.	B. Ī	V.
T. XVIIII.	C. Ī	VI.

Regulæ ad Kalend. inveniendum.

Jan. Aug., & Decemb. unam regulam habent, hoc eſt dies XXXI., IIII. Non., VIII. Id., XVIIII. Kal.

Mar., Majus, Jul., & Octob. unam regulam

A habent, hoc eſt dies XXXI., VI. Non., VIII. Id., XVII. Kal.

April., Jun., Sept., & Novemb. unam regulam habent, hoc eſt dies XXX., IIII. Non., VIII. Id., XVIII. Kal.

Febr. ſuam propriam regulam habet, hoc eſt dies XXVIII., IIII. Non., VIII. Id., XVI. Kal.

Quando verò biſſextus evenerit XXVIIII. diebus calculabitur.

Argumentum ad Kalend. inveniendum.

Si vis ſcire qualiter Kalendarum dies inveniendus, ſume concurrentes ejuſdem anni, & B junge regularibus Kalendarum cujuſvis menſis, partire per VII., & quot fuerint infra VII., vel ſupra, ipſe eſt dies Kalendarum.

Cap. ad Lunam inveniendam.

Si noſſe vis, quota ſit Luna in Kalendis, ſume Epacta ejuſdem anni, & adde regularibus Lunarum cujuſvis menſis, & quot fuerint infra XXX. vel ſupra, ipſa Luna erit in Kalendis.

Regulares	*Kalendar.*	*Concurrentes.*	*Reg. Lunarum.*		*Epacta Lunarum.*
Mar.	V.	B̄. I. II. III. IIII.	Sept.	V.	Nullæ XI. XXII.
Apr.	I.	B̄. VI. VII. I. II.	Octob.	V.	III. XIIII. XXV.
Maj.	III.	B̄. IIII. V. VI. VII.	Nov.	VII.	VI. XVII. XXVII.
Jun.	VI.	B̄. II. III. IIII. V.	Decemb.	VII.	VIIII. XX. I. XII.
Jul.	I.	B̄. VII. I. II. III.	Jan.	VIIII.	XXIII. IIII. XV.
Aug.	IIII.	B̄. V. VI. VII. I.	Feb.	X.	XXVI. VII. XVIII.
Sept.	VII.	B̄. III. IIII. V. VI.	Mar.	VIIII.	
Octob.	II.		Apr.	X.	Hæ ſunt Epactæ Lunarum.
Novemb.	V.	Hæ ſunt concurrentes Kalendarum.	Maj.	XI.	
Decemb.	VII.		Jun.	XII.	
Jan.	III.		Jul.	XIII.	
Feb.	VI.		Aug.	XIIII.	

Argum. ad terminum Septuag., & Quadrag., & Paſchæ; & Rogat. inveniendum.

Jan. habet. reg. XXXII. ad ſeptuageſimum inquirendum. Ideo ſubtrahe ex ipſis XXXII. regularibus Epactæ, quæ in illo anno diſcurrit. Et ſi XVII., vel ampliùs remanſerint, talem diem infra Jan. habebis terminum ſeptuag., & ſi minùs quàm decem & ſeptem remanſerint, non erit in menſe Jan. terminus LXXmæ, ſed in Feb.

Item unde ſupra.

Feb. ad LXXmam. inquirendum habet reg. XXXI., & ex ipſis ſubtrahe Epactas ex ipſo D anno, unde inquiris; & quanti remanſerint, tantos dies in menſe Feb. erit terminus LXXmæ. Vide non obliviſcaris anno biſſextili unum addere tam in Jan., quàm in Feb. ✠

Alia.

Ad ipſos dies ſeptuageſimales adde XXI., & ex hac ſumma, quando in Jan. fuerit LXXma, abſtrahes dies menſis Jan., & quando in Feb. fuerit LXXma, abſtrahe dies menſis Feb., & invenies initium XLmæ; & ſi in Feb. evenerit ut ſint & LXXmæ, & initium XLmæ, non remanebunt tanti, ut menſem integrum abſtrahere poſſis. Ideo tantos dies intra menſem Feb., E quantos inveneris, erit initium XLmæ.

C *Alia.*

Ad dies Quadrageſimales adde XLII., & ex hac ſumma, ſi in Feb. fuerit initium XLmæ., abſtrahe dies menſis Feb., & ſi in Mar. fuerit initium XLmæ abſtrahe dies Martii; & ſi ſic prope fine Feb. fuerit initium XLmæ, ut dies Feb., & dies Mar. ideſt ſinè biſſexto LVIIII. cum biſſexto LX. recedere poſſit. Tantos dies, quanti ſuperfuerint, erit Paſcha in menſe Aprili. Et ſi in Martio fuerit initium XLmæ, abſtrahes dies Martii; quanti remanſerint, tantos dies in Aprile erit Paſcha.

Alia unde ſupra.

Ad dies paſchales Martii adde. V., & ſi minùs XXX., vel æqualiter XXX. fuerint, tantos dies in Aprile erunt Rogationes. Et ſi plus XXX. fuerint, abſtractis XXX., quanti remanſerint, tantos dies in menſe Maji erunt Rogationes.

Caput de Paſchate.

Ad dies paſchales April. adde VI., & quanti fuerint, tantos dies in Majo erunt Rogationes.

Caput de Pent.

Ad dies Rogationes adde XIII., & ſi minùs XXXI., vel æqualiter XXXI. fuerint, tantos dies in Majo erit Pent., & ſi plus XXXI. fuerint,

rint, abstractis XXXI., quanti remanserint, tantos dies in mense Junii erunt Pent. A

Cap. Lunæ.

De Luna septuagesimæ tolle VIII., & quando bissextus est, tolle VIIII., & invenies qualis sit Luna initio XLmæ.

Alia.

Ad Lunam quadragesimalem adde XII., & invenies Lunam paschalem.

Ad Lunam Paschalem adde VII., & invenies Lunam Rogationum.

Argumentum ad solam XLmam inveniendam.


Feb. ad. XLmam inquirendam habet reg. XXXII., & scito quota Luna fuerit in Kal. Feb., tantos tolle de illis regularibus. Et si septem, vel ampliùs quàm septem remanserint, tantos dies intrante Feb. erit terminus XLmæ, & si minùs quàm VII. remanserint, non erit in Feb. terminus XLmæ, anno tamen bissestili unum addere non obliviscaris.

Term. Quad.

Mar. ad XLmam inquirendam habet reg. XXIIII., ex quibus Epacta illius anni, unde inquiris, recede, & invenies, quantos dies intrante Mar. erit terminus XLmæ, terminus verò XLmæ nullatenus sit ante VIII. Id. Feb., nec Prid. Non. Mar. Et quantos dies ante Prid. Id. April. habueris Pascha, tantos dies ante ante Kal. Mar. habebis initium XLmæ, & quantos dies Prid. Id. April. habueris Pascha, tantos dies post p. Kal. Mar. habebis initium XLmæ, & si Prid. Id. April. habueris Pascha, tantos dies post Kal. Mar. habebis initium XLmæ, & si Id. April. habueris Pascha, Kal. Mar. habebis initium XLmæ.

B Mar. habet regulam XXXVI. ad XIIII. Lunam inveniendam: ideo subtrahe ex ipsis XXXVI. reg. Epactæ, quæ in ipso Anno discurrit, & si XXXI., vel ampliùs remanserit talem diem de mense Mar. habebis Lunam XIIII., & si minùs XXI. remanserit, non erit de mense Mar. Luna Paschalis, sed de Aprili.

F I N I S.



PALATINI SOCII

In Bullam Paschalis Papæ I. ad Petronacium Ravennæ Archiepiscopum.

CUm inter plura venerandæ antiquitatis monumenta, quæ colendæ memoriæ Federicus Cardinalis Bonromæus congesserat ad ornatum suæ Bibliothecæ, quam avita familiæ *humilitate* Ambrosianam appellari maluit, offenderimus exemplum Bullæ Paschalis Pontificis ad Petronacium Ravennæ Archiepiscopum, de qua in præfatione ad Pontificale Ravennæ meminit Vir Clar. Ludovicus Antonius Muratorius, & præcedenti pag. 184. D. Benedictus Bacchinius, non ingratum Eruditis fore putavimus, si eam, prout in nostro exemplo legitur, hic ederemus, addito etiam ad rei Diplomaticæ illustrationem characterum specimine. Hoc autem eo libentiùs aggredimur, quòd animadvertimus à Hieronymo Rubeo, qui eam exhibet Histor. Ravenn. pag. 237., & Ughello Italiæ Sacræ tom. V. cæterisque omnibus, qui à Rubeo integram exscripserunt, eam adeò erroribus depravatam tradi, ut lector locutionis ejus sæculi gnarus, non semel atque iterum verborum insueta novitate perculsus hæreat.

Autographum arboris cortici, seu, quod verosimilius est, ut etiam Bacchinius præcedenti p. 170. observavit, Ægyptiacæ papyro inscriptum fuisse ex præfato Rubeo discimus, qui loco supracitato, post recensitum Bullæ contextum. *Hæ literæ*, ait, *in Bibliotheca Archiepiscopatus Ravennatis adhuc extant in arboris cortice, cujus est longitudo duorum cubitorum, unius latitudo, exaratæ charactere Longobardo, omnium, quæ ibidem sunt tabularum (multæ autem sunt) pulcherrimo, lineis inter se duobus transversis digitis distantibus. Cùm autem pluribus exesæ sint locis. Julius Ruvereus Cardinalis, & Archiepiscopus antiquitatis studiosus, ne tam vetustum monumentum periret, (putatur enim* αὐτόγραφον*) tenui subjectæ telæ agglutinandum duxit. Ex his potest cognosci, Archiepiscopum Ravennatem apud Imperatores suum etiam habere internuncium, Apocrysarium, ut diximus vocatum, consuevisse. Sunt hæ datæ literæ anno à partu Virginis octingentesimo decimonono.* Hactenus Rubeus, qui eâdem paginâ Petronacii electionem in annum 817. rejicit. Clariss. verò Bacchinius præcedenti pag. 16. Martinum Petronacii prædecessorem obiisse circa ann. 819., & Petronacium post annum 821. ordinatum asserit, pag. verò 19. circiter annum 822. collocandam censet, re tamen meliùs perpensa ab hac sententia infra discedit; pag. etenim 170. *Paschalis*, ait, *Papæ initia ad diem 28. Januarii anni 817. alligat Baronius; & Petronacii initia ante annum 819. collocanda concluditur ex ejusdem Paschalis privilegio dato mense Julio indictione XII.* Quod etiam rursus pagina 184. confirmat. Nos verò præfato Rubeo accuratissimo Scriptori acquiescere non dubitamus.

Quod ad rem Diplomaticam spectat, characteres, ut nostri exempli specimen docet, ejusdem prorsus notæ sunt atque illi, quibus Benedicti Papæ III., & Nicolai I. Bullæ conscriptæ fuerunt, quarum specimina exhibet Mabillon. de re Diplomatica tabula XLVII. typographi errore signata XLVIII., & seqq. XLVIII., & XLIX. ex quo discimus nono præcipuè Sæculo id scripturæ genus à Romana Curia usurpatum. Quo verò tempore initium habuerit, & cessaverit non satìs constat: certè Joannis V., & Sergii I. Diplomata, primum anno DCLXXXV. secundum anno DCXCVII. conscripta, & si nonnullorum characterum formâ conveniant, plerumque tamen adeò differunt, ut alterius scripturæ genus videatur esse, unde nostræ initium octavi Sæculi principium non superare putamus. Decimo autem Sæculo circa finem jam desiisse Joannis Papæ XIII. Bulla data anno DCCCCLXXII. argumento est; eam autem, uti & præcedentes apud laudatum Mabillonium tab. XLVI. & L., videre licet.

Formula *in perpetuum*, quam nostra habet, frequentissima est in Bullis Pontificiis noni, ac decimi Sæculi, quamvis & ante nonum, & etiam undecimo sæpe occurrat, ut in Bullario Cluniacensi, Cassinensi, Romano, & alibi passim reperitur. Aliam etiam ejusdem Paschalis I. Bullam ad Ingoaldum Farfensem Abbatem habet Bullar. Cassinense Tom. II. cum eadem formula *in perpetuum*; eâ tamen non omnes ejus ævi Pontifices constanter usi sunt, quinimmo ipsam adhibuisse Pontifices nonnullos credimus in Bullis tantùm majoris momenti, & quæ in longum tempus extendebantur, reservatâ alterâ *salutem & Apostolicam benedictionem* ad minora rescripta, quæ in præsens erant exequenda, ut ex Bullis Gregorii VII. & Urbani II. liquet.

Salutatio expressa his verbis *bene valete* in Bullis noni, & decimi Sæculi plerumque occurrit; Sæculo autem undecimo Leo Papa IX. eadem verba in Monogramma redegit, ut Mabillonius de re Diplomat. pluries animadvertit.

Notæ chronologicæ duplici ordine adhibebantur ante Leonem IX. prima etenim *scripti*, secunda *dati* Diplomatis tempus designabat, interposita inter illas prædicta salutatione *bene valete*.

Prima chronologica nota Mensem, & Indictionem continebat, nunquam autem, quod viderimus, diem (de Bullis loquimur, quarum inscriptio clauditur his verbis *in perpetuum*; posteriorum etenim, in quarum fronte legitur *salutem & Apostolicam benedictionem*, dispar est ratio.) Secunda diem mensis, annos Imperatoris, cum iterata Indictione, interdum etiam, sed non semper, ut in nostra Bulla vides, annos Pontificis assignabat, quod apud citatos Auctores passim invenies. Hoc etiam cum doctiss. Mabillonio de re Diplomatica *advertendum est* (sunt ejus verba Lib. II. Cap. XXV. n. II.) *in Bullis quæ* scriptum, *&* datum, *habent*, datum *non rarò alia manu, aut certè alio charactere exaratum esse, & quidem nonnunquam aliquot diebus post contextum, ut probat atramenti diversitas; Nimirum* scriptum *denotat tempus scripti à Notario instrumenti*: datum *exprimit tempus, quo diploma impetranti traditum est à Bibliothecario, seu Cancellario, cujus Notarius* scriptum *confecerat*. Quod in nostri exempli specimine optimè apparet. *Datum* enim non solùm diversâ characteris formâ, sed etiam gracilioribus literis à contextu notabiliter differt.

Cæterum quod materiem respicit, nostrum exemplum vulgari charta ex linteorum fragminibus constat, quæ postmodum oleo delibuta fuit, quo faciliùs autographo superposita characteres, servata sua magnitudine ac forma, exscriberentur. Quod & præstitum est eruditi alicujus Viri operâ, qui deperiens in dies Autographum hoc modo quasi renovare fategit. Ejusdem amplitudo assertam à Rubeo mensuram exæquat, nunc tamen in novem æqualia frusta transversim recisum, & in libri commodiorem usum alligatum asservatur inter MSS. codices in fol. lit. E. num. 106. De ipsius antiquitate nil certi definimus, cùm nulla in eo temporis nota reperiatur; antiquum tamen esse vel ex hoc ipso apparet, quòd in eo nonnulla legantur, quæ Rubeus autographi ante annum 1571. inspector tamquam obliterata omisit; idque manifestius etiam fit, quòd nostrum exemplum, quamvis summâ curâ servatum, plures characteres, non secus ac cultro excisos, atramenti acredine corrosos exhibeat, quod procul dubio magnæ antiquitatis indicium esse veterum codicum peritis viris persuasum jam est.

Quod ultimum remanet, Lectores monitos volumus, lacunas, quas in nostro exemplo offendimus, quasque ab autographo jam tunc obliterato exscribi non potuisse credibile est, à nobis restitutas fuisse, adhibito tamen alterius formæ charactere, ne lectoribus fucum facere videremur. Hoc maximè necessarium fuit circa finem Bullæ in secunda chronologica nota, quæ incipit *Datum*; ea etenim, utpote graciliori, quod supra innuimus, charactere scripta, majorem temporis injuriam perpessa est, ac ut plurimum adeò attenuata, ut oculos fugiat: Ne tamen absque ratione nos eam restituisse credamur, literisque, ac figlis non veram, sed ad ingenii nostri placitum efformatam significationem tribuisse, consule Bullas eodem Sæculo, & præcedentibus datas, inprimis Benedicti Papæ III. apud Mabillon. part. II. Sæc. IV. act. SS. Benedict. quam iterum exhibet in libro de re diplomat. pag. 439. in qua invenies.

Datum Nonas Octubrias per manum Theophilacti Secundicerii Sanctæ Sedis Apostolicæ Imperante D. Nostro piissimo perpetuo Augusto Hlothario à Deo coronato magno Imperatore anno tricesimo nono, & post Consulatum ejus anno tricesimo nono, sed & Hludovico novo Imperatore ejus filio anno septimo, indictione quarta.

Vide & aliam Honorii Papæ I. ad cognominem suum Dorobernensem Episcopum apud Bedam lib. 2. cap. 18., quam ex correctione Chiffletii, & Mabillonii sic legas: *Datum die quarto Idus Junias Imperantibus Dominis nostris piissimis Augustis Heraclio anno vigesimoquarto, post Consulatum ejusdem anno vigesimo tertio, atque Constantino filio ipsius anno vigesimo tertio, & Consulatus ejus anno tertio, sed & Heraclio fœlicissimo Cæsare, idest filio ejus anno tertio, Indictione septima*. Ubi adverte clausulam *idest filio ejus* fortè à Beda interpositam fuisse. Vide & unam ejusdem Paschalis I. PP. ad Bernardum Viennensem Antistitem apud Mabillonium, Sæc. IV. act. SS. Benedict. part. II. pag. 567. quam de re Diplomat. pag. 183., sic corrigit: *Datum Imperante Domino nostro perpetuo Augusto Ludovico à Deo coronato magno & pio Imperatore anno quarto, & post Consulatum ejus anno quarto*. Vide & alias in Bullariis supra recensitis, & apud Sirmundum, Ughellum, Dubletum, Baluzium, & cæteros, quas si cum nostra correctione conferas, nullus profectò dubitationi locus remanebit, Sed quid diutiùs moramur in re tàm clara, & ne iis quidem ignota, qui eruditionem vel à primo limine salutarunt? Age ergo ad Bullam ipsam veniamus, quam ita imprimi curavimus, ut è nostri textus regione, Rubei textus appositus sit, quo faciliùs utriusque discrimen cognoscatur. Ortographiam verò Ambrosiani exempli quamvis minus accuratam, omnino retinendam, putavimus.

PASCHALIS PP. I.

Ad Petronacium Ravennæ Archiepiscopum.

MS. exemplar Bibliothecæ Ambrosianæ.

PAschales episcopus servus servorum Dei reverendo & sanctissimo fratri Petronacio archiepiscopo sanctae ravennatis ecclesiae & per te in eadem ecclesia in perpetuum.

Cum piae desideriis voluntate & laudande devotionis intentio apostolicis sit semper *studiis* adjuvanda, cura est sollicitudinis adhibenda, ut ea quae legaliter geruntur & equitati *personae* conveniunt, nulla valeat refragatione perturvare sed inrefragavile jure Deo *valeat* permanere & ob hoc apostolicis promulgatis sanctionibus propria quae r*ationis* suppetunt fas exigit possidenda confirmari. Igitur quoniam quidem fraterna sanctita*s* tu*a* direxit nobis per Sergium religiosum diaconem sanctae tuae ravennatis ecclesiae *privilegi*um Domini adriani quondam papae praedecessoris nostri, in quo confirmabit (1) privilegia Leo*nis quondam* Imperatoris facta ab Epipha-

Ex Rubei Histor. Ravenn. Pag. 237.

PAschalis Episcopus servus servorum Dei, Rev. Sanctissimo fratri Petronacio Archiepiscopo S. Raven. Ecclesiæ, & per te in eadem Ecclesia in perpetuum. Cum piæ desiderii voluntates, & laudandæ devotionis intentio, Apostolicis sit semper studiis adjuvanda, cura est sollicitudinis adhibenda, ut ea quæ legaliter geruntur, & æquitati persona conveniunt, nulla valeat refragatione perturbari sed inrefragabile jure de eo...... at permanere, & ob hoc Apostolicis promulgatis sanctionibus propria quæ rationis..... suppetunt, fas exigit possidenda confirmari. Legitur quoniam quidem fraterna sanctitas tua direxit nobis per Sergium religiosum Diaconem Sanctæ tuæ Ravennatis Ecclesiæ..... eundem, Adriani quod Papæ prædecessoris nostri, in quo confirmabit privilegia Leonis, quod Imp. facta ab Epiphanio, quod religioso notario, & Scriniario, & Apocrisario Ravennatis Ecclesiæ, qui diser-

(1) *Confirmabit* pro *confirmavit*, mutata u. in b. ut infra etiam verbo *postulabit*, quod legendum *postulavit*. Contra in aliis verbis b. mutatur in u., & legimus *inrefragavile* pro *inrefragabile*, *perturvare* pro *perturbare*, *corovorationis* pro *coroborationis*, *veneravilis* pro *venerabilis*, *juvemus* pro *jubemus* &c. quod eo sæculo frequentissimum.

phanio quondam religioſo notario, (2) & ſcriniario, (3) & apocriſario (4) *ſanctae raven-*

diſertus ab bo.memoriæ Damiano Archiepiſcopo. . . . . tus confirmatæ ſacræ eſſent præcedentes formulas ab

ri tro

Cæterum quod materiem respicit, nostrum exemplum vulgari charta ex linteorum fragminibus constat, quæ postmodum oleo delibuta fuit, quo faciliùs autographo superposita characteres, fer-

phanio quondam religioſo notario, (2) & ſcriniario, (3) & apocriſario (4) *ſanctae ravennatis* eccleſiae, qui directus eſt a venerandae memoriae damiano archiepiſcopo, ut confirmatae ſacrae eſſent praecedentes formulas ab ipſo leone Imperatore *tam divae* memoriae priſci Juſtiniani quamque ceteris piiſſimis imperatoribus privilegia *ſanctae* veſtrae eccleſiae praelargita in quibus & aliis piis capitulis & ut ſine ſacrilegio vel feritis rapinae ejus fines praelargitae ſunt & promulgationes poſtulabit qu*oque* nobis tua almitas eadem ipſa per noſtros apoſtolicos apices firmitatem *accipere*. Unde annuentes praeparatius ſancimus & confirmamus omnia quecun*que ſunt* privilegia edita in ſancta veſtra ravennatis eccleſia tam praedeceſſorum noſ*trorum* pontificum ſcilicet ſanctae recordationis hadriani & leonis ſeu praedeceſſorum *illorum* quamque Imperatorum vel dona regum aut a criſtianis hominibus per donatio*nibus* vel venditionibus ſeu teſtamentis oblata juſto ordine generaliter & ſpecialiter om*nium* ſanctae tuae eccleſiae largitatem controvorationis firmitatem in perpetuum habere pr*ae*-*ce*pimus & confirmamus ut nullum locum aut jus ſubjacentem ſub dicione ſanctae *tuae* eccleſiae per quolibet adinventionis argumento potentia quoquomodo audente *judicari* ſuffultum civili aut militari praecincto uſurpari vel ſubtrahere aut violare *vel* novatione edificationis inducere, ſed ſi quis corut*um* aut cadentem templ*um re*novare aut edificare temptaverit non habere licen*t*iam ante hoc agere niſi prius *per* ſolitam benedictionem paterna ſanctitati veſtrae ſancta & veneravilis crux ibi figatur neq*ue* qui ex alio epiſcopato dicione aut civitatis ibidem venientes & commorantes Deo ama*biles* Clericos praeſumere in ſubjacentibus vobis eccleſiis ſine praeceptionem veſtram Sacer*dota*lem agere miniſterium, magis autem & omnes advenarum religioſiſſimos clericos *li*mites atque actiones veſtram ſanctitatem obaudire ac definire & ſecundum divinarum legum & ſacratiſſimaru*m* regularum tenore effectum in eis inferre monaſterio veſ*tro ſancti* primi Martiris Stephani qui ſic nominatur fundamenta & rejacet juxta palatium *cum* omnibus eidem pertinentibus religioſis Monachis omnia veneranda oracula *ac* Monaſteria & ceteros venerandos locos ſub parrochia exiſtentes ſanctitati veſtrae ſub di*cione* & poteſtate ſanctitati veſtrae ſubjaceant, & per te ſanctae tuae eccleſiae & quecumque *ſacris* eis privilegiis in integro obſervandis ſuper his nec nullum moleſtia aut angarias

diſertus ab bo.memoriæ Damiano Archiepiſcopo.....tus confirmatæ ſacræ eſſent præcedentes formulas ab pio Leone Imp. tam divæ memoriæ priſci Juſtiniani, quam quæ ceteris piiſſimis Imperatoribus privilegia Sanctæ veſtræ Eccleſiæ prelargita; in quibus & aliis piis capitulis: & ut ſine ſacrilegio....... vel feretis, rapinæ ejus fines prelargitæ ſunt, & promulgationes poſtulabit quoque tua almitas eademi, prapæs noſtros Apoſtolicos apicus firmitatem acipere; unde annuentes præparacius ſancimus, & confirmamus omnia quæcumque ſunt privilegia edita in Sancta veſtra Ravennati Eccleſia, tam predeceſſorum noſtrorum Pontificum, ſcilicet, Sanctæ recordationis Hadriani, & Leonis ſui predeceſſorum quamque Impp. vel dona Regum, aut a Chriſtianis hominibus perdonationibus, vel vendicionibus, ſeu teſtamentis oblata, juxta ordinem generaliter, & ſpecialiter omnium Sanctæ tuæ Eccleſiæ largitatem corroborationis firmitatem in perpetuum habere præcepimus, & confirmamus, ut nullum locum, aut jus ſubjacentem ſub dicione Sanctæ tuæ Eccleſiæ pro quolibet adinventionis argumento potentia quoquomodo judicari ſuffultum civili, aut militari precinas uſurpari vel ſubtrahere, aut violare u...... innovatione ædificationis inducere. Sed ſi quis....... aut cadentem templum renovare, aut ædificare temptaverit, non habere licentiam ante hoc agere, niſi prius per ſolitam benedictionem paterna ſanctitati veſtræ Sanctæ, & venerabilis coram ibi figatur, ne q...que ex alio Epiſcopatu dicione, aut civitatis ibidem venientes, & commorantes Deo amabiles clericos præſumere in ſubjacentibus nobis Eccleſiis ſine præceptionem noſtram ſacerdotalem agere miniſterium magis autem, & omnes advenarum religioſiſſimos clericos mites, uti ne aciones veſtram ſanctitatem obaudire, ac definire, & nec ſecundum Divinarum legum, & Sacratiſſimarum regularum tenore effectum in eis inferre. Monaſterio vero Sancti Primi martyris Stephani, qui ſic nominatis fundamenta, & ſe jacet juxta palacium, & omnibus idem pertinentibus religioſis monachis omnia veneranda oracula vel monaſteria, & ceteros venerandos locos ſub parochia exiſtentes Sanctitati veſtræ ſub dicione, & poteſtate Sanctitati veſtræ ſubjaceant, & per te Sanctæ tuæ Eccleſiæ. Et quecumque ſunt eis privilegiis in integro obſervandis ſuper his nec, nullum moleſtia, aut angarias, aut gravamina aut excubias quilibet inferre parti Sanctæ tuæ Eccleſiæ nec non colonas, aut pa.....res vos ſubjacentes parti Sanctæ veſtræ Eccleſiæ, à quolibet omnium ad militandum ſubtrahere, ſed ſi militati fuerint, eos diſcingi, & diſmilitari jubemus noſtræ venerandæ reddituros parti, ut ſi quis talia temerantes prevertere tentaverit,

(2) *Notariorum* varia fuit dignitas pro vario temporum, ac locorum diſcrimine. Notarii verò Epiſcoporum erant eorum Scribæ, qui utplurimum ex Clericorum ordine aſſumebantur; eos alia etiam munia in Eccleſiis obiiſſe colligitur ex Libro Sacramentorum D. Gregorii: *Et tum illuminantur duo cerei, quos tenent duo Notarii* &c. De iis vide Ducangium in Gloſſario, Mabillonium &c.

(3) *Scriniarii* erant, qui in ſcriniis operam ſuam locabant, & ſcriptorum vices agebant. Vide Cujacium, Gotofredum, & alios. Scrinia erant reconditoria ſcriptorum publicorum, ut apud Scholiaſtem Juliani Anteceſ. Cod. Theodoſ. & Juſtin. &c.

(4) *Apocriſarius*, ſeu *Apocriſiarius* non unius officii nomen eſt. Interdum ſumitur pro Cancellario, qui ſigillum Principis ſervat, & diplomata Regia ſignat, ut apud Jo. de Janua, *Apocriſiarius, Secretarius, Conſiliarius, vel etiam dicitur Cancellarius, quia ipſe eſt Secretarius Regis, vel Imperatoris, & ejus ſecreta ſcit*. Pro Referendario etiam, ut contendit Carolus du-Freſne in Gloſſario. Hoc tamen loco intelligendus eſt pro Internuncio Archiepiſcopi Ravennatis apud Orientis Imp. Leonem, quod maximè Pontificibus, & Patriarchis tunc temporis in uſu fuit. Eorum id muneris erat, ut res Eccleſiarum ſuarum peragerent, & de iis ad Principem referrent, ſi aliqua emergeret difficultas in rebus Eccleſiaſticis ad politiam pertinentibus, quæ à Principe definiri deberet. Vide Juſtin. Novel. 6. c. 2., & 3. D. Gregor. M. lib. 3. Dial. c. 36.

Fuit etiam nomen dignitatis in aula Regum, & Imperat. cujus erat munus circa res Eccleſiaſticas, unde & *Reſponſalis negotiorum Eccleſiaſticorum* dicitur ab Hincmaro Lib. de ord. Palatii cap. 13. idque officii gerebat, quod Conſtantinopoli Apocriſiarius Romanæ Eccleſiæ, cujus inſtar erat, neque tamen à Sede Apoſtolica deligebatur, ſed à Rege. Idem cap. 16. *Apocriſiarius, quem noſtrates Capellanum, vel Palatii cuſtodem appellant, omnem Clerum ſub cura & diſpoſitione ſua regebat. Cui ſociabatur ſummus Cancellarius, qui à ſecretis olim appellabatur, erantque illi ſubjecti prudentes, & intelligentes,*

rias (5) aut *gra*vamina, aut excuvias (6) qui-
libet inferre parti sanctae tuae Ecclesiae, nec-
non colonos aut part*iarios* (7) & servos subia-
centes parti Sanctae vestrae Ecclesiae à quolibet
omnium ad militandum *subtr*haere, sed si mili-
tati fuerint eos discingi & desmilitari juvemus
vestrae venerandae redit*uros* parti, ut si quis ta-
lia temeranter praevaricari temptaverit de his
quae a nobis piae san*cita* sunt & juste a nobis
petistis & per praesentem nostram apostolicam
continetur *formu*la non solum nihil praevaleat,
sed etiam pro talem atrocem audaciam & om-
nium suarum facultatum ammissione faciantur nec-
non & animarum adversionis pericu*lum* minime
declinare poterint sufficientibus omnibus in osten-
sione sola hujus aposto*li*cae nostrae exaracionis.
Si quis vero contra hoc nostrum apostolicum
praeceptum egerit componat auri obriti (8) li-
bras quinque insuper & anathematis vinculis sit
in*no*datus & perpetu*a*e conde*mna*tionis summis-
sus. Quod praecep*tu*m confirmation*is* a nobis
factum scriuendum praecepimus Timotheo nota-
rio & scriniario sedis no*s*trae in mense julio in-
dictione duodecima ✠ Bene valete ✠

Datum V. Idus Julias per manum Sergii b*i*blio-
thecarii Sanctae sedis *a*postoli*cae* imperante do-
mino nostro p*erpetuo* augusto Hludovico a Deo
coronato magno p*a*cifico Imperatore anno sexto
(9) e*t* post consulatum ejus an*no sexto* (10) sed
& Hlothario novo Imperatore ejus filio anno
...... (11) indictione duodecima.

rit, de his quæ à nobis pie Sancita sunt, & juxte à nobis petistis, ut per præsentem nostrarum Apostolicam continetur formula, non solum nihil prævaleat, sed etiam pro tale matricem audaciam, & omnia suarum facultatum amissione faciantur, nec non, & animarum adversiones periculo minime declinare poterint sufficientibus omnibus in concessione sola hujus Apostolicæ nostræ exarationis. Si quis vero contra hoc nostrum Apostolicum præceptum.....egerit, componat auri brici libras quinquæ insuper, & anathematis vinculis sit innodatus, & perpetuæ condemnationi summissus. Quod præceptum confirmationis à nobis factum, rescribendum præcepimus Thimotheo notario, & scriniario Sedis nostræ in mense Julio Indictio XII. Bene valete. Guidus Julius per manum regi.....Biblio.....Sedis Apostolicæ Imp. Augustinus Hludovvi.....bondo.

---

gentes, ac fideles viri, qui præcepta Regia absque immoderata cupiditatis venalitate scriberent, & secreta illius custodirent.

(5) *Angariæ*, quas nunc pro injustis exactionibus, coactionibus, ac compulsionibus vulgus accipit, apud veteres erant servitia, quæ quis vel in persona, vel in re facere tenebatur. Onera nunc vocaremus; quot autem, & cujus generis fuerint longum esset assignare; nam diversæ pro diversis temporibus, & pro varia Principum avaritia, vel clementia. Plerumque tamen hoc nomine veniunt servitia, quæ cum plaustris, equis, mulis, asinis, ac personis quisque præstare tenebatur in transitu Regum & Cæsarum, tum precipuè exercituum, ac bellici apparatus transvectione. Plura videbis in Capitularibus Caroli Magni lib. 1. cap. 81. lib. 7. cap. 367. Capit. Caroli Calvi tit. 23. cap. 14., apud Goldastum cart. aleman. Cap. 42., Cod. Theodos. de cursu pub. in leg. VVisigoth. lib. 5. tit. 5. §. 3. & alibi passim. Angariarum etiam meminit Guntherus Ligurini lib. 2.

Hujus ab antiquo Comitatum in finibus urbis
Solus ab angariis Italorum pene solutus
Præsidio Ligurum Guido Blandratensis babebat.

(6) *Excuvias* pro *excubias*, quod hìc non pro custodum vigiliis, ut vox sonat, sed pro quovis injusto gravamine, molestia, servitio intelligendum est, ut optimè advertit Ducangius, & noscitur ex Leg. Langobard. lib. 3. tit. 952. in qua de illis hominibus, qui res suas alienaverunt, *ubicumque super eas residente, distringat eos Comes per excubias publicas, sicut lex continet*. Ubi Glossa, *idest servitium ad pontes restaurandos*.

(7) *Partiarii*. Servorum genus, de quibus fusiùs alibi.

(8) *Obriti*, seu *Obrizi*, quod purum, optimum, & probatum significat. Ducangius ad verbum *Obryzum* habet sequentia: *Auribricum corruptè etiam in diplomate longobardico Paschalis* 1. *PP. pro Ecclesia Ravennensi*. Si de nostra Bulla loquitur, unde hanc lectionem desumpserit, nobis non constat. Rubeus, qui primus eam vulgavit, in editione Veneta anni 1589. habet *aùribriti*, in præcedenti pariter Veneta anni 1572. nulla est Bullæ mentio, immo plurima desunt, quæ postea vel addidit, vel correxit, ut inter cætera, Petrenacis electionem, quam, Paschale PP. jam mortuo, accidisse dixerat. Ughellus tam in editione Romana, quàm in recenti Veneta habet *auri boni*, corruptè quidem, ut in cæteris etiam Diplomatibus, quæ amanuensium errore plerumque vitiata, autographa consulentes invenimus. In nostro certè exemplo *auri obriti* lectio perspicua est. Auri obriti mentionem habet, ut edita omittamus, Diploma Berengarii favore Ticinensis Parthenonis Sanctæ Mariæ Theodotæ (nunc vulgo indigitatur ad Pusterulam, ea fortasse de causa quòd juxta antiqua Urbis moenia, & prope unam ex minoribus seu posterioribus portis, quas tunc temporis Pusterulas vel Posterolas vocabant, ædificatus sit) dat. V. Idus Martii *anno Incarnationis Domini DCCCXCVIIII. anno vero Domni Berengarii gloriosissimi Regis XIII. per Indictionem III.*

Et alterum Ludovici Imperatoris Bosonis Provinciæ Regis filii pro eodem Parthenone, datum Papiæ *V. Idus Martii anno Incarnationis Domini DCCCCI., anno vero Domni Hludovici gloriosissimi Imperatoris I. per Indictionem IV*. Cæterùm frequens in Diplomatibus, præcipuè Cæsareis, hæc vox, ut frequentior etiam *auri cocti*, *auri puri*, *auri purissimi*, *auri perfectissimi*, *auri probatissimi*, *& auri optimi*. Illud interim notandum est, Multam pecuniariam contra transgressores, quæ in Cæsarum, & Regum Italiæ Diplomatibus nono, & sequentibus Sæculis frequentissima est, in Bullis Pontificiis, cæterisquæ Ecclesiasticis monumentis, rariùs occurrere, & fortasse tantummodo in illis, quæ intra Sanctæ Sedis dominium exequendæ erant, uti nostra hæc Paschalis I., & in Concilio Romano sub Siluestro PP. in quo Coenobii Perusini asseritur immunitas, & statuitur, *ut quicunque Perusinæ Ecclesiæ Episcopus banc definitam litem renovare tentaverit, decem libras purissimi auri Lateranensi Palatio componat* apud Labbe Concil. tom. *IX*. col. 1247. Plerumque tamen Pontifices solas imprecationes adhibuere contra infractores, iis autem, qui eorum mandata servarent, vitam æternam à Domino deprecantes. Harum verò exempla, quæ passim apud Auctores invenies, ne longiores simus, consultò omittimus.

(9) Lu-

(9) Ludovici annus Imperii sextus mense Julio ; annus est Domini decimus nonus supra octingentesimum ;
eum enim à Carolo patre in Conventu Aquisgrani habito Cæsareo diademate insignitum fuisse, & Im-
perii consortem declaratum anno 813., Auctores admittunt, solùm de mense certant : Chronographus
Moissiacensis Septembri id factum recitat: *Mandavit* (nempe Carolus) *ut quidquid in unamquamque*
Synodum definissent, ad Placitum constituti Imperatoris renunciassent, quod ita factum est, & in ipso
anno mense Septembri jam dictus Carolus fecit Conventum magnum populi apud Aquis Palatium de
omni Regno, vel Imperio suo, & convenerunt Episcopi, Abbates, & Comites, & Senatus Francorum
ad Imperatorem in Aquis, & ibidem constituit Capitula numero XLVI. (Pagius in Critica ad Anna-
les Baronii legendum censet *numero XXVI*) *de causis, quæ erant necessariæ Ecclesiæ Dei, & Chri-*
stiano populo. Post hæc habuit consilium cum præfatis Episcopis, & Abbatibus, & Comitibus, &
Majoribus natu Francorum, ut constituerent filium suum Ludovicum Regem, & Imperatorem. Qui
omnes pariter consenserunt &c. Annalista Cæsareus à Lambecio editus ad annum XLV. Caroli Regis,
Ludovicum mense Augusto Imperatorem renunciatum asserit hisce verbis : *Richulfus Archiepiscopus*
Maguntiacensis Ecclesiæ defunctus est V. Idus Augusti, & Placitum magnum in mense Augusto ad
Aquis factum est, & Karlus Imperator constituit Hlodoveum (idem est ac Ludovicus) *filium suum*
simul imperare cum eo, imponens diadema capiti ejus &c. Pagius in Critica Historico-Cronologica
in Annales Cardinalis Baronii Ludovicum mense Novembri inauguratum fuisse contendit: *Ludovici, &*
Bernardi inauguratio (sunt ejus verba ad ann. 813. num. 13.) *mense Novembri peracta, ut ex dicen-*
dis de morte Bernardi anno DCCCXVII num. XV. patebit. Ad annum autem 817. hæc habet : *Ber-*
nardus sepultus fuit Mediolani in Ecclesia Sancti Ambrosii, ubi extat Inscriptio à Baronio num. XVIII.
recitata, in qua legitur. Regnavit annos quatuor, menses quinque, obiit XV. Kalend. Maji Indictione
XI., *ideoque sequenti Christi anno* (hoc est 818.), *& Regnum inierat mense Novembri anni DCCCXIII.,*
ut hæc verba demonstrant. Jam vides quibus argumentis Pagius Ludovicum ad Imperii consortium à
Patre accersitum fuisse, non mense Septembri, ut refert Chronographus Moissiacensis, non mense
Augusto, ut habet Annalista Cæsareus, sed mense Novembri, probare nitatur ; cùm enim viderit uno
eodemque tempore, scilicet in Conventu Aquisgrani habito, Ludovicum ad Imperium adscitum, ac
Bernardum Italico Regno præfectum fuisse, Bernardum verò è vivis migrasse XV. Kalend. Maji, post-
quam regnaverit annos quatuor, & menses quinque, inito calculo, ac detractis à die XV. ante Kal.
Maji annis quatuor & mensibus quinque, utriusque electionem in mensem Novembris anni 813. inci-
dere animadvertit, ideoque non nisi ab eo mense eorum inaugurationem repetendam putavit. Cæterùm
Pagius hanc sententiam ex Carolo Sigonio de Regno Italiæ lib. 4. accepit, Sigonius autem Bernardi
Regis Inscriptionem mutuatus est à Tristano Chalco lib. 5., qui lapidem effossum fuisse circà annum
1498. innuere videtur ; eo scilicet tempore, quo Ludovicus Sfortia Mediolani Dux magnificentissimi
Monasterii ad Basilicam S. Ambrosii, quale in præsenti conspicitur, fundamenta jecit. Ipsam verò In-
scriptionem, quæ in præfata Basilica adhuc asservatur, hîc dare placet ea potissimum de causa, quòd
Baronius, sicut & Sigonius ad annum 818. & Pagius ad annum 817. Indict. numerent undecimam, cùm
Tabulam ipsam marmoream, hodie etiam, Indict. tantummodò decima signatam, videre quilibet possit;
hæc autem, & si vulgari calculo minùs conveniat quàm undecima, non ideo contra tot Auctorum
mentem, Bernardi obitum ad annum 817. retrahendum putamus, aut lapicidam erroris insimulandum,
sed potiùs ab hoc derivasse credimus, quòd Mediolani apud ejus ævi Ecclesiasticos peculiaris in usu fuerit
Indictio, ut Puricellus in Monumentis Basilicæ Ambrosianæ animadvertit, & hæc non semper con-
stans, quod nos fortasse alibi ostendemus. Inscriptio sic se habet.

BERNARDUS CIVILITATE MIRABILIS CETERISQ. PIIS
VIRTUTIBUS INCLYTUS REX
HIC REQUIESCIT REG. AN. IIII. M. V. OBIIT. XV. KL. MAI.
IND. X. FILIUS PIAE M. PIPINI.

Hac ergo Inscriptione quantum temporis Bernardus regnaverit, ac quando diem clauserit extremum,
cognoscimus: an verò Regnum ab ea die auspicatus sit, qua in Conventu Aquisgrani habito, à Carolo
Imperatore Italiæ Rex fuit renunciatus ; an ab ea, qua Modoetiæ Italici Regni coronam obtinuit,
nonnisi divinando assequi possumus. Dubium igitur adhuc erit utra, mense Novembri, vel ejus inaugura-
tio, uel ejus coronatio acciderit; quamquam de coronatione potiùs intelligendum illud nos persuadet,
quod Pagius ipse habet ad prædictum annum 813. num. 17. : *Auctor vitæ Ludovici Pii refert*, tota
æstate *in patris comitatu fuisse, deinde* Imperii diademate *coronatum*, *ac* mense *tandem* Novembri,
in Aquitaniam reversum esse. Quapropter si Ludovici, & Bernardi inauguratio uno eodemque tempore
contigit, & Ludovicus ante mensem Novembris jam coronatus erat, etiam Bernardum ante hoc tem-
pus Regem dictum fuisse credere licet. Hoc fusiùs aliquantò prosequi non abs re fore putavimus: cæte-
rùm mense Julio anni 819., non alium certè quàm sextum Imperii Ludovici numerare quis potest,
utcumque illius initium à mense Augusto, Septembri, & vel ab ipso Novembri, deducat.

Utrum verò ipse annos Imperii solùm à morte patris, hoc est à V. Kal. Februarii anni 814. numera-
verit, an etiam ab ea die, qua Imperii consors dictus fuit, dubium adhuc est. Pagius loco nuper ci-
tato utramque Epocham ab eo usurpatam fuisse asserit: *Ludovicus in Diplomatibus plerumque quidem*
annos ab obitu patris, sed quandoque etiam ab eo die, quo consors Imperialis nominis dictus est, de-
ducit, ideoque hæ duæ Epochæ non confundendæ. Cujus rei etsi Vir doctissimus nulla ibi referat exem-
pla, quibus ejus sententia firmetur, aliqua tamen ei non defuisse credimus, cùm nos etiam nonnulla
offenderimus Ludovici Diplomata à Scriptoribus edita, quorum notæ ad illud tempus, quo patri in
Imperium successit, nequaquam referri poterant; quòd autem in eorum numericis notis error semper ir-
repserit, nec asserere, nec negare audemus; id tamen sæpiùs occurrere, præcipuè in iis libris, qui plu-
ries recusi fuerunt, cuilibet Autographa consulenti, vel Diplomata ipsa attentiùs consideranti facilè li-
quebit. Du-chesnius habet Diploma Ludovici Pii favore Christianorum, qui ex Hispania in Galliam,
Saracenorum tyrannidem fugientes, se se receperant, cujus hæc est subscriptio : *Datum Kalend. Ja-*
nuarias, anno Christo propitio secundo Imperii Domni Hludovici Piissimi Augusti, Indictione VIII.
Actum Aquisgrani Palatio Regio. Indictio octava non competit nisi Kalendis Januarii anni 815.,
ergo annus Imperii secundus non potest deduci à morte Caroli ; ipse enim, ut supra diximus, obierat
V. Kalend. Februarii anni 814. ideoque annus Imperii primus nondum expletus erat : ab ipsius igitur
inauguratione, secundum Imperii annum numerandum esse aliquis pro certo putabit; Verùm si alterum
ejusdem Ludovici præceptum pro Cœnobio Dionysiano, quod habet Mabillon. de re diplomat. pag.
394., cujus characterum etiam specimen exhibet Tabul. XXVI., cum prædicto conferas, errorem in ejus
nota numerica annum Imperii designante, latêre invenies. Præceptum enim Dionysianum sic se habet:
Data Kalend. Decemb. anno propitio Christo primo Imperii Domni Hludovici serenissimi augusti In-
dictione VIII. Jam vides *Kalend. Decemb. Indictione VIII.* incidere in ultimum mensem anni 815.,
ideoque hoc Præceptum unico mense supradictum antevertere, & tamen anno primo Imperii insigni-
tum esse ; ut quid ergo Ludovicum Kal. Decembris ab ejus inauguratione Imperium auspicari, Kal.
verò Januarii proximè sequentibus, à morte patris annos numerare, credamus ? Certè hoc brevi tem-
poris intervallo, nihil evênit, quod variandæ Epochæ causa foret ; errorem tamen viderunt etiam


Baluzius T. 1. Capitul. Reg. Franc. & Pagius ad annum 815. num. 4. eumque emendarunt ; annum Imperii primum pro secundo reponentes, pluraque hujus notæ Diplomata eodem modo emendaturos fuisse facilè credimus, ubi vel Autographa inspicere, vel cum aliis eodem, seu proximo tempore datis conferre licuisset. Nos equidem quotquot adhuc Ludovici Autographa vidimus à V. Kalend. Februarii anni 814. Imperii annos costanter numerare animadvertimus. Ejus tamen quinque status distinguendi sunt, quippe vivente patre fuit primùm Aquitaniæ Rex, tum, eo mortuo, Imperator solus, dein cum Lothario, sed postmodum ab eo divisus, ac demum post exauctorationem in thronum restitutus.

(10) Annus post Consulatum Ludovici restituendus fuit: *sextum* autem reponendum putavimus sæpe citati Mabill. exemplo moti, qui de re Diplom. Lib. II. cap. XXV. n. III. Paschalis I. PP. ad Bernardum Viennensem Antistitem Bullam referens, cujus in præcedenti & nos mentionem habuimus, anno ejus Imperii IV., annum pariter post ejus Consulatum IV. tribuit, immo *tertio*, qui in Sæc. quarto act. SS. Benedict. part. 2. pag. 567. per errorem irrepserat, substituit. Credidit etenim, ut arbitror, Vir doctus, Ludovici Consulatum, quem Cæsares, Kalendis Januariis eorum coronationem subsequentibus tantùm iniri consuevisse, alibi observaverat, ab anno 814. repetendum esse, ea potissimum de causa, quòd à patre jam præcedenti anno Aquisgrani coronatus, & ad Imperii consortium adscitus fuerit, nisi fortè cum Pagio ad annum 817. num. 2. tunc temporis in more positum fuisse placeat, Cæsares ipso, quo Imperium adibant die, Consulatum perpetuum capessere. Notandum tamen est in Bulla ejusdem Paschalis I. PP. à Cornelio Margarino relata in Bullarii Cassinensis T. 2. Constitut. 16. nullam post Consulatus notam reperiri, eam autem in exemplo non defuisse credimus, sed Scribarum oscitantiâ neglectam, nam præter quam quod in nostra clarè legitur, etiam in præfata ejusdem Pontificis Bulla ad Bernardum Viennensem Antistitem apposita est; quamobrem in jam citata, contra ejusdem Pontificis & aliorum ejus ævi morem, consultò omissam fuisse, difficilè credimus. Hunc autem usum usque ad X. saltem Sæculi initium perdurasse, multiplici Bullarum inspectione permoti conjicimus.

(11) Annus etiam Imperii Lotharii, quem in characterum nostri Apographi specimine planè obliteratum esse vides, restituendus foret: *secundus* certe, aut *tertius* reponi debet, ipsum enim à Ludovico Patre ad Imperii consortium accersitum fuisse in Conventu Aquisgrani habito in æstate anno Domini 817. omnibus notum est. Scriptorum tamen sententiæ differunt circa mensem: Annalista enim Cæsareus à Lambecio editus mense Junio id accidisse refert: *Anno quarto* (scilicet Ludovici Augusti) *Conventum suum babuit Hluduvvicus Imperator cum Francis in Aquisgrani mense Junio, & indicto* (adde ex Chronographo Hildensheimensi *jejunio*) *ordinatus est filius ejus Hludarius in Imperatorem, ut consors Regni fieret cum patre. Eo anno Stephanus Papa decessit, cui successit Pascualis in Pontificatu &c.* Annalista Moissiacensis, non indicat mensem, quamvis cætera exactissimè describat his verbis. *Ludovicus Imperator apud Aquis Palatium celebravit Pascba. Et in ipsa ætate* (forsan *æstate*) *jussit esse ibi Conventum populi de omni Regno, vel Imperio suo apud Aquis Sedem Regiam, idest, Episcopos, Abbates, sive Comites, & Majores natu Francorum, manifestavit eis mysterium consilii sui, quod cogitaverat, ut constitueret unum de filiis suis Imperatorem. Habebat enim tres filios ex uxore Hermengarda Regina. Nomen uni Clotarius, nomen secundi Pippinus, & nomen tertii Ludovicus. Tunc omni populo placuit, ut ipse, se vivente, constitueret unum ex filiis suis imperare, sicut Karolus pater ejus fecerat ipsum. Tunc tribus diebus jejunatum est ab omni populo, ac Lætania factæ. Post boc jam dictus Imperator Clotarium, qui erat major natu, Imperatorem elegit, ac per coronam auream tradidit ei Imperium, populis acclamantibus & dicentibus, VIVAT IMPERATOR CLOTARIUS. Facta est autem lætitia magna in populo die illo. Et ipse Imperator benedixit Dominum dicens. (Benedictus es Dominus Deus noster, qui dedisti bodie ex semine meo consedentem in solio meo, videntibus oculis meis.) Audiens autem Bernardus filius Pippini Regis Rex Italiæ quod factum erat, cogitavit consilium pessimum, voluitque in Imperatorem & in filios suos insurgere, & per tyrannidem Imperium usurpare.*

Baluzius in notis ad Agobardum, Lotharium tertio Kalend. Augusti Imperatorem dictum fuisse, ex Auctore inedito Annalium Anianensium, affirmat; Pagius verò & si ea die, quæ anno 817. incidebat in feriam quintam, renunciatum fuisse Imperatorem non inficietur, eâdem tamen coronatum non fuisse affirmat, quòd per ea tempora mos invaluerit ut hujusmodi cæremoniæ Dominicis tantùm diebus, aut Festis solemrtibus, peragerentur. Cùm igitur nostra Bulla data sit V. Idus Julias anni 819. si Lotharii annos Imperii à mense Junio numeres *Secundus* jam expletus erat, & cœperat *Tertius*, si verò à III. Kalend. Augusti exordium facias, *Secundus* adhuc Imperii annus currebat. Sed his diutius non immorabimur. Præstat hac occasione cæteras ejus Epochas breviter attingere, quæ, omissâ eâ regni Bajoarici, hæ sunt, videlicet: Ab ejus confirmatione in Imperium in Conventu Noviomagensi facta, hoc est à mense Maji anni 821.: A Conventu Attiniacensi, in quo missus fuit in Italiæ Regnum, anno scilicet 822. mense Augusto, ut Eginhardo placet: A die V. Aprilis anni 823., quæ Paschatis solemnitati sacra fuit, qua à Paschale Papa Romæ regni Italici, atque Imperii coronam accepit: Ac demum à morte Ludovici ejusdem patris, quæ XII. Kalend. Julii anni 840. accidit, ut Nithardus, Annalistæ Metensis, & Fuldensis, cæterique consentiunt. Mortuo tamen patre duas Epochas usurpare cœpit, primam à die 20. mensis Junii, quæ, ut nuper diximus, Ludovici emortualis fuit, ab eaque Imperii in Francia annos numeravit; alteram ab anno 820. deductam asserit Mabillonius de re Diplomatica lib. 2. cap. 26. num. 15., ubi plura exempla in medium profert, quibus probat annos Imperii Italici in Lothario semper præcedere Francicos, annis viginti. Qua ratione verò Lotharius exordium Italici Imperii mortuo patre petierit ab anno 820., se nondum assequi potuisse ingenuè fatetur Vir doctus loco citato, tantummodo dubitat vel à Bernardi morte repetendam, si hæc usque ad finem anni 819. protrahi posset, vel forsan ab ejus confirmatione in Imperium, quam mense Majo anni 821. in Conventu Noviomagensi factam, jam diximus. Quod ad Bernardi mortem spectat, eam præcedenti notâ nonâ, XV. Kalend. Maji ex sepulcrali ejusdem inscriptione accidisse probavimus: quod verò confirmationem respicit, id ex iisdem Diplomatum subscriptionibus, quas ipse loco supra citato adducit ad probandum Italici ac Francici Imperii Epochas annis viginti differre, veritati repugnare, sic ostendimus. Inter cætera Diplomata, unum Mabillonius adducit datum *VI. Idus Octob. anno Cbristo propitio Imperii Domni Hlotbarii pii Imperatoris, in Italia XXI. & in Francia I. Indict. III.* Hanc formulam ipse refert ad annum 840, sed si Conventus Noviomagensis peractus est mense Majo anni 821., ut ipse cæterique consentiunt, VI. Idus Octob. anni 840. primus Imperii Francici equidem incœptus erat, Italici verò non vigesimus primus, sed vigesimus tantùm, currebat; alterum etiam ibidem habet *Datum XV. Kalend. Novemb. anno Cbristo propitio imperii Domni Lotbarii pii Imperatoris in Francia X. & in Italia XXX. Indict. XIII.*, quod refert ad annum 850., sed XV. Kalend. Novembris trigesimus Imperii in Italia in cursu quidem erat, Francici verò undecimus jam incœperat à die vigesima mensis Junii. Cæteras formulas, quas loco citato producit, omittimus, sed ex illis idem, quod ex præcedentibus, clarè evincitur; quapropter Lotharii Imperium in Italia, neque à morte Bernardi Regis, neque à Conventu Noviomagensi, deduci potest, sed certè ab anno 820. Pagius ad annum 821. num. 2. hanc Epocham ante diem ultimum mensis Maji anni 820., jam inchoatam fuisse deducit ex parte secunda Bullarii Cassinensis, Constitut. 30., in qua legitur: *Actum anno Dominicæ Incarnat. DCCCXLI. anno Imperii Cbristianissimi Hlotarii Imperatoris XXII. Indictione IV. pridie Kalendas mensis Junii.* Unico tamen exemplo, ac petito à Bullario Cassinensi, in quo Typographi, seu scribarum oscitantiâ tot in numericis notis irrepserunt errores, haud multum fidendum credimus, ad quod etiam addendum est eam Constitutionem non Lotharii Diploma, sed Ramperti Brixiensis Episcopi donationem nonnullorum bonorum

rum favore Monasterii SS. Faustini & Jovitæ continere, atque datam esse ante mortem Ludovici Pii,
ut ex ipsa formula apparet, quapropter an Imperii Italici annos auspicetur ab eadem Epocha, quam
solùm post patris mortem Lotharius adhibuit, aliquis fortasse dubitaverit; Pagius loco jam citato præ-
ter has Epochas aliam etiam assignat, quam ab anno 838., quo Ludovicus Augustus novam partitionem
fecit inter Lotharium & Carolum filios, proficisci astruit, eam autem unico exemplo firmat, nimirum
confirmatione donationis factæ cœnobio Grandivallis, quam Mabillonius de re Diplomatica lib. II. cap.
XXVI. n. XV. ex Spicilegio Acheriano tomo 7. pag. 184. sic refert: *VIII. Kalend. Septemb. anno*
imperii domni Lotharii XII. (*lege pii*) *Imperatoris in Italia XXX. & in Francia X. Indict. XII.*
Eam autem Mabillonius anno 849. alligat, uti & Pagius, qui tamen Lotharii annum XII. à prædicta
Epocha anni 838. deducit, cùm Mabillonius notas numericas XII. cognoverit erratum esse librarii, qui
literam P. in Autographo obliteratam pro decennaria nota X. legit, ideoque correxerit, addito inter
parentheses *lege pii*. Quidquid tamen de hac Epocha credendum sit, certè in tot Lotharii Diplomati-
bus post annum 838. datis, quæ vidimus, nusquam ejusdem aliquam rationem habitam fuisse cognoscere
licuit, immo nunquam ejus Diplomata triplici, præter Indictionem, Epocha, signata invenimus. Illud
interim observatione dignum, doctissimos etiam Viros in interpretandis Lotharianorum Diplomatum
chronicis notis sæpiùs erravisse, hoc autem ea potissimum de causa accidisse arbitramur, quòd varias
Epochas, quibus ipse usus est, non satis perspectas habuerint. Puricellus noster in Monumentis Basilicæ
Ambrosianæ duo refert Lotharii Diplomata, quorum primum pag. 182. habet: *Data tertio Nonas Majas*
Anno Christo propitio Imperii Domini Hlotharii Imperatoris decimoctavo, Indictione decima tertia.
Actum Papiæ Palatio Regio in Dei nomine feliciter, amen, Alterum verò pag. 185. *Data octavo Idus*
Majas, Anno Christo propitio Imperii Domni Hlotharii pii Imperatoris decimo octavo, Indictione de-
cima tertia. Actum Papiæ Palatio Regio in Dei nomine feliciter, amen, quas notas refert ad annum
841., sed perperam, cùm anno 835. conveniant, desumta Epocha ab anno 817. prout clarè ostendit
Indictio, cujus tamen Vir doctissimus, ac maximæ in cæteris diligentiæ, nullam ibi rationem habuisse
candidè profitetur; cùm tamen illâ neglectâ, in eorum Cæsarum Diplom., qui varias Epochas adhibuerunt,
vix unquam temporis rationem inveneris. Sed cuncta hujusmodi nunc prosequi non vacat; hoc unum
non omittemus Cornelium Margarinum Bullarii Cassinensis T. 2. constit. 32. Lotharii Confirmationem
bonorum pro Monasterio Bobiensi afferre sub his Chronicis notis: *Anno Christo propitio Imperii Domni*
Hlotharii Imperatoris in Italia XXVIII., & in Francia XVII. Actum Gandulfi Villa in Palatio Re-
gio in Dei nomine feliciter amen. Eam autem nos ipsi in instructissimo Bobiensis Monasterii Tabulario
nuper vidimus, atque animadvertimus Italici Regni annum præseferre XXVII., non XXVIII. Fran-
cici vero VII. non XVII., quod Epochæ post patris obitum ab eo usurpatæ, ut jam diximus, adamus-
sim convenit.



HISTORIA
PRINCIPUM
LANGOBARDORUM,

Quæ continet antiqua aliquot Opuſcula de rebus Langobardorum Beneventanæ olim Provinciæ, quæ modò Regnum ferè eſt Neapolitanum.

CAMILLUS PEREGRINIUS
ALEX. FIL. CAMPANUS

Recenſuit, atque carptim illuſtravit.

IN ERCHEMPERTUM, ALIOSQUE CHRONOLOGOS AB ANTONIO CARACCIOLO, ET CAMILLO PEREGRINIO EDITOS.

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Quod in Collectione nostra iterum edendas, simulque jungendas susceperim quotquot veteres Historias post seculum a Christo nato Quintum Italia dedit, eo etiam consilio id factum est, ut quarum rarissima erant exemplaria, quamvis edita, majori deinceps Eruditorum commodo, minorique pretio comparari possent. Nunc ergo rursus prodeunt veteres aliquot *Chronologi* a *Caracciolo* jam, & *Peregrinio* evulgati, sed exemplaribus tam raris, ut ego de uno mihi acquirendo jam desperassem, nisi meus inter paucos amicus Godefridus de Philippis, Genuae habitator, & bonarum Literarum amantissimus, nulli diligentiae parcens, votis meis opem tulisset. Edidit autem primum *Antonius Caracciolus* ex Ordine Clericorum Regularium Presbyter anno 1626., Neapoli, *antiquos Chronologos quatuor*, scilicet, *Herempertum*, sive *Erchempertum Langobardum*, *Lupum Protospatam*, *Anonymum Casinensem*, *&* *Falconem Beneventanum*, *cum Appendicibus Historicis*: Opus sane plurimi faciendum, quod obscuris seculis non parum lucis adfert, ac praecipue illi Italiae parti, quae nunc Regnum Neapolitanum constituit. In ejusmodi palaestra subinde successit *Camillus Peregrinius Alexandri filius*, Capuae natus, cui patruus fuerat Camillus ille Peregrinius, a quo controversia de Areosti & Tassi Poëmatibus Italico Libro illustrata est. Itaque Peregrinius junior anno 1643. Neapoli publica luce donavit *Historiam Principum Langobardorum*, ubi Erchemperti iterum prodiit Historia castigatior, & multis additamentis utilior. Ad haec Peregrinius Opuscula, & documenta varia congessit in idem argumentum collimantia, addens etiam *Dissertationem de finibus antiqui Ducatus Beneventani*, & *Seriem Abbatum Casinensium*, accurate digestam, & denique *Castigationes in Lupum Protospatam*, *Anonymum Casinensem*, *&* *Falconem Beneventanum*, ut alia ab eodem simul evulgata praeteream. Fuit autem Peregrinio multa eruditio, acutum ingenium, judiciumque subactum, quae omnia illius Libros mirum in modum Literarum cultoribus olim commendavere, & adhuc commendant. Mortuus est egregius iste vir anno 1663. ut ejus Epitaphium testatur, quod ex Clariss. Mabillonnii itinere Italico desumptum, atque heic repetitum, neminem legere pigebit.

Camillus Peregrinius
Alexandri F.
Hic jacet.
Mente Deum, stilo Patriam, officiis amicos,
Pure, digne, sancte coluit.
Vixit Annos LXV.
Contentus vixisse.
Obiit Anno MDCLXIII.
Haud molesto sibi fato
Hospes haec fatis e saxo.
Abi.

Itaque singula haec in Collectionem nostram inferenda fuisse, Eruditus nemo negabit. Imo ne quid de Peregrinii laboribus in praecedenti editione collectis heic desideraretur, ne tres quidem Dissertationes omittere placuit, quas ipse Italica Lingua con-

conscriptas *de Origine Familiae de Colimenta*, *de antiqua significatione nominis Porta*, & *de antiquo situ Capuae*, suae Langobardorum Historiae adtexuit. Verum illud incommodi hactenus occurrit, ut qui Libro Caraccioli destitutus foret, ubi Anonymus Casinensis, & duo alii Chronologi legebantur, Castigationibus, & Notis Peregrinii in eosdem Chronologos uti vix posset, quippe seorsim editis. Igitur curae mihi fuit, ut nunc Chronologorum textus cum Notis Peregrinii conjungeretur, quo facilius universa haec tela sub oculos Lectorum incurreret. *Anonymum* quoque *Casinensem* datum est mihi aliqua ex parte supplere posse beneficio Codicis Casinensis, ut in Praefatione ad ejus Chronicon commemorabo. Atque haec sunt, quae in Caraccioli, & Peregrinii Opera praefari visum est, quorum diligentiam, atque consilium optandum foret, ut alii aemularentur in Literarum commodum, atque augmentum.

EMI-

EMINENTISSIMO PRINCIPI

FRANCISCO
BARBERINO
S·R·E· CARDINALI
ET VICECANCELLARIO.

Rerum antiquarum studiis per Te, Eminentissime Princeps Cardinalis, honorem maximum accessisse, ipsa quisquis amat, hoc est universus bene literatorum Ordo, & novit, & gaudet. Quem immensis totius Reipublicæ Christianæ curis, scientiarumque omnium, & liberalium Artium oblectamentis distentum, penitiores etiam Historias attentè rimari, deque iis præclaros differentes audire viros, ac multiplici, indesinentique favore eandem facultatem exaltare, eximiè delectat. Quique ingentem librorum, nec nisi optimorum, Bibliothecam condens, aggregandos disertissimis omnigenæ doctrinæ Auctoribus impolitissimos quoque, modò antiqua tractarent, tum alios undique conquisitos, tum Scriptores duxisti Historiæ Langobardorum Beneventanæ Provinciæ, è vetusto membranaceo Codice Vaticanæ Bibliothecæ optima fide, & accuratâ diligentiâ depromptos: sic nempè summum animi Tui in omnem antiquitatem benemerendi amorem, quo dignam eam censes, præsenti, & futuro eruditorum Orbi quamsolidissimè contestatus. Hæc eadem exercitia & ipse, sed juxta tenues mei ingenii, fortunarumque vires, cùm per otium, quo à D. O. M. sum donatus, sectarer, magno meorum studiorum emolumento (mihi inquam magno) doctissimum, atque ut omnem viri laudem sanè præclaram unico verbo complectar, qua excultissimis moribus, qua omnigenis literis Tibi acceptissimum, Lucam Holstenium suscepto priùs beneficio, quàm præsentia, vel obsequio novi. Qui faciente Petro La Sena, æque Tibi, dum in vivis agebat, noto, paribusque artibus caro, & sibi, & mihi amicissimo, complures Langobardorum, quos dixi, Auctorum locos in Papyraceis manu exaratis apud nos Codicibus, & in Editis quoque depravatissimos ad fidem Vaticani exemplaris, ut petieram, recensuit, recensitosque mecum perhumanè communicavit; quo tempore Tuo ille parens imperio, Antigraphum inde exscribendum curabat. Hoc ego præsidio subfultus, virique longè peritissimi consilio etiam animatus, nostratium, quam exponere meditabar, & ad manus habebam, impensiùs excolere cœpi Historiam Langobardorum, sed Deo non sinente, ad conceptam animo maturitatem minimè in hanc usque diem eam perducere est datum. De qua perficienda cùm desperarem, videremque literatos perplures viros talium depravatorum Codicum lectione deceptos assiduè de eadem pessimè mereri, Opuscula saltem isthæc, quantum in præsentiarum facultas fuit, expolita, atque illustrata, foràs dare non inutile futurum duxi; quibus, ni fallor, profligatæ cessabunt tandem quammultæ inter doctos receptissimæ, altiusque subnatæ, sed malesanæ de ejusmodi Historia opiniones, deque harum rerum Langobardicarum ordine (ni admodum fallor) incipiet notitia luculentior haberi. Nec falsò incipiet; nam licèt pauca adhuc alia ab antiquis de hujuscemodi argumento descripta Commentaria edenda supersint, in his tamen adeò obscurus, atque implexus, & jejunus observatus reperitur character, ut possint planè, debeantque altiori cum profectu in multis suppleri, plusquam in multis per annos dirigi, & in omnibus dilucidiùs explicari. Hæc præstare, magna sanè ausus, olim deliberaveram, manetque etiamnum valida invalido quamvis in corpore mens, quæ omnia non fuissent nisi Tuo Amplissimo nomini, ambitiosè quidem, sed justissimè consecranda: quoniam ipsa per se Tibi non injucunda, & deberi cognoveram, qui occasionem à Te, Tuoque ab omine acceperam, in hæc studia intentiùs incumbendi. Interim autem debiles, ac rudes hos meos conatus præ Tuo in omnes literas amore, devotionemque unà meam præ insigni Tua humanitate, deprecor, ne dedigneris; apud quem noster Campanus Archiepiscopus Camillus Melzius à Patruo Tuo, summo, optimoque Pontifice URBANO VIII., & à Te ob incomparabiles ejus animi dotes meritissimè in dies ad majora evectus, Legatusque nunc nuper ad Cæsaream Majestatem designatus, benevolentiâ in me usus singulari, fecit bene notum. Diu felix vivas, Eminentissime Princeps, sub quo boni omnes felices se esse gaudent.

Eminentiæ Tuæ Reverendissimæ.

Humillimus, & Deditissimus Servus

Camillus Peregrinius Alex. F.

LECTORI
LANGOBARDARUM RERUM STUDIOSO.

TE, amice Lector, qui penitissimis nostratium Langobardorum Historiis delectaris, illarumque ruditatem, ac barbariem non fastidis, jure merito adloquor: quid namque modò mihi!, & non hujus, sive nullius omnino antiquitatis, sed sublimioris, politiorisve literaturæ sectatoribus, ac philomusis, quos omnes cæteroqui veneror, & colo; illos tamen abstinere ab hoc Libro vehementer cupio, & exhortor? Verùm, & Tu non iniquus sis judex, rogo, conatui huic meo, quo gentis & magnitudine gestorum, & Imperii diuturnitate, atque amplitudine nobilissimæ memorias obscuritate pænè obsitas promere adgredior, moremque tuis studiis gerere vehementer affecto. Jam enim scrupulus aliquis mentem subiit meam, ne Te harum notitiarum amore flagrantem frustrasse videar, qui siccos Chronologos, ac tenebricosos, cæteraque Opuscula præsenti comprehensa Libro in vulgus emittam nec spissis, nec plenis illustrata Notis, quas res ipsa, nec diffiteor, exposcit, affectasque habeo nonnullis abhinc annis. At siqua apud mortales adhuc viget fides, cur etiamnum ab illarum editione abstineam, accipe. Valetudo enim est in causa, qua utor septennio jam integro minùs firma, quæque adeò est labefactata, ut omnes prorsus vires diminutas valde, exilesque, ad angorem usque animi, reliquas habeam; quas nec satìs validas à rerum omnium parente acceperam natura. Qui igitur possem Commentaria primo impetu mentis ad multiplicem observationem congesta secundis per otium recensere curis, quibus parcere nec vellem, nec deberem; quando exiguo hoc siccioris anni tempore, quo meliùs habere soleo, vix disjectam mentem colligere potis sum? Cujus opportunitas ne mihi, vel nunc depereat, pariterque depereant antiqua isthæc non levi cura conquisita, & expolita Opuscula, satiùs esse duxi, Typis ea committere properantiùs, Notisque spoliata suis, quam sub frustrata hactenus spe convalituræ valetudinis lectionem tuis studiis non inutilem de die in diem, ægrè quidem ferens, præripere. Ipsa itaque omni remota fallacia, magnaque adhibita diligentia, tum ex suis Archetypis, tum ex melioris notæ exemplaribus deprompta, libenti excipito animo; de quibus meum simul judicium feram, ac variantes Lectiones, annosque ad oram describam: ut scilicet priorem hanc editionem, quatenus per morbum licet, reddam uberiorem; atque agnoscere hinc quoque, & expectare valeas, me in secundam, si Deus vitam restituet hilariorem, integras distulisse Notas; quibus nihilominus præsens præcessisse opus, non erit omnino infructuosum. At hæc pauca præfatus, nè Te consueta salutatione non compellans, despexisse viderer, prolixiorem nunc non addam vel de Libro admonitionem, vel de me excusationem; siquidem apud verè amicum, & peritum Lectorem neutrá esse opus reor: simulque nec ambitiosum, inutilemque Auctorum, quos citatum ibo, præferam Indicem; qui tamen ignores nolim, quotiens Leonem Hostiensem, vel Petrum Diac. Cassinensem absque ulla distinctionis nota laudatos videris, totiens Chronici Cassinensis Neapolitanam editionem, quæ usu communior est, demonstrari.

Vale.

ELENCHUS

OPUSCULORUM,

Quæ hoc libro continentur.

HIs autem brevem descriptionem postremorum quinque Regum Langobardorum Italiæ præmitto, quam non adnumero, quia à proposito aliena, & peculiari quadam alia causa adtexitur, statim adnotanda.

CAMILLI PEREGRINII
DE POSTREMORUM LANGOBARDORUM REGUM DESCRIPTIONE.

NUllo Historiæ nostratium Langobardorum damno præterire potuissem hanc Regum Langobar- dorum Descriptionem, qua Beneventanæ Dynastiæ res enarrantur nullæ. Ea verò cùm sit hactenus existimata pars Historiæ Erchemperti, cui in scriptis Codicibus, pariterque in jam olim edito præfixa habetur, huic uni bono eam recudendam curavi; ut scilicet quæ inter utramque manifesta distinctio intercedit, agnosci valeat, nulla superstite ambiguitate. Et sanè multa licèt occurrant mihi in edito illo Erchemperto, quæ mirer, atque recenseam, quod jactantia omni declinata præstabo, hoc tamen unum primo se offert loco non sinè aliqua exprobratione castigandum; quan- doquidem in scriptis Codicibus vestigium etsi nullum hujus insit discriminis, res tamen ipsa manifestò se prodit, si paulò intentiùs Erchemperti Historiæ incumbimus; quæ licèt barbarie referta sit pluriformi, aucto- ris, & sæculi vitio, non tamen credendum eò pervenisse hominis imperitiam, ut ille ex abrupto Historiam orsus suam, congeminato postmodum errore, præfatus fuerit loco non suo, quod editus olim Codex repræsen- tat. In quo est quoque magìs peccatum, inductis eo loci nonnullis, quæ ab scriptis exemplaribus longè absunt; idque factum est, ut quæ alioqui adparebat scissura, & pro indiculo esse poterat disjunctorum ope- rum, continenti oratione consolidaretur. Habe igitur à me descriptionem hanc postremorum Regum Lango- bardorum, quam Paulus Diaconus suæ Langobardorum Historiæ subnectere noluit, callido usus consilio, ne videlicet lugubre Langobardici Regni excidium, propriæque gentis ignominiam literis consignaret; hanc, inquam, ab eodem planè Erchemperto ex Romano Pontificali; hoc est ex Anastasii Bibliothecarii libro de Vitis Romanorum Pontificum, quem is recenter exaraverat, excerptam fuisse, & ex parte ad verbum exscriptam; at non eo animo, ut à se institutæ Historiæ prior eadem, ac continens esset pars; sed ut dis- juncto isto centunculo, compendiosaque ista narratione integra haberetur Regum Langobardorum à Paulo producta series ad Desiderii captivitatem, & Regni usque excidium, à quo eadem, ac ille usus fuerat calli- ditate, suam conceperat scriptionem exordiri, pariterque renuebat par ad res Dynastarum Beneventi præ- stare supplementum, licèt ex professo eas enarrandas suscepisset, quas nec Paulus quoad valuerat produxe- rat; namque nullam sibi nectendam esse moram in his, quæ ad Regni casum attinebant, consilio perviderat suo; cujus planè scriptiunculæ claro indicio auctorem se prodit num. 2. suæ met Historiæ, inquiens, Regis Desiderii pridem meminisse, quod non alibi, nisi hoc fecerat loco. Cæterùm semel moneo Epigraphes ferè omnes, quas Opusculis istis præfixi, meo arbitrio me efformasse, quia scripta exemplaria nullas exhibe- bant.

BREVIS DESCRIPTIO
DE POSTREMIS QUINQUE REGIBUS
LANGOBARDORUM ITALIÆ

Excerpta ex Romano Pontificali.

I. LUitprandus Rex XVI. cùm per XXXII. annos feliciter (1) regnaret in Italia, inter cætera, quæ gessit magnifica, (2) etiam omnes urbes, & oppida juxta maris ora Tyrrheni sita à Tuscia, & usque ad (3) Arelatensem urbem prælIis cepit, & (4) suo Regno copulavit.

II. Post cujus obitum Hilpran nepos Luitprandi Regis præfuit Langobardis mensibus (5) septem, qui jam cum Luitprando octo regnaverat annos.

III. Post hunc (6) Ratchis (7) regnavit annos quatuor, & menses novem. Hujus (8) temporibus Karlomannus filius Karli Francorum Regis pro amore cælestis Regni terrenum relinquens Regnum, Romam adiit, & à Zacharia Papa factus est Monachus. Et post aliquantum temporis ad B. Benedicti, quod Aquinensium finibus situm est, profectus est Monasterium: Ratchis verò ad capiendam Perusinam urbem, sicut cætera Pentapoleos oppida, vehementi profectus est cum indignatione; quam & circumdans, fortiter expugnabat. Cui occurrit Zacharias Papa, & datis multis muneribus, multaque cum prece ab obsidione ipsius Civitatis amovit. Cùm non multum post idem Ratchis Divino instinctu Regalem relinquens dignitatem, devotè cum uxore, & filiis ad B. Petri Principis Apostolorum (9) perrexit limina, clericusque effectus, Monachico indutus est schemate cum uxore, & filiis. Et ille quidem cum filiis ad B. Benedicti Cœnobium profectus est, ubi sub arctissima vitæ districtione vitam finivit. Uxor verò ejus, (10) Tasia nomine, cum (11) Raptruda prole sua similiter mutato habitu ex propriis sumptibus Monasterium Puellarum in Plumbariola construxerunt, multisque ditarunt opibus, ibique sub magna districtione vitam ducentes, diem clauserunt extremum.

IV. Astulfus frater Ratchis superioris Regis (12) regnavit annos septem, & menses quinque. Hic multas, & gravissimas persecutiones Populo excitavit Romano, ita ut urbem niteretur invadere obsidione (13) circumdatam; & ex omni Populo per unumquemque singulos aureos expetebat, Pro qua scilicet persecutione Stephanus Secundus Papa Abbates Sanctorum Benedicti, & Vincentii (14) ad eundem Regem destinavit, (15) ut obsecrando à cepta persecutione cessaret. Qui nihil proficientes per aliud iter ad propria reversi sunt Monasteria. Hic autem Papa, & Missos Pipini Regis Francorum, & Legatos Imperiales misit ad eundem Regem pro ablatis (16) urbibus; & dum nihil proficerent, ipse cum supradictis Francorum Missis per Papiam ad Galliam (17) profectus est, & in S. Dionysii Monasterio Pipinus cum duobus filiis suis Reges sunt (18) ab eo uncti. Pipinus autem cum exercitu super (19) Papiam advênit, & obsedit; ac sacramentis à Langobardis acceptis pro reddendis urbibus ablatis, Galliam repedavit. Post hæc Astulfus sacramento dirupto, nihil de rebus, & statutis adimplere voluit. Cùm enim supradictus Papa in Galliam degeret, Astulfus Carolomannum germanum Pipini, quem superiùs Monachum memoratus sum, ad Galliam misit, adversari parti Reipublicæ; qui retentus illuc à fratre, (20) vitam finivit. Cujus in locello aureo gemmato corpus ab eodem germano cum aliis muneribus ad dictum Monasterium in (21) Cassino remissum est. Astulfus autem deinde omnes urbes Ravennatium undique circumdans, fortiter obsedit. Tunc marino itinere id nunciatum est Pipino Regi Francorum, qui sinè mora Ticinum obsedit, donec daret idem Astulfus Missos suos cum Missis Pipini, qui redderent universas urbes Petri Beati Vicario; quod & factum est. Pipinus verò viâ, qua venerat, rediit. Astulfus autem post hæc in venatione sagittâ percussus (22) mortuus est.

V. Desiderius autem cum (23) Adelgiso filio regnavit (24) annis XIX. Hic cùm diversas persecutiones faceret Reipublicæ, & nollet Romano (25) Pontifici ablatas urbes reddere, & justitiam facere; vel quia filios Karlimanni fratris Karli cum matre illorum (26) à se fugientes suscepit, super Papiam Carolus Rex advênit tempore Adriani Papæ. Si quis autem hoc nosse desiderat, legat Episcopale (27) Romanum, (28) illic discere poterit.

DE

(1) Usque ad mensem Julium anni 743. (2) *&*. (3) *Arletensem*. (4) *in suo*. (5) ad annum 744. ineuntem. (6) *Racbis*. *Ratbis*. (7) ad 750. (8) Vide Baron. ad ann. 748. (9) *conjunxit*. (10) *Taxia*. *Tassia*. (11) *Rattruda*. *Reptruda*. (12) Ad ann. 756. (13) *Circumdata*. (14) Selectiores varias lectiones ex multis, atque depravatissimis notavit idem Peregrinius exceptas ex Chronico Monasterii S. Vincentii Martyris ad fontes Volturni, quod sub Pont. Paschali II. Joannes ejusdem Cœnobii Monachus descripsit, exemploque Anonymi Salernitani integras Erchemperti narrationes ad verbum suo intexuit operi, quod unà cum tertio tomo historiæ Francorum, non tamen integrum prodiit Lutetiæ Parisiorum. Ex iis verò nonnullas censuit esse ejusdem Chronographi glossas, sanè non ineptas.
In Chronic. leg. *Annonem Abbatem S. Vincentii, & Optatum S. Benedicti &c.*
(15) deest *ut*. (16) *urbis*. (17) ann. 753. (18) deest *ab eo*. (19) ann. 754. (20) ann. 755. (21) *Casino*. (22) ann. 756. (23) *Ardechiso*. (24) ad ann. 774. (25) *Populo*. (26) *ad se*. (27) *Romanorum*. (28) *illinc*.

DE ERCHEMPERTO
ET EJUS HISTORIA.

SOla ad humanæ vitæ incommoda natus est noster hic Erchempertus, quem vel viventem, vel demortuum nunquam non perpetua exagitarunt mala. Is patre genitus Langobardo, sicut insitus illi amor gentis planiùs præ alijs indiculis declarat, perindeque viro Patricio, quod Leo Ostiensis lib. 1. cap. 46. confirmat, nomine adpellans Adelgarium, cæterùm ignotâ est eductus patriâ. Nec suæ primordia vitæ clariora nobis remansere, quæ nec sine ærumnis transegit; ipse enim hac in Historia num. 44. enarrat bonorum se amissionem anno 881. captivitatemque perpessum, quæ, nisi idem me fallit, & fallitur Ostiensis, sibi adhuc puerulo infortunia contigerunt, ut mox planiùs constabit. Illud interim non est dissimulandum, videri cuivis posse Pilanum illud Castrum (1) (non admodum certæ mihi positionis nomen) ad quod captus est, natale eidem, vel pronioris incolatus extitisse solum, qui exinde dicat exulem se Capuam advectum, bonisque tunc omnibus à pueritia adquisitis exutum. Verùm hoc utcunque se habeat, quinquennio post ista transacto: anno nempe 886. in alterum ille, dum Capuam adiret, incidit damnum, quod legere est in hac pariter Historia num. 61. idemque apud Ostiensem loco jam producto. Sed cùm hoc illi novum evènit malum cœtui jam aggregatus erat B. Benedicti, quod ex temporum collatione, quibus paulò post in alias idem ille impegit adversitates, sat constat, & ex ejusdem assertione elicitur, cùm dicit, quòd tunc unà cum præceptore suo Capuam repetebat digressus ab Angelario Abb. Cassinensi, qui tunc temporis Monasterii à Saracenis anno 884. diruti (tempora nunc non examino) restitutioni incumbebat. Et sanè de hoc nullus superesse videtur locus dubitandi, quandoquidem laudatus auctor Ostiensis disertè rem firmat, paraphrasi quadam Erchemperti enarrationem explanans, ac dicens præcedenti temporis momento illum à Patre Adelgario fuisse oblatum B. Benedicto, puerum adhuc, docilique ingenio præditum; ut jam illud quoque, quod prædixeram, verum esse pernoscas, ex Ostiensis scilicet adsertione in Pilano castro captum agentem tunc non firmam valde ætatem, cui subscribit, quoad hoc de impubere Erchemperto Monachis tradito, Petrus Diac. Cass. libro nondum edito de Illustribus viris ejusdem Cœnobii ibidem in Bibliotheca adservato, signatoque numero 361. Illi autem memoriâ utique lapso, ac dicenti Monachatum contigisse sub Abb. Ragemprando, qui post Angelarium sedit per tempora, ad quæ Erchempertus nec vitâ, ut reor, neo certè Historiâ pervènit, deneganda cæteroqui est fides. Et planè Monachum se sub Angelario docet ille hac in Historia nu. 69. sed lapsus utique talis condonandus est Ostiensi. Eundem tamen nollem in alterum impegisse scopulum, naufragioque suo nobis sinceram actorum Erchemperti historiam deperiisse, sive in perpetua incertitudine fluctuabundam remansisse; namque videri alicui posset, quòd sub primo illo ad Pilanum infortunio, ne dum sub hoc posteriori, Erchempertus pueritiæ annos jam transegerat, qui omnibus bonis à pueritia acquisitis se tunc exutum adfirmat. Neo planè pueri vocabulo Erchempertum ætate provectiorem demonstratum quis dixerit, acceptione alioqui non infrequenti, qua est quoque in vetusto lapide in meo suburbano Casapullæ sic:

HIC EST POSITUS SECUNDUS PUER
Q: VIXIT ANNOS XXII.

res namque, de qua modo agitur, talem non videtur admittere interpretationem; siquidem valde illi opponuntur ista: à patre nempe fuisse oblatum, quod de verè puerulis contigit tunc ex communi usu fieri; & traditionis tempore indolem præsagivisse commendandam, utpote qui ætate tener, ex sæculi pariter more, in Monasterii scholis primò erudiendus traditus fuerit, & mox inter Monachos cooptandus: quæ, ni fallor, apud antiquitatis peritos antiquorum contestatione non egent. Verumtamen de anno Monachatus Erchemperti adhuc aliquis superesse poterit in assertione Ostiensis scrupulus, licèt sub Abb. Angelario id actum ultro concederetur. Sed de hoc priusquam dicam, nonnihil de reliquis ejusdem, vel actis, vel passis præloqui me oportet. Capuam igitur ille postquam exul fuit ductus anno 881. in eadem pariter urbe nonnullos transegit annos, quod tria nos docere possunt indicia. Primum, quia Capuam repetebat quando quinquennio post in novum incidit malum. Secundum, quia ibidem, jam B. Benedicto militans, Cellam ab Abb. Angelario sibi traditam, hoc est Ecclesiam, Monasteriumque, sive Casam juris Cœnobii Cassinensis cum adtributis prædiis regebat in anno 887. sicut ipse de se dicit num. 69. Tertium, quia Campanorum res adeò affatim, ac minutim describit, reliquorum nostratium Langobardorum quasi per transcursum tantummodo libatis, ut eas novisse, nisi præsentem credere nullo valeam modo. Quartum quoque adderem, quòd nempe Campanis ex longo incolatu animo jam factus propensior, istorum damnis sæpesæpius videatur tristari; & eorundem victoriis assurgere; sed jam initio subindicavi motum illum in hos animi affectus fuisse amore potiùs universæ Langobardorum gentis, quàm Campanorum; quod in ipso suæ Historiæ vestibulo, & num. 74. manifestò demonstrat. Sed attende, quæ tunc quoque virum novæ exagitarunt ærumnæ. Missus à suo Abb. Angelario fuerat ad Romanum Pontificem Stephanum, à quo plena obtinuerat postulata; sed quia legatione illa animum offenderat Atenolfi Campani tunc Comitis, is commissam Erchemperto Cellam vi abstulit, sicut videre est in præcitato num. 69. idque eodem signato anno 887. indubitata res est contigisse. Qualis verò vis illata illi fuerit, non ibi adscribitur; sed ærumnosis illis temporibus viri sæculo potentes indiscretè religiosos exagitare consuevisse viros, resque eorum, innumera docent nos exempla, satque sit tibi, quod idem Erchempertus suppeditat nu. 13. scribens de Cassinense Abbate Deusdedit nomine, quem Princeps Beneventi Sicardus à Pastorali Monasterio Monachorum, sæculari magis potentia, quàm congrua ratione, deposuit, ac custodiæ mancipavit. Atenolfo autem non obstitit Angelarius, etsi favore fretus Summi Pontificis valuisset; sed majora, ut opinor, meditans, obsecundare maluit, vel imperanti, vel expetenti, sicque munere suo exutus est Erchempertus. At de illo quid postmodum actum sit, firmiter satis, nec rei gestæ descriptio, nec suggerit conjectura. Hoc unum tamen opinari haud displicet, illum æquo animo tunc ista ferentem, vel Capuæ remansisse, vel Teanum ad confratres ibidem degentes commigrasse; alterutroque in loco anno 889. occubuisse, qui exeuntem annum 888. viderat, descripseratque, nec ulteriùs Historiam produxerat suam; quam se producturum promiserat, sicuti altera jam vice ad num. 79. deposuerat, sed tribus postremis numeris resumpserat. Alii alio ista, fortasse, ducent, conjecturamque hanc meam

(1) Non firmè dixerim illud esse de quo Ostiensis lib. 3. cap. 19.

meam aspernabuntur; & sanè non latet me potuisse Erchempertum non hac producta causa à scribendo abstinere; sed promptior ista visa est occasio, quam dedi, & ab omni divinatione remotior. Verùm quod ad hunc distuli locum modò resumam: tempus scilicet Monachatus Erchemperti ætate tenelli non videri contigisse sub Abb. Angelario, qui non ante annum 884. Abbatiam fuit indeptus, sed ante sanè quàm multo. Nam esto primo illius præsulatus anno oblatus à patre fuisset, sat citò, ne dum sacrorum librorum lectione decursa, earumdem phrasim, ac sententias, ut præsefert, percalluisset; verùm ad apices munerum sui ordinis convolasset, ætateque tenera iis impar; hoc est anno 887. curam Cellæ administrans, ac Legatum ad Summum agens Pontificem, qui anno jam præcedenti fuerat sub Grammatices, Monasticæque regulæ Præceptore. Quo circa proclive magis esset credere Monachum induisse Erchempertum sub Abb. Berthario, qui ante 28. prope annos fuerat Abbas renunciatus, puerum tunc planè illum, ac ad Pilanum rebus à pueritia adquisitis nondum exutum; Cùm cæteroqui videri possit Ostiensem in hoc pariter memoriâ excidisse, quòd Monachatum, & damnum prope Capuam acceptum sub uno, eodemque Abbate contigisse affirmet, perindeque sub Angelario; quoniam semel de hoc damni illati tempore, deque Monachatu sub Ragemprando manifesti sit convictus erroris. Monachus igitur non ineptè reputabitur factus sub Berthario, & annis aliquot antequam 881. evolutus esset, omni de reliquo cessante repugnantia, maximaque accedente rerum, quæ postea sunt secutæ, concordiâ; in anno enim 887. processisse potuerat ad maturiorem ætatem, congeminatisque muneribus congruam sanè, magisque consentaneam. Nec producta modò castigatio contrarietate impeditur ulla: quinimmo ipsiusmet Erchemperti testimonio videtur posse consolidari, qui num. 21. præsentem se conspexisse mala affirmat, quæ Campani Episcopi, & Comitis Landulfi factiosis operibus provenere, illeque diem obierat suum mense Martio anni 879. Ita ut inde colligi clarè possit Erchempertum satis sibi constare, verèque biennio post, in anno videlicet 881. cùm ad Pilanum est captus, pueritiæ annos jam excessisse; eademque de causa Historiam suam à novæ Capuæ reparatione dedisse pinguiorem, hoc est ab anno 856. utpote verè sibi Historiam, hoc est, Spectaculum (1) atque præsentem: Quibus omnibus mirè, & clarè favet Petrus Diac. in præcitato libro de Viris Illustribus, dicens Erchempertum vixisse sub Imp. Ludovico, hoc est, Lotharii filio, qui obiit anno 874. Verùm enimvero, qui meus in illum de Capua optimè meritum amor voluit, ut non perfunctoriè acta, scriptaque ejus, quà elucidatum, quàve expurgatum irem, idem impellit ille, ut Leonis Ostiensis Cardinalis amplissimi patrocinium suscipiam, licèt ponderosius, quàm vires ferant meæ, dum utriusque merita in patriam imparia non sunt meam. Et planè illius assertio ab inflicta censura vindicari posse arbitror, si germana quadam explanatione excipiatur, qua Erchempertum puerum dictum fuisse opinemur, non quòd quinquennis, sexennisque fuerit tunc puer, sed quòd non se ipso, nec per capillos capitis sui (ut cum eodem loquar Ostiense lib. 1. cap. 45.) tradiderit se B. Benedicto; verùm ætate aliquantò provectior fuerit traditus à patre Adelgario, ut cæteri tenelli tradi consueverunt. Qui ingenii, qua pollebat, acritate exiguo temporis spatio, & præ rudi illo sæculo ad miraculum usque Grammaticam, Poeticam, Rhetoricamque utcumque assecutus, Cellam continuò administravit, legationisque munus exercuit, ut hoc quoque supra ætatem miraculum mundus ille admiratus fuerit; & eopse miraculo legatus electus, legatioque ejus carior, acceptiorque Romano fuerit Pontifici. Nec tamen ob id crediderim illum, ut summum attigisse tunc annum vicesimum quintum, quem nec excessisse oportet opinari, si vera sunt, quæ de ejus dixi excessu mox à deposita Historia secuto in anno 889. quod verissimum esse confirmat eadem ignea illius mentis vis; quæ nullatenus, si advixisset, silentio conclusa valuisset contineri. Vitam igitur Erchempertus (naturâ sic semper exuberando deficiente) præproperè maturavit, qui præcoci fuerat præditus ingenio. At quod de ejusdem tempestiva sacrarum literarum scientia præposueram mirum esse non debet, cui novum quoque non sit, olim in scholis sacros potissimum admissos fuisse libros, & apud plerosque alios nullos. Nec pariter demiremur, quòd is dicat præsentia se vidisse mala, quæ Landulfi Episcopi operâ contigere; namque damna significare voluit ea, quorum ipse pars quoque fuit, & quæ Episcopi mortem fuerunt subsecuta, ut, si locus extremi num. 31. cum dicto num. 21. conferatur, palàm faciet. Testimonium verò Petri Diac. quanti in hoc sit faciendum ex infra notandis manifestabitur; qui si Erchemperti Historiam libasset, non sub Ludovico, sed sub Carolo III. illum vixisse agnovisset: imperavit enim Carolus ab anno 881. ad annum 888. quo planè annorum decursu tota Erchemperti, quatenus innotuit, vita fuerat peracta. Sed de his hactenus.

Quæ verò eidem post mortem, ut præmonebam alia nova accesserint infortunia, illaque, quod in defunctum illata, numero, damnoque majora, ac tempore diuturniora, non erit qui nesciat, dummodo ejus Historiæ facies, vel in scriptis Codicibus, qui in Chartis plures habentur, vel in Edito inspiciatur. Nec mihi majore improprietate Erchemperti Historia absolutè dicitur Erchempertus, quàm si cadaver illius eodem appellarem nomine. In illam, inquam, tot, tamque alta Chartaceis in Codicibus à librariis fuere inflicta vulnera, ut Antonius Caracciolus Clericus Regularis, clarissimi, eruditissimique viri nomen, integræ sanitati multa licèt reddiderit, plurima tamen sua in editione incurata reliquit, præ tædio, ut puto, ad majora conversus studia, quæ sectabatur magno literariæ Reipublicæ emolumento. Sed vulnera ista curatum modò, non deploratum imus; sique frustra ierimus, attentus, peritusque judicabit Lector: omnis alius præjudicabit. Tempus idcirco in his non absumam, & quæ de Erchemperti modo Historia sunt congruè ad hunc locum adnotanda paucis absolvam. Aggressus illam est, ut opinor, noster post partam insignem ab Atenolfò Campano Comite de Neapolitanis victoriam, quæ contigit Æstate nondum transgressa anni 888. nec suo solius arbitrio, sed, ut ipse præfatur, hortatu Algelgisi nobilis, sapientisque viri, quem Campanum, vel Campanis animo propensum ex petitione eadem sua, reque ab Erchemperto præstita agnosco; totus enim in Campanorum rebus laborat. Non ausim tamen satis firmiter affirmare, an iste ille idem fuerit Alcisus, de quo habetur num. 63. quique eidem Atenolfo Capuam fratribus præripienti non adstitit, sed contra Neapolitanum Episcopum, ac Ducem belligeranti adstitisse arduum non est divinare. Et sanè quòd Erchempertus se tunc dederit huic Historiæ, inferri ex hoc posse persuadeor, quòd in Præfatione consuetudinem illam ab Historiographis retineri imposuit, ut ea tantummodo retexere soleant, quæ ad laudem gentis pertinere noscuntur; in quo Pauli Diaconi consilium laudat, & se dicit descripturum Langobardorum damna, & improperia. Cur igitur non abstinuit; immo prudens, idemque nobilis vir Algelgisus cupidè id expetivit? Scies, si quæ olim longo ævo inter Campanos, Neapolitanosque intercessere bella, ad mentem revoces, quibus utrorumque invicem odia sic efferbuere, ut videre mihi videar

illos

(1) Suidas hoc verbo.

illos partam tunc victoriam tanti fecisse, qua Neapolitani mœnibus conclusi suis palantes sinebant omnia pervadere hostes, ut unam illam omnibus præteritis damnis, vel illatis, vel passis maximè præferrent. Quibus pariter Algelgisus rebus elatus prosperis Erchemperto instituit, ut occasione continuandæ Historiæ Pauli Diaconi, quod nullus hactenus attigerat, suum instituerent Auctarium, quod sine adeò memorando, ac Campanæ genti decoro concluderet. Illeque haud planè invitus, immo privato etiam odio Neapolitanis infensus, ut ex num. 44., & 61. colligi potest, petenti ultro obsecundavit; proindeque ingenti de victoria illa tripudians exultatione conspicitur num. 74. Hac ergo occasione Erchempertum, credam. Historiam adgressum, quam absolvisse opus est paucis decursis mensibus; namque ut constat ex Num. 79. & 82. finem eidem imposuit eodem anno 888. nondum exacto. Nec improbabile cuiquam sit tam citò Avorum memorias ex centum retroactis annis pervestigare potuisse; etenim illas non ex libris excerpere necesse habuit, quippe, qui visa se, & audita descripturum præloquatur, non autem scripta, quæ iis de rebus adhuc nulla exarata fuisse ob idipsum opinor, sed ex facili cum familiaribus collocutione hausit; (1) certèque Langobardi res, & Genealogias suas, immo leges omnes promptâ memoriâ retinere consueverunt; præterquam quod Erchempertus summatim adnotavit, quæ Principem Radelchim præcessere, hoc est annum 839. utpote ætate remotiora, & viventibus tunc senioribus minus nota, qui reliqua ab illius Principis ævo potuerunt omnia probè nosse.

Cæterùm hæc Historia ab Ostiensis ferè tempore, qui in primo sui Chronici libro ea fuerat usus, hoc est ab anno circiter 1100. diu neglecta, obscuraque manserat; ejusdemque exemplar nullum nobis nisi unum in membranis scriptum remanserat, quod apud Salernitanos delitescebat, operâque tandem Marini Frecciæ I. C. innotuit, qui Stabiis Autumnalibus Feriis commorans, exemplum inde sua exscripsit manu, operi insistens à die 29. Augusti anni 1560. ad diem 16. Octobris ejusdem anni, ut ipse de se fatetur in libro de Subfeudis 1. Cap. de Provin., & Civit. Regni. Num. 36., & ad finem novi à se exarati Codicis, ex quo in dies plurimi, qui modò Papyracei habentur, effluxere, eisque plerique recentiores literati viri utiliter in operibus sunt usi suis, licèt corruptissimis. Exemplar autem illud in Vaticanam postmodum inductum fuit Bibliotehecam, ut indicium, quo est præsignatum, commonstrat; siquidem habet ad oram nonnullas Glossas, sive Adnotamenta ex eadem Historia excepta, eaque non admodum novitia manu conscripta, quæ prorsus eadem ex Frecciano oborti Codd. retinent multi, ac vulgò ab eodem Freccia exarata creduntur; sed ipsamet illa, me judice, Salernitanum civem probant habuisse auctorem, Freccia sanè integro ad minus sæculo antiquiorem, ut opportuniori loco de hoc, & de cæteris, quæ ad notitiam spectant horum Codicum, qui circumferuntur, fusè dicam, & alibi quoque in Notis, (2) quo pariter loco reddetur mihi ratio Epigraphes, quam huic Historiæ adfixi, ibidemque complurium Scriptorum testimonia de Erchemperto prolata seriatim dabo; namque satis longum, & alienum esse duxi diutius hic immorari. Unum tamen non differam, mirari scilicet me, quòd Petrus Diac. libr. de Vir. Illustr. aliàs laudato, duo alia, quæ non extant opera adnotarit à nostro Erchemperto fuisse scripta, sic dicens. De Destructione, & Renovatione Cassinensis Cœnobii: Nec non de Ismaëlitarum incursione Historiam satis necessariam composuit. Nisi una in Historia significare ille voluerit utramque descriptam fuisse cladem, quam utique Historiam alteram ab hac credere nullus recusabit; qui recusare quoque velit Petrum oscitanter ista adnotasse. Sed eum ab hac culpa defendat, qui volet: ego planè, eodem consentiente Erchemperto Num. 31. novi à se non modò præsentem exaratam Historiam, sed carmina quoque de Landolfo Campano Episcopo, & Comite, deque aliis alia, quorum fragmenta reputo versus, qui habentur Num. 6. 9. & 21, nec tamen illa Petrus adnumeravit; quod planè fecisset, si præsentem saltem percurrisset Historiam, sicut paulò ante monebam. Ni, fortè, prætereunda censuerit, quòd tam his metris, quàm prosâ illa eadem, ferè, haberentur descripta Langodardorum gesta; quam equidem de utrisque nec sinè divinatione, opinionem habeo, sed suffragantibus mihi indicatis fragmentis, & sæculi more non reclamante, cujus exemplum habeo in Tumulo filiorum Principis Landulfi Capuæ positi infra unà cum aliis adscribendo.

De mea verò recensione hoc addo, quòd cùm operi me primum dederam, puræ innitens conjecturæ, & collatione utens Auctorum, qui editi, ineditique eadem tradiderant, uno adjuvabar scripto Chartaceo Codice, quem Hieronymus de Barone Patricius Campanus, & Dux Frisæ exscribi curaverat è Frecciano exemplari manu librarii conductitii, ac planè inerudíti, quibus adjutus adminiculis graviora plurima reformaveram errata, nonnullis exceptis diligentiorem curam exquirentibus. Postmodum illuxit mihi amor Lucæ Holstenii V. C. qui & ipse amor literatorum, ac delicium: an dicam quoque norma? favorem conciliante Petro La Sena, eheu, viri nomen eruditissimi, sanctissimique, ac mei amantissimi, nec unquam sinè luctu recordandum. Magnusque vir ille meis precibus, jam enim diem obierat La Sena, editum Codicem Erchemperti cum scripto Membranaceo, qui in Vaticana Bibliotheca adservatur, numero signatus 5001. contulit, variantesque lectiones sua manu ad oram editi libri adnotavit, conjecturâ, ut monuit, & ipse quandoque usus; mihique librum notulis, hoc est margaritis, exornatum transmisit perhumanissimè. Quo adjumento omnis propemodum mea in Erchempertum castigatio consolidata remansit, desperataque illa ferè omnia medicinam accepere, & sanitatem. Tandem nactus sum alterum Codicem, & ipsum Papyraceum, qui est Andreæ Marchesii, Campani quoque Patricii, Principis Montis Marani, & in hoc Regno Regii Consiliarii, ejusque lectione imposita est mihi ultima labori manus. Nam iste in iis, in quibus primus ille Codex à Vaticano discrepat, ut plurimum eidem, multoties hujus concordans, quandoque autem utroque melior, pejor quandoque, ut in Notis manifestabitur, omnem sedavit meam anxietatem alios perquirendi; quos planè multos Chartaceos, tum Neapoli haberi, tum alibi certò scio. Remansit tamen, nec celaverim, locus unus, vel alter, aut mancus, aut suspectus, & ob id asterisco signatus; quibus nec mea conjectura quidquam firmi auxilii suppeditavit, nec excerptæ ex Vaticano lectiones ulli fuere subsidio: nihil enim inibi exhibebant; quandoquidem minutiora multa postea, ut reputo, daturus erat à majoribus tunc studiis, curisque revocatus Holstenius, & graviora nonnulla festinantem prætererant. Quocirca nil mihi fidens, integrum Lectori servare volui judicium, cui integrum pariter ex me erit de cæteris omnibus judicare; modò & ipse Papyraceos inspiciat, excutiatque Codices, & cum vocibus luctetur, qua mutilis, qua depravatis, qua scissis, qua commissis, qua denique omnigena fœditate refertissimis. Quarum nihilominus specimen ad libri oram multoties repræsentavi, ut qui Antigrapha talia adire abhorruerit, ex pauculis illis argumentari valeat, an admodum plana, expeditaque hæc mihi cesserit recensio. Et quidem non alio consilio eam suscepi, nisi ut Historia, qua postremorum Campanorum Comitum res ex proposito enarrantur, aliis haud habe-

(1) Vide infra ubi de Anonymo Salern. Num. 6. (2) Ubi de Anonymo Salernit.

L E C T O R.

Vitio ne mihi vertas, quòd in his Stemmatibus, atque etiam alibi virorum nomina multoties haud inflexa eâdem formâ repræsentaverim, quæ indicati à me Auctorum loci illa exhibent; id namque natum est ex eorundem inconstantia, qui Langobardica in consonantes literas exeuntia: ut Landulf, Radelgar, Adelchis &c. *Latinè cum efferrent, non eodem, consimilive inflexerunt semper modo; siquidem* Landulf, *& huic similia, dixere:* Landulfus, Landulfi, *nec seciùs unquam*, Radelgar *verò*, *aliaque hujusmodi*, *aliquando nil à recto immutantes enunciavere:* Radelgar, Radelgaris; *aliquando in recto adjentes* I, *fecere;* Radelgari, Radelgaris, *atque ex hoc, ad normam scilicet gentilium nominum, dixere etiam:* Radelgarius, Radelgarii &c. Adelchis *autem*, *& talia*, *tum pari ratione enunciavere;* Adelchis, Adelchis, *&* Adelchisi, Adelchisis, *atque* Adelchisius, Adelchisii, *tum* Adelchisus, Adelchisi, *sicut* Landulfus &c. *Ab hac igitur varietate varia mihi aliquando ab indicatis auctoribus nominum inflexio, mihique met ipsi non semel varius. Veruntamen, ut dixi, tantundem valent in recto, & ad eandem normam in cæteris:* Adelchis, Adelchisi, Adelchisius, Adelchisus: Radelgar, Radelgari, Radelgarius &c. *de quibus planiùs aptiori loco; ibique pariter constabit, tum alios; tum Langobardos plerisque in vocabulis promiscuè usurpasse literas*, D, *&* T, Ch, *vel simplex* C, *&* G, O, *&* V, P, *&* B, V, *&* G, B, *&* V, *aliasque, in quibus nec mihi servatus est constans tenor, eadem scriptorum seductus inconstantia; quandoquidem nil interesse comperi inter.* Landulfus, *&* Landolfus: Adelchis, *&* Adelgis: Atenulfus, *&* Adenulfus: Lampert, *&* Lambert, *sive* Lambertus: Guido, *&* Uvido: Ubo, *&* Uvo &c.

STEMMA PRINCIPUM ALIQUOT BENEVENTI
Quorum mentio in Erchemperto.

S I C O
E' Princ. Sal. post patrem à Ludovico Imp. abductus ob teneram ætatem, suffecto Ademario. *Erch. N.* 19. 20. 23. *Ign. Cass. N.* 13. Adolescens obiit Capuæ veneno potatus ab eodem Pr. Adem. *Anon. Sal. ined.*

N. femina, *ex qua pater, vel mater Gemmæ Princ. Sal. de qua Ost. lib.* 2. *cap.* 6.

Sico nothus cognomento Albus, qui patris mortem est ultus. *Erch. N.* 13.

N. femina à Demonio obsessa. *Acta Sancti Antonini Surrentini.*

S I C O N U L F U S
Ex vi sibi facta à fratre, Clericus, & Diaconus *Anon. Sal. ined.* Primus Princeps Saler. *Erch. N.* 12. 14. 15. 16. 17. 18. 19. *Ign. Cass. N.* 8. Staturâ procerus. Uxor Ytta. *Anon. Sal. ined. De hac in Stemm. Ducum Spoletii.* Avia Gemmæ &c.

NN. filiæ aliæ *quarum nomina Anonymus Salern. inedit. memoriâ se non retinere dicit.*

Sichelenda uxor filii Azonis viri nobilis. *Anon. Sal. ined. An iste est Majo, de quo Erch. N.* 12. *& Ostien. lib.* 1. *cap.* 25.


N. uxor Ursi Comitis Compsiæ. *Erch. N.* 14. *Anon. Sal. P.* 3. *N.* 2. *Ost. lib.* 1. *cap.* 25. *Idem Anon. alio loco uxorem dicit filii Ursi.*

N. uxor Radelmundi Comitis Acherentiæ. *Anon. Sal. P.* 3. *N.* 2.

S I C A R D U S
quintus fil. Siconis. *Chron. S. Barthol. de Carpineto ined.* Princeps Ben. cum patre, & post. *Erch. N.* 10. 12. 13. *Ostien. lib.* 1. *cap.* 21. staturâ pusillus, uxor Adelchisa filia Dauferii Muti Proceris Benev. *Anon. Sal. ined.*

S I C O
Patriâ Spoletinus, genere Langobardus. Princeps Benev. post Grimoaldum Storesaiz
Erch. N. 8. *Tumul.* 5. *Chron. Episcop. Neap. ineditum. Anon. Salern. ined.*
& Par. 2. *N.* 1. 2. *&* 3. *Ostiensis lib.* 1. *cap.* 18. *&* 19.

STEMMA PRINCIPUM ALIQUOT BENEVENTI
Quorum mentio in Erchemperto.



URSUS
Princ. Ben. post patrem, sub hoc Græci Beneventum recepere, post Langobardorum perpetuam Dynastiam annorum 330. *Fragm. Anon. Ben. N.* 1. 2. *Anon. Sal. P.* 4. *N.* 1. *Ostiens. lib.* 1. *cap.* 48. Frater est Ajonis Princ. *Lupo Protosp. ad ann.* 890. *corruptè.*

N. vir filiæ Pandonulfi Comitis Capuæ. *Erch. N.* 48. *de quo in Stemm. N.* 7.

N. femina, *quam reputo uxorem Landonis Campani; de quo in Stemm. N.* 14.

GAIDERIS
Princ. Ben. post patruum Adelchim. ejectus è Principatu obtinet Oriam à Græco Imper. *Erch. N.* 39. 41. 42. 47. 48. *Frag. Anon. Ben. N.* 2.

AJO
Subdiaconus. *Chron. Cavense inedit.* Princ. Ben. post fratrem. *Erch. N.* 48. 49. 59. 66. 71. 72. 76. 80. *Fragm. Anon. Ben. N.* 2. Gener Regis Franciæ. *Cedrenus. N.* 232. *ubi malè Angæus.*

RADELCHIS
Erch. N. 28. vir simplex. *Anon. Sal. P.* 4. *N.* 7. *P.* 5. *N.* 1. 2. Princ. Ben. post Gaiderim: ejectus. *Erch. N.* 48. 49. 50. *Fragm. Anon. Ben. N.* 2. iterum Princ. post Ursum Nep. ejectis Græcis. *Idem N.* 10. *Anon. Sal. P.* 4. *N.* 7. *Ost. l.* 1. *c.* 48. iterum ejectus ab Atenulfo Campano Comite, *de quo in Stemm. N.* 16.

AGELTRUDA
uxor Guidonis Ducis Spoletii, & Imp. *Frag. Anon. Ben. N.* 10. *Ost. l.* 1. *c.* 46. *Dicitur* Racheltruda *Anon. Salern. P.* 4. *N.* 7.

Ladelgisus. datus obses Siconulfo Princ. Sal. *Capitul. Princip. Radelch. N.* 28.

Ursus. *Tumulus* 9. *Erch. N.* 16.

RADELGARIUS
Princeps Beneventi post patrem. *Erch. N.* 19. 20. 39. *Tumul.* 8.

AJO
Episcopus Benev. *Joann. PP.* 8. *epist.* 33. 157. *Tumul.* 7.


ADELCHIS
Datus obses Siconulfo Princ. Sal. *Capitul. Princ. Radelch. N.* 28. vir mitissimus, Princ. Benev. post fratrem. *Erch. N.* 20. 29. 32. 34. 35. 38. 39. *Ignot. Cass. N.* 22. ab eo captus est Ludovicus Imp.

N. femina data obses Seodam Regi Saraceno apud Barium. *Anon. Salern. inedit.*

RADELCHIS
Vir blandis, & bonis moribus pollens: ex Thesaurario Principis Sicardi. *Erch. N.* 14. sive ex Secretario. *Ignot. Cass. N.* 8. *quod idem valet*, post eundem Sicardum Princeps Beneventi, sub quo Principatus primùm est divisus. *Erch. N.* 14. 15. 16. 17. 18. 19. *Ign. Cass. N.* 8. 12. *Anon. Sal. Par.* 3. *N.* 1. 2. *Ostiens. lib.* 1. *cap.* 23. Uxor Caretruda, ex qua suscepit 12. filios. *Tumul.* 6. & 7.

Pag. 233. post primam tabul.



STEMMA POSTREMORUM COMITUM CAPUÆ EX ERCHEMPERTO.



Stemmata istbæc alia ex eo.lem deprompta Erchemperto opportunum hic repræsentare est visum, quòd ad ejus quoque præluceant Historiam.


STEMMA DUCUM SPOLETII

Quorum mentio in Erchemperto.

STEMMA DUCUM NEAPOLIS

Quorum mentio in Erchemperto.



Pag. 233. tabula prima.

haberetur, quam innatis impedita tricis; longèq; à me absfuit mens priorem insectandi editionem; quinimmo ne talis unquam exoriretur opinio, non semel ejus lectiones malui retinere, contentus variantes indicasse, hæ licèt ad Erchemperti stylum, & ætatem accederent magis. Veruntamen, Lector, si scriptos Codd. ipsemet experiri volueris (idque facias iterum rogo) comperies me in uno tantummodo falsum, quòd non ex exemplarium fide, sed meo arbitratu continentem Historiæ textum in sectiones diviserim, quibus numerales adscripserim Notas: id autem an tuæ cessurum sit fraudi, ipse dijudices, qui scias pariter volo, idem me commisisse in his ferè omnibus Opusculis.

E P I T O M E
HISTORIÆ ERCHEMPERTI

Sive Fax ad illius partem, quæ spectat ad Comites Capuæ.

NOn integram Erchemperti Historiam hac Epitome explanandam suscipio, sed eam dumtaxat partem, quæ præ omni opere est maximè implexa, tum Auctoris culpâ, tum adfinitate nominum virorum, qui in ea enarrantur. Utrique autem incommodo hoc Breviario, & adjecto stemmate Comitum Capuæ occurro, dum id præstare haud morbus sinit integro, & pleno Commentariolo. Tu confer invicem pares prænotatos numeros ad Epitomen, & ad Genealogiam, unàque subnotatas Notatiunculas; quod cedet, ni fallor, hujus tricosæ Historiæ faciliori explanationi.

I. Landulfus nobilissimi hujus generis (1) caput, & origo. N. 21. stirpe Langobardus. N. 53. vir ad bella promptissimus Neapolitanos vexat; (2) suisque peremptis adfinibus rebellat à Principe Beneventi, & Capuam, *ejusque ditionem* (3) *solus* obtinet; seque Sicopoli (munitissima in urbe N. 24.) tuetur N. 15. Somnium (4) uxoris interpretans dira vaticinatur de filio Landulfo Episc. N. 21. liberos suos pessimè monens obiit. N. 22.

II. Pando (5) Marepahis fil. Landulfi Suram, *hoc est Soram*, administrat. N. 21. qui & ejus fratres Pandulfo consanguineo Suessulam callidè adimunt. N. 23. In Ademarium Pr. Salerni indesinenter bella movet ob vindicandum cognatum, filium Marini Amalfitani (6) *Comitis*, qui ab illo captus, & traditus fuerat Sergio Magistro Mil. *& Duci Neapolis*: idemque Marinus ab eodem Sergio in vinculis detinebatur. N. 26. Sed partâ à nepote Landone clarâ de Neapolitanis victoriâ, captivos Amalfitanos libertati restituit. N. 27. & Ademarium Pr. (7) carceri curat mancipandum, Guaiferiumque (8) *virum Landelaichæ neptis suæ ex fratre Landone*, sponte, *& proprio arbitrio* Salerni Principem constituit; his in omnibus germano Landulfo Capuæ Episcopo sibi consentiente, & opitulante, quo pariter sociatus à Guaiferio non multò post rebellat. N. 26. unàque ambo Capuâ exturbant nepotes, Landonem, & fratres ejus, filios præmortui senioris Landonis, sola (9) Gastaldatus cupiditate accensi, *hoc est administrationis Campanæ Dynastiæ*. Pando autem invasas à nepotibus Casamirtam, & Cajatiam recipit, atque hanc vastat. N. 30. eosdemque unà cum fratre Episcopo, ac trium suorum filiorum præsidio bello insequitur. N. 28. In prælio tandem confossus (10) occubuit. N. 28. & 30. Ejus filios habes. N. 28. 30. 36. & 40.

III. Lando filius (11) Landulfi. N. 21. munere, & ætate senior. N. 28. vir singularis, & præstantissimus. N. 53. Capuam post patris obitum (12) obtinet, & administrat: *hoc est, loca ad Dynastiam Campanam spectantia*: (13) *urbs namque in cinerem à Saracenis versa fuerat, & Campani Sicopolim confugerant, quam incolebant*. Idem curat ordinandum Episcopum Landulfum fratrem. N. 22. Ludovicum Lotharii fil. advocat in Saracenos. N. 19. Novam urbem à fratribus ædificari cœptam inridet N. 24. Sed mox mirè (14) perficit. (15) *Quam legibus instruit*, atque tum primùm habitatam tuetur (16) adversùs Guidonem *Ducem Spoletii*, cui nolebat subjici. N. 25. Paralysi laborat anno integro, quo temporis decursu Lando filius ejus in Neapolitanos insigni victoria potitur. N. 27. Fratres quoque, se inscio, conjurant in Ademarium Pr. Salerni. N. 26. quibus, fato decedens, filium commendat. Num. 28. ejus filios (17) habes N. 28. 30. 40. 41. 42. 44. 45. 47. 49. 53., & 64.

IV. Landonulfus filius Landulfi N. 21. ob ætatem dictus senior. N. 40. Teanum (18) administrat. N. 21. perpetuò (19) refragatur Siconulfo Pr. Salerni, & ejus filio, cui invitus dat filiam obsidem. N. 22. Capuam ad Pontem Casulini unà cum fratre Landulfo Episcopo (20) cœpit ædificare. N. 24. quam recusat subjici (21) Guidoni *Duci Spoletii*, ideoque Suram, & confinia oppida (*quæ à fratre Pandone quo pacto ad se transierint ignotum*) amittit, atque ex animi mœrore obiit. N. 25. ejus filios (22) habes. N. 40. 41. 47. 49., & 53.

V. Landulfus postremus (23) filius Landulfi, cujus futura dira opera præmonstrantur symbolica matris ejus visione, patre orbatus, atque ætate tener domi manet nullo insignitus munere. N. 21. Landonis fratris favore ordinatur Episcopus Capuæ post decessum Paulini Sanctitate clari. N. 22. sistit se vice fratrum coram Ludovico Lotharii fil. N. 20. urbem construit ad Pontem Casulini cum fratre Landonulfo, N. 24. quam renuit subjici Guidoni *Duci Spoletii*. N. 25. ex ea nepotem Landonem, Landonis fratris filium, quem ab illo commendatum susceperat, post ejus obitum ejicit, consentiente sibi germano Pandone, belloque insequitur. N. 28. Pandone fratre in dimicatione perempto, ejusque filiis Capuâ secedentibus, urbem, (24) *ut subindicatur*, administrat: homo versutus, elatus, petulans, & inreligiosus. N. 30., & 31. ejus calliditatem frustratur Ludovicus Imp.

(1) *Ign. Cass. N.* 16. (2) *Ign. Cass. N.* 8. (3) *Id Athanasius indicabat Atenulfo. N.* 53. (4) Filiæ Rofrit *Anon. Sal. par.* 3. *nu.* 1. *quem vide P.* 2. *nu.* 2. (5) *Ign. Cass. N.* 16. (6) *Præsides Amalfitanos sic primò adpellatos Anon. Sal. ineditus auctor est.* (7) *Qui & oculis tunc orbatus. Ign. Cass. N.* 23. *& Anon. Sal. ineditus.* (8) *Anon. Sal. ineditus.* (9) *Chr. Com. Cap. N.* 3. *&* 4. (10) *Ign. Cass. N.* 31. (11) *Ign. Cass. N.* 16. (12) *Chr. Com. Cap. N.* 2. (13) *Ostien. l.* 1. *c.* 24. *&* 30. (14) *Ign. Cass. N.* 16. *Ost. l.* 1. *c.* 30. (15) *Disco ex mensura Passus ab eo definita, qua Campanos usos in agrorum modis metiendis antiquæ Char. docent.* (16) *Anon. Sal. inedit. dicit*, adversùs Pr. Sal. *utrumque verum Ign. Cass. N.* 23. (17) *Uxorem apud Ign. Cass. N.* 21. (18) Gastald. *dicit Ign. Cass. N.* 16. (19) *Sed vide an de illo Ost. l.* 1. *c.* 25. (20) *Ost. l.* 1. *c.* 30. *tacet de Landonulfo.* (21) *Ign. Cass. N.* 23. (22) *Uxorem. An. Sal. P.* 5. *n.* 3. *eum vide P.* 2. *n.* 2. (23) *Ign. Cass. N.* 16. (24) *Equidem Erchempertus non propalat; adfirmant tamen Ign. Cass. N.* 32. *& Chr. Com. Cap. N.* 5.

qui Capuam obsidet, & obtinet, suisque Judicibus, *seu Primatibus* singulis ferè mensibus regendam, atque in prædam (1) tradit. N. 32. *Sed is nil animo destitutus*, in amicitiam Imperatoris se insinuat, à quo auxilia in Saracenos petit, & obtinet, eosque bello delet: (2) bonum hoc unum in vita operatus. N. 35. constituitur in ejus Regno tertius, ac temporis opportunitate usus, se Primatem fieri, & Campanam Ecclesiam super omnes CisTyberinas exaltari, Guaiferium Pr. Saler. dejici studet: nil adsequitur, mortuo Imperatore, & à suis nepotibus bello fatigatus, rerum vicissitudini deseruit, ejusdemque Principis in eos advocat auxilia, quibus mox concordat. N. 36. Obiit tandem pænè impœnitens. N. 40. injusta, sive imprudenti divisione oppida Campanæ ditionis nepotibus dispertitus N. 31.

VI. Landulfus filius Pandonis mortuo patre secedit Capuâ unà cum fratribus, & Casamirtam, *Campanæ Dynastiæ oppidum*, se recipit. &c. N. 30. *Hujus proles ignota.*

VII. Pandonulfus fil. Pandonis, mortuo patre suffectus est Comes Capuæ à patruo Landulfo Episcopo, à quo mox discrepat, ac volens urbe abit: (3) Suessulam intrat, adjacentia Capuæ loca cum fratribus vastat; patruelibus, filiis Landonis, & Landulfo patruo concordat, ab utrisque discedit, deque hoc apud Imperatorem conquestus, Capuam redire recusat. N. 30. Patruo Landulfo vitâ functo, & Campana ditione concordi omnium patruelium voluntate trifariam dispertita (*adinstar scilicet trium filiorum senioris Landulfi, ex quibus filii remanserant*) ipsi, & fratribus obtigit urbs Teanensis, & Casairta. N. 40. (4) *Capuâ communi omnium juri, & domicilio adjudicatâ, cujus Gastaldatum, sive administrationem unus obtinet, isque idem Pandonulfus, sicut ex* (5) *subsequentibus constat.* Ille verò ejusque fratres cupiditate accensi, & Calvi oppidi constructione offensi, duos filios senioris Landonulfi captivos faciunt, quibus Cajatiam quoque adimunt. N. 40., & 45. ablatâ pariter Suesâ filiis Landonis senioris. N. 45. eodemque tempore patruelem Landulfum Electum Capuæ Episcopum Pandonulfus è Claustro, *hoc est, ex ædibus, & domicilio Episcopo, & Canonicis communi*, ejicit, & Landonulfum fratrem loco ejus instituit. &c. N. 46. quem consecrari obtinet (6) à Joanne Papa VIII.; (7) quia Capuam eidem subjecerat. N. 47. sæva inde civilia exorta bella. N. 41. 42. 43. 46., & 47., quæ Pandonulfus Athanasio Episcopo Neapolis, & Magistro Militum sociatus dirè in utrosque patrueles exercet. N. 44., & 45. Nobilissimam veteris Capuæ Ecclesiam (8) *à Constantino Magno Apostolis extructam* exuri per Saracenos mandat. N. 47. Ei sociatur Gaideris Pr. Beneventi. N. 48. quem Athanasius deserit, ac intra Capuæ mœnia obsidet. Advocat ille cognatum Radelgisum noviter institutum Principem Beneventi. N. 49., sed tandem concordat patruelibus, quos (9) intra urbem recipit (de hoc enim diffidebant N. 42., & 43.) sed fraude ab illis captus Neapolim cum filiis relegatur. N. 50. Ab Athanasio dein solutus Suessam se transfert, & Capuæ agros populatur. N. 60. *Nec de illo, deque ejus filiis alia tradita habentur.*

VIII. Landonulfus fil. Pandonis, mortuo patre, secedit Capuâ unà cum fratribus, atque Cajatiam *Campanæ Dynastiæ oppidum* se recipit, &c. N. 30. (10) Licèt conjugatus, & recenter clericali ordine initiatus Pandonulfi fratris factione ordinatur Episcopus Capuæ, cujus Episcopatum dimidium obtinet, sic schismate componente (11) Joanne Papa 8. N. 46. & 47. Fraude captus à patruelibus, Neapolim relegatur. N. 50. *Hujus proles ignota; nescioque an idem sit ille, de quo Formosus Papa in Epist. ad Stilianum, obtinueritque iterum Episcopatum, sive nudum nomen servaverit.*

IX. N. N. feminini sexus filiæ Landonis senioris, quarum (12) una conjux Guaiferii; qui factione patruorum uxoris factus est Princeps Sal. N. 26. & adstitit cognatis contra Landonulfum Episc. N. 28. & contra Pandonulfum Comitem Capuæ. N. 41. 42. & 43. Ex his duos dat ille pro se obsides Imperatori. N. 36.

X. Landulfus fil. Landonis senioris gener Sergii Magistri Mil. cujus ope Suessulam *è fratrum, & patruelium indivisa ditione, atque è Campani Comitatus Dynastia divulsam*, sibi soli *præter morem* vendicat, quam nunquam dimisit. N. 23. eidem Sergio adstat contra patrem, & fratrem Landones. N. 26. Fratres à patruis Capuâ expulsos commiseratus Suessulæ recipit. N. 28. *Verùm hic Landulfus sit ne idem ille, qui Casamirtam cepit. N. 28. & à Guaiferio Pr. datus est obses Imperat. N. 36. an frater alter cognominis: sive secundus hic Landulfus sit* (13) *Landonulfus, ita ut textus* (14) *vel uterque, vel alter censendus sit depravatus, non dijudico. Ab eodem tamen Principe, ut reor, obtinuit prior ille Landulfus Castrum Abellanum*, in quo obsessus ab Athanasio Episc. Neap. & Mag. Mil. (15) etsi nepote uxoris suæ, proditus ab oppidanis capitur. N. 67. ejus filii. Ibid.

XI. Lando (16) fil. Landonis senioris ob ætatem dictus junior. N. 27. qua procedente adpellatus senior. N. 56. ingentem victoriam obtinet de Neapolitanis. N. 27. *Sed ibi Pando dicitur ejus Avunculus minùs propriè, qui dicendus erat* Patruus, *ni de altero ignoto Pandone est sermo.* A patre vitâ decedente commendatur patruis, à quibus (17) Gastaldatu exutus, Capuâ extruditur unà cum fratribus. Cajatiam occupat: mox amittit, & ad fratrem Landulfum Suessulanum se recipit; cui Guaiferius Pr. (ejus cognatus. N. 36.) armis favet. N. 28. illumque, & fratrem dat pro se obsides *Angelbergæ* Augustæ *uxori Imp. Ludovici.* Illi verò paulò post dimissi conjurant cum patruelibus fil. Pandonis, in damna patrui Landulfi Episc. Sed tandem omnes eidem Landulfo concordant operâ Guaiferii. N. 36. Episcopo defuncto, & Campana Dynastia in tres partes dissecta, Landoni huic, & fratribus cessit (18) Berelais, atque Suessa. N. 40. quibus Pandonulfus Suessam adimit. N. 45. illique sociantur patruelibus aliis, fil. Landonulfi senioris, & in illum advocant Guaiferium Pr. unde damna utrinque inlata, & excepta. N. 41. 42. & 43. conveniunt pro componendo Campano schismate. N. 47. Commorantes, *ac tuentes se* in Colosso, *tanquam in munitissima Arce, hoc est, in lapideo Amphitheatro antiquæ urbis* à Pandonulf. obsidentur, & devicti pacem obtinent. N. 44. ab eodem

Ca-

(1) *Vide Chronol. Com. Cap. N. 5. par. 3. & 16.* (2) *Aliàs quoque vir frugi est Joanni 8. Ep. 9. 25. 29. 36. 50. & 69.*
(3) *An* Suessam, *sicut apud Ign. Cass. N. 31. quò iterum se recepit? N. 60.* (4) *Hoc, ut puto, improbabat Erchempertus N. 31. fine.* (5) *Et ex Chr. Com. Cap. N. 6. & ex Ost. l. 1. c. 42.* (6) *Ejus vide Epist. 168. 169. & 215.*
(7) *Ost. l. 1. c. 42.* (8) *Vide Anon. Sal. Par. 1. N. ult. & ibi Notas.* (9) *Chr. Com. Cap. N. 6.* (10) *Chr. Com. Cap. N. 6. Ost. l. 1. c. 40.* (11) *Illum vide Ep. 248. 270. Chr. Com. Cap. N. 6. & Ost. l. 1. c. 40.* (12) *Dicitur.* Landelaicha. *Anonymo Sal. ined. quam* oculo glaucosam *describit, sed ob præstantes mores à Guaiferio expetitam, & sorori prælatam.* (13) *De quo hic inf. N. 12.* (14) *Et apud Anon. Sal. Par. 5. N. 2.* (15) *Vide Stemma Ducum Neap.* (16) *Joannes* 8. *Epist. 205.* (17) *Chr. Com. Cap. N. 2.* (18) *Nomine hujus loci certè nobilioris loca veniunt veteris Capuæ tunc non prorsus deserta, in quæ urbs abierat jam olim à Vandalis incensa.*

Capuæ suo damno recepti. N. 50. At Lando *annis gravis, & altero advivente Landone ætate* senior serò nubit (1) nepti Athanasii Episc. Neap. N. 53. Apoplexiæ morbo *à patre sibi hæreditario* obiit N. 56. *Hujus proles ignota*.

XII. Landonolfus fil. Landonis senioris, Capuâ digressis patruelibus, solus ibi relinquitur. N. 63. quo tempore Atenulfus patruelis Gastaldatum invadit, eumque & fratrem, & (2) Guaiferium nepotem ejus inde expellit, qui Teanum ad patruelem Landonem se recipiunt. N. 64. *Hic an sit Landulfus, qui Casamirtam cepit. N.* 28. *& obses datus est Imperatrici. N.* 36. *indefinitum mansit sup. N.* 10. *Si verò idem est ille, certè* (3) *exul obiit Salerni, ubi genus mansisse oportet suum*.

XIII. Pando fil. Landonis senioris cum fratre Landonulfo, & nepote Guaiferio Teanum Capuâ expulsus secedit. N. 64. (4) *cum fratre exul manet Salerni*. &c.

XIV. Lando fil. Landonulfi senioris unà cum fratribus obtinet Calinium, & Cajatiam, naturâ segnis, (5) filium electum Episc. Capuæ haud urget mox consecrari, captis fratribus Atenulfo, & Landonulfo, itemque, Castro Cajatiæ à patruele Pandonulfo. N. 40. sociatur patruelibus, filiis Landonis senioris, & Guaiferium Pr. advocat. N. 41. Calvum oppidum à fratre Atenulfo construi ceptum *intra fines ditionis Calinii incurrentes in fines Capuæ* N. 40. perficit. N. 45. Recusat Pandonulfum subdi Gaideri Pr. Ben. suo cognato *conditionibus pacis* offensus. N. 42. à quo Principe desertus, illum in ordinem redigi curat. N. 48. Calvum contra Pandonulfum tuetur, & incensum reparat. N. 45. copulatur Athanasio Episc. Neap. cum fratribus, & patruelibus, filiis Landonis senioris. N. 49. Pandonulfo patrueli concordat eodem Athanasio auctore, eumque Capuâ ejicit. N. 50. constituitur (6) Gastald. à fratribus. N. 62. Saracenos conterit. N. 55. Spoletium adit; indeque regressus Neapolitanis occurrit &c. N. 60. contradicit fratri Atenulfo. N. 62. infirmus Teanum secedit, & conspirationem ejusdem Atenulfi parvipendit. N. 63. Teani manens, creditur à patruelibus, fil. Landonis senioris, adstare Capuæ in discidio excitato ab Atenulfo, quos amicabiliter excipit. N. 64. Capuam conatur, sed frustra, recuperare, & ad (7) propria redit. N. 68. *ejus proles obscura*.

XV. Landonulfus, (8) sive Landulfus fil. Landonulfi senioris carceri mancipatur unà cum fratre Atenulfo à patruele Pandonulfo, N. 40. unitus fratribus, & patruelibus, filiis Landonis senioris, auxilia petit Guaiferii Pr. Saler. N. 41. liber redditur. &c. N. 42. Jisdem sociatus fœderatur cum Athanasio Episc. Neap. & Pandonulfum Capuæ obsidet, secumque habet Amalfitanos. N. 49. Landone fratre ægrotante, & Teanum recedente, Capuæ manet, (9) *ejusque vice Gastaldatum administrat*. Atenulfum unà cum fratribus adloquitur. Teanum pergit ad invisendum fratrem Landonem. (10) N. 63. *ejus proles ignota*.

XXI. (11) Atenulfus fil. Landonulfi senioris cœpit ædificare Castrum in Calvo *intra fines Calinii*, quod oppidum sibi, & fratribus in partem obvenerat, *sed in confinio Capuæ*. De quo offensi patrueles, filii Pandonis, illum, & fratrem ejus carceri tradunt. N. 40. & 45. liber redditur. N. 42. cum fratribus, & patruelibus sociatur Athanasio contra patruelem Pandonulfum. N. 49. cui concordat, sed fraude. N. 50. Ab eodem Athanasio ad conloquium invitatur. N. 53. adit Guidonem Ducem Spoletii, eumque Capuam venientem comitatur. N. 59. & 79. vult Gastaldatum Capuæ sibi adserere, sed repellitur. Athanasii opem implorat. N. 62. redarguitur à fratribus. N. 63. occupat tandem. N. 64. (12) *Cætera de hoc Atenulfo clara sunt, ipseque clarissimus. Cujus posteri Beneventi Principat.* (13) *tenuere perpetuis annis* 177.

XVII. N. feminini sexus fil. Landonulfi senioris, à patre obses data filio Siconulfi Pr. Sal. N. 22.

XIIX. XIX. XX. } Filii, & filiæ, Pandonulfi Com. & Landonulfi Episc. exules cum patribus Neapolim missi. N. 50. Ex filiis Pandonulfi una uxor filii Gaideris Princ. Ben. N. 48.

XXI. Lando fil. Landulfi Suessulani. N. 67.

XXII. N. fil. junior Landulfi Suessulani. N. 67.

XXIII. Landulfus (14) fil. Landonis segnis, ætate adolescens, electus Episc. Capuæ. N. 40. A Pandonulfo patruele sibi timens, urbe secedit &c. N. 46. concordat cum Landonulfo Episc. contra se instituto. N. 47. obtinet (15) integrum Episcopatum. N. 50. pergit Spoletium. N. 60. carceri traditur ab Atenulfo patruo. N. 68. & 78.

XXIV. Landulfus }
XXV. Atenulfus } fil. Atenulfi. De his iterum alibi.

(1) *Quam dicit.* Lactentem *ob amorum imparitatem*. (2) *Sic dictum è nomine Guaiferii Pr. qui* cognatus *erat Landonulfi; sed obscurum cujus ille filius*. (3) *Anon. Sal. P.* 5. *n.* 2. (4) *Anon. Sal. Par.* 5. *n.* 2. (5) *Joannes* 8. *ep.* 289. *Chr. Com. Cap. n.* 7. (6) *Chr. Com. Cap. n.* 7. (7) *An* Teanum? *non negaverim: licèt urbs illa, & Casairta cessissent Pandonulfo, qui ab Athan. dimissus, neutrobi se recepit: amiserat enim illas. Sed Teanum, & hic Lando postea amisit, ut alibi dicam.* (8) *Vide me in Chronol. Com. Cap. n.* 8. (9) *Chr. Com. Cap. n.* 8. *vide me ibi*. (10) *Varians lectio hunc appellat*. Landulfum. *Sicut Auctarium ad Ign. Cass. n.* 32. *Sed & Joannes* 8. *epist.* 205. *meminit* Landulfi filii Landonulfi. (11) *De hoc Joannes* 8. *epist.* 289. (12) *Mater in Anon. Sal. Par.* 5. *n.* 3. (13) *Ost. l.* 1. *c.* 50. *prima Edit. & ipsum Auto. Cass.* (14) *Joann.* 8. *epist.* 205. 206. 207. 208. 214. 248. 270., *&* 289. *Chr. Com. Cap. n.* 6., *&* 7. (15) *Chr. Com. Cap. num.* 6.



HISTORIA
LANGOBARDORUM BENEVENTI
POST PAULUM DIACONUM
Hoc est
DOMNI ERCHEMPERTI
Monachi Cassinensis
AUCTARIUM
Ad Historiam Pauli Diaconi de gestis Langobardorum usque ad annum DCCCLXXXVIII.

I. Angobardorũ seriem, egressum, situmque Regni, hoc est originẽ eorum, vel quomodo de Scandavia Insula egressi ad Pannoniã, & iterum à Pannonia ad Italiam transmigraverunt, Regnumque susceperunt, Paulus vir valde peritus, compendiosa licèt brevitate, sed prudenti composuit ratione, extendens nihilominus à Gammara, & duobus liberis ejus Historiam Ratchis poenè usque Regnum. (1) In his autem non frustra exclusit ætas loquendi, quoniam in eis Langobardorum defecit Regnum: mos etenim Historiographi Doctoris est, maximè de sua stirpe disputantis, ea tantummodo retexere, quæ ad laudis cumulum pertinere noscuntur. Ultimò autem compulsus à compluribus ego (2) Erchempertus quasi ob ortu, præcipuèque ab Algelgiso insigni, sagacique viro Historiolam condere Langobardorum Beneventi degentium, de quibus (3) à nostris diebus nihil dignum, ac laudabile reperitur, quod veraci valeat stylo exarari, idcirco non Regnum eorum, sed excidium; non felicitatem, sed miseriam; non triumphum, sed perniciem; non quemadmodum (4) profecerunt, sed qualiter defecerunt; non quomodo alios superaverint, sed quomodo superati ab aliis, ac devicti fuerint, ex intimo corde ducens suspiria ad posteritatis exemplum, succincto licèt, & inerti prosequar calamo. Hac quoque flagitatione devictus, non tantùm ea, quæ oculis, sed magìs, quæ auribus hausi, narrare me fateor, imitatus ex parte dumtaxat Marci, Lucæque Evangelistarum præconia, qui auditu potiùs, quàm visu Evangelia descripserunt.

II. Igitur captâ, ac (5) subjugatâ (6) Carolus Italiâ, Pipinum filium suum illic Regem (7) constituit. Tunc ille stipatus innumerabili exercituum agmine, crebriùs Beneventum adiit capessendum. Quo tempore (8) Arichis gener jam fati Desiderii, vir Christianissimus, & valde (9) illustrissimus, atque in rebus bellicis strenuissimus Beneventi Ducatum regebat, qui audiens

(1) al. add. *sive Arichis* copulativè pro. &.
(2) *Herempertus*.
(3) *annis diebus*.
(4) *præfecerunt*.

(5) ann 774.
(6) *à Carolo*.
(7) ann. 781.
(8) *Arrichis* alii aliter. (9) *Illustris*.



HISTORIA
LANGOBARDORUM BENEVENTI
POST PAULUM DIACONUM
Hoc eſt
DOMNI ERCHEMPERTI
Monachi Caſſinenſis
AUCTARIUM
Ad Hiſtoriam Pauli Diaconi de geſtis Langobardorum uſque ad annum DCCCLXXXVIII.



I. Langobardorũ ſeriem, egreſſum, ſitumque Regni, hoc eſt originẽ eorum, vel quomodo de Scandavia Inſula egreſſi ad Pannoniã, & iterum à Pannonia ad Italiam tranſmigraverunt, Regnumque ſuſceperunt, Paulus vir valde peritus, compendioſa licèt brevitate, ſed prudenti compoſuit ratione, extendens nihilominus à Gammara, & duobus liberis ejus Hiſtoriam Ratchis pœnè uſque Regnum. (1) In his autem non fruſtra excluſit ætas loquendi, quoniam in eis Langobardorum defecit Regnum: mos etenim Hiſtoriographi Doctoris eſt, maximè de ſua ſtirpe diſputantis, ea tantummodo retexere, quæ ad laudis cumulum pertinere noſcuntur. Ultimò autem compulſus à compluribus ego (2) Erchempertus quaſi ob ortu, præcipuèque ab Algelgiſo inſigni, ſagacique viro Hiſtoriolam condere Langobardorum Beneventi degentium, de quibus (3) à noſtris diebus nihil dignum, ac laudabile reperitur, quod veraci valeat ſtylo exarari, idcirco non Regnum eorum, ſed excidium; non felicitatem, ſed miſeriam; non triumphum, ſed perniciem; non quemadmodum (4) profecerunt, ſed qualiter defecerunt; non quomodo alios ſuperaverint, ſed quomodo ſuperati ab aliis, ac devicti fuerint, ex intimo corde ducens ſuſpiria ad poſteritatis exemplum, ſuccincto licèt, & inerti proſequar calamo. Hac quoque flagitatione devictus, non tantùm ea, quæ oculis, ſed magis, quæ auribus hauſi, narrare me fateor, imitatus ex parte dumtaxat Marci, Lucæque Evangeliſtarum præconia, qui auditu potiùs, quàm viſu Evangelia deſcripſerunt.

II. Igitur captâ, ac (5) ſubjugatâ (6) Carolus Italiâ, Pipinum filium ſuum illic Regem (7) conſtituit. Tunc ille ſtipatus innumerabili exercituum agmine, crebriùs Beneventum adiit capeſſendum. Quo tempore (8) Arichis gener jam fati Deſiderii, vir Chriſtianiſſimus, & valde (9) illuſtriſſimus, atque in rebus bellicis ſtrenuiſſimus Beneventi Ducatum regebat, qui audiens

(1) al. add. *ſive Arichis* copulativè pro. &.
(2) *Herempertus*.
(3) *annis diebus*.
(4) *præfecerunt*.

(5) ann 774.
(6) à *Carolo*.
(7) ann. 781.
(8) *Arrichis* alii aliter. (9) *Illuſtris*.

audiens eos super se adventare, Neapolitibus, qui à Langobardis diutina oppressione fatigati erant, pacem cessit, eisque diaria in (1) Liburia, & Cemiterio per incolas sancita dispensione misericordiæ vice distribuit; titubans, ut conjici valet, ne ab eorum versutiis Franci aditum introëundi Beneventum reperirent. Super Beneventum autem gallico exercitu perveniente, prædictus Arichis viribus, quibus valuit, primò fortiter restitit, (2) postremò autem acriter præliantibus, universa, (3) ad locustarum morem, radice tenus corrodentibus, magis civium (4) saluti, quàm (5) liberorum affectibus consulens, geminam sobolem, vice pignoris, jam dicto tradidit Cæsari, hoc est Grimoaldum, & (6) Adelgisam, simulque cunctum thesaurum suum; ex quibus Adelgisa multis cum (7) precibus proprio restituta fuit genitori: Grimoald verò secum remeans detulit Aquis, collata Arichi pace sub fœdere pensionis.

III. Nactus itaque hanc occasionem, & ut ita dicam, Francorum territus metu, inter Lucaniam, & Nuceriam urbem munitissimam, & (8) præcelsam in modum tutissimi Castri idem Arichis opere (9) mirifico munivit, & novâ fabricâ reparavit; quæ civitas propter mare contiguum, quod salum appellatur, & ob rivum, qui dicitur Lirinus, ex duobus corruptis vocabulis Salernum appellatur; ut esset scilicet futurum præsidium Principibus, superveniente exercitu Beneventum, quam Civitatem (10) sic idem Princeps fortificavit. (11) *Hic Arichis primus Beneventi Principem se appellari jussit, cùm usque ad istum, qui Benevento præfuerant, Duces appellarentur; nam & ab Episcopis ungi se fecit, & coronam sibi imposuit; atque in suis chartis scriptum in Sacratissimo nostro Palatio in finem scribi præcepit.* Infra Beneventi autem mœnia Templum Domino opulentissimum, ac decentissimum condidit, quod Græco vocabulo (12) Ἁγίαν Σοφίαν, idest, Sanctam Sapientiam, nominavit, (13) ditatumque amplissimis prædiis, & variis opibus, sanctimoniale Cœnobium statuit, idque sub (14) jure D. Benedicti in perpetuum tradidit permanendum. Pari etiam modo in territorio prædicto Alfano, Dei amabili viro, in honorem Domini Salvatoris (15) construxit Ecclesiam, & Monasterium Puellarum instituit, atque ditioni Sanctissimi Vincentii Martyris subdidit.

IV. (16) Defuncto dehinc (17) Arichi, consilio habito Beneventanorum Magnates Legatos ad Karolum destinarunt, multos eum flagitantes precibus, ut jam fatum Grimoald, quem à genitore obsidem jam priore susceperat, sibi præesse concedere dignaretur. Quorum petitionibus Rex annuens, illic continuò prædictum contulit virum, simulque jus regendi Principatum largitus est; sed priùs (18) pactis hujusmodi (19) vinxit. *Ut Langobardorum mentum tonderi faceret.* (20) *Chartasque verò, nummosque sui nominis characteribus superscribi semper juberet.* (21) *Ac muros Salerni, Acherentiæ, & Consiæ funditùs everteret.* Acceptâ denique licentiâ repedandi, à Beneventi civibus magno cum gaudio acceptus est. In suis aureis ejus nomen aliquandiu figurari placuit; schedas similiter aliquanto jussit tempore exarari reliqua autem pro nihilo duxit observanda; mox rebellionis jurgium initiavit.

V. Hac etiam tempestate idem Grimoald neptem Augusti Argivorum in conjugem sumpsit, nomine (22) Wantiam; sed nescitur quam ob rem ad fructum minimè pervênit. In tantum enim odium primus eorum avidus prorupit amor, ut sumpta occasione (23) Francorum circumquaque se (24) impugnantium, more Hebraico, sponte eam à se (25) sequestrarit, & dato ei libello repudii, ad proprios lares eam vi transjecit. Hoc quidem licet callidè egerit, feritatem tamen supradictarum (26) Barbararum gentium minimè (27) quietavit; nam tellures Theathensium, & urbes à dominio Beneventanorum (28) tunc subtractæ sunt usque in præsens; nec non Luceriæ urbs tunc (29) capta est, sed celeriter à præfato Grimoald acquisita, apprehenso in ea Guinichiso Duce Spolitensium cum omnibus bellatoribus inibi repertis.

VI. Frequenter autem Karlus cum cunctis liberis, quos jam Reges constituerat, & cum immenso bellatorum agmine Beneventum præliaturus aggreditur. Sed Deo decertante pro nobis, sub cujus adhuc regimine fovebamur, innumerabilibus de suis peste perditis, cum paucis nonnunquam inglorius revertebatur; unde factum est, ut Pipino regnante in Ticino, & Grimoald in Benevento præsidente, frequentissimum bellum vexarit Beneventanos, ita ut nec ad momentum pax interfuerit, illis viventibus. Erant enim utrique juvenili ætate (30) nitentes, & ad conjunctiones, & bella declivi. Pipinus autem fultorum præsidio bellatorum jugi, continuoque prælio exagitabat eum: Grimoald verò, & civitatibus munitis, & primoribus quamplurimis constipatus, parvipendens, ac (31) despectiùs ducens illius persecutionem, in nullo cedebat ei. Agebat itaque per Legatos (32) suos Pipinus. *Volo quidem, & ita potenter disponere conor, ut* (33) *sicuti Arichis genitor illius subjectus fuit quondam Desiderio Regi Italiæ, ita sit mihi & Grimoald.* Quibus è contrario Grimoald asserebat.

Liber, & ingenuus sum natus utroque parente,
Semper ero liber, credo, tuente Deo.

VII. Et hoc quidem de hac luce (34) subtracto, Grimoald alter suscepit Beneventi jura tuen-

(1) *Liguria*, nec unquam aliter in Papp. Cod.
(2) ann. 787.
(3) *adinstar locustarum*.
(4) deest *saluti*.
(5) *pro liberorum*.
(6) *Aldechisam*. *Adelchisam*.
(7) *Procerib.*
(8) *praexcelsam*.
(9) *munifico*.
(10) *hic*.
(11) Deest in omnibus scriptis Codd. ex Ostiensis verò l. 1. c. 9. visum est huic reddere loco.
(12) *Agiam Sophiam* literis Latinis.
(13) *dotatumque*.
(14) *nomine*.
(15) *constituit*.
(16) ann. 787.
(17) *Arrichiso*.
(18) *cum salibus*. for. *eum Sacramentalibus*.
(19) *junxit*.
(20) *Schedas quoque*.
(21) Ista non sunt in scriptis Codd., sed addidi ex Anon. Saler. eaque subsequens contextus expetebat.
(22) *Irriantiam*.
(23) ann. 793.
(24) *repugnantium*.
(25) *sequestravit*.
(26) deest. *Barbararum*.
(27) *quievit*.
(28) ann. 800. & 801.
(29) ann. 802.
(30) deest. *nitentes*.
(31) *despectum*.
(32) deest. *suos*.
(33) *Samniti*.
(34) ann. 806.

tuenda, Thesaurarius videlicet divæ memoriæ Grimoald prioris: vir satis mitis, & adeò suavis; ut non solùm (1) cum Gallis, verùm etiam cum universis circumquaque gentibus constitutis inierit fœdus; & Neapolitibus supramemoratis gratiam, pacemque donarit. Sed quia antiquus hostis semper invidet pacatis, & piis viris, atque bella, & discordiæ semina in eis serere molitur, Dauferium quendam virum spectabilem suæ artis (2) malitiâ (3) irretivit, & cum nonnullis filiis Belial horrendum fecit inire consilium adversùs Principem fatum hoc modo. Depositis quippe in itinere insidiis, ut dum per pontem proficisceretur veterrimæ urbis ad prædictam urbem (4) Salernum properans, impulsus à membris Sathanæ in profundum fluctibus marinis immergeretur, & esset belvis in pastu. Sed revelante sibi (5) occultorum cognitore Deo, suis ad se accersitis, jam dictum incolumis pertransiit pontem. Eos autem, qui suæ salutis hostes fuerant, cœpit, & vinculis injecit; Dauferius verò, quia tunc non aderat illic, hoc cognito fugam arripuit, & à (6) Neapolitis susceptus est.

VIII. Quo comperto Grimoald, non segniter egit, sed confestim iter Neapolim aggreditur, exercitumque post se accelerare jubet. At ubi juxta memoratam applicuit urbem, continuò multæ juventutis populus ejusdem civitatis, armis evectus, obvius illi audaciter exivit in prælium. Quod ille ut intellexit, protinùs itinera eorum revertendi priùs (7) irretire molitus est, & ita demum in eos insurgere voluit; tantamque denique stragem hostium, cœpto bello, mari, terraque fecit, ut fretum adjacens vix per septem, & eo ampliùs dies cruore occisorum purgaretur: in terra verò tumuli nunc usque interfectorum conspiciuntur cadaverum; &, ut ab eisdem incolis referentibus compertus sum, (8) quinque millia ferè hominum eadem tunc in acie occubuere. Idem enim Dauferius unà cum Magistro militum, qui tunc inibi regnabat, soli elapsi fugibundi mœnia illius urbis tandem ingressi, nec ibi siquidem requiem capiunt; nam egressæ conjuges virorum peremptorum gladiis insequebantur illos, dicentes. *Reddite nobis, ò caduci viri (9) proditores, quos nequiter interfecistis. Quare*, inquit, *adversùs eos prælium insurgere conati estis, quàm profectò injustum satis?* Grimoalt verò acriùs eos (10) insecutus est usque ad Portam, quæ dicitur Capuana, ita ut proprio conto eam percuteret, nec erat quisquam, qui resisteret. Clausis autem, obseratisque foribus, qui remanserant (11) infra muros se tutaverunt. Reverso igitur Grimoalt ad Castra cum suo exercitu incolumi, altero die pro fastigio sumpto, & pro interemptis affinibus dictus perfuga Dux dedit in exenium octomillia aureos supradicto Principi, & memoratum Dauferium ad pristinam reduxit gratiam. Sta-

(1) ann. 812., & 814.
(2) deest. *malitia*.
(3) *inivit*.
(4) *Salerni*.
(5) *incognitorum occultore*. for. *oculatore*: verbo à se confictio.
(6) *Neapolitanis*.
(7) *irretiri*.
(8) $\frac{M}{V}$ & sic semper.
(9) *propitori*. corruptè.
(10) *insectus*.
(11) *intra*.

A tim denique ob solitam misericordiam prædicto viro donationem de rebus suis præcepto firmavit; gratiam verò, familiaritatemque primam non denegavit. Interea Radechis Comes Consinus, & Sico (12) Agerentinus Gastaldeus, quem (13) Grimoalt dudum proselytum receperat, honoribus plurimis deferens, sub dolo insurgentes in eum, cùm jam extremum spiritum traheret, (14) gladio eum peremerunt.

IX. Interfecto eo innocenter, prædictus Radechis Siconem loco illius in Principem subrogavit. Ipse verò non multum post tempus cuncta viriliter mundana, metu gehennæ abdicans, ad Beati se contulit Benedicti suffragia, catenâque cervice tenus vinctus, ejus Cœnobium,
B Christo militaturus, adiit, se (15) reum quoque clamitans, & impium, malèque se gessisse, atque crudeliter vociferans; sicque Monachicum schema sumens, in tanta se districtione corporis, animique coram oculis interni arbitris in eodem Monasterio coërcuit, ut nulli scrupulum adsit omnium facinorum suorum veniam adipisci meruisse. Circuibat illò sæpe Diabolus girans septa (16) sacri Monasterii, & voce perspicua, multis audientibus, clamitabat, inquiens.

Heu Benedicte mi, cur me undique rodis? inique,
Me priùs hinc pulso, nunc mea membra (17) lucras.

C X. Suscepto itaque (18) Sico Principatu, fœdus cum Francis (19) innovavit, Beneventanos bestiali efferitate persequitur, atque se superstite filium suum Sicardum, virum satis lubricum, inquietum, & petulantem, animique elatione tumidum (20) hęredem Principatus effecit. Per idem tempus Neapolitis, quorum superiùs mentionem fecimus, bellum à Sicone creberrimum motum est, & civitate validè obsessa tellure, pontoque, & fortiter scorpionibus, & jaculis oppugnata, pœnè capta esset, (21) si defuisset ingenium; nam juxta ora maris, muro arietibus, & machinis funditùs eliso, jam cùm catervatim Siconis populus urbem ingredi niteretur, Dux jam dictæ civi-
D tatis, data mox obside genitrice sua, ac duobus propriis liberis, magnopere (22) eum callida arte efflagitans, per nuncios misit ita. *Tua est urbs cum universis, quæ infra se retinet; placeat ergo pietati tuæ jubere, ne inter prædam detur; crastina (23) enim die cum trophæo victoriæ gloriosissimè ingredere, possessurus nos, omniaque nostra*. His ergo suggestionibus fidem accommodans, diem sustinuit (24) venturum; subsequenti verò nocte interrupta urbs muro solidissimè firmata est, & crepusculo, quo se, suamque tradere pollicitus est civitatem, arma bellica suscipiens, contra eum se erexit ingenti certamine. Oppressi igitur duriùs à genitore, & filio per (25) sexdecim continuos annos ci-
E ves præfatæ urbis, cùm jam ad extremitatem maxi-

(12) *Agentinus*.
(13) Vide Tumulum Pr. Siconis. infra.
(14) ann. 817.
(15) *parricidam*.
(16) deest. *sacri*.
(17) *luxas*.
(18) *à Sicone*.
(19) ann. 818.
(20) deest. *hæred. Princ. eff.*
(21) *si non*.
(22) deest. *eum*.
(23) deest. *enim*.
(24) *subventurum*.
(25) Usque ad ann. 836. Vide Capitul. Sicardi inf.

maximam pervenissent, ad Francorum se (1) contulere præsidium. His denique diebus præerat (2) iis Cæsar Lodoguicus cognomento Almus filius Caroli superioris Augusti; qui dum Lutharium natum suum consortem Regni (3) adsciret, ab eo unà cum socia sua (4) captus, & custodiæ mancipatus est; sed ab optimatibus suis (5) ereptus, ad pristinam sublimatus est gloriam; quibus annitentibus obsidio Neapolis ab illis aliquandiu sublevata est.

XI. Circa hæc tempora gens Agarenorum à Babylonia, & Africa, ad instar (6) examinis Apum, manu cum valida egrediens, (7) Siciliam properavit, omnia circumquaque devastans; tandem civitatem insignem, Panhormum nomine, captam nunc usque commoratur, plurimasque in eadem Insula urbes, & oppida diruens, jam penè tota illarum gentium ditioni (8) substrata congemiscit. Inter hæc (9) moritur Lodoguicus, qui secundus in Gallia Augustali præerat Imperio, Luthariusque supradictus illius Regni hæres effectus est, atque (10) ob hoc (11) Francorum divisum est Regnum; quoniam Lutharius Aquensem, & Italiam, Lodoguicus autem Bajoariam, Carolus verò ex alia ortus genitrice Aquitanum regebat Imperium. Sed retrovertam sermonem.

XII. Mortuo (12) Sicone, Sicardus Monarchiam solus obtinuit, qui jam cum patre sæpius memorato per aliquot feliciter imperaverat annos, cœpitque populum sibi commissum ex levitate animi belluina voracitate insequi, ac crudeliter laniare. Inter hæc, (13) ut Assuerus Aman, ita iste prætulit cæteris Roffridum quendam, filium Dauferii cognomento Prophetæ; cujus consilii subversione multa sacrilegia, ac (14) blasphema patrabat. Fuit autem idem vir in mundanis rebus prudens, & nimiùm (15) versutus, & ultra quàm credi potest callidus; adeò enim circumvênit præstigiis suis fallacibus supradictum virum, ut illo (16) absente, & dissentiente nil unquam exercere, vel ad momentum (17) efferre auderet. Sicque ab eo deceptus, & illaqueatus est, ut germanum suum, Siconolsum nomine, gratis perpetuo damnarit exilio, cunctosque Beneventanæ gentis Proceres, aut custodiis, aut morti indiderit: ad hoc nimirum tendens, ut dum relictus, & destitutus esset solatio optimatum, citra (18) sui, suorumque sanguinis effusionem facillimè interimeretur. Quamobrem, & Majonem cognatum suum tonderi jussit, & in Monasterium (19) retrudi. Alfanum denique, quo nemo fidelior eo tempore fuit, virum illustrem, ac fortissimum, robore laqueo suspendi fecit. Tunc factum est ingens perjurium in Benevento, ex quo conjicitur iram Dei fuisse provocatam ad perdendam terram.

XIII. Talia eo tractante, Divina actum est (20) dispensatione; ut dum alium innocentem conaretur extinguere, præveniente interim languore, ipse cælitùs spiritu pariter, & carne percussus (21) interierit. Priùs enim quàm obiret, ut cumulus suæ perditionis justiùs augeretur, pro amore pecuniæ spectabilem, & Deo dignum virum Sanctitate conspicuum, Deusdedit nomine, Beatissimi Benedicti Vicarium à Pastorali Monasterio Monachorum, seculari magìs potentia, quàm congrua ratione, deposuit, ac custodiæ mancipavit. Cujus nunc quoque cineres, quà recubat humatus, nonnullos febre (22) detentos, variisque languoribus oppressos ex fide poscentes (23) creberrimè curare noscuntur. Quid autem dicam de hujus viri nequitiis, quandoquidem distractis Ecclesiarum, Cœnobiorumque prædiis (24) nobilium, ac mediocrum rebus violenter ablatis, secundùm supputationem dierum (25) anni * embolismi cunctis opulentissimas aggregavit. Hoc quoque misero ita obeunte, (26) paulò post à filiis, vel (27) à Dauferio nomine Sicardus supradictus Princeps gladio perimitur, Deo justo retribuente, qui plerunque reddit iniquitatem patris in filios, carnemque solummodo feriens, ulciscitur; ut quia Sico genitor suus Grimoalt Seniorem suum indebitè occiderat, ulciscente Deo, filius illius à subditis interficeretur. Et isto hoc mundo decedente, percussor non diu lætatus est; nam parvo post tempore à Sicone notho, cognomento Albo, prædictus homicida extinctus est: scilicet, ut juxta verbum (28) Domini, qui corpus proximi gladio (29) transverberavit, justo valde judicio talionem, hoc est, similem ultionem in se ipso expertulit.

XIV. Decedente (30) itaque Sicardo ab hac luce corporea, (31) Radelgisus Principatus regimen suscepit, Thesaurarius prædicti viri, in cujus electione (32) omnis, ut ita dicam, Beneventi Provincia consensit. quòd vir esset blandis, ac bonis moribus pollens, ac ubi idem primatum promeruit, Siconulfus, quem superiùs exulem præmisi, à (33) custodia carceris elapsus, (34) fugere latibulum cœpit, & ab Urso Comite Consino, cognatoque suo aliquandiu latuit occultatus. Quo etiam tempore liberi Dauferii Balbi, videlicet Romoalt, (35) Arichis, & Grimoalt, nec non & Guaiferius Beneventi mœnia relinquentes, Salernum invasere, & Siconolfum, quo latebram fovebat, repertum, Seniorem sibi unanimiter (36) constituerunt; factaque tunc talis dissensio est, qualis nunquam fuit in Beneventum, ex quo Langobardi in eam ingressi sunt. Ante adventum itaque Siconolsi in Salernum missus est Adelmarius à supradicto (37) Radelgiso Principe, ut filios

(1) ann. 826., & 836.
(2) *illis*.
(3) ann. 817.
(4) ann. 833.
(5) ann. 834.
(6) *examen*.
(7) ann. 820.
(8) *subacta*.
(9) ann. 820.
(10) *ab hoc*.
(11) deest. *Francorum*.
(12) ann. 833.
(13) Esther. cap. 3.
(14) *brasmia*.
(15) *versatus*.
(16) *abnte*. for. *abnuente*.
(17) *auferre*.
(18) *suam*.
(19) *detrudi*.

(20) *dispcrens actione*.
(21) *interiit*.
(22) *retentos*.
(23) *seperrime*.
(24) *nobilibus*.
(25) *an membolis mi ctns*.
(26) ann. 839.
(27) *Adelserio*.
(28) Matth. cap. 26. & alibi.
(29) *trasverberat*.
(30) ann. 839.
(31) *Radelchisius*.
(32) deest. *omnis*.
(33) *à custodiæ carceribus*.
(34) *fugæ*.
(35) *Arrichis*.
(36) ann. 840.
(37) *Radelchiso*.

filios Dauferii ad suam fidelitatem converteret, qui illuc adiens (1) astu doloso Principem deseruit, & se illis sociavit, eosque ignivit deteriùs.

XV. Eodem quoque tempore Landulphus * S. à Capuæ præerat Gastaldeus, vir quippe ad bella promptissimus. Hic autem (2) vetustè exercens inimicitiam cum quibusdam de genere Saductorum, animo, & gente (3) par crudelibus viperis, interfici fecit (4) ex primis eorum septem viros, unius eorum manibus abscissis, reliqui præsidium (5) fugæ sumentes, (6) Benevento adeunt Radelgisum affinem suum. Landulphus autem Sicopolim (7) ingressus à Radelgisi dominatione se subducens, Siconolso sociatus est, ac primùm cum Neapolitis (8) pacis conjunxit fœdera. Fretus itaque Siconolfus hujus, ac liberorum ejus auxilio, totam Calabriam suo subdidit famulatui, maximamque partem Apuliæ; deinde adversùs Beneventum præliis insurgere nititur, plurimasque urbes, & nonnulla oppida ab ejus dominio auferens, suo juri subjecit. Et quia erat vir bellicosissimus (9) præ metu illius penè cunctus populus eum ambiens sequebatur. Priùs enim quàm Siconolfus Salernum obtineret à prædicto Adelmario Radelgisus invitatus, & à suis Stratoribus fraude suasus, Salernum, quasi capturus, adventavit; quò cùm pervenisset, castrametari grandi cum audacia placuit, sed subitò, velut turbo, è civitate vir idem cum (10) fatis Dauferii filiis egressus, eos inaudita cæde mactaverunt, bonaque eorum cuncta diripientes, ditati sunt, & Radelgisus vix cum paucis inglorius fugiens evasit, nec ultra ausus est Salerni metas gressibus attingere.

XVI. His quoque diebus Pando quidam Barim regebat, qui jussis obtemperans Radelgisi, Saracenorum phalangas in adjutorium accitas juxta murum urbis, & ora maris locavit commorandas. Hi autem, ut sunt naturâ callidi, & prudentiores alijs in malum, subtiliùs contemplantes munitionem loci, intempesta noctis, Christicolis quiescentibus, per abdita loca (11) urbis penetrant, populumque insontem partim gladiis trucidarunt, partim captivos fecerunt. Supradictum verò (12) conditorem gentis, & patriæ variis, multisque suppliciis debacchantes, postremò, ut verè dignum fuit, marinis suggillarunt gurgitibus. Quo comperto Radelgis, quia eos urbe nullatenus evellere quibat, cœpit tamen quasi familiares amicos excolere, & ad suum adjutorium sensim provocare; ac primùm Castrum (13) Cananense unà cum Urso filio suo illis destinavit oppugnandum. Confestim igitur intimatur hoc Siconolfo, qui statim morâ sepositâ eos debellaturus properavit, atque super eos audacter irruens, cunctos, qui fugere nequiverant, armis stravit; tantoque victoriæ potitus est trophæo, ut ex innumerabili acie Paganorum pauci elapsi essent, qui urbem residuis casum pereuntium explicarent. Rex verò eorum (14) Calso nomine solus cum dedecore fugiens, equo in itinere jam fesso amisso, tandem valde lassus plantis propriis urbem introgressus est.

XVII. Interea Siconolfus Beneventum crebris præliis graviter affligebat, atque, ut dici solet, malo arboris nodo malus infigendus est cuneus, contra Agarenos Radelgisi Lybicos, Ismaëlitas Hispanos (15) accivit, iisque invicem (16) intestino, & extero alternantibus (17) bello, ultramarina loca captivis nostræ gentis diversi sexus, & ætatis fulciebantur. Quadam verò die convenere utræque acies in Forculas Gaudinas, (18) ibique commissum est belli certamen; ac primo impetu Radelgisi pars victrix existens, Siconolfi exercitum totum in fugam vertit. Siconolfus autem in loco tutissimo tunc constitutus, cum paucis suorum mox super Beneventanos triumphantes, ac suos insequentes irruens, virili (19) eos attrivit animo, & non minima cæde prostravit; patratâque victoriâ, plurimos eorum gladiis extinxit, nonnullos cœpit, reliquos verò in fugam compulit. Fretus itaque frequentissimis victoriis, omnes urbes à Radelgisi abstrahens jure, excepto (20) Siponto, Beneventum circumdedit expugnandum. Cùmque telis, & lue famis non mediocriter (21) coarctaretur, mandatum illico est Guidoni, ut properaret urbem: erat autem idem Guido Dux Spolitensium, Siconolfi cognatus. Pro cupiditate tamen pecuniarum, quibus maximè Francorum subjicitur genus, postposito vinculo parentali, in adjutorium venit Radelgisi, atque per nuncios suggessit Siconolfo obsidenti urbem, ut obsessione relicta, ad propria remearet: adjiciens inter cætera. *Permitte me loqui* (22) *cum Radelgiso, quia tuæ magis parti favebo.* Recessit igitur Siconolfus à loco illo: Guido interim applicuit, & acceptâ à Radelgiso unâ sellâ pro septuaginta millibus nummis aureis, dirupit quodcumque pollicitus fuerat suo cognato, & alienatus ab eo, viâ, qua venerat, rediit.

XVIII. Post hæc prædictus Guido suasit Siconolfo, ut datis quinquaginta millia nummis aureis pro adunatione Provinciæ Beneventanæ, *& obtinere te,* (23) inquit, *faciam eam hinc, & inde* (24) *ut quasi palmo eam* (25) *mensurabis.* Cujus tunc consilio consentiens, (26) Romam adiit, aureos tribuit, sacramentum dedit, jusjurandum suscepit, nihil proficiens, inanis abscessit. Erat autem adhuc inter Siconolfum, & Radelgisum frequentissima pugnæ concertatio, & quotidiana litium seditio; unde ex diversa parte (27) ii, quibus via justitiæ displicebat, alternatim ab uno in alterum confugiebant, fiebantque crebræ rapinæ, (28) incestæque fornicationes: erant universi erronei, & ad malum prompti, quasi bestiæ sinè pastore aberrantes in saltu. Sed cùm jugiter civili bello invicem la-

(1) *actu*.
(2) *vetustam. vetusto. vetusta*.
(3) deest. *par*.
(4) *ex promis. ex permis.*
(5) *fugam*.
(6) *Beneventum*.
(7) ann. 840.
(8) deest. *pacis*.
(9) *partim*.
(10) *fratris Gauferii*.
(11) *urbem*.
(12) Ironicè. al. *proditorem*.
(13) *Carianense. Canense. Cavensè*.
(14) *Calpho*.
(15) ann. 843.
(16) *intestina, & extera*.
(17) *bella*.
(18) deest. *ibique*.
(19) deest. *eos*.
(20) *Sipontum*.
(21) *artlaretur*.
(22) deest. *cum*.
(23) *inquam*.
(24) deest. *ut*.
(25) *menabis*.
(26) ann. 844. Vide Anast. Bibl. in Sergio. 2.
(27) deest *ii*.
(28) *& inceste*.

cerarentur, (1) eſſetque omnium pernicies, & ut ita dicam, animæ, & cordis extrema perditio, maximè quia Saraceni Beneventi degentes, quorum Rex erat (2) Maſſari, infra, extraque omnia funditus (3) deneƈtarent, ita ut etiam optimates illius pro nihilo ducerent, atque, ut ineptos ſervulos, taureis duriter flagellarent.

XIX. His quoque diebus, (4) mortuo jam diƈto Luthario, Regnum Gallicum pentiſariè diviſum eſt; quoniam Lodoguicus, & Carolus germani ejus Bajoariam, & Aquitaniam regebant; primogenitus (5) ejus filius, Lodoguicus nomine, Italiam; ſecundus Lutharius Aquis, tertius Carliƈtus Provinciam tuebatur. Huic ergo Lodoguico Auguſto (6) ſuppliciter (7) relatum eſt (8) per (9) Landonem Comitem (10) Capuanum filium Landulfi ſupradiƈti viri, & per Adimarium (11) jam fatum virum (12) *necnon per Venerabilem Abbatem Baſſacium, ut ad has partes venire, eoſque à nefandorum Saracenorum devaſtatione eripere, tantiſque calamitatibus finem dignaretur imponere*. Qui licèt (13) erant admodum parvuli, pro Dei tamen zelo eorum humilibus precibus aures accommodans, etiam conſenſum præbuit, & celeriter veniens, univerſos profanæ gentis hoſtes ab urbe vi diſtrahi, ac frameâ necari fecit; ac præſentibus omnibus Langobardis, inter duos prædiƈtos viros totam Provinciam Beneventanam æquitatis diſcrimine ſub jure jurando (14) diſpartivit. Hoc autem facto non diu ſupervixit Siconolfus, ſed debitum (15) mortis munus (16) exolvens, filium ſuum adhuc laƈtentem miniſterii ſui reliquit heredem; cui ſuperſtes parumqui (17) extitit Radelgis; quo (18) migrato Radelgarius filius ejus in principatum loco ejus eleƈtus eſt: vir planè fortis viribus, & animo pius, & corpore cunƈtis gratus.

XX. Per idem tempus Agareni Barim (19) inſidentes, cœperunt devaſtantes ſtirpitus deprædare totam Apuliam, Calabriam, & pedetentim Salernum, ac Beneventum depopulari initiarunt. Tunc iterum ſuggeſtum eſt lamentabili ſupplicatione jam (20) ſæpe diƈto piiſſimo Auguſto per venerabilem virum Baſſicium B. Benediƈti Vicarium, & per Jacobum Sanƈti Vincentii Abbatem, ut properare quantocyus dignaretur, & ſuo adventu eriperet quos antejam miſericorditer redemerat. *Et ſimus*, inquiunt *fideliſſimi famuli illius, conſtituatque nos ſubeſſe cuilibet ultimo ſuorum*. Qui ſinè mora veniens (21) cum incredibili multitudine, Barim perrexit. Sed obliti Capuani ſuam ultroneam ſponſionem (22) urbibus ſe recondentes, Landulfum (23) tantum Antiſtitem vice ſua illuc deſtinarunt. Videns autem ſupradi-

A ƈtus Cæſar, & illorum fallaciam, & ſe nihil proficere ſinè emolumento, recedens abiit, conceſſo Principatu Salernitano Ademario fortiſſimo, & illuſtri viro: & Siconolfi filium exulem fecit. Interea (24) obiit Radelgarius Benevento, cui ſucceſſit germanus ejus nomine Adelchis, vir quippe mitiſſimus, & amabilis cunƈtis, tantæque manſuetudinis, ut etiam ab exteris diligeretur. Sed, quod pejus eſt, Provincia (25) in multis diviſa ad exitium magìs, quàm ad ſalutem de die in diem à dominatoribus ducebatur.

XXI. Subtracto verò ex hac luce (26) Landulfo Capuano Comite, ut poſt tergum redeam, quatuor reliquit liberos; Landonem videlicet jam fatum virum, Pandonem, Lando-
B nulfum, & Landulfum futurum Pontificem: viros ſingularis prudentiæ. Ex quibus Lando Capuam, Pando Marepahis Suram, Landonulfus Teanum regebat; Landulfus verò adhuc (27) teneræ indolis Palatinis excubabat obſequiis. Hic autem noviſſimus, & poſtremus in patulo claruit. Cùm adhuc viſceribus geſtaretur genitricis, eadem mater cùm ſe quadam die ſopori juxta viri dorſum dediſſet, facem igneam peperiſſe (28) videbatur ſibi; quæ fax cùm in humi ſolum cecidiſſet, in maximum ignis globum auƈta eſt; viſaque eſt totius Beneventi confinium concremare, ſicque cum ſomno pariter (29) & viſio elapſa eſt. Quæ nimiùm perterrita, mox proprio conjugi mœſta curavit
C (30) indicare; cujus viſionis finem genitor ut audivit, infatis ſyllabarum diƈtionibus, futura ejus dira opera complexus eſt, dicens.

Heu me, dulcis amans, quæ nos tunc (31) facta (32) ſequentur.
Augurium ſævum monſtrat tua viſio dira.
Hac tuus hic (33) ortus, tegitur qui clauſus in alvo.
Diliget haud ullum, ſpernet qui ſanguine claros,
(34) *Poſtremo cives viperino devoret ore*,
Ac, velut ignis edax, cunƈtorum peƈtora buret.

(35) Quod ille in extaſi mentis licèt prædixerit, nos quoque propriis intuiti ſumus obtutibus; qui innumerabiles inſontes homines illius
D (36) facto cōſpicimus per ignem gladiis corruiſſe. Ignis itaque ille ipſum humani generis ſanguinem, qui poſtea, eo operante, fundendus erat, ſub quadam imaginis ſpecie (37) portendebat; quod ne cui incredibile hoc, aut imaginariè fortè confiƈtum videatur, tot mihi teſtes ſunt, quot penè homines verſantur in urbe: hujus (38) etiam aƈtio, finiſque exitus in ſubſequenti propalabitur.

XXII. Horum denique genitor cùm jam die ultimæ appropinquaret, ut à referentibus audi vi,

(1) eſſet.
(2) *Maſſan. Maſſar, intra.*
(3) *devaſtarent.*
(4) ann. 855.
(5) deeſt. *ejus filius.*
(6) deeſt. *ſuppl.*
(7) ann. circ. 850.
(8) deeſt. *per.*
(9) *Pandonem*. In omn. ſcr. Cod. vide Ch. Com.
(10) *Capuanorum filii.*
(11) deeſt, *jam.*
(12) *nec non per venerabilem*, &c. ſup. ex Oſtien. lib. 1. c. 28. in ſcriptis tamen Codd. nulla eſt lacuna.
(13) *eſſet admodum puerulus.*
(14) ann. 850. ſive 851.
(15) ann. 851.
(16) *exoluit.*
(17) *extitit. Radelgis migratus, Radelgarius.*
(18) ann. 851. exeunte, vel 852. ineunte.
(19) *incolentes, militantes.*

(20) *ſæpe fato.*
(21) ann. 852.
E (22) *urbi.*
(23) *tum.*
(24) ann. 854.
(25) *à multis.*
(26) ann. 842.
(27) deeſt. *teneræ.*
(28) *viſa experta eſt, quæ.*
(29) deeſt, *& viſio.*
(30) *indagare.*
(31) *fata.*
(32) *ſequuntur.*
(33) *ovus.*
(34) *poſtremos.*
(35) *Hæc ille.*
(36) *fato conſpeximus*, ſed in Pap. Codd. ſemper *factum* pro. *fatum.* hoc eſt. *præfatum.*
(37) *prætendebat.*
(38) *videlicet.*

vi, vocatis liberis ſuis hoc in Edictum illis tradidit. Ne unquam, quantùm ad ſe pertineret, ſinerent Beneventum cum Salerno paciſci. *Quia non erit*, inquit, *vobis profuturum*. Cujus monitum filii audientes, opere pariter patrarunt, atque ſuis heredibus in jus perpetuum, ſicut à patre acceperant reliquerunt. Magnum ſanè hereditatis ſcelus (1) ſuæ reliquit ſoboli adversùs Divinum præceptum gerentes, quia ait Jeſus diſcipulis ſuis. (2) *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Accepto itaque jure regnandi, nullo modo Siconolfo obſequuntur: parvipendunt imperium ejus; ſed præ omnibus Landonulfus contrarius illi ſemper, & ingratus extitit, adeò ut etiam filio illius natam ſuam neceſſitate ductus arrharet. Hoc autem tempore Paulinus Deo dignus, & carus vir Capuæ Præſul ab hac carnea ſubtractus eſt fæce, atque Landone ſupradicto viro viriliter decertante, Landulfum fratrem ſuum Epiſcopum ordinavit; ſed incongruam viciſſitudinem filiis ejus poſt patris intulit obitum, quos velut duriſſimos hoſtes vario, ac perpetuo mulctavit exilio.

XXIII. Mortuoque itaque Siconolfo, ut unuſquiſque quod ſibi habile videretur, ageret, filium ejus adhuc anno (3) carente loco ejus ſubrogarunt. Tunc cœperunt prædicti fratres concives ſuos partim ambitu, partim metu agitati, ferina perſequi ingluvie, & cuſtodiis mancipare; quamobrem & à Pandulfo conſanguineo ſuo Sueſſulam ingenio auferentes, ſuæ ambitioni nexuerunt; ipſum, & liberos ejus extorres fecerunt, de quibus dehinc unum gladio, alium igne perdiderunt; duoſque ſuperſtites jugi, continuoque damnarunt exilio: Sueſſulam autem poſtea à Landulfo Landonis filio captam, annectente ſibi Sergio Magiſtro militum, quòd ſocer erat illius, nunc uſque retinet eam.

XXIV. Hac (4) tempeſtate caſu, an judicio ſuperno actum ſit, tota urbs Sicopolis igne cremata eſt, ita ut ne una domus remaneret inuſta, præter Epiſcopalis Aula. Qua reperta occaſione Landulfus Præſul, & Landonulfus germanus ejus conſilio inierunt, ut deſerta anguſti montis cohabitatione, ad plana, & præclara campeſtria deſcenderent ad commanendum. *Non ſumus*, inquiunt, *caprearum ovile, ut in ſaxorum cavernis tueamur: ad humilia denique deſcendamus, ut altos nos, & inhumiles circumſpicientibus præbeamus*. Quibus tunc aſſenſum Lando minimè præbuit, quia delirum, (5) ac frivolum erat inter tot procellas urbem muniſſimam deſerentes, ut ſuillo in cœno locarent.

XXV. His invicem ita altercantibus, duo prædicti viri cœperunt ædificare murum juxta pontem, qui vulgò Caſelinum dicitur. Quorum opera ut perſpexit Lando, illico abiit, ac mirificè perfecit (6) ædificandam urbem. Ut autem munita eſt, & habitari cœpta, ſupervênit Guido jam dictus cum univerſis Tuſcis,

A & obſedit eam hinc, & inde, graviterque anguſtiavit; quia nolebant ſubjici iam fato viro (7) ob improbitatem Landulfi Præſulis, & Landonulfi; quoniam illum præ cæteris affectu favebat fraterno, aliis, (8) quaſi exteris, ſpretis. Dum enim validè intus affligerentur quotidianâ pugnâ, & foris ſata delerentur, tandem robore, & violentia devicti ſua colla ſubdiderunt ejus famulatui, excepto Landonulfus; quamobrem Sura, cunctaque oppida confinia à Landonulfo domino ſubtracta, & Guidoni ſunt tradita, ſicut promiſſum fuerat; quo facto in tantam animi triſtitiam corruit prædictus vir, ut in proximo ſpiritum (9) exhalaverit.

B XXVI. Per idem tempus veterem inimicitiam vindicare volens Ademarius, filium Marini Malfitani, cognatum videlicet Pandonis, dolo cœpit, & Sergium Magiſtrum militum, quo cum fœdus inierat (10) exulem tradidit; pro qua cauſa ab eodem Sergio (11) etiam Marinus fraude captus eſt. Hinc etenim æternum jurgium inter Ademarium, & Pandonem ortum eſt; unde factum eſt, ut inſcio Landone, Landulfus Epiſcopus, & Pando ſuaſerint Guaiſerio, filio Dauferii Balbi, & (12) fecerint apprehendere Ademarium Principem, Guaiſeriumque ſponte ſibi (13) ſeniorem (14) elegerint, jurantes ei gravi ſacramento. Sed ocyùs ad conſueta vitia defluentes, & huic ſta- C tim ſunt poſt (15) exceſſum Landonis ſoceri illius mentiti.

XXVII. Mortuo denique (16) Landonulfo, non multum poſt (17) Lando dira Paralyſi percutitur, lectum per annum integrum feſſus detinebatur. Hoc agnito Sergius Magiſter militum, præſidiis illectus Ademarii, ut priora replicem, dirupit juramentum, quod cum Landone (18) pactum fuerat, & adverſùs filium illius bellum excitavit. Nam (19) octavo Idus Maias, quo B Michaëlis Archangeli ſolemnia nos ſolemniter celebramus, qua etiam die priſcis temporibus à Beneventanorum populis Neapolites fortiter cæſos legimus: hac ergo die nullum honorem dans Deo, miſit duos D liberos ſuos, Gregorium Magiſtrum militum, & Cæſareum, nec non & Landulfum generum ſuum (20) Sueſſolanum, cum quibus Neapolitum, & Malfitanorum exercitum, tam pedeſtrem, quàm & equitum penè ad ſeptem millia viros miſit. dans (21) eis in præceptum, ut Capuam (22) obſiderent. Quibus audacter occurrit, ceu Leo, (23) fervidus Lando junior, reperitque eos tranſvadatos pontem Theodemundi ſuos acriter expugnantes, qui totis viribus ſuper eos irruit, atque cuneum eorum ſcindens, gladiis ventilavit, captumque Cæſareum, & ferme octingentos alios, reliquos in fugam vertit; ſicque triumphans reverſus eſt. Pando autem illius avunculus Ademarii E metuens adventum, ad monumentum (24) quondam (25) Traſaraci interiùs obſervabat excubias. Poſt hæc Pando erepto Marino à vin-

(1) *reliquit ejus*.
(2) Joan. c. 14.
(3) *tarenti*.
(4) ann. 856.
(5) *aut*.
(6) *ædificare*.
(7) deeſt. *viro*.
(8) *quia*.
(9) ann. 859.
(10) *eundem*.
(11) *&*.
(12) *fecerant*.
(13) ann. 861.
(14) *elegerunt*.
(15) *acceſſum*. *arceſſum*.
(16) ann. 859.
(17) *Landonem* omnes ſcripti Codd.
(18) *peractum*.
(19) ann. 860.
(20) *Sueſſulanum*.
(21) *ei præceptum*. *ei in præceptum*.
(22) *obſideret*.
(23) *prædictus*.
(24) *quoddam*.
(25) *Traſaracius*.

cerarentur, (1) essetque omnium pernicies, & ut ita dicam, animæ, & cordis extrema perditio, maximè quia Saraceni Beneventi degentes, quorum Rex erat (2) Massari, infra, extraque omnia funditus (3) deneċtarent, ita ut etiam optimates illius pro nihilo ducerent, atque, ut ineptos servulos, taureis duriter flagellarent.

XIX. His quoque diebus, (4) mortuo jam dicto Luthario, Regnum Gallicum pentifariè divisum est; quoniam Lodoguicus, & Carolus germani ejus Bajoariam, & Aquitaniam regebant; primogenitus (5) ejus filius, Lodoguicus nomine, Italiam; secundus Lutharius Aquis, tertius Carlictus Provinciam tuebatur. Huic ergo Lodoguico Augusto (6) suppliciter (7) relatum est (8) per (9) Landonem Comitem (10) Capuanum filium Landulfi supradicti viri, & per Adimarium (11) jam fatum virum (12) *necnon per Venerabilem Abbatem Bassacium, ut ad has partes venire, eosque à nefandorum Saracenorum devastatione eripere, tantisque calamitatibus finem dignaretur imponere*. Qui licèt (13) erant admodum parvuli, pro Dei tamen zelo eorum humilibus precibus aures accommodans, etiam consensum præbuit, & celeriter veniens, universos profanæ gentis hostes ab urbe vi distrahi, ac frameâ necari fecit; ac præsentibus omnibus Langobardis, inter duos prædictos viros totam Provinciam Beneventanam æquitatis discrimine sub jure jurando (14) dispartivit. Hoc autem facto non diu supervixit Siconolfus, sed debitum (15) mortis munus (16) exolvens, filium suum adhuc lactentem ministerii sui reliquit heredem; cui superstes parumqui (17) extitit Radelgis; quo (18) migrato Radelgarius filius ejus in principatum loco ejus electus est: vir planè fortis viribus, & animo pius, & corpore cunctis gratus.

XX. Per idem tempus Agareni Barim (19) insidentes, cœperunt devastantes stirpitus deprædare totam Apuliam, Calabriam, & pedetentim Salernum, ac Beneventum depopulari initiarunt. Tunc iterum suggestum est lamentabili supplicatione jam (20) sæpe dicto piissimo Augusto per venerabilem virum Bassicium B. Benedicti Vicarium, & per Jacobum Sancti Vincentii Abbatem, ut properare quantocyus dignaretur, & suo adventu eriperet quos antejam misericorditer redemerat. *Et simus*, inquiunt *fidelissimi famuli illius, constituatque nos subesse cuilibet ultimo suorum*. Qui sinè mora veniens (21) cum incredibili multitudine, Barim perrexit. Sed obliti Capuani suam ultroneam sponsionem (22) urbibus se recondentes, Landulfum (23) tantum Antistitem vice sua illuc destinarunt. Videns autem supradictus Cæsar, & illorum fallaciam, & se nihil proficere sinè emolumento, recedens abiit, concesso Principatu Salernitano Ademario fortissimo, & illustri viro: & Siconolfi filium exulem fecit. Interea (24) obiit Radelgarius Benevento, cui successit germanus ejus nomine Adelchis, vir quippe mitissimus, & amabilis cunctis, tantæque mansuetudinis, ut etiam ab exteris diligeretur. Sed, quod pejus est, Provincia (25) in multis divisa ad exitium magìs, quàm ad salutem de die in diem à dominatoribus ducebatur.

XXI. Subtracto verò ex hac luce (26) Landulfo Capuano Comite, ut post tergum redeam, quatuor reliquit liberos; Landonem videlicet jam fatum virum, Pandonem, Landonulfum, & Landulfum futurum Pontificem: viros singularis prudentiæ. Ex quibus Lando Capuam, Pando Marepahis Suram, Landonulfus Teanum regebat; Landulfus verò adhuc (27) teneræ indolis Palatinis excubabat obsequiis. Hic autem novissimus, & postremus in patulo claruit. Cùm adhuc visceribus gestaretur genitricis, eadem mater cùm se quadam die sopori juxta viri dorsum dedisset, facem igneam peperisse (28) videbatur sibi; quæ fax cùm in humi solum cecidisset, in maximum ignis globum aucta est; visaque est totius Beneventi confinium concremare, sicque cum somno pariter (29) & visio elapsa est. Quæ nimiùm perterrita, mox proprio conjugi mœsta curavit (30) indicare; cujus visionis finem genitor ut audivit, infatis syllabarum dictionibus, futura ejus dira opera complexus est, dicens.

Heu me, dulcis amans, quæ nos tunc (31) facta (32) sequentur.
Augurium sævum monstrat tua visio dira.
Hac tuus hic (33) ortus, tegitur qui clausus in alvo.
Diliget haud ullum, spernet qui sanguine claros,
(34) *Postremo cives viperino devoret ore,*
Ac, velut ignis edax, cunctorum pectora buret.

(35) Quod ille in extasi mentis licèt prædixerit, nos quoque propriis intuiti sumus obtutibus; qui innumerabiles insontes homines illius (36) facto cōspicimus per ignem gladiis corruisse. Ignis itaque ille ipsum humani generis sanguinem, qui postea, eo operante, fundendus erat, sub quadam imaginis specie (37) portendebat; quod ne cui incredibile hoc, aut imaginariè fortè confictum videatur, tot mihi testes sunt, quot penè homines versantur in urbe: hujus (38) etiam actio, finisque exitus in subsequenti propalabitur.

XXII. Horum denique genitor cùm jam die ultimæ appropinquaret, ut à referentibus audivi,

(1) *esset*.
(2) *Massan. Massar, intra*.
(3) *devastarent*.
(4) ann. 855.
(5) deest. *ejus filius*.
(6) deest. *suppl.*
(7) ann. circ. 850.
(8) deest. *per*.
(9) *Pandonem*. In omn. scr. Cod. vide Ch. Com.
(10) *Capuanorum filii*.
(11) deest, *jam*.
(12) *nec non per venerabilem*. &c. sup. ex Ostien. lib. 1. c. 28, in scriptis tamen Codd. nulla est lacuna.
(13) *esset admodum puerulus*.
(14) ann. 850, sive 851.
(15) ann. 851.
(16) *exoluit*.
(17) *extitit. Radelgis migratus, Radelgarius*.
(18) ann. 851, exeunte, vel 852, ineunte.
(19) *incolentes, militantes*.
(20) *sæpe fato*.
(21) ann. 852.
(22) *urbi*.
(23) *tum*.
(24) ann. 854.
(25) *à multis*.
(26) ann. 842.
(27) deest. *teneræ*.
(28) *visa experta est, quæ*.
(29) deest, *& visio*.
(30) *indagare*.
(31) *fata*.
(32) *sequuntur*.
(33) *ovus*.
(34) *postremos*.
(35) *Hæc ille*.
(36) *fato conspeximus*, sed in Pap. Codd. semper *factum* pro. *fatum*. hoc est. *præfatum*.
(37) *prætendebat*.
(38) *videlicet*.

vi, vocatis liberis suis hoc in Edictum illis tradidit. Ne unquam, quantùm ad se pertineret, finerent Beneventum cum Salerno pacisci. *Quia non erit*, inquit, *vobis profuturum*. Cujus monitum filii audientes, opere pariter patrarunt, atque suis heredibus in jus perpetuum, sicut à patre acceperant reliquerunt. Magnum sanè hereditatis scelus (1) suæ reliquit soboli adversùs Divinum præceptum gerentes, quia ait Jesus discipulis suis. (2) *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Accepto itaque jure regnandi, nullo modo Siconolso obsequuntur: parvipendunt imperium ejus; sed præ omnibus Landonulfus contrarius illi semper, & ingratus extitit, adeò ut etiam filio illius natam suam necessitate ductus arrharet. Hoc autem tempore Paulinus Deo dignus, & carus vir Capuæ Præsul ab hac carnea subtractus est fæce, atque Landone supradicto viro viriliter decertante, Landulfum fratrem suum Episcopum ordinavit; sed incongruam vicissitudinem filiis ejus post patris intulit obitum, quos velut durissimos hostes vario, ac perpetuo mulctavit exilio.

XXIII. Mortuoque itaque Siconolso, ut unusquisque quod sibi habile videretur, ageret, filium ejus adhuc anno (3) carente loco ejus subrogarunt. Tunc cœperunt prædicti fratres concives suos partim ambitu, partim metu agitati, ferina persequi ingluvie, & custodiis mancipare; quamobrem & à Pandulfo consanguineo suo Suessulam ingenio auferentes, suæ ambitioni nexuerunt; ipsum, & liberos ejus extorres fecerunt, de quibus dehinc unum gladio, alium igne perdiderunt; duosque superstites jugi, continuoque damnarunt exilio: Suessulam autem postea à Landulfo Landonis filio captam, annectente sibi Sergio Magistro militum, quòd socer erat illius, nunc usque retinet eam.

XXIV. Hac (4) tempestate casu, an judicio superno actum sit, tota urbs Sicopolis igne cremata est, ita ut ne una domus remaneret inusta, præter Episcopalis Aula. Qua reperta occasione Landulfus Præsul, & Landonulfus germanus ejus consilio inierunt, ut deserta angusti montis cohabitatione, ad plana, & præclara campestria descenderent ad commanendum. *Non sumus*, inquiunt, *caprearum ovile, ut in saxorum cavernis tueamur: ad humilia denique descendamus, ut altos nos, & inhumiles circumspicientibus præbeamus*. Quibus tunc assensum Lando minimè præbuit, quia delirum, (5) ac frivolum erat inter tot procellas urbem munitissimam deserentes, ut suillo in cœno locarent.

XXV. His invicem ita altercantibus, duo prædicti viri cœperunt ædificare murum juxta pontem, qui vulgò Caselinum dicitur. Quorum opera ut perspexit Lando, illico abiit, ac mirificè perfecit (6) ædificandam urbem. Ut autem munita est, & habitari cœpta, supervênit Guido jam dictus cum universis Tuscis,

A & obsedit eam hinc, & inde, graviterque angustiavit; quia nolebant subjici iam fato viro (7) ob improbitatem Landulfi Præsulis, & Landonulfi; quoniam illum præ cæteris affectu favebat fraterno, aliis, (8) quasi exteris, spretis. Dum enim validè intus affligerentur quotidianâ pugnâ, & foris fata delerentur, tandem robore, & violentia devicti sua colla subdiderunt ejus famulatui, excepto Landonulfus; quamobrem Sura, cunctaque oppida confinia à Landonulfo domino subtracta, & Guidoni sunt tradita, sicut promissum fuerat; quo facto in tantam animi tristitiam corruit prædictus vir, ut in proximo spiritum (9) exhalaverit.

B XXVI. Per idem tempus veterem inimicitiam vindicare volens Ademarius, filium Marini Malfitani, cognatum videlicet Pandonis, dolo cœpit, & Sergium Magistrum militum, quo cum fœdus inierat (10) exulem tradidit; pro qua causa ab eodem Sergio (11) etiam Marinus fraude captus est. Hinc etenim æternum jurgium inter Ademarium, & Pandonem ortum est; unde factum est, ut inscio Landone, Landulfus Episcopus, & Pando suaserint Guaiferio, filio Dauferii Balbi, & (12) fecerint apprehendere Ademarium Principem, Guaiferiumque sponte sibi (13) seniorem (14) elegerint, jurantes ei gravi sacramento. Sed ocyùs ad consueta vitia defluentes, & huic statim C sunt post (15) excessum Landonis soceri illius mentiti.

XXVII. Mortuo denique (16) Landonulfo, non multum post (17) Lando dira Paralysi percutitur, lectum per annum integrum fessus detinebatur. Hoc agnito Sergius Magister militum, præsidiis illectus Ademarii, ut priora replicem, dirupit juramentum, quod cum Landone (18) pactum fuerat, & adversùs filium illius bellum excitavit. Nam (19) octavo Idus Maias, quo B Michaëlis Archangeli solemnia nos solemniter celebramus, qua etiam die priscis temporibus à Beneventanorum populis Neapolites fortiter cæsos legimus: hac ergo die nullum honorem dans Deo, misit duos D liberos suos, Gregorium Magistrum militum, & Cæsareum, nec non & Landulfum generum suum (20) Suessolanum, cum quibus Neapolitum, & Malfitanorum exercitum, tam pedestrem, quàm & equitum penè ad septem millia viros misit. dans (21) eis in præceptum, ut Capuam (22) obsiderent. Quibus audacter occurrit, ceu Leo, (23) fervidus Lando junior, reperitque eos transvadatos pontem Theodemundi suos acriter expugnantes, qui totis viribus super eos irruit, atque cuneum eorum scindens, gladiis ventilavit, captumque Cæsareum, & ferme octingentos alios, reliquos in fugam vertit; sicque triumphans reversus est. Pando autem illius avunculus Ademarii E metuens adventum, ad monumentum (24) quondam (25) Trasaraci interiùs observabat excubias. Post hæc Pando erepto Marino à vin-

(1) *reliquit ejus*.
(2) Joan. c. 14.
(3) *tarenti*.
(4) ann. 856.
(5) *aut*.
(6) *ædificare*.
(7) deest. *viro*.
(8) *quia*.
(9) ann. 859.
(10) *eundem*.
(11) *&*.
(12) *fecerant*.
(13) ann. 861.
(14) *elegerunt*.
(15) *accessum*. *arcessum*.
(16) ann. 859.
(17) *Landonem* omnes scripti Codd.
(18) *peractum*.
(19) ann. 860.
(20) *Suessulanum*.
(21) *ei præceptum*. *ei in præceptum*.
(22) *obsideret*.
(23) *prædictus*.
(24) *quoddam*.
(25) *Trasaracius*.

vinculis, Cæsareum cum universis libertati restituit.

XXVIII. His quoque diebus Lando senior, percrescente interim languore, ad extrema perductus est, vocatisque duobus fratribus suis, (1) Pando scilicet, & Landulfo Antistite, Landonem filium suum eis supplici prece commendare studuit, atque in manibus eorum tradidit, dicens. *Deo teste, sanctaque ejus Ecclesia, vobis eum commendo, ut eodem Judicio futuro judicemini, quo eo in præsenti abusi fueritis.* Sicque (2) humanum faciens, obiit. Quo migrato, non diu ad juramentum præstere fraternum; nam subdolè pro cupiditate Gastaldatus, & Landonem, & cæteros fratres urbe repulerunt, & à Guaiferio alienati sunt, cui sacramenta recentia dederant, præcipuèque Landulfus per Evangelia, Missarumque solemnia, nec non per manus sacratas suas ille non semel juravit. Hoc facto, Lando (3) Cajaziæ ingressus est, capto in ea Ajoaldo, qui à prædictis viris ad custodiendam eam fuerat directus. Eodem igitur tempore Landulfus frater Landonis Casamirtam cœpit; sed superveniens Pando, cœpit eum (4) cum quadraginta Primoribus; quibus redditis, castrum Cajaziæ recepit, & receptis filiis Landonis à Guaiferio, & Landulfo eorum fratre in Suessulam. Quibus exterminatis, minimè quievit eorum rabies; sed cœperunt eos persequi jugiter, etiam terminos (5) Suessulæ expugnantes: Hos siquidem Guaiferius Princeps non segniter adjuvabat, & multotiens locum cedebat eis, nolens frustra Christicolum fundere cruorem. Sed Landulfus Præsul non hoc religionis gratiâ, sed imbecillitati (6) deputans, (7) vi suum germanum contra Christum Domini pugnare cogebat. Fretus ergo filiorum trium Majonis, & Manienolfi, nec non & Radelgisi, filii (8) Adelgisi Beneventani Principis, eum adversùs (9) jam dictum Principem suum misit. Sed justo Dei judicio, à quo omnis potestas, & ordinatio (10) consistit, ipse protinus (11) occubuit, nonnullis ex eis captis, reliqui autem fugati sunt.

XXIX. Inter hæc (12) Sangolan nequissimus, ac sceleratissimus (13) Rex Ismaëlitarum totam terram Beneventanam igne, gladiis, & captivitate crudeliter devastabat, ita ut non remaneret in ea aliquis; quamobrem, & Gallorum exercitus crebriùs adveniens ad eorum efferitatem opprimendam, sed nihil proficiens, viâ, qua venerat, repedabat. Unde factum est, ut (14) Adelgisus Beneventi Princeps coarctata pensione, & obsidibus; pacem (15) eo firmaret. Quo tempore (16) Majelpotus Telesinus, & (17) Guandelpertus Bovianensis Castaldei multa cum prece conduxerunt Lambertum (18) Ducem Spolitensium, & Garardum Comitem, & obviantes eidem Saugdan cùm de Capuæ depopulatione reverteretur in Barium tellure, irruerent super eum. Sed exurgens jam dictus vir, & super Beneventanos, & Francos fortiter se injecit, & (19) diruptis cuneis, plurimos eorum interemit, nonnullos cœpit, & crudeliter (20) extinxit. Garardus verò Comes, Majelpotus, & Guandelpertus supradicti viri eadem in acie tunc occubuere. Qua de re audaciam ex illo die potiorem sumens, Beneventum, ejusque confinia funditus delevit; ita ut nullus locus, præter urbes præcipuas, illius efferitatem evaderet. Quibus diebus, (21) & Castrum Benafranum cœpit, & Cœnobium S. Vincentii Martyris deprædavit; pro ædificiis non combustis tria millia aureos accepit. (22) Hoc facto, & à Vicario B. Benedicti totidem nummos accepit.

XXX. Mortuo (23) denique Pandone, Landulfus Episcopus solus superstes remansit; qui Pandonulfum nepotem suum, vice patris sui Pandonis, Comitem in Capuam constituit; qui vulneratus ex prælio, quo genitor occubuerat, semivivus evaserat. Hic autem in familiaritate sua habebat Dauferium cognatum Majonis. Cujus versutias metuens Landulfus Præsul, monuit Pandonulfum, ut dato ei adjutorio, alibi eum ad (24) commanendum (25) destinaret; qui nolens ejus consilio acquiescere, clam egressi tres germani ex urbe, (26) Polensiam cum eodem Dauferio (27) Castellum invasere. Nam Pandonulfus Suessulam, Landulfus autem Casamirtam, Landonulfus Caiaziæ ab illius genitore Castrum jamdudum quassatum, intraverunt, & cœperunt deprædare omnia in circuitu. Quos Landulfus ingenio decepit, simulque Guaiferium, & Adelgisum Principes delusit, necnon & Landonis filios, nepotes suos, quos jampridem extorres fecerat à solo proprio, dolo evocavit, fratrumque suorum confinia deprædari, fecitque succendi. Dumque quotidie Capuæ ruina excresceret, hortatus est idem vir filios Pandonis * cùm (28) filios Landonis, nexo fœdere, utrique urbem (29) introirent ad commanendum. At illi ex adverso in unum coëuntes, sacramento juncti sunt, adieruntque urbem, (30) quos statim prædictus vir arte sua fefellit, & perjurare fecit: illisque divisis, mentitus est. Pro qua causa etiam Pandonulfus ad Imperialem celsitudinem misit: epistolis, ac jussionibus ablatis, in urbe memorata non est ingressus, quousque veniret Lodoguicus piissimus Augustus à multis per varia tempora invitatus.

XXXI. Fuit autem idem Landulfus, ut pollicitus inseram, ex natura prudens, sed ex consuetudine callidus, lubricus nimiùm, & petulans, ambitiosior omni homine, & elatus supra quàm credi potest; Monachorum quoque infestor, & (31) prædo, De quibus in Tribunali tumi-

(1) *Pandone*.
(2) ann. 861.
(3) *Cajaciæ*.
(4) deest. *cum*.
(5) *Suessulam*.
(6) *deputatus*.
(7) *in*.
(8) *Aldegisi*.
(9) deest. *jam*.
(10) *constitit*.
(11) ann. 862.
(12) *Saugolan*. *Seodam*. *Saugdan*.
(13) deest. *Rex*.
(14) *Adelgisum*.
(15) *confirmaret*.
(16) *Marelpotus*. *Marepotus* in Chronica *Magelpertus pro Magelpotus*, *nam*. I. *ante*. E. *plerumque transibat in* G. *ut alibi dicam*.
(17) *Uvaldepertus*.
(18) Chron. *Landbertum*.
(19) *diructis diversis*.
(20) *extruxit*.
(21) Chron. *Quibus diebus Telesiam, Alifas, Sepinum, Bovianum, & Hiserniam, Castrum quoque Venafranum, &c.*
(22) deest integra hæc clausula.
(23) ann. 852.
(24) *commorandum*.
(25) *destinasset*.
(26) Potentiam. *Potensi*. *Potentia*.
(27) *Castellæ*.
(28) *cum filiis Pandonis*. Nulla est lacuna in scr. Codd.
(29) *introierunt*.
(30) *quo*.
(31) *prædor*.

tumidus sedens solitus erat dicere circumstantibus: *Quotiens Monachum visu cerno, semper mihi futura dies auspicia* (1) *tristia subministrat*. Justo valde Dei judicio, ut ab eis incommoda toleraret, quos veluti nefandissimos hostes (2) exercebat, & persequebatur; à quibus etiam in futuro torquendus erat. Principis quoque sui derisor, & perjurus, nepotumque suorum perosor; quippe qui neminem dilexit, præter suæ carnis incentiva, pacem nunquam, nec in die obitus sui, amplexatus est, sic ubi (3) fœdera facta sensit, totus (4) se strenuè injiciens, zizaniorum semina sevit. Quod si cui incredibile videtur, animadvertat quot vicibus Guaiferium fefellit, cui (5) Prætor juravit, ipsumque ipse sibi Principem constituit. Multò enim libentiùs cupiebat captivari animas hominum innocentium, quàm vel parem eum habere, non dico seniorem: contra Apostoli præceptum agens, (6) qui ait. *Subditi estote omni Ditioni propter Deum, sive Regi, tanquam* (7) *præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis*. Et alibi. (8) *Non est potestas, nisi à Deo; quæ autem sunt à Deo ordinata sunt, itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*. His igitur postpositis, Ecclesiastica dogmata, juraque Episcopalia (9) contempsit; semiviros solummodo dilexit, eosque cunctis prætulit; implevitque nihilominus Prophetiam (10) Isajæ: *Effœminati dominabuntur eis*. Hujus ego facta (11) viri (12) minutatim explicare si voluero, faciliùs, ut reor, tempus absumetur, quàm fandi sermo terminetur. Tamen si quis medullitus nosse desiderat, versus à memet constructos requirat. Ante diem verò exitus sui Capuam trium fratrum suorum filiis ita divisit, ut omni tempore inter eos gladius rixæ nunquam (13) omnimodo abesset; & fateor si quis (14) corde non percepit, oculis videat.

XXXII. Invitatus itaque Lodoguicus Cæsar, ut prædixi, in commune à Beneventanis, Capuanis, cunctisque (15) comarchanis (16) ad (17) tuitionem perditæ patriæ (à Guaiferio minimè hæc, quia eum Lodoguicus pro Ademarii captione execrabatur) Beneventi fines per Suram (18) ingreditur, atque pius Monasterio Benedicti Beati applicuit; quoad eum Legati de diversis urbibus venerunt, inter quos Landulfus jam dictus, & nepotes sui ex diverso venerunt. Susceptis igitur Augustis, hoc est, vir, & conjux à Berthario venerabili Abbate officiosissimè, Landulfus ad solitam vergens fallaciam, Capuanos, quos Cæsari præsentaverat, fugere compulit; ipse solus cum eo remansit, quasi satisfaciens se nil culpabile (19) penes eum gessisse. Prædictus itaque Augustus Landulfum tunc pro nihilo ducens, Capuam adiit, obsessamque tribus hinc inde (20) mensibus funditus (21) circumcirca delevit; & cum ci-
A vibus illius quodcumque Placitum dare nollet, Lamberto Comiti illius se tradiderunt; putantes se facere rectius, pessimè corruerunt. Unde postea pro nihilo ducti, omni ferè mense diversis Judicibus dabantur in prædam. Hoc quoque ita pacto, à Guaiferio omni sinè sponsione priùs Salernum, & sic demum ab (22) Adelgiso Beneventum (23) exceptus est.

XXXIII. (24) Sequenti autem anno multis fultus auxiliatoribus Barim perrexit, atque cum sæpe dicto Saudagne Augustalis exercitus pugnam commisit, à quibus & superatus aufugit, amissa non modica parte bellatorum. Dehinc omnia (25) eorum circumquaque sata comburens, Materam adiit, quam & sinè mora
B igne cœpit. Tunc venit Venusiam, castrametatusque in ea, cœpitque renovare; & Barim hinc & inde graviter expugnans, demolitus est; positoque præsidio pugnatorum in Canusia, vicissim eos cornibus ventilabat. Quo terrore (26) perculsi multi, ad Augustalem confugientes clementiam, dari sibi petebant dexteras; quibus tunc solitam misericordiam denegat. Post hæc itum est ad Oëriam urbem; sicque itidem (27) reversus est Beneventum; atque (28) annitente sibi dextera superna, cùm jam ad extremitatem maximam pervenissent Saraceni, misso exercitu (29) Barim cœpit, capto in ea Saugdan effero Rege cum aliis nonnullis satellitibus suis; deinde Tarentum obsideri
C jussit.

XXXIV. Quibus ita (30) patratis, ut superiùs promissa ponam, videns Diabolus suos eliminari, Christoque universa restaurari, principia recolens, & damna Inferni dolens, suo instinctu cœperunt Galli graviter Beneventanos persequi, ac crudeliter vexare; qua de re & Adelgisus Princeps adversùs Lodoguicum Augustum erectus cum suis, Beneventi (31) infra mœnia degentem, ac securè quiescentem astu doloso sanctissimum virum, salvatorem scilicet Beneventanæ Provinciæ, cœpit, & custodiis (32) mancipavit; bonaque ejus diripiens, ditatus est, (33) cunctosque viros exercitales expoliavit, & fugere compulit, & ex bonis eorum onustatus est; impletusque est sermo Domini
D ex Prophetia scriptus (34) *Percute*, inquit, *pastorem, & dispergentur oves gregis*. Consistente itaque Augusto in custodia, excitavit Deus spiritum Ismaëlitum, eosque ab Africa regione protinùs evexit, ut ulciscerentur Augusti opprobrium, sicuti Filii Dei passionem Vespasianus, & Titus ulti sunt. Sed defensio Dei (35) dilata est in annos XLII. juxta Prophetiam (36) Elisæi, qui XLII. pueros, à quibus illusus est, duobus ursis dedit in commestionem; hujus autem contemptum nec in XL. distulit dies; ex quo datur intelligi, qualis quantusve vir iste fuerit, qui tam citò defensus est.

XXXV.

(1) *mala*.
(2) *execrabat*.
(3) *fœderata sensit*.
(4) *se extremuit, dicens*.
(5) Hoc est: ut Comes, non ut Episcopus.
(6) Petrus Epist. 1. c. 2.
(7) *præexcellenti*.
(8) Ad Rom. cap. 13.
(9) deest. *contempsit*.
(10) Esajas cap. 3.
(11) deest. *viri*.
(12) *minuatim*.
(13) deest. *omnimodo*.
(14) *ex corde*.
(15) *cujusque cum Marianis*. corruptè.
(16) Chron. *Commarchianis*.
(17) *evictionem prædictæ*.
(18) ann. 866.
E
(19) deest. *penes*.
(20) deest. *mensibus*.
(21) deest. *circumcirca*.
(22) *Aldechiso*.
(23) ann. 866. exeunte.
(24) ann. 867.
(25) deest. *eorum*.
(26) *perpulsi*.
(27) ann. 867. mense Aug.
(28) *ammittente dextera*.
(29) ann. 871. Vide Chr. Comit. Capuæ Num. 5.
(30) *peractis*.
(31) *intra*.
(32) ann. 871. men. Aug.
(33) *certosque*.
(34) Zach. cap. 13.
(35) *dilatata*.
(36) Regum l. 4. c. 2.

XXXV. A solo autem Domino jubente, Cæsar insciens, statim Saraceni Salernum (1) applicuerunt, quasi XXX. millia; quam graviter obsidentes, hinc & inde cuncta forinsecus stirpitùs deleverunt, occisis in ea innumerabilibus colonis, & depopulati sunt ex parte Neapolim, Beneventum, & Capuam. Quo tempore ambo Lamberti Comites Augusti furorem metuentes, Beneventum recesserunt, & ab Adelgiso honorificè suscepti sunt; quorum auxilio fretus, super Saracenorum (2) scaram irruit, & viriliter stravit, occisis ex eis penè tribus millibus viris. Quibus etiam diebus Capuani juxta Suessulam mille ex eis peremerunt. Cùmque in hac obsidione prope (3) terminaretur annus, misso exercitu jam dictus Augustus per suggestionem Landulfi Præsulis (hoc enim solummodo memorabile bonum gessit à die ortus sui) (4) perdidit ex profanis in Capua fermè novem millia viros. Post hæc per semetipsum dignatus est (5) advenire Capuam; cujus adventu cognito Saraceni, Salernum relinquentes, Calabriam adeunt, eamque intra se divisam reperientes, funditus depopularunt, ita ut deserta sit, velut in Diluvio. Priùs enim quàm fugam arriperet nefanda gens, hujusmodi signum de Cœlo Deus multis ostendit: faculam igneam permaximam (6) præpete cursu, in medio navium jecit, quam mox secuta est tempestas, quæ cunctas Liburnas frustatim dirupit. Guaiferius verò pro sua obsessione primùm Petrum cognatum suum, & Guaimarium filium suum Legatos ad jam fatum Augustum misit, quos ille consilio Landulfi retinuit, & exilio destinavit. Hujus etiam postea duos filios obsides suscepit, & Langobardiam misit.

XXXVI. Per (7) idem tempus jam dictus Cæsar Landulfum in familiaritatem alliciens, tertium in regno suo constituit. Qua electione indeptus, Archiepiscopatum totius Beneventi omni aviditate, & ut Capua Metropolis fieret, quæsivit; sed non Domino sinente, ad perfectum minimè pervênit. Lodoguicus autem volens Beneventum acquirere, sed minimè valuit, ad propria (8) recessit, conjugem, natamque suam Capuam relinquens. Qua occasione reperta, idem Landulfus Guaiferium Principem, cui noviter juraverat, apprehendi fecit, & in custodia detrudi; sed quia non ea contigit illis, quæ putabat, dimissus est, & filios Landonis, Landonem scilicet, & * (9) Landulfum cognatos suos, pro se obsides dedit, quos secum remeans Augusta detulit, & Ravennam exilio reliquit. (10) Proles autem ipsius Augustæ Capuæ remansit; illaque abeunte, non multum post genitor illius divæ memoriæ Lodoguicus diem (11) clausit extremum, sicque fili Gaiferii, & Landonis absoluti sunt. Qui dum ad proprium solum repedassent, filios (12) Pandonis extra urbem suam exules invenerunt, sociatique sunt illis; quorum nexionem Landulfus ut intellexit, doluit: Guaiferium Principem mox evocavit ad solatium suum; qui sinè mora veniens, utrosque fratres subdidit famulatui illius.

XXXVII. Cur autem jam dicto Augusto supradictum opprobrium, Domino permittente, Beneventani inferre quiverunt, de multis duo inferam. (13) Primum, quia veniens quodam tempore Romam, ut duos Episcopos condemnatos ad pristinam reduceret (14) dignitatem; & dum nollet ei consentire (15) Nicolaus Papa, vir Domino plenus, secundùm antiquum morem obviam ei venit candidatum Sacerdotale agmen; & ille, spreto timore Dei, fustibus Clerum cædi fecit: cruces verò, omniaque sacra ministeria pedibus calcari, (16) Romamque penè milliari spatio (17) deprædatus est, Vicariumque Petri Beati, quasi vile mancipium, ab officio sui ministerii, nisi Dominus restitisset, privare voluit. (18) Secundum, quia capta Bari, & Saugdan omnium hominum flagitiosissimo, non juxta voluntatem Domini eum protinùs, ut dignum erat, crudeliter (19) interfici fecerit: oblitus videlicet quid Samuel (20) coram Saule de Agath pinguissimo Rege Amalechitarum egerit, quomodo eum in frusta discerpi fecerit. Quemadmodum etiam quidam (21) Propheta Samariæ Regi de quodam scelerato viro dixerit. (22) *Quia dimisisti*, inquit, *virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima illius*.

XXXVIII. Dimisso igitur Adelgis (23) Lodoguico Cæsare, thesaurum omnem retinuit, & Saugdan, & Annosum, nec non & Abadelbachi. Reparatis etenim viribus Saraceni in Tarento, quos penè captos reliquerat Augustus, cœperunt pedetentim Barim, & Cannense territorium deprædari: quibus ter occurrit Adelgis in finibus Apuliæ. Quibus nihil prævalens, (24) invictor ille, & intriumphator abscessit. Quo etiam tempore (25) Atmagnus, quia Saugdan exul fuerat ab Africa cum Annoso, veniens, Tarentum intravit, (26) & Rex effectus est; egressusque, Beneventum graviter deprædavit, & Telesam, & Alipham: (27) tantamque victoriam adeptus est, ut Saugdanem jam sæpe dictum (28) in potestatem ab Adelgiso recolligeret. Nam Annosum, & Abadelbach ante (29) Apocrisarios illi miserat. Hoc (30) audientes qui Bari residebant, Gregorium Bajulum Imperialem Græcorum, qui tunc in (31) Odronto degebat, cum multis exercitibus adsciverunt, & (32) Barim (33) introduxerunt ob Saracenorum metum. Qui statim apprehensum (34) Ganst, illiusque Primores

(1) ann. 871. exeunte.
(2) *Sacram.* corruptè.
(3) ann. 872. exeunte.
(4) *& perdidit*.
(5) ann. 873. ineunte.
(6) *plebent*. corruptè.
(7) ann. 873.
(8) ann. 874.
(9) *Landonulfum*.
(10) *Plex. Plebs*.
(11) ann. 874. Sed aliis ann. seq.
(12) *Landonis*.
(13) *Primò*.
(14) *sanitatem*.
(15) Annales Bertiniani fusius hæc notant ad ann. 864.
(16) *Romaque*.
(17) *deprædata*.
(18) *Secundò*.
(19) *interfecerit*.
(20) Reg. lib. 1. c. 15.
(21) Reg. l. 3. c. 20.
(22) *Quare*.
(23) ann. 871. sive 872.
(24) *invictus ille, & triumphator*.
(25) *ut magnus*.
(26) deest. *&*.
(27) *tantáque victoriâ*.
(28) deest. *in*.
(29) *Procrysarios miserat*.
(30) *audiente*.
(31) *Ydronto*. *Hidrunto*.
(32) *Barum*.
(33) ann. 876.
(34) *Garst*. Chron. *Castaldeum*.

mores Constantinopolim misit, ut quibus jurejurando fidem dederat.

XXXIX. Interea ipsi Græci crebriùs Legatos cum fœdis Benevento, Salerno, & Capua dirigebant, ut ab his auxiliarentur contra Saracenos. Sed in uno animo eorum spernebant flagitationes. Tunc Salernum, Neapolis, Gajeta, & Amalphis pacem habentes cum Saracenis, navalibus Romam graviter angustiabant depopulationibus; Sed cùm Carolus filius Juditæ sceptrum insigne Romam (1) suscepisset, Lambertum Ducem, & Guidonem germanum illius Joannis Papæ in adiutorium dedit, cum quibus Capuam, & Neapolim (2) profectus est, (3) & Guaiferius in cunctis contendens, fœdus dirupit, & multos ex eis peremit. Sergius verò Magister militum consilio Adelgisi, & Lamberti deceptus, noluit se ab illis alienare; qui statim anathematizatus est, & cum Guaiferio belligerare cœpit; unde contigit, ut ipse octavo die anathematis XXII. Neapolites (4) milites apprehensos decollari fecit: sic enim monuerat Papa. Quo etiam anathemate mulctatus idem Sergius, non multò post à proprio germano captus est, & Romam mittitur (5) suffossis oculis, ibique miserabiliter vitam finivit. Ipse autem frater ejus in loco illius se ipsum Principem (6) instituit: Adelgis verò dum Castrum (7) Trebentense (8) obsidens caperet, ad propriam remeans urbem, à suis (9) generis, nepotibus, & amicis (10) extinctus est, (11) & in loco ejus Gaideris filius Radelgari nepos extincti ordinatus est, ejectusque (12) est (13) Cailo, (14) & Duiferius (15) generi illius. Hic etiam principare voluit, cujus cupiditate socerum suum peremit. Hic quoque susceptus est ab Athanasio Episcopo, & Magistro militum.

XL. His quoque diebus Landulfus jam fatus Præsul percussus (16) interiit: qua die suæ correctionis ab omnibus Presbyteris Sancti Benedicti Cavallos expectabat, ut in Barathrum non absque equis rueret. Videntes autem nepotes illius depositionem, in unum collati diviserunt inter se sub jurejurando Capuam æqua distributione. Pandonulfus urbem Teanensem, & (17) Casamirtam; Lando (18) Berelais, & Suessam; alter Lando Calinium, & Cajaziæ. Atenulfus cœpit ædificare castrum in Calvo. Landulfum autem adolescentulum Landonis filium alii sacramento, (19) nonnulli assensu unanimiter Pontificem (20) constituerunt. Sed, segnitie proprii genitoris, qua naturaliter torpet, detentus, non est mox sacratus: sacramentum autem fraternum non diu extitit illæsum; nam à IV. Idus Martii usque ad VII. Idus Madii vix perduravit. Cupiditate etenim extorti filii Pandonis Landonulfum, & Atenulfum fratres suos, filios videlicet Landonulfi senioris, dolo cœperunt, & custodiæ indiderunt, (21) rapto ab eis Cajaziæ castro, quod eis sacramento sponte ipsi in sorte (22) concesserunt.

XLI. Sed ut cœpta breviter prosequar, filii Landonulfi juncti cum filiis Landonis ad auxilium Guaiferii Principis se contulerunt: à quo aliquando & tutati sunt. Similiter Pandonulfus ad eundem Guaiferium Legatos cum chirographis variis misit: sed ab eo minimè receptus est, favens supradictis fratribus. Cernens autem prædictus vir omnino se destitutum, Guaderisum Principem, & Gregorium Augustorum Bajulum, qui (23) tunc cum dicto Guaiferio Nolam ad colloquendum in unum convenerat, ad Beneventum (24) properanter Legatis (25) invitabat, ut (26) quivis primùm (27) veniret eum ad adjuvandum, & esset (28) illi subditus. Quibus ex diverso sinè mora per Cajaziam, Sicopolimque adventantibus, ab occasu juxta urbem Capuanam resederunt. Guaiferius autem (29) econtra ab ortu Solis adveniens Berelais, hoc est Amphitheatrum, (30) applicuit cum suis, & vallata est civitas hostibus.

XLII. Inter hæc Pandonulfus renuit subdi (31) Gaideriso, sicut promiserat, renitente maximè Landone filio Landonulfi, cognato ejusdem Gaideris. Qua de re (32) & dictus Bajulus, & idem Gaideris alienati sunt ab eo. Mox alii per urbem Capuanam, nonnulli lintris fluvium transierunt partem ad alteram, (33) & Guaiferio sociati sunt: atque recollectis Landonulfo, & Atenulfo, fratribus (34) junctis, volentes Pandonulfum subdere Guaiferio, sed non (35) quiverunt; eo quòd nolebat fratrueles suos recipere intra urbem, idcirco à Guaiferio respuebatur. Agnoscentes autem supradicti viri versutias Pandonulfi, reversi sunt ad propria. Guaiferius autem tunc remansit in urbe Capua. Hac quippe tempestate penè omnes Capuani illustres, & omne vulgus cum uxoribus, & liberis, omninoque cum omni (36) supellectili urbe egredientes, alii filiis Landonis, nonnulli autem ex eis filiis Landonulfi adhæserunt, factaque est inter eos valida concertatio, (37) & pessima desolatio; nam Guaiferius hostiliter juxta murum urbis residens, obsidebat eam; ultra fluvium verò cum Francis Lamberti Comitis Landonem constituit.

XLIII. Alio quoque anno superveniens (38) jam fatus Guaiferius Princeps cum Amelphitanis (39) tempore messionis, & obsedit dictam urbem undique; factaque pace inter se fratres sub sacramento, ita dumtaxat: *Ut neuter eorum triticum de agris priùs recolligeret in urbibus suis, quàm ab Apostolica auctoritate anathema mitteretur*

(1) ann. 875.
(2) ann. 876. & 877.
(3) deest. *&*.
(4) deest. *milites*.
(5) *& suffossis ocul. ibi miser*.
(6) ann. 877.
(7) *Trebetense*. Chronic. *Trivensem*.
(8) *obsessum*.
(9) *generibus*, *nepotis*, *& amicis*.
(10) ann. 878. sive 879.
(11) Chronic. *& amicis non longè ab urbe extinctus est*.
(12) deest. *est*.
(13) *Bailo*.
(14) deest. *&*.
(15) *gener*.
(16) ann. 879.
(17) *Casertam*.
(18) *Berealis*. *Berelasis*. & *Berolassi*.
(19) *nonnullorum*
(20) ann. 879.
(21) *capto*.
(22) *cessarunt*.
(23) deest. *tunc*.
(24) *properabant legatos*. *properabat legatis*.
(25) ann 879.
(26) *quàm primum*, *qui viæ primum*.
(27) *venirent*.
(28) *ille*.
(29) *e contrario*.
(30) *perampliavit*.
(31) *Guaidiriso*.
(32) *edictus*.
(33) deest. *&*.
(34) *junctus*.
(35) *quieverunt*.
(36) *cupiditate*.
(37) *& pessimè desolabat eam*. *Ultra fluvium verò &c.*
(38) deest. *jam fatus*. (39) ann. 880.

tur super eos. Ut ingressis dictam urbem nullus eorum super alios auderet insurgere. A Guaiferio igitur reverso ad solum proprium, illico Pandonulfus Sacramenti oblitus perjurus effectus est; nam Romam, ut spoponderat, minimè (1) missos destinavit, & contra animam suam agens, triticum omne recepit, quem statim ultio Divina subsecuta est, nam cœlitus ignis demissus est, & penè (2) mediam funditus (3) consumpsit memoratam civitatem.

XLIV. Per idem tempus Athanasius Præsul Neapolis Magister militum præerat, qui ut præmisimus, exulato fratre proprio, cum Saracenis pacem (4) iniens, ac primùm infra Portum æquoreum, & urbis murum (5) collocans, omnem terram Beneventanam, simulque B Romanam, necnon partem Spoletii diruentes, cunctaque Monasteria, & Ecclesias, omnesque Urbes, & Oppida, Vicos, Montes, & Colles, Insulasque deprædarunt. A quibus etiam cœnobia Sanctissimi Benedicti decentissima, toto orbe veneranda, S. Benedicti, & S. Vincentii Martyris Monasteria igne exusta sunt, aliaque innumerabilia, exceptâ Suessulâ, quæ veraciter Christianorum fraude miserabiliter suffosa est. Huic igitur sociatus est Pandonulfus, cujus adminiculo fretus, acriùs cœpit persequi fratrueles suos; ac primo tempore labores eorum hinc & inde (6) abstulit, atque cum Neapolitibus, Cajetanis, ac Saracenis unitus, biduo super castrum (7) Pilense irruens expugnavit, C nihilque proficiens, inanis abscessit. (8) Sequenti verò anno generaliter motionem faciens cum suis, Neapolitibus, & Saracenis, super Colossum, quo filii Landonis degebant, insedit: priùs tamen illos, qui residebant in Termis (9) juxta Arenam, pecuniata deposuit, & Capuam remisit; illis verò, videlicet filiis Landonis, in Amphitheatro circumseptis, pacem cessit, accipiens ab eis Liburiam sub sacramento. Qua etiam vice memoratus Pandonulfus denuo super Pilanum castrum cum Neapolitibus, improvisa irruens fraude, cœpit, ab eis, qui (10) interiùs ibi morabantur, traditum; ubi & ego captus sum, & omnibus bonis à pueritia (11) acquisitis exutus. Ipse pe- D dester ante equorum capita usque ad urbem Capuanam exul evectus sum X. Kal. Septembris anno Domini DCCCLXXXI.

XLV. Pandonulfus autem confestim exercitaliter super Calvum profectus est, stipatus agmine Neapolitum; ibique munitionem extruens, residebat. Sed filii Landonulfi cum suis viriliter eis resistentes, subitò idem recessit, à filiis Landonis, jampridem ablatâ Suessâ, sacramento eis olim largitâ. Sed, ut ad priora nunc calamum vertam, (12) apprehensus Atenulfus à suprafato viro, Lando germanus ejus non segniter egit; nam mox Calvense castrum, propter quod captus est idem Atenulfus, cum suis cœpit ædificare; pars autem nobilium parata E erat ad prælium, & pars vulgi vallis, & parietibus construebat; sicque consummatus est. Post (13) biennium ferme (14) igne consumptum, ab eodem Landone reparatum est memoratum castrum; quò abiens cum universis suis, & casis datis per singulos concives oppidi de ministerio suo, & vasis * (15) humatis victualium, quoque & vinum, omni vigilantia desudans, ad pristinum statum dictum oppidum erexit.

XLVI. Et hoc in superiori parte non est prætereundum annectere; quòd in principio rixæ cùm idem Pandonulfus fratrueles suos (16) persequebatur bestiali efferitate, Landulfum Electum filium Landonis, de quo supra mentionem fecimus, cui sedem S. Stephani Episcopalem ipse sub jurejurando tradiderat, à Claustro Episcopii expellens, & humili loco, in cella scilicet Ministeriorum, degere constituit; & sibi in Zetula Episcopali mansionem exhiberi jussit: quod & factum est. Hoc cernens fatus dicti Electus; metuens dicti viri versutiam, egressus ex urbe, Episcopalem ad Sedem propriam B. Protomartyris properavit, quo possit quietam ducere vitam. Interea occasione reperta Landonulfum germanum suum conjugatum Clericum fecit, mittensque Romam Joanni Papæ, Episcopum fieri exposcit, in quo & exauditus est.

XLVII. Pro hac insania, & fraterna, civilique expugnatione nixiùs flagitati Berthar sagacissimus Abbas Monasterii supradicti Sanctissimi Benedicti, & Leo venerabilis Præsul Teanensis Urbem profecti sunt, adieruntque dictum Pontificem, obsecrantes eum suppliciter, ut tam grave piaculum non ageret, unde ruina terræ, & sanguinis effusio procul dubio fieret; cui etiam dictus Abbas expresse inquit: *Certè si hoc exercuerit tua Potestas, talem ignem illuc accendis ad te usque pertingentem.* Prævalens tamen voluntas Pontificis Landonulfum Episcopum ordinavit. Hoc (17) ideo factum est, quia Pandonulfus priùs se subdiderat dicto Papæ, in cujus vocamine, & chartæ exaratæ, & nummi figurati sunt. Juxta præscientiam dicti Abbatis talis itaque ignis exortus est, ut omnis Beneventana tellus; & ipsa Romana à Saracenis (18) propemodum funditus depopulata sit. Pro qua causa dictus Papa (19) bis venit Capuam; & primò dum resedisset juxta urbem in loco, qui (20) Antenianus dicitur; omnes Langobardi hostiliter illum adeunt; nam ex una parte Athanasius Episcopus cum Pandonulfo aderant: ex alia verò parte (21) utrique fratrueles cum Gaiderisо, & (22) Guaiferio Principibus (23) habentibus Græcos, advenerant; & quotidie, præsente Papa, utræque acies in præcinctu (24) prosiliebant. Qua (25) oneratus intentione Landulfum pridem Electum (26) consecravit Episcopum in Ecclesia B. Petri (27) Capuani, cunctumque Episcopatum inter ambos æqua por-

(1) *Misso*.
(2) deest. *mediam*.
(3) ann. 880.
(4) ann. 879.
(5) *conlocatus*.
(6) ann. 880.
(7) *Pileaze*. *Pilinse*. *Pilerze*. infra. *Pilanum*. an. *Polentiæ* de quo Num. 30.
(8) ann. 881.
(9) *super*.
(10) *intus*.
(11) *exquisitis*.
(12) ann. 879.
(13) ann. 881.
(14) deest. *igne*.
(15) *umaris*.
(16) ann. 879.
(17) deest. *ideo*.
(18) deest. *propemodum*.
(19) ann. 879. & 881.
(20) *Antinianus*. *Atinianus*.
(21) *utrisque*.
(22) *Gaimarrio*.
(23) *habentes*.
(24) *exiliebant*.
(25) *onoratus*.
(26) ann. 881.
(27) *Capuæ*, *totumque*.

portione dividi præcepit: Ecclesia verò, in qua consecratio celebrata est, paulò post à Saracenis à Pandonulfo (1) advocatis, & ab Athanasio missis, igne media exusta est.

XLVIII. Circa hæc (2) tempora Guaiferius Princeps Monachus effectus est, languore depressus est gravi, diem clausit extremum. Et quia (3) ob incursionem Ismaëlitarum corpus (4) ejus ad Cœnobium (5) B. Benedicti patris ferri non valuit, Teanensi Castro in Ecclesia humatum est, donec cœlitus requie præstita ad sanctum locum vehatur. Per idem tempus Iserniam, & Suessulam uno mense, castrum etiam Bovianum eodem anno capta, & combusta sunt. Quo tempore (6) supradictus Gaideris à Landone cognato suo alienatus, Pandonulfo sociatus est, filiamque ipsius suo tradidit filio; sed (7) in proximo à (8) Tribulibus dicti Landonis captus, ac custodiâ mancipatus est; ejusque in loco Radelgis filius Adelgisi Princeps est constitutus; qui tribus vix annis imperans, à Beneventanis (9) ejectus, & Ajo frater ejus loco illius subrogatus est. Gaideris verò Franchis traditus in custodia, fugâ lapsus, pervênit urbem Barensem, qua morabantur Græci; à quibus missus est ad Urbem Regiam Basilio Pio Augusto, à quo honoratus, ditatusque donis Imperialibus (10) Oëriam urbem accepit ad convivendum.

XLIX. Hac (11) tempestate Pandonulfi (12) nimietatem non ferens Athanasius, relinquens eum, filiis Landonulfi, & Landonis copulatus est in societatem. His diebus idem Præsul missis Apocrisariis Siciliam, Saracenis ad radicem montis Besubii residentibus (13) Suchaymum Regem exposcit, illisque veniens præfecit. Sed justo Dei judicio, primò omnium super eum insurgens, cœpit Neapolim graviter (14) affligere, & devorare omnia exteriùs, ac puellas, equos, & arma (15) vi expetere. Hoc turbine exactus, & ut Apostolicum anathema, quo erat (16) innodatus; à se, & urbe sua expelleret, Guaimarium Principem, omnesque Capuanos ex urbibus, & oppidis, cunctosque maritimos in suum adjutorium advocavit, & Saracenos ab eodem loco vi pepulit: illi autem abeuntes, Agropolim castrametati sunt. Hoc facto, non multò post prædictus Præsul unà cum filiis Landonis, & filiis Landonulfi super Capuam (17) Pandonulfum capturus advênit, dictamque urbem (18) hinc & inde obsidens affligebat. Qua necessitate compulsus Pandonulfus Radelgisum Principem, cognatumque suum in auxilium invitavit. Is autem, segnitie seposita, mox Ajonem germanum suum advocans in comitatu suo, Capuam, qua residebat (19) expugnans, audacter ingressus est. Post hæc Ajo cum Beneventanis, & Capuanis

A egrediens, cum filiis Landonulfi Amalphitanos habentibus, certamen iniit, & aliquandiu pugnatum est juxta portam urbis; cùmque neutra pars alteri cederet, utræque acies ad sua reversæ sunt.

L. (20) Repedante itaque Radelgiso ad propria, Athanasius ad solita recurrens arma, simulavit universos fratrueles pacisci, cohortatusque est eos, ut dato sacramento ad alterutrum, omnes ingrederentur urbem, communiter habitaturi. Sed Pandonulfus ab eodem Præsule sacramentum accipiens, ne ullas contra eum moliretur insidias, tunc omnes fratres in unum adunati Capuam adierunt, dato priùs Amphitheatro eidem Athanasio, & ille (21)
B Guaiferio ad cohabitandum tradidit ad perpetuum Capuanorum jurgium. Cùm verò adessent universi, ut diximus, omnes juraverunt, ut pacifici, & sinè ulla molestia dicti viri intrarent ad commorandum. Pandonulfus autem recepit eos ovans cum Clericis veste amictis candida; illi (22) autem mox (23) ingressi intro apprehenderunt Pandonulfum, & Landonulfum fratrem ejus, quem supra Episcopum descripsimus, cum omnibus consentaneis, sequacibus, & (24) fautoribus eorum, (25) & hi duo missi Neapolim; (26) post hæc, & uxores, filii, & filiæ missæ sunt illuc.

LI. Inter hæc Saraceni totam supradictam terram crudeliter laniabant, ita ut desolata
C terra cultoribus, (27) sterpibus, & vepribus repleta fatiscat. Guaiferius autem Colosso residens, suasus ab Athanasio, immo & Athanasius ab illo coactus, bellum cœpit inferre dictis fratribus, atque cum Saracenis (28) nimiùm eos affligebat, & acriùs insequebatur. Tunc nutu Dei; à quo omne procedit bonum, (29) quendam Agarenum ab Africa evocans, Regia de stirpe procreatum, Agropolim, inde Garelianum, in quo (30) residebant agmina Ismaëlitica, misit, atque omnium illorum mentes accendens, ejus hortatu universi Saraceni, tam de Gareliano, quàm de Agropoli communiter collecti, Calabriam, qua (31) residebat
D Græcorum exercitus, super Saracenos in Sancta Severina commorantes, properarunt; ubi & omnes Grajorum gladiis extincti sunt. Dehinc Amanteum castrum captum est: deinde, & (32) dictæ Beatæ Severinæ oppidum apprehensum est.

LII. Basilio Serenissimo Augusto atque his diebus (33) defuncto, duo filii ejus in Imperio sunt electi; idest Leo primogenitus, & Alexander subsequens; tertius verò, Stephanus nomine, Archiepiscopatum ejusdem urbis (ejecto Photio, qui olim à Nicolao primæ Sedis Pontifice ob invasionem Episcopatus Ignatii adhuc superstitis, perpetuo anathemate fuerat mulctatus, & à Joanne Papa, ut ita dicam,

 igna-

E

(1) *vocatis*.
(2) ann. 880.
(3) *ab incursione*.
(4) *illius*.
(5) deest. *B.*
(6) *suasus*.
(7) ann. 881.
(8) *Tribunalibus*.
(9) ann. 884.
(10) *Oriam*.
(11) ann. 881.
(12) *feriatim*. *feritatem*.
(13) *Sutbaymum*.
(14) *afficere*.
(15) deest. *vi*.
(16) ann. 881. mense Aprilis.
(17) deest. *Pandonulfum*.
(18) deest. *hinc & inde*.
(19) *expugnare*.
(20) *Repetente*.
(21) *Gaiferio*.
(22) *mox autem egressi*.
(23) ann. 882.
(24) *factoribus*.
(25) *& omnes missi*.
(26) deest. *post hæc*.
(27) *serpibus*.
(28) deest. *nimiùm*.
(29) deest. *quendam*.
(30) *præsidebant*.
(31) Adhuc vivente Imper. Basilio. Vide Cedrenum num. 229.
(32) *edictæ*.
(33) ann. 886.

A ignaro, ad pristinum gradum (1) resuscitatus) regendum suscepit.

LIII. Interea Athanasius solita fraude cupiens supradictos fratres sequestrare ad invicem, hinc Landoni (2) seniori, filio (3) videlicet Landonis singularis, præstantissimi viri, neptem suam adhuc lactentem in conjugium (4) cessit; ad hoc ut fila fœminarum illaquearent eum; (5) adscitumque eum monuit serpentino ore, ut consratrueles suos caperet, &, quod magis ambiebat, occideret: scilicet ut inter se rixantes, aut omnino interirent, aut deficerent, & ille Capuam caperet. Et quoniam Lando, licèt segnitie, ac (6) torpore naturaliter (7) frueretur, immobilis, & constans persistebat, re inchoata, (8) hoc advertens Athanasius doluit, & protinus consilium B reperit sibi accommodatissimum tunc, sed non in longum perniciosius; competenti etenim festinatione inter ista Atenulsum adscivit, eique secretiùs (9) infidit. *Ex omni gente Langobardorum, Capuam elegi mihi habilem; & è Capua, gentem vestram; & ex omnibus fratribus tuis, te solummodo prætuli consentientem mihi, & in cunctis obtemperantem, virumque industrium: idcirco si meis verbis aures tuas accommodaveris, in cunctis prosperaveris*. At ille cuncta se patrare (10) velle respondit imperata; cui ille. *Cape filios Landonis, & esto tu solus imperans Capuam, sicut progenitor tuus singulariter imperasse dignoscitur*. C Ille verò (11) hoc fratrum consilio distulit; qui reversus omnem venenosi Athanasii versutiam propriis innuit fratribus. At illi obstupefacti signo se crucis Christi munierunt, dicentes: *Ante moriamur, aut exulemus, quàm super fratres nostros justè, aut injustè insurgamus unquam: donec enim erit in manibus nostris, non insidiabimur sanguini nostro*. Mox etenim (12) cuncti filii Landonulfi munierunt se horribili, & penè inaudito sacramento cum filiis Landonis clanculo sub gravi anathematis interdictione; statimque Atenulfus abiens, Athanasio retulit voluntatem fratrum suorum ratam fore fratruelibus suis, & in nullo penitùs (13) amoveri. At ille durius (14) hoc accipiens, hostis factus est illis. D

LIV. (15) Eodem tempore Guaimarius supradictus Princeps, cùm nimiùm affligeretur ab Athanasio Episcopo cum Saracenis, essetque ex toto depopulata tellus ipsius, ita ut capi (16) potuisset, nisi divina pietas restitisset, ad Græcorum se contulit suffragium, à quibus (17) nobiliter est adjutus: nam & auro, & frumento adjutus est, & auxiliatoribus stipatus, qui custodirent urbem, & populum ejus, quod hactenus servatur, ut dictum est. Ajo autem Princeps Beneventi, & ante Principatum, & (18) postea, partim imbecillis, partim roboreus extitit.

LV. Ut autem post tergum redeam, abeuntibus Saracenis Calabriam, (19) illucque (20) pereuntibus, Decivilis Dux Cajetæ centum penè quinquaginta ex eis secum retinuit, ut sinè Sacerdotali officio non remaneret: ad instar Judaicorum Regum, qui diviso inter se bifariè Regno, (21) ut fertur, Levitæ ex maxima parte Hierosolymam, quò inerat Templum toto orbe authenticum, congregati sunt. De quo numero ex parte fati ferè ad centum viginti Saraceni urbem Teanensem (22) audenter adierunt, sicut priùs agere conspexerant, quando (23) quippe (24) duo millia quingenti erant; super quos Lando, ceu Leo, audacter cum suis (25) irruens, usque ad ultimam internecionem protrivit eos, ita ut de tanto numero non ampliùs, quàm quinque evaderent, cæteris (26) interfectis, ni fallor, centum quindecim.

LVI. Athanasius autem cernens se (27) delusum ab utrorumque responsionibus fratrum, tristior effectus est solito; sed ocyùs invênit consilium habile sibi; missis siquidem Legatis, trecentos Græcos (28) suum in auxilium adscivit, (29) Chasano eos præeunte. Tunc callidè pace facta cum Capuanis, mox quando (30) vindemia legitur, cùm esset Capua validè afflicta, & à foris depopulata, omnes (31) certatim egressi sunt, tam primores, quàm & mediocres ad vindemiandum; ille verò, suggerente hoc vel maximo Guaiferio Colossense, ex abditis Græcos, Neapolites, unà cum Theatralibus viris, & deprædavit totam Capuam, apprehensis in ea multis, & præstantissimis viris, peculiisque non modicis. (32) Ab illo igitur tempore omnia circumquaque devastans, Liburiam (33) vindicabat sibi; nam & Saracenos Agropolitanos, quos nuper de illius magnatibus, juxta rivulum Lanii non procul à Suessula, (34) qua ille nefandum perpetraverat scelus, ferme ducentos (35) peremerant viros, clam evocavit, & Capuam misit; ubi tunc egredientes Capuani validè restiterunt eis; ob hoc & absque præda ad castra repedarunt: Lando autem senior tunc apoplexiâ percussus (36) interiit.

LVII. Dictus itaque vir prout mente conceperat novis, & inauditis machinis insurgebat adversùs Capuanos, adeò ut (37) tempore Quadragesimali cùm omnis (38) plebs Christicola, & præterita defleret mala, & posceret à Deo, ut flenda minimè committat, ipso mediante, festo Dominico, subsequente (39) crepusculo, collectis Græcis Materensibus, Ægyptiis, & Neapolitibus, conscio Guaiferio Duce, præ-

(1) ann. 879.
(2) Sic scripti Codd. omnes.
(3) *ult. v3*.
(4) ann. 883.
(5) *adstitoque eum*.
(6) *corpore*.
(7) *premeretur*.
(8) *hoc audiens*.
(9) *infit*.
(10) deest. *velle*.
(11) *hæc*.
(12) *Juncti*.
(13) *moveri*.
(14) *hæc*.
(15) ann. 886. & primo Leonis, & Alex. Impp.
(16) *posset*.
(17) deest. *nobiliter*.
(18) ann. 884.
(19) *illuc*.
(20) Vivente Basilio Imp. ut sup. num. 51.
(21) Reg. lib. 3. cap. 12. & Paralip. lib. 2. cap. 11.

E

(22) *audacter*.
(23) *prope*.
(24) $\frac{M}{II}$ D sic semper.
(25) *veniens*.
(26) *infectis*.
(27) *derisum*.
(28) *sui*.
(29) *Chasanos*.
(30) ann. 883. sive 884.
(31) *certantes*.
(32) *At*.
(33) *vendicabat*.
(34) *quia*.
(35) *peremere*.
(36) ann. 884. vide tamen expansam tabulam Comitum Capuæ num. 7. & 8.
(37) ann. 885.
(38) *ples*.
(39) *crepusculoque*.

prætereunte (1) Chasano, urbem Capuanam tentavit invadere; atque ascensis murum, ac si trecentis viris armatis diversorum generibus telorum; sed omnes in Domino adjuvante, alii sponte ex eo desilierunt, qui quidem cervicetenus imis jacti sunt, nonnulli verò gladio occubuerunt. De nostris unus solùm (2) Onericus nomine, & ut fertur, à suis extinctus est. Bellum quippe (3) hoc narratum in muro arbiter judex non per belligerantes, & armipotentes egit viros, sed per quatuor impubes mirificè gessit ad laudem nominis sui. Ille autem confractis itaque viribus, quod conceperat minimè (4) agere cessavit; nam & Salernum per Saracenos priùs, & postea per Græcos multotiens capere molitus est, sed non est permissum à Domino.

LVIII. Eodem quoque tempore Guido filius Guidonis senioris super Saracenos in Gariliano castrametatos, ut retro redeam, hostiliter irruens, castra eorum dirupta deprædavit, & aliquantos eorum gladiis interfecit; reliqui montis per opaca, ut aqua, diffusi sunt. Is autem Capuam appropians ultra transvadavit, & ad pontem, qui Theudemundi vocatur, castrametatus resedit aliquandiu; & ablato ex Liburia frumento, aliisque victualiis, (5) Capuani refocillati sunt, cum eodem Duce non sunt fœderati. Sed cùm (6) retroverteretur, urbemque transiret, metu coacti subdiderunt se illi: ipso ad sua remeante erexit sæpesatus Athanasius viriliter contra eos, tulitque illis, adjutus auxilio Græcorum, omnia à foris, sataque, quæque videbantur possidere à parte Capuæ, nec non & superiùs; illaque replicata sunt (7) post reditum supradicti Ducis per Chasanum. (8) Multipliciter patrata sunt, quæ à me strictim sunt dicta.

LIX. Post hæc suggestum est eidem Duci, ut veniret quantocyus, & liberaret confidentes ipsi: sin autem omnino perditionem subirent; qui mox veniens Capuam, Ajonem Principem à Benevento ad se venientem consilio Capuanorum (9) cœpit, & sub custodia Beneventum duci fecit, in quam introiens ordinavit eam. Inde proficiscens, Sipontum ingressus est: Ajonem foris reliquit in castris. Cùm autem cognovissent Sipontini Ajonem seniorem suum captum, supra dictum Ducem, unanimiter irruentes, clausere in quodam Templo, captis (10) ejus optimatibus Hàc, (11) illacque tunc missum est, & abductus est Ajo, reddituſque est suis. Alio verò die sacramento dato, vix (12) cum dedecore elapsus est.

LX. (13) Dehinc Chasano Constantinopolim abeunte, quidam Stratigo Augustalis Joannem Candidatum, quem linguâ Pelasgicâ Joannicio vocant, cum trecentis belligeratoribus direxit Athanasio Episcopo, cum quo idem vir Capuam hinc & inde prædavit; atque ob perfidiam istorum Pandonulfum ex vinculis ereptum, libertati (14) restituit, & à Magiperto receptus est Suessam, qui junctus est Græcis, atque universa animalia Capuæ ablata sunt. Qua de re Lando filius Landonulfi, & Landulfus Episcopus adierunt dictum Ducem in Spoletum, ab eo petentes auxilium. Landulfus Episcopus à Spoletio reversus est: Lando autem cum eodem Duce per Sipontum Capuam advênit; qui per aliquos dies Atellæ residens, Capuam frumento implevit. Accepto nuncio, repente (15) Romam profectus est, Capuanos relinquens in manibus dicti (16) Præsulis. Is autem statim super Sanctum Heremum Græcos, & Neapolites direxit, quem diu obsidentes, eos qui in sublimibus residebant, cœpit, & deinde Capuam ex utraque parte graviter affligebant, ita ut quasi obsessa videretur; nam juxta Sicopolim Græci cum Neapolitibus, & Pandonulfo residentes omnia circumquaque stirpitus devorabant: unde contigit, ut octuaginta ex eis Calinium adhærentes, super Teanum latenter irruperunt; quibus ex (17) diverso Lando cum Teanensibus, & Atenulfus cum aliquantis Capuanis occurrerunt juxta Sanctam Scholasticam prope castrum Teani, à quibus & victi sunt.

LXI. Per idem tempus Monasterium B. Benedicti à Saracenis priùs dirutum anni Domini (18) DCCCLXXXIIII. ab Angelario venerabili Abbate ceptum est reædificari anni Domini (19) DCCCLXXXVI. mense Augusti. A quo reversi, dum Capuam repeteremus, à Græcis capti, exutique sumus, & exequitati; ablatisque equis, & spoliis, & ministris cunctis, homines argento redempti sunt; equos recollegimus (20) quinque: Ego autem solus cum præceptore pedestre remansi; à Capuanis delati sumus in urbem; inde Neapolim pertranseuntes, nihilque proficientes, infructuosi remeavimus Capuam. Deinde tria plaustra onerata victualiis, multisque opulentiis juxta Anglenam, quò priùs capti sumus nos, apprehensa, & deprædata sunt.

LXII. His (21) ita crudeliter gestis, Atenulfus Spoletium (22) pergens, dato pretio, Suabilum Gastaldum Marsorum cum aliis sociis (23) Bassis, quasi ad trecentos armatos, secum advexit; cum quibus & consilium iniit, ut Gastaldatum Capuanum illi firmarent; sed ingredientes Capuam, cùm hoc adimplere (24) nequissent dicti Franci, resistente, ac contradicente præcipuè Landone germano ejus, quem (25) dudum ipse cum cæteris fratribus Gastaldum in his, quæ ad eos pertinebant, instituerat, ab eodem Atenulfo absoluti, viâ, qua venerant, repedarunt. Tunc dictus Atenulfus consilio habito cum suis, Sadi cognatum suum ad Athanasium sæpiùs dictum subdolè misit, poscens ab eo auxilium, ut adjuvaretur singulariter fieri Comes in Capua. Hæc audiens gavisus est, & spopondit se in omnibus illum auxiliaturum. Cùmque hoc à plurimis, & maximè, terque, quaterque Landoni fuisset relatum,

(1) *Cassano*.
(2) *Hon.ricus*.
(3) deest. *hoc*.
(4) deest. *agere*.
(5) *Capuanis reconciliati sunt cum eodem Duce non desfœderati*.
(6) *retro reverteretur*.
(7) *Post reditum*.
(8) *multipliciter*.
(9) ann. 884.
(10) *suis*.
(11) *illac*.
(12) deest. *cum*.
(13) *deinde Cassano*.
(14) ann. 884.
(15) ann. 885.
(16) *Præsidis*.
(17) *adverso*.
(18) ann. 884.
(19) ann. 886.
(20) V.
(21) *itaque*.
(22) ann. 886.
(23) *Bassisque*.
(24) *nequivissent*.
(25) ann. 882.

tum, (1) illa solita segnitie, & torpore detentus parvipendens, pro nihilo ducebat hujusmodi nuncium.

LXIII. Exin memoratus Lando febris ardore succensus, Teanum (2) abiit (3) curandus à languore, quo detinebatur. Atenulfus interim à re cœpta, nec gressum, (4) neque mentem removit; sed (5) protinus effectivus existens parturire quod jamdudum corde conceperat, ob hoc Neapolim ire anxiabat festinus. Hoc ergo cùm ad aures Landonis pervenisset, illico (6) Alcisum, & Aldefridum Capuam misit, ut dictum virum suo hortatu à cœpto itinere deviarent, & adjecit: *Ego autem Missâ auditâ, & comestione finita, subsequar vos.* Illi enim (7) abeuntes fatum virum invenientes, retinere nequiverunt; erat (8) autem dies Dominicus. Deinde Lando proficiscens, eum minimè reperit, jam enim abierat. Quo facto substinuit Lando reditum ejus, illique reverténti dixit Lando, & cæteri fratres. *Quid egisti illuc, quò isti?* Quibus ille respondit verba bona, verbaque consolatoria, & deceptionibus plena. His auditis, & (9) nimirum creduli acquieverunt, credentes ei. Proinde Lando advertens fraternum dolum, sed somno sopitus, & negligentia depressus non intelligens telum latens, quo jaculabatur, donec transfigerentur fibræ jecoris ejus, & Teanum rediit (10) sanandus, ad quem (11) Landonulfus frater suus invisere veniens (12) Landonulfus solus in urbe relictus est.

LXIV. Cernens autem hæc Atenulfus, & videns sibi tempus adesse congruum, priùs simulavit se cum conjuge, & liberis de civitate egredi, & (13) Calvum, quasi ad habitandum, adire. Inter ista cum juvenulis, & pecunia ambitiosis paciscens, dato sacramento, & (14) promissis multis muneribus, disrumpens jusjurandum, quod cum filiis Landonis ter juraverat, cùm somni tempus advenisset (15) Sabbato post Epiphaniam, (16) hoc est VII. Idus Januarii, advocatis sodalibus suis, super filios Landonis irruit bellaturus. Filii autem Landonis non segniter se præparaverunt adversùs (17) hujuscemodi conamen; sed fugientibus eis, in quibus confidebant, concussi sunt validè. Maximè ex hoc turbabantur, quia putabant, quòd Lando cum omnibus germanis suis in hoc adesset (18) discidio. Videntes autem hi, quòd destituti essent ab omnibus, cesserunt Atenulfo, & egredientes noctu ex urbe, Teanum advenerunt, Landonulfus, Pando, & nepos eorum Guaiferius; clamantibus eis à tergo de civitate; *Nolite ire Teanum, quia certissimè capiemini.* At illi Teanum (19) propinquantes hæsitare cœperunt, ne (20) forsan à Landone tenerentur adstricti; nunciato itaque adventu suo, officiosissimè sunt suscepti.

A LXV. Atenulfus Gastaldatum Capuanum singulariter suscipiens, continuò se Comitem appellari jussit; moxque filium suum Athanasio obsidem direxit, sicut sacramento pollicitus fuerat, (21) Liburiam, & Capuam sub jurejurando illi concessit; Athanasius verò retinuit illius sobolem, quousque factum illi à Guidone (22) Duce repromissum susciperet dictus Atenulfus, acceptoque fœdere Gallico, reddidit illi filium, & custodita est pax inter utrumque anno uno, & mensibus (23) tribus. Per idem tempus missis Legatis idem Atenulfus Romam, Majone venerabili Abbate, & Dauferio Diacono, ut subderetur Stephano pio Papæ, essetque illi proprius famulus; & promisit (24) quoque ei B reddere Cajetanos, quos pridem callidè ceperat, adjuvaretque eum contra Saracenos Gareliano residentes. Quæ postea cuncta oblitus, ex his, quæ promiserat, nihil omnino adimplevit.

LXVI. His quoque diebus (25) Theophylactus Stratigo à Bari Teanum hostiliter advênit hiemis tempore, Saracenos tentans (26) impugnare; nihilque proficiens, infructuosus abscessit; abiensque Neapolim, Marinum Gastaldum Castri Sanctæ Agathæ Ajoni rebellem (27) accepit, & Apuliam rediens, nonnullas munitiones ejusdem Ajonis vi apprehendit; unde occasione accepta, idem Ajo adversùs Augustale dominium rebellionis jurgium (28) initiavit, C quod suo in loco inseretur.

LXVII. Ante hoc sanè tempus Guaimarius Princeps Constantinopolim ad Augustorum vestigia confisus, (29) abscessit; à quibus benignè susceptus est; (30) Patritius ab eis factus, cum honore ad propria remissus est. Cùm autem adhuc illic moraretur, Athanasius dolorem conceptum in opus erumpens, Græcos, Neapolites, seu omnes Capuanos generaliter movens, super (31) Abellanum misit castrum, quo tunc præerat Landulfus Suessulanus. Mox autem ut illic supervênit exercitus, fraude illorum, qui intro erant, captum est, apprehenso in eo Landulfo, & filio ejus juniore, nuruque illius, uxore videlicet Landonis, qui cum Guaimario D profectus fuerat.

LXVIII. His ita decursis, suasus Lando ab (32) Algegiso, aliisque Capuanis unà cum Guaiferio (33) in quandam tractoriam plaustro vehentem intromissus, Capuanam urbem ingressus est, atque ad Episcopalem abiit Aulam; ubi pauci ex vi congregati sunt, Atenulfo accelerante. Tunc commissum est prælium, mortuoque Valane, illustri viro, dissolutum est cor eorum, qui in parte Landonis erant, & cœperunt illum relinquere, & Atenulfo (34) associari. Tunc, licèt (35) fictè, pacis osculum sibi mutuò fratres obtulerunt, quod in arca cordis minimè retinebant. Lando autem post illa

E

(1) *ille*.
(2) ann. 886.
(3) *curaturus*.
(4) *nec admittens admo.*
(5) *promptus, & fervidus, existimans parturire se posse.*
(6) *Adelgisum, & Adelfridum*. An Alcisus est de quo num. 1. & 68.
(7) *abientes*.
(8) *enim*.
(9) *nimiùm*.
(10) *sanaturus*.
(11) *Landulfus*.
(12) Vide expansam Tabulam Comitum Capuæ. Nu. 8.
(13) *Calinium, quasi habitare*.
(14) *præmissis*.
(15) *Sabbatum*.
(16) ann. 887.
(17) *hujusmodi*.

(18) *dissidio*. Vide Da[illegible]queum in Orthogr.
(19) *appropinquantes*.
(20) *fortè*.
(21) *Licuriam* cæterum semper *Liguriam*.
(22) deest. *Duce*.
(23) ad mensem April. ann. 888.
(24) deest. *quoque ei*.
(25) *Theophylatus*.
(26) *in pugnam. in pugnas*.
(27) *præcepit*.
(28) ann. 887.
(29) ann. 881.
(30) *& Patritius*.
(31) *Abellarum*.
(32) *Agelgiso*.
(33) deest. *in*.
(34) *associare*.
(35) *finte*.

A illa cum Guaiferio ad propria remeantes, reliqui consentanei illorum capti sunt, & (1) vinculis innexi. Inter quos & Landulfus Præsul captus est, & custodiæ (2) trusus. Post non multum tempus per singulos dies omnes absoluti sunt.

LXIX. In (3) diebus illis, quando Atenulfus Gastaldatus regendi jura adeptus est, omnia quæque Beatus Benedictus infra urbem Capuanam possedit, fratribus exulantibus auferri præcepit; qua de re missus ab Angelario venerabili Abbate, (4) & Episcopo ego ipse vestigia Apostolorum adii, Stephanum Summum Pontificem postulaturus pro rebus nostris ablatis, à quo & benedictionem fratribus detuli, B & Privilegium nostri Cœnobii, & supradicto viro literas exhortatorias attuli: dominicalis res ablata reddita est, (5) mente autem ex toto subtracta, in proximo etiam cellam mihi ab Abbate traditam, concepto dolore, vi abstulit.

LXX. Interea cùm Atenulfus jam memoratus Capuanos cepisset, advertens Athanasius Capuam fortiter (6) concussam, cœpit occasionem quærere adversùs Atenulfum, & obsides ab eo, seu & pacem (7) innovare, decurrentibus inter alterutros missis. Majo supradictus Abbas, & (8) Ausencius Neapolim profecti sunt, quos Athanasius ad Amphitheatrum ire præcepit, simulque Atenulfum illuc adesse voluit, quatenus firmato fœdere unà cum Guaiferio Consule filium suum cum aliquantis è Ca- C pua obsidem mitteret. Hoc autem faciens, insidias tetendit latenter cum Græcis, & suis ad capiendum suos. Sed quia, ut conjicitur, adhuc non erat completa malitia, quę post paululũ divinitus (9) punita est, facta est morula; sed Atenulfus & filium suum infra urbem clausit, supradictos viros misit Arenam, (10) egressusque statim Græcorum cuneus supradictos apprehendit viros cum aliis, & deprædavit totam Capuam graviter; moxque sinè dilatione cunctum equitatum, & pedestrem exercitum mittens, omnia sata Capuæ succidi, exterminarique fecit funditus.

LXXI. Præsciens autem Deus dicti viri malitiam, & volens præstare Capuanis misericor- D diam in tam crudeli, impiaque persecutione, permisit eundem Athanasium in tantam elationem (11) prorumpere, ut etiam Beneventi fines bis, terque prædari faceret. Ajo autem tunc Bari degens (12) impugnabat Græcos impugnantes se. Qui (13) hoc audiens, illico, segnitie deposita, ferme cum tribus millibus bellatoribus clanculo veniens castrum in Abellinum. Ubi autem intellexit Græcos cum Neapolitibus residere super Capuam, radicitusque eam devastare, illico recto itinere super eos audacter adventare studuit: sed (14) quidam naturaliter zizaniorum sator Dauferius, (15) Dauferii nostri genitor, urbe Beneventi egres- E sus, subdolè, ac si secuturus Principem, ex diverso Capuam cursu properavit, & dicto exercitui adventum indicavit Ajonis. At illi relictâ Capuâ (16) præcipites Neapolim reversi sunt: Ajo autem iter, quod cœperat, peregit, illisque minimè repertis, Liburiam ingressus est: cum quo & Atenulfus abiit, & exustâ totâ penè Liburiâ, ac deprædatâ, populisque, & bestiis ablatis, puteisque (17) saxis oppilatis, Amphitheatrum profectus est; quo residens per aliquot dies, machinis, & diversis telis fortiter expugnavit. Ille, idemque abiens (18) castrum Sanctæ Agathæ insedit, atque Marinum Gastaldum sibi rebellem in fide ad se remeantem suscipiens, abscessit; aliquandiu (19) Beneventi commorans per Sipontum Barim reversus est.

LXXII. Atenulfus autem (20) ab Ajone, se subdens per sacramentum, in adjutorium sui centum viginti ferme bellatores suscepit; cum quibus graviter totam Liburiam deprædavit. Sed quia nonnunquam desperatio periculum gignere solet, generaliter moti (21) Materenenses è * Calvo, & aliquanti Capuani cum (22) dictis Apuliensibus juncti, Liburiam circumeuntes, Suessulam deprædarunt, & reverti cœperunt; quibus occurrit Græcorum, Neapolitumque exercitus juxta rivolum Lanii, atque in unum misti (23) supervalebat pars Atenulfi partem Græcanicam; sed superveniens scara Theatralis à tergo, & in medio circumsepti, devicti sunt, partim capti, partimque gladiis extincti sunt. Hac de causa audaciam sumens Athanasius, bellum cœpit expetere, unde Atenulfus non segnis redditus, continuò cum suis Atellam abiit; dumque prælium non invenisset, reversus est ad sua.

LXXIII. Cum non (24) multo post instigante inimico humano generi collecta Athanasius multitudine, exercitu misto Græcorum, Neapolitensium, & Ismaëlitarum, equitantium, & pedestrium, misitque illos adversùs Capuam pugnaturos: quibus occurrit Atenulfus ultra rivolum Lanii juxta Sanctum (25) Carsium, habens in comitatu suo auxiliatores ab Ajone missos, nec non & Saracenos: Saraceni verò ex utraque parte juncti steterunt, nulli eorum præbentes auxilium. Atenulfus talia cernens, acriùs super inimicos (26) suos insurgens, ac primo impetu potenti virtute superans, pertrivit eos usque ad ultimam perniciem, occisis ex eis plurimis, multisque captis, reliquos oppido fugere compulit, victorque triumphans ad castra onustatus, ac lætus cum suis omnibus repedavit: de suis autem præter unum amisit, Alderico nomine, & ipsum à suis, ut fertur, occisum. Ab hoc sanè die cœpit jam quasi potens esse Atenulfus, & Athanasius impotens. Hinc inchoavit omnia sata eorum, qui in Colosso morabantur, diripere, cunctaque bona eorum vehiculis diversis ad urbem trahere.

LXXIV. Hoc quoque, quod narro, omnes audient aures, pro ut Dominus sæpe parabolicè sequacibus suis dicebat: (27) *Qui habet aures audiendi audiat*. Ut omnis pavescat homo, stupeat,

(1) *in vinculis*.
(2) *tentus*.
(3) ann. 887.
(4) deest. &.
(5) *me autem*.
(6) *percussam*.
(7) ann. 888. mense Aprilis.
(8) *Ausentius*.
(9) *punienda est*.
(10) *aggressusque*.
(11) *perrumpere*.
(12) ann. 888.
(13) *hæc*.
(14) *quidem*.
(15) deest. *Dauferii*.
(16) *recipientes*.
(17) *saxo*.
(18) *super castrum*.
(19) *Benevento*.
(20) *Ajonis*.
(21) *Materenses*.
(22) deest. *dictis*.
(23) *supervale valebat*.
(24) ann. 888. Indict. 6.
(25) *Carcium*. vulgò, *Sancto Carzio* in agro Aversano.
(26) deest. *suos*.
(27) Matth. cap. 13.

ſtupeat, & ad Deum revertatur. Vel verò, ne quis obſtinatus animo remanſerit, contingat illi, (1) quod Dathan, & Abiron ſuperbientibus advênit nec non & Core cum fautoribus ſuis eveniſſe dignoſcitur. Guaiferius enim Præfectus Arenarum, qui penè omnia mala, quæ facta ſunt in diebus ejus, is opere ſuo geſſit, fecitque patrare; cujus præſtigio Romana tellus depopulata, Beneventana regio funditus deſolata eſt, at hoc, & exitium, & finem accepit; idcirco, Dei judicio, hoc modo illius ſcelus facinoroſus finis explevit. (2) Nam ſubitò ſuperna (3) inſpirante gratia, à qua omne bonum procedit, in illum excitati illi, à quibus ipſe putabatur ſalvari, mutata mente in eum ſurgentes, apprehenderunt, bonaque ipſius diripientes (4) vincxerunt, revertentes nihilominus ad ſolum, de quo (5) nunquam diabolicè abſciſſi ſunt; ipſumque Proconſulem deſpicabilem Capuam, Atenulfo (6) conſentientes, remiſerunt pane tribulationis, & aqua anguſtiæ (7) ſuſtentatum. Hoc facto univerſi, qui à propria ſede olim fuerant (8) exulati, ſuperbè ad ſuam obedientiam reverſi ſunt; factumque gaudium magnum, pax, & ſecuritas; cœperuntque præeſſe, qui ſubeſſe ſoliti erant; & qui per trecentos, & eò ampliùs annos imperaverant, ut legiſtis, præeſſe cœperunt iis, qui cum Saracenis vicerant per aliquot Soles. Tunc cœpit cohors Bardica triumphans, regnare ſuper eos, quos ſemper armis ſubegerant.

LXXV. Interea videns Athanaſius ſe in omnibus ſuperatum, pudore abjecto, pacis expetiit fœdus, quod adeptus eſt; (9) præmiſſoque jurejurando, pacti ſunt ad invicem. Primùm tantum ſacramentum ſiſtebat roboreum ad menſem, aut tempus annotinum: iſtud autem nec ad diem duravit duodecimum. Denique Iſmaëlitæ hàc, (10) illacque diſcurrentes, (11) invitantur ab omnibus, omnia devorant, univerſa conſumunt, & contra Neapolim unanimiter conſurgunt; æquo valde examine ipſum ſupernum jaculatus eſt ſolium, ut ab his proculdubio percelleretur, cum quibus Chriſticolum genus penè omne protriverat; prout (12) Joannes dicit in Apocalypſi; immo & Dominus per Joannem de Babylone. *Quantumcumque miniſtraverunt vobis, miniſtrate: in poculo, quo miſcuit, miſcete illi duplum.* Hæc autem audientes, nolite cor apponere, quòd Deus (13) hoc meritis alicujus (14) Prælati fecerit, ſed ſuâ miſericordiâ, & miſeriis hominum egerit motus; ut ipſe per (15) Pſalmiſtam dicit. *Invoca me in die tribulationis*, (16) *& eruam te, & honorificabis me. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras juſtitias meas?* &c. quouſque ait. *Hæc feciſti, et tacui: exiſtimaſti, inique, quòd ero* (17) *tui ſimilis.* In una tantum re moveor, quòd cùm dicat (18) Apoſtolus. *Væ qui prædaris, nonne & iſte prædaberis?* Quid ergo erit de his, qui prædant proximos, & proximas, traduntque proſtibulo? ita ne prædabuntur? Deinde ſicuti enim Neapolites vaſtantur, qui vaſtarunt, ita & nos, forſan, devorabimur, (19) qui nunc devorantes ſumus. Beati ergo, qui Domino cuſtodiente, immunes ab hac ſæculi procella exiſtunt, ubi omne malum, & nullum ſinè Domino bonum regnat, & (20) in æterna nominantur vita, qua omnis felicitas, & beatitudo perennis floret in ſæcula ſæculorum. Amen.

LXXVI. Ajo (21) denique à Benevento per (22) Sipontum Barim profectus; ſuper quam Conſtantinum Auguſtorum (23) Aulicum, & Patritium inſidentem reperit, rebelles Imperatorum viriliter impugnantem; adversùs quem dictus Ajo fultus auxilio Iſmaëlitarum, & vallatus agmine pedeſtrium Apulienſium audacter (24) inſurgens, primo impetu victor exiſtens, de hoſtibus plures interfecit; deinde à Conſtantino, qui cum tribus millibus equis in tuto conſiſtebat in loco, validè contritus, vix cum aliquantis urbem ingredi valuit Barim: reliquis aut gladiis, aut traditis captivitati. Is autem Græcorum obſitus vallo, infra urbem occultatur, ſuſtinens ſuffragium Atenulfi, quem pridem protexerat, & non invênit; nam & Gallos, & Agarenos, promiſſis aureis, ſæpiùs miſtim invitans, obtinere (25) nequivit.

LXXVII. Atenulfus ergo cum Athanaſio pace interim cuſtodita ferè (26) XI. diebus, ſciſſo fœdere, utraque pars ad prædam prorupit. Sed Capuani prævalidiores effecti, per ſe, & cum Saracenis graviter Neapolim circumquaque vaſtantes, lacerant, (27) & igne conſumentes omnia; æquo Dei judicio, ut qui Saracenis innumerabiles Chriſticolas gladiis, & captivitatibus tradidit, boniſque eorum ditatus eſt, non immeritò ab his flagelletur, rodatur, & prædetur, ut Salomon ait: (28) *Quis* (29) *miſerebitur incantatori à ſerpente* (30) *percuſſo?*

LXXVIII. Interea Atenulfus poſt Epiſcopi captionem, cunctumque Clerum ſacramento revinctum, ad nova ſe contulit, & recentia jura (31) Legis. Nam Monachos B. Benedicti pro rebus perditis jurare compulit, quibus ceſſum fuerat ab omnibus (32) retro Principibus, cunctiſque Auguſtis Gallicis, ſacramentum per ſe nulli homini dandum, niſi per Scariones; ſe autem in hujuſmodi negotio ſapientiorem, ac potiorem oſtendens prioribus.

LXXIX. (33) Defuncto autem Lamberto filio Guidonis ſenioris, filio ſuo (34) Spoletium reliquit; quo etiam decedente, Guido junior Spoletium, & Camerinum ſuſcipiens, cum

(1) Numer. cap. 16.
(2) Diebus 11. a victoria ad S. Carſium.
(3) *expirante. expiante.*
(4) *viguerunt. jungerunt.*
(5) *nunc.*
(6) *conſentiente.*
(7) *ſuggillaturum.*
(8) *ſuperbè exulati.*
(9) *prævioque.*
(10) *illac.*
(11) *invitabantur.*
(12) Apocal. cap. 18.
(13) deeſt. *hoc.*
(14) *relati.*
(15) Pſal. 49.
(16) *tuæ, eripiam te, & magnificabis me; nam peccatori dicit. Quare &c.*
(17) *tibi.*
(18) Eſajas. cap. 33. ſic dictus. Vide Hieron. ep. 103. ad Paulin. & Auguſt. de Civit. l. 18. c. 29.
(19) *quod.*
(20) *interna nominatur.*
(21) *autem.*
(22) *Sipontum.*
(23) *aulæ Patritium.*
(24) ann. 888. iiſdem diebus, quibus Amphitheatrum receptum eſt ab Atenulfo.
(25) *nequit.*
(26) *bis binis. binis.*
(27) *ut ipſi conſumantes.*
(28) Eccleſiaſtici c. 12.
(29) *medebitur.*
(30) *ſemel percuſſo.*
(31) *Regis.*
(32) *verò.*
(33) ann. 880.
(34) *Spoletum.*

cum Saracenis in Sepino castrametatis pacem fecit, obsidibus datis, & acceptis. Cujus etiam tempore supradicta Cœnobia, Urbes, & Oppida omnia à Saracenis capta, & exusta sunt. Regiam ad urbem legationem dirigens, contra jus faciens, pecuniam accepit; quamobrem à Carolo III. Augusto captus est, & nisi fugam (1) arripuisset, capite plectendus erat. Unum quippe illius narro factum haud (2) dissimile, quod in Gariliano gestum est. Denique cùm à Seponto idem Dux, Atenulso comitante, Capuam pergeret in loco, qui Gaudi dicitur, Arranem Ismaëlitam, Tyrannum crudelissimum cum trecentis penè sequacibus suis peremit. Cognoscens autem Guido Carolum Augustum (3) seminecem jacere, cupiditate regnandi devictus, deceptusque à contribulibus suis, (4) relinquens Beneventanam Provinciam sibi (5) subactam, (6) & Spolitentium Ducatum, abiit Galliam regnaturus; Beneventi quidem tellus à Græcis capitur; Spoletium deprædatur ab Agarenis: ipse autem manet invisus, & inauditus. Cùm verò (7) pervenerit, & auditus fuerit, quid (8) dixerit, vel quid egerit, scire volentibus per ordinem narrabo.

LXXX. Interea Ajone (9) obsesso infra urbem Barim à Græcis, atque auxilium efflagitante à Gallis, & suis, Atenulsus titubans Athanasii minas, Legatos suos ad Constantinum Patricium destinavit, qui residebat super dictam urbem, & fœdus (10) cum ipso statuens pacis vires resistendi Ajonis, astu doloso, avertit. His, & (11) hujuscemodi argumentorum decipulis dictus Ajo cernens se delusum, doluit; tandem necessitate coarctatus cum memorato Patricio pacem faciens, urbem remisit, & ad propria remeavit: Atenulso, & Majoni Abbati, (12) qui supra fata legatione functus fuerat, haud frustra minitans. Eadem tempestate dum idem Atenulfus Dauferium nostrum Diaconum (13) disponeret Tarentum, & inde Regiam ad urbem transmittere, ipse questus est adversùs eum de inopia: oborta inter alterutrum contentione, ad invicem sequestrati sunt, & Atenulso incubante Capuam, Dauferius Teanum commoraturus properavit. Paulò post concordiâ compositâ, ad eum, à quo se separaverat, regressus est.

LXXXI. Per idem tempus Græci navaliter à Constantinopoli ad Rhegium (14) tellurem adventantes, ex diverso & Ismaëlitæ ab Africa, & Sicilia properantes, utrique junxerunt se inter Messanam urbem Siciliæ, & Rhegium: & confringentes parumper (15) mortui cuncti sunt Græci; tantoque metu territi sunt reliqui Achivi, qui remanserunt, ut tam viri, quàm fœminæ, (16) & parvuli, relictis utriusque civitatibus cum omnibus, subsidium adepti sunt, nemine contrahens bella. Sed ut talia permiserit Divina æquitas illi belluinæ genti econtra narrabo breviùs. Achivi autem, ut habitudine similes sunt, ita animo æquales sunt bestiis; vocabulo Christiani, sed moribus tristiores Agarenis. Hi videlicet per se fidelium omnes prædabant, & (17) Saracenos emebant, & ex his alios venales Oceani litora farciebant, alios verò in famulos, & famulas reservabant. Talia, & his similia animadvertens Deus, tradidit illos in opprobrium, & in devorationem, ut pereant, & recogitent, & intelligant, quia in operibus suis diris Deum jaculati sunt. Acta sunt hæc in arcto spatio maris, quod dividit (18) Regnum à Sicilia, qui locus olim tellus erat, sed moderno tempore à Phari æquore occupatus est. Hæc itaque gesta sunt anno Domini DCCCLXXXVIII. mense Octobris.

LXXXII. Hoc etiam anno (19) reversus est Guido ad Italiam, (20) quam principare (21) cupit, sed obtinere (22) nequit. In Italiam juxta civitatem Brescianam cum Berengario, & ipso Duce conflictus, in quo nimirum conflictu utriusque partis acies crudeliter cæsa est. Spolia autem cæsorum à Berengario recollecta sunt. Pacti sunt (23) tantùm ad invicem usque in Epiphania, (24) quæ celebratur VIII. Idus (25) Januarii: Cùm autem uterque se junxerint ad pactum, vel ad bellandum, quod deinceps egerunt, præsenti Opusculo inseram.

(1) *arriperet*.
(2) *indissimile*.
(3) 887. exeunte, qui obiit 888. mens. Jan.
(4) *reliqua*.
(5) *subacta*. Vide Chronol. Pr. Benev.
(6) *è Spolitensium*.
(7) *pervenit*.
(8) *erit*.
(9) ann. 888.
(10) *cùm statuens*. *cùm statueret*.
(11) *hujusmodi*.
(12) *qui fata*.
(13) *rectè disponeret*.
(14) Sic quoque *tellures Theatbensium*. Num. 5. *in Barium tellure*. Num. 29. *Benev. tellus*. Num. 47. & *Romana tellus*. Num. 74.
(15) *victi sunt*. *mutuò juncti sunt*.
(16) deest, *& parvuli*.
(17) *Saracenis* an *à Saracenis?*
(18) *Regnum*. abusivè, ut etiam apud Ign. Cass. Nu. 4. idemque Erchemp. pari ratione Ducem Neap. dixit. *Principem*. *N.* 39. Sed hic, *Regnum*, terra est continens opposita Insulæ.
(19) *revertens*.
(20) *quo*.
(21) *cupiit*.
(22) *nequivit*.
(23) *tm̄*.
(24) *quod*.
(25) ann. 889.

Finis Historiæ Erchemperti.

DE CAPITULARI
PRINCIPIS SICARDI.

Omnibus ferme his in Opusculis bella resonant, quæ Langobardi, ac Neapolitani perpetui, infensique hostes invicem commisere; illaque tum Beneventani Dynastæ intulere, tum verò Campani, qui prout res humanæ circumaguntur, multoties eadem excipere sunt coacti. Videreque mihi videor priscos illos, summosque Beneventi Duces intento animo Capuam deduxisse suos Langobardos, Comites eis, sive Gastaldos præficientes, ut in agro celeberrima ubertate præclaro incessantes, validosque in adversarios opponerent pugnatores, qui susceptas semel inimicitias multa postmodum ætate, privatis quoque, novisque odiis exercuere. Hæc autem etsi tunc mansit rerum conditio, non tamen semper pacis requiem utrique detrectarunt, nec uno semper usi consilio; nam modò ab his, modò ab illis mutuæ amicitiæ expetita fœdera, concordi animo, sed non eadem semper lege, sæpe sæpius pepigere, definito permansura tempore. Siconis autem Beneventani Principis ætate, atque Sicardi ejus filii Neapolitanos illa expetisse, favoremque, immo imperium advocasse Imperatorum Ludovici, & Lotharii, qui Langobardis arma inhiberent, testem non dabo unicum Erchempertum ad Num. 10. *sed Auctorem alterum nil minùs eisdem rebus coævum, Joannem scilicet Diaconum Neap. in scripto Chronico Episcoporum ejusdem urbis, qui de Joanne agens Episc.* 43. *missum à Lothario scribit ad sedanda bella Contardum* fidelem suum (*sic eum adpellat Joannes*) *qui Neapolim pervênit Sicardo haud multo ante perempto. Idemque tradit, quòd eodemmet Principe adviviente, ac Neapolitanos innumerabilibus inruptionibus divexante, horum Dux Andreas Saracenos in eum advocavit, quapropter ab armis Sicardus abstinuit, atque fœdus cum Duce ad tempus iniit, sed illis mox à Duce dimissis, Princeps pacem fregit, tuncque contigit, ut exoratus Lotharius Contardum mitteret præmemoratum. Quæ autem, & qualia illa fuerint fœdera, ex Capitulari, quod subjicio, à Principe datum, antiquissimum sanè, maximèque memorandum, multiplicique excusum bono, cognosces. Namque ex eodem ritus multos, multasque Langobardorum leges, necnon Neapoli adjacentia, & subjecta olim loca, aliaque pariter antiquitatis non injucunda rudimenta fient manifesta. Idque ex iisdem corruptissimis exemplaribus Papyraceis excepi, quibus Erchemperti Historia, aliaque exhibentur Opuscula: mutilum quidem, nec levi mei animi angore.*

CAPITULARE
SICARDI PRINCIPIS BENEVENTI

Quo pacem dedit Joanni Electo Ecclesiæ Neapolitanæ, Andreæ Magistro militum, & populo illis subjecto ab anno DCCCXXXVI. ad annos quinque. (1)

INDEX CAPITULORUM.

Ex Papyraceis Codicibus.

I. *De Hostibus, & Scameris, qui per nostros fines in vestros transire voluerint.*

II. *De Collata, & pensione, & ut ante pignus stare non debeatis.*

III. *Ut Langobardus, nec Langobarda* (2) *nullatenus comparentur, nec in mare venundentur.*

IV. *Ut Tertiator si à Langobardo venditus fuerit, comparetur, & super mare non vendantur.*

V. *Ut negotiatores ab utrisque partibus illæsi permaneant.*

VI. *De fugacibus liberis, vel servis.*

VII. *De homicida, qui exercitalem, vel militem, aut simpliciter ambulantem occiderit.*

VIII. *De iis, qui justitiam exquisiverunt, & non receperunt, qualiter pignorare debeant.*

IX. *Ut si quispiam militem, aut aliam personam battere, aut ligare præsumpserit.*

X. *De eo, qui in furtum deprehensus est.*

XI. *De furone, & homicida, ut à partibus ambarum reddantur.*

XII. *De Actionariis qualiter peragatur.*

XIII. *De hominibus, qui per flumina transierint; & ut non detineantur navigia in partibus nostris.*

XIV. *De Tertiatoribus, & conjectionibus* (3) *illorum.*

XV. *Ut cavallus, & bos extra civitatem nullatenus comparentur.*

XVI. *Ut ante tertiam, & quartam contestationem Barbaricum pro quolibet casu non faciamus.*

XVII. *Ut pro pignore nullus audeat pignorare.*

XVIII. *Ut pro causa, causa non anteponatur.*

XIX. *Ut ubi exercitare volueritis à nobis nullam læsionem habeatis.*

XX. *Ut non præsumat aliquis Tertiatorem exercitalem, aut militem facere.*

XXI. *Ut si Tertiator absconsè exercitalis factus fuerit, aut miles.*

XXII. *Ut si quis homo liber uxorem duxerit Tertiatricem.*

XXIII. *De Legatariis qualiter illæsi permaneant.*

XXIV. *De fructa.* (4)

XXV. *De nefandis criminibus, vel aliis causis, si in Tertiatores devenerunt.*

XXVI. *Ut si aliquis cum Tertiatore causam habuerit à parte Reipublicæ.*

XXVII. *De Sigillatico, & Nuptiatico.*

XXVIII. *Ut non præsumat aliquis absque consilio Principis lignum excidere à parte Reipublicæ.*

XXIX. *Ut non tollatur à Tertiatoribus excusaticum, & Porcos.*

XXX. *Ut invitò non detur pretium à Tertiatore pro tritico, aut vino.*

XXXI. *Ut singula Castella non tollant Responsaticum, nisi de locis sibi pertinentibus.*

XXXII. *Ut Coloni Tertiatores non dent in Collata, nec in Pactum.*

XXXIII. *Ut non liceat piscare militem, & ideo* (5) *patientem absque conscientia Principis.*

XXXIV. *De Modiatico.*

(1) Varias lectiones ad Capit. Sicardi, & Radelchisi notavit ex C. Vaticano idem Peregrinius.
(2) C. Vatic.. *ut Langobard. Langobarda. &c.*
(3) *condictionibus.*
(4) *fracta.*
(5) *Patientem. An. in Lacu Patriense.*

CAPITULARE.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, & Beatæ, & Gloriosæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ. Dum ea, quæ Dei præcepta sunt partes obaudiunt, tunc ipsius adimplere probantur mandata, & ad pacis concordiam pro salute Christianarum animarum pervenisse monstrantur. Pro quo promittimus Nos Dominus vir Gloriosissimus Sicardus Langobardorum gentis Princeps vobis Joanni Electo Sanctæ Ecclesiæ Neapolitanæ, & Andreæ Magistro militum, vel populo vobis subjecto Ducatus Neapolitani, & Surrenti, & Amalfi, & cæteris castellis, vel locis in quibus dominium tenetis, terrâ, marique pacem veram, & gratiam nostram vobis daturos ab hac quarta die mensis Julii Indictione XIIII. (6) usque ad annos quinque expletos. Undè pro stabilitate promissionis nostræ, ut nobis sinè aliqua dubitatione credere possitis, & in nostra concordia firmiùs permanere, de istis Capitulis omnibus subscriptis de præsenti Judices nostros, qui subtus notati sunt, quales nobis quæsistis, jurare fecimus per nostram jussionem, quatenus si à parte vestra remissio, quam nobis voluntariè fecistis, in omnibus fuerit adimpleta, hæc, quæ à Nobis parti vestræ promissa, & scripta sunt, impleantur tam vobis, quàm omnibus civitatibus, vel Surrento, vel Amalfi, & cæteris castellis vobis subjectis terrâ, marique; & nullam læsionem, neque in hominibus vestris, neque in rebus eorum à nobis, vel ab his, qui nobiscum sunt, vel fuerint, gravabuntur. Neque per exercita, aut cursas, neque per Scammeras, neque per (7) pertradicios, qui à partibus vestris nobiscum sunt, vel fuerint, nobis volentibus, aut consentientibus, aut per nostram voluntatem contra vos submissos. Et si contigerit, quod minimè credimus, ut fiat hoc, repromittimus, quòd secundùm hujus pacti continentiam, sicut subjicitur confirmatum paruit, justitiam vobis de omnibus Capitulis conservaturi per omnia sumus.

I. Et hoc promittimus, ut si quis Hostis, aut Scamaras per nostros fines ad læsionem contra vos venire tentaverint, & ad nostram pervene-

(1) for. *lactari*. Vulgo. *Lettere*.
(2) *Concesso*. for. *Draconcello*, qui Procopio de bello Goth. lib. ult. dicitur *Draco*.
(3) *Transpontanis*.
(4) for. *Amalfitanis*.

A rit notitiam, nos secundùm possibilitatem nostram vobis eos lædere non permittimus. Et si cognoverimus alia die facta Langobardorum venire ad læsionem Ducatus vestri Neapolitani, vobis nunciamus, aut certè in tertio die usque ad virtutem, & possibilitatem nostram eis resistere. Hoc enim stetit, ut si aliqua clasma facta fuerit in finibus vestri Ducatus Neapolitani terrâ, marique à quacumque alia Provincia, ut nulla requisitio à nobis fiat in Ducatu vestro Neapolitano, sic tantùm, ut in finibus Principatus nostri Beneventani nec panem, nec aquam à quopiam homine bonæ voluntatis accipiat: excepto si brachio forti, hostili more, tollere potuerit. Si autem ea suspicio fuerit, quia per B loca principatus nostri Beneventani, aut per consilium, & conscientiam nostram aliqua clasma à vestris hominibus facta fuerit, ut sacramenta perveniant à partibus purificantes vos per personas quantas, & quales volueritis, quia nec per consilium, nec panem, nec aquam cum nostra voluntate de nostris finibus susceperunt, & sit causa finita. Si autem approbatum fuerit, quia cum consilio Principatus nostri ipsa læsio facta est in Ducatu vestro Neapolitano, tunc subjaceat pars nostra parti vestræ Romanorum ipsum damnum in duplo reddere; postquam desiderantes concordiâ pacis, Domino permittente, à Nobis Dopno viro Gloriosissimo Sicardo Principe percipere meruistis dignè, C & voluntariè nullo contradicente ex nostris civibus.

II. Sed ad firmandam vobis libertatis, & pacis caritatem, per quam vos creditis illæso gubernari, spopondistis nobis, cui supradicto eximio Principi Sicardo à modò, ideit quarta die mensis Julii Indictione XIV. per unumquemque annum dare Nobis Collatam & Pristinam, quam consueti fuistis dare. Si verò ante quinque annos expletos, sicut superiùs scriptum est, pactum Nostræ gloriæ irritum feceritis, Nos licentiam habeamus omnibus modis pignorare infra civitatem. Et si antestare nostris hominibus præsumpseritis antequam tanta pignora apud Nos habeamus per quæ ad nostram D plenam justitiam pervenire possimus tum de istius pacti corruptione nostri ante quinque annos expletos, vel si ante pignus steteritis de istis supradictis Capitulis componere Nobis debeatis secundùm vestram promissionem auri solidos Beneventanos numero tria millia. Et insuper per Scamaratores, seu Cursas, & publicum exercitum oppressionem facere usque ad nostram satisfactionem. Quòd si, Domino juvante, & nostra gratia comitante, in his, quæ nobis pacti estis, immobiles steteritis usque ad prædictos quinque annos expletos, & hæc nobis supradicta singulos annos persolveritis, hoc repromittimus, ut securi, & illæsi à nostra parte in nostris finibus permaneatis.

E III. Hoc stetit, ut Langobardum nullatenus comparetis, nec super mare venundetis. Quod si factum fuerit, ipsa persona Nobis tradatur, qui comparavit cum illo, quem comparavit; ut simul qui comparavit, quàm etiam, qui venundavit, ambo Nobis tradantur. Et si non hæc dilatatio pervenerit, componat solidos centum, & supradictæ personæ tradantur; & si super mare (8) venti fuerint, componat so-

(5) *peragantur*.
(6) Ann. 836.
(7) *per Tradicios. Petradicios*.
(8) for. *venditi*.

lidos ducentos, qui hoc malum perpatravit.

IV. Et hoc promittimus de Tertiatoribus; ut si à Langobardo venditi fuerint, comparentur, & nullatenus in Nave imponantur, aut trans mare venundentur: excepto si homicidium fecerit, aut facere voluerit, habeat sibi licentiam eum vendere; ita (1) tamen, ut quinque personæ præbeant sacramentum, quòd ipse homicidium fecit, aut facere voluit, & si ipsa sacramenta deducere minimè ausus fuerit, ipsa persona tradatur, & componat solidos centum.

V. De negotiatoribus verò ambarum partium stetit; ut liceat per fines nostros Principatus nostri Beneventani negotium suum peragere, & pro quovis accessu, quod inter partes pervenerit, non debeantur lædi, vel detineri, aut pignorari; sed illæsi absque aliquo damno ad propria revertantur. Si enim & pro qualibet occasione pignorati fuerint, ut ipsum pignus in integrum restituatur eis, & componat, qui hoc facere præsumpserit, cui injuriam fecerit, solidos viginti quatuor.

VI. De fugacibus ita stetit; ut si liberi, aut liberæ fugient à partibus vestris, & vobis suaicentibus res alienas secum detulerint, res ipsæ in integrum restituantur, & illi sint, ubi voluerint. Servi verò, & ancillæ, si à partibus fugerint, à præsenti die reddantur dominis suis cum rebus suis in integrum, quæ secum detulerint: accipiente Judice loci per unamquamque personam auri solidum unum, juxta antiquam consuetudinem, nam non habeat Judex licentiam ampliùs accipere: si autem præsumpserit ampliùs accipere, reddat quod tulit in duplum. Si enim cognitus fuerit servus à suo domino, & venerit cum Epistola, & noluerit eum reddere Judex loci, & effugerit, aut mortuus fuerit ipse servus, tunc ille Judex loci, qui noluit eum reddere, det pretium ejus solidos XXIIII. Sic tamen, ut si quo tempore ubique in Principatu nostro Beneventano inventus fuerit ipse servus, ut ille Judex, vel alia persona, quæ ejus pretium dedit, recipiat quod dedit, & servus revertatur ad anteriorem dominum suum. Si enim & aliquis à partibus venerit servos, & ancillas quærendo, & Judex loci illius dixerit non ibidem fuisse, tunc tres personæ præbeant sacramenta, quia nec suscepit, nec in conscientia habet, ubi ipse servus est; & sit ipse solutus.

VII. De homicida verò ita stetit; ut si quispiam exercitalem aut militem, vel quamlibet aliam personam simpliciter ambulantem præsumpserit occidere tempore pacis, ipsa persona modis omnibus tradatur, auditâ causâ infra triginta dies non liceat pignorare.

VIII. De justitia autem ita stetit; ut si quiscumque homo causam habuerit pro qualibet re, ut vadat semel, & bis cum epistola Principis, vel Judicis sui; & si minimè ei justitia fuerit facta, (2) pignorare infra civitatem, & si sic ei justitia fiat minùs, nec (3) tunc habeat licentiam foris civitatem qualiter pignus facere, tam in Langobardos, quàm etiam in inquilinos, vel qualibet persona prætendere potuerit, excepto negotiante, non habeat licentiam pignorandi, & si factum fuerit, componat, sicut superiùs affictum est. De aliis verò personis, vel rebus habeat sicut proprium suum menandum, & gubernandum usque ad menses tres. Et si neglexerit Judex loci justitiam facere, habeat iterum licentiam quæstor pignorare de loco, ubi causa quæritur. Et si contigerit ante justitiam factam, ut ipsum pignus moriatur, aut perierit, non calumnietur ille, apud quem ipsum pignus fuerit, sed reputet sibi ille, qui justitiam facere neglexit: tamen ille, apud quem pignus fuerit, præbeat sacramentum, quia eum nec donavit, nec venundavit, nec alienavit; sed tanquam suum proprium habere, & gubernare voluit, & quid factum est nescio, & sit causa finita. Si autem vivum, & sanum fuerit inventum ipsum pignus, in integrum (4) reddatur domino suo; ita tamen, ut resideant Judices à partibus in loco, ubi ea causa quæritur, & si claruerit, quia justè pignoravit, accipiat justitiam suam, & componat ei (5) debitos solidos sex, pro eo quòd ante pignus justitiam ei minimè fecit: si enim & claruerit, quia injustè pignoravit, componat solidos sex, & pignus salvum reddat.

IX. Si autem quispiam militem, vel quamlibet aliam personam simpliciter ambulantem ligare, aut battere præsumpserit, tempore pacis, componat, cui injuria facta fuerit, solidos centum. Si autem ad servi quispiam personam hoc facere præsumpserit, componat solidos XXIV.

X. Et si quispiam homo super furtum inventus fuerit, & non dederit manum ad prendendum se, & mortuus fuerit, non requirantur; tamen tres personæ bonæ de loco ubi factum fuerit, quales quæsierint parentes, aut patronus mortui, dent sacramentum, quia mortuus ille in furto inventus est, & non dedit manum ad ligandum, & ampliùs non quæratur, minùs nec homicida ipse tradatur. Quòd si vivus deprehensus fuerit ipse fur, in hoc modo, sicut superiùs legitur, tres personæ præbeant sacramentum, quia super furtum deprehensus est, & de præsenti tollantur ei oculi, & post datam sententiam recipiant eum parentes, aut dominus ejus.

XI. De furone verò, & homicida, ita stetit, ut si quiscumque homo homicidium, aut furtum in sua patria facere præsumpserit, & fugâ lapsus fuerit, modò de præsenti à partibus reddantur.

XII. De Actionariis verò ambarum partium ita stetit, ut illæsi debeant ambulare per actiones suas, utilitates suas peragendo, & nullus præsumat eis injuriam, aut læsionem facere, si enim injuriatus fuerit verbo tantùm, componat solidos duodecim. Quòd si manum super eum miserit, componat solidos centum. Si autem aliquis præsumpserit Actorem occidere utilitatem suam peragentem, ipsa persona omnibus modis tradatur.

XIII. Item stetit de fluminibus, qui in fine Capuana sunt; hoc est Patria, Volturnus, atque Minturnus, ut in ipsa trajecta sit licentia transeundi, tam negotiantibus, quàm etiam responsalibus, vel militibus, seu aliis personis de Ducatu vestro Neapolitano, salva consuetudine nostra, illæsi debeant transire: Barcas enim, quæ ibidem (6) ad oram advenerint, vel pro tempestate subduxerint, aut applicaverint per totam ipsam plagiam, vel ubicumque in fine Principatus nostri venerint, securæ, & illæsæ, sicut

(1) *tm.* Et sic semper, quoties in altero Codice est, *tamen*.
(2) for. deest. *liceat*.
(3) in Vatic. non leg. *τò nec*.
(4) in Vatic. *dedatur*.
(5) in Vatic. *debitor*.
(6) in Vatic. leg. *ora causaverint*.

sicut superiùs legitur, debeant esse; si autem voluerint negotiare ibidem, persolvant secundùm antiquam consuetudinem tantùm. Ut si, peccato faciente, navis rupta fuerit, res, quæ in ea inventæ fuerint, eis reddantur, cujus fuerint, & cujus sunt; homines autem sani, & illæsi ad propria sua revertantur. Et hoc stetit, ut deinceps pro quavis occasione navigia vestra in partibus Lucaniæ, vel ubicumque in finibus nostris non detineantur.

XIV. De Tertiatoribus verò hoc stetit, ut nulla nova (1) eis à parte Reipublicæ imponatur, excepto antiqua consuetudine, hoc responsaticum solum, & angarias, (2) & calcarias; simul & ad dominos suos angarias, (3) & pensiones secundùm antiquam consuetudinem, nec non & exenium (4) ad invicem unum semel in anno, quod fuit prisca consuetudo; nam nulla alia nova (5) imponatur à parte Reipublicæ ad eos, qui se dividunt, nisi tantummodo responsaticum, & angarias suprascriptas; & si quis hoc præsumpserit facere Reipublicæ, ut ad Tertiatores ampliùs imponantur, nisi suprascripta Capitula, nam nulli alii homini. Et si quis insuper hoc facere præsumpserit, componat solidos XXIV., & quod tulit reddat.

XV. Item stetit, ut non habeat licentiam quispiam à partibus foris civitatem cavallum, aut bovem comparare, nisi infra civitatem, vel in mercato in præsentia de Judicibus, & ab eis ipse venditor cognoscatur, & si venditor à Judicibus cognitus non fuerit, & nullatenus habeat licentiam comparandi; si autem & comparavit foris civitatem, vel in mercato, aut in civitate simul in præsentia de Judicibus, sicut dictum est, & venditor non fuerit cognitus, sit ipse emptor fur, & reddat cavallum, aut bovem; si enim liber fuerit, abscindatur ei manus, aut certè, si voluerit, det pretium de ipsa manu solidos quinquaginta; de servo verò, ut ipsa persona tradatur, aut si voluerit ipse Dominus ejus, det pretium de ipso servo solidos viginti quatuor. Si autem venditor negaverit, ut non ipsum cavallum, aut bovem vendidisset, & illi, in quorum præsentia venditur, fuerint personæ utiles, quibus credatur absque crimine, non habeat licentiam venditor negandi; sed (6) illæ tres si non fuerint fide dignæ personæ, præbeant sacramenta, quia in nostra præsentia vendidistis, & tantum pretium tulistis; tunc reddat quod tulit, & illi tradatur, cui cavallus, aut bos fuerit; sic tantùm, ut non eum sanum apud se detineat, & si voluerint parentes, aut Domini ejus eum liberare, dent pretium ejus, sicut superiùs affictum est; & ille cujus cavallus, aut bos fuerit, res suas recipiat. Si verò contigerit ante justitiam factam ipsum cavallum, aut bovem mori, det pretium pro cavallo solidos octo, & pro bove solidos quatuor, & pro hoc Capitulo nihil accipiat Judex loci illius.

XVI. Sed hoc promittimus, ut non pro quovis excessu Barbaricum facere, aut cursas mittere ante primam, secundam, tertiam, & quartam contestationem; & si homicidium à partibus pervênit, & minimè justitia à partibus infra trigesimo die facta fuerit, sicut superiùs scriptum est, sit in hoc pactum solutum. De aliis verò Capitulis, quæ infra hoc pactum affictum est, minimè dissolvatur; sed firmus, & stabilis usque in præfinitum tempus debeat permanere, si ea, quæ in hunc pactum afficta sunt, inviolabiliter conservatum fuerit.

XVII. Sed hoc stetit, ut si quis à partibus pro pignore pignoraverit ante justitiam factam, reddat pignus, & componant solidos XII.

XVIII. Sed hoc placuit, atque convênit, ut nullus homo causam pro causa interponat; sed ubi priùs causa quæritur faciat justitiam quæsitori sinè ulla oppositione; nam non habeat licentiam dicendi, quia si non reddis hoc, non tibi faciam (7) justitiam. Et si quis pro tali occasione justitiam facere distulerit, tunc districtus justitiam faciat, & componat negator justitiam quærentibus solidos sex.

XVIIII. Et hoc promittimus, ut ubi volueritis exercitare in alio Ducatu pertinenti Ducatui vestro Neapolitano per terram nobis subjectam, nullam læsionem à principatu nostro Beneventano Ducatui vestro Neapolitano, vel in cunctis finibus, terrâ, marique pro qua via alia occasione ab hominibus......................

Cætera desiderantur in scriptis Papyraceis Codicibus. At ad hujus oram serò Leges conferre volui Langobardorum; jam enim Typographus operam suam festinaverat.

DE CAPITULARI
PRINCIPIS RADELCHISI.

Belluina, immanisque Principis Sicardi feritas, morte nihilò clementiori à Proceribus suis contusa, potuisset quidem Beneventanæ regioni tempora restituere tranquilliora; nisi impiá debriatus ille vesaniá patrium Principatum germano fratri Siconulfo, vel exilio, quo vivens proscripserat innocentem, vel omniformi vitiositate, qua genus suum maximè invisum omnibus fecerat, præripuisset. Æqui enim, justique regiminis vindices, Tyranno sublato, in novum Principem Radelchim summum detulere imperium, à quo Landulfus Campanus Comes, aut una, (8) aut altera causá sibi timens (nam Anonymus Salernitanus Erchemperto, Ignotoque Cassinensi non concordat) facilè discessit; conquisitoque colore exulis Siconulfi partes promovit. Qua ille fultus factione, ut præ aliis disertiùs testatur Ostiensis lib. 1. cap. 23. (9) Principatus dignitatem, maximamque regionis partem est indeptus, perpetuis interea duodecim annis, dum uterque Princeps, vel delatam, vel debitam tueri conabatur dignitatem, omni Cis-Tyberina Italia multiplicibus, infandisque jactata malis; quibus ipsa quoque Capua

,, Illa potens, opibusque valens, Roma altera quondam (10)

in cineres abiit: Afros sibi, Divino consilio, semel hospites, bis hostes semper exitio experta. Sed his tandem indesinentibus ærumnis finis utcumque datus fuit, imperio intercedente Regis Ludovici, Lotharii Imperatoris filii; quo Radelchis, & Siconulfus, voto unanimi, amplissimum Beneventanum Principatum in duas dissecuere

(1) for. deest. *conjectio*.
(2) in Vatic. non leg. *& &*.
(3) item hoc loco.
(4) Vatic. *ad Ducem*.
(5) deest. *conjectio*.
(6) Vatic. *ille tres fuerint*.
(7) Vatic. *instigam*.
(8) An dicam utraque?
(9) Hoc voluit Ostien. non autem monitum à Land. filiis datum.
(10) Ausonius in Catal. Urbium. De Capua.

euere partes; quarum quæ Borealior, & Hadriatico finitur mari, cessit Radelchi; oppositam verò regionem, ad Meridiem versam, Tyrrhenoque adjacentem, Siconulfus obtinuit, quæ pari longitudine, ac illa ab Oriente in Occidentem extenta, infra se habebat Salernum, munitissimam tunc urbem, Beneventique Principibus ab Arichis tempore super omnes exultam, quò se novus Princeps ab exilio receperat, ibidemque sedem fixerat suam: Capuâ per eosdem annos non adhuc ad Volturni fluenta ex cineribus renatâ suis, Campanisque nec firmo animo castrum, sive urbem Sicopolim incolentibus, qui sub proprio tunc erant Comite Landone, viro sanè viribus, opibusque præpotenti; à quo, & ab ejus genitore Landulfo satis habuit Siconulfus in Principatum se provectum suum. Hoc igitur pacto duplex ex uno factus est Principatus. Sed an mala sic tandem omnino cessarint, Erchemperti Historia Num. 20. te docebit. Præsens autem Capitulare initæ divisionis formam solummodo demonstrabit, quod ex scripto Membranaceo Codice Bibliothecæ præclarissimi Monasterii Cassinensis signato Num. 353. excepi: idemque habent Papyracei non semel mihi laudati Codices, qui modò dictam Historiam Erchemperti pariter continent.

CAPITULARE

RADELCHISI PRINCIPIS BENEVENTI,

Quo pactum divisionis Principatus Beneventani firmavit cum Siconulfo Principe Salerni Anno DCCCLI.

I. EGo Radelchisus Princeps, concedo tibi Siconulfo Principi Salernitano firmissimam pacem de integra parte Principatus Beneventanæ provinciæ, quæ tibi nominatim evênit (1) per singularia integra Gastaldata, seu ministeria, quæ hic descripta sunt, & sicut hic fines locorum descripti sunt inter Consiam, & Salernum, & Capuam à parte Beneventi.

II. Ita quidem, ut à modò, & deinceps per nullum dolum, aut ingenium, vel qualemcumque occasionem exinde à tua potestate subtraham tibi, & illi, qui per tuam voluntatem fuerit Princeps electus, qui post vestrum decessum in tua portione principandi potestatem susceperit in civitate Salerni.

III. Et neque cum populo mihi subjecto, neque Francis, neque cum Saracenis, neque cum alia quacumque generatione exinde de præsenti die subtraham, vel impugnabo, aut delebo, neque submittam, qui talia faciant; & talia facere volentibus, ac facientibus adjutorium nullum impendam, & per meam terram non permittam, neque dimittam aliam generationem venire ad contrarietatem terræ, ac populi vestræ partis, cui generationi ego cum populo, qui in mea terra habitat, vel habitaverit, resistere potero, sicut si in mea terra voluerit facere damnitatem, (2) donec cum Francis fidem, & pactum, sicut promisistis, observaveritis; & vos, vestrumque populum liceat per terram meam transire contra illos hostillier, & cum scara ad vindicandum absque homicidio, vel incendio, & deprædatione, seu zala de populo, & terra mea, & oppressione Castellorum portionis meæ, exceptâ herbâ, & lignâ, & aquâ, quas vobis non negabimus. Et si contigerit esse factum, pax exinde non disrumpatur, sed sit exinde justitia.

IV. Omnium rerum Sanctarum Ecclesiarum, Episcopatuum videlicet, vel Monasteriorum sub regula degentium, seu Xenodochiorum, ibi census rationes reddentur de suis singulis substantiis, ubi capita sunt earum: præter Monasteria Sancti Benedicti, & Sancti Vincentii, quæ sub defensione Domini Imperatoris Lutharii, ejusque filii Domini Ludoguici Regis sunt, ut singulæ Ecclesiæ suum primatum habeant integrum, sicut semper habuere in omni loco, quemadmodum decet causam Dei, exceptis Canonicis, Abbatibusque ad Palatium pertinentibus; nam Abbatum res, quæ ad Palatium pertinent, in cujus divisione res ipsæ venerint, ille eos habeat, in cujus fuerint parte. (3)

V. Et omnes Monachi, & Monachæ redeant ad sua Monasteria, ubi priùs habitaverunt, ut habitent, & militent ibi Deo sub magisterio illic prærordinatorum, sicut ratio, & consuetudo est, exceptis illis, qui per virtutem aliorum illuc introierunt, aut in Palatio serviunt.

VI. Episcopi autem, & omnes Clerici de quocumque gradu clericatus, vel sinè gradu, redeant ad suos Episcopatus, cujuscumque Diœcesis fuerint; & si redire noluerint, & nobis cognitum fuerit, absque omni injusta dilatione, faciemus eos redire invitos, ut sint sub potestate prærordinatorum in ipsis Episcopatibus, & habitent, sicut illi eos justè constituerint, exceptis Clericis, qui in Palatio serviunt, & qui per vim clericati fuerint.

VII. Similiter fiat de Clericis singulorum Abbatum, exceptis illis Clericis, qui in rebus Abbatum ad Palatium pertinentium morantur; qui Clerici in illius parte sint, in cujus sorte ipsæ res venerunt.

VIII. Et dimittam omnes homines vestræ potestatis ire ad venerabilem Ecclesiam Beati Archangeli Michaëlis recto itinere, (4) quomodo temporibus antecessorum nostrorum illuc ibatur, sinè omni contrarietate, vel damnitate, atque contradictione mea, & omnium hominum, qui in mea (5) potestate habitant, vel habitaverint, me vivente, & salvi vadant, & redeant à nostra parte per meam voluntatem, excepto Divino judicio.

IX. In parte vestra, quorum supra Siconulfo (6) Principi, & qui prædicti estis, sint ista Gastaldata, & loca integra cum omnibus habitatoribus suis, exceptis servis, & ancillis, qui nobis, & nostris hominibus pertinent; & si in istis Gastaldatibus, ac locis subscriptis sunt aliqua Castella, ubi (7) vestri homines habitant, ego vos ibi mittam sinè irrationabili dilatione. (8) Tarantum, Latinianum, Cassanum, Cusentia, Lainus, Lucania, Consia, Montella, Rota, Salernum, Sarnum, Cimiterium, (9) Furculum, Capua, Teanus, Sora, & medius Gastaldatus Acerentinus, qua parte conjunctus est cum Latiniano, & Consia.

X. Inter Beneventum, & Capuam sit finis ad Sanctum Angelum ad Cerros, perexiens per Serram Montis Virginis usque ad locum, qui dici-

(1) Vatic. *singulari, & integra*.
(2) Vatic. *id nec*.
(3) Vide Ostiens. lib. 1. c. 28.
(4) Vatic. *per quod*.
(5) *terra*. S. Cass. Cod. ex quo omnis hæc varia, & melior lectio.
(6) Deest. *Principi*.
(7) Vatic. *nostri*.
(8) *Tarantus*.
(9) *Furcule*.

Sicitur (1) Fenestrella. Inter Beneventum, & dalernum sit finis in loco, qui dicitur ad (2) Pelegrinos, ubi ex antiquo XX. milliaria sunt per partes. Inter Beneventum, & Consiam sit finis ad ipsum Staffilum Ad Frequentum, ubi ex antiquo XX. milliaria sunt per partes. (3) De hominibus autem, qui inter partes sunt, si à vestra parte in nostra parte fugerint, si potuerimus eis gratiam rogare, rogabimus; & si non, reddemus eos absque omni injusta dilatione.

XI. Si verò vester homo in substantia in mea terra ad habitandum venerit, & plusquam vestra voluntas est, steterit; ubi cognitum mihi (4) facietis, ego eum sinè omni injusta dilatione transmittam ad vos.

XII. De vvaregnangis nobilibus, mediocribus, & rusticis hominibus, qui usque nunc in terra vestra fugiti sunt, habeatis eos.

XIII. Similiter habeatis omnes homines, qui habitant in parte vestra, & (5) qui sunt sub tributo.

XIV. Omnes homines, qui in vestra portione sunt, habeant res suas integras in quocumque loco meæ partis pertinent de illorum substantiis cum servis, & ancillis, & Aldionibus, omnique pertinentia sua.

XV. Servi quoque, & ancillæ, atque Aldiones vestræ partis fugaces, & apprehensos ubicumque fuerint inventi in terra nostra, reddemus vobis absque omni dilatione, & nunquam per nostram voluntatem à quocumque homine nostræ partis contradicentur, aut retollentur; & si sinè nostra voluntate fuerit factum, ubi nobis cognitum fuerit, faciemus exinde justitiam, & illos sinè injusta dilatione reddere faciemus.

XVI. Et si suspicio fuerit, ut post sacramentum pacis direxerimus eos quocumque, vel infugaverimus, si quæsiti fuerint, cui hoc crimen (6) imminetur, de his si non fuerit ausus satisfacere, reddat eos. Et si satisfecerit, & postea eos invenire potuerit, similiter reddat; & si post sacramentum pacis fugerint de terra vestra in vicinas Marchas, aut in terram nostræ potestatis, reddemus eum vobis, & si illi inveniri potuerint, & nos potuerimus sinè damno; & si ego recolligere non potuero ad prædictos locos, liceat per terram meam ire illuc, ut aut per pignorationem, aut quomodocumque veniatis exinde ad plenam justitiam.

XVII. Similiter si potueritis, faciemus & de illis ante pacis sacramentum in prædicto loco fugerunt. Quòd si suspicio fuerit, ut per consensum Marchanorum nostrorum per nostras Marchas extra terram nostram exierint, satisfiat ab his Marchanis. Et si non reddantur ab eis, aut si nullo modo inveniri potuerint, reddantur ferquidi eorum. Præterea si aliquis eorum suam voluerit contemnere libertatem, habeat exinde judicium secundùm legem.

XVIII. Et omnes homines, qui sub tua potestate sunt, ex quocumque (7) habent prædicta munimina sua perdita, si contentio fuerit de rebus, aut servis, aut ancillis, seu Aldionibus eorum, si aut per consignationem, aut per pugnam approbare potuerint, quousque ad ipsum tempus quo Barbaricum exortum est inter

(1) *Fenestella*.
(2) *Peregrinos*.
(3) *De omnibus autem hominibus*.
(4) Vatic. *feceritis*.
(5) Deest. *qui*.

A **nos, & vos in sua proprietate legaliter, juxtaque habuerint illa, sinè cujuscumque injusta contradictione habeant ea in antea.**

XIX. De nullo homicidio, vel præda, atque zala, seu incendiis retroactis fiat aliqua requisitio, vel vindicta per meam voluntatem, & si absque mea voluntate fuerit inde facta vindicta, dabimus illum hominem in potestate vestra, ut faciatis de eo quodcumque volueritis, & si suspicio fuerit, quòd per meam voluntatem fuisset facta, satisfiat illud per tres personas, quales vos quæsieritis à mea parte, & tradant ipsos homicidas in potestate vestra ad faciendum de eis quodcumque volueritis.

B XX. Si verò à modò quicumque homines homicidium fecerint à parte nostra in vestra, & si suspicio fuerit, quòd per consilium, seu colludium fuerit factum per meam voluntatem ad vestram contrarietatem, vel damnietatem, de nobilibus satisfaciant illud tres personæ quales vos quæsieritis à parte mea, & de rusticis tres personæ de ipso loco, ubi homicidium fuerit perpetratum, quales vos quæsieritis, & illos homicidas dabimus, ut prædictum est, in potestate vestra, & si satisfacere non fuerint ausæ, de nobilibus componant vobis tria millia (8) Visantos aureos, & de rusticis fiat compositio secundùm (9) legem, & illos homicidas si habere potuerimus, trademus vobis ad faciendum de his quodcumque volueritis, & C quamdiu eos habere non potuerimus, dabimus in potestate vestra integras substantias eorum, & illos homicidas quandocumque potuerimus habere, pariter dabimus. De homicidio subiti scandali sit, sicut in (10) lege nostra sancitum est.

XXI. Si ego Radelchisus aliquid donavi de causa Palatii infra vestros fines, sit in potestate vestra facere exinde quodcumque volueritis. Et si tu Siconulfus Princeps donasti aliquid de causa Palatii ad illos homines, qui priùs fuerint in tua potestate, & modò sunt in mea, quantùm exinde in tua portione fuerit sit in vestra potestate exinde facere quod volueritis. Et si ego Radelchisus donavi aliquid per Breve, D aut per Præceptum ad homines, qui fuerunt mecum, & modò sunt tecum; & illi iterum per quæcumque munimina exinde dederint cuicumque aliquid, non deinde faciant justitiam alicui, nisi tantummodo reddant quod proinde acceperunt, & illum, quod ego donavi, redeat ad illos, quibus per legem debeat pertinere. Et de omni causa, quæ à modò surrexerit inter homines utriusque partis, judicabimus exinde secundùm legem, & justitiam absque omni injusta dilatione. Sed & de causis anterioribus, quas habuerunt homines utriusque partis inter se judicabimus exinde secundùm legem, & justitiam absque omni dilatione injusta, vel fraudis argumento; excepto homicidio, & incen- E dio, deprædatione, ac zala, de quibus superiùs est definitum.

XXII. Omnibus hominibus vestræ partis habentibus uxores, vel sponsas suas in parte nostra, si eas quæsierint, & nos noverimus, reddemus eas absque detinentia cum filiis, & filiabus suis nullam læsionem membrorum habentes à modò factam à parte nostra, & cum omni causa

(6) Vatic. *immittetur*.
(7) Vatic. *habeant*.
(8) Vatic. *dicentes*.
(9) L. Lang. lib. 1. tit. 9. l. 21.
(10) L. Lang. lib. 1. tit. 6. De subito surgente rixa.

causa sua, quam nunquam habentes (1) voluerint secum portare.

XXIII. Et omnes apprehensos quo modo voluerint redire ad vos, dimittemus redire absque læsione membrorum.

XXIV. Et à modò nullum Saracenum in meum, vel populi, ac terræ meæ adjutorium, seu amicitiam habere quærimus, tam de his qui in omni Provincia Beneventani Principatus sunt, quàm etiam de illis, qui extra omnem Beneventanam Provinciam sunt, & nunquam eos contra vos irritans irritare faciam, & nullum eis adjutorium, impendam, vel impendere faciam, & adjuvabo vos absque omni injusta dilatione usque ad summam virtutem, sicut melius potuero, cum populo meæ partis, ut pariter expellamus de ista Provincia nostra omnes Saracenos quomodocumque potuerimus, & à modò, ut dictum est, nullum Saracenum recipiam, vel recipere permittam, præter illos, qui temporibus DD. Siconis, & Sicardi fuerunt Christiani, (2) si magarizati non sunt; Et præsentaliter antequam Domnus Ludoguicus Rex cum suo exercitu exeat de ista terra, do in vestra potestate Gastaldatum Montellam cum omnibus castellis ejus, & medium Gastaldatum Acerentinum, sicut supradictum est, si ullo valuerimus ingenio.

XXV. Ita & à modò nullam læsionem faciemus ego, & populus meus ad ipsum populum, & terram, omnemque facultatem eorum quantum exinde debet venire ad vestram portionem per meam voluntatem. Et à modò de Gastaldatu Montellæ, & medio Gastaldatu Acerentino qua parte conjunctus cum Latiniano, & Consia, nunquam hominem recipio, neque illuc ego hominem pro suo damno dirigam, præter cum vestra voluntate pro vestra salvatione, ut ipsi redeant ad fidem, & potestatem vestram, & si exinde habeo homines, reddo eos.

XXVI. Hæc omnia vobis, quibus supra Siconulfo Principi, & ei, qui per tuam voluntatem in Salerni civitate Princeps fuerit electus, observare faciam ego Radelchisus Princeps absque omni fraude, vel malo ingenio, vel quocumque argumento, occasione, seu diruptione.

XXVII. Si verò populus portionis meæ cum populo vestræ partis ierint per creventiam in exercitu quocumque, & quolibet modo occiderint, vel apprehenderint vestros honoratos, ac vassallos, & ausæ fuerint duodecim personæ, quales vos quæsieritis, jurare ad Sancta Dei Evangelia, ut neque per consensum meum, neque per contrarietatem talia vobis facta sint, faciam vobis tradere in vindictam quamcumque volueritis solummodo, qui perpetraverint, atque consenserint, si habere potuerint, & si ipsæ duodecim personæ non fuerint ausæ satisfacere de consensu meo, sicut prædictum est, tunc dabimus Domno nostro Imperatori decem millia Vizanteos aureos, eos, qui tale malum egerint, trademus ad vindictam, qualem volueritis.

XXVIII. Et cùm pactum istud firmatum fuerit, reddam tibi Siconulfo præsentialiter Petrum filium Landonis, & Poldefrit filium Paldulfi, si tu mihi reddideris Adelgisum, & Ladelgisum filios meos, & Potonem nepotem meum.

(1) for. *valuerint*.
(2) *si mazarizati*.

Hactenus Capitulare Principis Radelchisi. De quo Anonymus Saler. in Hist. Langobardorum non edita sic habet.

AB illo denique tempore Salernitani peculiarem obtinent Principatum, & ipsum fœderis scriptum in hac Salernitana urbe adhuc hactenus manet, & sufficienter ab illustrissimis viris nimirum firmatum, & tantùm nomina illorum non prætermittam. In primis Radelchisi Princeps propria manu scriptus inibi erat. Id ipsum Majelpoto Rofrit. Bernardus. Toto. Joannes. Tassilo. Guala. Dauferi. Majenulfus. Poto. Petrus. Caide. Laitu. (3) Gualati. Ermengardus. Adelchisi. Tassilo. (4) Rodelsci. Joannes. Archisi. Adelchisi. Advim. Epo. Adelpertus. Guaiferi. Comes. Radoalt. Radelgari. Radelfrit. Azzo. Adelricus. Adelverto. Saductus. Landemari. Pandenulfo. Jugobrandus.

DE HISTORIOLA

IGNOTI MONACHI CASSINENSIS.

PErutilem sanè hanc Historiolam, quæ in celeberrimi Cassinensis Monasterii Bibliotheca delitescebat, jam olim ex inibi adservato Membranaceo Scr. Cod. signato numero 353. deprompsenram diligentiâ quidem laboriosâ; etenim membranæ illæ præ antiquitate plerisque in locis adeò exitritas repræsentabant literas, ut multoties eas interpretari magìs, quàm legere opus mihi fuerit, tandemque duas, tresve voculas, & majori planè jactura, nonnullas integras lineas prorsus obliteratas præterire sim coactus. Sed malum hoc non unum in illis insederat, quæ vel librarii culpâ, vel auctoris defectu (rasuræ enim nullum aderat indicium) vacuas lacunas retinebant, quo loco numeri adscribendi fuerant annorum Epochæ ab Abb. Petronace ad Abb. Bertharium, quod sanè nedum res ipsa, de qua ibidem agitur, sed titulus iisdem membranis prefixus, quem post dabo, summopere expetebat: operæque pretium fuisset termaximum id nosse, quo implicatæ enodari faciliùs potuissent quæstiones eadem de re non satis hactenus explicatæ; illaque pariter adnotatione novissemus definitum annum, quo præsentem Historiolam ejus auctor exaraverit. At de hoc bene est, ex pluribus namque ejusdem locis clarè liquet scriptioni illum incubuisse superstite adhuc jam dicto Berthario, proindeque rebus extitisse coævum; quas, licèt non continenti serie, sed saltuatim, video tamen produxisse ad annum ferè 875. quando Imp. Ludovicus Lotharii fil. ex Cis-Tyberina Italia in Galliam ultimùm se recepit, quod Num. 22. & 26. nec posteriora usquam adnotavit. Scriptionem verò suam, præmissis nonnullis velut Prolegomenis, exorsus ille fuerat à tempore, quo Beneventanus Principatus discessit, discerptusque est in partes, hoc est ab anno 840. Ejus igitur ætas nulla obscuritate obvelatur: secus autem nomen, quod omnino silent membranæ, simplicem præferentes Epigraphen his verbis conceptam. Annorum supputatio de Monasterio Sanctissimi Benedicti. *Quam cùm integræ Historiolæ minimè quadrare comperissem, est mihi visum aliam, quam indidi, subrogare meo arbitrio efformatam. Nec forsan, de hujus auctoris nomine majorem adeptus fuerat notitiam Leo Ostiensis, qui eâdem istâ, consimilibusque usus, ut ipse in Prologo sui Chronici adpellat, scriptiunculis, gravi cæteroqui eandem sug-*

(3) *Gualaici*.
(4) *Rodersi*.

gillat censura, laciniofo *adserens* ſtylo *deſcriptam*. *Quis verò illi laciniosus dictus ſit ſtylus, nuſquam prodit; ſed facilè diſces re inſpecta, cujus implexa, ac multiplex narratio modò currit recto ordine, modò recurrit nullâ temporum normâ cuſtoditâ, ſed ſicut mentis impetus impellebat; non ſecus, ac in veſtium laciniis, ut caſus tulerit, prærupti, undoſique implicantur, multiplicanturque ſinus. Eſtque hac planè ſignificatione id verbi apud Petrum Diac. in Additione ad eundem Oſtienſem lib.* 3. *c.* 47. *eandemque multò ante videtur uſurpaſſe Tertullianus adversùs Marcionem lib.* 4. *cap.* 29. *dicens* expeditos non eſſe debere ab impedimentis vitæ lacinioſæ: *eodemque figurato dicendi ſchemate quidquid continenti, ac firmo, imperturbatoque non procedit tenore, lacinioſum dicitur; indeque Apulejo Met. lib.* 1. convallis lacinioſa. *Et in Apolog.* 1. imbecillitas lacinioſa *adpellatur*. *Etſi Apulejus priori loco convalles adpellare potuit lacinioſas, quòd illæ lateribus adjacentium montium in longum productæ, quoſdam quaſi fictiles tubos repræſentent, in quorum pariter formam lacinioſæ veſtes ſpiſſari, producique ſolent. Et planè hac ille uſus eſt translatione alio loco lib.* 6. *cùm fontes dixit* proni foraminis laciniis editos. *Sed Tertullianus iterum libro de velan. virgin. cap.* 4. Sermonis compendium *oppoſuit* ſermoni lacinioſo. *Et adversùs Marcion. lib.* 4. *cap.* 1. Compendiatum novum Teſtamentum lacinioſis oneribus antiquæ legis. *Iterumque de cultu fœminarum cap.* 9. faciei ſimplicitatem lacinioſis pomparum ineptiis *pariter oppoſuit*. *At de his ſatis*. *Præſentem verò Ignoti hujus auctoris Hiſtoriolam à Leone inibi fuiſſe indicatam, nulla ambiguitate adfirmo, è qua illum complura excerpſiſſe ſat conſtabit, ſi modò utriuſque loci, quos ad hujus Opuſculi oram paſſim contuli, expendantur: idque majori quoque cedet bono, quoniam neglectum temporum ordinem hoc pacto addiſcere valebis à Leone, qui eadem penè omnia ſuo in Chronico ſeriatim digeſſit. Nemo autem idcirco operam arguat me luſiſſe, quòd Oſtienſi deflorata iterum recoxerim, nullo prorſus emolumento; namque ex incondita iſta ſcriptiuncula, tum multa curioſis non ingrata, quæ ille omiſerat, tanquam à ſuo inſtituto nimiùm aliena, modò innoteſcent; tum verò clariora fient, ut opinor, quæ habentur in Actis Adparitionis S. Michaëlis Archangeli in Gargano Monte de bello inter Sipontinos, ac Neapolitanos, qui eodem tempore Chriſti fidem ſuſceperint, de quo viros magnos (non utique mihi ſuccenſendos) laboraſſe ſcio. Ab eadem namque noſcere poterimus inibi Sipontinorum nomine Langobardos demonſtrari, qui Sipontum, & adjacentia loca non ante multos annos pervaſerant, Beneventanæque Dynaſtiæ adtribuerant; Neapolitanorum verò adpellatione indicari communes Græcos, qui ſub ducatu Magiſtri militum (Neapolis ſupremum id tunc erat militare munus) novos propellere hoſtes, ſive præreptas ſibi urbes reciperare ſatagebant; agnitaque ope ab Archangelo Langobardis præſtita, relligioſiores devenere: malè enim Græci apud Latinos ſæpe ſæpius audierunt de pluribus ſacris dogmatibus: quod Actorum ſcriptor genere, ut reor, Langobardus Neapolitanis, ipſis utique Græcis, ſignatè adtribuit; quia, ni fallor, eos propemodum indefeſſos, perpetuaque bellorum æmulatione maximè inviſos ſuæ genti ſentiebat remanſiſſe hoſtes. Productam verò explanationem ab hac præmonſtrari Hiſtoriola num.* 3., *&* 25. (1) *nullus, ut puto, inficiabitur, quam*

A *aliquando alterâ ipſe utens conjecturâ ſubodorabam; accepto ſcilicet indicio, tum ab iis, quæ Erchempertus num.* 27. *obiter equidem, adnotavit de victoria iterum à Langobardis de Neapolitanis relata recurrente anniverſaria die Apparitionis S. Michaëlis Archangeli; tum verò ex iis, quæ habet Ignotus ſcriptor in Actis Dedicationis Sacræ Cryptæ in Monte Gargano, eaque legere eſt in Homiliario Doctorum; quo loco antiquus ſanè auctor ille, qui Caroli Magni ætatem præceſſit, de Revelatione agens Archangeli in prædicto Monte, tradit bella à Sipontinis Angelica virtute propulſata, interceſſiſſe illa non inter ſolos Neapolitanos, & Sipontinos, ſed his adſtitiſſe Beneventanos; ita ut apertè inde dignoſci poſſit Sipontinorum, Beneventanorumque nomine Langobardos Beneventanæ*

B *regionis ab eo fuiſſe præmonſtratos, acceptione per eadem tempora ſatis communi, ut alibi erit dicendum. Mihique valde favet non aliis explanatus adhuc locus Adonis Viennenſis in Martyrol. ad diem* 29. *Septemb. ubi agens de eadem Archangeli revelatione, miram Sipontinæ urbis deſignationem tradit, eam locans* in Campaniæ finibus inter ſinum Hadriaticum, & montem Garganum; *quandoquidem cùm non ſatis explorata antiquiora illa geſta ad recentiora ſæcula perveniſſent, quibus tunc inter Langobardos, ac Neapolitanos* (2) *per Campaniam frequentiſſimæ, perpetuæque incaleſcebant pugnæ, idcirco ſua ſcriptores tempora contemplantes, res, loca, belligerantiumque gentium nomina*

C *commiſcuere. At de his non plura, quæ nihilominus S. Romanæ Eccleſiæ, eruditorumque cenſuræ firmo propoſito ſubmitto. Adſtitit autem Langobardis Cis-Tyberinam Italiam invadentibus B. Michaëlis virtus eodem Dei conſilio, quo S. Sabini Epiſcopi, & Martyris patrocinium adfuit Langobardis aliis, qui per eadem tempora in Spoletanam urbem, locoſque conterminos irrupere, ut auctor eſt Paulus Diac. Hiſtoriæ lib.* 4. *cap.* 5. *Sed & reliquis quoque omnibus SubAlpinas urbes inhabitantibus Langobardis cœleſte non defuit auxilium, qui Sancti Præcurſoris Joannis Baptiſtæ protectione fulti, & Regiam, ſupremamque in cæteros alios retinentes dignitatem, eoſdem ad ſui Patroni cultum pariter allexere, quibus illum noverant æquè*

D *adſtare fautorem. Sed de his conſule, ſi libet, eundem Paulum eodem lib.* 4. *cap.* 22. *Cæterum exemplar hujus Hiſtoriolæ, antiquum ſanè, ab auctoris uſque ætate exaratum haud dubiè opinor; namque ſuppletum illud, adnotatumque fuiſſe à Joanne Abbate Caſſinenſi, olim Capuæ Archidiacono, certiſſimo comperi indicio, ſicut alibi conſtare faciam. At non idem Ignoti hujus Monachi extitit Autpographum, quod intelligi facilè poterit ex hoc ipſo, quòd librarii defectum ſuppleverit Joannes tum alibi, tum ad Num.* 2. *itemque quòd nonnullis in locis mendoſum habeatur, auctoris non credam vitio. Ex quibus quidem locis inobſervatus non eſt mihi prætereundus unus, aut alter. Et primò qui ad num.* 1. *ſignatus habetur aſteriſco, ad quem*

E *Leo Oſtienſis lib.* 1. *cap.* 4. *in ſcripto, & in Venetæ editionis Codice tradens Petronacem prælatum fuiſſe in Caſſinenſi Cœnobio anno* 720. *legiſſe videtur ſic*. Ab anno Incarnationis Domini quingenteſimo trigeſimo nono ſub Juſtiniano Imperatore ſunt anni (3) &c. *Alter verò locus mihi obſervandus initio eſt Num.* 6. *ubi Indictio* 15. *adfixa* Conſtitutioni promotionis exercitus *Ludovici annum monſtrat, ut citiùs, exeuntem* 866. *At ille Caſſinum pervenerat in Junio ejuſdem anni, Capuamque exercitu circumvallatam obtinuerat in Sep-*

(1) Confer. Erchemp. num. 81.
(2) Erch. N. 2. 8. 10. & 15. Tum. Pr. Grimoaldi. nu. 3.

(3) Vel legit. *Quingent. quadrag.* ipſo ſcilicet 40. adnumerato.

Septembri, sicut constat ex Chronologia Comitum Capuæ suo inserenda loco, & ex eodem Ostiense lib. 1. cap. 35. (1) Nec animadversione non eget tertius tandem locus ad num. 7. signatus literâ K.; *etenim initio mensis Decembris modò dicti anni 866. Ludovicus decimumoctavum ad minus, non autem decimumseptimum, ut ibi habetur, sui Imperii annum adnumerabat; quippe qui ex Guilielmo Bibliothecario in Hadriano primo annum Imperii obtinebat decimumnonum in die 19. Kal. Januarii Indictionis primæ, hoc est, exeunte anno 867. quam pariter annorum supputationem demonstrant Acta Concilii Romani sub Leone 4. quæ relata habentur Hincmaro Epist. 9. cap. 23. ad quem locum frustra est Adnotator, sed rite illa explicantur ab Antonio Augustino lib. 2. de Emend. Grat. Dial. 3., & à Baronio ad annum 884. num. 17. Tuque ad eandem formam interpretare Anastasium Bibliothecarium in Leone 4.* Cum consilio, *inquit,* Serenissimorum Lotharii, & Ludovici Imperatorum anno Imperii eorum quinto & trigesimo, atque Pontificatus jam dicti Præsulis septimo, mense Decembris, die octava, Indictione secunda. *Ex quo disces adnumeratum fuisse Ludovici annum quintum in mensis Decembris die 8. Indictione 2. hoc est anno exeunte 853.*

HISTORIOLA

RERUM A LANGOBARDIS GESTARUM

In Cis Tyberina Italia ab anno ferè DCCCXL.

Ad tempora Landulfi Campani Episcopi, & Comitis, atque S. Berthærii Abbatis Cassinensis: continens annos plus minùs XXXV.

Ignoto Monacho ejusdem Monasterii Auctore coævo.

I. QUidam ex nostris scire volentes quot anni essent à tempore Sanctissimi Benedicti Patris usque nunc, nos quoque amore ducti, quantùm potuimus sub calculandi æstimatione collegimus. Ab anno Incarnationis Domini quingentesimo * (2) vigesimo anno sub Justiniano Imperatore sunt anni à diebus ejusdem Beatissimi Benedicti usque ad Petronacem Abb. centum octoginta & unum. Et à Petronace Abbate usque HUNC annum Domini Berthærii Abbatis, qui est Deo præsule in Cœnobio tertius decimus Pastor, dinumerantur circiter anni quod est annus Dominicæ Incarnationis *Numeri annorum non aderant.*

II. Paululum aliquid & de Langobardorum gente quomodo in Italiam properarit, commemorandum. (3) Narsis quoque Patricius pro expellenda Gothorum gente, quæ Italiam invaserat, Langobardos fœderatos elegit, & cum Græcis suis pariter, ac Romanis ab eisdem finibus, hoc est Romanorum terminis, repulit Gothos. Qui Narsis Neapoli residens, legatos ad Langobardorum gentem dirigit, mandans, ut paupertina Pannoniæ rura desererent, & ad Italiam cunctam refertam divitiis possidendam venirent, simulque multimodam pomorum genera, aliarumque rerum species, quarum Italia ferax, emittit, quatenus eorum ad veniendum animos posset inlicere. Langobardi verò læta nuncia, & quæ ipsi præoptabant, gratanter suscipiunt, deque futuris commodis animos attollunt. Hinc Langobardi sedes proprias, hoc est Pannoniam, amicis suis Hunnis contribuunt; eo scilicet ordine, ut si quo tempore Langobardis necesse esset reverti, sua rursus arva repeterent. Igitur Langobardi relictâ Panoniâ, cum uxoribus, & cunctis omnibus, & suppellectile Italiam properant possessuri. Habitaverunt autem in Pannonia annis XLII. de qua egressi sunt mense Aprilis (4) [*per Indictionem primam, alio quidem die post Sanctum Pascha, cujus festivitas eo anno, juxta calculi rationem*] in ipsis Kalendis Aprilibus, cùm jam à Domini Incarnatione anni quingenti sexaginta & octo essent evoluti.

III. Post hoc dominantes Italiam, Beneventum [*properantes*] introëunt ad habitandum. Horum autem * Princeps militiæ cœlestis exercitus Michaël extitit Archangelus. Neapolites ad fidem Christi perducti. (5) Alzecus Vulgarius cum hominibus ad habitandum suscipitur. Græcorum, Romanorumque Langobardi gentes superantes, totam simul Beneventi possident patriam.

IV. (6) *Omne* quippe *Regnum*, ut ait Dominus, *in se ipsum divisum desolabitur. Et quod quis serens seminaverit, hoc & metet.* Propterea divisus Israëliticus populus in omnem ventilatus est mundum; sic & hæc Langobardorum gens dissidentes mentibus, etiam suos interfecere Principes. Ob id patriæ facta divisio, Beneventanorum Principatus duabus equidem partibus efficit divisus; à quibus vicissim Franci, Saraceníque unus contra alterum evocati, post tandem fraus Saracenorum Barim noctu capiens, post demum Tarantum obsidentes, introëunt, totumque penè in integrum postmodum Regnum igne, ferroque vastantes, demoliti sunt, & ad solum usque perductum circiter per annos ferme (7) triginta.

V. (8) Langobardi verò dum nimia suis pro factis pericula sustinerent, ob hoc nimiùm afflicti, necessitateque compulsi Franciam legatos dirigunt, atque gloriosi Imperatoris Hludovici implorant Augusti clementiam, ut patriâ suâ cum gente veniens, eos omnino à Saracenis quantocyus eriperet. Qui veniens hoc decretum suæ reliquit patriæ.

VI. CONSTITUTIO *promotionis exercitus observationis partibus Beneventi sub Indictione (9) quintadecima.*

Quicumque de mobilibus Widrigid *suum habere potest, pergat in hoste. Qui verò medium* Widrigid *habet, duo juncti in unum qualitatem instruant, ut bene ire possint. Pauperes verò personæ ad custodiam maritimam, vel patriæ pergant; ita videlicet, ut qui plusquam decem solidos habet de mobilibus ad eandem custodiam vadant. Qui verò non plusquam decem solidos habet de mobilibus, nil hei requiratur. Si pater quoque unum filium habuerit, & ipse filius utilior patre est, instructus à patre*

(1) Non obest Diploma in Chr. S. Vinc. de Volt. l. 2. *Lat. an. 17. Imp. Ludov. 3. Id. Jun. 14. Ind. postquam Capuam cepit an. 1.* hoc est an. 866. nam confictum adparet ex adjecto tempore captæ Capuæ.

(2) Vide judicium meum de hac Historiola.

(3) Ad verbum ex Paulo Diac. l. 2. c. 5., & 6.

(4) Quæ hic, & infrà his signis [ ] sunt inclusa, erant ad oram scripti Cod., sed aliena manu, & atramento recentiori, quæ tribuo Auctori Chronici Com. Cap.

(5) Ex Paulo Diac. in Hist. Lang. lib. 5. c. 11.

(6) Lucæ c. 11. Ad Galat. cap. 6.

(7) An annos enumeret ab incursione in omnem Beneventi regionem, quæ contigit anno ferè 853. Confer Erch. num. 20.

(8) Ostiensis lib. 1. cap. 35.

(9) Vide judicium meum de hac Historiola.

patre pergat. Nam si pater utilior est, ipse pergat. Qui verò duos filios habuerit, quicumque ex eis utilior fuerit, ipse pergat: alius autem cum patre remaneat. Quòd si plures filios habuerit, utiliores omnes pergant; tantùm unus remaneat, qui inutilior fuerit. De fratribus indivisis juxta Capitularem Domini genitoris nostri, volumus, ut si duo fuerint, ambo pergant. Si tres fuerint, unus qui inutilior apparuerit, remaneat: cæteri pergant. Si quoque plures omnes utiliores apparuerint, pergant: unus inutilior remaneat. De qua conditione volumus, ut neque per Præceptum, neque per Advocationem, aut quamcumque occasionem excusatus sit, aut Comes, aut Gastald, vel ministri eorum ullum excusatum habeant; præter quòd Comes in unoquoque Comitatu unum relinquat, qui eundem locum custodiat, & duos cum uxore sua. Episcopi ergo nullum laicum relinquant. Quicumque enim contra hanc institutionem remanere præsumpserit, propriis ejus amissis, quod subter ordinatum habemus, præsentialiter ad nostrum opus recipere jussimus, & illum foràs ejicere. Omnibus enim notum esse volumus, quia jam à prioribus nostris juxta hanc institutionem tultæ fuerunt, sed prima recuperare meruerunt: nunc autem certissimè scitote, cujuscumque proprietas tulta fuerit, vix à nobis promerebitur recuperationem. A' fluvio Pado usque Trebia sit Missus Lotselmus. Inter Padum, & Ticinum Eriulfus. Inter Ticinum, & Adda Erembertus. Inter Adda, & Addiza Landebertus. Ab Addiza usque ad Forum Julii Theobaldus. Petrus, & Arthemius Episcopi junctis secum Missis Episcoporum, & Comitum, Pisa, Luca, Pistoris, & Lunis. Theutmundus, Florentia, Volterra, & Aristio, Rodselmus, Ulusid, & Sena, Andreas. In ministerio Witonis, Rimmo, & Joannes Episcopus de Forcona. In ministerio Verengari Hiselmundus Episcopus. In litore Italico Ermefridus, Macedo, & Wlferius. Hi volumus, ut populum ejiciant, & custodiam prævideant, & populum in castella residere faciant, etiam & cum pace. Nam si Missus aliquis ausus fuerit prætermittere, qui nominibus remanserint, præsentaliter proprium tollant, & eum foris ejiciant; & si inventus fuerit ipse Missus, proprium suum perdat; & si Comes aliquem excusatum, aut bassallum suum, præter quod superiùs diximus, dimiserit, honorem suum perdat; similiter eorum ministri, si aliquem dimiserint, & proprium, & ministerium perdant. Quòd si Comes, aut Bassi nostri aliqua infirmitate (detenti) *remanserint, aut aliquem excusatum retinuerint, aut Abbates, vel Abbatissæ si plenissimè, homines suos non direxerint, ipsi suos honores perdant, & eorum bassalli & proprium, & beneficium amittant. De Episcopis autem cujuscumque bassallus remanserit, & proprium, & beneficium perdant. Si quoque Episcopus absque manifesta infirmitate remanserit, pro tali negligentia ita emendetur, ut in ipsa Marcha resideat, quousque alia vice exercitus illuc pergat, in quantum Dominus largire dignatus fuerit. Et ut certissimè sciatis, quia hanc expeditionem plenissimè explere volumus, constituimus, ut Episcopus, Comes, aut Bassus noster si in infirmitate incerta detentus fuerit, Episcopus quippe per suum Missum, quem meliorem habet, Comes verò, & Bassi nostri per se ipsos hoc sub sacramentum affirment, quòd pro nulla occasione remansissent, nisi quòd pro certissima infirmitate hoc agere non potuissent; omnes enim volumus, ut omnem hostilem apparatum secum deferant, ut cùm nos hoc prospexerimus, & inbreviare fecerimus, non negligentes appareant, sed gratiam quoque nostram habere mereantur. Vestimenta autem habeant ad annum unum, victualia verò quousque novum fructum ipsa patria habere poterit. Fragidis enim quicumque eundo, & redeundo commotionem fecerit, vitæ incurrat periculum. Et quia temporis congruentia imminet Quadragesimale, in quo studenda sunt præcepta Dei, constituimus, ut quicumque Ecclesiam fregerit, adulteria, & incendia fecerit, vitæ incurrat periculum. Quicumque caballum, bovem, friscingas, vestes, arma, vel alia mobilia tollere ausus fuerit, triplici lege componat, & liberum armiscarâ, idest sellâ, ad suum dorsum ante nos à suis semotus bis dirigatur, & usque ad nostram indulgentiam sustineatur; servi verò flagellentur, & tundantur, & illorum domini, quæ ipsi tulerunt, restituant. Quòd si clamor ad Seniores venerit, & ipsi talia non emendaverint, tunc horum Seniores ipsam compositionem faciant, & eâdem armiscarâ quamdiu nobis placuerit sufficere compellantur. Et hoc constituimus, ut ex utraque parte justitia servetur, videlicet nostri sicut circa vicini, quæ necessaria sunt, emenda. Vicini autem nullatenus cariùs, quàm suis circa vicinis, vendere præsumant. Qui verò homicidia indiscretè, & præsumptiosè fecerit, vitæ incurrat periculum.* (1) *Iter enim erit nostrum per Ravennam, & immediatè mense Martii in Piscariam, & omnis exercitus Italicus nobiscum. Tuscani autem cum populo, qui de ultra veniunt, per Romam veniant ad Pontem Curvum, inde Capuam, & per Beneventum descendant nobis obviam Luceriâ VIII. Kalendas Aprilis.*

VII. (2) His igitur prælibatis, & hac lege sancita, dictus Dominus Imperator Hludovicus Augustus cum uxore sua pariter gloriosa Angelberga Augusta Benevento properantes, Junio mense ad Monasterium veniunt Sanctissimi Benedicti Patris, ubi à venerabili Berthario Abbate cum sacerdotali officio, lampadibus, & thymiamatibus, nec non & Fratrum laudibus honorificè susceptus est. Ascendens autem montem, ubi dicti almi Patris pii Benedicti sacrum corpus humatum est, pari gloria ibidem susceptus, aliquid ibidem Sancto, & bene conferens munere, dictum omne Cœnobium conspiciens, laudabiliter admiratus descendit. Inibi Capuanorum frustrata calliditate, post dies aliquot obsidens, obtinuit Capuam, ingreditur Salerno, navigans Malfim, Puteoli utitur lavacris, & per Neapolim Suessulanam adiit urbem: dehinc castrametatur Caudim. Mense autem Decembris Dei omnipotentis opitulante gratia ingressus est Beneventum, anno quidem (3) septimodecimo Augustalis Imperii sui. Et ecce congreditur cum Saracenis: trophæum primitus bellicans sumpsit ex eis victoriæ, ac demum omnia illorum capiens castra, solæ tantum illius civitates remanserunt, Barim scilicet, nec non atque Tarantum; nam omnium quidem eorum gloria, munitissima capta est urbs Materia, quæque igne, ferroque ad nihilum redacta est; Augusto autem mense reversus Beneventum. In cujus obsequium cùm esset ibidem Bertharius Abbas, nam illic in Sancta Sophia inchoatum fuerat Oratorium à prædecessore suo Reverendissimo viro Bassacio, quod omni studio perfecit, & in honorem Sancti construxit Benedicti. Dedicatum autem à Stephano Theanensis Sedis Episcopo, & ab Angelari Levitæ studio opus perficitur.

VIII. Si fortè nosse cupis, quis lector futurus

(1) Sed postea non hoc itinere, sed per Soram Beneventum ingreditur.

(2) Erch. num. 32., & 33. Leo Ostiensis lib. 1. c. 35.

(3) Vide judicium meum de hac Historiola.

rus eris, quam ob causam Beneventanorum regionem Saraceni dominassent, occasio videlicet extitit talis. (1) Sicardus Beneventanorum Princeps à suis interfectus, Radelchis Secretarius Palatii ei successit in Principatum. Tunc apud Tarantum morabatur Siconolfus armipotens, bonæ memoriæ Siconis magni Principis filius. (2) Interea his temporibus Capuanites plurima perpatrantes flagitia; etiam suos, majores sibi, occiderunt parentes, illorumque omnia diripientes, semetipsos sublime in spectaculum constituerunt mundi: ob hoc verebantur adire Beneventum, Principisque sui Radelchis obedire præceptis. Nam novis fraudum iniere machinis; seque Tarantum contulerunt ad Siconolfum prædicti Principis filium, & cum cæteris sibi socios, & in flagitiis pariter consimiles dictum sibi constituerunt Siconolfum Principem; Qui nec multò post introiens Salernum, magnaque pars Beneventi regio secuta est eum. Contra quem Radelchis Principis libor exarsit, & eum disperdere nitebatur è terra. Quatenus alterutrum per tempora longa dimicaverunt; quanta per hos gesta fuerint vicissim mala, nulla sustinere valet pagina, nullus doctoris explanare sensus, sed neque scribentis potest esse omnino facultas. (3) Nam eo tempore dictus Radelchis Princeps per Barensem Pandonem Gastaldeum in auxilium sibi transmarinos invitabat Saracenos, qui divergabantur residentes. Intempestâ videlicet noctis horâ, more solito, nominatam rapuerunt civitatem, quæ urbs juxta Græcorum stylum, Βαρὺν Brachia, gravis, sive fortis interpretatur: vocabulum ex eo olim promeruit, ob delinquentium facinora. Ab hac gravis, vel fortis Saracenorum vastatio, ut in nos utique sic nimiùm sæviret. Horum iniquorum primus venientium vocabatur Alfonses, obsitis siquidem vestimentis, & calciamentis, saltem nec Tarabere succintis, sed solis arundinibus manu gestantes. Cum his quoque Radelchis totam devastavit Siconolfi regionem; Capuamque primariam redegit in cinerem, & inde hinc omnia corruunt pariter in pejus. Hoc (4) tempore bellum inter utrosque factus est in Cannis.

IX. (5) His diebus Saraceni ingressi Romam, Oratorium totum devastaverunt Beatissimorum Principis Apostolorum Petri, Beatique & Ecclesiam Pauli, multosque ibidem peremerunt Saxones, aliosque quamplurimos utriusque sexus, & ætatis; Fundensemque capientes urbem, vicinaque deprædantes loca, Septembrio quoque mense secus Gajetam castrametati sunt. Contra quos pervênit Francorum exercitus, sed superatus à Saracenis quarto Novembris Idus, iniit fugam; quos persequentes Saraceni, illorumque omnia capientes, tandemque ad Sanctum devenerunt Andream, cujusque cellam igne cremaverunt. Quique dum pervenissent ad cellam Præsulis Beatissimi Apollinaris, cognomento Albianum, è vicino Sanctum Beatissimi Confessoris Christi conspexerunt montem, quò illico pergere satagebant, sed tardior quippe eos transire hora vetabat. Igitur tanta tunc, & cæli serenitas, & terræ siccitas, ut fluvium pede quisque volens pertransire posset. Beatissimi verò Benedicti Patris Monachi tunc vicinam sibi mortem cernentes, protinus vicissim pacem dederunt, obsecrantes misericordem Dominum, ut illorum propitius in pace animas susciperet, quas in velocitatem mortis continuò expectabant migrare. Illico universi nudis plantis, & cinere sperso capite, cum Litaniis ad patronum suum se contulerunt Benedictum Beatum. Dum nimius esset pavor, & formidolosa expectatio, & copiosa fieret ad Omnipotentem Dominum exoratio, per visum Bassacio Patri paruit prædecessor, & Apollinarius Abbas. *Quid*, inquiens, *habetis, quare mœrorem patimini*? & Bassacius ad hæc. *Imminet iniqua mors, Pater, & non verendum? Nolite*, inquit, ait, *timere*: *Benedictus pius Pater vestram obtinuit salutem; deprecamini igitur sedulè Dominum cum Litaniis, & Missarum solemniis, Dominus citò exaudiet voces clamantium ad se*: *denique & nos vobiscum in Ecclesiis stantes cœlorum cum civibus communiter pro vobis Jesum Christum Dominum exorare non desistimus*. Cùmque à somno surrexisset Bassacius Pastor, & hoc fratribus indicasset, in commune omnes excelsa voce Dominum benedixerunt, qui salvat misericorditer sperantes in se. Tunc subitò immanis facta est pluvia, corruscationes, & tonitrua tam vehementia, ita siquidem, ut etiam Carnellus fluvius ultra terminos excrescens, redundaret; & quem pridie adversarii transire poterant pede, sequenti videlicet die, Divina coërciti repulsione, neque ripam attingere valebant fluvii: nitebantur quolibet fluvium transire modo, sed dum nullus adesset eis ad Cœnobium transmeandi aditus, sicut est illorum dira barbaries, digitos corrodentes manuum, fremebant, qui stridebant dentibus, huc, illucque furibundi discurrentes. Et ut non abesset illorum assuetum facinus, cellas Beatissimorum Martyrum Stephani, seu Georgii igne cremaverunt, & per duos (6) Leones ad castra remearunt. Post dies aliquot suos subnervantes equos, navigare cœperunt; qui dum propiùs suæ adessent Provinciæ, ita ut etiam jam vicinos cernerent montes, nautico plausu laudes suo more dederunt: mox inter eos una paruit navicula, quæ duos ferebat homines, unius velut speciem Clerici, alterius velut Monachi habitum habentis. Qui dixerunt ad eos. *Unde venitis, vel quò itis?* At illi responderunt dicentes. *A Petro revertimur, Româ; omne illius devastavimus Oratorium, populum cum regione deprædata; Francos superavimus, Cellasque Benedicti igne cremavimus*: *Et vos*, inquiunt, *quinam estis*? Ajunt illi. *Qui nos quoque sumus, modò visuri eritis*. Illico facta est tempestas valida, & procella vehemens; omnes igitur naves confractæ sunt, cunctique adversarii perempti; nullus unquam ex eis penitùs remansit, qui cæteris talia nunciaret. Sequenti itaque tempore Leo venerabilis Papa Oratorium ambiens Beati Petri, muris firmissimis, & excelsis, ne unquam talis Romæ ulteriùs aliquando eventus eveniret.

X. (7) Per idem tempus Siconolfus Princeps pro Spanis tribuendum de Beatissimi Benedicti Cœnobio thesaurum abstulit perplurimum. Si quidem vice prima Baziam argenteam unam. Vaucas par unum in gemmis, & smaragdis. Spara par unum, Sericamque sericam de Filfori cum auro, & gemmis. In alia igitur vice centum triginta in vasis auro libras.

(1) Ostiensis lib. 1. cap. 24.
(2) Erch. n. 15., & 53.
(3) Erch. n. 16. Leo Ostiens. lib. 1. cap. 24.
(4) Erchemp. num. 16.
(5) Leo Ost. lib. 1. c. 26. Annal. Franc. à Pithœo editi ad annum 846. Anast. Bibl. in Leone 4.
(6) Locus est, ac finis ditionis Monasterii Cassin. Leo Ost. lib. 1. cap. 5. lib. 3. c. 12.
(7) Ostiensis lib. 1. cap. 25.

libras. Tertia itaque vice trecenti sexaginta quinque argento libras, & tredecim millia solidos auro figuratos. Quarta videlicet vice Vacias duas pensantes libras triginta, & Fandatos duplices septem. Quinta nihilominus vice Matiatos solidos prædolatos quatuordecim abstulit millia. Et post hæc in Agrisis Baciam unam, & Scaptonem unum Constantinopolitano deaurata fabrefacta vasa opere. Porrò in sequenti vice sexta per Landonem Comitem, & Aldemarium Gastaldeum vi ex Cœnobio sustulit isdem Siconolfus prædolati solidos duo millia, & sui Principis coronam Siconis, genitorisque de auro, ac gemmis smaragdinis ornatam. Ex hoc neque sibi profuit, animamque jugulavit suam; sed neque quòd fallere Monachos promittendo nisus est, ei neque profuit nihilominus, seu patriæ; sed videlicet ab hinc nullum ei amplius evênit triumphus victoriæ.

XI. His diebus inter utrosque Principes factum est in (1) Cancellis bellum perexecrabile.

XII. (2) Aliquantis interim elapsis temporibus, Massar Dux Benevento residens in auxilium Radelchisi Principis, Beatissimæ Dei Genitricis in Cingla Mariæ Monasterium devastavit, Castellumque postmodum Sancti, qui cognominatur Viti, cepit: Telesinum possidens castrum humiliavit, totamque devastavit Apuliam, & cætera nihilominus loca; quandoque pervênit secus almi Benedicti Monasterium, cujus adeò ita divinitus mens immutata est, ut dum unus ei canis vellet in pratis unam comprehendere aucam, per semetipsum cum flagello cucurrit, & eandem de ore raptoris expulit avem; cùmque ante januas assisteret Monasterii, protinus portas claudere jussit, ne subsequentes introire (3)...... præsumerent. His expositis, pertransiit Aquinum, ac deprædavit arcem, vicinaque loca. Novembrio autem mense post dies octo reversus est Beneventum.

XIII. (4) Mortuo itaque Siconolfo apud Salernum, Sico filius ejus....... ei successit in Principatum. Isque post aliquantulum Franciam puerulus transducitur.

XIV. (5) Mense Junio generalis per totam Beneventi regionem terræmotus factus est magnus, ita ut Iserniensem funditus urbem obrueret, multumque perimeret populum: ad ultimum etiam, & Præsulem extinxit ejusdem civitatis. Par ruina ædificiorum extitit apud Sanctum Vincentium; similisque vis fuit terræmotus ad Benedicti Beati Cœnobium, sed nec unus quidem lapis suo de loco lapsus est. Quod dum Massario renunciatum fuisset, ut ruinosam deprædaret Iserniam, ait. *Dominus omnium illuc iratus est, & ego peramplius deseviam? Non utique ibo.*

XV. Telesis nova secus primariam in planitie sui cognominis construitur.

XVI. (6) Inter hæc tempora, breviter ut superiùs dictum, intra Capuanites filii Landolfi Gastaldei, hoc est Lando Comes, Landolfus Episcopus, Pando Marepahis, Pandenolfus Gastaldeus hujus patriæ insignes habebantur. Sed ob scelera commorantium crebro eorum urbs incendio cremata est: non pœni-

Tom. II.

(1) An de hoc bello Erchemp. num. 17.
(2) Ostiensis lib. 1. c. 27.
(3) Specie tenus.
(4) Erchemp. num. 20., & 23.
(5) Ostiens. lib. 1. cap. 27.
(6) Erchemp. num. 21., & 24. Leo Ostiens. lib. 1. c. 30.

A tentiæ remedium; neque Divinam postulantes misericordiam, aut emendationem facinorum, sed quodam tandem reperto consilio, ad Casolini pontem construunt civitatem, quam ludo secundam vocitabant Romam. Nam sicut qui effugerit à facie leonis, & incurrerit in ursum, sic ab istis remota civitas ipsa ab igne, pari in ultione corruit in abyssum. Qua gloria sperabatur erigi, carmen indicat istud.

„ *Quæ primùm senio marcebat tempore longo*
„ *Cernitur en amplis consurgere mœnibus urbem.*
„ *Illa Senatorum pollebat fulta catervis,*
„ *Nomine sed Capua vocitatur, & ista secunda.*
„ *Providus in cunctis patriæ, populique juvamen*
„ *Lando Comes studio solerti hanc condidit urbem.*
B „ *Aurea Porta vocatur, fert quia lucis honorem.*
„ *Arma, salus, virtus perpetua Christus in urbe*
„ *Hac maneat populo tempus in omne suo.*
„ *Pellat & hinc hostem sævum, fraudemque malignum,*
„ *Civibus & præstet pacis honore frui.*

XVII. Hoc videlicet tempore Tarantum fame obsessa à Saracenis capitur.

XVIII. (7) Per idem tempus Bassacius Abbas rogatus à Primatibus patriæ adiit Franciam; qui obsecrans gloriosum Imperatorem Hludovicum veniens Barim, & in quantum possibilitas fuit, totis viribus cum Saracenis dimicavit. Post complures autem dies venit Beneventum: (C) igitur Sabbato vigiliâ Sanctissimæ Pentecostis infra Beneventanam urbem interemptis Saracenis, Radelchis Principatum gerens, Massarim capit; ad Imperatorem adductus, capite plectitur. Hludovicus exinde repedavit in patriam.

XIX. (8) His temporibus Bassacius Abbas defunctus est, expletis in regimine annis decem & novem; cujus quale, quantumque fuit sursumque in Ecclesiis studium, & ipsi VIDIMUS QUI SCRIBIMUS, & carmina illius nobis descripta resonant. Huic successit in regimine Bertharius Sacerdos, ejus discipulus, moribus, & vita strenuus, & omni bonitate conspicuus. Castelli sursum munitionem ipse ambiens, calicem ad honorem Dei officium operatus est, (D) civitatem...... fieri voluit, & inchoavit. Et quomodo totis viribus contra Saracenos in Gaëta dimicavit, NOSTRA PLENISSIME' COMPERIT ÆTAS. Quomodo autem suos dilexit commissos, & quatenus pro ipsis decertavit, Præcepta indicant Cœnobio facta Imperatorum.

XX. Eo tempore Ademarius Princeps erat apud Salernum. Teanensis Ecclesiæ Præsul Jupoaldus obiit. (9) Hilarius Levita B. Benedicti Monachus ad Episcopale decus eligitur.

XXI. Bonæ memoriæ Aloara Landonis conjux Comitis unà cum Surano medico, ejusque interventu tam benefactrix erat Monachorum, (E) ut Madium totum mensem stipendia præberet, ac aleret Fratres.

XXII. (10) Lampert filius Widonis, & Ildepert Comites nisi sunt manus erigere contra Hludovicum Imperatorem: sed relata illorum fraude, persecutus est eos Hludovicus usque Marsim. At illi demum ante faciem ejus fugerunt Beneventum apud Adelchisum Principem.

(7) Erchemp. num. 19. Leo Ost lib. 1. c. 28.
(8) Ostiensis lib. 1. cap. 31., & 32.
(9) Ostiensis lib. 1. c. 32.
(10) Erchemp. num. 35. Ostiensis lib. 1. c. 35., & Anonym. Salern. ineditus. Sed non sinè aliqua discrepantia. Vide Guilielm. Bibl. in Hadrian. 2. pag. 334.

Ildepert verò pertransiens abiit Barim, libentissimè quidem à Seodane Rege susceptus est, & habitavit ibi tempore, quo voluit. Hludovicus ergo Imperator prosequens eos devênit in Iserniam, quam cùm infidelem sibi comperisset, bellando cepit, ac deinde pertransiens Alifem, post plura bella urbs capta est. Per Telesiam igitur devênit ad civitatem, quæ dicitur Sanctæ Agathæ. & urbem expugnare cœpit; quæ dum valde esset munita, multis diebus obsedit eam: erat etenim tunc æstivum tempus. *Nemo enim unquam*, ut (1) Apostolus ait, *carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam*. Tandem Bertharius Abbas condoluit super Hisembardum consanguineum sibi, & Gastaldeum obsessæ civitatis, & intervênit pro eo apud Imperatorem Augustum, cujus & promeruit gratiam, & pactum dedit civitati, ac illius juri potinus urbs mancipata est. Adelchis Princeps ad pedes prostratus clementissimi Imperatoris & suam obtinuit veniam, & fugacibus Comitibus; ab hinc tandem Hludovicus rediit Franciam. Hoc in tempore Magenolfus Clericus Ingenam neptem Imperatricis cepit conjugem.

XXIII. (2) Ademarius junctus cum Neapolitanis nitebatur quiddam dolosè erga suos; ob hoc oculi ejus evulsi, spernitur à Principatu, & Warferius Salerni factus est Princeps. Nam (3) dictus Ademarius Suram, Arpinum, Vicum Album, & Atinum tradidit Francis, idest Widoni Comiti. In his locis præerat Landolfus Gastaldius, quæ dum amisisset loca, præ nimia est tristitia defunctus.

XXIV. Juvamine Landonis Comitis, & ferè Sacerdotis Teano Monasterium construitur famulabus Dei.

XXV. (4) Defuncto igitur apud Capuanam urbem Lando Comes, Pando germanus ejus ei successit in Comitatum; qui junctus cum Landolfo Episcopo venerabilem Aloaram cognatam suam de Capua excutientes, quæ exul cum natis, & facultatibus propriis apud Salernum habitatura devênit. (5) Per idem tempus Neapolites audaciter super Capuanos venire in bellum conati sunt: eo siquidem die, quo B. Michaëlis festivitas est. Hujus Langobardi auxilio freti exierunt adversùs Quirites, & tanta in illis cæde bacchati sunt, ut plurimi ex eis gladio fuerint perempti, multique capti, nonnulli in fluvium se projicientes; residui verò perpauci vulnerati in urbem reversi sunt suam: Cæsarius autem Magistri militum filius capitur, Capuamque adductus ferro in compedibus habetur. Secunda Neapolitis hæc ruina extitit similis, qua olim in Gargano, cùm B. Michaëli Archangelo ageretur festivitas, corruerunt; quod ex utroque latere Seodan audiens, factum irrisit, dicens. *Stuppa cum tormentis pariter junctæ fecerunt bellum*.

XXVI. (6) Eo autem tempore in Aquini Villa Rodoaldus Gastaldius secus Pontem Curvum construxit Castellum: hoc facto subduxit se à jure Capuanorum, qui vehementer ob hoc affligebatur à Capuanis. His diebus Magenolfus, de quo supra, pergebat Franciam, ut sibi ab Imperatore glorioso peteret, quo vivere loco, seu & habitare posset; cui Rodoaldus legatarium quendam Ursum transmisit Presbyterum, ut reversus veniret, ac pariter commorarentur, suoque præsidio juvaret eum à persequentibus se. Reversus ergo Magenolfus de itinere cepto, & in Pontem introivit; Curvum nec multò post profectus est Salernum, sumptaque conjuge omni cum supellectili, ac familia rediit in castrum. Neque diu latuit mysterium iniquitatis, nam quadam die cum suis cepit Rodoaldum, eumque in custodiam retrusit, duos quoque filios ejus in Turrim projecit, omnemque facultatem ipsius abstulit, thesaurum, peculia, mancipia, servos, populum, castrum, villam, & omnia subjugavit sibi: rudem, populumque indisciplinatum, quem invênit, docuit more Palatii esse prudentissimum; & qui priùs non noverant, nisi cæpe, & allia, nunc ab eis centum principales exquiruntur solidi, etiam & in hostili armati proficiscuntur exercitu. Rodoaldus offertus dum Beato Benedicto fuisset, vix à venerabili viro Berthario Abbate, & Monachis liberatus est: ut Æsopus doctor fabularum ait. *Hoc patiatur, qui fortiorem sibi induxerit in domum suam*.

XXVII. (7) Dum in Eulogimenopolis urbis mœnia struerentur, unus quidam, tunc ibi erat cum suis sociis in constructione civitatis. Is quondam præ nimia infirmitate linguæ perdiderat officium, & per annos circiter septem nullum omnimodo valuit proferre sermonem. Quadam itaque nocte lassus ab opere manuum, dum Fratres in Oratorio Beatissimi Benedicti Deo laudes peragerent, idem mutus ad columnæ pedem cum aliis residens, obdormivit; quem B. Benedictus per visum baculo capite percutiens, increpans ait. *Huc properasti*, inquit, *ad dormiendum? Evigila ergo, & tribus vicibus expue in terram*. Qui cùm hoc fecisset, surgens à somno, beneficium sibi collatum cœpit omnibus effari, & ita perfectè loqui, ut ante septennium nec minùs solitus erat, & omnes Deo laudem pariter dederunt.

XXVIII. (8) Interim gladius Dominicæ indignationis huc, illucque discurrens, in delinquentium cervicibus grassabatur; nam egressus de vagina sua omnes terminos per circuitum devastabat. Ille impiissimus, atque crudelissimus latro, quem (9) *Dominus percutiat gladio oris sui, & destruat illustratione adventus sui*, ille pestifer Seodan quodam tempore egressus à Bari, totam devastabat Capuam, Cancias, Leborem, & suum nequissimum thronum posuit in Campo de Neapoli. Nullus omnino præteribat dies quin ad quingentos, & eò ampliùs interficeret homines, & hoc * patri inesse dicebat, ut illud compleretur (10) Evangelicum: *Omnis qui interficit vos, arbitratur se obsequium præstare Deo*. Nam stans ille Tyrranus super cadavera mortuorum, sedens edebat tanquam unus putridus canis. Tandem quasi è gravi somno evigilantes, sed gravatè, atque præpediti nimis miseriis Waldelpertus, & Majelpotus Gastald, & Garard Comes cum plurimis aliis nobilibus, properaverunt Beneventum, ut communi consilio ulciscerentur se de Saracenis: salubre quidem fuit consilium, sed inutilis ordo. Non uno agmine, non una eademque intentione per cohortes incedebant, sed divisi ab altero inordinatè proficiscebantur. Igitur propinquaverant secus Saracenos à Barium, quod hic

(1) Ad Eph. c. 5.
(2) Erchem. num. 26.
(3) Erchem. num. 25.
(4) Erchem. num. 28.
(5) Erchem. num. 27.
(6) Ostiensis lib. 1. cap. 37.
(7) Ostiensis lib. 1. cap. 32.
(8) Ostiensis lib. 1. cap. 34.
(9) Paul. ad Thessal. 2. cap. 2.
(10) Joann. cap. 16.

hìc erigentes se protinus straverunt in terram, jamque Sol ad occasum tenebat; hi verò, qui à Benevento venerunt, sicut fuerant lassi, & nimiùm quidem faticati, sitientesque valde, continuò in aciem introierunt. Illico Saraceni subitò erecti, ut erant in uno agmine conglobati, repentè irruerunt sequi eos; hi verò terga vertentes fugere cœperunt; plurimi interempti à gladiis, nonnulli cadentes, in alterutrum impingentes præfocabantur; alii in fossatis, sepibus, & cavernis terræ, illæsi à gladiis, sed præ siti mortui inveniebantur; Saraceni autem victores effecti cœptum peregerunt iter.

XXIX. Inter Capuam, Teanum, nec non Alifam AUDITUR esse mons quidam, in quo DICITUR adesse Angelica virtus ad instar B. Michaëlis Archangeli in Monte Gargano, ubi distillari aquam, & jugiter effossam Cryptam, & jacere Basilicam, atque ibidem nunc crebrò fieri prodigia. Exhortatu autem Landolfi Præsulis Ilarius Teanensis Ecclesiæ Episcopus dedicavit illuc Sanctorum altaria, & peramplius ex tunc fiunt multorum sanitatum signa, & prodigia ad gloriam, & laudem nominis Jesu Christi.

XXX. (1) Mos etenim est apud Monachos utrorumque Cœnobiorum, videlicet Sanctorum Vincentii Martyris, & Beati Confessoris Benedicti, diebus Sanctæ Quadragesimæ vicissim sibi rogum exhiberi, caritatis gratiâ. Dum hoc quadam die apud Sanctum Vincentium Fratres spiritualiter agerent, & illic de Sancto AB HOC Benedicto fratres adessent die Veneris ....

Cætera legi nequiverunt, quæ facilè supplebis ex Ostiense loco hic indicato.

XXXI. Pando Capuanitis Gast. ....
...... in bellum.... (2) quidem ipse priùs corruit; dehinc qui fuerunt cum eo, victoriamque adeptus est......... *Desunt nonnulla.....*
....

(3) Pandenolfus Pandonis dicti filius Capuana in urbe factus est Gast..... quem (4) non post multum Landolfus Episcopus sua reduxit ab urbe, & sua cum facultate veniente (5) habitavit in Sessam.

XXXII. Landolfus autem extitit suis civibus, non solùm Episcopus, sed & Comes, & Judex; non solùm Præsul, verùm etiam Gastaldius; neque tantùm Pontifex, quin & velut miles super cunctos præerat [*per (6) annos duodecim. Quo defuncto Pandenolfus nepos ejus factus est Gast; qui tribus annis, & octo mensibus in ea residens, à parentibus suis captus est, & Lando frater Landolfi Episcopi factus est Gast; residens annis duobus, & mensibus decem. Cui successit Landonolfus frater ejus Gast. Capuæ anno uno, mensibus quatuor. Per Indictionem quintam mense Januario cepit Capuam Atenolfus Comes, quam tenuit annis decem; quibus expletis Princeps Beneventi factus est, dominans eam annis decem, mensibus sex*]

XXXIII. (7) Ita benefactor noster, idest omnium contrarius hostis Seodan, venit in Venafrum, postquam eorum ceperat civitatem, & postquam omnem devastavit villam, & in circuitu ejus tamquam Rex potens in medio resedit terræ. Initium siquidem tunc erat Quadragesimæ Sanctæ. Eo autem die Sanctam Dominicam, more solito, Bertharius Abbas suum exhortabat divinis præceptis beatissimum gregem; cujus vicinitatem cùm certò Fratres comperissent, concito gressu ad Sanctum conscenderunt Benedictum. Sequenti die Mercoris nefandus ipsius Regis exercitus secus Sancti Benedicti pervênit Monasterium, haud non longè quasi stadia dua. Hoc dum vellent Saraceni per montes descendere Atinem, hic, qui eos deducebat, descendit cum eis in Vallem Rotundam, dehinc in Rapidum; cùmque in planitiis devenissent, prædari cœperunt. In Sancti Ecclesiam dum introissent Heliæ, parum aliquod damnum ibidem facientes, per Circlarios in Hortum Dominicum, & per (8) Pascatium in Fontanam Lucii, ab hinc (9) Pedem, ibidemque senem ante Cancellos interfecerunt, qui eorum fallitus est vias. Cesam Constantii, Olivetum, Matronolam loca perscrutantes, omnes jumentas, & vaccas Monasterii auferentes, ad socios in Venafrum jam serò reversi sunt. Hic finis in his fuit, Deo propellente, in partibus B. Benedicti, tam Seodam Regis, quàm omnium satellitum ejus.

DE CHRONICO LANGOBARDORUM, SEU MONACHORUM.

De Monasterio Sanctissimi Benedicti.

SI exactam temporum cognitionem neglexerimus, haud certè verendum, ne cœca in caligine omnis non versetur Historia, eademque exinde ut minimùm utilis reddita, humi non resideat inhonora, quæ jure magistra reputatur vitæ. Ego planè, qui rectè procedant gestarum rerum narrationes vellem, bipedes eas incedere debere pronuncio; ut dextero scilicet pede per annos suo ordine, seriatimque decurrant; sinistro autem, ut exploratá notitia per loca vadant demonstrata. Et sanè non ne clara res est complura vetusta, remotaque acta, quæ non admodum diligenti à majoribus tradita fuere observatione, ni duplici hac vigili pervestigentur indagine, nullam jucundam, utilemve præstare posse rerum notitiam? Quinimmo ab eis omnis necesse est, ut recedat, abstineatque studiosus lector, vel indigestam pertæsus lectionem, vel implexá fatigatus. Iterumque non ne ex binis his facibus (quatenus opus exigat alterutra quandoque adhibita) multa contigit, vel prorsus obscura, vel ambiguitate obfuscata identidem illustrari, totidemque vicibus fieri clariora? Non igitur nisi congeminatam hanc Regiam viam ingrediendam censeo, perque eam attenta curá procedendum, quibus est animo res gestas exponere inoffenso pede. Istique sanè bono, sed qu ad partem dumtaxat, quæ Chronologiam spectat, præsens Chronicon ab Anonymo auctore suo, Monacho certè Cassinensi, elucubratum adparet, quò plures restitui poterunt annorum Epochæ à recentioribus, qui de rebus egerunt Langobardorum, perturbatæ, modò & ipsum cura adhibeatur non incauta. Exemplar verò, ex quo exscripsi, aderat in Bibliotheca Cassinensi in Membranaceo scripto Codice signato Num. 353. illud planè antiquum, Epigraphen, & ipsam à me inditam præseferens.

IN-

(1) Ostiensis lib. 1. cap. 34.
(2) Erchem. num. 28.
(3) Chron. Comitum Capuæ num. 6.
(4) Erchem. num. 30.
(5) Erchem. num. 30.
(6) Ista his signis [ ] inclusa in exemplari Cassin. ad oram adjecta fuerunt; quæ si conferas cum Ch. Com. Cap. num. 5. 7. 8., & 9. comperies ab eod. conscripta auctore. Vide me in judicio illius Chron. & in Chronol. Com. Cap. locis citat.
(7) Ostiens. lib. 1. cap. 34.
(8) alit. *Piscarium*, Ostiensis *Fascuarium*.
(9) *Peolam*. Ostiens.

INCIPIT CHRONICON LANGOBARDORUM, SEU MONACHORUM DE MONASTERIO SANCTISS. BENEDICTI.

Gregorius	Petronax.	A	XXIV.	III.
II.	II.		XXV.	IV.
III.	III.		XXVI.	V.
IV.	IV.		XXVII.	VI.
V.	V.		XXVIII.	VII.
VI.	VI.		XXIX.	VIII.
VII.	VII.		XXX. Carolus ad Monast. Ind. xi.	IX.
Godelscalcus	VIII.		Grimoald.	X.
II.	IX.		II.	XI.
III.	X.		III.	XII.
IV.	XI.		IV.	XIII.
V.	XII.		V.	XIV.
VI.	XIII.		VI.	XV.
Gisulfus	XIV.		VII.	XVI.
II.	XV.		VIII.	XVII.
III.	XVI.	B	IX.	XVIII.
IV.	XVII.		X.	XIX.
V.	XVIII.		XI.	Gisulfus
VI.	XIX.		XII.	II.
VII.	XX.		XIII.	III.
VIII.	XXI.		XIV.	IV.
IX.	XXII.		XV.	V.
X.	XXIII.		XVI.	VI.
XI.	XXIV.		XVII.	VII.
XII.	XXV.		XVIII.	VIII.
XIII.	XXVI.		XIX.	IX.
XIV.	XXVII.		XX.	X.
XV.	XXVIII.		Grimoald Storesaiz	XI.
XVI.	XXIX.		II.	XII.
XVII.	XXX.		III.	XIII.
Luidprand.	XXXI.	C	IV.	XIV.
II.	XXXII.		V.	XV.
III.	Optatus		VI.	XVI.
IV.	II.		VII.	XVII.
V.	III.		VIII.	XVIII.
VI.	IV.		IX.	XIX.
VII.	V.		X.	XX.
VIII.	VI.		XI.	XXI.
Arechis	VII.		Sico	Apoll.
II.	VIII.		II.	II.
III.	IX.		III.	III.
IV.	Ermerich.		IV.	IV.
V.	Stephanus.		V.	V.
VI.	II.		VI.	VI.
VII.	III.		VII.	VII.
VIII.	IV.	D	VIII.	VIII.
IX.	Thomichis		IX.	IX.
X.	II.		X.	X.
XI.	III.		XI.	XI.
XII.	IV.		XII.	Deusdedit.
XIII.	V.		XIII.	II.
XIV.	VI.		XIV.	III.
XV.	Poto		XV.	IV.
XVI.	II.		XVI.	V.
XVII.	III.		Sichard.	VI.
XVIII.	IV.		II.	Audpert.
XIX.	V.		III.	II.
XX.	VI.		IV.	III.
XXI.	VII.		V.	Bassac.
XXII.	Theodemar		VI.	II.
XXIII.	II.		VII.	III.

Ra-

Radelch.	Siconol.		
II. Divisio	II. terræ.	Reges Saracenorum Calson de Bari	IV.
III.	III.	II.	V.
IV.	IV. Siconol-	III. sus tulit aurum de	VI.
V.	V.	IV.	VII. Mon.
VI.	VI.	V. & menses v.	VIII.
VII.	VII.	Alii Sarac. in Aquino	IX.
Saraceni			X.
VIII.	VIII.	II.	
IX.	IX.	III.	XI.
X.	X.	Ferraci.	XII.
XI.	XI.	II.	XIII.
XII.	Sico	III. & menses vi.	XIV.
XIII.	II.	Seodan om.........	XV.
Radelgar.	III.	II.	XVI.
II.	Ademarius	III.	XVII.
III.	II.	IV.	XVIII.
IV.	III.	V.	XIX.
Adelchis	IV.	VI.	Berthar.
II.	V.	VII.	II.
III.	VI.	VIII.	III.
IV.	VII.	IX.	IV.
V.	VIII.	X.	V.
VI.	IX.	XI.	VI.
VII.	Dauferius	XII.	VII.
VIII.	II.	XIII. Hludovicus Imp.	VIII.
IX.	III.	XIV. II.	IX. (1)
X.	IV.	XV. III. capiens omnes civit.... à Sarac.	X.
XI.	V.	XVI. IV.	XI.
XII.	VI.	XVII. V. & mens. II.	XII.
XIII.	VII.	VI.	XIII.
XIV.	VIII.	VII.	XIV.
XV.	IX.		XV.
XVI.	X.		XVI.
XVII.	XI.		XVII.
XVIII.	XII.		XVIII.
			XIX.

Hujus Chron. explanationem habes in Chronol. Princip. Ben.

DE CHRONICO

Postremorum Comitum Capuæ.

Series, sive dicam potiùs Chronicon postremorum Comitum Capuæ iterum Typis traditur, sed diligentiori cura restitutum ad membranarum exemplar, quas cum id generis unà hic editis Opusculis adservatas olim inspexi in Cassinensi Bibliotheca scripto Codici insertas numero signato 353. *Verùm cùm in omni hac Langobardorum Historia summa fide vel minima quæque præstiterim, maximum modò crederem me commissurum nefas, si de nomine Auctoris hujus Chronici Lectori imponerem dolo malo. Rem igitur edisseram, neque integram Epigraphen, qua Autographum penitùs carebat, confinxisse, non dissimulo. Sed cur sic egerim, non multis explanare conabor. Vixit, quisquis hic fuerit Chronologus, eadem prorsus ætate, qua Joannes ille, qui, ut Ostiensis tradit lib.* 1. *cap.* 52. *ex Archidiacono Capuæ Monachus priùs factus, paucisque mox interiectis diebus Abbas pronunciatus fuit Cassinensis, nutu accedente Principum Landulfi, & Atenulfi, Monachorumque omnium unanimi consensu, quod opinione adfirmo, sed firmæ innixus conjecturæ. Is enim extremo num.* 9. *scribens præfatos Principes patri Atenulfo in Principatu successisse, illis proculdubio viventibus, inibi blanditur, præter morem honorifico titulo adpellans Dominos, &, magna extollens laude, Christianissimos; hoc est summa caritate concordes, quod subscribit Leo relato libro cap.* 51. *idque intentè Scriptores adnotarunt, quia inter domestica exempla eorum majores concorditer aliquando egisse non illi*

A *reppererant, ut ex Historia Erchemperti pluribus in locis satis constat. At cur modò eundem hunc Chronologum crediderim fuisse præscriptum Abbatem Joannem, unum illud persuasit argumentum, quòd Joannes Historiæ incubuerit, ac, ut verbis dicam Petri Diaconi libro nondum edito de Vir. Illustr. Cassinensis Monasterii*, De persecutionibus ejusdem Cœnobii, & de Miraculis inibi factis Chronicam succinctam, sed valde necessariam loco descripsit. *Quæ, me arbitro, eadem fuit illa, qua in Prologo sui operis usum se dixit Ostiensis. Verùm levis admodum, & jejuna isthæc mea reputabitur conjectura, ni validiori suffulciatur adminiculo; quod quidem ad præsens aliud non suppetit, quàm credere me Joannem Abbatem ex*
B *eodem exortum fuisse genere Comitum Capuæ, qui hoc in Chronico descripti habentur, & idcirco is suam, hoc est generis, & patriæ suæ, causam agens, attentá curá Opusculum consummasse, nullas alias contentus admisisse narrationes. Etsi non ignoro videri id posse excerptum fuisse ex Historia Erchemperti, sive ad illius normam, vel utilitatem efformatum, cui ne dum undecumque, ferè, concordat, sed pari prorsus, ac illa procedit passu. De quo res utcumque se habeat, nullus certè inficiabitur Campanum civem habuisse Auctorem, quem adviventem Abbatem Joannem credere malo, quàm alterum nominis ignorati. Negotium, fortè, facessit idem ille Petrus, qui de eodem scribens, scriptaque ejus adnumerans, præsens præteriit Chronicon;*
C *sed Petrus non semel pari est lapsus negligentia, ut de Erchemperto cùm disserui clarè patuit; potuitque ille exiguam, facilemque scriptiunculam non injurioso premere silentio; quo nil remoratus obice*

(1) Vide me in Chronol. Com. Cap. N. 5.

A *obice V. C. Abbas Constantinus Cajetanus Monachus Casinensis veritus non est calculo quoque suo meam subfulcire sententiam, qui recentissimis suis literis unà mihi significavit alterum scriptum hujus Chronici exemplar penes se esse: at nec illud auctoris nomine prænotatum. His autem sic firmatis, enucleatiùs modò edisseram cur Archidiaconum, Abbatemque Joannem genus suum duxisse adfirmaverim ex Campanis ab se descriptis Comitibus, proindeque consanguinitate extitisse conjunctum Principibus Landulfo, & Atenulfo, quod nullus, nec antiquus, nec novitius auctor enunciavit; idque suscepti muneris exigit ordo, ut scilicet nil taceam, quod ad clariorem præsentium Opusculorum, eorundemque auctorum conducit notitiam. Me verò* B *de Abbatis Joannis genere æquo satis jure sic opinari idem sæpiùs productus Leo Ostiensis non dubio suadet indicio; qui lib.* 1. *cap.* 52. *exortum illum adfirmat è* nobilium Capuanorum familia. *Sed quæ Leoni his verbis demonstrata fuerit familia, alter nullus, nisi idem planiùs aperire valebit auctor; ille enim c.* 40. *dicti lib.* 1. *tradit aliquando* Capuanos (*verba sunt Leonis*) expulso Landulfo quondam canonicè in Episcopatum electo, Landenulfum quendam de suis nobilibus conjugatum, atque neophytum sibi in Episcopum elegisse. *Atqui Landenulfus ille neophytus ex genere planè extitit Comitum, ut constat ex Erchemperto num.* 46. *Igitur quæ Leoni* Capuanorum nobis familia *adpellatur, ea alia non est* C *ulla, nisi quæ ex stipite processerat Comitum, latèque in plures diffusa, divisaque fuerat cognationes, quarum altera censebatur illa, ex qua ortus Joannes, altera verò, ex qua adviventes effluxerant Principes. Quam sanè interpretationem adeò germanam reputo, ut quoties Ostiensis de Nobilibus, ac Proceribus, sive Magnatibus Campanis viris verba fecit, toties illum hac eadem mente illa protulisse credam. Nec speciali sibi usurpatione sic est locutus Leo, quinimmo pro certo habeo priscis temporibus scriptores eam habuisse communem, causa non hoc loco producenda; satisque esse poterit exemplum præindicare, quod legi in Chronico vetusti, & nobilis Monasterii Monialium S. Mariæ Campanæ urbis in membranis descripto, ubi de Matthia de Petruro verba habentur ista.* Fuit igi- D tur Domina Matthia Monasterii S. Mariæ Monialium Abbatissa dignissima, natione nobilium de Castro Petruri, morum honestate præfulgens &c. *Verùm qui alii nobiles viri in parvo oppidulo, quod est supra urbem Cales in montibus, qui* Caliculæ *longo tractu olim dicti, esse potuerunt, nisi ejusdem Comites, sive dicas Barones, ac Dominos, quibus ex Castri possessione gentile nomen de Petruro accessit? Ivo certè Carnotensis Epist.* 211. *eadem mente, ut reor, Monachum quendam Arvernensem, nomine Castum,* progenitum *dixit* de nobilibus terræ illius. *Sed de his modò satis. Unum superest pro Epigraphes à me efformatæ explanatione, ut Lectorem moneam, tum ex ejusdem Ostiensis scripto membranaceo Antigra-* E *pho in Archivo Cassinensi adservato, & ex Venetæ editionis Codice lib.* 1. *cap.* 52. *constare postremos Principes, qui per annos* 177. *Benevento imperarunt, ex stirpe horum Comitum effluxisse; tum verò ex Chronico Ducum, & Principum ejusdem urbis, quod recentissimè acceptum unà cum his Opusculis in vulgus emittam. Capuæ autem perpetuis quoque annis* 158., *aliquandoque Salerno ex eodem genere progenitos Principes præfuisse, innumerosque alios, vel Ecclesiasticis dignitatibus claros, vel sæculari potestate illustres viros, ab eodem pariter germine egressos esse idem me docuit Leo, idemque Chronicon, aliique Chronologi, sive Historici auctores; nec non & ex pluribus antiquis Archivis, & Tabulariis hausi, de quibus alibi, nec prorsus jejunè, est mihi dictum: itemque; nec addam plura ad Chronici hujus Epigraphen, sive firmandam, sive interpretandam: cujus exemplar, ut prædixi, olim in Cassinensi Bibliotheca inspectum, duobus in locis, quos hac in editione asterisco signavi, recognitum, recensitumque fuisse ab aliquo neoterico agnovi. Ad numerum enim VII. dictio illa.* Pater, *recentiùs inducta adparebat, abrasâ alterâ, cujus vestigia adhuc remanserant, iisque indicabatur, quod priùs inibi scriptum fuerit.* Frater. *Et ad numerum IX. numerales notæ. XIII. rasurâ, & recenti pariter atramento novitatem præseferebant, priorque adscriptus numerus visus est mihi fuisse. X. De quo quid sentiam in expansa Tabula Chronologica Comitum Capuæ dicam; tuque interim confer Ignotum Cassinensem ad num.* 32.

CHRONICON

Postremorum Comitum Capuæ

E quibus effluxerunt Principes, qui eidem urbi, ac Benevento continenti serie præfuere ab anno DCCCC.

Capuæ quidem ad annum MLIIX. Benevento verò ad annum MLXXVII.

Salerni quoque nonnulli Principes ex eodem prodiere germine, innumerique Comites per omnem Italiam Cis-Tyberinam. Necnon plurimi Ecclesiasticis dignitatibus decori: Abbates Ordinum, Episcopi, Archiepiscopi, & Cardinales, & Summus Pontifex Victor III.

Auctore Joanne Abbate Cassinensi, Capuæ ExArchidiacono.

I. Landolphus senior tenuit Capuam veterem annis XXV. mens. IV. & fecit Civitatem novam in monte Trifisco, quam dominatus est anno I. mensibus VIII.

II. Quo defuncto successit Lando filius ejus; & dominavit jam dictam civitatem ann. XIII. mens. IX. qui nono mense antequam moreretur ad Pontem Theudemundi multos virili certamine Neapolites interfecit, cepitque nongentos. Cùm autem cremata esset civitas Capuæ ab igne, venit cum fratribus suis, idest Landone, Pandone, Landolpho Episcopo, & Lancenolpho ad Pontem Casulini; & condiderunt ibi civitatem, quæ nunc est Capua, in qua jam dictus Lando vixit ann. IV. mens. IX. & defunctus est.

III. Cui successit Lando filius ejus; & tenuit Capuam mens. VI., & projectus est de eadem civitate à Pandone thio suo.

IV. Qui Pando tenuit Comitatum Capuanæ civitatis ann. I. mens. IV.

V. Cui successit in regimine jam fatæ civitatis Landolphus Episcopus frater ejus, quam dominavit annis III. & mensib. IX. Quibus expletis venit Ludovicus Imperator (1) stetitque in Capuam mens. IX., & abiit Barium, super quam civitatem sedit ann. IV., & cepit eam, simulque & Seodam Regem Saracenorum cum aliis plurimis. Qui Beneventum reversus, captus est à Beneventanis mense Augusto: sed dimissus ab eis districtus sacramentis, recessit à Bene-

(1) Sic habet Cassinensis scrip. Cod. itemque alter apud V.C. Constantin. Cajetanum, à quo variæ istæ lect.

Benevento: & intra tres dies, ac noctes abiit (1) Berole, in qua deguit mens. XI. Inter quos postulatus à Landolpho Episcopo iterum venit: & per quosdam Comites suos, antequam ille Capuam adveniret, multi interfecti sunt Saraceni, ita ut de duodecim millibus pauci remanerent, qui à magno exercitu Saracenorum super Salernum residente venerant. Sed audientes mortem proximorum, rursum, paululum supra eandem civitatem commorantes, reversi sunt in terram suam. Ludovicus Imperator hoc audiens, quia volebat ire super eos, reversus est Capuam; in qua uno anno commoratus, reversus est in Franciam, in qua eodem anno defunctus est. Landolphus autem Comes, & Præsul ante adventum jam fati Imperatoris, & post decessum ejus tenuit Capuam ann. XII.

VI. Quo recedente Pandonulphus nepos ejus factus est Comes Capuæ, & Landolphus filius Landonis factus est Episcopus eodem tempore; sed suggerente adversario Christianæ fidei, facta est eodem anno divisio ejusdem Episcopatus à jam dicto Pandenolpho; qui odii, & invidiæ accensus ardore, Landenolphum fratrem suum laicum inordinatè tondens, direxit Romam: eumque à Joanne Papa multa prece deposcens, Episcopum fecit. Qua de re non parva inter parentes utrorumque Episcoporum discordia nata est, ita ut odium fieret plurimo valens tempore. Denique Joannes Papa tali comperto flagitio, advênit Capuam; & ut discordes ad concordiam revocaret, divisione facta, utrumque constituit: idest in civitate Capua Landenolphum Episcopum, Landolphum verò Episcopum in Sancta Maria, cognomento Suricorum; & facta (2) pace inter eos (sed paululum perdurante) Romam reversus est ad sedem propriam. Iterumque facta est inter eos divisio, quam non post longum tempus pax sequuta est. Denique jam fatus Pandenolphus, completis in Comitatu an. III., & mens. VIII. fecit convivium cunctis parentibus suis, plurimis eos sacramentis alligans, ut non (3) ei quolibet modo nocerent. Sed illi statim perjurantes ceperunt eum, & diviserunt inter se Comitatum Capuanum: & Landolphus Episcopus adeptus est totum Episcopatum.

VII. Lando autem * pater Landolphi Episcopi (4) fuit Comes Capuæ an. II. mens. X.

VIII. Cui successit Landenolphus frater ejus vicem illius retinens ann. I. mens. IV.

IX. Quo vivò decedente, mense Januario cepit Capuam Athenolphus Comes, quam annis * tredecim mirificè regens, postea factus est Princeps Beneventi: completisque in Principatu ann. X., & mens. VI., vità privatus reliquit (5) eum filiis suis (6) Domino Landolpho, & Domino Atenolpho Christianissimis Principibus. Secundo autem anno, quo factus est Comes Capuæ Dominus Athenolphus, (7) factum est prælium inter Capuanos, & Neapolites in Liburia ad Sanctum Carsium: sed ita interfecti sunt Neapolites à Capuanis, ut valde pauci remanerent ex eis, inter quos Neapolites, Græci, & Saraceni fuerunt pro adjutorio eorum. Ind. VI. post dies undecim capitur Berelais à Domno Athenolpho. Eâdem hebdomadâ Ajo Princeps cum quodam Patricio Constantinopolitano ex utraque parte certatim pugnantes, ad postremum ille Patricius victor effectus est.

Hactenus hoc Chronicon
Joannis Abbatis Cassinensis.

Adnotamentum verò de nece Principis Landenulfi, quod altera Editio adfirmat esse ejusdem mutili Chronici fragmentum, illud quidem nil tale est; namque continenti in membrana, quæ alba superfuerat, eaque integra, exaratum habebatur, simulque aliena manu, & recentiori atramento depictum, duarum ferè linearum interstitio relicto. Idemque iterum post Historiolam Ignoti Cassinensis, quam modò Typis dedi, in eodem exstabat membranaceo Codice. Credam igitur Parergon hoc fuisse sub ipsa Principis cæde à neoterico, coævoque altero Monacho adfixum vacuis utrisque membranis, ut operæpretium faceret; quod de more aliis alibi factitatum, exempla tradunt innumera; & talia planè sunt (ne te ablegem ad remotiora) quæ ad finem editi Chronici Ancnymi Cassinensis, paginâ scilicet 162., & seqq. habentur. Verùm his præmonitis, inconstantis modò essem animi, si centunculum illum non recuderem, qui propositum hoc meum, res dandi Langobardorum Cis-Tyberinæ Italiæ, maximè juvat. Habeas igitur etiam cum Auctario variantium lectionum, quæ insunt in aliis duobus jam præindicatis exemplaribus.

Concilium fecerunt Capuani, qualiter interficerent Landenolphum Principem, filium Pandolphi (8) eximii Principis, quod & fecerunt. Nam (9) dum procederent ad S. Marcellum, peractis Missarum solemniis à Præsule ejusdem civitatis Ajo nomine, egressus prædictus Princeps (10) foras Ecclesiam, insurrexerunt in eum (proh dolor) cum gladiis, & fustibus, & interfecerunt eum, atque exutum vestibus, nudum in platea eum reliquerunt. Quem rapientes Monachi ex Monasterio S. Benedicti, in eodem Monasterio ante Secretarium eum sepelierunt. Archiepiscopus verò supradictus fugit in jam (11) dicto Monasterio; quem etiam postea ibidem jam dicti Capuanites veneno peremerunt, sepultusque est ante Regia Secretarii. Sed omnipotens (12) Deus illis, qui hunc innocentem peremerunt Principem, ostendere est dignatus, quia in suo eum Regno (13) recepit. Nam quadam die claudus quidam ad ejus sepulcrum veniens, obnixè Christum rogare cœpit, (14) atque in intercess........ Dominum Landenolphum Principem, cujus corpus illic requiescebat, qui etiam finè causa à suis occisus fuerat, ei pristinam sanitatem reddere dignaretur. (15) Mira res; statim super eodem sepulcro soporatus, totam (16) quietavit noctem: mane autem facto ita sanus surrexit, ac si nullam debilitatem membrorum unquam habuisset.

(1) *Verole.*
(2) Alterum constituit in nova Capua, alterum in veteri; cujus locus novum nomen acceperat ex inibi sacra, & antiquiss. æde D. Mariæ, extructa ab anno circiter 430. ut peculiari in Historia aperui.
(3) *eum.*
(4) *Kal. Novembris Indict. 1. fuit &c.*
(5) *eam.*
(6) *Domno.* sic semper.
(7) *Commissum est.*
(8) deest. *eximii;*
(9) *quintâ feriâ in Albis Pasche dum* &c.
(10) *fores Ecclesiæ.*
(11) *dictum Monasterium.*
(12) *Deus, quia hunc.*
(13) *recipere est dignatus.*
(14) *ut per intercessionem Landenolphi Principis.*
(15) *cùm oraret, statim.*
(16) *quievit.*

CHRONOLOGIA

Prædictorum Comitum Capuæ expansâ Tabulâ explicatur.

I.

I. LANDULFUS senior tenuit Capuam veterem annis XXV. mensibus IV.

Primus annus numerandus est à mense Augusto nondum exacto anni 815. Etsi Ostiensis lib. 1. c.23. (1) *inter hos annos meminit Campani cujusdam Gastaldi, nomine Agenardi; quod eget interpretatione. Vide Ignotum Cassin. num. 8. & Erchempertum num. 15. & 53.*

815 1 *Annus incipit ab Augusto. Finitur.*

816	2	824	10	832	18
817	3	825	11	833	19
818	4	826	12	834	20
819	5	827	13	835	21
820	6	828	14	836	22
821	7	829	15	837	23
822	8	830	16	838	24
823	9	831	17	839	25

Annus incipit. Finitur Augusto anni sequentis.
840. *Menses verò quatuor sunt subsequentes. Sept. Octob. Novemb. & Decemb. non exactus ejusdem anni.*

II. Et fecit civitatem novam in Monte Trifisco, quam dominatus est anno I. mensibus VIII.

Ante hoc sanè tempus, nempe sub Principe Sicone, sicut hoc ipso nomine, Sicopolis, demonstratur, constructa fuerat urbs in Trifisco, extante adhuc vetere Capua. Vide Anonymum Salernitanum Parte 2. num. 2. Postmodum verò Landulfus iste, ut Erchempertus tradit num. 15. à Radelchisi Principis dominatione se subducens, Sicopolim ingreditur, *hoc est, munitissima in urbe (sicut eam dicit idem Erchempertus num. 24.) se tuetur, quod eodem contigisse oportuit anno 840. exeunte.*

840. 1. *Annus incipit à Decemb. Finitur anno.*
841. *Mense Decembri non exacto.*

Menses octo sunt. Januarius, Februarius, Martius, Aprilis, Majus, Junius, Julius, & Augustus non exactus sequentis anni.
842.

II.

I. LANDO filius ejus dominavit jam dictam civitatem annis XIII. mensibus IX.

842 1 *Annus incipit ab Augusto. Finitur anno.*

843	2	847	6	851	10
844	3	848	7	852	11
845	4	849	8	853	12
846	5	850	9	854	13

Annus incipit ab Augusto non exacto. Finitur anno.
855. *Mense Augusto. Menses novem sunt. Sept. Octob. Novemb. & Decemb. ejusdem anni. Januar. Febr. Mart. April. & Majus non exactus anni.*
856

II. Cùm autem cremata esset civitas Capuæ ab igne, venit cum fratribus suis ad Pontem Casulini, & condiderunt civitatem, quæ nunc est Capua.

Condita est nova Capua, postquam exarserat Sicopolis: hoc vult, quam inhabitarunt Campani, antiquissima urbe à Saracenis in cinerem redacta, desertaque à Landulfo præcavente sibi à Principe Radelchiso. Vide Ignotum Cassin. num. 8. & 16. Erchempertum num. 24. & Ostiensem lib. 1. cap. 24. & 30. qui Palilia novæ urbis hoc quoque figit anno 856. Ex quo Græci Codicis corrupti numeri apud Constantinum Porphyrogennetam lib. de Admin. Imp. cap. 27. sunt restituendi, nam modò ibi habetur à condita Capua ad se scribentem (scripsit nuptâ jam Bertâ filiâ Regis Hugonis filio suo Romano. Idem cap. 26. hoc est post annum 944. Sigon. lib. 6.) annos intercessisse 73. qui fuerant, fortè, 93.

III. In qua jam dictus LANDO vixit annis IV. mens. IX.

856 1 *Annus incipit à Majo. Finitur.*
857 2
858 3
859 4 *Annus incipit à Majo. Finitur anno*
860 *Mense Majo non exacto.*

Hoc tempore, nono scilicet mense antequam moreretur, ad Pontem Theudemundi multos virili certamine Neapolites interfecit, cepitque nongentos.

Accinit Erchempertus num. 27., qui ista contigisse adfirmat 8. Idus Majas. Vide quoque Ignotum Cass. num. 25.

Menses novem, quibus advixit Lando, sunt. Junius, Julius, Augustus, September, October, November, December ejusdem anni 860. & Januarius, & Februarius non exactus sequentis anni.
861

III.

LANDO filius ejus tenuit Capuam mens. VI.

Menses sex sunt. Martius, Aprilis, Majus, Junius, Julius, & Augustus non exactus ejusdem anni 861.

IV.

PANDO tenuit Comitatum Capuanæ civitatis anno I. mensibus IV.

861 1 *Annus incipit ab Augusto. Finitur anno.*
862 *Mense Augusto non exacto.*

Menses quatuor sunt. September, October, November, & December non exactus ejusdem anni 862.

V.

I. LANDULFUS Episcopus dominavit annis III. mensibus IX.

862 1 *Annus incipit à Decemb. Finitur anno.*
863 2
864 3 *Annus incipit à Decemb. Finitur anno.*
865 *Mense Decembri non exacto.*

Menses novem sunt. Januarius, Februarius, Martius, Aprilis, Majus, Junius, Julius, Augustus, & September non exactus anni sequentis.
866.

II. Quibus expletis venit Ludovicus Imperator.

Concordat Ostiensis lib. 1. cap. 35. qui dicit Ludovicum pervenisse Cassinum in Junio prædicti anni; indeque digressum obsedisse Capuam tribus continuis mensibus, tandemque obtinuisse. Mense igitur Septembri Landulfus cessit Ludovico. Vide Ignotum Cassin. num. 7. Sed hanc Capuæ expugnationem, cujus murus ex quadrato erat lapide constructus, Regino lib. 2. fusiùs describit, & ad annum notat 871. qui de hoc, deque aliis dux fuit Mariano Scoto, Sigeberto, & Othoni Frisingensi. At Regino illam notat, ut dixi, non figit descripto anno; quo cùm enarrasset obitum Hadriani Papæ 2. & electionem Joannis 8. subdit. His diebus Adelgisus Dux Beneventanus Græcorum persuasionibus corruptus, adversùs Ludovicum manum levavit. *Et cætera, quæ non utique uno, sed pluribus annis acta fuere, nosque seriatim ea digeremus; quocirca manifesta res est antiquum illum Scriptorem in unum locum non unius anni gesta, sed plurium summatim dedisse, quod pariter, tum prædicti ejus adseclæ commisere, tum Ado*

(1) *Ostiensis locus difficilis.*

Ado in Chron. in 6. Mun. ætate; qui ingressum dicit Ludovicum in Beneventum, & Saracenos devictos anno 868. *Sin autem ille firmo proposito voluit præscripto anno* 871. *contigisse quæ inibi à se narrata fuerunt, quod sanè ejusdem locus ad annum* 867. *infra adscribendus expetit, is certè Ludovico ante, & post captam Barim in Cis-Tyberina Italia gesta fœdè miscuit, ac perturbavit, quæ omnia ex nostris ordinanda sunt, ut infra.*

III. Stetitque in Capuam mens. IX.

Ista sic interpretor. Stetitque in Capuam mense Novembri, *hoc est usque ad mensem Novembrem; Ignotus enim Cassinensis prædicto num.* 7. *tradit Ludovicum ingressum urbem Beneventum mense Decembri, & planè eodem, quo advenerat anno* 866. *cui Lupus Protosp. in Chron. adsentitur. Landulfi igitur Dynastia cessavit à Septembri modò dicti anni* 866. *quam, ut Chronologus hic noster est opinatus, non ante ille recepit, quàm Imperator ultimùm Capuâ abscessit, anno scilicet* 874. *de quo infra dicam hoc eodem num. par.* 16. *Intermedio autem tempore Ludovicus, ut Erchempertus habet num.* 32. Capuam omni ferè mense diversis Judicibus dedit in prædam.

IV. Et abiit Barium.

Anno sequenti ab adventu. Erchemp. num. 33. *hoc est anno* 867 *Concordat Sigebertus. Quo utique anno contra Saracenos primùm dimicans victus est. Erchemp. num. eod. & Ostiens. lib.* 1. *cap.* 35. *idque pleniùs scripsit Aimoinus lib.* 5. *cap.* 22. *sed certè nonnihil perturbatè his verbis.* Revertente Hludovico ab obsidione Saracenorum de partibus Beneventanis, iidem Saraceni de Baira egredientes, & hostem Hludovici post tergum sequentes, plusquam duo millia caballorum ipsius hostis prædati sunt, & cum eisdem caballis duos ex ipsis ordinantes cuneos, ad Ecclesiam S. Michaëlis in M. Gargano perrexerunt deprædantes multa, & Clericos; sed & multos, qui ad orationem illuc convenerant, deprædantes, cum multa præda ad sua redierunt; quod valde Imperatorem, atque Apostolicum, sed & Romanos turbavit. *Hactenus Aimoinus. Verùm Ludovicus postmodum Materam munitissimam Saracenorum urbem incendit. Ignot. Cassin. num.* 7. *Oriam ivit. Erchemp. num.* 33. *& Lupus Protosp. hoc anno* 867. *Beneventumque rediit mense Augusti. Ignot. Cassin. num. prædicto: quo utique anno Barim obsidione cinxit, sicut constabit ex modò dicendis. Interim verò non prætermittam Reginonem, & ejus perpetuos adseclas Othonem, & Gotfridum à Pithœanis Francorum Annalibus dissentire; ille enim tradit anno* 867. *Ludovicum ad exterminandos Cis-Tyberinos Saracenos advocasse fratrem Lotharium, ejusque adminiculo* plurima bella gesta fuisse, non solùm fortiter, sed feliciter; *sed gravi postmodum peste ejus exercitu laborante, in Franciam illum rediisse, indeque Romam iterum adventasse anno* 869., *acturum cum novo Summo Pontifice Hadriano II., propriisque rebus consulturum. In Annalibus autem memoratis unicus adventus in Italiam describitur Lotharii, isque figitur ad annum* 868., *qui primus adnumerabatur Pontificatus Hadriani; ibidemque adseritur, quòd eodem anno in Beneventum ad fratrem Ludovicum perrexit, ut illum* fautorem postularet apud Hadrianum, *cùm jam Nicolaum Hadriani decessorem reperisset defunctum, sed nil à Pontifice consecutus, in Julio anni* 869. *Placentiæ clausit diem. Quas discrepantias alter conciliet, mihi enim sat est Lotharii adventum in has regiones indicasse, ac Ludovicum in Beneventana urbe per descriptos annos adstitisse: quod positæ à me consonat Chronologiæ.*

V. Super quam civitatem sedit annis IV.

Concordat Ostiensis lib. 1. *cap.* 35. *Hincque corruptum agnoscere licet Chronicon Lupi Protospatæ, quo loco habetur, Barim à Ludovico receptam* anno 868. tertia die intrante mensis Februarii. *Et si de mense non admodum repugno. Imperator igitur, qui obsidionem firmaverat antequam Beneventum regressus fuisset mense Augusto anni* 867. *urbem obtinuit anno* 871. *certèque ante Augustum, ut dicam infra. Interea verò, Bari nondum recepta, insurrexisse in Ludovicum duos ejus Comites, qui postmodum Adelgiso Principe intercedente, ad quem confugerant, in gratiam recepti fuere, credit Ostiensis lib.* 1. *cap.* 35. *Sed memoriâ ille excidit; id namque contigit Imperatore commorante apud Verulas, sicut suo patebit loco.*

VI. Beneventum reversus, captus est à Beneventanis mense Augusto.

Captus est eodem anno, quo Barim receperat. Lupus ad annum 868. Postquam per tres ferè annos Beneventanis præfuisset. *Anonymus Saler. in Hist. Langob. non edita, qui utique fallitur, nam Beneventum Imperator ingressus est exeunte anno* 866. *continuisque quatuor annis Barim obsedit, post quos est captus. Id igitur contigit anno* 871. *faventque mihi Annales Francorum editi à Pithœo, quibus in præscripto anno habetur,* falsum tunc exivisse rumorem Hludovicum Italiæ Imperatorem ab Adelgiso Duce Beneventano insidiosè peremptum fuisse. *At annum, quem dico, immo & mensem Augustum nostro Chronologo adsertum, certè voluit subobscurus Auctor modò editi Chronici Principum Langobardorum, & Abb. Cassinensium; cùm ad finem adnotatis Ludovici annis, quibus ille mansit in regione Beneventana, ad annum quintum signavit menses duos; scilicet, quòd, completis ab ejus adventu annis V., & mens. II. fuerit ille captus, quem advenisse anno* 866. *mense Junio satis constat. Ejus autem captivitatis tempus incuriosè non discrevit Luitprandus in vita Joannis Papæ* 8. *ab anno absoluti sacramenti, quo illum obstrinxerat, priusquam dimitteret, Adelgisus: utramque adnotans sub modò dicto Pontifice, qui exeunte anno* 872. *successit Hadriano* 2. *Pessimèque Cedrenus num.* 226. *aniles quoque alias admiscens fabellas à Constantino Porphyrogenneta libro de Admin. Imper. cap.* 29. *pariter relatas, tradit Ludovicum recepta Bari, Capuam abduxisse captivum Soldanum Saracenorum, totoque biennio ibidem secum habuisse, quo peracto, Imperatorem fuisse captum.*

VIII. Sed dimissus ab eis districtus Sacramentis.

Quibus verò sacramentis, nullus è nostratibus dixit, quæ data utique adsentitur Ostiensis loco sæpe relato. Produxit tamen illa Regino lib. 2. Nunquam *scilicet* Imperatorem se diebus vitæ suæ Beneventi fines intraturum, neque ex calumnia, quam tunc patiebatur, vindictam aliquam exacturum; (1) *Idque adfirmant exteri quoque omnes; additque Luitprandus prolata illa fuisse à Ludovico* multis adjunctis execrationibus. *At quanto ille fuerit tempore apud Beneventanos captivus, nullus protulit. Erchempertus verò num.* 34. *aliquid submurmuravit, cùm scripsit, quòd* illius contemptum Divina defensio, nec in XL. distulit dies; *cujus sententiam interpretatus videtur*

(1) Ni mens me fallit, unus è nostris dixit Anonymus Saler. qui modò non est ad manus.

tur Ostiensis , dicens. Sed non in longum Deus passus est innocentem hominem frustra affligi, moxque intra quadraginta dies innumerabili Saracenorum exercitu ab Africa adventante , Ludovicus è custodia dimissus est. *At ab utroque discedit Anonymus Salern. in ea , quam laudavi, scripta Hi oria, adventum Saracenorum super Salernum adfirmans contigisse aliquanto post, quàm Ludovicus à Beneventanis dimissus fuisset; cui nescio an credam potiùs , quàm Erchemperto , adeò ille incautus comperitur sæpesæpiùs extitisse . Salernum igitur Saraceni advenerunt , qui Imperatoris injuriam, Dei judicio, ulti sunt, quadraginta nondum exactis diebus ab ejus captivitate , proindeque mense Septembri ejusdem anni 871. Quo anno Ludovicum dimissum credere oportet ex rerum serie, quæ postea subsecutæ fuere ; mihique adsentitur Hermannus Contractus in Chronico, qui cæterùm , vitio, ut prædixi, aliis communi , uno , continentique anno commiscuit gesta , quæ discretis temporibus accidere; eodem namque anno tradit illum à sacramento solutum à Pontifice Joanne 8., qui Papa renunciatus fuerat anno exeunte 872. sicut iterum monui.*

VIII. Decessit à Benevento , & intra tres dies, ac noctes abiit Berole.

Exeunte ad summum anno 871., quo dimissus est, posteraque die ab ejus solutione, ut Regino habet lib. 2., citatissimoque cursu , quod Ostiensis firmat lib. 1. cap. 35. Berole *autem urbs est in Hernicis; Priscis Latinis* Verule : *hodie* Veroli.

IX. In qua deguit menses XI.

Scilicet ad exitum usque anni 872. Quo intermedio tempore non semper Verulis mansisse esset credere ex Aimoino, qui lib. 5. cap. 28. habet eum coronatum Romæ à Pont. Hadriano 2. in Pentecoste anni quidem ad summum 872. quo exeunte Hadrianum obiisse traditur . At Ludovici coronatiónem recentiores figunt ad annum 871. quo jam vidisti illum (Bari tunc recepta) commoratum fuisse Beneventi quousque captivus est factus , & dimissus. Quocirca velint oportet eodem anno captæ Baris Romam petiisse, ibidemque coronatum , iterum Beneventum regressum esse , ubi in vinculis positus fuerit; idque subindicari videatur ab Aimoino, qui tradit illum, coronationis solemnitate peracta , exercitu collecto iterum in partes Beneventanas perrexisse . *Quibus equidem non obsto , namque Aimoinus annum coronationis non prodit , sed actam illam dicit post missos ab Hadriano Legatos Constantinopolim ad Synodum ibidem celebratam anno 869. A cujus dicto discrepantem non audio Anonymum Salernitanum , qui Ludovicum coronatum dicit Imperatorem eodem , quo ad hanc Cis Tyberinam Italiam advenerat anno; ille verò Verulis degens , pergit noster .*

X. Postulatus à Landulfo Episcopo.

Concordat Erchempertus num. 35. jam .n. Landulfum in familiaritatem allexerat Ludovicus, tertiumque in Regno suo constituerat , ut idem habet Erchemp. num. 36. Atqui cur illi Capuam tunc non restituit? Certè id negat noster , sed an jure, constabit infra. Anonymus verò Salern. tradit Landulfum adcessisse ad Ludovicum Papiæ commorantem , sed more suo , hoc est ineptè . Acta enim S. Athanasii Episc. Neap. lect. 8. tum nostri Chronologi dictum , tum annum à me consignatum firmant; cùm habeant eosdem Landulfum, & Athanasium junctim ad Imp. in Sabinis morantem , & ad villam Veruli venisse 3. Kal. Julii Indict. 5. (1) *hoc est anni 872. Ex quo ineditum Chron. Episcopp. Neap. mendi argue , tradens Athanasium (prætermisso nomine Landulfi) adcessisse ad Ludovicum ex Beneventi carcere Ravennam recedentem , ab eoque obtinuisse militares copias in Saracenos. Acta tamen illa eo loci nec sinè mendo. Tu vide.*

XI. Iterum venit Capuam.

Sacramentis solutus à Joanne 8. & idcirco, ut citiùs , ineunte anno 873. nam exeunte anno 872. in Papam electus fuerat . De absolutione autem Ludovici, & conventu super hoc Romæ habito loquitur Regino lib. 2. Otho Frising. lib. 6. c. 4 Gotfridus Viterbiensis par. 17. & Hermannus Contractus in Chronico. Etsi Regino id actum dicit anno 872. anno .s. citiùs , sicut Baronio pariter est adnotatum. Imperator verò antequam Capuam advenisset, per quosdam Comites suos , quos Beneventum miserat , Saracenos pertrivit , ut habet Anonymus Salernitanus , qui Comites dictos ait, alterum Ardingum (an illum qui in Annalibus Francorum aliàs relatis , & apud Baronium ad annum 876. num. 16. legitur subscripsisse coronationi Imperatoris Caroli Calvi?) alterum Remedium: quos socios habuisse addit Comites alios duos, Lambertos adpellatos, qui in Ludovicum conspiraverant, Beneventumque secesserant ; Certèque Erchempertus num. 35. ei ex parte favet , Lambertos .n. Comites iram Ludovici declinasse , & ad Adelgisum se contulisse adfirmat , additque quòd eidem Principi opem illi tulerint in Saracenos , idque contigerit Imperatore jam è Beneventana captivitate abducto; quod Ostiensis , utsupra adnotabam, non rite prodidit: proque Anonymo, & Erchemperto stat Guillelmus Bibl. in Hadriano 2. pag. 334. Hos verò duos Comites Ignotus Cassinensis N. 22. non Lambertos, sed alterum Lampert *(quod idem sonat , ac* Lambert , *& Latinè* Lambertus) *alterum* Ildepert *adpellat ; idemque habet , illos Ludovicum persecutum fuisse* usque Marsim , *hoc est, ut Ostiensis interpretatur ,* Marsiam ; *eorundemque unum Beneventi constitisse, alterum apud Saracenum Seodanum in circumjacentibus Barii locis insidentem , aliquantisper latitasse ; quibus tandem Adelgisus Imperatoris gratiam conciliavit, de quo in sequentibus. At Ludovicus per alios suos Comites, quorum alter ejus nepos Gunthar, alter Suavius dicitur Anonymo Salernitano , prope Capuam multa millia Saracenorum interemit, quod adnotavit Ostiensis lib. 1. cap. 35. ad finem , idemque voluit Erchempertus num. 35.* hoc solummodo memorabile bonum *operatum dicens Landulfum Capuæ Comitem , & Episcopum* à die ortus sui , *qui ab Imperatore exercitum petierat . Quibus peractis , Ludovicus tandem Capuam advenit , nepotemque in bello peremptum reperit , nam constiterat ille in Patenara (vulgò hodie* . Cajanello. *prope Teanum) ut idem Salernitanus Anonymus auctor est.*

XII. In qua uno anno commoratus.

Adsentitur Ostiensis lib. 1. cap. 37. Quo pariter tempore voluit Ludovicus Beneventum adquirere , ut Erchempertus habet num. 36. sed non valuit. Eademque tradit Aimoinus lib. 5. cap. 30. dicens, quòd ille in Capua residens (mortuo jam Lamberto Calvo , & appulso Patritio Imperatoris Græcorum cum exercitu in civitatem, quæ Hydruntum dicitur , in auxilium Beneventanorum , qui censum , quem Imperatoribus Franciæ eatenus dabant , illi persoluturos promittebant) quoniam aliter Adelgisum obtinere non poterat , mandavit Apostolico Joanni compatri Adel-

(1) Alia Acta S. Athanasii inedita dant ei comites *Landulfum Episc. Capuæ, Legatum Salerni* (sic interpungendum) *& Apocrysarios Sedis Apostolicæ*.

Adelgisi, ut ad eum apud Capuam veniret, & sibi Adelgisum reconciliaret, volens ostentare, quòd tanquam intercedente B. Petri Vicario ipsum Adelgisum reciperet; de quo juraverat (*in conventu Romæ, ut puto, quando ab altero sacramento solutus fuerat*) quòd nunquam de illis partibus rediturus esset, antequam illum caperet; cùm revera virtute sua illum obtinere non posset. *Hactenus Aimoinus, qui nullibi annum signatè prodit; sed ista hoc anno 873. acta fuisse video placere magnis viris Sigonio, & Baronio, aliisque. Concordatus tamen tunc est Ludovicus cum Adelgiso, cui, & Comitibus, qui ad eum confugerant, veniam dedit; quibus peractis Franciam tandem rediit, ut Ignotus Cassinensis tradit num. 22. ad finem. Verùm alii aliter de irrito conatu Ludovici scriptum reliquere, quippe qui dicunt illum* ne à suis perjurus diceretur (*verba sunt Reginonis lib. 2.*) nequaquam contra Tyrannum (*sic adpellat Adelgisum*) processisse, sed Reginam cum exercitu direxisse. *Quod pariter habent Otho, & Gotfridus locis supra indicatis. Ipseque Regino tradit, quòd Princeps in Insulam Corsicam secessit, ubi ad tempus latuit; cui subscribit Otho, & Sigebertus, itemque Gotfridus; sed iste in Sardiniam dicit illum commigrasse.*

XIII. Reversus est in Franciam.

Igitur Capuâ discessit Ludovicus anno 874. idque placere video Ostiensi lib. 1. cap. 37. Ille enim habet, quòd Imperator cùm per annum ferè Capuæ remoratus fuisset, sublato corpore B. Germani ejusdem civitatis Episcopi, demum Franciam est reversus: moratus per diversa loca in partibus istis per annos circiter sex. *At eodem Leone adfirmante Ludovicus advenerat in Junio anni 866. integroque anno 872. tum Verulis, ut dictum est, tum Romæ mansit. Complentur igitur anni sex initio anni 874. mensibus aliquot superadditis, quos ille indicavit eâ dicendi usus formâ,* per annos circiter sex. *Pariterque indicavit Auctor Chronici Principum Langobardorum, & Abb. Cassinensium, notans septem annis, incompletis scilicet, Ludovicum apud nos mansisse; cujus Chronologi de reliquo mentem eo loci haud capies, nisi interpreteris postremos duos annos ab eo immediatè subpositos anno quinto Ludovici, ex parte esse adnumerandos intercalato priùs anno uno, quo Verulis ille mansit; coactam enim omnium annorum summam, quibus Imperator Cis-Tyberina in Italia moratus fuerat, rotundè, ac more suo, non autem explicatè Auctor ibi tradidit. Capuæ verò Ludovicus conjugem, natamque suam reliquit, ut Erchempertus auctor est num. 36. sed non hoc consilio, ut in Principem Adelgisum uxor irrueret, cui concordatus fuerat, ut ex Ignoto Cassinense est manifestum: sed alio, quod subodoro in Aimoino lib. 5. cap. 28. si ejus sententiam rite capio; quòd scilicet seductus Imperator fuerat à suis Proceribus, qui Imperatricem* propter suam insolentiam habebant exosam; *illumque eo adegere, ut nuntio illam monuerit,* ne post se pergeret, sed in Italiam reversurum expectaret; At illa non obediens illius mandatum, post eum ire maturavit. *Ludovicum verò tunc in Franciam reversum, productus adfirmat Ostiensis, Ignotusque Cassinensis relato num. 22.*

XIV. In qua eodem anno defunctus est.

Pithœus ad Annales Francorum à se editos quærebat de loco, quo Ludovicus obiisset; textus enim Annalium deficiebat. En igitur locus est Francia. Falsus igitur Sigebertus, qui in Italia decessisse illum dixit, maleque accepisse videtur verba Mariani Scoti sic habentis. Ludovicus Imperator Cæsar Italiæ obiit, *iis namque tum Imperatoris ditio, tum mors declaratur, nil adserto de loco obitus, sicuti prædictorum Annalium utroque antiquior auctor indicat, immo proclamat dicens.* Interea Hludovicus Italiæ Imperator.......... cujus corpus translatum, Mediolani in Basilica S. Ambrosii sepultum est. *At quo anno diem obierit ille, variant auctores. Regino lib. 2., & ejus perpetui assecla Marianus Scotus lib. 3., & Otho Frising. lib. 6. c. 6. obitum figunt ad ann. 874. quod placuisse video nostro Chronologo; uno enim, eodemque anno discessum ejus, & mortem dicit contigisse. Annales verò Francorum modò dicti, recentioresque omnes ad annum notant 875. Sigebertus ad annum 876. Qui autem mediam veriorem credidere sententiam, hanc pariter hujus Chronologi mentem fuisse credent, Ludovicum nempe vitâ functum non eodem, quo Capuâ abscessit anno, sed quo in Galliam pervênit; iisque planè non invitus adsenserim, licèt priorem sententiam ad Erchemperti oram num. 36. sim secutus, quòd Regino ejus auctor eâdem ferè vixit, scripsitque ætate, qua Joannes Abbas Cassinensis, cui hoc tribuo Chronicon; visum enim est mibi talem tunc viguisse apud auctores opinionem.*

XV. Landulfus autem Comes, & Præsul ante adventum Imperatoris.

Quousque Capuam obtinuerat annis III., & mensibus IX. scilicet ad mensem usque Septembrem anni 866.

XVI. Et post decessum ejus tenuit Capuam annis XII.

Integrum Dynastiæ Landulfi tempus, qui interruptis vicibus bis Capuæ præfuit, annos non excessit duodecim, eique dimisit illam Imperator cùm ultimum Capuâ discessit. Hoc vult noster, tum hoc loco, tum in Auctario, quod ad oram Historiolæ Ignoti Cass. adposuit ad num. scilicet 32. At decesserat Ludovicus (sive de obitu, sive de discessu id accipias) anno 874. Igitur Præsul, & Comes Landulfus, qui paulò ante IV. Idus Martii vitâ est functus, sicut ex Erchemperto constat num. 40., ad annum advixit 882.; certèque ea fuit nostri Chronologi mens; ab hoc enim anno tempora subsequentium Comitum ille subduxit; qui ad Atenulfum cùm pervenisset, decem ei annos in Comitatu dedit, ut alibi dixi; namque sat illi constabat Atenulfum Principatum adripuisse in anno nongentesimo, & ab falsò credita Epocha receptæ Dynastiæ, & mortis Landulfi, decem solummodo eidem Atenulfo annos remansisse, adtributis reliquis, ut oportebat, tribus aliis interpositis Comitibus. Sed lapsus ille est, tum de receptæ Dynastiæ Landulfi anno; tum verò de aliis omnibus juxta eandem Epocham subductis ratiociniis: Landulfus enim Episcopus in Aprili anni 879. inter vivos esse desierat, ut constat ex Epist. 168. Joannis Papæ 8.: necnon Atenulfus sub Comitis nomine integris annis tredecim Capuæ præfuit, quod nullo potest modo denegari; ejus enim Comitatum invasit Sabbato post Epiphaniam VII. Idus Januarii, hoc est anni 887. ut testis est omni exceptione major Erchempertus num. 64., quod nec ipse negabit Chronologus hic idem noster, tum in Auctario ad num. 32. Ignoti Cassinensis, tradens id contigisse in Januario Indictionis quintæ, hoc est prædicti anni 887. tum in hoc Chronico num. 9. quo loco habet in secundo anno Comitatus ejusdem Atenulfi Indictionem percurrisse sextam, quando ad S. Carsium interfecti sunt Neapolites à Capuanis, *eaque Indictio contigit anno 888. His igitur firmatis, singulisque tribus Comitibus, sive Gastaldis à Landulfo ad Atenulfum interjectis suæ Dynastiæ annis adtributis, idque juxta subductionem nostri utique auctoris, jam illud, quod mirabar, satis constabit,*

A *bit, Episcopum scilicet Landulfum Comitis munus reciperasse jam olim, priusquam Ludovicus ultimùm ad hæc loca rediisset, integroque anno Capuæ mansisset, immo ab anno 870. exeunte; à quo tempore ad ejus obitum, qui contigit initio mensis Martii 879., adnumeratis unà annis tribus, & mensibus novem, quibus ante adventum Imperatoris Capuam obtinuerunt, duodecim integris præfuit annis, quod adseruit noster, idque in tabella sic explico.*

862 1 *Annus incipit à Decemb. Finitur anno.*
863 2
864 3 *Annus incipit à Decemb. Finitur anno.*
865 *Mense Decemb. non exacto.*

Menses novem, post quos advénit Ludovicus, & B *Landulfus cessavit, decurrente interim anno quarto ejus Dynastiæ sunt. Januarius, Februarius, Martius, Aprilis, Majus, Junius, Julius, Augustus, & September anni.*

866. 4 *Annus decurrens. Exeunte ann.* 870.

Capuam recepit, ut dictum est, & reliqui tres menses, quibus quartus completur annus, sunt. Januarius. Februarius, & Martius non exactus anni.

871 5 *Annus incipit à Martio. Finitur anno.*
872 6 873 7 874 8
875 9 876 10 877 11
878 12 *Annus incipit à Martio. Finitur anno.*
879 *Mense Martio non exacto.*

VI.

C PANDONULFUS nepos ejus factus est Comes Capuæ, qui, completis in Comitatu annis III. & mensibus octo, expulsus est.

879 1 *Annus incipit à Martio. Finitur anno.*
880 2
881 3 *Annus incipit à Martio. Finitur anno.*
882 *Mense Martio non exacto.*

Menses octo sunt. Aprilis, Majus, Junius, Julius, Augustus, September, October, & November non exactus ejusdem anni.

VII.

LANDO pater Landulfi Episcopi fuit Comes Capuæ ann. II. mens. X.

882 1 *Annus incipit à Novemb. Finitur anno.*
883 2 *Annus incipit à Novemb. Finitur anno.*
D 884 *Mense Novembri non exacto.*

Menses decem sunt. December ejusdem anni. Januarius, Februarius, Martius, Aprilis, Majus, Junius, Julius, Augustus, & September non exactus anni seq.
885.

Concordat de tempore initæ Dynastiæ Landonis Codex antiquus hujus Chronici, qui est apud Abb. Constantinum Cajetanum, habet enim Landonem Comitatum suscepisse Kalen. Novembris Indict. 1. *hoc est anni 882. quod pariter exhibet Cassinensis, sed ad oram aliena manu, & sanè antiqua adnotatum. At hic Lando, qui pater dicitur Episcopi Landulfi, ejus scilicet, qui schisimate fuerat ejectus, & à Joanne Papa 8. in Berolassi fuerat con-* E *stitutus, eidem nostro Chronologo in Auctario ad Ignot. Cass. num. 32. adpellatur frater, sicuti hoc ipso in Chronico hoc pariter loco exaratum olim habebatur, ut alibi monui, & recentior aliquis, priori voce abrasa hanc intulit, quam repræsentavi, eaque est planè retinenda; firmat enim illam idem Joannes 8., qui Epistolam signatam n. 289. scripsit* Leoni Episcopo Teanensi, Landulfo Episcopo, & Landoni Gastaldeo patri ejus. *Certèque hic est ille Lando, qui ut Erchempertus tradit num. 62.* ab Atenulfo, & ejus fratribus Gastaldus constitutus fuerat in his, quæ ad eos pertinebant. *Idemque segnis ille, de quo idem Erchempertus num. 40., germanusque exstitit Atenulfi, à quo nil sibi præcavens (eodem auctore Erchemperto num. 62., & 63.)* Teanum abiit curandus à languore, quo detinebatur.

VIII.

LANDENULFUS frater ejus vicem illius tenens anno I. mens. IV.

885 1 *Annus incipit à Semptemb. Finitur*
886 *Mense Septembri non exacto.*

Menses quatuor sunt. Octob. Novemb. Decemb. ejusdem anni, & Januar. non exactus anni seq. 887.

Concordat, ut prædixi, idem Chronologus in Auctario ad Ignotum Cassin. num. 32., & Erchempertus num. 64. qui pervasum ab Atenulfo Comitatum tradunt Indictione quinta, Sabbato post Epiphaniam, hoc est VII. Idus Januarii. *Quæ utique dies Sabbati in septimum Idus prædicti mensis incidit anno 887. quo jam dicta percurrebat Indictio. At hujus Landenulfi nulla est mentio Dynastiæ in toto Erchemperto, eo quòd, ut reor, non ille Comes, nec Gastaldus fuerit Capuæ; sed, ut noster habet,* vicem fratris *Landonis gesserit intermedio illo tempore ejus ægritudinis, Teanensisque secessus. Nec planè alio, quàm vicario nomine Landenulfum præfuisse credam; siquidem ex Erchemperti adtextatione num. 62. 63. 64. & 68. novi, solicitudinem de pervaso ab Atenulfo Comitatu maximè Landonem segnem spectavisse, tunc utique Comitem, ejusdemque Atenulfi germanum fratrem; quos unà simul in nocturno illo discidio ab eodem Atenulfo excitato crediderunt contra se adstitisse eorundem patrueles, filii scilicet illius Landonis, sub quo nova Capua est condita, quibuscum concorditer egerant abusque tempore ejecti Pandonulfi. Si qua verò vicariæ Landonulfi potestatis est in Erchemperto memoratio, non alia utique erit, nisi quæ illius habetur mentio ad extremum nu. 63. quo loco traditur ob ejus discessum ab urbe Atenulfum opportunam nactum esse occasionem Capuæ invadendæ. Quo loci prior editio* Landulfum. *non.* Landenulfum. *exhibet, contra fidem utriusque Papyracei Codicis, quos vidi, atque sequi est visum. Ancipiti autem sententia virum duplici nomine demonstravi in Erchemperti Face, & in Stemmate Comitum Capuæ num. 15. quoniam ille aptus non erat locus ista fusiùs admonendi.*

IX.

I. ATENULFUS Comes, quam annis XIII. MIRIFICE regens.

887 1 *Annus incipit à Januario. Finitur.*
888 2 892 6 896 10
889 3 893 7 897 11
890 4 894 8 898 12
891 5 895 9 899 13

Anno Nongentesimo Mense Januario.

Finitur annus 13. Comitatus Atenulfi, quo factus est Princ.

II. Postea factus est Princeps Beneventi.

Membranæ omnes, quas pluribus in Archivis inspexi, in designatione annorum Principatus Atenulfi indicant illum Principatum adeptum jam dicto anno, & mense: non post.

III. Complensque in Principatu annis X. & mensibus VI.

900 1 *Incipit à Januario. Finitur.*
901 2 904 5 907 8
902 3 905 6 908 9
903 4 906 7 909 10

Incipit à Januario. Finitur anno.
910 *Mense Januario.*

Menses sex sunt. Februarius, Martius, Aprilis, Majus, Junius, & Julius ejusdem anni.

IV. Vitâ privatus reliquit eum filiis suis Do-

Domino Landulfo, & Domino Atenulfo Christianissimis Principibus.

Concordant membranæ, in quibus adseritur Landulfus filius Princeps unà cum patre Atenulfo ab anno 901. ideoque annis Principatus inæqualibus, & post patrem unà cum fratre Atenulfo juniore ab anno 910. post mensem Septembrem, & ante Decembrem: regresso scilicet Landulfo è Constantinopoli post mortem patris, & communicato tunc Principatu fratri suo, sicut Ostiensis tradit lib. 1. cap. 51. Cujus certè consilio partus à patre Principatus, eo defuncto, fratreque illo temporis momento absente, servatus est; ni prior ille Atenulfus, qui Magnus Princeps dicitur in scripto Chronico antiqui, & nobilis Monasterii Sanctissimæ Trinitatis Cavensis, summâ providentiâ sibi, posterisque præcaverat ab omni suæ novæ Dynastiæ periclitatione. Quod esto fuerit, frater tamen fratri non eam præripuit, sed servavit, quem in Archivi Cassinensis chartula tunc, cùm aderam, Sacculo inclusa 165. adpellatum reperi per antecedentes annos Comitem Teani; quæ planè urbs prima super cæteras omnes Comitatui, atque Principatui Campano subjectas, semper fuit habita; Campani namque Comitatus Dynastæ, sicut ex Erchemperto pluribus in locis, ex Ignoto Cassinense num. 23., & 26., & ex Capitulari Principis Sicardi num. 13. constat, obtinuere quidquid à Casertana, ac Suessulana urbe in longum protendebatur adusque Aquinensem, & quandoque Soranam; inque latitudinem à Calatia ad maris Tyrrheni litus, adque ostia Literni, Volturni, & Liris, ultra, citraque.

DE FRAGMENTO

Historiæ Anonymi Beneventani.

Postquam Erchempertus omnium primus Historiam Pauli Diaconi, ut alio est adnotatum loco, ad sua deduxit tempora, illius exemplo, sed annorum intervallo peracto, eandem provinciam suscepere ignoti modò nominis duo viri, patriâ alter Beneventanus, Salernitanus alter, de quibus ordine disseram, & priùs de Beneventano. Is nulli hactenus, nec antiquo, nec novitio memoratus scriptori, nullius pariter Historiæ reputatus est auctor, ac si qua hujus Fragmenti olim habita est notitia, ea talis extitit, ut inde creditum illud fuerit pars Historiæ Erchemperti, in cujus scriptis Codicibus continenti habetur textu, nullo discriminis indice eidem præfixo. At idemmet ipsum prodit se integri alieni operis divisam remansisse portionem, si modò quæ inibi primo occurrunt loco, attentè observentur verba; iis enim alteram præcessisse narrationem oportet, qua Principis Ajonis gesta fuerint descripta; ex quibus non utique credam ignotum hunc auctorem suam exorsum Historiam, hoc est à temporum, & Principis enarratione, quæ nullum peculiaris operis argumentum suppeditabat: quinimmo Erchemperti æmulatione Auctarium quoque suum Paulo Diacono illum superaddidisse non diffiteor, quod propositum pariter insedit Anonymo Salernitano, de quo suo loco nullus erit scrupulus; sed Beneventanus peritior utroque fuit: altero scilicet, temporum ordinem diligentiùs custodiendo, altero verò, prudentis scriptoris perpetuò normam servando. Cui haud leviter profuit patriam habuisse Beneventum, urbem perditissimis etiam sæculis numeroso literatorum virorum florentem choro, sicut Anonymus Salern. tradit in Historia Langob. non adhuc edita, dicens, Tempore quo Ludovicus, *Imperator scilicet Lotharii filius,* præerat Samnitibus, triginta duos Philosophos Beneventum habebat. *Quo vocabulo prisci illi adpellare consuevere artes jectantes humaniores. Sed hujus nostri Anonymi politior ruditas in illam me duxit, quam initio indicabam, opinionem, ut advixisse illum putem ætate aliqua post Erchempertum, proindeque sæculo aliquantulo excultiori, ultra quem suam perduxit Historiam; etsi adfirmare non ausim, Anonymo Salernitano æqualem fuisse, necne. Verùm de his cùm valde solicitus non sim, illud quidem pro comperto habendum puto, utilissimum hoc Fragmentum Beneventano auctori concedi debere, qui in ejusdem urbis præ cæteris immoratur rebus, notitia, & amore, tum adjuvante, tum impellente peculiari. Nec planè, nisi Cis-Tyberinæ Italiæ municipem opinari illum oportet, qui extremo num. 4. dicit, Græcos aliquando disposuisse (verba ejus dabo)* universos Beneventi cives, & reliquos istius patriæ ferreis vinculis nectere, & eos de sua regione transferre. *Deque eo satis.*

FRAGMENTUM

HISTORIÆ LANGOBARDORUM

Incerti Auctoris, sed patriâ Beneventani.

I. Ursus filius prædicti Ajonis, puer decennis, sedit annum unum, cujus tempore Symbaticius Straticos cum valida manu Græcorum (1) venit Beneventum tertio Idus Julii, obseditque eam usque XV. Kalendas Novembris diem, quo benignè paciscens, in ea ipse ingressus eodem die, completis CCCXXX. annis, & aliquot mensibus à Zoto primo Duce Beneventi, quibus Langobardi primatum tenuere Beneventanæ Provinciæ.

II. Priùs tamen, quòd ista contingerent, temporibus Gaideris, & Radelchis, seu Ajonis Principum, ingens Locustarum multitudo invasit Calabriam, Apuliamque, & Samnium, & quasdam partes Italiæ. Deinde postquam jam dictus Ursus puer principari cœperat, Stella Cometes terribiliter longis effulsit crinibus per dies aliquot; (2) Cui quidem Symbaticio successor extitit Georgius Patricius, quo Beneventi commorante non post multum tempus fax terribiliter à parte meridiana longo tractu effulsit, deinde post dies octo similiter fax ab Oriente emicuit penès ad Occidentem, quæ postquam desinere cœperat, facta est velut species Draconis, aut Literæ. Deinceps iverat ad obsidendum idem Patritius Capuam, eoque ibi consistente, denuo fax à meridiana plaga cucurrit, & post modicum ab Aquilone, & post paululùm ab Oriente, & post aliquot dies ab Oriente, & post aliquot dies ab Occidente; quater enim illis diebus effulserat.

III. (3) Subsequenter verò Arnolphus Rex Gallorum intravit Italiam cum multa multitudine, veniens usque ad Ticinum, cupiens pertingere Romam; Sed idem fame, & intemperie aëris compulsus, reversus est ad propria. Eo autem tempore Guido, qui cum Berengario ForoJuliense duo civilia (4) egerat bella, Rex erat Italiæ, qui tunc (5) aufugerat in partibus Spoletii, qui post paululùm vomitu sanguinis ab hac luce subtractus est. Lambertus

(1) ann. 891. Vide me ad Chron. Ducum, & Princ. Beneventi.

(2) ann. 893. ineunte.

(3) ann. 894.

(4) ann. 889.

(5) ann.894. sequor Reginonem, à quo discrepat Luitprand.

tus denique ipsius Guidonis filius patri successit in Regno.

IV. Denique hinc factus est eisdem diebus ferè per omnem Samnium, & Apuliam terræmotus ingens: Subsecuta est inde sub præfato Patritio concrematio ferme mediæ civitatis Beneventanæ ab Ecclesia Sancti Renati sursum, usque ab Portam Auream, eodem die, jam (1) tertio anno completo postquam obsideri cœpta fuerat civitas. Postea quidem multoties apparuere eadem signa facularum per diversa loca; sed terribilius illud non fuit, quàm quod in Apulia apparuerat: flamma enim longa ardere visa est ab hora secunda penè usque ad horam diei tertiam. Demum verò sequuta est plaga Camparum, quæ cunctas teneras fruges, etiam & frondes arborum in quibusdam locis funditùs absumpserunt per Beneventanam Provinciam. Modico autem tempore elapso, Georgius Patritius molestiâ tactus est corporali: Paralysiæ enim subitò dissolutus, diu jacuit mutus, & infeliciter diem clausit extremum. Iterum ab Oriente ad partem meridianam fax solita emicuit, & denuo Cœlum scindi noctu visum est, & longo tractu eadem scissio mansit. (2) Successor verò eidem Georgio Patritius quoque Barim consistente, Guido Dux, & Marchio advênit Apuliam. His quidem diebus Theodorus Turmaca Benevento præerat, qui audiens adventum Francorum, nimio timore concutitur; tamen de custodia, & vigilibus urbis plurimùm manebat solicitus, & quia prædictus Barsati manum conferre cum Gallis non præsumebat, ipse Theodorus ad eum miserat, postulans, ut sibi Santem mitteret solacium ad Beneventi mœnia conservanda, seu Langobardos capiendos secum morantes, quos valde pavebat. Sed aliter hinc Divina providentia, quàm humana malitia dispofuerat; petitum namque adjutorium jam ei veniebat, sed & Francorum solertia istud præsenserat, & ad Beneventanorum auxilium validè festinabat, priùs autem longè posuit castra. Hoc præterea Graja turba cognoscens, noctu silenter voluit. Beneventi quidem ejus cives, veluti proprios servulos captabat, minis, verberibus, angarijs diversis, terroribus assiduis, nulli honorem, reverentiamque servando, nulli unquam veritatem dicendo, nullique fidem custodiendo, perjuria quoque, seu adulteria publica, vel privata, & diversas fornicationes, & multimoda furta pro ludo habebat. Si quando verò aliquis violentatus ad eos proclamare præsumpserat, pugnis, alapis, taureis, fustibusque cæsus recedebat, probans, ut clarum fieret, nihil in eos esse boni, quos Christus odit, quos Sathanas diligit, cujus discipuli sermone, & opere comprobantur. Ipsi autem ad ultimum certiùs disponebant universos Beneventi cives, & reliquos istius patriæ ferreis vinculis nectere, & eos de sua regione transferre, sicut olim nequissimus Rex eorum antiquus dolosè agere voluit (3) Geremitis. Ideoque in eorum odium ferè omnes cultores Apuliæ, Samnii, Lucaniæ, & Campaniæ conspiraverunt.

Deest Græcorum ejectio è Benevento per Guidonem Ducem; de qua Leo Ostiens. lib. 1. cap. 48. sed fusiùs Anonymus Salern. infra part. 4.

V. Paucis demum (4) elabentibus diebus, idem Marchensis suasus, immo impulsus à quibusdam maliloquis, & invidis viris cepit eundem Præsulem, qui ei Beneventum (5) iraliter præbuerat, extorremque eum Salernum fecit degere per quatuor menses; de quo ingens mœstitia erat Beneventi, quoniam quasi viduatum ipsius videbatur ovile, dolebantque plurimum ejus oves, quia ipse insons damnatus fuisset. Sed maximè mœstificabantur, quòd hoc de illo contigerat, quod de nullo antecessorum Præsulum nullæ literæ, nulla ætas meminerat Beneventanum Pontificem captum, & Cathedram ejus taliter viduatam. Postea verò idem Marchio agnoscens flammam invidentiæ adversùs eundem ardentem, & doloso commento ivit Salernum, & satisfaciens jam dicto Præsuli, etiamque lacrymas largiter fundens, pœnituit se pro sua temeritate, eundemque revexit Beneventum, honorificè ipse suæ restituit Sedi. Quod autem gaudium, & quæ fuerint lacrymarum flumina fusa præ gaudio, quis narrare valet, seu describere? cùm, & pastor ovibus, & oves pastori restituerentur. Deinceps quoque idem Marchensis miro illum semper coluit affectu, dignaque habuit veneratione, fidemque ei per omnia adhibens indubitabilem: compererat enim veraciter quantæ stabilitatis, & veritatis ille vir fuerit erga eum, & quia frustra adversùm ipsum processerat susurrantium virulenta fallacia.

VI. Iisdem ferme diebus Guaimarius Salerni Princeps Beneventum properabat, cupiens, ut fama sparserat, utcumque etiam ipsam suæ subderet ditioni; cujus quidem cives eum oderant, & pavebant plurimum propter infamiam suæ crudelitatis, atque instabilitatis. Veniebat tunc quasi simpliciter ad jam fatum Marchensem, veluti ad cognatum, cujus idem Princeps sororem habebat jugalem. Sed dum Avellinum Oppidum adesset, cujus Gastaldus tunc erat Adelpherius nepos magni Rofrit, eum ipse noctu cepit, ejusque die altero eruit oculos: fama namque vulgaverat, quia idem Princeps jam dictum Adelpherium priùs capere machinaretur. Sed ille insidias anticipasset festinus. Quo acto, plurimi gratulabantur, maximè, quia rumor erat, quòd ipse laqueos præfato Præsuli tetendisset, & foveam, in quam cecidit, præparasset. Sed idem Præsul benignè de eo condoluit, nitebaturque, ut vel post damna luminum eriperetur, ne tam miserè obiret. Marchensis autem hostiliter mox Avellinum perrexit, quod machinis, & diverso oppugnationum apparatu circumdans, tandem recolligit eum, & abundè lacrymans, ad propria abire concessit. (6) Interea prædictus Marchio Spoletium perrexit, Imperatorem Lambertum, ejusque matrem Imperatricem cernere cupiens, ibant enim Romam ad Apostolorum limina, cum quibus & idem ire gestiebat.

VII. Paucis quoque post hinc (7) diebus elapsis Stephanus Vicarius Apostolorum Formosum Papam prædecessorem suum ex sepulcro abjecerat, irritas faciens cunctas ipsius ordinationes; cujus corpus post menses XI. inventum est integrum, quod dum huc, illucque crebriùs jactaretur, etiam sanguis exiit, tanto jam tempore elapso.

VIII. Beneventum (8) interea regimine præfati

(1) ann. 894.
(2) ann. 896.
(3) fortè *Geronitis*. nam. *Gerio*. Livio. *Gerunium*. Polybio. *Geronium*. Antiq. Itiner. Oppidum Apuliæ.
(4) ann. 896.

(5) *biliariter*.
(6) ann. 896.
(7) ann. 897.
(8) ann. 896.

fari Petri Pontificis gubernabatur, cui eam ipse Marchio reliquerat, quam Argiva phalanx, seu latronum manus assiduè incursabat; tamen prope Beneventi mœnia minimè accedebant, quia solicita cura ipsius Præsulis undique plurimùm insistebat, ne probis suis civibus damna inferrent; ideoque etiam cursim (1) misit, ut dicta Augusta Beneventum adveniret. Inter hæc graves, valdeque juges fuere imbres: proinde Sabbatum, & Calor Flumina ultra solitum intumuere, ita ut etiam super Pontem Caloris Fluvii undæ influerent, quod nunquam fieri meminit ætas.

IX. Dehinc non prolixum tempus effluxit, & Capuanenses ivere Parthenopem prædatum, utpote quoniam crebrò inter eos odium pullulabat, inter quos erat etiam jam nominatus Adelpherius. Quos dum Parthenopenses * quærentur cum Beneventanis, & aliquos Agarenses peremerunt ex eis, & quosdam ceperunt, inter quos etiam captus est Adelpherius, quamvis viriliter egisset, & Neapoli in vinculis positus; priùs enim Avellino evectus Capuam iverat. Sed quia supernam sententiam nemo valet effugere, en captus est, qui ne caperetur, providere satagebat; sed Deo tuente, evasit incolumis, quem superiùs nominatus Guaimarius suo ab amico Athanasio Episcopo ob vindictam omnimodo reposcebat.

X. Postea (2) verò præfata Imperatrix, anno uno, & octo mensibus expletis, postquam Graji Benevento fuerant expulsi, in eadem ingressa est pridie Kal. Aprilis, & paulò post longè superiùs nominatus Radelchis fratrem suum Beneventano Principatu restituit, qui ferè XII. annis ab eo fuerat expulsus.

Nec plura in Scriptis Codicibus Papyraceis.

DE ANONYMO SALERNITANO

Et ejus Historia.

Fusior Historia nostratium Langobardorum nunquam integrè evulgata, adsertaque hactenus eidem illi Erchemperto, à quo altera ejusdem argumenti edita habetur (brevior illa quidem, sed an jure Epitome fuerit adpellata videbitur infra) Anonymum Salernitanum à me agnoscat auctorem. Cujus modò conditio clarior esse incipiet, quando obscuro, ignotoque, ac prorsus nullo nomine cœperit nuncupari. Sed, Lector, priusquam subnotata percurras, ne hariolare vanum me effutire somnium; nam constanter adsero.

I. *Fusioris Historiæ Langobardorum Principum.*
II. *Auctorem extitisse Ignotum civem Salernitanum.*
III. *Virum genere Langobardum, Illustri loco natum.*
IV. *Vitæ instituto Monachum Benedictinum.*
V. *Ingenio, prudentia, & doctrina puerili præditum, & excultum.*
VI. *Qui illam adgressus æmulatione Historiæ veri Erchemperti.*
VII. *Non uno in eam insudavit anno.*
VIII. *Quam perduxit ad tempora Principis Capuæ Pandulfi Caputferrei.*
IX. *Cui eam dono obtulit.*
X. *Eadem vivens ætate: integro sæculo posterior Erchemperto.*

(1) ann. 896.
(2) ann. 898.

A *Sed rem attende an præstem, quàm eodem hoc ordine edisseram, postquam scriptorum codicum, in quibus hujus auctoris habetur Historia, imaginem descripsero, sive indiculum fecero Opusculorum, quæ in illis continentur; ex quo planiora haud dubiè fient, quæ postmodum tradam: Scripti verò Codices sunt ipsimet illi duo Papyracei à me alio loco indicati, qui ex Frecciano exemplo prodiere, unàque exhibent Erchemperti Historiam, nunc iterum Typis commissam. De Vaticano autem nil pronuncio, etsi illum ex jisdem planè Opusculis compaginatum scio; namque oculis non inspexi, plenamque ejusdem non adhuc valui obtinere notitiam; quocirca malui de ipso tacere, quàm vel*

B *incompletè dicere, vel de ignotis, aut temerè, aut hæsitanter testificari. Extare verò in Columnensi Bibliotheca alterum antiquum scriptum Codicem numero signatum 70. testis est Baronius ad annum 871. & 957. Est quoque & alter in Bibliotheca Aniciana; sed utrumque mihi pariter non visum præterire cogor.*

In uno igitur ex Chartaceis mihi inspectis legitur primo loco Titulus libri his verbis conceptus. Historia Heremperti Viri Illustris ex prosapia Principum Langobardorum. *Cui subjicitur Index quidam rerum aliquot insignium, quæ toto libro continentur, coactarum ad universaliora quædam capita numero 18. Quo pariter Titulo prænotatum extitisse Scriptum Codicem, qui usui fuit Baronio, ipse clara adfirmat adsertione ad annum*

C *787. num. 101. quem dono se accepisse dicit ab Antonio de Aquino Episcopo Sarnensi, sicut testatus est ad annum 871. num. 54. Ille autem Membranaceus ne fuerit, & antiquus, an verò Chartaceus, & ex Frecciano exemplo itidem exortus, haud certè novi; inferiùs tamen quid de hoc sentiam, non abscondam. Sed in altero Papyraceo, quod vidi, nil tale est, nec Titulus ille, nec Index, in quo similiter nec Glossæ, seu dicas Adnotamenta, insunt ad oram, quæ perpetuæ sunt in Codice præindicato. Quibus solummodo exceptis discrepantiis, ambo unà consentiunt, & in utroque primò occurrit Admonitio quædam istiusmodi.* Incipit liber quarundam Historiarum, Dominorum, diversarum guerrarum Regni Italiæ,

D prout inventum fuit in quodam antiquo libro literarum Langobardarum; cujus libri principium (3) non continebat, & propter hoc sicut incipiebat prædictus liber suas Historias recitare, ita nos incœpimus in præsenti libro ipsius Historiæ scribere, & continuare. *Hactenus Admonitio; quam subsequitur Index nominum viginti Regum Langobardorum Italiæ, unicuique adscriptis sui Regni annis, sed librariorum vitio aliqua in numeris inducta discrepantia. Post adnumerantur Reges Franciæ à Pipino seniore ad Carolum Magnum, à quo producitur series reliquorum Regum Italiæ ad Othonem usque tertium, cui in utroque Codice concorditer adscribuntur anni XII. Mox altera series subjicitur Ducum, &*

E *Principum Beneventi à Zoto ad Radelchim: illum nempe, qui ultimus Princeps fuit ex genere Langobardorum, qui Beneventanam urbem inhabitarunt. Post hæc, nullo interjecto, sive Titulo, sive notula, nec relicto interstitio, exhibetur Historia ista, de qua modò ago, quæ exorditur à monachatu Carolimanni Regis Galliæ his verbis.* Residente in Apostolica Sede Zacharia Papa, qui ob reverentiam Principis continuò inclinatus in universa Italia (4) perpetuo viginti annorum spatio pacem, & concordiam ordinavit, Karolo-

(3) Hoc est, *non aderat*.
(4) alit. *proprio*.

Colomannus filius Karoli Francorum Regis præsentis vitæ relinquens gloriam. *Et cætera ad verbum ex Anastasio Bibliothecario in Zacharia pag.* 113. *Deficit verò eadem Historia in enarratione obsidionis Salerni, quam Princeps Capuæ Pandulfus Caputferreus contra eam firmaverat, sicut erit videre in postrema illius parte, quam Typis modò committam. Infra in iisdem Codicibus subest exemplum Carminis olim positi in Sepulcro Dauferandæ nobilis fœminæ. Cui aliud est subscriptum Carmen ex Tumulo pariter exceptum Rofrit Illustris viri. Et huic subjicitur tertium Carmen, quod est post extremam partem hujus Historiæ à me adscribendum. His Carminibus, nullo distinctionis signo intercedente, adseritur brevis illis narratio postremorum quinque Regum Langobardorum Italiæ, quam initio hujus libri produxi. Post quam subsequitur Historia Erchemperti bis modò edita, nulla & ipsa Epigraphe præsignata. Subest postmodum brevis Epistola innominati Romani Pontificis ad Imperatorem Constantinopolitanum pariter innominatum, sive ad magnum virum ibidem degentem. Dehinc Capitulare est Principis Sicardi, quod in vulgus emisi. Infra adest Recordatio, quam dixere quoque Memoratorium de Curtibus, sive Fundis cujusdam viri Potonis. Mox additur Carmen Arderici scriptum ad Rofrit Illustrem virum. Inde est Glossariolum vocum Langobardarum numero ferè* 120. *coactum, ut res ipsa indicat, ex libris Legum ejusdem gentis, & ex Historia Pauli Diaconi. Postea habentur aliquot collectiones annorum ad Beneventi Dynastas spectantes, quas ad calcem Chronici Ducum, & Principum Beneventi ejus Anonymus Auctor adtexuit, easque unà cum eodem Chronico Typis suo loco tradam. Sequitur Fragmentum Historiæ Langobardorum Auctore Anonymo Beneventano unà cum his Opusculis modò impressum. Infra adest Capitulare Principis Radelchisi Typis, & ipsum à me traditum. Tandem librum claudit breve Carmen (ejusdem dicam versu)*

,, Ad Landulfi laudem sublimis Patricii.

cum adposita adtestatione innominati exscriptoris, qua adseritur extitisse in vetustissimo Codice, è quo is exemplum suscepit, Seriem quoque Summorum Pontificum, & Imperatorum Romanorum, quam ille volens prætererat. Hisque subscribitur hujusmodi altera adtestatio. Exemplata est hæc Historia Heremperti fideliter, & cum omni, qua potuit, correctione in hac dulcissima Stabiensi urbe. Die 16. Octobris 1560. Mercodi. *Quam Marini Frecciæ esse scio, etsi ille nomen ibi non adscripsit suum, quod libro* 1. *de Subfeudis Cap. de Prov., & Civit. Regni num.* 36. *exposuit, ut ad Erchempertum dixi. Hæc sunt igitur, quæ in præallegatis insunt Chartaceis Exemplaribus.*

I. Quo præmisso Indiculo, ut tandem promissa persolvam quàm brevissimè potero, rem isthinc adgrediar. Et planè non ego inficior editam Erchemperti Historiam perplura nostratium Langobardorum gesta tradere, quæ in altera adhuc non edita pariter enarrantur stylo prolixiori; sed illam idcirco hujus Epitomen esse dicendam, nullus, ni fallor, qui locos conferat, adfirmabit unquam. Quis enim dicet Epitomen, quæ acta continet multa omissa in fusiori, istamque adfirmabit fuisse coactam in illam, quæ plurima versa vice exhibet, ne verbo quidem tenus ibi indicata? Tandemque quis credet Epitomes auctorem ætate potuisse præire integros annos centum, & supra, auctorem Historiæ prolixioris? Quæ omnia, tum ex inferius notandis, tum ex solis istis portionibus fusioris Historiæ, quas Typis tradam, facili conlatione erunt meridiana luce clariora. Inedita igitur Historia fusior planè est illa, quam scripserat jam olim Erchempertus; quippe quæ stylo, rebusque prolixior ab auctore fuerit efformata suo, qui, ut paulò post demonstrabo, etsi defectum præcedentis Historiographi aliquibus suppleverit in locis, ad decorem potissimùm patriæ suæ scribendi onus suscepisse videtur.

At quòd is, ut ulteriùs progrediar, sub ignoto nunc nomine sit demonstrandus auctor, res est communi doctiorum opinioni adversa, ipsaque multis abhinc annis malè percepta; quare opus mihi erit paulò diutiùs in illa remorari. Et planè ex præfixo Scriptis Codicibus Papyraceis Titulo minimè Historiam istam tribuendam esse Heremperto, iidem scripti libri verbis non dubiis proclamant; qui in Admonitione, quæ est post Titulum, ac post subnotata 18. *Capita rerum memorabiliorum, testantur primùm antiquissimum Codicem Langobardicis literis exaratum, ex quo ipsi exscripti fuerant, nulla prorsus Epigraphe præsignatum extitisse, sicut in præmisso Indiculo est dictum. Quocirca necesse est, ut non genuinus, sed superadditus credatur fuisse Titulus ille, illæque conlectiones ab aliquo neoterico, qui memoriæ consulens, illas adjecerit, illumque opinione seductus talem efformaverit. Nec contra est, quod Baronianus Cod. eodem habeatur prænotatus; namque, ut rem non dissimulem, non alter ille mihi censetur, quàm vel Papyraceus aliquis è Frecciano, ut alii multi, exortus, vel idem ille Membranaceus, qui Frecciæ usui fuerat; quique mutuò, fortè, acceptus è Salernitana Ecclesia, ubi adservabatur, ad polystorem Cardinalem transmissus, ab eodemque Vaticanæ Bibliothecæ, cujus summus erat curator, custodiendus traditus fuit; ibique modò habetur numero signatus* 5001. *E qua pariter Ecclesia idem ille acceperat alterum scriptum Chronicon, Romualdo Guarna Salernitano Archiepiscopo Auctore, à se postmodum ejusdem Bibliothecæ custodiæ pariter commissum. Verùm quoad nostræ Historiæ, de qua est sermo, autographum Codicem non divinare me, sed rem velut ob oculos præsentem describere, quisquis legeris adfirmabis, ultroque concedes Codicem, ex quo Freccia suum exscripsit, ipsum extitisse illum, qui Vaticana in Bibliotheca adest: si modò Glossas, sive Adnotamenta invicem confers, quæ ad illius sunt oram, necnon ad oras Codicum, qui è Frecciano exemplo prodiere, quæ planè ad unguem concordant, sicut facto periculo comperi, beneficio usus, ut aliàs iterum dixi, Lucæ Holstenii V. C. Quibus sic stantibus satis, superque constare modò poterit non antiqua fide, nec pluribus in Codicibus Heremperto adtributam fuisse prolixiorem Historiam Langobardorum, sed in uno, eodemque Salernitano: idque recentioris alicujus actum arbitratu. Quem in eam ob id pervenisse opinionem censeo, quòd is in mentem induxerit suam, unum illum Codicem unam unius auctoris Historiam conclusisse; viderítque in postrema, ferè ejusdem Codicis parte (in ea scilicet, qua veri Erchemperti continebatur Historia, ut ex producto Indiculo constat) auctorem nomen prodidisse suum, cui nil dubitarit opus omne contradere, adscribereque; necessario alioqui seductus parologismo, illumque nomine adpellans Herempertum, ut suas demulceret aures nominis sono mollioris. Verùm quis ille novitius, adeòque peritus fuerit Nomenclator, qui pluriformi Langobardorum Historiæ nomen imposuerit unius Heremperti, ego divinare non ausim; illud tamen silentio minimè premam, Frecciæ eandem de Historiæ prædictæ unitate insedisse opinionem, quippe qui sit illam tripertitus, sicut in ejus libro de Subfeud.* 1. *Cap. de Prov., & Civit. Regni est videre; quo loco passim recitat nonnulla, quæ*

quæ ex eodem apud Salernum à se reperto Membranaceo Codice adnotaverat, deprompta que illa adfirmat, tum ex prima, tum ex secunda, tum ex tertia libri parte. Et quidem pro illis, quæ germana in Historia Erchemperti inerant, perpetuò laudat tertiam partem, quæ in postremum locum in scripto Codice rejecta habebatur; pro illis verò, quæ habebantur in hac, quam dico Anonymi Salernitani, partem laudat primam, & secundam; utpote loco priori positam, moleque duplo, ferè, illâ majorem; nisi quòd alicubi, Typographi certè culpâ, numeri, qui indicant hanc, vel illam partem, depravati habentur, quo vitio de reliquo pariter laborat Frecciani illius operis Veneta editio. At semel inductam opinionem amplexati quoque sunt omnes, qui postea subsecuti fuere magni sanè viri; illaque adeò invaluit, ut si qui tandem duplicem Historiam uno in illo Codice concludi agnovere, uni tamen, eidemque Heremperto utramque concesserint, alteram alterius Epitomen reputantes, de quo jam dixi. Atqui plurima illa, & varia Opuscula an ego, etsi omni alio argumento essem destitutus, consentirem unius auctoris nomini tradi rite, & rectè potuisse? Quinimmo crediderim, quòd si ipsamet illa priscis quoque temporibus uno similiter in Codice, communi usu conligari consueverunt, sicut in Salernitano actum fuit, talis planè Codex non alio nomine fuerit vulgò dictus, quàm hoc. Historia Langobardorum, namque eorundem Opusculorum libro in uno adgregationem Leo Ostiensis in Prologo sui Chronici eâdem demonstravit, ni fallor, nomenclaturâ; quæ mihi adeò adrisit opinio, ut ejusdem Leonis motus auctoritate Analectam hanc meam adpellare quoque elegerim consimili ferè nomine, eo quòd consimilibus, iisdemque ferè Opusculis constet, quibus Ostiensis ille Codex, ut reor, compositus habebatur. Etsi, ut neque hoc taceam, non abnuerim eidem Codici, velut Parergon aliquod, adsutam extitisse seriem illam Romanorum Pontificum, & Imperatorum, quam idemmet Ostiensis ibidem adserit in condendo suo Chronico sibi deservisse, eaque in Frecciano pariter aderat, ut superiùs est dictum; ita ut adfirmare quis possit, prænominata omnia Opuscula de more Librarios olim compaginare consuevisse, quod magìs probo, quàm eundem Salernitanum illum Codicem primum ab Ostiense fuisse possessum; qui utique alterum possedit, & notæ oppido melioris, sicut ex adnotatis ad oram Historiæ Erchemperti num. 3. observare valebis. At ego vel aliâ ducor conjecturâ, adfirmoque quòd si compaginata isthæc Opuscula unâ unquam, simplicique demonstrata fuere Epigraphe, illa quoque, sed alternatim fuerit. Historia Erchemperti, quo nomine non Salernitanum Auctorem indicatum dixerim, sed Cassinensem Monachum; cujus Historia, haud dubiè antiquior altera, haberetur cæteris Opusculis præfixa, quibus nomen illa suum communicaverit vulgi consuetudine; quandoquidem consimilia Parerga multoties τοῦ ἐργοῦ nomine demonstrari consuevisse, manifesta res est; & quidem non alia ductus ratione Leo Ostien. lib. 1. cap. 19. adpellatione Historiæ Erchemperti hanc Anonymi Salernitani, me arbitro, designavit, quod illum fecisse observabis ad oram partis secundæ ejusdem Anonymi. Sed nec valde alienum est credere Librarium Codicis Salernitani, qui patriâ, sicut paulò post dicam, Salernitanus pariter extitit, in eodem à se scripto Codice, ordine commutato Opusculorum, concivis sui Historiam cæteris aliis præposuisse; Quibus si meis non erit, qui subscribat adsertionibus, neutiquam molestus ero, modò adsurgat, qui dissolvat, non discindat hactenus productos implicatos nodos. Veruntamen si ista non displicebunt, consequens erit, ut Titulus ille Scriptis Codicibus præfixus. Historia Heremperti Viri Illustris ex Prosapia Principum Langobardorum, fuerit quoque germana Epigraphes Historiæ veri Erchemperti; quod non abnuerim, hac tamen adhibita censura, ut legi deberet. Historia Erchemperti Viri Illustris de Prosapia Principum Langobardorum, quod idem sonaret, ac. De serie Principum Langobardorum, namque hoc id verbi demonstrabat apud hosce Langobardos Auctores, sicut verbum quoque illud. Genealogia; ut alibi dicam: Et revera quamvis, vel Anonymus Salernitanus, vel Erchempertus è Principibus quibusvis Langobardis originem duxerit, quod non alio adhuc constat indicio, magìs decuit Historiæ argumentum in libri fronte præsignari, quàm hoc prætermisso, genus semel & iterum explicari auctoris: immo non explicari, consanguineis Principibus non designatis, qui tum Beneventum, tum Salernum non uno, singularique exorti germine obtinuerant. Sed qui judicium hoc meum improbabunt, credent potiùs eundem Frecciam impositi libro nominis auctorem fuisse, quod passim nulla dubietate creditur etiam auctor Glossarum, sive Adnotationum, quas dixi ad oram unius Chartacei Codic. adscriptas haberi; quibus, necnon & superposito Titulo, alter Papyraceus, qui meo fuit usui, caret; talis nempe factus à Librario, qui nihil admiscuit, quod neotericus idem Freccia, ut ipse putavit, induxerat adnotator. Sed de Titulo res utcumque se habeat, de Glossis quidem aliter censendum opinor; Glossographus enim ille haud extitit Freccia, sed ignotus alter solido adminus sæculo antiquior, sicut ex Notula, sive Glossa, quæ non longè est ab initio Historiæ Anonymi Salernitani, eo loco, quo agitur de Rege Aistulfo, & de Cominalio castro, ubi ad oram adpicta sunt hæc verba. Hodie est Episcopalis civitas in Valle prope Ferrariam: vocatur Comaclum, & gubernatur à Marchionibus Estensibus. At Dinastæ illi Estenses eo desiere adpellari titulo usque ab anno 1471., quando advivens Paulus secundus Summus Pontifex Ducatus honore decoravit Borsonem primum Ferrariæ adpellatum Ducem, ut legere est in Historia Joannis Baptistæ Pignæ de Principibus Atestinis lib. 8., & apud Abrahamum Bzovium in Annal. Eccles. ad annum præscriptum. Adeòque remotam Adnotatoris ætatem cætera adfixa adnotamenta, etsi non adfirmant, certè non infirmant; unumque illud esset expendendum, cui scilicet congruè convenire possit tempori, quod legitur ad locum extremæ Historiæ ejusdem Anonymi, ubi agitur de Regibus Italiæ Berengario, & Adelberto ab Othone Magno è Regno dejectis, ut inde vera, certaque Glossographi hujus ætas agnosci valeret, quo loco insunt ista. Vereor ne sic quoque contingat modernis temporibus de Regno Siciliæ. Quæ sicut Frecciæ scripta nullus adfirmabit, ita non sat mihi liquet, quam definitè temporum conditionem demonstrent, quæ annum præcesserit 1471. Et hæc de ætate Glossographi, qui innumeris in locis Salernitanum se prodit, dum enixè studet adnotatiunculis suis, laudibusque urbem illam extollere, cæterisque hujus Regni omnibus anteferre. Atqui eundem Membranaceum Codicem talibus Glossulis redimitum nec alia, nisi Glossographi ætate exaratum fuisse credam: immo nec ab alio Librario, quàm ab ipsomet illo, qui ex antiquiori, verèque Langobardicis literis scripto libro deprompserit, admonitionemque præfixerit initio excepti à se exempli de tituli defectu in exemplari reperto. Idque ut credam uno persuadeor argumento, quod acceperim Vaticanum pariter exemplar, nedum Papyraceos Codices, nonnullis scatere mendis, quæ in adfixis quo-

quoque Glossis inhæserunt, quod visum est non ab alio potuisse emanare fonte, nisi ab eodemmet Glossographo exceptore, qui Langobardici vetustissimi Codicis interpretationem fuerit, quandoque haud bene, assecutus, inque textum, & suas Glossas eadem intulerit spalmata, sicuti, ut complures alios locos omittam, num. 21. Historiæ Erchemperti utrobique offenderat, commutans in. mare Pabrifatum. quod erat. Marepahis Suram, & adnotans ad oram hæc verba. Locus prope Amalfiam. At de his etsi satis, superque disserui; hoc tamen adjicere placet, quandoque esse me opinatum Gasparem Muscam in Catalogo Episcoporum, & Archiepiscoporum Salerni germanum hujus Anonymi tradidisse nomen, qui illum non Herempertum, ut cæteri omnes, sed Edimpertum adpellavit; namque reputaveram, quòd nisi secretiori aliquo indicio inductus, non deflexisset Musca à vulgata, & communi nomenclatura; sed postmodum res aliter visa est, quando eundem illum expertus sum, suique concives consensere, non admodum diligentem, peritumque, ne in rebus quidem patriis, extitisse scriptorem. Quocirca in re prorsus obscura omnibus cùm sim destitutus indiciis, ignoto necesse est, ut censeatur mihi nomine Salernitanus hic noster.

II. At si damnosa isthæc mea reputabitur diligentia, qua notum Historiographi deperit nomen, nullo interim altero subrogato, levem sanè jacturam majori utilitate rependam, aperiens Anonymum istum patriam habuisse Salernum, urbem amplissimam, aliaque ad ejusdem notitiam conducentia demonstrans, studiosisque antiquitatis non injucunda. Et quo ad patriam, non ne illum jure adfirmabo Salernitanum, qui pluries, sive de Salerno urbe, sive de ejusdem Cathedrali Ecclesia scribens, unâ semper, eâdemque utitur dicendi formâ, qua ibi se incolatum habere demonstrat? Certè ejus per totam Historiam sunt verba. Hanc civitatem undique communivit. De hac præclarissima civitate. In hac Salernitana urbe. Ad hanc urbem ad habitandum revertuntur. Res mira in hac Sancta Sede accidit. In hac Sede Salernitana Episcopus. In hac Sede Salernitana Præsulem constituit. Secundum eum in hac urbe constituit. Quæ de se testimonia satis si non fecerint, addam hoc amplius; illum scilicet apertè semel, & iterum dixisse. stylo proprio, res Salerni se scribere: tu alterum ex iis locum inspice in postrema Historiæ parte quam Typis tradam; ut interim aliud in opportuniorem, nec remotam valde, occasionem differam argumentum, quo ejus patria, & genus omni ablato velamine manifestè declarabitur. Quid autem id verbi stylo proprio. denotet, docent Acta Sancti Germani Episcopi Capuæ in antiquo ejusdem urbis Breviario; illo enim commonstratur rem stylo proprio describi, quæ ex peculiari proposito describenda fuerit suscepta; sed eadem Acta promptiùs suppeditat clari vir nominis Michael Monachus in suo jam olim edito Sanctuario, quo primum, maximumque bistor ale decus urbi, Ecclesiæque adcessit Campanæ. Et hæc de patria hujus Anonymi.

III. Ejusdem verò genus è Langobarda gente fuisse exortum, jam clarè liquet ex suscepto à se munere conscribendæ Historiæ Principum Langobardorum, quod nec pudendæ, nec infimæ sortis fuisse oportet, si rite ejus verba expendo, quo loco scripsit Abavum suum Radoalt unà cum fratre Radolfo, & quadraginta aliis Beneventanis, Salernitanisque sub Principe Sicardo Neapolim sponte exules commigrasse; quos omnes Patritios, nobilesque extitisse viros, res tunc acta, ibidemque enarrata demonstrat. Etsi Langobardi omnes sordidis ab artibus semper abstinuere, dum rebus potiti sunt prosperis, ac primæva in dignitate permansere; nullusque in tota gente habebatur, qui Sublimis, & Illustris, hoc est Patritius, non censeretur; de quo alibi erit dicendum.

IV. Anonymus autem noster Ecclesiasticum quoque se non uno aperit indicio: ex usu scilicet Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, quorum, vel dicta, vel phrasim passim usurpat, ut in sectionibus, quas evulgabo, maximèque in integra scripta Historia quisquis poterit observare. At definitè Monachus demonstratur, ni fallor, quo loco agit de his, quæ gessit Rex Galliæ Carolomannus in Monasterio Cassinensi sub regulari Monachorum disciplina degens; ubi exprobratum dicit illum à suo Abbate sæpesæpius fuisse, sicut (ejusdem Anonymi sunt verba) mos est Abbatibus, ut per exprobationem, quæ Monachis à foris infertur, de intus, quod animo gerant, cognoscere valeant. Monachorum enim disciplinam Monachum quoque virum percalluisse oportuit. Sed in D. Benedicti familiam, quæ Salerni Cœnobia obtinuerat, latèque per omnes Langobardorum, externarumque gentium urbes miro populorum obsequio vigebat, potiùs quàm in alteram alterius instituti, illum adscriptum consensero; namque is cùm pluries dixisset se brevitati studere, ejusdem tamen Carolomanni in Monachatu res gestas prolixo: immo vaniloquo dicendi genere, sibi planè consueto, prosequi non est fatigatus.

V. Et sanè hoc vaniloquentiæ vitio, adusque nauseam illum laborare, prompta experieris lectione, qua pariter comperies non meliori ingenio, prudentiaque præditum, nec sapientiori doctrina excultum fuisse, quàm puerili: adeò levissimis totus incumbit affaniis, seduloque studio Grammatistam agit, cùm non est opus, præclaris interim rebus, memorandisque factis raptim, & quasi per transcursum leviter, ac quandoque ne leviter quidem libatis. Quam levis animi culpam referendam censuerim, tum ad sui sæculi morem, tum ad ejusdem inscitiam linguæ Latinæ, quibus ille, sicut alii plerique ejusdem ævi scriptores, vel inlectus blanditiis, vel abactus incommodis, non alia voluerit, valueritque adnotare. Sed ne me de viro, cui cæteroqui injurius nil sum, cujusque nobilissimam patriam haud solâ Medicorum antiquissimâ, ac celeberrimâ Scholâ in literis præsignem veneror, primùm hanc asperam tulisse censuram credas, en cedo tibi, omissis Angelo Constantio, Antonio Caracciolo, aliisque multis, unum Baronium, qui ad annum 787. num. 101. de illa parte ejus Historiæ judicium ferens, quam priorem dabo, habet eandem sibi non in omnibus probari, quòd & fabulosa inibi commista habeantur multa. Et quidem fabulosa quamvis illa non fuerint prorsus existimanda, ut ex inibi ad oram adnotatis ex parte constare poterit, indiligenter tamen, ut pleraque alia, descripta fuisse, ac aniles quandoque fabellas sermonibus suis illum immiscuisse, denegari nullo potest modo. Cæterum verò imperitiæ vertendum non ipsi puto quod integras Anastasii Bibliothecarii de rebus Langobardorum Regum Ratchis, Aistulfi, & Desiderii enarrationes ad verbum adposuerit initio suæ Historiæ; nec quod Erchemperti ferè dimidiam ipsissimis verbis suæ pariter adtexuerit: namque id consueto tunc more, Zonaræ, Cedreno, Theophani, Paulo Diacono, Aimoino, aliisque scriptoribus notæ sanè melioris usurpato, commisisse potuit; quocirca in his non ampliùs immorabor.

VI. Tali igitur scientia, prudentiaque noster cùm haberetur excultus, Historiæ se dedit, non alio consilio, ut opinor, nisi, ut decursum jam olim Erchemperto stadium recurreret, & certè non majo-

majori intendens bono, quàm ut res patrias, vel ab Erchemperto omissas, vel nondum illo superstite actas, describeret, quod æquè ambitiosè, ac negligenter est exequutus. Is (& hoc etiam accedat ad ejus prudentiæ experimentum) Pauli Diac. ejusdemque Erchemperti consilium, qui silentio obvelari voluere Langobardici Regni excidium, vel non adsecutus, vel despicatus, nil penè, quod ex Anastasii libro mutuari, & è seniorum relatione expiscari valuit (alios Historicos nusquam inibi agnoscitur adhibuisse) prætereundum sibi duxit; ut sic, fortè, Erchemperti indiligentiam argueret, quem eandem Historiam retexendo æmulandum susceperat; magnumque operæpretium facturum se crediderat, si pleniorem de iisdem Regibus tradidisset descriptionem, quam quæ ab Erchemperto suæ olim haberetur præfixa; è qua, haud dubiè, agnoverat eorundem Regum gesta pleniora haberi in Romano Pontificali, hoc est in Anastasii Bibliothecarii libro de Vitis Romanorum Pontificum sibi, ut monui, ex parte exscripto. Propositum verò tale suum ipse non aperuit, qui initio operis nullo præloquio usus, postmodum cùm longè aberrantem ad se reduceret sermonem, loco præfatur non suo his verbis. Interim nunc generalis Historiæ revertamur ad tramitem, & omnimodo de Regibus obmittamus retexere; tantùm de Principibus, qui fuerunt in nostris videlicet partibus, partim quæ in hoc mundo gesserunt, partim de eorum audaciis, quibusve temporibus perdurarunt, huic compendioso subnecto sermoni. *Ut scilicet in hoc quoque Erchempertum æmularetur, qui peracta pariter Regum descriptione, præfatus fuerat; verumtamen ille id commiserat certè peritiùs, namque suam Historiam ab descriptione sejunxerat, exordio quoque usus pleno, & probo, nilque antedictis commisto.*

VII. Anonymus igitur noster Erchemperti vestigia secutus, assecutus tamen neutiquam est parem qualemcumque laudem; qui & in hoc pariter longè ab eodem constitisse comperitur, quòd sua in pangenda Historia non unius, alteriusque anni curriculum impendit, sicut conjicere me posse arbitror ex hoc, quòd ille eidem insistens, primùm Græci, postmodum Latini Imperatoris partibus adhæserit, sectatus scilicet post decursos aliquot annos Salernitani sui Principis, suæque Patriæ commutatos affectus; Princeps enim Gisulfus Orientis Imperatoribus, & signatè Nicephoro Phocæ, certè favit, contraque Othonem Magnum stetit. Idque tum ex ejusdem Anonymi Historia agnosco, in cujus postrema par. num. 3. habetur Othonem in anno ibi ad oram adnotato 968. millia damna, & oppressiones gessisse in Principatu Salernitano; (1) *tum ex Salernitanis Tabulis illius ævi, in quibus Græcorum Impp. nomina præfigi consueverunt. Sed Principatus ille ad obsequia tandem conversus certè est Othonis 2. cùm in anno 974. sicut ex Nota constabit ad eamdem postremam partem hujus Historiæ, cessit Principi Capuæ Pandulfo Caputferreo, & ejus filio Pandulfo pariter nuncupato, qui, eodem Anonymo adfirmante, Othoni addictissimus fuit. Procul igitur dubio Græcis tunc favens ille, dedit se Historiæ, in cujus initio, ut comperies, à Græcis quidem seductus nullum esse Occidentale Imperium pronunciavit, quod postmodum medio in opere, factione abjurata, & Othoni, Pandulfoque obsecundans, refutasse videtur, Apologeticam de hoc producens Epistolam Imperatoris Ludovici ad Imper. Basilium, quam ex hoc metipso Auctore reproduxit Baronius ad annum 871.*

VIII. Et quidem ille adusque tempora ejusdem Principis scriptione sua pervenit, quæ haud magna parte mutila obsidionis narratione clauditur à Pandulfo in urbem Salernitanam firmatæ; isque defectus, sive casu, sive consilio contigerit, non planè didici. Verumtamen hac opportunitate accepta Campanos omnes, unàque Salernitanos, ac Beneventanos monitos velim, si modò fas est mihi admonere, quos veneror, ac propenso animo colo, ut meminerint se maxima ex parte ex una, eademque Langobardorum gente fuisse progenitos, quæ pari virtute amplos Principatus, quos ipsamet instituerat, possederit; sique inter eos acciderit aliquando de primatu contendi, mente ipsi revolvant, animas verè magnas æmulatione non dissociari unquam, sed virtutem, quæ ab aliis possidetur, quamque adsequi student, seque in ea minùs valere non adsentirent, libero, & veriloquo extollere semper consuevisse sermone. Nec vetustæ propriæ dignitatis præjudicio vertant vicissim, quòd aliquando Capuâ Benevento, & Salerno: Salernum Capuæ: utrique Beneventum imperarit, quod negari nullo potest modo; etenim eorundem jura, quo ad hoc, inter se æquata exinde remansisse, explorata res est, opportuitque ut Campanus Principatus omnium novissimus priorum duorum obfuscaret gloriam, naturæ ordinem secutus, quæ recentiùs orta indesinenter facit validiora senescentibus. Sed redeo ad Anonymum.

IX. Qui peculiari obsequio novum Principem Pandulfum est veneratus, illi suam nuncupans Historiam; sicut indicat, quod adfixit ad finem ejus, Carmen eo loci exaratum in Scriptis Papp. Codicibus; idque non de altero Principe potest aptiùs interpretari, nec alteri, nisi eidem Anonymo deferri; siquidem ibi adseritur conscriptam Historiolam cuidam Principi ab Auctore donatam, quem Aristarchi immeritò suggillabant; ii scilicet, à quibus idem Anonymus, tum alibi, tum par. 3. 5. & postrema sibi timet. Commonstrari autem eodem in Carmine Principem, quem dico Pandulfum, qui Salerno tunc potiretur, Distichon illud probat.

,, Tempore præterito tellus divisa maligno
,, Unitur tuo ecce, tuente Deo.

Nullus enim alius Langobardus Princeps divisum olim in partes Principatum Beneventanum solus unquam possedit, nisi Pandulfus, qui dictus est Caputferreus, idemque Capuæ primùm, mox, defuncto fratre Landulfo, Beneventi (quod noster Anonymus tradit postrema parte num. 3.) tandemque Salerni extitit Princeps, cujus Principatus titulo cœpit uti in Æstate anni 978., filio Pandulfo interim ab anno 974. non post Octobrem eodem titulo, sed adoptione Principis Gisulfi, condecorato, ut constabit in ejusdem postremæ partis Nota. Sed horum trium Principatuum possessio ipso in Carmine satis est manifesta, tribus scilicet his urbibus inibi demonstratis; hoc est Capuæ proprio nomine: Benevento, & Salerno, quadam velut Perifrasi designatis. Mihi enim carmine illo.

,, Ticinum geminum, eheu, viduata manes.

non aliud sonat, nisi Beneventum, quod planè fuit alterum Ticinum, sicuti ejus ditio pariter dicta est Langobardia, *tum aliis, tum Græcis præsertim scriptoribus, Constantino Porphyrogennetæ libro de Adm. Imp. cap. 29. & Cedreno pluribus in locis; eademque mente Auctor Historiæ Miscellæ lib. 23. Cis-Alpinam Galliam* Langobardiam Majorem *dixit, ut scilicet ab hac Minori Cis-Tyberina illam discriminaret. Salerni verò nomen eo continetur versu.*

,, Gemmea nunc iterum exultas urbs cantibus ——

quæ

(1) Hinc est, quòd Eugenius Græcus Patritius *pacificè Salernum venit* &c. ut idem prodit Anon. Salern. P. 7. n. 4. Ibidemque Basilius Imperialis Protospatarius *fecit Chartulam Cassinens.* &c. Ostiens. L. 1. c. 59.

quæ urbs Opulenta *dici consuevit in Bullis, sive sigillis suorum* Principum, *quod in idem recurrit.*

X. *At si ex dictis inferre quis velit, non ultra Pandulfi Caputferrei ævum Historiam ab Anonymo perductam fuisse, non ego certè agnovi cur sic quoque rite existimari non possit; ille enim non alio vixit tempore, quàm nuper designato; quod tum dicendi quædam forma in extrema Historia sibi usurpata, qua de rebus agit, tanquam præsentibus, tum quod habet de nece Beneventani Principis Adelchis, qui tertius fuit à Principe Sicardo, manifesto declarat, è qua ad sua tempora centum decurrisse annos adfirmat. Atqui Adelchis ille à suis peremptus fuerat non post annum* 879. *Anno igitur advivebat, scriptionique incumbebat* 979. *Quibus adcedit, quod idemmet Anonymus meminit Radoaldi Abavi sui adviventis sub Principe Sicardo, à cujus morte ad obitum Pandulfi Caputferrei effluxere anni plus minus* 140. *quot, vel circiter effluxisse pariter oportuit, juxta Chronologorum ratiocinium subputando, à Radoaldo ad se decursas non plenè quinque ætates: Abavi, Proavi, Avi, Patris, & ipsiusmet Anonymi filii. Eruntque, fortè, qui huc pariter ducent, quod in Elen-* A *cho Regum Italiæ præfixo Scriptis Codicibus hujus Historiæ, continens illorum series perducta habeatur ad Imperatorem usque Othonem III., signatèque ad illius annum* 12., *qui incidit in annum Christi* 995. *atque eò usque existimabunt eundem Anonymum, vel vivendo, vel scribendo pervenisse, quippe qui idem vulgò reputetur illius Indicis auctor; Verùm id ego non certò adfirmabo, qui magis credo, Indices illos omnes, velut quædam Prolegomena, præfixos fuisse illis Opusculis in unam Langobardoum Historiam coagmentatis ab eodem illo librario, qui talem condiderat Analectam anno planè* 12. *Othonis III. decurrente; & quidem multoties illis Indicibus non convenit, nec Historia Erchemperti, nec hujus Anonymi Salernitani.* B *De quo satis.*

Si quis verò à me petet, cur subscriptas potiùs, quàm alias ejusdem Historiæ partes evulgaverim, videat is, quæso, an petitioni tunc suæ satisfecissem, quando non has, sed alias, nec tamen integram Historiam, edidissem; quam sanè provinciam ejusdem Anonymi civibus jure merito relinquendam putavi.

EX

EX HISTORIA PRINCIPUM LANGOBARDORUM

ANONYMI SALERNITANI

DEFLORATÆ PARTES SEPTEM

PARS I.

De expeditione Karoli Magni Regis Galliæ, ac postea Imperatoris in Arichim Principem Beneventi, & fœdere inito inter eos. Anno DCCLXXXVII. ante Pascha, ut constat ex Annalibus Regum Pipini, Caroli, & Ludovici.

De quibus habent pariter Eginhardus in Vita Caroli Magni, Annales editi à Pithoeo, Regino lib. 2. Aimoinus lib. 4. cap. 78. aliique.

I. ARichis, (1) de quo prædiximus, piissimus Princeps familiæ copiam, & equorum, varia indumenta, dapesque ei abundanter tribuit, atque in ejus Palatio commorari jussit, & crebrissimè de liberalibus disciplinis cum eo sermonizabatur. Cùmque de talibus, & Divinis scripturis invicem colloquerentur, insatiabili pectore ipse Princeps quæque gerebat. Et dum de fato Karolo sermo fuisset exortus, ipse Paulus inter alia verba talem sermonem nempe protulit. *Idem, de quo nunc prædiximus Karolus, quantùm illic conjicere valui, cum ingenti exercitu est super te venturus.* Quod ille quidem audiens, Beneventum, simulque & ejus filias muniens, secessit Salernum, quæ est valde munitissima, atque præclarissima, & opibus, dapibusque sufficienter abundat, & proinde eam ipse Princeps mirabiliter ampliavit, propter ejus tuitionem. Rex, de quo prædiximus, Karolus Gallorum, Saxonum, Alemannorum, simulque & Langobardorum, Burgundionumque validum movens exercitum, cum ingenti ira civitates Arichis subjectas invadere est conatus. Quod dudum Arichis audiens, nimis extremuit; in tantum ut muros jam dictæ civitatis in altum mirabiliter elevaret, & per fines Beneventanos suos Missos mittit, quatenus ad eum accersirent omnes præclarissimos Antistites. Qui cùm ad prædictum Principem Antistites properarent, eos in Sacro Palatio introduci jussit, & per semetipsum illuc gradiens, sicut mos erat ipsius, submisso vultu ab eis poposcit benedictionem. Qua peracta benedictione, ipse Princeps taliter prorupit in vocem. *Eja, Beatissimi Patres, ineamus consilium, qualiter è nostris finibus nefandum Karolum evellamus.* Et consilium fecerunt, quatenus iram suam sævissimam blandirentur. Tunc singuli Episcopi ciliciis sunt induti, humilibusque vehiculis, & asellis sunt superpositi, profecti sunt obviam ei. Cùmque simul carperent iter, nihil aliud, nisi orationibus vacabant. Dum Capuam properant ipsi jam fati Antistites, & statim Volturnum flumen celeriter transmearent, quidam homo eis dixit. *Bene veniant Domini mei, ubi pergitis?* At illi responsum reddiderunt, dicentes. *Ad magnum Regem Karolum cupimus properare.* Ipse homo eis dixit. *Videte, quia ipse cum suo exercitu in locum, qui Garilianus dicitur, applicuerat.* Illi quippe cum ingenti cursu illuc pervenire malebant. Sed jam eum in hac parte ferè XII. milliaria cum suo exercitu applicantem reperierant, & non procul ab ejus castris de asinis se ejecerunt, & singulis Clericis ante se, unusquisque cum (2) ferulis, incedere jusserunt. Quod cùm à longè ipse Rex talia cerneret, admiratus est valde. Cùmque à suis relatum fuisset, quòd Beneventani Episcopi essent, ipse Rex dixit. *Pro qua re adveniunt Beneventani Antistites, cùm ipsi suo Principi Coronam in capite jam detulerint?* Inter dicta verba Præsules ei approximavere, atque in faciem super terram se prostrarunt. Rex itaque, ut erat pius, bis, terque ut surgerent dixit. Cùmque cum pavore surrexissent, Rex taliter eos est allocutus. *Video Pastores sinè ovibus.* At illi acceptâ fiduciâ, talia verba prædixerunt. *Lupus venit, & dispersit oves.* Ipse Rex cum jurgio ait. *Quis est lupus?* Illi nihil metuentes, responderunt, dicentes. *Tu es ipse.* Piissimus Rex ut eorum vidit audaciam, dulcia verba eis depromit. *Licèt infelix, ex Sacra unda renatus sum, & à Christi nomine Christianus vocor, & signo Crucis sæpissime meum munio corpus, & vos pro qua re appellatis lupum?* Unus ei ex dictis Episcopis (3) David nomine, qui erat ex Beneventana urbe, sagaci relatione in hunc modum respondit. *Ne indigneris, Domine Imperator, si loquar. Non inferimus vestræ dignitati injuriam, si bestiæ vos comparemus, quia sicut lupus discerpit prædam, quam arripit, sic nimirum si fores venturus Dominus noster in Samnium, similiter ad instar lupi discerperes Christianorum corpora.* In quo Tractatu (4) introduxit planè personam Domini loquentis Imperatori: *Ego te*

(1) Prædixerat de Paulo Diacono Notario olim Regis Italiæ Desiderii, qui post sui Regis captivitatem à Carolo Magno ad Insulas Diomedeas relegatus, custodes elusit, & ad Princ. Arichim Desiderii generum se recepit.

(2) *Ferulæ.* sunt *Baculi Episcopales*, ut apud Reginonem lib. 2. ann. 964. aliosque.

(3) al. *Daus. Dans.* corruptè. Vide ad finem Tumuli Romualdi filii Principis Arichis.

(4) An Episcopi Tractatus, sive Sermo ad Carolum tunc extabat, ex quo ista Anonymus excerpsit?

te ex ultimis Imperatorem feci: ego tibi exercitum inimici tui tradidi: ego tibi copias, quas ille adversùs te exercitu suo præparaverat, dedi: ego inimicum tuum in potestatem tuam redegi: ego de semine tuo super solium Regni tui constitui: ego te triumphatorem sinè labore feci: & tu de meis fidelibus, quos olim de meo sanguine acquisivi, triumphare cupis?

II. Imperator interea, (1) cùm se sagaci ratione superatum cerneret, & aditum evadendi minimè inveniret, excusationem ei inferre molitus est, annectens. *Cœptum iter linquere quomodo valeo, qui jusjurandum nuper asserui: Nisi sceptro, quod manu gesto, Arichis percutiam pectus, vivere nolo?* Quidam Episcopus Salernitanus, cui nomen Rodopertus fuit. *Audi me, benignissime Imperator: ipse Tetrarcha Herodes, qui tunc Judaico populo præerat, quando ad mensam ebriosus cum suis Satellitibus recumbebat, introducta suá privigná saltando ei complacuit. Die itaque illa per jusjurandum pollicitus fuerat Herodes dare eidem puellæ quidquid postulasset: numquid non fuerat melius juramentum spernere, quàm ut caput Sancti Joannis abscinderet?* Ad hæc Imperator. *Nempe melius.* Idem Episcopus. *Et si melius, quomodo eum imitari malis, Rex.* Imperator tranquillo animo. *Quid faciam exinde evidentiùs, seriatimque mihi celeriùs pande?* Cui omnes Episcopi dixerunt. *Faciemus, ut ipsum sacramentum perficias sinè ulla damnificatione, & Arichim vestræ Ditioni sistere faciemus, ut quæ Deo vovisti, in ipso perficias.* Nec dum verba ipsi Antistites adhuc expleverant, ipse Rex obvius quippe, & cum magna alacritate eis effatus est. *Ut dixistis perficiam, quia dum nunc ex ore vestro sermo processit, ita gaudio sum repletus, ut præsente me * subitò renovatum.* His dictis, statim exinde sunt moti, atque simul gradientes pervenerunt (2) ad quandam Ecclesiam, quæ non procul à Capua urbe sita erat. At ipsi Episcopi. *Hac quidem nocte, Domine Imperator, hic quiescamus, & crastina die quod diximus dudum vestræ Ditioni, adimplebimus.* Tunc magis, magisque est lætatus, putans adipiscere quod concupierat. His dictis diei jam fuerat cursus expletus. Postera namque die surgens idem Rex, ad se jussit Antistites vocari; cùmque vocati venissent, benignè accipiens, blandis eos sermonibus alloquens, ait. *Quod usque nunc quippe spondistis, celeriùs ad finem usque perducite.* Statim illi dixerunt. *Sequetur nos Dominus noster, & nunc, quod desiderat, ostendemus.* Confidenter illico de Throno, in quo residebat, exiliens, cum ipsis pariter properabat. Ipsi denique jam sæpe fati Episcopi in quadam Ecclesia sub vocabulo Sancti Protomartyris Stephani eum perduxerunt, atque ut illuc introgrederetur, efflagitabant. Cùmque Ecclesiam cum ipsis pariter ipse cum suis Proceribus aliquantis ingressi fuissent, veniam, ut mos erat, ei à Domino poposcebant. Oratione completa, conversus ad Episcopos dixit. *Quod jam planè prædictæ Eminentiæ nostræ promisistis, nunc demonstrate*; asserens, quòd Arichis, de quo nuper diximus, *inter omnes meos Optimates Magnatem illum habebo, & honorem à parte nostræ potestatis obtinendum tribuo: Unum est quod quæro, ut armiger meus unus miliarius fiat.* Denique ipsi Episcopi cum magno pavore ingentem effigiem Arichis in angulo ipsius Ecclesiæ depictam ostenderunt. Itaque aversa facie Rex cum ingenti ira taliter prorupit in vocem. *Vos ne estis, qui usque nunc illusionem, simulque & ironiam de me gessistis? jam non sinam facere: tantùm quod dixistis perficite; sin autem in exilium vos in Galliam mittam.* At illi perterriti, sed tamen fisi in Domino, dixerunt. *Quod Dignitati vestræ nuper promisimus, simulque nimirum implevimus. Minas tuas non pavemus: fac quod facturus es. Non dicimus in Galliam, sed si velis, nos mitte in Africam.* Isdem Rex dixit. *Lutum mihi spondistis ostendere, aut formam hominis? aut colores varios?* Ad quod responderunt. (3) *Ne irascaris, Domine Imperator*; nam sic eum vocitabant omnes, qui aderant & famuli sui, qui pretiosam coronam in suo prorsus capite gerebat. Imperator quippe omnimodo non dici potest, nisi qui in Regno Romano præest: hoc est Constantinopolitano: Reges Gallorum nunc usurparunt sibi tale nomen, nam antiquitus omnimodo sic non vocitabantur. Interim ad Historiæ ordinem redeamus: ad verbum, quod supra quippe inchoavimus. *Arichis non est lutum? Numquid non dicitur in Genesi?* (4) *Creavit Deus hominem de limo terræ. Numquid non est venturus post carnem vermis? post vermem pulvis? Tamen si placet, ut diximus, in formam eius, hoc est in picturam ejus, quod Deo vovisti adimple; nam propriam ejus effigiem omnimodo non videbis, nisi in examinis die.* (5) Cùmque Rex ex omni parte se superatum cerneret, cum ingenti ira super illam imaginem venit, & sceptro, quod manu gerebat, illius imaginem percutiens, pectus, coronam, quam in capite depictam gerebat, disrumpere fecit; addens. *Hoc, hoc sic eveniat homini, qui super se ponit, quod ei licitum non est.* Tunc prostrati Episcopi in faciem super terram, eum adoraverunt, adjicientes, ut pacem inibi pariter firmarent. Ipse Rex benignissimus audiens admonitionem tantorum Patrum, firmavit, pacem iniens, atque in scripto fœderis pactum affirmans inter Beneventanos, & Francos, & obsides Beneventanorum, simulque & Grimoalt Arichis filium idem Rex Francorum fecit auferri. Cùmque talia patrassent, ad invicem sunt sequestrati. Episcopi arva repedaverunt sua, & ipse Rex cum suo exercitu reversus est itinere, quo venerat. Tamen unum eminentissimum ex suis Proceribus Salernum misit, quatenus fœdera pacis firmarent, & obsides, ut jam diximus, ab ipso Arichis Principe acciperet.

Et post nonnulla.

III. Enodare autem fidelibus volo, qualiter omnipotens Deus antequam *Arichis* ad dignitatem perveniret principalem, ei ostendit, qualiter honorem, vigoremque ei redderet; nam quadam die dum cum suo Principe *Luitprando*

in

(1) Carolus coronatus est Imperator anno 800. Anachronismus est annorum 13. Salernitano tamen imposuit Erchemper. num. 2. qui hujus adventus tempore Carolum dixit *Cæsarem*.

(2) An ad Ecclesiam, quæ à nomine Pagi dicta est *S. Maria Suricorum*? Certè tunc erat, & dicebatur. *Capuæ corpus*, exigua pars antiquæ urbis ab Ecclesia seposita: post enim Vandalorum incendia haud continentibus domiciliis ejus amplitudo fuit frequentata. Cæterum confer. Falc. Benev. extr. p. 324.

(3) Tace nugator; Tu autem, Lector, Vide Baron. ad ann. 800. Bellarm. de Translat. Imperii. Et judicium meum de hoc Auct. num. 7.

(4) *Gen. c. 2.*

(5) *Arichis imperata facturum Carolo pollicetur, præter hoc solum, si ipse ad conspectum venire non cogeretur.* Eginh. in V. Caroli M. ad verbum. Talem verò imaginem is miserat suscepto Principatu, ex more Impp. quæ post solemnes adclamationes in Eccles. actas fuerat ibid. in locata. Confer. S. Gregor. Magn. in Epi. lib. 11. init. & Paul. Diac. lib. 6. cap. 11. sive 33.

in Ecclesia B. Protomartyris Stephani, quæ sita est in veterrima urbe Capuæ ab Imperatore Helenæ filio Constantino, eamque in honorem omnium Apostolorum dedicari decrevit, licèt postea à Beatissimo Germano ejusdem Episcopo urbis (1) collatur ab Imperatore reliquias B. Protomartyris Stephani, nec non & B. Agathæ Virginis, proinde eam in honorem Protomartyris Stephani vocari jussit; & ut diximus, dum in eadem Ecclesia, Langobardorum sicuti mos est, cum pugionibus accincti altrinsecus introissent, & unusquisque dum indesinenter oraret, sic ille adolescens Arichis. (2) *Miserere mei Deus*, labiis impressis canere cœpit: dum venisset, ubi dicitur, *Spiritu principali confirma me*. Illico spata illius contremuit, ac si quilibet illam (3) concuteret. Ille verò, oratione completa, cum pavore seriatim suis collectaneis enodavit. Unus ex his, qui erat sapientior cæteris, talem sermonem erupit. *De hac instabili vita minimè es, quantùm mihi videtur, processurus, antequam ad dignitatem Principalem Dominus te perducat*. Quod postea, annuente Deo, ad tutelam Langobardorum probavit eventus. Dum Dux nomine (4) Liviprandus fuisset extinctus, unà omnes Arichisium Principem acclamabant; quapropter Principalem dignitatem honorificè illum asciverunt; nam non, ut assolent plurimi, per pecuniam, & per pollicitationes opprimere (5) in mirum honorem, sed cunctis uno agmine coacti, licèt non à se, sed ab illo, qui dixit. (6) *Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio illorum*: illum Principem sublimarunt.

Notæ in Num. III. Partis I.

Anonymi Salernitani.

ANonymus noster hoc postremo numero videtur adfirmare Constantinum Magnum dicare voluisse omnibus Apostolis Basilicam à se Capuæ constructam; sed propositum non perfecisse suum: illam verò S. Germanum ejusdem urbis Episcopum reliquiis consecrasse S. Protomartyris Stephani, conlatis sibi ab eodemmet Imperatore. Quas adsertiones à comperta horum gestorum veritate valde alienas brevissimis Notatiunculis, ac sub ipso festinante prælo refellere est visum; sciasque, Lector, Anonymi narrationem in scriptis Papp. Codd. haberi qualem repræsentavi: etsi aliter ab aliis edita fuerit.

In honorem omnium Apostolorum] *Communis hac etiam ætate ea est opinio, sed magìs placet (do verba Anastasii Bibl. in Silvestro primo)* Constantinum fecisse intra urbem Capuam Basilicam Apostolorum: *hoc est Apostolis Petro, & Paulo illam exstruxisse, quibus singulis Romæ amplissima exædificaverat idem Imperator templa. Sanè indefinito Apostolorum nomine non omnes semper venire consuevere duodecim Christi Salvatoris Principes ministri. Exemplum succurrit apud Ennodium Dictione 2. aliis Oratione 6. quæ recitata est, ut Titulus antiquus manifestat*, in Dedicatione Basilicæ Apostolorum, ubi Templum fuit Idolorum. *De cujus sanctificatione Auctor sic habet*. Christus ingressus est, respiciamus quibus fultus auxiliis. Venerunt cum eo Cœlorum radii, Apostolorum diademata, Petrus, & Paulus, qui &c. *En Basilica Apostolorum, consecrata non omnium est adventu, sed Petri, & Pauli dumtaxat*.

Dedicare decrevit] *Ex [illegible] fuit Constantino eam dicare Apostolis, qui re non complevit. At Ecclesiam Imperator à se denominavit* Constantinianam, *multiplicique suppellectili ad usus sacros, ac* Massis, & Possessionibus, *hoc est Fundis, largè donavit, si prædicto est fides Anastasio. Quid igitur dicatio mox non est secuta; quam differre nefas erat, more ne dum Ethnicorum, quem observo apud Plinium lib. 4. Epist. 1., sed Christianorum, si rite verba S. Paulini Nolani capio?* Propterea (*ait ille Epist. 12.*) & horum versiculos adjiciendos putavi, quos illi in hoc oppido dedicandæ Basilicæ paravimus; nam adhuc in opere est; sed, propitio Deo, dedicationi propinqua. *Perfectionem operis, & dicationem unà conjunxit vir Sanctus*.

Collatur ab Imperatore reliquias] *Sic unus Papyraceus Codex notæ melioris. Alter*. Collatas ab Imperatore reliquias. *Selige quam vis lectionem, dicet ab Imperatore, quem prædixerat, donatas reliquias S. Germano. Hem quàm fœdum, nec unum erratum. Sanctus ille Episcopus D. Benedicto notus, & coævus, duobus integris seculis posterior fuit Mag. Constantino; quo vivente dispertitæ reliquiæ S. Protomartyris in Italia nullæ: immo nullibi, corpore nondum revelato. Accepit (consentiam) Germanus illas ab Imperatore, sed Justino seniore, ad quem missus fuit princeps claræ legationis à Romano Pontifice Hormisda; tuncque S. Protomartyris nomen, clarescentibus signis ex uno ejus passionis lapide apud Anconitanos exculto, religiosissimè apud Italos venerabatur; quam reliquiarum donationem cùm Anonymus noster ex minus proba vulgi relatione accepisset, vel mente sua perturbasset, nil curavit, sive alienam, sive suam desipientiam ad Lydium authenticorum scriptorum lapidem probare; qua negligentia pluries eum laborasse satis, superque constat. Sed esto voluerit ille non ab Constantino, sed ab innominato ibi Imperatore S. Germanum reliquiis donatum; ejus tamen dicto adsentiar ne ego, Ecclesiamque à Magno illo constructam, ac largè donatam, indedicatam remansisse credam ad S. Episcopi tempora: hoc est ad integros annos biscentum? Certè mens Anonymi, nisi illa prior, haud alia ab hac fuit*.

Proinde eam in honorem Protomartyris Stephani vocari jussit.] *Idem jussit Constantinus, de quo dixerat*. Dedicari decrevit. *Sed his non ampliùs sisto. Verba illa observo*. Proinde eam &c. *quæ indicant mihi priscum sacrum morem dicandi Ecclesias adhibitis eorundem Sanctorum reliquiis, quorum nominibus adpellandæ fuissent, iisdemque curatis ab eodem auctore constructionis, qui cætera quoque omnia solemnitatem condecentia suppeditabat; de quibus alibi est mihi dictum. Idque institutum, ut reor, sive Anonymum nostrum, sive enarratæ fabellæ impostorem in opinionem induxit, ut alteruter putaverit Constantinianam Capuæ Ecclesiam non adsecutam decretum nomen Apostolorum; quoniam scilicet Apostolorum omnium reliquias crediderit, haud præsto fuisse Constantino, qui earum vice tradiderit alias* S. Protomartyris Stephani, & PROINDE eam in illius honorem vocari JUSSIT. *At Apostolorum indefinito nomine, jam dictum est, solos quandoque venire Apostolorum Principes, quorum Sacris Lipsanis certè Constantiniana illa sub ipso Constantino est dicata. Anonymi igitur adsertiones ablegentur, qui anilibus fabellis fidem incautus præstans, veritus quoque non est adserere, desumptum fuisse vaticinium de Principatu*

(1) al. *collatas*.
(2) Psalm. 50.
(3) al. *concuteret*.
(4) Sic habet. al. *Lintprandus*.
(5) al. *nimirum*.
(6) Matth. c. 18.

cipatu Arichis ex verbis Psalmi 50. pessimè interpretatis, tum quoad Psaltæ mentem, tum quoad dignitatem Dynastarum Beneventanæ Provinciæ; qui tunc Titulo Principatus non adhuc uti cœperant, cùm Luitprandus imperabat. Verumtamen si me audis, Constantiniana Capuæ Ecclesia nulla fuit alia, nisi quam modò dicunt. Divi Petri ad Corpus, in locis sitam vetustæ Capuæ. Sed de his alibi.

PARS II.

In qua adnotatur quid egerit Princeps Sico, quando Neapolim obsedit. Quid cum Campanis, qui Sicopolim castrum, sive urbem construxerunt. Quid erga suos Optimates civili simultate inter se rixantes.

I. Sico Princeps, de quo præmisimus exercitus sui copias adunari jussit, atque magno apparatu Neapolim properavit, & eam undique constrinxit, & incendiis eam à foris scilicet denudavit; quam & obsidens aliquanto tempore, viriliter cum Beneventanorum exercitu constrinxit. Tunc Ursus Electus prædictum Siconem jam fatum Principem deprecatus est, ut etiam ampliùs malum non perveniret, neque sanguis effunderetur Christianorum. Ad hæc Sico Langobardorum Princeps admonitionem prædicti Electi audiens, destitit, & pacem inientes, atque in scripto Pactum affirmantes inter Neapolitanos, & Langobardos, & obsides Neapolitanos idem Princeps abstulit. Spopondit ipse Neapolitanorum Dux cum universis suis hominibus sub terribili, fortissimoque sacramento, atque in ejusdem Pacti fœdere perscriptam paginam affirmavit se daturum illico omni anno tributum, quod inter eos statutum fuit, atque suis numismatibus ad ipsam civitatem pro mercimoniis graderent, (1) & ipse Princeps Sico Januarii Sancti Martyris corpus de Basilica, ubi per longa temporum spatia requievit, elevans, cum magno tripudio Beneventum regreditur.

II. Hac denique tempestate (2) Landus Capuanus Comes unà cum Episcopo Landulfo suo germano, cæterisque aliis Capuanis per jussionem jam dicti Principis Civitatem in Monte, qui (3) Trifiliscus dicitur, construxerunt. Sed cùm ad finem usque perducta fuisset, prædictus Landus Comes, & non pauci Capuani cum suo Landulfo Episcopo Beneventum venerunt, utque ipse Princeps cum non paucis suis Proceribus Capuam properarent, vehementer efflagitaverunt. Ipse Princeps eorum precibus annuit, atque cum suis pariter Proceribus, nec non & fidelibus (4) cuneatim Capuam gradierunt. Dum constructam, ut diximus, novam civitatem adiissent, conversus ad suos hujusmodi verba depromit. *Dicite*, inquit, *mei fideles, meique optimates, quo nomine istam civitatem nimirum vocamus?* Ad quod responderunt. *Hoc tuum est dicere, Domine*. Princeps ait. *Sicopolim eam appellamus*. Quibus unus ex Langobardis taliter verba depromit. *Non Sicopolim, sed* (5) *Rebellopolim eam vocitemus*. At Princeps irâ conversus ad illum, promit tunc talia verba. *Pro qua re talia ausus es promere?* Inquit. *Quia subditos habere minimè illos jam valemus, nisi consanguinitates pariter cum illis ineamus*. At Princeps conversus ad suos, exinde qualiter ageret à suis fidelibus expiavit. Illi vero ore effarunt, adiiciente. *Nos pariter cum ipsis vicissim jungamus connubia, & sic obtinere erga nos illos prorsus valemus*. Ab illo denique tempore inter se Capuani videlicet, Beneventanique invicem consanguinitatem junxerunt.

III. Rofrit unde mentionem superiùs fecimus, validum cum Azone conflictum habebat, & crebrissimè inter se consurgebant, sicuti mos est Prælatis omnibus. Sed ipse Princeps à foris inter eos dulcia verba promebat, & de intus verò ut rixam inter se reiterarent gratulabatur, ut ipse eos atterere nimirum valeret.

Nota in Num. II. Partis II.

Anonymi Salernitani.

Præsentem quoque Notam à servato mihi hactenus more alienam imperitus Anonymus iste extorquet, ne Lector offendas, qui hic leges à Landone Comite, & Landulfo Episcopo fratribus constructam Sicopolim in Trifisco monte tempore Principis Siconis, quos clara res est, ipseque adsentitur Anonymus in altera parte suæ Historiæ non adhuc edita, Capuam ad Volturnum tricesimum circiter post annum junctim exædificasse, defuncto Landulfo patre, sub quo Sicopolis oportet contigisse Encænia, sicut dixi in Chronologia Comitum Capuæ num. 1. Sique Chronici illius Auctor, & ex eo Ostiensis lib. 1. cap. 30. Sicopolim constructam innuunt anno 840. id explanatione excipiendum est à me ibi indicata. Et sanè idem Anonymus dictum modò Landulfum seniorem bene novit, inque ea parte suæ Historiæ huic immediatè subnectenda congruo tempori ejus ætatem figit; ita ut manifestò inde agnosci possit, illum probè rem tradidisse, sed constructorum nomina malè consignasse, imperitiæ culpâ, qua laborat, tum alibi sæpe, tum de Monacho agens Carolomanno, quem à Carolo Magno non discrevit, istumque Monachum induisse pronunciavit. Cæterùm quod ille hoc eodem tradit loco de initis invicem nuptiis inter Campanos, ac Beneventanos, congruit ejus dicto, quo adserit huic Comiti Landulfo filiam Rofrit magni Proceris Beneventani matrimonio extitisse conjunctam, matremque Principis Atenulfi filiam (6) fuisse alterius Proceris ejusdem urbis, nomine Potelfrit, qui frater fuerat modò dicti Rofrit.

PARS III.

Qua describitur quo pacto Princeps Radelchis perimi mandavit insidiantem sibi Adelchim. Quibusque fautoribus adversum se firmatus fuerit Siconulfus in honore Principatus.

I. Adelchisi Rofrit filius apud Beneventum omni modo satagebat forsitan aliquo modo Principalem honorem invaderet, & suus cognatus Landulfus Comes Capuanus exinde eum

(1) Ostiensis lib. 1. cap. 19. ista produxit ex hac, quam ibi indicat Historia, & Erchemperto adtribuit. Vide me ad hunc Anonym. Saler. p. 156.
(2) al. *Lando*. Sed vide hic ad finem.
(3) Ostiensis lib. 1. c. 33. prior. edit. *Trifiscus* cap. 30. secundæ edit. *Trifliscus*.
(4) al. *unitim*.
(5) al. *Revellopolim*.

(6) Filiam Rofrit conjugem statuo Landulfi, cognatus qui fuit Adelchisi, filii ejusdem Rofrit. At si Adelchisum dicas, uxorem duxisse sororem Landulfi, ac perinde ejus fuisse cognatum, libens etiam consentirem: quippe hoc pacto convenientiùs Landulfi filius Landonulfus filiæ postea nupsisset, Potelfridi fratris hujus Rofrit.

eum omnimodo adjuvabat. Factum est una die ipse Adelchisi dum Balneum perrexisset, atque cum non paucis sui coëtaneis juvenibus Palatium adiisset. Cùm eos cuneatim per Palatium Princeps Radelchisi conspiceret, valde iratus est, atque cum sævitia talia fertur verba promisse, inquiens ad suos. *Protinus gradite, eumque citiùs comprehendite, moxque per fenestras Palatii foràs dimittite, quatenus lapsus ex alto sinè mora intereat.* Cùm verò sui familiares talia fecissent, atque jam dictus Landulfus talia cernisset, excusationem mox intulit; inquit. *Subitaneus dolor præcordia mea nimirum invasit*; atque curvus per Palatium gradiens, quasi minimè rectè ambulare valeret, sic usque ad suam pervênit domum; moxque ascenso equo cum non paucis suis fidelibus Capuam properavit: ajebat quippe. *Nequaquam sinat me D us habitare in urbe, unde de alto homines præcipitantur.*

II. Siconolfus dum talia audisset; statim (1) Landulfo intimandum direxit, quatenus cum ipso pacem iniret. Ille verò, ut talia audivit, valde gavisus est, atque ei in responsis omnem voluntatem scilicet adimplevit. Idipsum Acherentiam, Consamque intimandum misit, quatenus suus Cognatus Ursus, qui præerat Consanis, nec non suus alius cognatus Radelmundus, qui & illo tempore Acherentinis præerat, venirent, & eum ad obtinendum Salernitanum Principatum omnimodo adjuvarent. Illi talia audientes, magno gaudio sunt exinde repleti; moxque cum suis Salernum venerunt, & Principi Siconulfo jusjurandum jurarunt. Ut talia Radelchisi Beneventanus Princeps comperit, nimiùm iratus est, omnesque Beneventani furore repleti sunt, nec non & ad bellum sunt præparati, annectentes. *Nituntur nobis jugum imponere, & cervicibus nostris: pugnemus, qualiter colla atterere valeamus: nostri denique incolæ adversùs nos consurgere autumant.* (2) Vereor ne à quodam Sophista reprehensionem habeamus. Incolæ, sive advenæ utique adventicii perhibentur, quæ cuncta ex vocabulo Græco, quod est (3) *benicon.* in Sacris literis habemus interpretata. Ex his derivantur nomina, incolatus, & inquilinatus, trahit autem inquilinus, sicut & peregrinus nonnunquam Dativum casum, ut (4) Augustinus de reprobis. *Sunt autem & ipsi peregrini, & inquilini, non huic terræ, sed Populo Dei, à quo sunt alienigenæ.* Hæc me dixisse sufficiat: nunc quæ obmisimus, delicatiùs perquiramus.

PARS IV.

Qua describitur quo pacto Sabbatitius Græci Imp. Leonis VI. Patricius obtinuit Beneventanum Principatum anno DCCCLXXXXI. Alterque Georgius Patricius voluit Salernitanam pariter urbem invadere, sed nequivit. Adeptam autem urbem, & regionem Beneventanam paulò post amisit: Guidone Duce Spoletii auctore. Qui Guaimario Principi Salerni contradere illam disposuerat, veruntamen Radelchi priori Principi restituit.

I. AJo prædictus Princeps dum tenuisset Principatum Beneventanum annis VI. & Urso filio ejus unà cum ipso anno uno, (5) Sabbatitius Stratigo per idem tempus cum valida manu Beneventum venit, & undique tentoria non procul à dicta urbe figere jussit, quia minimè Guidonis adventum metuebat. Cùmque præfatam urbem undique coarctarent, & diversis machinis omni conamine expugnarent, Beneventani deintus omni modo resistebant; & licèt non in patulo, tamen furtim mœnia urbis exiebant, undique Argivorum prostrabant catervas; sed dum à III. Id. Julii prædictam urbem diversis telis expugnassent, & Beneventani fortiter restitissent, præsertim quòd jam multos Græcos laniassent, callidus ille Stratigo cernens Langobardorum duram cervicem, mollia verba promere est exorsus, quatenus per pacem urbem ingredi mereretur; Beneventani namque, qui semper nimirum fuerunt sagacissimi, & robustissimi, dum viderent tempus non esse, quatenus Græcis resisterent, & copias non haberent, unde exercitus coadunarent, ut palàm cum Græcis certamen inirent, inter se consilio habito, Græcorum phalangem pacificè Beneventum introduxerunt, quia jam eam undique obsederant, ut diximus, à III. Id. Julii usque ad XV. Kal. Novembris. (6) Sed dum prædictam urbem Græci dominarentur, & licèt dona plurima Langobardi haberent, illi tamen valde etenim durum gerebant de moribus Græcorum.

II. Factum est autem, ut Princeps Salerni Guaimarius duos suos subditos propter scelus, quod commiserant, acriter cædere jusserat, at illi confusionem ferre non valentes, propriam liquerunt urbem; Beneventum properarunt, atque diu ibidem morarunt. Cùmque duobus annis (7) Sabbatitius degeret Beneventum per subjectionem Augustorum, Beneventum deseruit, Regiamque adeptus est urbem; & quidam Georgius Beneventum directus est. Sed dum & ille Langobardos donis augeret, atque nimirum omnimodo altrinsecus honoraret, illi verò omnia pro nihilo ducebant.

III. Jam fati Salernitani, qui Benevento exiliati degebant, ad Georgium Patricium clanculo perrexerunt, & in hunc modum verba prompserunt. *Quid dabitis nobis, si nos munitam Salernitanam urbem sub vestra ditione committimus?* Ad hæc Patricius cum magno gaudio plurima, & præcipua dona promittebat. Illi verò subjunxerunt. *Statue diem, qua illuc cum magno exercitu pergamus, quia nos incunctanter promittimus illius civitatis fores esse patefacturos.* Ille Patricius, ut auribus auxisset, valde gavisus est, atque ut id fieret omnimodo gratulabatur, & sinè mora per Calabriæ, Apuliæque fines misit, & exercitus coadunavit, faciens famam, ut super Agarenos, qui illo tempore in Gareliano degebant, ex improviso irrueret. Intempesta noctis quando fessi gravi sopore opprimuntur, dictus ille Patricius cum magno apparatu Salernum venit, licèt Beneventani cum eo misti venerunt. Sed dum non procul mœnia properarunt, illi verò exiliati fores urbis properarunt, & arte, qua poterant, Portas patefecerunt, & ociùs Patricio Georgio promulgarunt; ille namque valde sese perturbavit, atque idipsum unum ex suis ad explorandam urbem iterum misit; sed dum & ille eadem verba retulisset, sagacissimus ille Præsul Pe-

(1) Vide Erchemper. num. 15. Ignot. Cassin. num. 8. Ostiens. lib. 1. cap. 23. & 24. & sup.
(2) Rigordus in Præfat. de Filippo Rege pari modò elocutionis suæ formam tuetur.
(3) Ita Papp. Codd.

(4) D. Aug. in Psal. 118. concione 8. agens de Infidelibus.
(5) Aliis dicitur. *Simbaticius. Sabbatichi. Sabbaticius.*
(6) ann. 891.
(7) Vide Chronol. Principum Beneventi par. 2.

Petrus, qui in Sanctam Beneventanam Sedem illo tempore præerat, hujusmodi verba exorsus est. *Pro qua re nos fatigasti, & minimè nobis, quæ clam in pectore gerebas, enodasti? Pro certo scitote, quia si hanc urbem furtim ingredimur, omnes ibidem pariter periemus; & dum tripudiare satagis, veremur ne veniat detrimentum*. Dum hæc, & his similia Præsul prædictus verba repeteret, idipsum & Beneventani exinde inter se susurrarent, (1) Patricius ille nefandissimus ictu percussus, cæterique Argivi in fugam conversi sunt. De civitate verò omnimodo nil quæ Græci gesserant, compererunt. Illi verò conductores malorum, qui fuerant orti ex Vico, cui Sarranianus nomen est, dum superati essent, per eundem Vicum perrexerunt, uxores, liberosque, suppellectilemque secum gestantes, Beneventi fines abierunt. Sed dum Græci, Beneventanique cuneatim, ut diximus, graderent Beneventum, quotquot ex Salernitanis in itinere reperiebant, nimirum comprehendebant, secumque pariter conducebant; quia metuebant, ne civibus occultam rem panderent, ne, fortè, Salernitani, illos subsequerentur. Igitur dum inter eos comprehendisset virum quendam, Adelpertum nomine, & Joannem, qui dicebatur Andreæ Abbate; & dum simul graderent, Adelpertus ille fugam iniit; Sed antequam ille civitatem fuisset ingressus, Trafelpoti filius Petrus Diaconus ante Nocturnum Ecclesiam pergebat; sed dum valvas civitatis adiisset, patefactas conspexit, unde miratus est valde; quapropter veloci cursu domum Rodoaldi Sculdais perrexit, atque vocem magnam emisit. Inquit. *Tu ne es Rodoalt, qui fores patefacere intempesta noctis fieri jussisti?* At ille insolito clamore perturbatus est, annectens. *Clavis penes me habeo: ocyùs illuc pergamus*. Sed dum fores patulas, & seras confractas cernerent, prædicto Principi indicare studerunt. At ille furibundus indignari cœpit, sed nequibat certam rem exinde reperire. Cùmque in tali re territi perdurarent, tandem illucescente Sole, Adelpertus urbem ingressus est; statimque Palatium adiit, & quæ viderat seriatim Principi aperuit, & adjecit: *Joannem Andreæ Abbatis inter eos conspexi*. At Princeps ait. *Fraude legatus ille Græcos huc adduxit*. Inter dicta verba Joannes jam fatus urbem & ipse ingressus est, quia dum Græci suos fines repetissent, quos comprehenderant, reliquerunt. Cùmque acriter fuisset ipse Joannes injuriatus ab ipso Principe, ille, quamvis territus, ordinatim omnia Principi promulgavit; quapropter exinde satisfationem recepit. Atenulfus sæpe dictus adinstar arundinis se gerebat, nam pacem cum Athanasio, interdum cum Guaimario, plerumque cum Græcis iniebat, & qui prævalebat, illi fidem servabat.

IV. Beneventani clam consilium inter se inierunt, quatenus se à nexione Argivorum eriperent, & qui præesse cæteris gentibus soliti erant, ad tempus quasi subesse se videbantur, fremebant, eam Guaimario Principi Epistolam ibi in hunc modum miserunt. *Cum omni conamine, omnique nisu satagite, ut nos ab oppressione Argivorum eripiatis; quia dum nos sub illorum ditione degimus, vos, qui sanguineo * modo probaris, minimè gloriosi persistitis. Tantùm vos arctiùs exoramus, ut Guidoni cognato vestro legationem dirigatis, ut citiùs cum magno exercitu, quasi sororem suam, vestramque conjugem visitaturus veniat; & quomodo vos scire faciemus, sic in antea peragite*. Statim ille Princeps strenuissimos aliquantos viros suos misit, ut quæ supra retulimus Marchioni Guidoni seriatim enodarent, & adjecit. *Quia si Divinitas abesset, me, meamque conjugem, vestramque sororem, meumque subjectum Populum à Græcis captos fuisse*. Dum hujuscemodi verba captasset, depositâ omni sævitiâ, illico cum valido exercitu Salernum venit, gaudium patriæ, suæque sorori dicto nomine dedit. Cùm verò à foris mœnia Guido jam dictus unà cum Principe devenirent, altrinsecus inter se luxuriarent, Guido ille Marchio incredibilem causam peregit; nam sellam, super quam equitabat, staffamque * solitam ponebat, pedemque, super solitum firmabat, & huc, atque illuc discurrebat, equumque validè reventabat, & de suo pede minimè diffidebat. Dictis finem demus, & quæ mirabiliter gesserunt omnimodo indagemus.

V. Dictus Guido unà cum suis cuneatim Beneventum gradierunt. At Græci, & Beneventani, licèt fictè, omnimodo resistebant; mœnia civitatis minimè Beneventani ascendere audebant, quia Græci Turres, Mœniaque possidebant. Georgius ille undique se arctatum cernens, eminentiores prædictæ urbis ad se fecit adscire, & tunc promit talia dicta. (2) *Viriliter agite, atque hostes omnimodo expugnate, quia dum in gestis vestris agnovimus, patres vestri undique Imperatoris Constantinopolitani populo inferebant clades*. Ad hæc Beneventani dedere responsum. *Urbem hanc illo tempore patres nostri possidebant, & Turres, & Mœnia, aditumque civitatis ipsi observabant. Dum foràs contra suos æmulos audaci animo properabant, adversos prosternebant, & ovanter propria revertebantur*. Idem Georgius. *Turrim unam, aditumque civitatis, qualem vobis comparet, eligite, vestrumque populum munite, & seras, & fores vos tenete, & æmulorum catervam, Deo prævio, vehementer atterite*. At illi unà omnes dixerunt. *Collata nobis potestate, tunc videtis quomodo ab hostibus potenter denique, auctore Deo, liberamus*. His dictis, loricas unusquisque se induit, galeâque omnis se munivit, & contra æmulos, qui videbantur, alacri marte exierunt. At Guidonius exercitus omnimodo ad bellum sunt præparati: sed dum utraque acies approximassent, Beneventani clam verba dixerunt, ut dum illi civitatem abirent, cum immani stridore, & ipsi civitatem introirent, quod & factum est. Nefandissimus ille Patritius cernens se delusum, veniam poposcebat, quam adeptus est; nam quinque millia aureos dedit, confusus, & illæsus abscessit. Præfuit & ille Beneventanis anno uno, & mensibus novem, & diebus..... (3)

VI. (4) Guido verò Principatum Samnitum obtinuit, & undique ab hostibus liberavit, sed dum & ille feliciter Beneventanis anno uno, & mensibus novem præfuisset, venit nuncius, qui ei intimavit Augustum Carolum seminecem jacere: ille verò continuò Guaimario cognato suo legationem direxit, ut citiùs unà cum sua conju-

(1) Panici hi terrores frequentes, tum alibi, tum apud Anastas. Bibl. in Hadriano I. pag. 153. & apud Falc. Benev. pag. 148. & 271.

(2) Historiam dicit Pauli Diaconi de Gestis Langobard.

(3) Ostiens. lib. 1. c.48. tribuit Georgio ann. 3. & mens. 9. vide Chronol. Principum Benev.

(4) Fallitur hic auctor nam iste Guido, qui Beneventum Græcis eripuit, filius fuit alterius Guidonis, de quo Erchempert. ista tradit num. 79. Fallitur quoque de legatione Guidonis &c. Vide Fragmen. Anon. Benevent. N. 6.

conjuge, partimque ex suo populo veniret ad obtinendam Beneventanam dignitatem. Ille ovanter unà cum jam dicta conjuge, relicto adolescentulo filio, & ipse Guaimarius nomine, qui jam Principatum gerebat Salernitanum, illuc pergere cœpit. Dum properassent castellum, cui Montorium nomen est, ibidem prandium habuerunt; sed cùm alacriter comedissent, ingens pluvia erupit, ut extra limen egredi non auderent. Cùmque paululum pluvia defuisset, sciscitaverunt incolæ loci illius, si serenitas adesset: unus illorum ait. *Comparet serenitas adfutura*. Continuò exinde sunt moti. Avellinum oppidum gradierunt; sed antequam prædictum oppidum adirent, Joannem Clericum, qui præ cæteris audacior erat, ante se incedere jussit, & dum Adelferium, qui oppido illius illo in tempore præerat, obviam exinde Principi veniret, isdem Joannes in eum audaci animo insurgeret, & protinus de hac luce extingueret, qui dum longè ante pergeret, Adelferius ille obviam Principi veniebat, illico prædictus Clericus Joannes super eum venit, lanceâque nisus est, ut eum percuteret, in ipsum irruens, ut ab aspectibus illius eriperet; sed non pleniter res ignota cognovit; sed ex cœpto itinere, quamvis territus, properavit. Dum autem ante obtutum Principis deveniret, mutuò osculum pacis sibi dederunt, quod in arca pectoris minimè retinebant. At Princeps dulcia verba deprompsit. Ille verò Adelferius subjunxit. *Clericus ille, mi Princeps, aut fatuus est, aut Dæmonio detinetur; quia cum ingenti ira contra me venit, & nisi ab aspectu illius declinassem, forsitan de luce hac me extingueret*. Cui Princeps subridens, atque ait. *Solitus est nempe crebrissimè nobiscum, cum nostrisque Optimatibus ludere*. At Adelferius, ut erat sagax, de se rem gestam cognovit, recepit exinde satisfactionem; quapropter gradierunt simul, atque utrique Avellino oppido introierunt. His itaque gestis, Sol suas umbras attraxit, & optata nimium noctis pervênit, unde omnes cœnam factam optatam sumunt cum charitate. Dictus ille Adelferius hàc, illac discurrebat, atque per se Principem ministrabat. Ille Princeps, licèt finte, eum rogabat, ut Princeps fieret convivii, atque secum ad mensam resideret. Cui Adelferius. *Nequaquam talia facio*, (1) *quia domui huic hodie salus facta est*; (2) *& nostra nunc anima magnificata est præ omnibus diebus meis*, [*eo, quod talem Dominum unà cum sua conjuge, ejusque fidelibus dignum fuit domum meam obtinere*.] Et hæc dicens, vina optima, variaque potionum genera inferebat. At illi avidè propinabant. Cœnâ sumptâ, Princeps idem unà cum sua conjuge thorum propriè requiescit; cæteri autem sui fideles per domos illius oppidi, quamvis non adunati, requiescere juberunt. Intempesta noctis cum ingenti audacia Adelferius prædictus unam cum suis fidelibus super Principem Guaimarium irruit, eumque comprehendit, (3) atque luce privavit. Dum vellet amputare testiculos, uxor illius memorata vota super eum ingenti fletu se collocavit, vocemque magnam emittebat, ut ampliùs malum non augmentarent. Unus ex Beneventanis, Joannes nomine, (4) per mamillam Principissam illam attraxisse fertur. Alia die manè facto Salernitani per domos ubi separati sunt, ibidem sunt detenti, nihilque scientes illud, quod Domino suo acciderat; cùmque seriatim intimatum Guidoni fuisset, validè intremuit, sed nequibat Beneventum degere regnandi ductus cupiditate, & sinè mora cum omnibus suis Avellinum properavit oppidum, & comminanter ab eis jam dictum Principem expetebant; at Adelferius quamvis fœdatum Principem, & suam conjugem, cunctumque populum abire permisit, at illi quamvis cum dedecore, Salernum reversi sunt.

VII. (5) Prædictus Guido ocyùs Papiam perrexit, & Carolum defunctum reperit; cursim, quam ambierat, adeptus est Regalem dignitatem. Beneventum namque Imperatrix Racheltruda nomine regendum suscepit, & præfuit Beneventanis anno uno, & octo mensibus. In eandem urbem ingressa est Prid. Kal. Aprilis, & cum consensu Beneventanorum Radelchis germanus suus in Principatum restituitur; qui quippe ferè duodecim (6) annis ab eo fuerat expulsus, qui nihilominus simplex erat, & charitate præcipuus; in tantùm, ut dicere suis optimatibus solebat; *Quia si mons, cui Virginis nomen est, argento purissimo fuisset, non sufficeret in tribus diebus, quia si quis ex vobis exinde tamen poposceret, statim partem tribuerem*; Et pro sua, ut diximus, simplicitate à Beneventanis terque, quaterque à prædicta urbe fermè fuerat expulsus, & iterum ad dignitatem pristinam illum videlicet revocabant.

DE SUBSEQUENTI PARTE V. ANONYMI SALERNITANI.

QUo definito tempore institutus fuerit Capuæ Principatus, nullibi manifestâ legitur adnotatum narratione: res tamen est satis explorata, Campanum Comitem Atenulfum adripuisse Principatum Beneventanum, ex quo exortus est Campanus, anno nongentesimo: quod nobilium Beneventanorum exulum factione contigisse, ex solo nostro Anonymo scimus. At novissimi hujus Principatus Dynastiam tunc pariter à priori fuisse discretam, suumque habuisse exordium, peculiaresque Capuam obtinuisse Principes, haud facilè consenserim; constat enim Atenulfum, quod idem adfirmat Anonymus, suscepto Principatu, adhuc Capuæ mansisse; certèque ille integrum, sicut acceperat, retinuit, filiisque transmisit, Landulfo, & Atenulfo. Sub quibus nec ulla videtur subsecuta discissio, quos Ostiensis lib. 1. cap. 52. tradit Capuæ pariter inhabitasse, eodemque loco, & cap. 51. adpellat Principes Capuanos, *ac utrobique indicat Dynastiam omnes concorditer, indivisèque administrasse, quod cap. 53. manifestiori firmat indicio, scribens illos* Præceptum *fecisse Joanni Abb. Cass.* de Curte Petræ Mellariæ: *& obtulisse* in S. Sophia Curtem de Pantano prope Beneventum. *Quæ discriminata loca ad divisos postmodum Principatus divisim pertinentia, sed ab iis unica, indivisaque elargitione donata, indivisorum jurium testatissima sunt testimonia: Petra enim Mellaria oppidum est in Comitatu Teanensi, Campanæ Dynastiæ antiquiori etiam designatione subjectum; Ecclesiaque S. Sophiæ posita est intra Beneventum, prope quam urbem describitur à Leone Curtis de Pantano. Non igitur sub his Principibus divisio contigit ulla; quibus adviventibus, duo filii ejusdem*

(1) Lucæ cap. 19.
(2) Judith. cap. 12.
(3) Excæcatus est anno ferè 896. Confer. Anon. Benev. Num. 6.
(4) Sic locum hunc legit Freccia de subf. lib. 1. pag. 91. col. 1. At Scripti Codd. *per tria millia*.
(5) Vide Fragm. Historiæ Anonymi Benev. N. 6. fine.
(6) ann. 898.

dem Landulfi unà cum patre, & patruo Principatus insignia, & nomen suscepere; verumtamen haud illi alio usi, nisi communi, indivisoque jure, quod suadet Chronicon Ducum, & Principum Beneventi, Chartulæ quoque illis temporibus datæ subindicant, junctim eorundem quatuor Principum nomina præseferentes. Nec quidem alia de causa ab Anonymo nostro in Historia non edita, & in postrema par. num. 7. Atenulfum crediderim adpellatum modò Principem Beneventanum, *modò* Capuanum: *illum scilicet, quem idem tradit de Principatu fuisse ejectum, filiusque reputandus videtur primi senioris Atenulfi; nisi quòd Beneventana Dynastia, eo imperante, adhuc indivisa permanserat, nec magis Campanus, quàm Beneventanus fuerat ille nuncupandus Princeps. Quòd si Campani Principatus nomen comperiatur apud auctores, Ostiensem, & hunc Anonymum de rebus tractantes per tempora acti præscriptorum seniorum fratrum, Principumque, Landulfi, & Atenulfi, id interpretandum haud est, quòd Campanus Principatus ex iisdem temporibus exortus, ac seorsim institutus fuerit; sed alterâ excipiendum est, ni fallor, interpretatione; quòd nempe Scriptores præsentem sibi rerum conditionem respicientes, quando jam Principatuum divisio contigerat, unum illud, adhucque indivisum discretis nominibus, antiquo, & novo promiscuè adpellarint. Qua pariter mente Luitprandus Diac. Ticinensis in Legatione scribens de primo Landulfo, sub quo, ut monui, nulla facta fuerat divisio, Principem illum dixit* Beneventanorum, & Capuanorum, *quem solum, præterito ejus conlega, fratreque Atenulfo, commemorat: quoniam, me arbitro, is verè Princeps, hoc est, ex concordi fratris voluntate res universas moderabatur Principatus; idque consueto Langobardis more, si Erchemperti verba num. 62. ubi de Landone à fratribus facto Capuæ Gastaldo, rite capio; certèque Luitprandus ibi non alium, nisi seniorem Landulfum designavit, de re tradens acta ante annum 944. quo, vel circa, Princeps ille vitâ est functus, ut ex Chronologia erit manifestum. Verumtamen non ego abnuerim nomen Campanorum Principum sensim cœpisse audiri ex vulgi usu, etsi nondum Campanus Principatus seorsim institutus fuisset; siquidem Capuæ commorantes Principes novo nomini ansam dedêre, quos versa vice Beneventani cives, aliique ex prima, genuinaque dignitate Beneventanos indesinenter, ut arbitror, adpellavere. Principibus igitur Landulfo, & Atenulfo adviventibus, nudum Campani Principatus nomen emersisse opinor. Quibus fato functis, soloque Landulfo juniore, filio senioris, quem dicere opus est secundum, integro Principatui præsidente ab prædicto circiter anno 944. nullam certè contigit fieri divisionem; cujus absolutum, singulareque mansisse imperium, probat idem Chronicon Ducum, & Principum Beneventi, & Chartulæ proclamant omnes. Deque eodem Landulfo capiendus est Anonymus noster apud Baron. anno 957. num. 1. quo loco contra fidem Scriptorum Codd. non dicitur Landulfus, sed Pandulfus. Illum autem anno circiter 963. vitâ pariter obeuntem, duo subsecuti sunt filii Pandulfus, cognomine dictus apud Ostiensem lib. 2. cap. 1.* Caputferreus, *& Landulfus alter, tertius mihi adpellandus: quos pater vivens Principes instituerat, & quos, tum Chartulæ, tum memoratum Chronicon unà, indivisèque præfuisse proclamant. Quocirca opinandum esset, nec divisionem adhuc contigisse Principatus. Rem tamen aliter actam subodoro: immo palàm lego in Historia non edita nostri Anonymi, nisi is me fallit, qui tradit hos Principes* Landulfi filios Beneventanum Principatum bifariè rexisse; *Et in po-*

A *strema par. num. 3. habet* Pandulfum, *Caputferreum videlicet, ob mortem fratris Landulfi, quæ contigit anno circiter 969. Beneventanum Principatum filio suo Landulfo, qui quartus fuit, adjudicasse, nullo, forsan, demortui tertii Landulfi filio superstite. Cujus Anonymi dicto consentit Diploma à Mario Vipera productum in Chronologia Episc. & Archiep. Beneventi lib. 2. quo iste Pandulfus adseritur Princeps* Beneventanæ, & Capuanæ urbium in anno DCCCCLXIX. (*sic ibi restitui debet corruptus numerus DCCCLXIV. idemque pessimè emendatus ad calcem operis*) *VII. Kal. Junii. Bifariam verò Beneventanum Principatum præscriptos fratres obtinuisse, innuit idem pariter Luitprandus, qui Campani, & Beneventani Prin-*
B *cipis disjunctim meminit, quorum propria tacet nomina, sed modò dictos demonstrat Caputferreum, & fratrem Landulfum; etenim de re agit annum contingente 968. Ergo qui Beneventanus Principatus sub Christianissimis fratribus Landulfo primo, & Atenulfo secundo adhuc divisus non fuerat, sub his Pandulfo, & Landulfo tertio est dispertitus, qui haud fuere Christianissimi, ut videre est in postrema parte hujus Anonymi, & in Nota ad eam ad finem. Jidemque titulo tenus, in Chartulis scilicet, communem, indivisamque retinuere avitam Dynastiam, ne, fortè, communem nominis dignitatem, neve supputationem annorum Principatus ab patris ævo receptam desererent, non absque legitimæ paternæ successionis præjudicio; ideoque pronunciarunt se non Capuæ, nec Beneventi divi-*
C *sim Principes, sed conjunctim ambos* Principes gentis Langobardorum; *quod cæteri quoque omnes, tam qui illos præivere, quàm qui subsecuti sunt in utroque Principatu Dynastæ, commiserunt: Immo Salernitani pariter Principes in Chartulis idem usurparunt nomen, quamvis unusquisque communi sermone signanter adpellaretur Princeps possessi à se principatus. Sique aliter in Chartulis factum aliquando adparet, id potissimum contigit, quoties in iis Principis nomen demonstratum est, qui duos obtineret Principatus, alterum hæreditarium, alterum verò recenter adquisitum, cujusmodi exempla habebis infra in eadem Adnotatione ad septimam postremam partem. Verumtamen cur tam*
D *Campani, quàm Salernitani, Beneventanique Dynastæ dici voluerint* Principes gentis Langobardorum, *etsi eorum nemo omnem obtineret gentem, vel loca omnia à gente possessa, & inhabitata, Problema est haud facilis resolutionis, silentibus libris, nullaque firma opitulante conjectura. Quandoque putavi id factum ventosa quadam æmulatione, ne alter dignitate minor altero videretur. Opinatus quoque sum Campanos, & Salernitanos Principes, qui ex Beneventano Principatu, hoc est ex Præfectura super omnem gentem olim constitutâ, suas instituerant Dynastias, commonstrare voluisse specioso illo titulo eadem integra jura ad se pervenisse, quæ non aliâ, nisi ejusmodi tuebantur pos-*
E *sessione: eademque Beneventanos è contra se indiminuta retinere contendisse: Tu autem crede quæ libet.*

PARS V.

Qua enarratur, quo pacto Atenulfus Capuæ Comes obtinuit Beneventanum Principatum anno DCCC. Et Guaimarius junior adviventi patri Guaimario subrogatus fuit in Principatu Salernitano. Idemque Atenulfus composuit motus in se Beneventi excitatos.

I. RAdelchis memoratus Princeps *Beneventi* acriter Beneventanos cruciabat, licèt non

non per se, sed per subjectionem cujusdam Viriakli, qui illos sæpissimè convexabat. Idem Princeps, ut erat simplex, eum pleniter auscultabat, in tantùm ut illi, qui erant ex genere Rofrit, Potelfritque, per quos Beneventana urbs illo in tempore, & usque nunc ita manebat, comprehenderet, & ex sua urbe ejiceret. Illi namque Capuam gradierunt, honorificèque ab Atenulfo, quem supra memoravimus, recepti sunt. Cùmque ibidem diu morarent, & sæpe dictus Atenulfus tegumentum, dapes, vestimentaque, quemadmodum illis decebat, tribueret, atque alii ex Beneventanis ibidem abirent, Beneventani Atenulfo hujusmodi verba prompserunt. *Consilium inter nos ineamus, quatenus Beneventanam urbem capiamus, teque ibidem Principem sublevemus*. At ille, audito verbo, visus est ei quasi ludens loqui.

II. Inter dicta verba crebrissimè idem Atenulfus legationem Salernum mittebat, nimirum & obsecrabat, ut filiam Waimarii Principis senioris Landulfo suo filio copulasset, essetque illi subditus, sicut antecessores, & prædecessores illius fuerunt; sed omni modo efflagitationes ejus spernebant, quia Landonulfus, & Pando, qui fuerant à Capuana urbe unà cum suis germanis ab ipso Atenulfo expulsi, dicebant. (1) *Nolite, Domini nostri, pacem cum ipso habere, quia, si prosperum nobis Christum fore, in proximo illum vinctum ducimus*. Idem Atenulfus idipsum crebrissimè Salernum mittebat, eademque verba repetebat anxiabiliter; sed hi spernebant ejus flagitationem, maximè resistente Yota uxore præfati Principis senioris. Agebat namque. *Ego sum ex Regali stemmate orta, & cum subdito nostro consanguinitatem annecto?* Atenulfus cernens se delusum, doluit; præsertim cùm crebrissimè à Salernitanis tellus illius deprædaretur; necessitate coactus præfati Athanasii *Episcopi, & Ducis Neapolis* filiam suo filio in matrimonium tradidit: Magistri militum filia Gemma nuncupabatur: Atenulfi filius dicebatur Landulfus, & omni modo pacem inter se inierunt sub jurejurando.

III. Beneventanique namque intestinum gladium inter se illo tempore habebant, quia, ut diximus, Radelchis Princeps simplicitate devinctus erat; quapropter non pauci propriam linquebant urbem, & exiliantibus, qui Capuam degebant, se sociabant, unde in unum sunt congregati, atque inter se consilium inierunt, quatenus Beneventum invaderent, Atenulfumque Principem sublimarent; & inter dicta verba sæpissimè monendum suos affines mittebant, donaque plurima promittebant, tantùm illorum animo consentirent. Quid multa dicam? Non pauci exinde consenserunt, atque dictis illorum jusjurandum adhæserunt, unde omnia seriatim Atenulfo studenter intimaverunt. Ille verò gavisus est exinde valde; sed agebat. *Vereor ne prædictum opus minimè perveniat ad finem*. His ita gestis, dicti exiliati undique se armis muniunt; audaci animo clam Beneventum adeunt, & Atenulfum cum exiguis Capuanis pariter secum ferunt. Intempesta noctis vi portarum seras confringunt, urbemque Beneventanam cum magna virtute ingressi sunt; cæterique alii sui consanguinei sibi sociant. Palatium ascenderunt, & Radelchisum Principem comprehenderunt, & Ecclesiam, quam Perexcellentissimus Princeps Arichis in honorem Dei Filii construxit, eamque *Agiam Sophiam* vocavit, hoc est Sanctam Sapientiam, quia Dei Filius est sapientia Patris, deducunt, quia podagrico dolore erat vehementer constrinctus: & undique, qui exiliati erant, urbem adeunt, omnesque in unum conveniunt, & omnis populus, necnon & Proceres unà omnes Atenulfum Principem sublimarunt. Proceres idem Principes, vel majores: semper nimirum (2) plurale est, antepenultima producta; generis communis. Dicti à capitibus trabium, quæ extra ædificium procedunt; quia & Principes excedunt dignitatem plurimorum. Atenulfus, ut diximus, Principatum Beneventanum suscipiens, dona plurima condonabat omnibus hominibus, se humilem ostendebat. Factum est autem, ut quidam vir suæ genitrici Potelfrit filiæ (3) nomine intimaret, ac promeret. *Tuus natus Atenulfus Principatum Beneventum arripuit, ibique illum Beneventani sublimarunt Principem*. Audito verbo hoc, valde sese exterruit, atque sinè sermone mutula stetit, & quasi in extasi verba effudit. *Ubi sunt illi subtilissimi Beneventani?* cœpitque nominare Beneventanorum Genealogiam. Illa verò, quæ debuerat de filio alacriter permanere, mœsta est, & de suo stegmate condolebat, quia ad hoc venerant, ut ab extero dominarentur.

IV. Guaimarius namque Princeps Salerni valde erga suos fremebat, quamvis lumen cœli minimè cernebat, licèt suo filio minimè complacebat; in tantùm, ut vir quidam nomine Malchenolfus post singulare certamen, quod gesserat, & victor extiterat, pro infidelitate dictorum Principum publicè capite cædi jusserat, quod & factum est. Unde omnes Salernitani valde exinde sunt exterriti, nam dira rabie efferati erant, & verba filii, conjugisque minimè recipiebat. Factum est autem una die, ut juxta morem veniret quidam Clericus Odelpoti filius, Palatiique Scriba, disciplinisque liberalibus instructus, Palatium; sed ut sensit vestimentorum suorum fragrantiam, ad se ocyùs illum vocavit, & cùm ante obtutum ejus venisset, illico in eum manum injiciens, eumque comprehendit, famulisque suis præcipiens, ut illius testiculi amputarent, qui sinè mora jussa fecerunt, unde omnes Salernitani immanem temeritatem cernentes, in unum congregati, juniori Principi in hunc modum sunt allocuti. *Incunctanter nobis credite, quia omnimodo sub ditione genitoris vestri minimè ampliùs jam perduramus: si committit vobis funditus Principatum, nos sub vestra ditione degimus; sin autem, scire vos convenit, quia minimè jam sævitiam illius toleramus*. Princeps Waimarius non segniter gessit, sed conglobatus agmine Bardorum eum comprehendit, blandisque ei est sermonibus allocutus, adjiciens. *Mi pater, Salernitani erga me moliti sunt insurgere, eo quòd minimè sævitiam tuam tolerare valent*. Et hæc dicens, Ecclesiam, quam in honorem Beati Maximi, quam Princeps ille Waiferius à novo fundamine construxerat, deducunt, ibique illum habitare fecerunt, & ipse Waimarius Principatum firmissimè Salernitanum obtinuit, & omnis populus sub ditione illius gaudebat, & exultabat. (4)

V. Atenulfus, de quo præmisimus, Princeps, dum aliquo tempore Beneventum degeret, Capuam

(1) Erchemp. num. 64
(2) ann. 900.
(3) al. *mre* interpretarique posset *Mariæ*.

(4) Depositio Guaimarii non contigit ante annum 899. quo in Chartulis reperitur adhuc dictus Prin. unà cum filio.

puam rediit: Beneventum Petro Episcopo, quem supra memoravimus, commendavit. Sed ut illam Præsul ille terram gerendam accepisset, Beneventani, licèt non omnes, jusjurandum illius juraverunt, quatenus illorum præesset, & quamvis non haberet ex genere suo laicam personam. (1) Saltem conjunctio est: significat, vel, licet. Saltim adverbium est à saliendo dictum; sicut à stringo, strictim; à partior, partim, à curro, cursim; à furor, furtim. Est etiam, saltim, adverbium præsentis temporis sicut, nunc, modò. Cùmque præfato Principi cognitum fuisset, valde sese perturbavit, extemploque clam legationem Beneventum misit, ut fidem promissam omnimodo servarent. At illi, qui erant, sicut superiùs nominavimus, ex genere Potelfrit, unà cum consanguineo suo Principi Atenulfo intimandum miserunt, ut citiùs incunctanter Beneventum veniret; qui sinè mora, audaci animo, fretus illorum præsidiis, Beneventum adiit, & ocyùs Præsul jam dictus exinde expulit, & aliquantos ex Beneventanis apprehendit, & in carcerem retrudi jussit. Ille verò Prȩsul quamvis cum rubore, Salernum properavit, & aliquandiu ibidem moravit. Waimarius Princeps illum honorificè excepit, victum, dapesque, & alia necessaria tribuit.

DE SUBSEQUENTI PARTE VI. ANONYMI SALERNITANI.

Quæ hac sexta parte tradit noster Anonymus, habet pariter illa, sed in minori verborum circuitu, pinguiora, Leo Ostiensis lib. 5. cap. 1. & 2. qui nil tradit de expugnatione urbis Aquini à Salernitano Principe Gisulfo peracta: immo nec indicium ullum prodit, adstitisse tunc illum Principi Landulfo. Verùm ex hoc haud ego Anonymum arguam mendacii, quem novi cordi habuisse sua in Historia causam non aliam, nisi suæ patriæ peragere, res scilicet ejus extollendo; de quibus nil curæ fuit Ostiensi, & ipsi ad res sui Monasterii tantundem propenso; quocirca nec pariter demirabor, Leonem Atenulfi Aquinensis Gastaldi patriam non prodidisse, Anonymo quidem descriptam. Sed interim dum alter alteri vices rependunt, quid ni & ego utriusque exemplo rem non agam meam, immo literatorum virorum omnium, si modò, ut æquum est, illi suum esse putaverint, quòd fulgentissimi Doctrinarum sideris D. Thomæ Aquinatis illustretur vetustum genus, & origo? At dices, quid commodus est præsens locus talia differendi, Atenulfus cùm iste Aquini Gastaldus Anonymo, & Ostiensi memoratus, & cognomine dictus Megalus, haud fuit Aquinensi nobilissimi generis caput: sed Atenulfus alter adpellatus Summucula, de quo Ostiensis lib. 2. cap. 16.? Est tamen perquam acceptissimus, namque utriusque unitas nominis, unitas Dynastiæ, & unitas patriæ persuadet, ut eodem hoc loco non reticeam, vel urbis Capuæ, vel præstantissimæ gentis maximum quidem decus. Atenulfus etenim Summucula Campanus extitit Patritius, ejusque gens tota ad clarissimi Aquinatis Doctoris tempora, & inferiora quoque, tum Capuæ mansit, tum Campana fuit existimata; quod sic stare pluribus firmabo.

Et primo. Quid ni Summuculam illum non reputabo Campanum, immo. Campanorum A *Principum Langobardorum, vel consanguineum, vel adfinem, qui & ipse Langobardus, ut ejus nomen declarat, urbis fuit Gastaldus subiectæ eidem Principatui? Certè quousque Langobardi patrios ritus servarunt, ista sic contingere consuevere; ni velimus, exterum fuisse Summuculam, ac confugisse ad Campanum Principem, à quo pariter de more Gastaldatum obtinuerit, ut dicebant*, ad convivendum. *Quod omni deficiente indicio, temerè adfirmaretur. Verùm hæc dissertationem quia expetunt prolixiorem, sat modò sit leviter rem præmonstrasse.*

Secundo. Atenulfus idem ille Summucula, qui gentis origo, ut Ostiensis tradit producto lib. 2. c. 16. mox ut Abbatem *Cassinensem, nomine Mansonem, & Consobrinum Pandulfi Principis Capuæ,* B *Campanorum factione* cœcatum agnovit, hilaris effectus, Roccam vocabulo Siccam, quam idem Abbas paulò ante construxerat, funditus evertit. *Atqui idem Auctor cùm dicat, Abbatem illum* ob supradictæ Arcis constructionem maximum sibi invidiæ, atque odii fomitem in universo Principatu accendisse, quòd quasi non solùm Abbatiam, sed etiam Principatum sibi vindicare satageret, & ob ea valde Capuanis fuisse infestum, *apertè indicare videtur Atenulfum extitisse Campanum Procerem, eundemque non aliá, quàm hac, & priori loco prænotatá causá, de Principatu solicitum permansisse, deque ejus excœcatione hilarem devenisse, quæ accidisse oportuit anno 995. exeunte.*

C *Tertio. Ex Aquinensibus Gastaldis, sive Comitibus non solus Atenulfus generis auctor Campanus fuit, sed ejus quoque sive filius, sive nepos, Atenulfus alter, qui anno 1053. sicut legere est in quodam Diplomate apud Baronium, Dux erat Cajetæ; proindeque gens Aquina omnis firma sede fuit Campana. En tibi Alfani Salernitani Archiepiscopi Epigramma mihi inspectum in scripto Membranaceo Codice Carminum ejusdem auctoris in Bibl. Cass. sign. N. 280. quod est tale.*

„ Dormit, Aquine, tuus Comes hìc, Cajeta tuus Dux,
„ Magnus Atenulfus, Capua quem genuit.
„ Magnanimus, sapiens, fortis, pius, impiger, acer;
„ Urnam nam mediam Sole tenente ruit.
D „ Ad patriam cœli lux est ubi vera diei
„ Dextera beata Dei tendere donet ei. (2)

Quarto. Comites Aquini, qui post Summuculam Atenulfum eidem urbi præfuere, agnatos fuisse Langobardorum Principum Capuæ, quod initio adstruebam, satis liquet ex Tabulis Archivi Monasterii Cassinensis, quibus in refecto Registro Petri Diaconi pag. 159. à ter. habetur. Principes, Pandulfum patrem anno sui Principatus 17. & Pandulfum filium anno sui Principatus 13. Prid. Idus Aprilis Indict. 15. Capuæ jurejurando firmasse Abbatiam Cassinensem Abbati Theobaldo ad E preces, & interventu Adenulfi Comitis filii quondam Adenulfi Comitis; Joannis Comitis, filii quondam Landulfi Comitis; Petri Comitis filii quondam Landonis Comitis; Adenulfi Comitis filii quondam Landonis Comitis, qui clamabatur Caputo: dilectis nostris parentibus (barbariem nil moveo) & qui sunt Aquinensis Comitibus. *Quæ producta annorum Principatum, & Mensis, & Indictionis consignatio annum monstrat 1032. Et hæc de generis origine.*

Quinto. Annorum decursu, desitisque Langobardis, & Normannis Capuæ imperare, priscam Aqui-

(1) Confer Fragmentum Anonymi Benevent. numero 5. sciesque vel alterutrum Anonymum hallucinatum, vel Petrum Episcop. duobus à Principibus bis Benevento pari causa expulsum, Salernumque bis commigrasse.

(2) De hoc Ostien. lib. 2. cap. 68. & lib. 3. cap. 12.

Aquinensem gentem eadem in urbe permansisse, testis est gravis, & ab annis biscentum antiquus scriptor Joannes Antonius Campanus Episcopus Aprutinus in Oratione de S. Thoma Aquinate à se habita, qua de patre agens Angelici Doctoris, hæc habet verba. Landulfus exorto in Campania bello, aliquandiu adversus Federicum secundum quamsceleratissimæ impietatis virum, dimicavit, Ecclesiæ partes secutus. Quo bello & Capua, ubi fundos habebat gentilitios direpta est, & Aquinum à Conrado Federici ipsius filio expugnatum, atque incensum. *Hactenus Campanus, qui è regione Campaniæ, nam is natus est in Comitatu Teani, hoc nomine est dictus; Idemque cùm direptionem Capuæ à Federico patratam asserit, nulli alii memoratam auctori, ne mireris; namque vel ille memoria lapsus, cladem cæteroqui à filio Conrado Capuæ inlatam animo designabat, à quo Aquinum, & Neapolis unà direptæ fuere: vel Capua certè ab Federico extremis ejus vitæ diebus aliquid damni est passa, Petro à Vineis Campano, eximiæ eloquentiæ, & dexteritatis viro, Imperatorisque intimo familiari, & à secretis tunc proditionis insimulato, excœcationeque oculorum mulctato; quod novoantiquo exemplo accidit, vineam scilicet à cultore exoculatam suo. Qui igitur Landulfus D. Thomæ pater (utcumque res fuerit de urbis direptione) fundos Capuæ habuit gentilitios, & ille tum genere, tum incolatu haud dubiè Campanus est reputandus.*

Sexto. Guglielmus de Tocho, qui vitam ejusdem S. Doctoris conscripsit, eundemque visu novit, tradit cap. 4. illius sorores quatuor modos adhibuisse, ut ipsum inducerent ad deferendum habitum Ordinis Prædicatorum: quæ è contra conversæ sunt ab eo; nam sororum majorem taliter convertit monitionibus, & exemplis, quòd ipsa mundum reliquit, & intravit Monasterium Monialium S. Mariæ de Capua Ordinis S. Benedicti, ubi propter suam Sanctitatem statim fuit facta Abbatissa. *Ista Guglielmus, cui concordat idem Campanus ibidem his verbis de D. Thoma agens sorores adloquente.* Hæc Dei juvenis (*ait ille*) cùm & diceret ex animo, & os, vultumque monentis accommodaret, factum est, ut altera soror natu major, reputans vera, quæ monuisset, dimissis opibus paternis, relicta carissima matre, cùm, abjecto fastu nobilitatis, Virgini Matri Dei sese initiarit, ingressaque Vestalium claustra, vitam Capuæ sanctam, illæsamque transegerit. *Ista Campanus Capuæ igitur S. Thomæ soror, hoc est patria in urbe, Deo virginitatem devovit; nescioque an alia excogitari possit ratio, cur post fundos gentilitios à patre deperditos, adhuc illa Capuæ mansit, ni sua, totiusque gentis fuit patria. Cæterùm quam ex Guglielmo legisti factam Abbatissam in Campano Monasterio S. Mariæ Monialium, eandem credes adpellatam nomine* Maroctam, *ac præsedisse haud multis annis: Marocta enim de Aquino inter alias continenti serie Abbatissas ejus Monasterii adnotatur nostro Michaëli Monacho in Recognitione sui Sanctuarii ad annum 1255. qui Abbatissam Altrudam De Petruro figit ad annum 1253. & Abbatissam Mathiam ..... ad annum 1257. omnes eidem haud dubiè cognitas ex ejusdem Monasterii Chartulis, quas summâ diligentiâ, ac fide, qua solet, inspexit, & enarravit.*

Septimo. Nil minus demonstrant Campanam inhabitationem non dimissam ab Aquinensi gente innumeræ Tabulæ, quæ in Archivo habentur Sacri Campani Thesauri, inque aliis ejusdem urbis, quarum barbariem, & prolixitatem pertæsus, en tibi illarum vice paucula ista, sed clarissima, fir-

A *missimaque documenta, quibus liquidò agnosces Aquinenses Acerranos Comites, hoc est totius generis Proceres clarissimos, Capuæ sepulcra sibi condidisse, ac ibidem Anniversaria Sacra solemnia iis acta, quæ nisi patria in urbe fieri non debuisse, omnis consentiet prudens Lector.*

Capuæ in antiqua Ecclesia S. Mariæ Monialium, quæ intra septa modò est Monasterii, adest marmoreum sepulcrum hoc descriptum Epigrammate.

Nobilis hæc mulier Acerrarum Comitis nata
Fieri fecit opus hoc Gobitosa vocata
Thomas secundi dicendo De Aquino facundi.
Anno Domini MCCLXXXXI.
Hoc opus fecit fieri Domina Gobitosa filia
B quondam
Thomasii De Aquino Secundi Comitis Acerrarum.

In antiquo Emortuali Membranaceo ejusdem Monasterii habentur adnotata diebus infra descriptis nomina ista.

XII. Kal. Febr. Margarita Comitissa Acerrarum. Anno Domini MCCCL.
Idib. Febr. Rainaldus De Aquino.
III. Kal. Mart. Domn. Thomasius Comes De la Cherra.
Kal. Mart. Domina Gubitosa De Laurito Comitissa Acherræ.
Kal. Maji. Dopna Gobitosa De Aquino filia Comiti Acerrarum.
C VII. Kal. Julii. Domina Juditta Comitissa Cerræ.
Idib. Jul. Gobitosa De Aquino Monacha filia Comiti Acerrani.
XIII. Kal. Aug. Domina Ysabella filia Comitis Acerrarum.
II. Non. Aug. Domina Johanna filia Comitis Acerrani.
VI. Non. Octobr. Thomasa De Aquino M.
IX. Kal. Januar. Domini Landulphi De Aquino.

In Emortuali antiqui, & nobilis Campani Monasterii Monialium S. Joannis Baptistæ.

II. Idus. Febr. Rainaldus De Aquino.
XII. Kal. Septemb. Domina Joanna De
D Aquino Abbatissa hujus Congregationis. *Hujus obitus contigit anno 1348.*

Capuæ in Ecclesia Cathedrali, ut seniorum relatione didici, Aquinenses Aram habuere, quæ nunc est Vitellorum, juxtaque Aram Marchesiorum; Sed oculata fide novi in Tabulis Monasterii Fratrum Conventualium S. Petri Apostoli nuncupati annis abhinc 300. eandem gentem alteram Aram obtinuisse in ejus Ecclesia Ammirato quoque memoratam.

Octavo. Nil labantem veritatem communit idem gravis, & diligens auctor Scipio Ammiratus, qui, etsi volens nolens, eandem adstruit adsertionem, cùm de Aquinensi gente Italicè disserens, sic habet. De' Conti di Loreto speditomi, dirò alcune cose di certi Aquini di Capua, i quali par che
E vengano da' Conti dell' Acerra, & che perciò siano in stretto parentado congiunti co' Conti di Loreto. *Quibus utique verbis, & Aquinensium dignitati, & Campanæ urbis decori æquè injurius, Primores Aquinates non reputavit Campanos, sed minores quosdam; Verùm de Comitibus Acerranis jam Lector, vidisti, de Comitibus Lauretanis scies modò.*

Nono. Capuæ in publico urbis Archivo Diploma autographum, membranaceum, Regio sigillo, & subscriptione communitum habetur, datum à Rege Alfonso Primo sub die 4. Aprilis anni 1436. in quo inter cætera dona, quæ ab Rege Campanæ

urbs expetierat, *obtinueratque*, *petitio est talis*. Item pro eo quòd Excellentes, & Potentes Domini Dux Suessæ, Comes Laureti, & Dominus Franciscus Pandonus, tanquam ANTIQUI MAJORES CIVES, & benefactores dictæ civitatis magnifica plurima gesserunt pro statu dictæ civitatis, ac Majestatis prædictæ, dignetur dicta Vestra Regia Majestas gratiosè concedere, & assentire, quòd prænominati, quantùm ad eorum personas tantùm, & legitimè descendentes ex eis, non obstante, quòd non habitent in dicta civitate Capuæ, possint gaudere, & frui omnibus gratiis concessis, & concedendis per ipsam Majestatem dictæ civitate, ac hominibus oriundis, & habitantibus in ea. Verùm quòd ipsi prænominati Domini non possint inter vassallos, quos habent, & habere contigerit in territorio dictæ civitatis, exercere, & habere merum, & mixtum imperium; sed dicti eorum vassalli compellantur in criminalibus in Curia Capitanei creandi in dicta civitate, & in civilibus in Curia Bajulorum civitatis ejusdem. *Adest subscriptio*. Placet Regiæ Majestati. *Hactenus Campanæ urbis deliberata adtestatio, & petitio; nec certè illa absque Lauretani Comitis, Ducisque Suessani, ac Francisci Pandonis civitatem expetentium contestatione; quibus Rex indulgens, aperto commonstrat documento, nec temerè Campanos sibi de prisca gentium origine impossuisse, nec se inexploratâ notitiâ ejusmodi subscripsisse petitioni: cùm cæteroqui manifesta res sit Marozanos, è qua gente Dux erat Suessæ, & Pandonos non aliam originis, multorumque annorum patriam obtinuisse, nisi urbem Campanam.*

De genere igitur D. Thomæ Aquinatis hæc mihi satìs erunt, quæ nil minus esse poterunt Lectori, qui de iis æquus velit esse judex, Capuæque hanc, multiplicemque aliam vetustissimam, recentissimamque non invidere gloriam, quam patriæ dum tribuo, nulli quod sciam, Cis-Tyberinæ urbi pari jure adsertam injustus præripio. Idque potissimum, quòd illam, ne dum amicus, & municeps meus Michaël Monachus in Sanctuario jam olim edito nonnullis ex his suasus argumentis propalam dedit, quem alia quoque mea pronunciata suo in illo opere, sive amplexatum, sive detestatum æquè lætor; sed exteri plerique alii docti sanè antiquitatis viri eandem calculo suo firmarunt, maximèque Ferdinandus De Marra Patritius Neapolitanus Dux Guardiæ in Irpinis, progenitorum merito, propriaque virtute clarissimus, idemque antiquiorum hujus Regni Stemmatum consultissimus; qui Campano huic decori plenè, serioque congaudet, & Aquinensem gentem hac inductus Dissertatione Campanam adsentitur, idque suo in opere, quod his diebus Typis tradit, acriori, elegantiorique dicendi charactere posterorum consignabit memoriæ.

PARS VI.

Qua describitur Aquinense Castrum expugnatum à Principibus Capuæ, & Salerni, Landulfo, & Gisulfo.

I. ILlo namque tempore Aquinense castrum suo Principi Landulfo se rebellavit, & nequibat suis viribus per vim illud nimirum subdere. Quidam Capuanus Adenolfus nomine illis præerat, atque cum ipsis suo Principi se rebellaverant. Sed dum certo certius Landulfus Princeps talia comperisset, statim Salernum misit, quatenus Gisulfus Princeps cum suo exercitu validissimo veniret, atque eum omnimodo adjuvaret, ut prædictum castrum suo juri attribueret. Dum autem clementissimo Principi Gisulfo intimatum fuisset, ille, ut erat audax, illico suum exercitum congregari jussit, & protinus cum suis iter arripuit, Capuamque properavit; deinde Aquinensium fines advênit, ipsumque castrum illico expugnare cœpit. Landulfus, de quo supra diximus, Princeps unà cum suis omnimodo satagebat, quatenus ipsum castrum per vim juri suo subderet; sed à Deo non ei fuit concessum, quia diversis machinis illud jam expugnaverat, sed sinè effectu permanserat. Sed dum uterque Populus omni nisu exinde decertaret, & illud castrum illæsum perduraret, unus ex Salernitanis (1) SiKelmannus nomine, qui erat ex (2) Acrimo oppido ortus, strenuusque vir ad limpianda ligna, clam ad unum ex circumstantibus est locutus. *Volueram veritatem cognoscere, voluntatem Domini mei Principis, utrum ne placet ei, ut istud castrum comprehendamus, an non?* At ille protinus ei respondit. *Veraciter scito, quia si illud capere potuerimus, magnum gaudium ipse Dominus noster habebit*. Exinde ille inquit. *Volueram, si dignus sum, ex ore ejus talia auribus audire*. At ille dixit. *Ego te illius Ditioni præsentabo*. Vocabatur autem ille, cum quo SiKelmannus loquebatur, nomine Petrus, eratque Clericus, præcipuusque Medicus, & ab ipso Principe valde dilectus, quem etiam postmodum eum in hac Sede Salernitana Præsulem (3) constituit; de quo, si vita comes fuerit, pleniùs disputabimus.

II. Cùm verò Principi Gisulfo SiKelmannus præsentatus fuisset, in hunc modum promisit talia dicta. *Mi Princeps, velis, ut capiamus hoc castellum?* At Princeps. *Proinde huc veni, quatenus eundem capiamus*. Et statim exinde exiit, & machinam, quam nos Petrariam nuncupamus, miræ magnitudinis construxit, moxque ipsum castellum Salernitani totis viribus, omnique conamine expugnare cœperunt, atque muros illius castelli fortiter confringebant. Dum talia Adenulfus, & qui cum eo erant conspicerent, atque aliquanti ex eis mortui essent, illico veniam ab ipso piissimo Principe poposcebat. Ipse præclarissimus Princeps annuit eorum precibus, atque Principem Landulfum exinde arctiùs exoravit, quatenus veniam illis tribueret. Ille verò voluntati ejus assensum præstitit, noxamque illis condonavit, quapropter Adenulfus cum sua uxore, suisque liberis, & suis famulis Gaëtam illæsum permisit ire; & sic cum magno tripudio Capuam catervatim venerunt, donaque plurima magno Principi Gisulfo (4) Landulfus Princeps dedit, suaque arva cum suis ovanter rediit.

PARS

(1) al. *Sichelmundus*. *Sichelmus*.
(2) For. *Acerno oppido*.
(3) An Episcopus ille hic est Petrus, de quo infra parte postrema num. 2.
(4) Papyrac. Codd. hoc uno loco habent *Pandulfus*, sed corruptè, teste Ost. lib. 2. cap. 1.

PARS VII.
Quæ & postrema totius Historiæ.

Eâque describuntur gesta Imp. Othonis Magni contra Græcos in Cis-Tyberina Italia. Gisulfi primi hujus nominis è Principatu Salerni ejectio, & captivitas. Et bellicus conatus Princ. Pandulfi Caputferrei pro eadem urbe, & Principatu, sive sibi obtinendo, sive captivo Gisulfo restituendo.

I. HAc tempestate Italiæ Rex præerat Verengarius unà cum filio suo Adelverto nomine. Sed cùm multâ sevitiâ erga Populum sibi subjectum ipse jam fatus Rex nimirum adnecteret, atque variis casibus eos cruciaret, clam (1) legationem Langobardi, Romanique Ottoni Regi Theutonicorum miserunt, quatenus veniret, & Regnum Italiæ sub sua ditione obtineret: erat siquidem illo tempore Saxonum, Alamannorumque Rex. Ut talia Rex Otto audivisset, valde gavisus est, atque ut id fieret omnimodo gratulabatur, & sinè mora cum valido exercitu Italiam properavit. At verò Rex Langobardorum Adelvertus cum magno apparatu, populoque nimis valido Clusas venit, quatenus cum Ottone certamen iniret: feruntque plurimi; ut sexaginta millia pugnatorum cum Rege Adelverto fuissent. Sed dum una die, unaque nocte ibidem moraretur, & Ottonis exercitus ibidem non appropinquaret, non pauci Comites Adelverti prompserunt. *Voluerimus, Domine Rex, ut Papiam cum paucis pergas, & tuo genitori dicito, quatenus Bardorum Regnum sub vestra ditione committat, quia nos omnino sub illius potestate ampliùs perduramus: Si tibi filiis committit Regnum, totis viribus pugnamus; sin autem, Italiæ Regnum extero Regi committimus; quia sævitiam illius, suæque conjugis omnimodo sustinere nequimus.* Sed dum talia patri, matrique intimasset, pater verò dictis ejus obtemperavit, mater namque dicto ejus nullo modo assensum dedit. Quapropter ad Clusas reversus est, & suis Comitibus omnia propalavit: At illi omnes irati sunt, protinusque illum reliquerunt, & unusquisque in suis urbibus remeavit. Otto Rex namque sinè impedimento Italiam introivit, atque Italiæ Regnum obtinuit; ipsumque Verengarium in oppido, in quo cum sua uxore fugierat, quod vocatur Sancti Leonis, per vim (2) comprehendit, Galliamque vinctos illos direxit: Adelvertus cum suis germanis, paucisque fidelibus fugam inivit, atque in Insulam Corsicam venit; ipseque Otto cum sua conjuge, Aidelgaza nomine, Romam ingressus est, & à Papa prædicto Joanne oleo unctionis (3) est unctus, coronâque suo capite septus, & ab omnibus Imperator Augustus est nimirum vocatus, & multam incommoditatem Romanis, & Apostolicæ Sedi indixit, quæ nobis * dicenda sunt per singula.

II. (4) Deinde Campaniæ fines advênit, statimque & Princeps (5) Beneventanus Pandul-

A sus in ejus venit occursum, & cum ipso, suaque conjuge cum magno tripudio Capuam properarunt, & statim legationem idem Imperator Gisulfo Principi misit, donaque Regalia, quatenus per semetipsum, si ei durum non est, Capuam veniret, & suam sororem, illius Imperatoris conjugem, videret. Sed dum hujusmodi dicta Principi delata fuissent, moxque cum non paucis suis fidelibus Ecclesiam Dei Genitricis introivit, atque nimis eam efflagitabat, quatenus pro suis delictis suum natum arctiùs rogaret, ut veniam illi tribueret. Et sic commeato accepto à Præsule Sanctissimo Petro, incunctanter illic properavit. Cùm verò non procul à Capuana urbe cum suis venisset, B illico Pandulfus, & Landulfus Princeps ei obviam exierunt, atque cum debito honore ad Imperatorem Ottonem eum perduxerunt. Ille Imperator ut eum vidit, (6) illico de Throno, in quo residebat, exiliens paulùlum ei obviam exiit, invicemque se osculaverunt. Deinde Imperatrix, ut vidit, atque lacteo vultu conspexit eum, super collum ejus ruit, eumque osculavit, atque eum pariter secum sedere jussit, quia ex consanguinitate erat ei conjuncta: agebat planè. *Confrater meus Gisulfe, quare non venisti, tuamque sororem non requisisti?* Et inter dicta verba eum amplexabatur, & creberrimè osculabat. Idem Princeps ei magnæ pulcritudinis equum cum aurea sella dedit, C opesque plurimas, & ab eis dona dignissima accepit; & sic cum magno gaudio cum suis Salernitanis remeavit, & omnis populus gavisus est.

III. Ipse Imperator (7) deinde Apuliæ fines venit, & validè eam dimicavit, & civitatem Bari aliquantulum obsedit, & quantum valuit undique constrinxit. Idipsum iterum arva sua remeavit. (8) Iterum Italiam venit, Romamque properavit, & aliquantulos ex Romanis suspendere jussit; quia dum ipse Imperator abesset, valde dictus Papa à Joanne Alberici filio fœdatus, & afflictus fuit. Deinde (9) Calabriæ fines venit, incendiis, & deprædationibus eam vehementer afflixit, & millia damna, D vel oppressiones gessit in Principatu Salernitano. Igitur dum Pandulfus cum ipso Imperatore in Calabria moraretur, ejus germanus Landulfus Princeps diem clausit extremum. Tenuit Principatum unà cum suo germano jam dictus Landulfus annis (10) octo. Fuit denique avidus, & minimè divinæ legis tramitem sequutus. Sed dum talia comperisset Pandulfus, Calabriam reliquit Imperatorem, Beneventum venit, suumque filium Landulfum Principem sublimavit. Iterum ipse Otto Ravennam properavit.

IV. Dum hæc parrata fuissent, (11) ipse Pandulfus Ottonem rogavit, quatenus secum de suis aliquantos mitteret in suffragium, ut Apuliam cum ipsis graderent. Ille verò aliquantos ex suis illi dedit, & sic ipse Pandul- E fus cum paucis juvenibus Beneventanis, Capuanisque civitatem Bivinem adiit. Dum missi Græci cum hominibus ipsius Græcis egressi fuissent,

(1) ann. 960.
(2) ann. 963., & 964.
(3) ann. 962.
(4) *Deinde*. An ut inf. num. 3. ad oram? Certè Otho, coronato filio Othone II. Capuam petiit.
(5) *Beneventanum* dicit prisca adpellatione, & sua respiciens tempora, quando Campanam, & Beneventanam regionem obtinebat Pandulfus. Vide N. 3. hic ad finem, & Dissertationem meam supra ad partem 5.
(6) ann. 963. Othonem Capuæ adstitisse 11. Kal. Sept. Ind. 6. notat Baronius ex scripto Chron. Sancti Vincentii De Volturno; sed silentibus antiquis Chronol.
(7) Vere. *deinde*, sed anno 969. Confer Lupum Prot. hoc anno. Otho ad Capuam aderat 15. Kal. Febr. ann. 968. witichin. lib. 3. apud Sigon. & Baron.
(8) ann. 966.
(9) ann. 968. Confer. Lupum Prot. ad ann. 967. qui eadem corruptè iterat ad ann. 981.
(10) Vide Chronol. Princ.
(11) ann. 969.

A fent, & cum Pandulfo pauci fuiffent, ad pugnam funt protinus parati, Pandulfufque cum fuis fuper eos irruit, ultimaque cæde eos vaftavit; ficque pervênit ufque ad Portam illius civitatis. Dum ei obviam quidam Græcus nomine..... veniffet, cum magna virtute, fortique ictu percuffit eum, in terram protinus ftravit: denuo denique fimilia fecerunt. Sed cùm iterum Græci aditum civitatis cum grandi ftrepitu exiiffent, & Pandulfus, & qui cum eo erant ad pugnam fe præparare maluiffent, illico dum retro ipfimet confpexiffent, catervatim venire cernerent multitudinem hoftium; fed nequibant obtutum illorum difcernere, utrum Pandulfi homines effent, quos expectabant, an è contrario Græci. Sed dum eis appropinquaffent: cognoverunt, quòd Græci effent, B unufquifque omnimodo ad pugnam fuit præparatus. Sed dum bellum inchoaffent, ftatim Pandulfi equus vulneratus eft, & finè mora extinxit. Sed unus ex fuis dum talia vidiffet, moxque equum, in quo refidebat, exiliens, ipfi Principi dedit: ille verò ftatim equum afcendit, ut cum Græcis certamen iniret; fed nihil ei profuit, quia jam fui difperfi erant, & huc, atque illuc vagabantur incerti. Dum verò Pandulfus plurimos ex Græcis fauciaret, & jam feffus effet, fuper eum quidam Græcus cum magna virtute venit, fortique ictu percuffit, C eumque de equo, in quo refidebat, dejecit; quia jam arma confracta habebat; & fic fuper eum irruerunt, eumque comprehenderunt, atque ad fuum Patricium perduxerunt, & non pauci ex fuis vulnerati, aliquanti comprehenfi, aliqui ex eis extincti, & reliqui, quamvis confufi, ad fuos veniunt fines. Princeps fæpe dictus Gifulfus illuc Landonem Gaftaldeum in fuffragium mifit, quatenus cum fuis eum nullo modo relinquerent. Et dum illuc gradere feftinaret, fubitò ei in itinere nuncius venit, qui ei omnia intimavit; at ille, quamvis cum mœrore, Salernum remeavit. Ille Patricius Eugenius nomine Conftantinopolim Pandulfum cum fuis militibus mifit, & ille cum multitudine hoftium Beneventi fines invadit. Avellinum D oppidum adeunt, & illorum Gaftaldeum, Siconulfum nomine, cum confenfu illorum comprehendunt, Capuamque properarunt, multofque homines promifcui fexus inibi capiunt: ipfam urbem diverfis machinis expugnare cœperunt, obfederuntque eam ferè XL. diebus. Marinus, qui præerat illo tempore Neapolitanis, cum omnibus fuis, accepta occafione. Capuam venit, incendiis, rapinis, & quidquid reperiri poterant, demoliunt. Sed iniquitas eorum in eorum verticem nimirum defcendit; quia dum cerneret ipfe Patricius finè effectu ibidem morari, & crebriffimè Langobardi fuos non paucos vulnerarent, atque necarent, & metueret ne fortè Francorum exercitus fuper eos irrueret, præfertim cum plurima ope effent ditati, E & promifcui fexus ferè quingentos comprehendiffent, Capuam liquit, & cum paucis pacificè (1) Salernum venit: reliquum vulgus per Beneventum habuit iter. & multa oppida in dolo ceperunt: penes civitatem Beneventanam venerunt; ibidem virum unum, qui Toto nomine, comprehenderunt; quia germanus Pandulfi Romoalt inter Græcos à pueritia fuerat, & jam minimè patriam fuam repetere volebat propter fuam fuperbiam; & fic Apuliam remearunt. Ille verò Eugenius dum apud Salernum per aliquos dies manfiffet, & Princeps prædictus Gifulfus ei delicias, vinaque optima, diverfaque potionum genera fæpiffimè fuis famulis feciffet miniftrare, Apuliam eft reverfus.

V. Dum patrata talia fuiffent, non multos poft dies exercitus Alamannorum, Spoletinorum, Saxonumque Capuam venit; fed Græcorum phalangem minimè ibidem reperit. Deinde exinde funt moti: territorium Neapolitanorum invadunt, undique inibi prædam capiunt, & vehementer unà cum Capuanis civitatem Neapolitanam conftrinxerunt: inde funt moti. Avellinum oppidum adurunt, quia Græcis fe, ut jam fati fumus, tradiderunt; perinde Beneventani unà cum Francis eam expugnabant. Idem ipfi Beneventum venerunt, Miffamque (2) ab Archiepifcopo Landulfo audierunt, & Corporis, & Sanguinis Domini Noftri Jefu Chrifti participati funt. Et fic accepta benedictione à prædicto Sanctiffimo Pontifice, Apuliam venerunt. Ipfe Eugenius, de quo prædiximus, propter fuam crudelitatem comprehenfus eft à fuis, atque Conftantinopolim miffus. Hac tempeftate Imperator Nicephorus præerat, vir bonus, & juftus, atque diverfarum gentium præliator, de quo non eft noftrum dicere, quia ad aliorum facta percurrimus, fcilicet Langobardorum. Cùm Franci catervatim graderentur Efculum, repente Abdila Patricius cum magna multitudine Græcorum exiit eis obviam, ut non procul ab ipfa civitate utraque acies fe conjungeret. Sed cùm in unum adjiffent, & Comes Alamannorum, Saxonumque cuncta geftaffet, fuper eos fubitò irruit, multofque ex eis interemit: reliquos fugam compulit ire; ipfum autem Patricium occidere noluit, proinde eum fecutus eft, ut vivum illum apprehendere valeret, fed minimè talia facere potuit, quia expeditum equum fedebat; quapropter haftam, quam manu geftabat, illi protinus mifit, equumque percuffit, atque fauciatus Efculum introivit. Ipfe autem Comes vocabatur nomine. ConoCuneus alius validus, qui fuerat ab ipfo Patricio miffus, quatenus ex alia parte clam fuper Francos irrueret, ultimaque cæde eos vaftaret, dum talia perficere vellet, atque fuper Spoletinos irrueret, illico Spoletinorum Comes, Sico nomine, cum valida manu fuper eum venit, ultimaque cæde eos vaftavit; ipfumque Romualt, qui illorum præerat, cum non paucis comprehendit, & ne unus ex Francis eft mortuus, nifi unus ex Spoletinis eft fauciatus. De exercitu verò Græcorum ferè ceciderunt mille quingenti viri; auferentefque fpolia multa ditati funt valde; & fic cum magno tripudio Avellino oppido adierunt, & fic pacificè Beneventani in eodem oppido introiere.

VI. Dum talia peracta fuiffent, Otto jam fæpe dictus cum multitudine hoftium Neapolim properavit, atque undique eam animalibus denudavit; ftatimque conjux prædicti Principis Pan-

(1) *Pacificè*. quidem; nam Gifulfus ad Græci Imp. obfequium redierat, à quo invitus difcefferat, Græcifque occultè cùm faveret, ferò fuffragium miferat Princ. Pandulfo, ut pag. præc. Vide etiam fup.

(2) Poftquam Campana Ecclefia Metropolis reddita fuerat anno 968. primus Beneventi Archiepifcopus conftitutus eft hic Landulfus anno 969. fub quo titulo memoratur quoque in Scripto Chronic. Monafterii S. Bartholomæi De Carpineto lib. 1. Vide Baron. ad annum 968. N. 66. & Marium Viperam in Chronol. Epifc., & Archiepifc. Benev. lib. 2.

Pandulfi, Aloara nomine, unà cum filio suo exiit obviam (1) Imperatori, & virum suum omnimodo commendavit. Ille verò statim Apuliam venit, & non procul ad civitatem Bibinæ applicuit, & totam Apuliam deprædare jussit, ipsamque Bibinam fortiter circumdedit, & undique suburbana ejus incendere jussit. Sed dum hæc agerentur, Pandulfus, de quo præmisimus, Princeps dum apud Constantinopolim vinctus moraretur, atque ipse jam fatus Nicephorus Imperator eum plus cruciare satageret, subitanea mors illi Imperatori evênit; nam cùm esset justus, & jure legis servator, Theophana crudelissima sua uxor propter suæ cupiditatis ardorem unà cum Joanne Simulchi, eo qui illo tempore Ducatum gerebat, crudeliter illum necaverunt, & Imperium ipse Joannes (2) accepit, statimque Pandulfum à vinculis, cum quibus nexus erat, jussit absolvi, atque celeriter illum in Apuliam misit, quatenus Ottonem sua arva sinè dilatione regredi faceret, & illi Joanni Imperatori omnimodo fidem servaret. Dum pervenisset ipse Pandulfus Barim, statim illuc Otto Imperator misit, ut eum sinè mora illius ditioni ipse jam dictus Abdila honorificè transmitteret; quapropter illius ditioni miserunt, & per exorationem Pandulfi ipse Imperator Apuliam deserit, & Galliam properavit. Ipse verò Pandulfus ad dignitatem pristinam est reversus. Hæc me dixisse sufficiat: nunc planè quid ipsi benignissimo jam fato Gisulfo Principi, ejusque Serenissimæ conjugi, Gemmæ nomine, accidit, quamvis cum mæstitia, seriatim districtiùs stylo proprio percurramus, atque fidelibus innotescamus.

VII. Factum est autem, ut ipse Princeps in gravi languore jaceret, ante obtutumque ejus sua benignissima mater staret, & dolenter fleret, atque immensas lachrymas funderet. Sciscitavitque eam ipse clementissimus Princeps, pro qua re sic acriter fleret. Illa verò dixit. *Dulcissime fili, proinde ploro, quia meis peccatis merentibus, derelicta sum à meo viro, & nunc te cerno infirmum, & non habeo consolatorem; quia uterinus meus germanus longè à me abest*. Cui Princeps. *Et quid tibi, mitissima mater, exinde comparet, mox meæ Eminentiæ illico pande*. Et illa dixit. *Volueram, dulcissime fili, quatenus illum cum sua domo huc profectò accersiamus*. Idem Princeps. *Fiat, ut comparet voluntati tuæ*. Cùm autem Princeps ille ad pristinam valetudinem Dei nutu venisset, statim suum patruum Landulfum cum omni domo sua venire jussit, quia illo tempore Neapoli manebat. Fuerat idem Landulfus filius, ut fati sumus, Ateaulfi Principis, & propter suam nequitiam, suamque crudelitatem, & superbiam (3) à Capuana urbe, in qua natus fuerat, cum suis filiis fuit ejectus, Neapolimque exulaverat; deinde venit Salernum, cùmque Consam à prædicto Principe Salernitano obtinuit; sed suâ nequitiâ, suaque crudelitate Consani substinere, * celeriter eum exinde expulerunt. Iterum ex urbe Salernitana fuit ejectus, & Neapolim properavit: nunc verò, ut fati sumus, Salernum cum tota domo sua, relicto Neapoli filio suo viro callidissimo, & ipse Landulfus nomine, ad habitandum pervênit. Sed dum Salernum adiissent, ipse mitissimus Princeps, licet non rectè gessisset, ei victum, opesque varias, domosque dedit; prædiis, colonisque eum ditavit, Consamque eidem obtinendum tribuit. Quid multa referam? secundum eum in hac urbe constituit. Valde veremur, ne à quodam sagacissimo, qui liberalibus disciplinis à pueritia est eruditus, habeam reprehensionem: sæpe enim vir, qui est minimè audax, hostium insidias pertimescit, plus nimirum, quàm audax. Sic denique & nos, qui liberalibus disciplinis periti plenissimè non sumus, crebrissimè gnaros timemus; quapropter quantùm valemus rationem illorum reddimus. Secundum, quando nomen est ordinis, in penultima acuitur; ut est illud (4) Beati Gregorii. *Joannes in spiritu, & virtute Eliæ præcessit ante Dominum, quia sicut Elia secundum Domini adventum præveniet, ita iste prævênit primum*. Quando verò præpositio est, omnibus syllabis gravatur, & duplicem habet intellectum modò propinquitatem; ut *secundùm fores*; idest prope, vel juxta januas. Modò verò notat æmulationem, idest imitationem, seu similitudinem; ut, *secundùm Apostolos vivo*, idest similiter, ut illi, quod Græcè. *Cata*. dicitur. unde & Evangelium. *Cata. secundùm Matthæum*. Item, quando nomen est, similiter in penultima acutum, tunc significat prosperum, vel tranquillum, atque quietum, & placidum; ut illud Virgilii. (5) „ *Ventis secundis*. Unde & verbum derivativum est. Secundo, secundas, secundat. idem ac, tranquillo, tranquillas, seu prosperum facio, vel quietum, ac suave facio, mitigo, placo, propitium facio. Credo equidem, quia peritis sufficit testimonium ab imperito prolatum: nunc verò, quæ obmisimus, iterum arctiùs indagemus.

VIII. Habebat planè nefandus ipse Landulfus quatuor filios: Landenulfus, Landulfus, Indulfus, & Guaimarius. Ipse Landenulfus habuit unum glaucosum oculum: desponsavit puellam quandam (6) Tassagaldi filiam. Dum illuc civitatem Tranam cum non paucis nobilibus, ut eam Salernum cum magno tripudio perduceret, perrexisset, in itinere eum febris invasit, qua mox correptus, acrique cœpit ardore fatigari; Deique nutu in Consana civitate est extinctus. Gaudium planè est versum in luctum, ipsaque puella, quamvis corrupta, cum suis hominibus suos repedat fines, ejusque cadaver per jussionem dicti Principis Salernum deducunt. Dum iste Landenulfus obiisset, statim ipse Princeps ad se accersiri jussit callidum illum Landulfum, qui fuerat Neapoli derelictus, eique (7) Laurini castellum ad obtinendum dedit, quod suus extinctus germanus tenuerat, atque cum domo sua & ipse Salernum venit. Indulfi Sarnum, Guaimari Marsicum, penè omnia fiscalia suæ ditioni tradebat: omnis Salernitanus populus, nec non & sublimes exinde valde fremebant. At ille nefandus Landulfus unà cum suis callidissimis filiis Salernitanis, quibus se credere poterant, pro Principis, suæque conjugis interitu copiosa præmia condonabat, & hàc illac proindè clam per-

(1) ann. 970. 8. Kal. Jun. Indict. 13. Otho aderat *in loco dicto Sillice Territorii Capuani*, ut ex ejus Diplom. in Reg. Petri Diac. p. 72. in Arch. Cassinensi.

(2) ann. 970.

(3) In parte Historiæ non edita expulsum dixit *Atenulfum Pr. Beneventanum è sua urbe*. eundemque recessisse Salernum, ac exulem objisse; quem puto filium Atenulfi primi. Vide me in Stemmate Princip. & ad hujus Anonymi partem 5.

(4) B. Gregor. Homil. 7. in Joannem. Sed iste verba dat parumper immutata.

(5) Æneid. lib. 3.

(6) al. *Tassilgardi*.

(7) al. *Laurum*.

pergebat, & sermoniciabat, nec non sacramenta exinde recipiebant, quatenus Salernitanum Principatum invaderet, ipsumq; Indulsum Principem constituerent; & si quislibet ipsi benignissimo Principi, suæque dilectissimæ coniugi prædictam rem intimasset, minimè dictis illius credebat.

IX. Factum est autem eo tempore, ut sæpe dictus Pandulfus cum multitudine Spoletini, necnon & suum populum Neapolim adjisset, & eam undique variis casibus cruciasset, & omnimodo nitebatur, quatenus prædicti Principis Gisulfi terram invaderet; sed dum ipsi sagacissimo Principi fuisset cognitum, repente multitudinem hostium congregare jussit, moxque locum, ubi Flumicellus dicitur, misit, cavæque sunt ibidem antiquitus factæ, & est tutissimus locus. Dum illuc validissimus suus exercitus pergeret, atque forti animo ad bellum esset paratus, audito hoc Pandulfus, & qui erant cum eo, minimè Salernitanorum adiunt fines. Sed dum Salernitani non paucis diebus illic mansissent, consilium pessimum nefandus Landulfi filius unà cum Maraldi filio Riso, & cum Romoaldo filio Teurici illuc inierunt, quatenus, ut prædiximus, Salernitanum Principatum invaderent. Cùmque omnes per jussionem jam dicti Principis in suis ædibus remeassent, atque funditus locum illum liquissent, in magna pace degerent, & ex omni parte in circuitu tranquillitatem haberent, surrexit contra eundem Principem filius iniquitatis cum omnibus suis filiis, ut prædiximus, Landulfus nomine, per quem in Principatum Salernitanum, perturbata pace, maximæ populorum factæ sunt strages; & Risum, & Romoalt unà cum suis eos omnimodo adhortabantur, quatenus facinus adipiscere valerent; & non tantùm ipsis, verùm & aliis infanda reannectebant. Cùmque per multos dies exinde satagerent, atque cui se credere poterant, nunciabant, & promebant. *Numquid non scitis, quia vult Dominus noster Gisulfus vobis abstrahere oculos?* Idipsum eorum jusjurandnm jurabant, & omnimodo eos contestabant, ut dictum illorum minimè proderent. Quid multa dicam? Quotquot ipse benignissimus Princeps diligebat, Landulfus cum suis filiis illos exosos habebant: cui Princeps minimè credebat, clemens erat, & illos pleniter diligebat, atque sibimet sociabat: cui ille minas, illi verò dulcia verba referebant. Quid multa referam? Ille ignis, qui in eorum corpora ardebat, jam foràs illum per os evomebant, atque non solùm eorum animas, verùm etiam corpora illum omni modo concremabant. Landulfus verò unà cum suis filiis jamdudum conceptam iniquitatem pariturus, annitentibus Risone, & Romoalt, sed aliis ex Salernitanis, Principatum ejus, & Palatium hoc modo invaserunt. Intempesta noctis, quando sopore gravi fessa corpora premuntur, jam dicti Landulfi filii cum paucis Palatium, non per januam, sed per fenestram ingrediuntur, & quos ibidem dormire comperiunt, comprehendunt, ibique (1) Ostiarium prædicti Principis, Balsamum nomine, vehementer constringunt, & sic ad aulam, ubi ipse benignissimus Princeps cum suaque Serenissima conjuge quiescebat, audaci animo properarunt, atque ex more illius fores pulsarunt. Cùmque talia

A Princeps ipse audisset, miratus est, suæque conjugi cuncta prædixit. *Quis est, qui nos insolitâ horâ inquietat?* At illa ad januam per semetipsam venit, eosque sciscitatur, qui essent? At illi nomina sua dixerunt, statimque eis januam patefecit. At illi ingressi, Princeps eos perquisivit. *Quare intempesta nocte ad me, fratres, venistis?* At illi dixerunt. *Quia Salernitani arma tulerunt, & te propter tuam uxorem occidere volunt.* Et hoc dicentes, eheu prædolor, in eum manus injicierunt, eumque comprehenderunt, suamque benignissimam conjugem foràs dederunt, injuriis eam afficiunt, & in ipso Palatio eam includunt; ipsumque piissimum Principem in altissima Turri, quam olim

B Proavus ejus Waimarius (2) construxerat, deposuerunt, & est sita juxta ipsius civitatis Portam, quæ ad mare deducit; omnemque ejus thesaurum diripuerunt, & sic per domos illorum, cum quibus illud peccatum consiliaverunt, pergunt. Et si quis eos interrogabat de re, quæ acciderat, illi promebant: *quia ambo pariter mortui sunt*: & protinus Alfanum patrem Serenissimæ Principissæ vocari, quasi à parte piissimi Principis, jusserunt. Sed dum ille more solito illuc pergere maluisset, repente illum comprehenderunt, & Petrum, & Pandonem Archidiaconum ejus nepotes. Deinde eos Palatium adierunt, quia putabant Principem cum sua conjuge extinctos, quemadmodum ipsi crudelissimi fecisse juraverant, & ipsi Landulfo Ty-

C ranno jusjurandum juraverunt: Riso, & Romoalt unà cum suis omnimodo decertarunt, & sequenti nocte ipsum jam dictum Principem unà cum sua conjuge Amalfiam deducunt. (3) Illa verò, quæ antea purpurata, contextisque ex auro vestibus, ac gemmis ipsa per Palatium gradere consueverat, post tecta vilibus vestibus, ipsaque confusa jacebat.

X. Cùm talia peracta fuissent, Marinus, qui illo tempore præerat Neapolitanis, & Manso Patricius Amalfitanorum Salernum cum nonnullis paucis venerunt, atque Landulfum nitebantur adjuvare, quatenus Principatum ipse firmiter obtineret. Sed non valet suffragium huma-

D num, ubi non adest Divinum. Ille Neapolitanorum Patricius Marinus oblitus beneficiorum tantorum, quæ in eum Princeps Gisulfus impenderat; oblitus etiam jusjurandi, quod juraverat, cum omni conamine, suisque hominibus omnimodo eum videlicet adjuvabat. Facta est autem tribulatio omnibus, qui eum diligebant, maximè Sacerdotibus, & Clericis, nec non & Judicibus, quos Gisulfus solitus erat. * Sed dum omnis populus comperisset, quòd ipse cum sua uxore adhuc viveret, licèt non in patulo, & tamen clam exinde suspiria traheret, & deintus fortiter de illusione, quæ facta fuerat, fremebat. Facta est non minima dissensio inter germanos pro Principali (4) am-

E bitione. Indulfus suo patri iniquissimo promebat. *Numquid non mihi jam nuper cum tuis natis jurasti, quatenus me Principem sublimares?* At ejus pater in extasi denique erat, & quid ageret penitùs ignorabat. Ipse verò Indulfus quidquid habere poterat, illud dabat, clam & sacramenta recipiebat. Id ipsum (5) Indulfus omni nisu exinde satagebat, & prædictum Marinum acriùs efflagitabat, ut eum omnimodo adjuvaret ad obtinendum Principalem honorem.

Dum

(1) al. *Vestiarium*.
(2) Sic scripti Codd. sed Proavus Gisulfi certè fuit Vvaiferius, qui eam construxit Turrim, ut dicam alibi.
(3) Ejectus est Gisulfus è Principatu paulò ante annum 974. quo iterum illum obtinuit. Vide Adnotationem meam post hanc 7. partem.
(4) al. *habitatione*.
(5) Fortè. *Landulfus*.

Dum verò utrique omni nisu decertarent, consilium inierunt, quatenus Indulfum comprehenderent, & clam illum Amalfim dirigerent; quòd sinè mora talia fecerunt. Sed dum ipse Indulfus Amalfim fuisset missus, statim omnis Salernitanus Populus illi crudelissimo juniori Landulfo jurarunt; sed dum aliquot dies Indulfus ipse Amalfim degeret, iterum Salernum per jussionem amborum iniquissimorum rediit. Cùm verò Salernum reversus fuisset, cœpit iterum plurimis dona largiri, consilium inire, quatenus per Castella se communirent, & Pandulfi juri se traderent.......... *Quia meus genitor unà cum crudelissimo germano intendit vos lumine privare*. Illi verò erant ex genere jam fati Principis benignissimi. Statim per Castella se communivere; nam Domini super illos dicta veniebant; qui dixit. (1) *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur*. Et alibi (2) *Omne Regnum in se ipsum divisum desolabitur*. Illi nefandissimi plantati erant à Deo, plantati fuerant ad bonum, & non ad malum. Illi verò contra suum Dominum surrexerunt justo Dei judicio, ut filius adversùs patrem, & frater adversùs fratrem consurgant, atque omnes simul depereant. Riso jam dictus, & Romoalt pœnitudine ducti, & licèt non in patulo, & tamen clam suspiria trahebant, & quibus se credere poterant, hujusmodi verba eorum promebant, scilicet. *Melius nobis fuerat, si nati non fuissemus, quando piissimum Dominum nostrum tradiderunt unà cum sua conjuge*. Et inter dicta verba ululabant, & dolenter flebant; pro qua re nescimus, utrum ipse iam dictus Landulfus unà cum suis filiis promissiones, quas illis promiserunt, non adimpleverunt, aut de thesauro exiguo dederunt illis. Quapropter per jussionem illorum nequissimorum Amalfim perrexerunt, & ante obtutum mitissimi Principis venerunt, ejusque conjugis, & multùm illic pariter fleverunt, & illi Principi, ejusque conjugi, arte, qua poterant, promissiones fecerunt, quatenus, si valerent, in proximo ad dignitatem pristinam illos facerent remeare, tantùm illis veniam tribuerent. Quid plura? Fleverunt, & inter se sacramenta dederunt. De illo die studenter Riso, & Romoalt omnimodo exinde decertarunt.

XI. Dum Principi Pandulfo ab illis nobilibus, qui per castella manebant, (3) nunciatum fuisset, quatenus cum suis veniret, & unà cum ipsis urbem Salernitanam expugnarent, magno gaudio est repletus, & sinè mora Salernum venit. Illico Indulfus exiit obviam ei, & Consam ab eo exposcit. Sed dum à prædicto Principe responsum ei fuit, quòd minimè talia facere valeret, ab obtutu illius cum mœstitia exiit, Salernumque rediit, & omnimodo nitebatur, quatenus Salernum remearet; sed nil ei profuit, nam à suis comprehensus est; atque per jussionem jam dicti Landulfi est delata * Princeps idem Pandulfus cum suis, & cum Salernitanis, qui per castella manebant, omniaque oppida, quæ sub jure Salernitanæ civitatis fuerant, ipsamque civitatem expugnabant, & quidquid reperire poterant, deprædabant, atque funditus demoliebant, & deintus omnes tamen fortiter resistebant. Ipseque Amalfitanorum Patricius unà cum suis deintus Palatium cum ambobus nequissimis manebat, atque Amalfitani per istius civitatis mœnia pergebant, omnesque Turres ipsi possidebant, quia ipsi nefandissimi minimè Salernitanis jam credebant.........................

(1) Matth. cap. 15.
(2) Luca cap. 11.

Nota in Num. XI. Partis VII.

Anonymi Salernitani.

Quod reliquum erat hujus Historiæ immani intercidit jactura: idque casu, an consilio acciderit: res est incerta. Principem verò Pandulfum obtinuisse urbem, ac Principatum Salerni, innuit idem Anonymus in Carmine, quod post illam adtexuit, & ipse consimili loco dabo, de quo dixi, cùm de eodem egi Auctore num. 9. Idemque similiter probant nonnullæ antiquæ Chartulæ, quæ adservantur in Archivo antiqui, & nobilis Monasterii Sanctissimæ Trinitatis Cavensis urbis, & in Archivo antiqui, & pariter nobilis Monasterii S. Laurentii urbis Aversanæ; at illas hoc loco producam, quòd rem prorsus ignoratam mirè illustrent. Veruntamen negotium facessere videtur, quòd Pandulfus dici cœpit Princeps Salerni ab anno 978. quando ejus filius, pariter dictus Pandulfus, Dynastiam illam obtinuerat ab anno 974. adoptione Principis Gisulfi, & ejus uxoris Gemmæ, sicut constabit ex Tabulis modò producendis. Sed nodum solvo. Gisulfus, qui Principatum obtinebat in Decembri anni 571. ut constabit ex Chartulis, carceri est mancipatus à Landulfo anno, certè, vel 972. vel sequenti 973. Tuncque Pandulfus pater obsidione cinxit urbem ab Indulfo, & à consanguineis invitatus captivi Principis, qui per Castella manebant, *& eandem adeptus est, ejecto inde invasore Landulfo: quam non sibi adseruit, sed legitimo Principi Gisulfo restituit anno 974. non post Junium. Isque sive grati animi, sive pacti lege obstrictus, ejus filium adoptavit, Principemque Salernitanum instituit initio circiter Septembris ejusdem anni, unàque ambo Principes advixere usque ad annum 978. quo adoptans obiit, & Pandulfus pater dici voluit unà cum filio Princeps Salerni; quo tempore Anonymus noster Historiam suam clausit, eidemque illam nuncupavit. Ista sic ego explano, alter pleniùs, & planiùs, quod opto. Promissæ verò Tabulæ sunt hæ.*

I. In Archivo Cavensi in Arca ob festinationem cùm ibi adfui haud mihi signata, nec erat tunc animus Salernitanorum Principum seriò tractare Chronologiam, est Chartula scripta. Anno 39. Principatus Dom. Gisolfi. Mense Julio. Indictione 14.

II. In eodem Archivo est Chartula scripta. Anno 39. Principatus Dom. Gisolfi. Mense Septembri. Indict. 15.

III. In eodem Archivo est Chartula scripta. Anno 42. Principat. Dom. Gisolfi. Mense Junio. Indict. 2.

IV. In eodem Archivo est Chartula scripta. Anno 42. Principatus Domini Gisolfi, & primo anno Principatus Dominæ Gemmæ ejus uxoris, & Principatus Paldolfi optati filii eorum Mense Decembri. Indictione 3.

V. In eodem Archivo est Chartula scripta. Anno 45. Principatus Gisolfi, & 3. anno Principatus Dominæ Gemmæ ejus uxoris, & Principatus Paldolfi optati filii eorum. Mense Augusto Indictione 5.

VI. In eodem Archivio. In Arca 88. est Chartula signata num. 13. scripta. Anno 36. Principatus Paldolfi, & 1. anno ejus Salernitani Principatus. Et 5. anno Principatus D. Paldolfi filii ejus. Indictione 7. *Mensis non fuerat adnotatus*.

VII.

(3) Vide Notam meam infra.

VII. In eodem Archivo. In Arca 59. *est Chartula signata num.* 275. *scripta*. Anno 36. Principatus Dom. Paldolfi, & 2. anno ejus Princip. Salernitani. Et 5. anno Princ. Dom. Paldolfi ejus filii. Mense Julio. Indict. 7.

VIII. In Archivo Sancti Laurentii, quod tunc cùm ibi aderam, non adhuc fuerat firma Chartularum inlocatione dispositum, ideoque numerus Arcularum nullus est mihi adnotatus, aderat membrana scripta. Anno 37. Principatus Dom. Paldolfi, & 2. anno Princip. ejus Salernitani. Et 6. anno Princ. Dom. Paldolfi ejus filii. Mense Octob. Indict. 8.

IX. In Archivo Cavensi. In Arca 88. *est Chartula signata num.* 22. *scripta*. Anno 37. Principatus Dom. Paldolfi, & 2. anno Princip. ejus Salernitani, & 6. anno Princ. Dom. Paldolfi filii ejus. Mense Decemb. Indict. 8.

X. In eodem Archivo. In Arca 59. *est Chartula iterum producta, ac signata num.* 275. *quæ alteram annorum consignationem exhibet sic*. Anno 37. Principatus Dom. Paldolfi, & 2. anno Princip. ejus Salernitani. Et 6. anno Princip. Dom. Paldolfi ejus filii, Mense Martio. Indict. 8.

XI. In eodem Archivo Cavensi. In Arca 59. *est Chartula signata num.* 218. *scripta*. Anno 37. Princ. Dom. Paldolfi, & 2. anno Princip. ejus Salernit. & 6. anno Princ. Dom. Paldolfi filii ejus, Mense Aprili. Indict. 8.

A

XII. In eodem Archivo. In Arca 101. *est Chartula signata num.* 297. *scripta*. Anno 38. Princ. Dom. Paldolfi, & 3. anno Princip. ejus Salernitani, & 7. anno Princ. Dom. Paldolfi filii ejus. Mense Februar. Indict. 9.

XIII. In eodem Archivo. In Arca mihi festinanti non adnotata, est Chartula scripta. Anno 7. Princ. Dom. Paldolfi. Mense Junio. Indict. 9. *In qua adest infrascripta adtestatio*. Ante nos Guidonem, & Aldemarium Judices. Nos Paldolfus Princeps filius bonæ mem. D. Paldolfi Princ. declaro; quòd Gisolfus, & Gemma adoptaverunt me in filium; propterea D. Jo: Venerab. Pontifex S. Sedis Salern. &c.

B

XIV. In Archivo S. Laurentii erat Chartula, cujus Arcam non adnotavi eâdem causâ, qua supra; eaque scripta. Anno 4. Principatus Dom. Landonolfi. Mense Martio. Indict. 14. *Et infra*. Ego Aloara relicta Principis Paldolfi, filia Petri Comitis, cum consensu supradicti Landonolfi Principis, & Gisolfi germanis filiis meis pro redemptione animæ Paldolfi Principis viro meo, & Paldolfi Principis Salernitanæ civitatis filio meo, & Landolfi Principis, & Atenolfi Marchionis filiis meis, do, trado &c.

Has autem Chartulas in Tabella per annos sic digero.

An Chr.		Princ. Gisul.	Gemmæ.	Pald. optati.	Mense	Indict.
	I. Chart.	39			Julio	14
971	*II. Chart.*	39			Septemb.	15
						15
972		40				1
						1
973		41				2
	III. Chart.	42			Junio.	2
974	*IV. Chart.*	42	1	1	Decemb.	3
			1	1		3
975		43	2	2		4
			2	2		4
976		44	3	3		5
	V. Chart.	45	3	3	Aug.	5
977		45	4	4		6
978		46	4	4		6

Gisulfus, ut reor, obiit decurrente anno 46. *sui Princ. Mense circiter Junio. At Pandulfus Caputferreus dici cœpit Princeps Salerni non post Octobrem Indictionis* 7. *ut ex subsequentibus Chartulis probatur. Igitur anno percurrente* 978. *quo obiisse oportuit Gisulfum. Idem verò Paldulfus patrium Principatum iniit circa initia Mensis Septembris anni* 943., *de quo alibi; quocirca singulis annis enumeratis ab Incarnatione adscripsi duos incompletos annos ejus Principatum; quod pariter eadem de causa factum est in annis* Paldulfi *ejus filii, fierique debet in omnibus consimilibus ratiociniis, & in numeris Indictionum. Ad Gisulfi autem annos non hac opus fuit distributione, qui Kal. Januarii anni* 933. *nisi mea me fallit supputatio, quam ex Chartulis deduxi, constitutus est Princeps à patre Guaimario juniore, ætateque triennis, ut Anonymus Salern. tradit in Historia non edita. Adnotetur igitur iterum annus* 978., *quo Pandulfus Caputferreus post Gisulfum dici cœpit Princeps Salerni.*

C

An. Chr.		Pald. Pat.	Saler.	Pald. fil.	Mense	Indict.
978		36	1	5		7
979	*VI. VII. Char.*	36	1 2	5	.... & Jul.	7
	VIII. IX. Char.	37	2	6	Oct. & Dec.	8
980	*X. XI. Char.*	37	2	6	Mar. & Apr.	8
		38	3	7		9
981	*XII. Char.*	38	3	7	Febr.	9
	Pald. pat. obiit Mense Martio.					
	XIII. Char.			7	Jun.	9

XIV. Postrema Chartula tempore data est Principis Capuæ Landonulfi, anno 986., quando in fata jam concesserat Princeps Pandulfus pater in Martio anni 981. quod istæ consentiunt Tabulæ, ac adstruit Chronicon Ducum, & Principum Beneventi suo loco producendum. Pariterque obierat Princeps Pandulfus filius; cujus acta, & reliquorum Salerni Principum diligentiores investigent, quæso, Salernitani viri, antiquitatis studiosi, quibus facultas est Cavense Archivum, opportunis ad hanc rem Chartulis maximè refertum, sedulò perscrutari: mihi enim pauculas per horas ibi morari contigit, hasque productas, ac nonnullas alias præpropere inspicere Chartulas à vigilantissimo, eodemque politissimo Archivario Camillo è Capua ejusdem Monasterii Monacho perhumanè exhibitas.

Verùm qui nosti Pandulfum Caputferreum advixisse ad annum 981., exinde comperies vera nobis tradidisse Petrum Damiani scriptorum integerrimum, qualem Baronius adpellat ad Martyrol. 8. Idus Maji; qui in Opusculo 19. De Abdicatione Episcopatus cap. 9. juxta Editionem Lugdunensem anni 1623., sed juxta alias in Epist. 9. lib. 1. adserit tempore obitus ejusdem Principis advenisse ad has regiones Imperatorem Othonem secundum, ac adversùs Saracenos præliaturum festinasse. Namque Imperator *ille* Otho, *teste Lamberto Scafnaburgensi in Chronico*, perrexit in Italiam anno 980. *Sique fides est Hermanno Contracto*, Neapolim venit anno 981. *Eodemque tempore procul dubio aderat in hac Cis-Tyberina Italia, quando Diplomata dedit Monasterio S. Vincentii ad Fontes Volturni, quæ refert idem Baronius prædicto anno 981. num. 4. A quibus non discedit Sigebertus Gemblacensis ista adnotans ad eundem annum* 981. Otho Imperator (*ait ille de secundo loquens*) Calabriam Provincias ad jus Regni Græcorum appendentes transferre ad Imperium Romanum conatur. *&c. Quæ habet quoque, iisdemque verbis Willelmus de Nangis in Chronici parte, quæ extat apud priores Annales Francorum à Pithœo editos; sed ad annum notat 980., ideoque, sive corruptè, sive unico loco strictim adnotans, præter mentem Sigeberti, plurium annorum eventus. Et ille quidem Willelmus sub eodem prædicto, sibique designato anno cladem postmodum ab Othone in Calabria acceptam locat, quam Sigebertus, & reliqui laudati auctores ad annum figunt 982.; qui pariter tradunt illum in tantam animi molestiam ex ea decidisse, ut Romæ morbo decesserit sequenti anno 983. Qua annorum designatione patenter commonstrant (contrarium certè non pronunciant) Imperatorem non recessisse ab Italia, postquam, ut dictum est, adcesserat anno 980. Iis autem licèt quo ad hoc repugnet ex nostratibus Leo Ostiensis lib. 2. cap. 9., adfirmans Othonem post priorem adventum esse reversum ad sua, iterumque in anno 983. regressum: de reliquo tamen plenè adsentitur, ac in Cis-Tyberina Italia Imperatorem adstitisse in anno 981. non dubiis declarat verbis, modò ea rite interpretemur, quæ producam, sed Paraphrasi explanata brevi.* Sequenti anno (*ait Leo*) *à morte præindicati Archiepiscopi Capuæ, cujus Ecclesiam Pastore suo remansisse viduatam paulò ante obitum Caputferrei, anno scilicet* 980. *constat ex Vita S. Nili, idque nullus inficiabitur*, defuncto primo Ottone *ab anno* 973., *cujus Auctor meminerat lib. 2. cap. 4. mortuumque non adhuc adnotarat*, Otto secundus Imperator filius ejus, cognomento Rufus, *ante non aliàs memoratus, peritèque ob id minutim descriptus*, venit Capuam, (1) & *Neapolim quoque in anno* 981. *quo obiit Caputferreus, & Joannes Magister militum*, & abiit Tarentum, *ibique adstitit* 17. *Kal. Aprilis anni* 982., *ut tradit Sigonius lib. 7. De Regno Ital. & quidem ex peculiari aliquo documento in Chartulis sibi viso*; ac Metapontum; & deinde Calabriam. Unde prosperè ad sua reversus: *hoc tacent alii*: anno nongentesimo octogesimotertio iterum, magno exercitu congregato, cum Saracenis, *quos in sui adjutorium Græci advocarant, idque habent præallegati scriptores*, in Calabriam dimicaturus descendit; sed Divina permissione superatus ab illis, vix ipse cum non multis evadere potuit, *&c. Hactenus Ostiensis. Petri igitur adsertio nil labat, quam adhuc firmare possem testimonio Lupi Protospatæ, sed abstineo: ille enim quamvis in Chronico ad annum* 981. Othonem *tradat* fecisse prælium cum Saracenis in Calabria in civitate Corruna, ibique mortuos quadraginta millia Pœnorum cum Rege eorum Bulcassimo: *Verumtamen talis adnotatio videtur mihi è suo loco luxata, aut certè iteratò producta ex anno* 967. *ad quem Editus Codex Lupi denuo illam exhibet. Tu vide; sique in hoc à me abis, non utique discedere potes à Petri pronunciato, cui Lupus quoque ex te favet: is namque est cæteroqui concors aliis Chronologis, nec falsæ supputationis insimulari poterit. At si ex dictis constat modò Pandulfi Caputferrei obitum verè contigisse adveniente Capuam, & Neapolim Othone secundo; verum pariter fuisse noverimus, quod idem Petrus ibidem enarrat de Viso cujusdam Anachoretæ, quo innotuit ei animam ejusdem Principis ad æternos cruciatus ruituram, deque eruptione Vesuvii Montis secuta post ejus, & Jo. Ducis mortem.* Ex quo Monte (*verba sunt ejusdem Auctoris*) quandocunque in illis partibus reprobus dives moritur, ignis erumpere videtur. *Et sanè ditissimus, magnusque Dynasta fuerat Caputferreus, qui nedum Princeps Capuæ, Beneventi, & Salerni, sed Dux, & Marchio extitit Spoletii, & Camerini; sicut constat ex scripto Chron. prædicti Monast. S. Vincentii ad Fontes Volturni lib. 3. & 4.; ac proinde dimidiam ferè Italiam possederat. Nec opinio illa Vesevum Montem de more eructare flammas in obitu Proceris alicujus impœnitentis, ex*

(1) Nec dices: *sequenti anno ab adventu Capuam Joannis Papæ* 13. quem Leo ibi prædixerat; quia esto adventus ille, ut summùm, contigerit anno 971., quod nego, tunc certè Otho 1. adhuc inter vivos agebat.

ex altero, ni fallor, antiquiori inoleverat exemplo, quàm ex ejusdem comperta damnatione Caputferrei, quæ vulgi ore ferebatur communi, eademque postmodum novo experimento increbuerat, ætateque Petri ob id firmiſſimè retinebatur. Etenim dum post aliquot annos à morte Pandulfi Mons ille iterum incendia evomeret, quod Glaber Rodulfus lib. 2. cap. 7. ad annum figit 993., Salerni Princeps, nomine Joannes, Avus scilicet Guaimarii, qui à suis peremptus est in anno 1052., incendia illa prospiciens, ac reminiscens, ut reor, haud antiquum Caputferrei, & Joannis casum, in eam prorupit vocem, eodem adtestante Petro. Proculdubio sceleratus aliquis dives in proximo moriturus est, atque in Infernum descensurus. Quæ de se ipso Principem prædixisse, qui proxima nocte, morte inopina cum scorto concumbens obiit, idem testatur Auctor. Caputferreus autem, ad quem redeo, quamvis nonnulla alioqui sancta opera, ac præclara facinora pro Romano Pontifice Joanne 13. vivens ediderit, Monasteriumque Caſſinense donis, & Privilegiis multis locupletarit, ex quibus ævum illud acceptabile quidem fuerat Monachis: sicut Ostiensis pronunciavit lib. 2. cap. 2., sed tempora respiciens patris Pandulfi hujus; haud tamen illum talia operatum ex sincera animi pietate, ac religione, visio declaravit Solitarii, quam Petrus, dum adhuc Opusculum dictator exararet, accepiſſe testatur ab adveniente Desiderio ejusdem Monast. Abbate, qui postmodum fuit Victor Papa III. eandemque legere est in Chronico præmemorati Ostiensis, etsi loco adfixam non suo: hoc est lib. 2. cap. 82. Quo situ positam interpretari illam oporteret de altero Pandulfo Capuæ similiter Principe, sed recentiori, qui econtra expilator fuit bonorum Monasterii modò dicti, ejusque animæ damnatio alterá similiter innotuit visione, de qua habet idem Leo lib. 2. cap. 60.; idemque Desiderius lib. 1. Dialogorum, qui inediti habentur. Veruntamen, ut dixi, visio illa eò loci malè traducta habetur, quod duo probare poſſunt indicia. Est primum, quia Desiderius eam noverat, ac Petro Damiani enarraverat, suisque illis Dialogis scribere est professus signa, quæ Deus in contemptores Caſſinensis Cœnobii est operatus: eandem tamen ibidem præteriit, quod nullatenus feciſſet, si de posteriori sacrilego Pandulfo accipiendam sciviſſet, de quo alteram exponere non est veritus. Secundum indicium: quia Petri narratio iisdem prorsus verbis habetur in Chronico Leonis, amputatis solummodo illis, quibus demonstrari poterat, eam de Caputferreo, nec de altero Pandulfo, esse interpretandam. Tu locos confer, qui ignorare non debes Caſſinensem Historiam aliquanto post ætatem Petri elucubratam.

CARMEN ANONYMI SALERNITANI AD PANDULFUM PRINCIPEM

Capuæ, Beneventi, & Salerni.

De Historia Langobardorum Principum à se conscripta.

Vir bone, dulcis, amans, mitis, Sereniſſime Princeps,
Armis, ajo, Dei (1) auxiliove potens,
Hanc, quam misit iners, cape deprecor Historiolam;
Perlege cuncta libens, abdita corde tege,
Hanc quia adhuc insontē lacerant quiq;(2)supersunt,
Et rodunt fantis famina verò crebro.
Et si indigna tuli imprudens, prudentiùs (3) en tu
Ignosce ignaro, aut calamo reseca.
Aurea nam Capua sinè Principe desiit esse,
(4) Ticinum geminum, Eheu, viduata manes.
Judicibus tumuit sive subjecta superbis,
Hostibus innumeris hinc spoliata gemit.
Sentibus, & ramnis, tabefactaque tota fatiscit,
Civibus exuta, atque referta feris.
Lux redit ecce nova altorem cùm suscipit, illi
Te quoque magnanimum gaudet adeſſe patrem.
Gemmea nunc iterum exultans urbs(5)cantibus: Odas
Principe sub tanto euge canendo boat
Lusibus exultat, gaudet, splendet, nitet omnis
Ætas, conditio, sexus uterque nimis.
Tempore præterito (6) TELLUS DIVISA maligno
(7) UNITUR TUO ecce, tuente Deo.
Aëra, Terra, Polum, Freta, Mundi climata tota
Alleluja canant laudis amore tuæ.
Tu fretus pietate Dei exime gente profana
Christicolum populum, oro, mucrone tuo.
Te Deus ipse regat, foveat Virgoque Maria,
Concio Apostolica, agmina sancta novem.
Det tibi lætitiam vitæ, Regnique triumphum,
Post funus tribuat Regna beata tibi.
Tu quoque belligerator, tuque fortiſſime Princeps
Salve, & ubique vale tempus in omne tuum
*Dein structore (8) * blebe in Carminis hujus*
Commendo in sursum, vir pie, sive potens.

DE PRÆCEPTO PALDULFI PRINCIPIS CAPUÆ.

Autographum hujus Præcepti, quod penes me est, antiquum quidem, & membranaceum, ab interitu olim vindicaveram hac sola oblectatus curiositate, quòd ex ipso intellexeram partem agri Campani, quam vulgus adpellat. Terram Capuanam, (9) iisdem sexcentis abhinc annis circumscriptam extitiſſe finibus, quibus nostro hoc ævo concludi illa conspicitur. At postmodum, reattentiùs contemplata, vidi ex eodem Præcepto accedere poſſe, tum Campanæ urbis juribus, tum antiquitatis studiosis non exiguam utilitatem; quare statui, ne utrorumque profectibus inviderem, ipsum publicis Typis committere. De quo nil aliud hoc addam loco, nisi credere me è nobilibus viris hic memoratis, & Paldulfo Principi consanguineis, qui exædificandi castri in Monte Malconi potestatem à Principe acceperant, atque (verbo dicam proprio, & antiquo) Domnicalia Terræ adtributæ trifariam, ut reor, poſſedere, emersiſſe Patritiam in urbe Capua gentem, olim dictam. Capuanam, quam gravi adtestatione Campani item Patritii Vincentii Fraperii Rathæ certo scio ætatem perduxiſſe suam ad transactum prope sæculum, quo defecit vetustiſſimæ nobilitatis opinione decora. Eáque ob Terræ in Præcepto demonstratæ dominatum eidem, me arbitro, suum communicaverat nomen, adpellataque inde illa fuit. Terra Capuana, & quandoque. Terra Capuanorum; sicut adpellatam legi in antiquo Diplomate, quod erat in Archivo Monasterii S. Laurentii Aversanæ urbis, datum à Principe Capuæ Jordano, anno Principatus 29. Ducatus Cajetæ 24. Kal. Martias. Indict. 10. per manus Canzolini Judicis anno In-

(1) al. *auxilione*.
(2) al, *super hunc*.
(3) al. *ea tu*.
(4) *Ticinum geminum*, Hoc est. *Bereventum*, Vide supr.
(5) *Gemmea urbs*, Hoc est; *Salernum*.

(6) Ab anno 840.
(7) Anno 978.
(8) al. *De instructore*.
(9) *Terra*. Denotat collectionem plurium oppidorum, sicut alibi. *Terra citra Pharum*, & inf. *Terra filiorum*, &c.

Incarnat. 1087. *In quo dicitur finem cujusdam Fundi esse* Terram Capuanorum in loco Campo Galiano. (1) *Et in altero Privilegio sistente in antiquo Regist. Monast. Sancti Michaëlis Arch. dicti ad Formam, extra Capuam, quod erat in Archivo Monast. Cassin. legi pag.* 24. Ugonem Comitem Volturnensem in anno 1097. Princip. Richardi II. anno 17. Mense Febr. Indict. 6. concessisse Saxoni Præposito prædicti Monasterii S. Michaëlis Ecclesiam vocabulo S. Benedicti, constructam intra fines Terræ Canciæ, unà cum petia quadam terræ, *cujus finem ibidem adserebatur esse* ab uno latere rivum, ab altero silvam, quæ dicitur Peneta, ab altero Terram Capuanorum, & ab altero Terram prædicti sui Comitatus. *Nec insolens est amplam Campani agri partem ab hoc fonte nomen accepisse, quandoquidem istius nomenclaturæ nulla alia reddi ratio, nec potest, nec solet aptior; situsque tam veteris, quàm novæ Capuæ ab eadem longè distent, medio præterlabente Volturno;* (2) *quæ utique nullo, nec naturæ, nec consuetudinis privilegio duabus aliis æquè amplis, urbique circumpositis, & subjectis Terris, Lanei scilicet Terræ, & Terræ Canciæ, præcellit; ita ut quidquid potiùs aliud de ejusdem nuncupationis origine opinari valeamus, quàm quòd ab circumsepta à se urbe Capua, sive ab aliqua alia præcipua sui excellentia tale nomen inditum illi fuisse credamus, quod cæteroqui reliquos circumjacentes condecet urbis agros. Verùm enimvero nonne conjuncta, & continentia loca à pluribus, vel communi jure, vel divisis sortibus possessa dominis, qui ex uno, eodemque genere ortum duxerunt, vulgus olim consuevit nuncupare, hodieque facit, è dominantium nomine, sive gentilitio, sive quavis alia ratione illis communi? Equidem apud Falconem Beneventanum ad annum* 1139. *adpellatas legimus* Terras Filiorum Borrelli, *aliis dictas* Burrelescas, Burrellenses, & Burrellensium; *hoc est Oppida prope quinquaginta continenti in regione contermina, quæ ab unius Borrelli posteris, de quo viro Ostiensis lib. 2. cap. 6., possidebantur. Atque in Chronico Richardi de S. Germano, quod in membranis scriptum adservabatur in Bibliotheca Cassinensi signatum num.* 203. *adpellatione* Terræ filiorum Pandulfi *omnis antiquus Teanensis Comitatus semel & iterum designatur ad annum* 1229. *nomine planè exorto ab excessu Pandulfi olim Teanensis Comitis, & Capuæ postmodum Principis, qui stirps fuit, & origo gentium tum aliarum, tum De Cajanello, De Marczana, De Presenzano, & De Roccaromana, in quas, ut puto, & in alias quoque progressu temporis Terra sui Comitatus dispertita fuit: illas quidem omnes inter cæteras Campanæ urbis Patritias olim adnumeratas, de quibus frequentes in antiquis Tabulariis extant memoriæ.* Terra *igitur* Capuana, *sive dicas* Capuanorum, *qua plures adhuc concluduntur Pagi, haud dubiè nomen obtinuit à gente, à qua possidebatur, jam tunc exorto hoc gentili. Idque eadem gens pariter communicavit uni ex publicis Capuæ Portis, ac Turri eidem Portæ adjacenti, quarum extat memoria in pluribus tabulis præmemorati Monasterii S. Laurentii, & in tabulis Archivi Sacri Thesauri Campanæ Cathedralis Ecclesiæ, ac in antiquo Membranaceo scripto libro Rituali ejusdem Ecclesiæ, qui est penès me. Hisque in monumentis* Porta Capuana, & Turris Capuanorum *adjacentes dicuntur Ecclesiæ S. Laurentii Martyris, eodem nunc loco, quo multis abhinc annis est Ecclesia S. Eligii à Clericis Regularibus decentissimè ad præsens culta. Cur verò his ædificiis credam enatum quoque nomen è* Capuana *gente, sciet qui novit priscorum morem, qui Portas, Turresque urbium firmâ curâ custodiendas committere consueverunt inhabitantibus domus Portis, & Turribus propiores; ex quibus talia loca, non modò Capuæ, sed alibi nomina similiter quandoque accepere; quod indagantibus erit non uno exemplo manifestum, deque his peculiari in Dissertatione Italicè mihi descripta, quæ* De Portis *inscribitur, fusè egi. Cæterum Terra hoc in Diplomate exactè repræsentata, montibusque clausa à Septemtrione, qui jisdem modò nominibus dicuntur, quibus ipso in Diplomate designantur: ab Occidante autem Rivulo definita, qui nunc appellatur,* il Rio delli Lanzi, *descenditque ut hic exponitur,* per Calvo, *olim* Cales; *& ab Oriente altero terminata amne, nuncupato etiamnum* Anglena, *sesquimilliari ab Occidentali Capuæ latere lenissimè fluente, haud perpetuo aliquo, naturæque ceu limite ad Meridiem ab Terra Canciæ, quæ Campani agri alia est pars, discriminari cùm peribeatur, sed tantummodo sylva quadam à viri nomine, ut judico, ejus aliquando possessoris, nuncupata,* De Saducti (*nescio an illum ipsum credam, ex quo clarum genus Saductorum effluxit, Erchemperto memoratum Num.* 15.) *& insuper distingui ab eadem Terra Canciæ imaginaria quadam linea, ducta ab præfata sylva usque ad Anglenam per loca Ecclesiæ S. Nazarii proxima, cujus exigua nunc rudera, sed notissimum manet nomen in campo appellato* Romagnano: *videre hinc mihi videor, Capuanam hanc Terram sub Terra illa Canciæ olim fuisse comprehensam, quæ latissimè tum ultra Volturnum flumen, tum citra, ut hac quoque ætate, protendebatur: in Cancia est .n. Ostiensi l. 1. c. 33.* Roselle; *Pagus olim inter Pagum Arnonem, & castrum Maris, cujus nomen tantùm nunc servatur. Sed ipsum præterea* Canciæ *etymon attentiùs si pervestigetur, indubiè idem suadebit. Quippe quòd non ut vulgus putat, ea dicta est* Cancia, *& variante dialecto* Cantia, & Canzia, *quasi Terra, per quam iter agentes necesse habeant, liceatque eis ob lutosissimas vias in proximos quamvis satos campos transilire, ac divertere, quod populari eloquio dicitur.* Canzare: *sed ab* Plancis, *hoc est ab tabulis planis, ut id verbi Festus exponit, & quadratis lapidibus, quibus plusculæ antiquitus viæ, & præcipuè viarum Regina illa* Appia *Capuam inter, & Sinuessam: nunc* Rocca di Mondragone, *per Canciam, perque Capuanam Terram stratæ, & communitæ fuerant, earumque hinc inde dein disjectarum ingens tunc copia ipsa itinera reddebat multa incommoditate famosa. Verùm quo pacto non* Plancarum, *sed* Canciarum Terra, *sive absoluto vocabulo, ac numero multitudinis,* Canciæ, *ut est apud antiquissimum Auctorem Ignotum Cassin. Num.* 28. *& tandem* Cancia, & Terra Canciæ, *numero unitatis ea fuerit dicta, erit sanè non injucundum breviter nunc explicare; namque ex Plancis inditum Terræ nomen, si de prædicta jam constare faciam vocabulorum commutatione, nemo erit mihi justè contradicturus. At enim sicuti pleraque Latina nomina literas* .pl. *in prima syllaba quæ habent, ad nos cùm veniunt, efferuntur per.* ch. *ut* Plaga, Chiaja: Planctus, Chianto; Plumbum, Chiummo; Planus, Chiano; Plantæ, Chiante, *& sexcenta alia: ita ipsum Latinum, idemque primi-*

(1) Terra in Præcepto descripta ibi quoque adseritur contermina Campo Galiano; ibidemque concurrit cum Terra Canciæ, sive Cantiæ juxta Ecclesiam S. Nazarii.

(2) Falsus Annius Viterbiensis ad Pseudo-Sempronium, qui vetustam Capuam vult inter Volturnum, & Lirim.

primitivum vocabulum (1) Planca, *&* Plancæ *populari sermone enunciatum quandoque fuisse* Chianca, *&* Chianche, *fatendum est: commutatoque ore* Chiancia, *&* Chiancie, *& demum* Cancia, *&* Cancie. *Quod sanè adeò est verum, ut cum à* Cancia, *sive* Canciis: *idest à* Planca, *vel* Plancis *diminutivum formaretur*, Cancella, *&* Cancellæ, *atque mutato genere*, Cancellus, *&* Cancelli, *factum sit, ut loca, in quibus ejusmodi lapideæ tabulæ injuriâ temporum confractæ superérant, vulgò dicta communiter fuerint*, Cancelli, *Latinè verò*, Plancellæ. *Quo pacto locus non longè ab antiqua Suessula, nunc deleta, Ignoto Cassin. fortasse demonstratus Num.* 11. *dictusque olim* Cancelli, *at nunc proprietate vocabuli ignorata*, Cancello, *nuncupatus reperitur* Plancellæ *in Bulla Casertani Episcopi Rannulfi de an.* 1113. *apud Sanctuarium nostri Michaëlis Monachi. Et insuper locus alter, qua Caudio Beneventum Appiâ quondam ducebat viâ, à Falcone Benevent. ad an.* 1138. *nuncupatus* Plancella, *communiter nunc dicitur*. Le Ciancelle. *Sed præter hæc, loca alia, in quibus quadratorum lapidum, & Plancarum antiqui operis pridem habebatur, vel adhuc habetur copia, facilè occurrunt multa, passim appellata tum* Cancelli, *&* Cancello, *tum* Chiancie, *&* Chiancitelle, *sive* Chianche, Chianchitelle; (2) *licèt vulgus admodum à vero alienas commentari soleat ejusmodi vocabulorum occasiones. At de his præ hac opportunitate satis. Quòd autem præsens Præceptum de anno sit* 1034. *adscribique debeat Pandulfo* 4. *qui ab an.* 1016. *ad an.* 1050. *quo obiit, ter fuit Princeps Capuæ, constabit in Principum Chronologia. Tu interim fidem præsta.*

PRÆCEPTUM.

PALDULFI IV. PRINCIPIS CAPUÆ.

Quod anno MXXXIV. fecit Adelmundo parenti suo de tertia parte Montis Malconi, & de tertia parte Domnicalium per introscriptos fines. Et de aliis, ut infra.

IN nomine Domini Salvatoris nostri Jesu Christi Dei æterni. Paldulfus, & Paldulfus pater, & filius Divina favente clementia gentis Langovardorum Principes. Cùm principalis excellentia dilecti petenti clementer dignè tribuuntur.] (3) Qua propter noverit omnium fidelium nostrorum presentium scilicet, hac futurorum sagacitas, quia Agelmundus, & Aldemarius germani, filii cujusdam Nantari, & Agelmundus filius cujusdam Agelmundi, & Johanne filius cujusdam Landolfi, qui dicitur Manco, dilectis nostris parentibus, obsecraverunt nostram excellentiam, quatenus concederemus Adelmundo dilecto parenti nostro, filio cujusdam Adelmundi, qui fuit Judex: hoc est integra ter. par. de ea omnia subscripta in omni ratione, qualiter hic supter leguntur. De quibus petierunt à nostris excellentiis firmitatis apices illi exinde fieri juberemus. Quorum petitiones benignè exaudientes, hos nostræ firmitatis apices illi exinde fieri jussimus, per quos omnino sancimus, & perpetualiter abendum nostris, & futuris temporibus per hoc nostrum roboreum Præceptum concedimus tibi jam nominato Adelmundo dilecto parenti nostro, filio cujusdam supradicti Adelmundi; idest integram tertiam partem de Monte, qui nominatur Malconi; quæ esse videtur propinquo æcclesia S. Angeli, que dicitur ad Gutta; In quo Monte olim Castello inchoato fuit faciendi. Simulque & concedimus tibi integram tertiam partem de omnibus territoriis exfundatis, & de omnibus rebus, quæ, & quantùm sacri nostri Palatii, vel parti nostræ publicæ pertinentes invenitur infra has fines. Idest incipiente da ipsa civitate vetere, qui fuit de Trifisco; & quomodo vadit per vertice de ipsi monti, qui dicitur Palumbara, & Mercururu, & Aspaturu. Et quomodo revolvit per vertice de ipsi monti, qui sunt super Camilianu, & super Janu, & quomodo vadit usque ad ipsu Mon. Majore, ubi ædificata est æcclesia Sancti Archangeli: & sicut descendit usque ad ipso Fonte, unde exit ipsa aqua, facit ipsu Rivu, qui descendit per Calvo. Et quomodo descendit ipsa aqua, & Rivo usque in Cantie ad ipsa silva, qui dicitur de Saducti. Et quomodo revolbit, & vadit usque ad æcclesia Sancti Nazari, (4) qui dicitur de Cantie, & vadit directè usque ad ipsu Ponte vetere, qui fuit fabrito super ipsa Anglena; & quomodo vadit per ipsa aqua de ipsa Anglena in sursum usque ad ipsa pratora, qui dicitur Campu Caliani, & Partu tostu; & revolvet se per ipsa aqua de sursum de eadem Anglena, & vadit usque ad ipsu Ponte fabrito est ipsa.... & Sala Dominica, & abinde vadit in sursum per ipsa aqua, & Palud. usque in loco, ubi dicitur Aquitine. Et quomodo vadit in sursum per ipsa aqua, & Palud. usque ad æcclesia Sancti Maximi, qui ædificata est propinquu ipsa Molina de Trifiscu. Et quomodo revolbit, & directè descendit, & vadit usque in Fluvio & quomodo vadit in sursum per ipsa aqua de ipsu Fluviu, & conjungent se cum prædicta civitate vetere. (5) Sive de illis hominibus, qui sinè eredes decesserunt, aut decesserint in prædictas fines abitantes. (6) Sive de illis, qui de hac terra exjerint; (7) Seu de illis, qui talem malum, aut culpam fecerint, unde rebus, aut personibus eorum ad sacrum nostrum Palatium, vel parti nostre publicè evenire debuerint: Bidelicet homines, quibus modò ibidem residentes sunt, vel quibus aduc in antea ibidem residentes fuerint; ut faciant illi, suorumque eredum tibi, qui supra Adelmundo, tuisque eredibus omnem servitium, & imperationem, ed dationem, Hoste, & Data, quæ est pensio publica judica....s, & scaditionibus, & reliqua omnia servitia, quæ at rem publicam pertineat, faciendum inde omnia, quod tibi, tuisque eredibus placuerit. (8) Et etiam concedimus tibi, qui supra Adelmundo, tuisque eredibus, ut si mulieres liberas fœminas fornicationes fecerint cum liberis, vel cum servis ominibus quoquo tempore; vel viris ominibus culpas, vel malum fecerint, & exinde

(1) Servant sanè adhuc loquendi hunc morem Lucani, gentesque finitimæ, quibus sermone patrio dicuntur *Chianche* Latinis, quæ fuere *Plancæ*.

(2) Sed, & Pagus in agro Campano *Cancellus*, in ipsa Terra Canciæ cur nam, nisi ob hoc tale sortitus est nomen?

(3) Verba, usque ad hoc Signum] in Autographo explent primam lineam, literisque sunt picta pari forma, qua illæ ad finem *Signum* &c. Reliqua, ut illa, *Alfredus*, &c.

(4) De hac Ostiens. lib. 1. cap. 25. In qua à Jo: 8. consecratus est Athanasius Episc. Neapol. ut in scripto Chr. Episcopp. Jo: Diaconi.

(5) Confer. loca hic ad oram adnotata Leg. Lang. lib. 3. tit. 13.

(6) Leg. Lang. lib. 3. tit. 12.


(7) Leg. Lang. lib. 1. tit. 7.

(8) Leg. Lang. lib. 1. tit. 31.

exinde compositio expectat, quæ at rem publicam pertinet, tam residentibus quobis tempore intus castro, qui dicitur Mon. Malconi, seu de foris eodem castro, quibus abitantes sunt infra suprascriptas fines. (1) Insuper concedimus tibi jam dicto Adelmundo omnes mulieres liberas fœminas, que sibi copulaverunt, vel copulaverint tuos servos maritos, unà cum omnibus. . . . . Ilorum quemadmodum nostro pertinent Palatio ad faciendum inde omnia . . . . cuerit. (2) Quàm & concedimus tibi, qui supra Adelmundo, ut licentiam, & potestatem abeatis vos, & vestros eredes unà cum ipsis, qui supra Agelmundum, & Aldemarium . . . . . Agelmundum, & cum Audoaldum, & Landolfum; & Nantari nepotibus ipsorum, fili cuiusdam Landolfi, qui fuit germanus eorum, & cum Johanne filio cujusdam Landolfi, qui dicitur Manco; & cum Alfano filio cujusdam Nantari Guisand. . . . . in jam dictum Mon. qui dicitur Malconi, semper ibidem facere, & edificare castru (3) à presenti, & in antea, quando potueritis, & volueritis vos, & illis, & eorum, atque vestrorum eredibus cùm mura & Turres, qualiter stare possit. Simulque concedimus tibi, qui supra Adelmundo, tuisque

A eredibus, bidelicet aquis, & decursibus aquarum, padulis, & pascuis, pratis, & silvis, montibus, & collibus, territoriis cultis, & incultis, biis, & anditis, & semitis, & omnia, quibus at rem publicam pertinere videntur tibi Adelmundo ipso, quæ, ut diximus, concessimus per hoc nostrum Præceptum at possessionem tuam, & de tuis eredibus abendi, possidendi, hac faciendi inde omnia, quod tibi, tuisque heredibus placuerit absque contrarietate Comitis, Castaldi, Judicis, vel Sculdahis, haut de cujuscumque persona hominis contradictionem, vel inquietudinem, nemine vobis exinde in aliquo molestiam ingerent. Quot si quispiam hanc nostram concessionem nostri Præcepti in quomodocumque violari presumpserit, sciat se esse

B compositurum auri optimi libras centum, medietate sacro nostro Palatio, & medietate tibi, qui supra Adelmundo, tuisque heredibus; & hæc nostra concessio, de quibus continet, firma permaneat im perpetuum. Quot ut verius credatur, diligentiùsque ab omnibus observetur, hoc Præceptum nostræ largitionis propria manu confirmantes, sigilli nostri impressione inferiùs insigniri jussimus. (4)



Hoc est. *Signum Domini*. *Paldulfi Excellentissimi Principis*.

Datum IV. Idus Martii. Anno nonodecimo Principatus Domini Paldulfi, & anno quintodecimo Principatus Domini Paldulfi ejus filii gloriosis Principibus. Indict. secunda. Actum in civitate Capuana.

(5) Ego Paldolfus Princeps me subscripsi.

DE TUMULIS
PRINCIPUM LANGOBARDORUM.

NEc Principum aliquot Langobardorum posthumam in Tumulis gloriam, qui temporis ultima damna adhuc effugerunt, patiar deperire: nec Cæsarem Paganum Neapolitanum Patricium silentio premam, quem de illis, deque multiplici eruditione optimè fuisse promeritum ex compluribus agnovi, tum Historicis, tum Militaribus, tum Philologicis ejus nondum editis Commentariis, acri ingenio, indefessoque labore elucubratis. Ex illius namque Promptuario hos Tumulos omnes, quos Beneventi exstare adfixi tituli indicabunt, humanissimè communicavit mecum Ugo Paganus filius,

C *Dux Terræ Novæ, qui adseruit se certò scire, illos fuisse à patre in anno* 1595. *Beneventi tunc commorante, ex marmoreis monumentis exceptos. At qualis, quantaque ex iis capi modò possit utilitas, is intelliget, cui æquè, ac sapienti illi viro non fœtent putida, ac marcida isthæc remotioris ævi multiloquia; quibus cùm haud quidem leviter oportuit Cæsarem fuisse luctatum, ut eadem ex detritis præ antiquitate tabulis exscriberet integra, & emendata. De iis verò non aliud occurrit modò notatu dignum, quod hoc moneam loco. Leviusculum sanè est unum, quod addam tamen: hos nempe Tumulos literis sculptos fuisse, ut vocant, Majusculis, formâ Latinis consuetâ, etsi aliquantulum detortâ, & impolitâ, quam Langobardos ad impo-*

D *litæ dictionis instar, velut ex norma, usurpasse, innumera probant exempla. Et quidem tale est Sepulcrum Campani Principis Landulfi, quod habes num.* 14. *in quo & illud animadvertendum, versus positos esse hoc ordine, ut Pentameter unusquisque non infra Exametrum habeatur, sed ad eandem illius rectam lineam; qua similiter versuum distributione plerosque alios Langobardorum Tumulos sculptos vidi, ac eos præcipuè, qui in Acrostichis*

(1) Leg. Lang. lib. 1. tit. 12. Ostiens. lib. 1. cap. 59.
(2) Ostiens. lib. 1. cap. 59.
(3) An credam, hos viros, qui castri exædificandi facultatem accepere, trifariam, & hereditario jure Domnicalia Terræ possedisse, quæ Principes novo Præcepto illis firmarunt, more scilicet consueto?

(4) Monogramma hoc in Autographo minio est ductum, & in eadem linea adsunt signa Bullæ olim Præcepto adfixæ.
(5) Princeps subscripsit in ima membrana literis minio ductis.

A *chis nomina demonstrant apud se humatorum, qualis inter hos est Tumulus Godefrid ordine quartus. Ista igitur cùm præmonuerim, solutus modò videor culpâ, quòd Landulfi non eâdem formâ distributum repræsentaverim, qua est in lapide, angustiâ potissimum paginæ, velim nolim, coactus.* (1)

TUMULI PRINCIPUM ALIQUOT LANGOBARDORUM.

B
TUMULUS ROMOALDI FILII PRINCIPIS ARICHIS,

Qui obiit anno DCCLXXXVII. advivente patre.

Auctore Davide Episcopo Beneventi.

Exceptus est unà cum subsequentibus duobus aliis Tumulis ex corruptissimis Codd. Histor. ineditæ Anonymi Salernitani, qui illos Salerni positos adfirmant.

I.

ALta ruit subitò Beneventi gloria tristis,
C *Quam tenet hic Tumulus: ve tibi, Barda Cohors:*
Hic Arichis dormit (2) Magni pulcerrima proles,
Unica spes patriæ, murus, & arma suis.
Cujus fessa patris bene jam virtute senectus
Tuta regebatur, tutio matris erat.
Hic novus à multis Arichis vocabatur herilis.
Moribus, & forma, consilioque vigens.
Gromati pollens, mundana lege togatus,
Divina instructus nec minus ille fuit.
Religione patrem æquiparans, matremque pudore.
Illius, heu, tristes quos malè flamma creat.
Subditus ad mortem, dulcisque parentibus usque,
Nullus plus voluit ampliùs, aut potuit.
Seu Abraham genitor Isaac, sic iste peregit:
D *Oblatus tacuit, jussa parentis agens.*
Traditus ob patriæ, populi cunctique salutem,
Se opponens voluit pro pietate mori.
(3) *Obvius occurrit Regi, immunemque phalangi*
Munivit fines, o Benevente, tuos.
Tu placida Regis sedasti mente furorem,
Obruta Gallorum (4) & ira loqui fecit.
O Romoald mitis Ductor, sinè felle suavis,
Terrea liquisti Regna, superna tenes.
Terreno (5) verbo placuisti, quàm bene Regi,
Cœlesti meliùs nunc sinè fine places.
Hoc lacrymans cecini (6) David ego flebile carmen
Præsul, cui semper te sinè velle mori est.

Vixit ann. XXV. Depositus est (7) XII. Kal. Augusti Principante patre anno XXX. Indict. E percurrente Decima.

(1) Eodem hoc ordine, ut nuper accepi, sunt versus in cæteris etiam Tumulis, præterquam in 4. & 14. nempe in 5. 6. 7. 8. 9. 12. 13. & 16. qui, me absente, in dirutis ædibus Ecclesiæ S. Benedicti est Capuæ repertus.
(2) Alit. *magna*.
(3) Id quoque habent Auctores laudati initio par. 1. Anonym. Sal.
(4) Alit. *te*. Sed ad metri normam utroque modo ineptè: vitio in his Tumulis frequenti.
(5) Alit. *verbis*.
(6) De hoc Anon. Sal. par. 1. nu. 1.
(7) Deest *XII.*
(8) Scripti Codd. *Lugenti*. Cæteræ variantes lectiones sunt ex Edit. Baronii ad ann. 787.

TUMULUS ARICHIS PRINCIPIS BENEVENTI.

Auctore Paulo Diacono.

Sicut testatur Anonymus Salern. in Historia non edita.

II.

(8) *LUgentum lacrymis Populorum roscida tellus*
Principis hæc magni nobile corpus habet:
Hic namque in cunctis recubat celeberrimus Heros
Præpollens Arichis, o decus, atque dolor.
Tullius ore potens cujus vix pangere laudes,
Ut dignum est (9) posset, vel tua lingua Maro.
Stirpe Ducum, Regumque satus (10) ascenderat ipse
Nobilior gentis culmina celsa suæ.
Formosus, validus, suavis, moderator, & acer,
Facundus, sapiens, luxque, decorque fuit.
Quòd Logos effinxit, moderansque quòd Ethica (11) pangit
Omnia condiderat mitis in arce sua.
Strenuus eloquii Divini cultor, & index,
Pervigil in lacrymis tempora noctis agens.
Anteibat juvenes venatu, viribus, armis,
Flaminibusque ipsis flamina sancta dabat.
(12) *Ter binis lustris patriæ sic rexit habenas,*
Fluctibus ut (13) Luntrem navita doctus agit.
Solicitè gratiam pacis servavit amator,
Consilio cautus, providus, atque sagax.
(14) *Cum natis proprium nil ducens tradere censum,*
Insuper & patriæ promptus amore mori.
(15) *Nestorum solamen erat, solamen egentum,*
Hos satagens verbis, hos relevare manu.
Ornasti patriam doctrinis, mœnibus altis,
Hinc in perpetuum laus tua semper erit.
Tu (16) requiesce tuis, portusque, salusque fuisti,
Gloria, deliciæ, tu generalis amor.
Heu mihi quàm subitò perierunt omnia tecum,
Gaudia, prosperitas, paxque, quiesque simul.
Planctus ubique sonat: te luget sexus, & ætas
Omnis, & ante omnes, tu Benevente, doles.
Nec minus excelsis, (17) nuperque condite muris
Structorem orbe tuum, clare Salerne, gemis.
Apulus, & Calaber, Vulgar, Campanus, & Afer,
Quosque (18) Siler potat, Romuleusque (19) Tybris.
(20) *Quique bibunt Ararim te flent, Istrumque, Padumque*
Æstimet adfinis seu peregrina phalanx
Jam felix olim, nunc namque miserrima conjux
Regali in thalamo, quam tibi junxit amor,
Eheu perpetuo pectus transfixa mucrone,
Languida membra trahens, te moribunda dolet.
Viderat (21) unius, heu, nuper funera nati,
Ast alium (22) extorrem Gallia dura (23) tenes.

Huic

(9) *Possit*.
(10) *trascenderat*.
(11) *Pandit*.
(12) Rotundo numero.
(13) *Lintrem*.
(14) Erch. num. 2.
(15) *Sic nostrum*. For. *mæstorum*.
(16) *Turris quiesque*.
(17) *Nuper circumdate*.
(18) *Silar*.
(19) *Tyber*.
(20) Deest hoc Distichon.
(21) Romoald.
(22) Erch. num. 2.
(23) *tenet*.

Huic geminæ natæ vernanti flore supersunt,
Solamenque mali, solicitusque timor.
Has cernens, reddi vultus sibi credit amatos,
Heu trepida fit, & fluctuabunda pavet.
Solatur tantos spes hæc utcumque dolores,
Quòd te pro meritis nunc Paradisus habet.
O Regina potens, virgo, genitrixque creantis,
Prosit ei (1) huc sacro membra dedisse Lari.
Vixit autem LIII. annos. obiit VII. Kal. Septemb. Anno ab Incarnatione Dñi DCCLXXXVII. (2) Ex Donna Adelperga Principissa filios Romald, & Grimoald, Egisifum, (3) Theoradam, & Adelcisam suscepit.

TUMULUS
GRIMOALD PRINCIPIS BENEVENTI

Filii Princip. Arichis. Qui obiit anno DCCCVI.

III.

MAgnus erat Princeps Arichis, lux, nostraque salus
Restituenda Deo hic sua membra dedit.
Nec non hic Romoald ipsius maxima proles
Sub patre jam Princeps hìc requiescit humus.
Vir quoque magnificus Grimoald formosior illis
Adscitus est Princeps inter utroque loco.
Sensus, & eloquii formâ describere laudis
Cujus non posset pleniùs ulla manus.
Gloria magnificis de Lango maximè Bardis
Præcelsa est eorum stirpes superstes erant.
Regali genere satus ab utroque parente
** Cras cedit gesta sub dota genus.*
In terris pollens nimiùm pulcherrimus annus
Spes jam Samnitis certa salutis erat.
Mirandus specie, sed plus mirabilis actis,
A puero micuit promptus ad omne bonum.
O dolor immensus præ ultimæ damna ruinæ,
Quæ gens Bardorum fraude (4) sub alta tulit.
(5) A patre pro patria directus Regius obses
Placavit patriam funus ad usque patris.
Cum Danais bellum felici sorte peregit,
Finibus expellit belliger ipse suis.
Extera regna sibi terenda pace subegit,
Dilectus cunctis, terribilisque fuit.
(6) Pertulit adversas Francorum sæpe phalangas,
Salvavit patriam sed, Benevente, tuam;
Sed quid plura feram? Gallorum fortia Regna
Non valuere hujus subdere colla sibi.
O quàm longinquo fuerat dignissimus ævo,
De quo tantus erit tempus in omne dolum.
Post casum infaustum quod Regna Latina ruentis
. . . suæ gentis spes, requiesque fuit.
Terrenas gazas nunquam servabat amando,
Sed mox captivis, indigenisque dedit.
Itala, Romana, Illyrica, Hebrea, Afra, Pelasga
Morte tua, Princeps, jam sinè fine dolet:
Mors tibi non nocuit, sed nos linquendo peremit.
*Dulcis * Alumno suo, quo tenet atra die.*
Vixisti septem . . . .
Sed cunctis seculis laude perennis eris.
Sint satis hæc breviter de te prolata legenti,
Plenus laude tua, qua . . . . Mundus adest.

(1) *Hic.* For. *huic.*
(2) In uno Scr. Cod. additur *Ind. IX.* sed falsò.
(3) *Theoraldam.*
(4) Alit. *sublata.*
(5) Erchemp. num. 2. aliique prisci exteri Chronol.
(6) Erchemp. num. 5. & 6. aliique prisci Chronol.
(7) Nascitur anno 774. subactâ à Carolo M. Italiâ.
(8) Concordat coevus auctor Joannes Diacon. in Script. Chron. Episc. Neapolis: secus Erchemp. num. 8.

A

TUMULUS
GODEFRID FILII PRINCIPIS GRIMOALD

Exstat Beneventi in Ecclesia S. Sophiæ.

IV.

GErmine præclaro surgens præclarior actis
Principis hìc Grimoald flos, genitusque jacet.
O nimiùm felix mundo sublatus ab isto,
Gaudia qui cœli non peritura tenet.
Dulcis in eloquio, verax, nimiùmque benignus,
Ap vero semper promptus ad omne bonum.
B
Eheu nam subitò violavit digna parentum
Gaudia, quis vivus vita, decusque fuit.
Felices illo genitor, genitrixque fuissent,
Si concessa illi vita, salusque foret.
Rector erat patrii juris . . . .
O Benevente tuo . . . .
Inmatura hujus licèt e . . . . . .
Vincebat sensus . . . .
Dicite, qui propter duc . . . .
Tu semper viven . . . .

TUMULUS
SICONIS PRINCIPIS BENEVENTI

C
Extat in eadem urbe ante Portam Ecclesiæ Cathedralis.

V.

PRincipis hìc magni requiescunt membra Siconis
Flenda nimis populis, heu, Benevente, tuis.
Stirpe satus Regum, melior, majorque priorum,
Nullus, ut in cunctis par, similisque foret.
Natus in Ausoniæ præstanti corpore terra,
Francorum (7) postquam cæde subacta fuit,
Quem mater cernens eleganti luce nitentem,
Esse datum credit cœlitus alma sibi.
Quæ cùm sensisset Domini jam munere plenum,
Ad loca se rapuit non nocitura pio.
Cujus ad adventum lætatus ductor herilis,
Excepit gaudens spem, Benevente, tuam.
Mox (8) Arichis Princeps arcana in mente puellum.
Collocat, & spondet prolis habere loco.
D
Adhibuit curam nutriendi maximus Heros,
Quem successorem (9) sperat habere pium.
Nec minus & Grimoald natus de Principe Princeps
Sublatum erudiit, jura tenendo patris.
Hujus in aspectu gaudens, blandoque nitore
Præ cunctis unum legit amore virum.
Pulcra illi facies, oculique per ora nitentes,
Candida cæsaries, candida colla tegens.
Celsus ab excelsa Bardorum gente statura
Corporis, ut cunctis altior ille foret.
Qualis in arvorum radicitus arbor oborta
Culturis pinus crevit ad usque Polum.
Anteibat cunctos animo, formaque nitenti,
E
Virtutisque novæ robore, & arte fluens.
Qui (10) tribus exorsis ductoribus ordine Princeps
Regalis legitur stirps honoranda nimis.
Defendit (11) patriam Francorum gentis ab ira,
Quæ quondam multo (12) cæsa mucrone fuit.
Regibus ille magìs dilectus luce parata
Fran-

& Anon. Salern. ineditus, qui adfirmant Siconem advenisse Beneventum cum uxore, & filiis sub Grimoald Storesaiz, nil addentes de matre.
(9) Ex eventu prædicit.
(10) Hoc est, *Arichi. Grimoald. & Grimoald. Storesaiz.*
(11) Icto fœdere. Erchempert. num. 10. Gallique Chronolog.
(12) Erchempert. num. 5. & 6.

Francorum, & cunctis orbe perenne datis. A
Pacificus, mitis, prudens, ſanctuſque, ſuavis,
Largus, & in cunctis pauperibuſque pius.
Pro patria cautus ſolvebat damna malorum,
Ne ſervos faceret lex nocitura reis.
Obſidione quatit Romanas ſæpe catervas
(1) Urbis Parthenope, falſidicoſve viros.
Qui dominis ſolita Samnitum fraude rebelles
Pellere Bardorum fortia juſſa volunt.
Quos Sico perdomitos, congreſſu fortis in omni
Servitia impellit (2) ſolvere quæque jubet.
Ariete propulſat muros virtute ſuorum,
Donec victa cadat pars inimica ſibi.
Qua victi pugna, ſervitia digna repoſcunt,
Quæ Beneventanus ſolvere gaudet hians.
(3) Abſtulit inde etiam Beneventi in Sede locatum B
Januarium quondam fortis athleta dehinc,
Cujus templa replens argento, auroque recocto,
His dedit, ut jaceat corpus inane locis.
Ter (4) quinos annos dominatus ductor herilis
Omne ævum peragit cum bonitatis ope.
Hic bis (5) ſex peragens ætatis tempore luſtra,
Mercedis fructu ſpiritus aſtra (6) petit.

TUMULUS

RADELCHIS PRINCIPIS BENEVENTI (7)

Extat ibidem ante Portam Eccl. Cathedr.

VI.

Radelchis Princeps monumento clauditur iſto,
Cujus in orbe pius rumor ubique ſonat;
Quem tanto Dominus donorum fonte rigavit, C
Ut nullus dignè promere cuncta queat.
Nobilis, & prudens, juſtus, patienſque, benignus,
Pulcrior, & ſobrius, clarior, atque potens.
Hunc populi patrem lacrimis, & voce fatentur.
Dives, inopſque ſimul, hoc moriente, gemunt.
Afflictis ſolamen erat, tutamen egentum,
Et cunctis populis victus, & alma quies.
Fortis in adverſis, in lætis unus, & idem,
Ad cœli patriam currere mente volens.
Inceſſit humilis virtutis, robore magnus,
Pacificus, verax, mitis, & aptus erat.
Quem non dilexit, quis non dilexit & illum? D
Quis niſi perverſus, quis niſi mente ferus?
Hunc pius, & felix felicem nominat omnis,
Recta ſequi ſtuduit dogmata ſæpe quia.
Publica jura regens, ſed ſacras maximè leges,
Explevit jugiter corde, manuque gerens.
Inſigni populum pietate vigebat ad omnem,
Lætus erat vultu, lætior ore quidem.
Undenis lapſis duodenus cœperat annus
Bardorum Princeps noſcitur eſſe quibus.
Sexaginta ſuæ vitæ compleverat annos, (8)
Cum moriens mundo vivit in arce poli.
O vos Chriſticolæ, precibus committite Chriſto,
Quem populi conſtat rite fuiſſe Ducem. E

TUMULUS

CARETRUDÆ PRINCIPIS BENEV. (9)

Extat in eadem urbe ante Portam Eccleſiæ Cathedralis.

VII.

Quàm velox fugiat mundanæ gloria vitæ,
Teſtantur cineres, quos monumenta tenent.
Nil ſinè fine manet ſub cœli cardine comptum.
Tempus, honor tranſit, lux, caro, vita, ſalus.
Cuncta mori conſtat, quæ mundi machina geſtat,
Sola mori neſcit vita referta bonis.
Hæc olim, cujus Tumulus hic occulit artus,
Per genus omne ſuum fulſit in orbe ſatis.
Nam ſummi conjux Radelchis Principis extans,
Germine quod tenuit auxit honore decus.
Inde viri ſolium in natis ex ordine firmans,
Sancivit patriæ hos caput eſſe ſuæ.
Sicque ſui magno fructus in culmine ventris
Ter (10) quartum vidit fructificaſſe gradum.
(11) Pontificē, & Comites genuit, Proceresque ſagaces,
Undique conſpicuo fulta vigore fuit.
Hinc decus in patribus captans, in prolibus illinc,
Per mores ſtuduit tegmen habere pios.
Solers, ac mitis, prudenſque in famine dulci.
Lactea conſpectu, plus probitate micans.
Eccleſias venerans, inopum paſcenſque catervas:
Quod bene diſtribuit, nunc fruitura metit.
Bis tria poſt annos quadragenos luſtra recurrens,
Hæc Caretruda ſolo terrea membra dedit.
Junius ereptam hanc è carnis carcere menſis
Nonarum quartum ſuſtulit ante diem.
O mundum, Martyr Januari, clare per omnem,
Pro culpis hujus fer pia verba Deo,
Ut careat pœnis, & captet gaudia cœli,
Sancto ob quod cupiit hoc recubare loco

TUMULUS

RADELCAR PRINCIPIS BENEVENTI.

Extat in eadem urbe ante Portam Eccleſiæ Cathedralis.

VIII.

Quiſquis adhuc Tumulum properas concivis, & hoſpes,
Hic, precor, humato dic, Miſerere Deus.
Ecce Radelcarius Beneventi celſa poteſtas,
Hic recubat Hæros clarus in orbe ſatis.
Qui genus excelſum ducens ab utroque parente,
Tutamen patriæ, ſpes, requieſque fuit.
Stemmate præcipuus Princeps de Principe cretus,
Majorum ſtuduit ſcandere ſemper iter
Sub (12) patre nam Princeps ſolium, regnumq; paternū
Poſt patris exceſſum rexit ad omne decus.
Moribus ingenuus, nec non & viribus audax
Juſtitiæ cuſtos, munere largus erat.
Immobilis verbis, affectu necne ſuavis,
Conſpicuus formâ, concilioque ſagax,
Canitie cordis juveniles vicerat annos,
Tranſcendens ſenſu plurima jura ſenum,
Judicii magno ſcrutans examine cauſas,
Quæ vera inſtituit, ſprevit iniqua procul.

Sic

(1) Erchemp. num. 10.
(2) Capitul. Sicardi num. 2.
(3) Anon. Saler. par. 2. num. 1.
(4) Rotundo numero, nam obiit 16. inchoato.
(5) Rotundo num. natus enim ann. 774.
(6) ann. 832.
(7) Sub hoc Principe diviſus primùm eſt Principatus Beneventanus.
(8) Obiit anno 852.
(9) Uxor hæc fuit præfati Principis Radelchis.
(10) Filios genuit 12.
(11) Ajonem Epiſcopum Beneventi, de quo Joannes 8. Epiſt. 33. & 157.
(12) Hoc eſt. *Unà cum patre*, ut in Chronol. dicam.

Sic pius, & prudens, linguaeque nitore disertus,
Omnibus ut gratus, mellifluusque foret.
Astutus, mitis, solers, cautusque, benignus,
Parcere plus novit, quàm dare flagra minans.
Facundus, cunctis pietatis viscera servans,
Impiger, ac promptus corpore, corde fuit.
Fortia Francorum sedavit Regna, suosque
Confines vinxit undique pacis ope
Bis(1) tria post lustra, annumq; unum carnea claustra
Deseruit, jussu, Christe tremende, tuo.
At, Benevente, tibi (2) binis praefuit annis,
Quo tua regnante gloria pulcra fuit.
O Martyr, cuncto, Januari, splendide mundo,
Fac rogo prosit ei hac recubasse domo.
Hunc sacer alme Deo tu commendare precando.
Obsecro ne cesses, esto tutela sibi,
O bone Rex Jesu, clemens, aequissime, verax,
Hastet, ut iste tuum ante tribunal ovans:
Da sibi cunctipotens aeternae gaudia vitae,
Post obitum solus, qui dare laeta vales.
Tu, pie, nullius cruciatu pasceris unquam,
Tu eripe hunc poenis, civibus adde tuis
Tu sibi mundani tribuisti culmina Regni,
Te duce conscendat coelica Regna precor.
Transfer eum inter oves, & ab haedis abstrahe saevis,
Quo placidum cernat te sinè fine Deum.

TUMULUS
URSI FIL. PRINC. RADELCHIS. (3)

Exstat in eadem urbe ante Portam Ecclesiae Cathedralis.

IX.

URsus hic recubat toto celeberrimus orbe,
Cujus hoc marmor candida membra tegit.

A
Splendida progenies regali ex semine cretus,
Quem Palatina domus nutrit ad omne decus.
Hunc genuit Princeps Bardorum stemmate clarus
Radelchis, patriae vita, salusque suae.
Huic tam clara fuit species, & gratia vultus.
Ut patriae populo luxque, vigorque foret.
Viribus, atque potens nullus ut gratior esset,
Ac simul in populo murus, & arma suo.
Hic aemulos omnes superabat viribus, armis
Defendens patriam, promptus amore Dei.
Hic honor, atque suis requies, portusque salutis,
Hic laus excelsa, hic generalis amor.
Justitiá clarus, renitens virtutibus almis,
Angelicus, dulcis, aequus ubique manens.
B
Promere quis sapiens poterit magnalia cujus,
Quae Deus omnipotens cessit habere sibi?
Nam concors, castus, humilis, clemensque, benignus,
Facundus, patiens, & bonitate vigens.
Famosus, sapiens, pius, actione coruscus,
Justus, & in cunctis fortis ad arma simul.
Communis, gratus, sobrius, parcusque, modestus,
Fulgidus eloquio, luxque, decorque fuit.
Terdenos complevit hic, seu quatuor annos,
Ter denos pariter vixit & iste dies.
Sic vitae instantis complens tunc tempora jussus,
Ad patriam celsam jam remeavit ovans.
Creditur hic cunctis coeli conscendere cives,
Hunc Abrahae fateor jam recubare sinu.
Quem Paradisus habet, quem coelica Regna retentant,
C
Aetheris, & locuples optinet amplus honor.
Amplexum & retinent Sanctorum brachia Patrum,
At simul Angelicus consociando Chorus.
Ut sibi per saeclum maneat memorabile nomen,
Hoc Carmen scripsi ductus amore suo.

TUMULUS
FILIORUM PRINC. LANDULFI. (4)

Extat Capuae in Ecclesia Cathedrali.

X.

Hic primus vocatus
est Atenolfus, qui ef-
figie membrorum su
orum aliquid simila-
vit avo suo, vixit
verò menses sex.
Primus Atenolfus
retinetur carne sub antro.
Quem pater ipse suus
genitoris nomine dixit.
Hic infans peragit
dum sexti tempora mensis,
Angelicis vectus
manibus transcendit ad astra.
Iste post obitum primi
fratris natus iterum
Atenolfus vocatus est,
propter illius amorem,
ut nomen Genealogiae
retineret. Vixit menses octo.
Iste sui fratris
vocitatus nomine primi
Etatis parvum
transegit denique cursum
Dum tempus vitae
bis quadris mensib. explet
Transvectus Caelum
sedem cum fratre retentat.
Quatuor hìc fratres, conduntur. . . .
Quos mors reve . . . . s rapuit velociter.

Marmorea haec Tabula ab laevo hoc latere adeò extrita est, ut vix literarum vestigia supersint, ex quibus tamen clarè demonstratur, Epigrammata alia duo, prorsa similiter, & vorsa oratione, fuisse inibi descripta, ac posita duobus aliis filiis Principis Landulfi ibidem sitis.

Caeterum vide sup.

(1) Vix. ann. 31. Obiit anno 854.
(2) Hoc est, *quatuor annis*. Rotundo numero, & unà cum patre.
(3) Ursus iste haud ipse fuit Princ. sed alter cognominis, ex fratre Pronepos ejus, filiusque Princ. Ajonis, ut in Stemmate praemisso ad Erchempertum.
(4) Hic Landulfus pater, hujus nominis primus, filius fuit magni Principis Atenulfi.

TUMULUS
LANDULFI PRINCIPIS BENEV. (1)

Exstat in eadem urbe in Ecclesia
Sanctæ Sophiæ.

XI.

HIc Monachus situs est Landolfus stemmate clarus
Princeps eximius, o Benevente, tuus.
Ex cœtu Procerum (2) *Monachus de Principe factus*
Extitit hac celebri primus in æde Dei;
Quem bonitas tanto pariter patientia compsit, B
Afforet ut cunctis clarus amore pater.
Corde nitens, humilis sensu transcenderat annos,
Cui canumque simul fulgida corda senum.
Ecclesiam venerans, algentum corpora texit,
Atque cibo recreans, verba sequendo Dei;
Sed quia culparum nullus sinè labe recedit,
Dicite, da veniam, Christe Redemptor, ei.
Bis duo lustra gerens carnis, bis quatuor annos,
Cum Jani primo transit ab orbe diem. ER. RS. (3)

TUMULUS
GAITELGRIMÆ PRINC. BENEV. (4)

Exstat ibid. in interiori Eccl. Monial.
Sancti Petri. C

XII.

HUc quicumque venis, gressu consiste, fidelis,
Stirps generosa solo hoc cubat in Tumulo.
Samnitum rectrix, quin paupertatis & (5) *altrix,*
Mater egenorum traxit ad omne bonum.
Quam marmor Monacham retinet per stēma serenam,
Omne decus vitæ fertur in hoc cinere.
Gaitelgrima fuit Princeps recolenda peregit
Plorat inops, pauper, dives & hanc pariter,
Præsidis (6) & *Proles Roffredi maxima vatis,*
Pignora dimisit bis duo, quæ genuit.
(7) *Temporis, ah, mobilis fuerat vertigine sæcli*
Conjux Landulfi Principis egregii.
Illuxit sapiens annorum cardine prudens, D
Mors inimica tulit membra, locoque dedit.
Inclita spes mundi dum mansit in ordine Regni
Creditur interiùs, ut notat hic Tumulus,
Hæc duo sena sacro perfecit tempora velo,
(8) *Et menses ternos Cœnobio geminos,*
Sextus modenis urso quin insuper annis
Flatus & hanc rexit, post iit unde fuit.
Idibus in senis complevit tempora carnis,
Ut Jani constat calculus, & celebrat.
Huc (9) *Lector propera* (10) *Mandritam corde saluta;*
Sit tibi magna salus, dic, fugiatque metus.
O (11) *puerique senes, & gressum ferte sorores,*
Mente, Pater noster, (12) *psallite huic pariter.* E

A *Omnia tu Genitor hujus commissa, Redemptor,*
Spiritus alme, fuga nunc pietate tua.
Christe sibi requiem tu dona luce perennem,
Qua (13) *regnas summè semper sinè fine beata.*

TUMULUS
MARIÆ FIL. LANDULFI PR. BENEV.

Exstat in eadem urbe in Ecclesia
Monialium S. Petri.

XIII.

HIc sita sunt magnæ clarissima membra Mariæ,
Stemmate Landulfi Principis orta pii.
A modicis annis spernens hæc gaudia mortis,
Pergens ad caulas Ecclesiæ niveas.
Suscepit velum sacrum, quo vicit iniquum,
Jam victrix donis utitur æthereis.
Lactea conspectu, sed plus pulcerrima sensu,
Moribus Angelicis pervigil excubiis;
Viscera matris habens, animas, & corpora complens,
Nunc alios verbis, nunc aliosque cibis.
Turrigerâ conchâ subeunt, & splendida membra
Bis senis lustris associata polis.
Idibus octonis percurrens tempora carnis,
Quas sibi mensis obit Junius ipse gerit.
Christicolæ cuncti vos spernite gaudia mundi;
Quos alit hæc tellus, dicite: Parce Deus. B.S. R.S. (14)

TUMULUS
.... CARDÆ PRINC. BENEV. (15)

Exstat in eadem urbe in Ecclesia
Monialium S. Petri.

XIV.

NObilis, atque cluens magno de Stemmate creta
..... *CARDA* (16) *latet marmore sub solido hoc.*
Principis insignis Landulfi quæ fuit uxor,
Proles Mansonis & fuit ista Ducis.
Mentibus ex totis Domino famulabat amanter,
Atque suo toto pectore sæpe quidem:
Ac mitis, dulcis, prudens, simplexque, benigna,
Et patiens multùm, atque jucunda nimis.
Bis, deciesque duos postquam hanc expleverat annos,
Ex mundo cessit, ivit & ad Dominum.
..... *a hæc, Lector, si quis perleg.....*
.... *alme hujus parce pia.*

TU-

(1) Modò deperditus; vel obscuro in loco latet.
(2) In antiquo Emortuali Monialium S. Petri Beneventi adnotatur obitus hujus Princ. sic, *Kalend. Jan. Landulfus Princ.* & *Monachus*, quem credo fratrem Princ. Pandulfi Caputferrei, factumque Monachum in mortis articulo, more tunc consueto.
(3) al. *BR. RS.*
(4) Hanc reputo uxorem antedicti Princ. Landulfi; donec certiora comperiam.
(5) al. *ultrix*.
Variæ hæ lectiones ex Antigrapho sunt nobis misso à Monialibus ejusdem præclarissimi Monasterii.
(6) *En proles.*
(7) *Tempore ha mobili. fuerat è v. s.*
(8) *Sexstos modenis uno quin.*
(9) *Letor.*
(10) Metaphoricum nomen à *Mandra* deductum, unde etiam *Archimandrita*; hoc est. *Præses cœtus*, & *Cœnobiarcha*.
(11) *Puerque.*
(12) *sallite.*
(13) *Regno summa semper sinè fine regnat.* *RS.*
(14) al. *AS. RS.*
(15) Ex interioribus ædibus Monasterii nuper expositus.
(16) For. *SiKelcarda*, vel. *Adelcarda*, &c. quam reputo uxorem Landulfi fil. Pandulfi Caputferrei, filiamque Mansonis Ducis Amalfis, qui fuit Salerni Princ. post Pandulfum optatum.

TUMULUS
LANDULFI PRINCIPIS CAPUÆ.

Exstat in eadem urbe in Ecclesia S. Benedicti.

XV.

Siste gradus, itor, paucis te fabor, abito,
Et retine mente, quis jacet hoc lapide:
Post orans, ejus dic, dic, DS esto misertus,
Hic decus (1) Ausoniæ, (2) urbis & hic regimen.
Landulfus Princeps magno de stemmate fulgens,
Pulcrior in Populo non fuit alter eo.
Consilio Græcos, & Gallos ense preivit,
Tutamen multis Italicis viguit,
Cæsar ad exilium dudum cùm mitteret illos,
Solus permultis offuit iste cui;
Nam Capuam ingrediens, Ottonia cuspide pellens
Agmina confugium fecit eam Latio.
Crimina post vicit Benedicti veste Beati,
Quam sacris lacrimis se induit, atque piis.
Unde quadraginta felices vidit aristas,
E quibus & Princeps octo fuit Capuæ;
Cumque nono patitur (3) LIQUADOS scire Kalendas
Augusti Mensis dans animam superis.

TUMULUS
PANDULFI (4) PRINC. CAPUÆ.

Exstat in eadem urbe in Ecclesia S. Benedicti.

XVI.

Terrigenum primis pomo vetito malè pastis,
Heu, mortis jaculo sternitur omnis homo.
Quo fossus telo Tumulo tumulatur in isto
Princeps Pandulfus (5) Principe patre satus.
A magnis proavis, ceu Lucifer, orbe refulsit,
Ut sol à propriis viribus enituit.
Namq; Dei regnum (6) statuit sibi quærere primùm,
Inde studens mundo non fuit absque Deo.
Nullus mortalis fuit hoc præstantior (7) armis,
Consilio melior non erat alter eo.
Fractus perversis, exaltatusve secundis
Non fuit; ejus enim spes erat in Domino.
In verbo stabilis, verax, & fidus amicis,
Et sibi subjecto blandus erat populo.
Alloquio facilis concivibus, & peregrinis,
Largior in dando non fuit ullus eo, (8)
Semper, & elatos pressit, domuitque superbos
Ast humiles coluit, fovit amore Dei.
Exilium passus fuit hic vir tam venerandus,
Sed Deus ipse suo restituit solio.
Ante bonus fuerat, melior tunc esse studebat,
Cùm mortis jaculo tollitur e medio,
Dena dies à fine fuit mensis (9) duodeni
Vitæ præsentis terminus huic homini.
Plus unum bis sex vixit quinquennia, menses
Septem, necne decem solibus atque novem.
Ut merearis idem dici, Lector, tibi tandem,
Dic flexis genibus huic Miserere Deus.

DE DUOBUS LIBELLIS JUDICII.

Nostratium Langobardorum Imperium longa tandem quingentorum annorum ætate consenescens, excepit, immo excidit Nortmannorum in hanc Cis-Tyberinam Italiam adventantium bellica virtus ab exiguis licèt succreta principiis. Quo equidem actæ rei exemplo indecens non erit eorundem Langobardorum Historiæ unum, atque alterum Libellum Judicii subdere, temporibus exaratos Nortmannorum; ut scilicet scripta rebus, velut exemplum exemplari, quo ad hoc quoque adamussim concordent. Et sanè hujus libri omen ab Langobardicæ gentis casu, ni Deus aliter, non admodum dispar erit; si quidem sicut Nortmanni pervasam Langobardorum ditionem reddidere duplo ferè majorem, Insulâ adjectâ Siciliæ, & litoralibus Græcis exterminatis, ac perpetuo sub jugo missis; ita consimili eventu Opuscula post ista pusilla seges altera aliis succrescet rerum à Nortmannis gestarum ad messem in grandiorem certè librum congregandam. Sed interim quæ inducta est comparatio magis, magisque quadrare videtur; quoniam nil minus Langobardorum rebus accisis, eorundem Leges ferè omnes, mores permulti, & Ritus aliquandiu permanserunt, etsi vigerent Nortmanni; atque præsenti Langobardorum Historia conclusa, eidem Opuscula adjiciam sub Nortmannis descripta, quæ nonnullas priores Leges, sive Ritus non inutili lectione designant. Haud igitur populorum perpetuò inimicantium monumenta me ineptè commiscuisse, censebit peritus antiquitatis Lector. Qui de reliquo sciat volo, anteriorem Libellum exceptum esse ex scripto membranaceo Registro bonorum Monasterii S. Michaëlis Archangeli ad Formam nuncupati extra Capuam, quod adservabatur in Archivo Cassinensi: Posteriorem verò innotuisse mihi humanitate Joannis Jacobi Transi Viri Patricii, atque antiquitatis studiosi; quibus pro meo libitu Titulos addidi, quales auctoritas suasit Falconis Beneventani; qui in Chronico ad finem anni 1121. *consimilem Chartulam adpellasse videtur.* Libellum Judicii. *Insuperque ratus in scripto Chronico Monasterii S. Vincentii ad Fontes Volturni perplures tales Chartulas inesse, ex quibus clarè liquet dictas eas alio nomine fuisse.* Notitias judicati, *alteram adposui Epigraphen, ut qui volet, alterutra possit uti. Verumtamen nec istud admonere prætermittam, in Papyraceo exemplari posterioris Libelli à novissimo librario, qui ex Autographo membranaceo eum exceperat, adpictam fuisse istiusmodi subscriptionem.* Yo el Rey; *quam consultò omisi; quòd putaverim ironia quadam ab exscriptore confictam, qui germanam exoletæ, sive implexæ subscriptionis interpretationem haud fuerit adsecutus, substitueritque alteram frequenti usu sibi expositam: utpote à Catholicis nostris Regibus in Diplomatibus, ac Epistolis usurpatam.*

(1) *Ausoniæ*. Hoc est. *Langobardorum Italiæ Cis-Tyberinæ*.
(2) *Urbis*, scilicet. *Capuæ*, de cujus Principe sermo est. Sic apud Erchemp. num. 21., & alibi.
(3) Sic habet Lapis; do testem. V. C. Lucam Holstenium; qui mecum inspexit, & adsensus est.
(4) Pandulfus iste Capuæ Princeps hujus nominis fuit 4.
(5) Filius Pandulfi II. Principis Benev. natus 6. Non. Julii ann. 988.
(6) At hujus Principis impietate nil famosius in Ostiensi.
(7) Guiliel. Apul. lib. 1. de hoc Principe *Principibus Latii prior, atque potentior ipse. Tunc erat.*
(8) Ejus tamen tenacitatem taxat Gaufr. Malat. lib. 1. cap. 6.
(9) Obiit. *mense* 12. hoc est. *Februar.* de quo bina antiq. Emortualia Capuæ. 10. & 9. *Kal. Martii*. Vixit an. 61.

LIBELLUS DILATI JUDICII, SIVE NOTITIA JUDICATI.

De Terra, ac Fundo quodam sito in Matalone, pro Monasterio, & Ecclesia S. Michaëlis Archangeli ad Formam nuncupato prope Capuam.

IN nomine Domini Nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejusdem millesimo centesimo quadragesimo nono. Temporibus Domini nostri Rogerii. Dei gratiâ, magnifici Regis; & quinto anno Principatus Domini Guilielmi filii ejus gloriosi Principis, mense Madio. Indict. XII. Juris, & rationis hortatur auctoritas quosque juris interpretes in judicio residere; injusta poscentibus affectum non tribuere, legitimas quoque desiderantium (1) non differre petitiones. Nobis igitur Riccardo, & Leone Judicibus castri Matalonis die quadam ob causas inter litigantes terminandas, & lites dirimendas pro solito in Judicio residentibus, Joanne Fratre Camerario prædicti gloriosi Principis, & quampluribus militibus, aliisque probis viris ibi existentibus, contigit in nostram venire præsentiam; ex una quidem parte Joannem cognomine de Suessa, Sacerdotem, Monachum, atque Præpositum Monasterii S. Angeli, quod dicitur ad Formam, cum quibusdam Monachis ejusdem Monasterii confratribus suis, & cum Philippo Notario ejusdem Monasterii (2) Advocato. Ex parte verò altera Petrum cognomine Girardi, filium quondam Eustasii Girardi, habitatorem in prædicto castro Matalonis cum Ugone de Solerio (3) Domino suo, qui eum ex parte publica dominabatur. Quibus omnibus in præsentiarum congregatis, pars ptædicti Monasterii per præphatum Philippum Notarium, & Advocatum supradicto Petro hujusmodi fecit querimoniam, dicens: eum vi, & injustè possidere unam petiam terræ eidem Monasterio pertinentem, & de ea malo ordine tulisse fruges ad valens solidos quinque, & eis ampliùs; & de illa arbores, & vites incidisse, de quibus justitiam ei fieri postulabat. Et ut terra ostendetur quæsitum est. Sed cùm de situ loci diu ab utraque parte disceptaretur, ut finis negotio daretur celeriùs, quæ à parte Monasterii objecta erant penitùs inficiando terram illam se scire pars prædicti Petri respondit, & de eo (4) jurejurando satisfacere volebat. Nos verò videntes jurejurando etiam præstito litem proprietatis non esse decisam, eo in suspenso relicto, ut ad id, quod majus erat, venirent, præcepimus. Pars itaque prædicti Petri terram illam se suo nomine possidere asseruit. Pars verò Monasterii, habito consilio, Monasterium illud prædictam terram ad suam proprietatem tenuisse, & se inde testes habere, videlicet Petrum cognomine Adriani, & Joannem cognomine Cyminum, & Raynulphum ibi præsentes, respondit; in quos nihil rationabiliter objectum est. His auditis, terram illam unà cum prædictis testibus (5)

A adivimus. Quæ ab eis undique nobis ostensa, & consignata, unusquisque eorum singillatim, & separatim à nobis diligenter ammoniti, & inquisiti, sicut moris inde est, dixerunt, & testificati sunt, se scire prædictum Monasterium ipsam petiam terræ tenuisse ad suam proprietatem; & ad suum confirmandum testimonium jurejurando se præsto esse exhibuerunt. Præphata verò petia terræ est in loco, ubi dicitur. *Sanctus Terentianus*, infra fines videlicet Matalonis, & hos habet fines. Ab uno latere est finis Terra Raonis Pipini, & finis terra Petri Girardi, & terra Roberti de Grutta, & finis terra Sancti Terentiani. Ab altero latere est finis terra heredum quondam Dominici cognom. Sareca,
B & finis terra Petri Sabbatini, & Joannis Sabbatini. Ab alio capite finis terra Ecclesiæ S. Pauli, & finis terra . . . . . Post hæc in Curiam reversi, quæ gesta fuerant prænominato Camerario, & aliis in Curia existentibus seriatim narravimus. Interea pars Monasterii innitens ad Monasterii jus liquidò patefaciendum, aliam sponte induxit allegationem; exhibuit quidem duo instrumenta; in quorum altero continebatur, quomodo quondam Giezus Diaconus, & Custos Ecclesiæ S. Rufi civitatis Capuanæ, jussione, & voluntate Domini Maynardi Monachi, qui tunc Præpositus erat ipsius Monasterii, consensu etiam, & voluntate Fra-
C trum Monachorum ipsius Monasterii per scriptum convenientiæ dedit, & tradidit quodam Landoni Girardi, Avo prædicti Petri, integram prædictam petiam terræ prædicto Monasterio pertinentem, ad tenendum, & laborandum, & plantandum illam usque ad XXIX. annos completos: sic tamen, ut omni anno tempore Æstatis daret parti ejusdem Monasterii quartam partem de omnibus frugibus prædictæ terræ, & de uvis in tempore vindemiorum, messe, & duo paria pullorum, & cætera in ratione, & ordine, sicut in eodem instrumento continebatur; quod scriptum erat per quondam Petrum Clericum, & Notarium in anno Dominicæ Incarnationis MCIIX. & secundo anno Principatus Domini Roberti Principis, mense Augusti, Indictione prima: roboratum verò erat per quondam Pe-
D trum Judicem, & per eundem Giezum, ac per Ursonem, & Landulfum, & Leonem Sacerdotes. In altero verò instrumentorum continebatur, quomodo prædictus quondam Lando Girardi guadiam dedit prædicto Domino Maynardo Præposito per partem ipsius Monasterii, & ei fidejussores posuit se ipsum, & Rogerium cogn. de Miglia. qui eum tunc temporis (6) dominabatur, & si ipse, vel ejus heredes non complerent parti prædicti Monasterii omnia, quæ, & qualiter in ipso prorifscripto continebantur, centum tarenorum aureorum monetæ Amalfiæ pœnam se parti prædicti Monasterii componere
E obligavit, aut ipsam terram eidem Monasterio quietam dimittere; & cætera in ordine, & ratione, sicut in eodem scripto continebatur; quod scriptum erat per quondam Gratianum Clericum, & Notarium in anno Dominicæ Incarnationis MCXVII. & XI. anno Principatus prædicti Domini Roberti Principis mense Junio Indictione X. roboratum erat per quondam Majonem

(1) Confer Leg. Lang. lib. 2. tit. 40. lib. 1. & seqq. At præ loci angustia, haud hic do quæ *de Placitis* peculiari in dissertatione adnotata habeo.

(2) Unus Advocatus sacramentum deducit: alter caussam procurat. LL. Lang. lib. 2. tit. 47. lib. 8.

(3) Confer parem locum Ivonis Carnot. epist. 168.

(4) Apud Langobardos lis omnis, vel jurejurando, vel Monomachia dirimebatur. Vide eorum leges lib. 1. tit. 1. lib. 7. & lib. 2. tit. 55. per totum.

(5) Judex adit terram ex lege. Adreval. Flot. de Mirac. S. Bened. cap. 38.

(6) Hic quoque facit locus Ivonis Carnot. Epist. 168.

nem Judicem. Visis igitur, & auditis à parte Monasterii tam apertissimis allegationibus, si quas rationes haberet, ut ostenderet parti prænominati Petri præcepimus. Qui se ad præsens rationibus carere dicens, ut ad eas inveniendas congruè sibi darentur induciæ, postulabat. Et quia eum ad hoc imparatum fore audivimus, ut (1) octo dierum spacio ei ob id daretur, non inconveniens duximus. Sed antequam dies statutus veniret, prædictum negotium ad notionem Ebuli Regii Camerarii pervênit. Qui, ut coram eo pertractaretur, ac diffiniretur, (2) præcepit. Die itaque constituto Curia congregata est coram eo in Capuana civitate, Baronibus, nec non Tolomeo, Petro, & Joanne ejusdem Capuanæ urbis Judicibus, aliisque probis viris præsentibus, & utraque parte ibi existente, nos causam, qualiter gesta fuerat, per ordinem narravimus; deinde sicut statutum fuerat parti prænominati Petri si quas haberet rationes, ut exhiberet illas, dictum est. Qui per se, & per jam dictum Ugonem de Solerio Dominum suum terram illam prædictum quondam Landonem Avum suum, & patrem suum, & se per XL. annos, & eis ampliùs possedisse asserens, quatuor viros ibi præsentes, qui illud sciverant, testes exhibuit in Curia; perhibens quoque quondam Riccardum Principem illam jam dicto Landoni Girardi avo suo concessisse, qui ob hoc de servitio unius Servientis Curiæ deservierat. Qui in Curia, sicut moris est, diligenter interrogati sunt, & unusquisque eorum singillatim testificatus est, prædictum quondam Landonem, & ejus heredes terram possedisse illam per XL. annos, & eis ampliùs, & de hac, & de aliis terris eorum de servitio unius Servientis Curiæ deservisse; & quòd reddebant singulis annis de eadem terra prædicto Monasterio quartam partem omnium frugum, & de uvis meē, & duo paria pullorum. Cæterum pars sæpe dicti Monasterii hæc, quæ dicta erant, sibi nihil obesse asseverans, argumentabatur, conditionem Monasterii eorum facto non deteriorari, cùm jam apertissimè, & manifestè constaret terram Monasterii fuisse, & prænominatum Petrum, & patrem, & avum ejus eam à parte Monasterii tenuisse, liquidiùs pateret. Interrogatus autem prædictus Petrus iterum, atque iterum, se aliis rationibus penitùs carere confessus est. Cùmque super prædictis hinc & inde diu disceptaretur, præceptum est Capuanis Judicibus, & nobis, ut super his sententia diceretur. Nos ergo prænominati Judices cum præmemoratis Capuanis Judicibus, (3) Baronibus pluribus, & militibus, aliis quoque viris idoneis in partem euntes, & prædictam petiam terræ sæpe dicto Monasterio plena ratione pertinere cognoscentes, communicato consilio, præfato Petro Capuano Judice proloquente, judicavimus *Quatenus à modò, & semper prædictum Monasterium S. Angeli firmiter habeat, & possideat prænominatam petiam terræ absque omni contrarietate, & molestatione prædicti Petri, & de suis heredibus: jure tamen Curiæ, si quid sibi exinde competit, non diminuto*. Ad hujus itaque causæ terminationem, hujusque controversiæ Judicii memoriam in posterum faciendam, ne quæ superiùs gesta sunt oblivioni tradantur, præsens nostrum ei exinde Judicatum emittere curavimus. Quod tibi præmemorato Philippo Notario præsenti in Actis deducendum commisimus.

Ego qui sup. Tolomeus Judex.
Ego qui sup. Petrus Judex.
Ego qui sup. Joannes Judex.
Ego qui sup. Leo Judex.
Ego Rogerius Not. & Curiæ Advocatus.
Ego Guilielmus Not. & Advocatus interfui.
Ego Joannes Not. interfui.
Ego Gervasius Notar. interfui.
Ego Petrus Not. interfui.
Ego Guilielmus Not. interfui.
Ego Pandulfus Not. interfui.
Ego Landulfus interfui.
Ego Joannes de Burgent. interfui.
Ego Jezolinus de Rocca interfui.
Ego Ra . . . . . interfui.

LIBELLUS JUDICII,

SIVE

NOTITIA JUDICATI

De cujusdam aquæ decursu, pro urbe, & civibus Suessanis.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejus MCLXXI. Regni Domini nostri Secundi Guglielmi, Dei gratiâ, Magnifici Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ anno VI. mense Junii. Indict. IV. In præsentia Domini Comitis Roberti Casertæ, Apuliæ, & Terræ laboris Magni (4) Comestabili, & Magni Justitiarii, qui apud Magdalonum Curiam tenebat. Nobis Alexandro, Joanne, & Bartholomeo civitatis Capuæ Judicibus, & Valleriano Aversanæ civitatis Judice, & Joanne, & Donato Judicibus Magdaloni in Judicio residentibus: Præsentibus Joanne Caccavicarro, qui ex mandato Domini Comitis, ut Judex, in Curia sedebat, Atenolfo de Patricio, Petro Fratre, Pandulfo de Marczano, Disolfo filio ejus, Riccardo de Citro Regio Comestabile, Ascitino, Riccardo Notario, & aliis quampluribus: Petrus venerabilis Teanensis Episcopus cum Judicibus, militibus, & civibus Teani proclamaverunt adversùs cives Suessæ, qui in Curia aderant, quòd ipsi furtivè quandam aquam invaserant, & eam ad civitatem Suessæ derivabant; quam aquam tam longo tempore possederant, quod hominum memoriam excedebat. Herveus verò venerabilis Suessæ Episcopus, Judices, milites, & alii quamplures cives Suessæ, qui pro parte civium Suessæ ad respondendum venerant, aquam illorum se furtivè non invasisse, se aquam, quam se quasi possidere dicebant, ex dono, & concessione, & ordinatione Domini Regis Rogerii beatæ memoriæ se possedisse dixerunt. Super quo produxerunt testes Anneum de Rivomatricio, & Landonem Burrellum; quos donationi, concessioni, & ordinationi Domini Regis Rogerii interfuisse dicebant. Item istud aliud allegabant: tempore Simionis Senescalchi de hoc fuisse ortam controversiam inter cives Teani, & cives Suessę, & testificatum fuit in præsentia Simionis Senescalchi per Evulum de Mallano, Anneum de Rivo-

(1) Antiquæ Langobardorum leges à Placito ad Placitum 15. dies intercedere statuerunt. lib. 2. tit. 50. l. 2. & 3.

(2) Aliàs non licuisset pulsanti Judicem suum prætermittere, causa indefinita. Leg. Lang. lib. 3. tit. 23. l. unica.

(3) Confer Leg. Lang. lib. 2. tit. 45. l. 2. & lib. 3. tit. 1. l. finali ad finem.

(4) Ex compendiato nomine. *Mag.* quod sonabat *Magistri*. Novitius librarius reddidit: *Magni*. Hoc tamen mutare nolui, ut mea stet ubique fides.

Rivomatritio, & per eundem Simionem Senefchalchum, quòd prædictus Dominus Rex hujusmodi aquam civitati Sueffæ concessit. Item dicebant; quòd ex præcepto ipsius Comitis Roberti quidam ex civibus Sueffæ, & quidam ex civibus Teani cum ipso Petro Teani Episcopo super ipsa aqua convenerant, & ex utriusque partis conventione sic statutum est, *Ut ex macerie supra liceret Sueffanis aquam habere, & à macerie infra Teanenses aquam haberent*. Et de his omnibus Sueffani se testes habere dicebant. Pars verò Teanensium ordinationem, & concessionem Domini Regis in dubium revocabat. Item nec mandato Teanensium, nec pro aquæ controversia finienda, ante prædictum Senescalchum venerant, & ipsam conventionem, etsi fuit, ut asserebatur, mandato, vel voluntate Teanensium factam fuisse, negabat. Pars itaque Sueffanorum ad probandum, quod dixerat, in primis produxit coram nobis Anneum de Rivomatritio, & Landonem Burrellum, qui unus post alium sunt nobis testificati, dicentes, se interfuisse, vidisse, & audisse, quando prædictus Dominus noster Rex Rogerius, præsente Evulo de Mallano, in Palatio castri Sueffæ stans ad fenestram ordinavit, concessit, & donavit Sueffanis, ut à partibus Roccæ Monfini, & ab eis pertinentiis aquæ caperent Sueffani, & ad civitatem suam aquam ducerent; & præcepit Evulo de Mallano, ut illud eis assignaret; & dixerunt, quòd ex tempore prædictæ concessionis ipsam aquam Sueffani usque nunc ad civitatem suam duxerunt. Item produxit Sueffanorum pars Risonem Judicem Sueffæ, & Philippum Notarium Græcum, qui unus post alium nobis testificati sunt, dicentes, se vidisse, & audivisse prædictum Evulum de Mallano, & Anneum de Rivomatritio in præsentia prædicti Senescalchi, præsentibus Teanensibus, & prædicto Teanense Episcopo, testificatos fuisse concessionem ipsius aquæ à memorato Domino nostro Rege Rogerio factam, & ipsum Senescalchum id ipsum suo testimonio confirmasse, & Petro de Ravello injunxisse, ut concessionem Domini Regis Rogerii Sueffanis adimplere faceret. Demum pars Sueffanorum produxit coram nobis præfatum Sueffanum Episcopum, & jam dictum Anneum, & Boëmundum Sueffæ, qui unus post alium nobis testificati sunt, se vidisse, & audivisse eo tempore, quando Episcopus non Episcopatus honorem fuerat adeptus, ex mandato prædicti Comitis Roberti Sueffanos cum Teanensibus de aqua ad prædictam conventionem venisse, ut à macerie supra aqua esset Sueffanorum: à macerie infra Teanensium. A nobis autem præfatis Judicibus jam dictorum testium verbis propalatis, pars Teanensium præfatum Anneum de Rivomatritio, & Landonem Burrellum falsum testificatos fuisse per pugnam se probare velle dicebant. Nos verò præfati Judices ex præcepto Domini Comitis cum Joanne Caccavicarro, &.. Joanne Bello, Riccardo Citri Regio Camestabulo, Atenolfo de Patricio, Petro Fratre, Pandulfo de Marczano, Ascitino, Riccardo Notario, in partem ivimus; & habito consilio, reversi judicavimus, pugnam in hoc casu locum non habere; tum quia inter Langobardos (1) erat

A quæstio, (2) tum quia de his, quæ non viderant Teanenses pugnare non debebant. Et quia prædictus Comes volebat, ut hæc lis rationabiliter finem acceptaret, nostro præcepto prædictus Anneus, & suppositæ personæ, & jam dictus Lando propria manu suum testimonium jurejurando cōfirmavere. Quo facto de possessione judicavimus: *Ut cives Sueffani, sicut memoratus Rex Rogerius ordinaverat, aquam ad Sueffanam civitatem ducerent, & in possessione aquæ essent; ita quòd Teanenses exinde aliquod impedimentum eis non faciant, ipsius sanctissimæ Regiæ donationis, concessionis, & ordinationis confirmatione Domino nostro gloriosissimo Regi reservata*. Ut dictum, quod gestum est, memoriam non

B effugiat, pro securitate quoque civium Sueffanorum, nos qui supra Alexander, & Joannes Capuæ Judices hæc omnia in scripto redigenda tibi Petro nos commisimus............. (3) Ego qui supra Alexander Judex. Ego qui sup. Bartholomæus Judex. Ego qui sup. Joannes Judex. Ego qui supra Joannes Judex. Ego Valerianus Judex. Donatus Judex. Ego Adenolfus de Patricio interfui. Ego Riccardus Citri Regius Comestabulus interfui.

NEc plura ad hanc Historiam do antiqua Opuscula, nisi duo alia Chronica, quæ in extremum locum servavi, ut Perorationis vicem subirent: continent enim Epitomen, ac integram periodum Langobardorum Italiæ Cis-Tiberinæ ad Dy-

C *nastas usque Nortmannos. Ista autem omnia, quæ emisi, jam olim, velut semina, elegi, ex quibus enatæ, ac subcretæ sunt mihi Notæ universas res exponentes eorundem nostratium Langobardorum. Faxit Deus, ut ad plenam maturitatem eas perducere aliquando valeam: hoc est ad non imparatam editionem.*

DE CHRONICO

PRINCIPUM SALERNI &c.

PArum utile Chronicon, & quidem minimâ diligentiâ consarcinatum Opusculum exhibeo, quod

D *Ducum, & aliquot Principum Beneventi, nec non Principum omnium Salerni, atque priorum Regum Siciliæ nomina aliunde notissima, & tempora aliis in Chronicis decantatissima pessimè describit. Illud autem foràs emitto, quod unum, atque alterum Salernitanum Principem prodat adhuc ignoratos, meæque diligentiæ esse duxerim, lapidem nullum, quem profectui ad hanc struem esse cognoverim, non admovere. Verumtamen de eo aliud, præter hoc prolixiori sermone præmonendum, vix habeo: eâ scilicet sublevatus curâ à Joanne Simone Marescalcho, qui Notulâ ad finem adpictâ testatus est, quæ mihi ex more fuissent adnotanda. Exemplar autem, ex quo est exceptum, Papyraceum quidem illud, extat apud Joannem Baptistam Prignanum,*

E *Salernitanum Patricium, patriæque antiquitatis studiosissimum, quod ætatem certè commonstrat ab anno* 1548. *quando ex antiquo Autographo exscriptum adseritur à Marescalcho, estque ejusmodi Epigraphe prænotatum*. Numerus annorum Regum, Ducum, Principumque Salerni, & Beneventi. *Quam sive ab novitio exscriptore, sive ab Chronici Auctore efformatam, consultò rejeci, eam ratus nil*

(1) Suspectus mihi locus: certè obscurus. An antiquata lex fuerat 42. tit. 55. lib. 2. Leg. Lang. Quam lex 23. tit. 9. lib. 1. *propter consuetudinem vetare non potuit?*

(2) Et quidem ex jure Langobar. qui discrepantes testes Monomachia decertare constituerunt. lib. 2. tit. 51. lege 11. Admiserunt tamen, posse imbecilles, vel ætate, vel morbo, vel sexu, Campionem pro se subrogare lib. 2. tit. 55. l. 43. & seqq.

(3) In exemplari hoc erat loco explosa subscriptio Regis. Tu, si placet, substitue. *CS. RS.* hoc est. *Comes Robertus*.

nil sapere, nec antiquitatis, nec veritatis: Duces enim, & Principes Beneventi haud Duces, & Principes dicti fuerunt Salerni, quod passim plerique neoterici gratis invexere; Regesque Siciliæ neutrius noscuntur urbis, seu Duces, seu Principes adpellati: substitui idcirco Epigraphen aliam enucleatiùs, ac minutiùs adnotata in Chronico exponentem; istaque satis de hoc Opusculo.

CHRONICON

DUCUM, ET PRINCIPUM ALIQUOT BENEVENTI,

ET PRINCIPUM SALERNI.

Cum Appendiculo Ducum Apuliæ, & priorum trium Regum Siciliæ Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ.

Zoto Ducatum tenuit ann. XX.
Arachis. regnavit ann. L.
Agio. ann. III.
Adoal. ann. V.
Grimoaldus. ann. XXV.
Romoaldus. ann. XVII.
Grimoaldus II. regnavit ann. III.
Gisulfus. ann. XVIII.
Romualdus II. ann. XXVI.
Gregorius. ann. VII.
Godescalcus. ann. III.
Gisulfus II. ann. VII.
Limpradius. ann. VI.
Archis Princeps coronatus (1) à Magno Carolo. ann. XXX. Hic construxit Salerni Palatium, & Capellam S. Petri, quæ adhuc extat.
Grimoaldus filius ejus. ann. XVIII.
Grimoalt Storesaiz. ann. XII.
Sico Spoletinus. ann. XV.
Sicardus ejus filius. ann. VII.
Siconulfus frater ejus. ann. X. Iste Siconulfus cum fratre (2) Radechesi Principe Principatum divisit. Siconulfus tenuit Principatum Salerni: Radechesi Principatũ Beneventanum.
Sico filius supradicti Siconulfi regnavit ann. V.
Ademarius. ann. 6.
Guaferius Balbus. ann. XVI.
Guaimarius malæ memoriæ filius ejus. ann. XVI.
Guaimarius bonæ memoriæ filius ejus. ann. XL.
Priscus. ann. X. (3)
Gisulfus III. Mag. Princeps. ann. XL. Hic introduxit corpus B. Matthæi in Salernitanam civitatem.
Pandulfus optatus. ann. III.
Mansius Patricius. ann. 2. (4)
Joannes De Lamberto. ann. XIII.
Guaimarius. ejus filius. ann. XLIII.
Guaimarius filius ejusdem Guaimarii. annos XXXIII.
Gisulfus IV. Princeps ultimus. ann. XXXIII.
Robertus Guiscardus. ann. XX. Hic construxit Ecclesiam S. Matthæi.
Rogerius Dux filius ejus. ann. XXVI.
Gulielmus Dux filius ejus. ann. XVII.
Rogerius Rex Magnificus Aphricæ, & Siciliæ, in Ducatu regnavit ann. III. & mens. VI. Rex ann. XXII. & cum filio suo ann. III.
Gulielmus filius ejus Rex. ann. XII.
Gulielmus Rex gloriosus filius ejus. ann. XXIII. & mens. VI.

Anno Salutis. MDXLVIII.

Quæ hactenus scripta sunt ex vetusto, corrupto, & manuscripto Codice Salerni in Cœnobio D. Nicolai delitescente ego Joannes Symo Marescalchus Salernitanus fideliter excerpsi. Siqua tamen, tu Lector, tuis auribus minùs accomoda offendes, desine mirari; volui namque in opere transcribendo potiùs esse fidelis, quàm diligens. Tamen, si vis, inepta corrige, & pro arbitrio incerta repone, meque antiquitatum minimum assertorem si laudare dedignaberis, saltim non accuses, & diu felix vive. Salerni Kal. Augusti.

DE CHRONICO

DUCUM, ET PRINCIPUM BENEVENTI.

Animus inopino perculsus malo susceptam Langobardicæ Historiæ editionem, dimidiamque ferè peractam, ægrè audebat ulterius promovere. Etenim complurium (credam utique amicorum) judicia ad me pervenerant de libro nondum eis viso; quorum alii operis exilitatem, quam ab Opusculorum nomine argumentabantur, alii inutilitatem, quam prudenti vaticinabantur conjectura, inlaudabant. Qua acri censura impetitus, adeò exterrita mens fuerat mea, ut jam, jamque ab incepta prorsus desistere, vel saltem ad tempus reliquam Historiam cogitarem differre. Animique consternationem morbus validè augebat antiquus, qui & ipse humidioribus Autumni diebus cœperat sensim augeri; fastidiebamque, nedum urgere Typographicum opus, quinimmo anxiè dolebam, me præpropera festinatione præcepitasse libellum, nec tamen ante Hyberna tempora, ut conceperam, integrum procudere valuisse. At his dum cruciabar molestiis adfuit V. C. Abbatis Constantini Caitani, Monachi Cassinensis, de me, immo de omni antiquitate, bene promerendi consuetus amor; qui ultronea humanitate, literis Romæ datis, scriptum Chronicon communicavit Ducum, & Principum Beneventi ex antiquo Vaticano Codice olim à se exceptum: exemplumque transmisit Chronici postremorum Comitum Capuæ, quod alterum à meo penes se esse intellexeram, ac petieram. Quibus opportunissimis, acceptissimisque donis, ac si Tyndarides inluxissent mihi faces salutares, omnis sedata est mentis fluctuatio: agnovi enim laudato, & cordato viro susceptam à me provinciam cordi, ac laudi fuisse, qui fomenta præstitisset operi aliis improbato. Quam pariter sententiam plerique abstrusæ hujus, & impolitæ antiquitatis peritiores jam olim, atque etiamnum tulere; qui & cohortationibus, & symbolis, quæ consultissimè, ac officiosissimè ad præsentem contulerunt Analectam, rem ut adgrederer, perficeremque, impulere. Fecit quoque animos, quod pusillus liber, quem pondere venalem haberi neutiquam vellem, ex pluribus minutioribus Opusculis à non uno Auctore elucubratis constet, iisque singulis sit longè major, quæ nec prisci, nec recentiores despexere rerum antiquarum studiosi, sed frequenti exscriptione ad hanc servarunt ætatem. Quibus prudentior ego cùm nil sim, certè navasse opinor operam utiliorem, disgregata illa congregando, recensendo, carptimque adnotando: opus aliis vel desperatum, vel minùs bene (absit verbo invidia) operatum. Tantis igitur impulsori-

(1) *Coronatus* &c. Adhuc inauditum.
(2) *Cum fratre* &c. Inauditum, atque dicam falsum. Sed integrum Chronicon cum altero Beneventano infra recensebo.
(3) Priscus iste incompertus adhuc.
(4) Mansus & iste antea ignotus.

foribus, productisque ratiunculis trepida mens validè confirmata, cœptum opus alacriter provehere instititt, morbique vim tantisper, sidere adhuc favente clementiori, vicit, & Chronicon recentissimè acceptum aliis tandem addere suasit opportunissimum; quod in quatuor partes commodè, ni fallor, dissècare est visum, contemplatus quadruplices rerum periodos in eo contineri. Illud autem non aliis adminiculis ab Anonymo auctore suo, Monacho utique Monasterii Sanctæ Sophiæ Beneventanæ urbis, efformatum reputo; quam priscarum Chartularum observatione, quibus nomina Principum, & tempora habebantur adnotata: Idemque haud integrum ab eodem Monacho elucubratum pro comperto habeo, cui contribuendam scio tertiam solummodo partem: reliquas cùm dixerim, ubi de Anonymo Salernitano num. 1. & 10., extitisse jampridem exaratas ad frontem scripti vetustissimi Codicis Historiæ Erchemperti, confecti ab anno 995. Verumtamen in hoc, vel idem Auctor, vel Librarius non semel offendit, sicut in Commentario patefaciam, quod post dabo: ibi namque tum ista, tum alia multa erunt mihi, tibique commodiùs adnotanda.

CHRONICON

DUCUM, ET PRINCIPUM BENEVENTI

Auctore Anonymo Monacho

Monasterii S. Sophiæ ejusdem Urbis.

I.

I. ZOtto I. (1) Dux Beneventi præfuit ann. XXII.
II. Arichis sedit an. L.
III. Ajo filius ejus sed. an. I. m. V.
IV. Radoaldus sed. ann. V.
V. Grimoaldus frater ejus sed. ann. XXV.
VI. Romuald filius ejus sed. ann. XVI.
VII. Alter Grimoaldus filius ejus sedit ann. III.
VIII. Gisolfus frater ejus sedit ann. XVII.
IX. Romualdus filius ejus sedit ann. XXVI.
X. Adelays sed. ann. II.
XI. Gregorius sed. ann. VII.
XII. Godescalchus sed. ann. IV.
XIII. Gisolfus filius Romualdi sed. ann. XVII. & dies X.
XIV. Liudprandus filius ejus Nepos Liudprandi Regis sed. ann. VIII. & mens. III.

II.

I. Arechis Dux, & primus Princeps sed. ann. XXX. (2)
II. Grimoaldus filius ejus sed. ann. XIX. mens. VI. (3)
III. Alter Grimoaldus filius ejus sed. ann. XII. mens. I. d. X. (4)
IV. Sico sed. ann. XV. mens. II. (5)
V. Sicardus sed. ann. VI. mens. X. (6)
VI. Radelchis sed. ann. XI. mens. X. (7)
VII. Radelgarius fil. ejus. sed. ann. IV. mens. II. (8)

[A] VIII. Adelchis frater ejus sed. ann. XXIV. mens. VI. (9)
IX. Gayderisius filius Radelgari sed. ann. V. mens. VI. d. XIX. (10)
X. Alter Radelchis junior filius Adelchis sedit ann. III. mens. VI. (11)
XI. Ajo frater ejus sed. ann. VI.
XII. Ursus filius ejus, puer decennis sed. ann. I. (12) mens. VI.
XIII. Cujus temporibus Simbatcus Stratigos cum valida Græcorum manu venit Beneventum III. Id. Julii, & tenuerunt eam ann. III. & mens. IX. & d. XX.
XIV. Hoc tempore completi sunt an. CCCXXX. & menses V. à Zotto primo Duce Beneventi, [B] quibus Langobardi primatum tenuerunt Beneventanæ Provinciæ.
XV. Post hoc Guido Marchense introivit in Beneventum. Sed. ann. 1., mens. VII.
XVI. Radelchis junior iterum sedit ann. II. mens. VI.

III.

I. Dominus Atenolfus ex Capuano Gastaldato jam Comes cum filio Landulfo, & cæteri deinceps per generationes suas, per numerum Principes XIII. Principatum tenuerunt an. CCLXXVII. Atenolfus regnavit ann. II. & cum Landulfo filio suo regnavit ann. X. mens. VI. & facti omnes anni regni istius Atenolfi XI. & mens. VI.

II. Post hæc iste Landolfus cum Atenolfo fra[C]tre suo, & cum Atenolfo, & Landulfo filiis suis regnaverunt ann. XXVI. (13)

III. Et postea iste Landulfus junior regnavit ann. IV. & cum Paldolfo filio suo regnavit ann. XX. & mortuus est.

IV. Et post obitum Landolfi patris sui regnavit iste Pandolfus cum Landolfo fratre suo ann. VII. mens. VI. Et post mortem fratris sui regnavit cum Landolfo filio suo ann. XII. mens. VI. & mortuus est idem Paldolfus de mense Martio, & facti sunt omnes anni Principatus ejus XXXVI. & mens. VI.

V. Et postea iste Landulfus IV. post mortem Pandulfi fratris sui regnavit mens. VI. & med. & fuit ejectus de Benevento. Et facti sunt omnes [D] anni Principatus XII. mens. IX.

VI. Et Paldolfus nep... Domini Paldolfi majores electus est Princeps à Beneventanis; & regnavit ann. V. mens. VIII. Et fecit Principem Landolfum filium suum, & regnavit cum eo ann. XXII. mens. II. Et fecit Principem Paldolfum nepotem suum, filium Domini Landolfi. Et regnaverunt toti tres ann. XXXIII. & (14) ejus est de Benevento, & mortuus est de mense Augusti. Et facti sunt omnes anni regni Domini Paldolfi XXXVIII. mens. VIII.

VII. Et post mortem Domni Paldolfi regnavit Landulfus filius ejus cum Paldolfo filio suo ann. XIX. men. V., & mortuus est idem Landolfus mense Septembris. Sunt autem anni Prin[E]cipatus ejus XL. & VI. mens.

VIII. Et quarto anno post mortem patris sui fecit

(1) Zottoni Paulus Diac. lib. 3. cap. 16. sive 34. annos tribuit 20. quot etiam imputat Codex Cass. 353. in quo Ducum series, præterito Audelao, nullisque adnotatis annis Gisulfi 2. est ad ejusdem Pauli normam; sed Principum anni variant ab hoc nostro, ut infra, ac præteritur ultimus Dux Luidprandus.
(2) *Ann. 29. m. 6.*
(3) *Ann. 20.*
(4) *Ann. 11. m. 1. d. 10.*
(5) *Ann. 16. m....*
(6) *Ann. 6. m. 10. Ind. 2.*
(7) *Ann. 12.*
(8) *Ann. 3. m. 3.*
(9) *Ann. 24. m...*
(10) *Ann. 2. m. 6. d. 19.*
(11) *Ann. 3. m. 4. d. 21.*
(12) *Ann. 1.*
Reliqua in eodem Cass. codice descripta habebis infra in Append.
(13) Numerus iste annorum *XXVI.* nulla stare potest ratione. Nec hi Principes annos habuere omnes pares, & communes. Locus igitur est, vel mancus, vel corruptus; certè implexus.
(14) Compendiatum esse hoc verbum *ejus*, ex integro *ejectus*, intellectu difficile non est.

fecit principem Landolfum filium suum mense Augusti. Regnavit cum eo usque dum venit Domnus Papa Leo in Beneventum, ann. XIII. mense Augusti. Indict. IV. anno Domini MLI. & exsiliati sunt.

IX. Postmodum autem reversi sunt in Beneventum, & regnavit Domnus Paldolfus ann. XLVIII. & factus est Monachus in hoc Monasterio S. Sophiæ mense Martii, in Festivitate S. Benedicti, & vixit ann. (1) XLIII.

X. Landulfus autem filius ejus regnavit ann. XXXIX. m. III. d. . . . Mense Novembris obiit Indict. I. anno Domini MLXXVII.

XI. (2) Paldolfus filius ejus, vivente patre suo, & abio, electus est Princeps, mense Augusti, Indict. IX. anno Domini MLVI. Regnavit cum abio suo ann. III. mens. VII. Et post mortem avii sui regnavit cum genitore suo ann. XVII. mens. V. d. VII. Occisus est autem à Normannis ad Montem Sarchum VII. die intrante mense Februario, anno Domini (3) MLXXIII. Indict. XII.

XII. Post cujus obitum supervixit, & regnavit genitor ejus solus ann. III. mens. XI. quæ fiunt simul ann. XXXIX. mens. IV. Horum Principum temporibus venit Domnus Gregorius Papa in Beneventum anno Dom. MLXXIII. II. die intrante mense Augusti, primo anno Pontificatus sui, Indictione XI. die S. V. suæ consecrationis II. Kal. Julii, die Dominico; Principatus Domni Landolfi ann. XXXVI. & Domni Paldolfi filii ejus XVII. Post cujus adventum supervixit idem Paldolfus Princeps mens. VI. & d. VI.

XIII. Post ejus obitum vixit pater ejus ann. III. mens. XI.

XIV. Quo moriente mense Novembri, V. Kal. Decembris, statim Robertus Dux obsedit Beneventum XIV. Kal. Januarii usque VI. Idus Aprilis, unde expulsus est cum omnibus suis Indict. I. Obiit idem Dux trans mare mense Julii VIII. Indict.

XV. Post cujus Principis obitum recta est civitas per Romanam Ecclesiam.

XVI. Principati sunt in Benevento CLXXVII. ann. a primo Atenolfo usque ad novissimum VI. Landolfum.

IV.

I. A (4) Zottone primo Duce Beneventi usque ad (5) XV. annum Siconis sunt anni (6) CCLXXX. mens. III. d. XV. temporibus Imperatoris Tiberii, qui imperavit ann. VI.

II. Gisolfus prior, Dux Beneventi, qui devastavit Campaniam, qui præfuit Samnitibus ann. XVII.

III. Ab isto Gisolfo usque ad alium Gisolfum juniorem sunt anni LIII.

IV. Ab isto Gisolfo juniore usque ad XV. ann. Siconis Principis sunt anni LXXXIV.

V. A B. Benedicto usque ad Gregorium Papam sunt anni LXXVIII.

VI. *A Gregorio Papa usque ad XV. annum Siconis sunt anni* (7) *CCVI.*

VII. Et à Gregorio Papa usque ad Gisolfum, qui devastavit Campaniam, sunt ann. (8) LXXIV.

VIII. Et à B. Benedicto usque ad Gisolfum juniorem sunt anni CCV.

IX. A B. Benedicto usque ad (9) XV. annum Siconis Principis sunt anni (10) CCCVII.

X. Temporibus (11) Justiniani Majoris fuit S. Benedictus sub Joanne Papa. Tunc temporibus Theodoricus Rex Italiæ præfuit.

Hactenus hoc Chronicon Anonymi Monachi Sanctæ Sophiæ urbis Beneventi. Ad cujus quartam partem, complectentem collectiones annorum à me indicatas, cùm de Anonymo Salernitano disserebam Num. 1. variantes lectiones tum sunt ex binis scriptis Papyraceis Codicibus ejusdem Salernitani, ex quibus addita etiam est Collectio VI. qua præsens Chronicon deficiebat: tum sunt ex consimili, ferè, Chronico, quod indicabam ad oram Pag. 320. atque exaratum habebatur in antiquissimo Codice membranaceo Bibliothecæ Cassinensis signato num. 353. eidemque cæteræ hæ omnes annorum summæ, præter VII. IIX. & IX. inverso licèt ordine, hoc est non ut hic subpositæ, sed Chronico præfixæ, adstant; erantque ibidem postremo loco post nomen Ursi filii Principis Ajonis & ista, utique non prætermittenda, quæ ex fusioribus Notulis excepta puto Joannis, ex Archidiacono Capuæ Abbas qui fuit Cassinensis, & in Historicas has lucubratiunculas, ut alibi dixi, incubuit, vixitque sub Principe Landulfo primo; ad cujus annum 13. nempe Christi 913. substitit, biennio antequam Abbas fuisset renunciatus. Et si ambigi posse video, noster ne ab altero Anonymo Fragmenti Beneventanæ Historiæ auctore, an ille ab nostro sit mutuatus ea, quæ de Græcis Beneventanam civitatem invadentibus totidem prorsus verbis, de eorundem autem expulsione, paucis mutatis, utrobique tradita habentur in hanc formam?

APPENDICULA

Ex Codice Cassin. signato. Num. 353.

URsus filius Ajonis puer septennis an. 1. Cujus tempore Sibbaticius Straticus cum valida manu Græcorum venit Beneventum III. Id. Julii, obseditque eam usque XV. Kal. Novembriarum diem, quo ben. . . . . . (12) paciscens, in eam ipse ingressus est eodem die, completis trecentis triginta annis, & aliquot mensibus à Zottone primo Duce Beneventi, quibus Langobardi Principatum tenuere Beneventanæ Provinciæ. Tribus denique annis, novemque mensibus, & diebus XX. dominatio Græcorum tenuit Beneventum, Samnique Provinciam. Postea verò *præfata Imperatrix* anno I. mens. octo expletis postquam Græci Benevento fuerant expulsi, in eadem ingressa est Prid. Kal. Aprilis, & postea [XIIII. Ind.] ea-

(1) Scribo *XLVIII.* nam secus minùs vixisset, quàm regnasset.
(2) Exemplum ad me missum habet, *Aldolfus* depravatè.
(3) Restituo *MLXXIV.* quo ann. erat Ind. XII. nam vivebat *mense Aug. Indict. XI.* quod hic adfirmatur. Num. 12.
(4) *Zotone.* In uno Cod. Anon. Saler.
(5) *XII.* In uno Cod. Anon. Sal. sed depravatè.
(6) *CCLXXII.* In uno Cod. Anon. Sal. & in Cassin. In altero Salern. *LXXII.* sed in omnibus nulli menses, nec dies.
(7) Certè auctor scripserat, ut minùs *ann. CCXXVI.* qui fuerunt *CCXXIX.*
(8) *XXXIII.* In uno Cod. Anon. Saler. In altero *XXIII.* in utroque diminutè.
(9) Hæ collectiones cùm annum non excedant 15. Siconis, ea Auctorem vixisse ætate docent.
(10) *CCC.* In utroque Cod. Anon. Sal. diminutè.
(11) *Justini Majoris, & Justiniani.* In utroque Cod. Anon. Saler. & in Cass.
(12) Quæ Romanis literis expressi, erasa fuerant (superstitibus tamen primæ scripturæ indiciis) quod, fortè, nulla de Imperatrice præcessisset mentio. His autem signis [] clausi, quæ superaddita eadem prioris librarii fuerant manu, necdum facta, quam dixi, recognitione.

A *eadem Imperatrix mater* [prædicti Marchensis] nominatum Radelchim fratrem suum Beneventano Principatu restituit, qui ferè XII. annis ab eo fuerat expulsus. Et postea sed. an. II. Ind. autem XV.

(1) Dom. Atenulfus .... Ind. XIII.

Dom. Landulfus, & Dom. Atenulfus filii supradicti Dom. Atenulfi sed. an. X.

Primo anno Principatus Grimoaldi, qui post Arichis Principem extitit Princeps, venit Carolus Rex Beneventum. Et à tempore ejusdem Caroli (2) usque ad XIII. annum Principatus Dom. Landulfi Principis sunt anni CXLII. B temporibus Adriani Papæ, qui fuit successor Stephani Papæ [quinti.]

ANNORUM DUCUM BENEVENTI

Ab Zottone omnium primo ad Arichim nominis II. *Cum Æra Christi Comparatio.*

PRæsens comparatio (novam ne, Lector, deliberationem ignores meam) haud promissi Commentarii pars, sed excerpta ex illo est in primam Partem antecedentis Chronici explanatio; namque uberiorem illam, ac perpetuam nostratium Langobardorum Chronologiam cùm in longè majorem, quàm putaveram, chartarum molem crevisse, ad- C *vertissem, peculiarem in librum propediem evulgandum, commodiùs rejiciendam esse duxi. Cui, ut hujus meæ non inconsultæ tarditatis damna aliquo emolumento tibi compensarem, Historicas non absimilis argumenti addere decrevi De Institutione, Finibus, & occasu Ducatus, & Principatus Beneventani, Principatus Salerni, & novissimi Principatus Capuæ Dissertationes, quas animo ne tantùm conceperim, an quia nunc nuper absolverim prudens in paucos saltem differam menses, ex his, quæ in rei experimentum hìc præstare institui, facilè intelligere poteris.*

At Zottoni, ut Comparationem aggrediar, Beneventano Duci omnium primo, universi, qui horum Ducum seriem descripserunt, haud antiquio- D *rem, melioremque Paulo Diac. habentes auctorem, qui nostrates res Langobardicas usque ad Arichim.* 2. *diligenter, & fideliter tradidisse est visus, illum secuti, annos viginti imputarunt; ad cujus quoque normam annorum intervalla cæterorum postea Ducum adnotarunt. Noster autem hic Anonymus, & ipse Pauli vestigiis de cætero ferè semper insistens, Zottoni tamen annos adscripsit viginti duos, nempe totidem, quot illum antecessisse credidit Arichim hujus nominis primum, qui proximè Dux fuit post Zottonem ab ineunte anno Christi* 591. *qua ratione Ducatum Zotto suscepisset in anno* 569. *subsequenti videlicet anno ab adventu in Italiam universæ gentis Langobardorum. Verùm Dux primus ille, sive plures, sive pauciores in* E *Ducatu vixerit annos, quod parum ad rem præsentem refert, ad Pauli sanè mentem non eo anno Dux, nec antequam ab Rege Authari, sive Anthari, & in Kalendis Januarii anni Christiani* 585. *est constitutus; Autharis namque postquam primus in Italia Rex Alboinus tribus annis, & mensibus sex, & post eum altero sesquianno Rex Clephus regnassent, exactoque insuper integro interregni trigintasex Ducum decennio, Rex est salutatus in anno* 583. *quem Sigonius* de Regno Italiæ *lib.* 1. *statuit in anno* 585. (3) *quoniam Paulum, laudatumque à se Landulfum pravè interpretatus, Alboini annos tres cum dimidio ab anno ducendos putavit* 570. *qui computandi fuerant ab anno* 568. *per quos ille, ut inquit Paulus lib.* 1. *c.* 14. *sive* 28. in Italia regnavit: *quandoquidem in Pannonia Langobardorum Regnum post patrem Andoinum jam pridem susceperat, tertioque generalis transmigrationis anno haud ipse Italiæ Rex, sed ut Landulfus apud Sigonium perhibet*, Langobardorum dominatus, *idest, ordo regnandi*, fuit institutus. *Paulus igitur, ut dicebam, primi Beneventani Ducis Zottonis initia ad Regem Autharim apertè retulit lib.* 3. *cap.* 16. *sive* 33. *atque definitè ad annum* 585. *quam germanissimam ejus fuisse sententiam, digesta ab eodem singulorum subsequentium Ducum tempora manifestant. Qua utique ratione, quoniam* Zotto principatus est Beneventi (*verba sunt Pauli*) per curricula viginti annorum, *ad annum pervenisset* 605. *idque planè demonstrabat idem auctor lib.* 4. *cap.* 6. *sive* 18. *ejusdem Ducis obitum adnotans post descriptam Monasterii Cassinensis eversionem à Langobardis patratam, à qua ad instaurationem actam ab Abbate Petronace, & ad Summum Pontificem Gregorium* 2. *qui ab anno sedit* 714. annos ferè centum & decem evolutos fuisse, *perhibet lib.* 6. *c.* 13. *sive* 40. *Et quidem Paulo tum de præfati Zottonis, tum de reliquorum Ducum intervallis annorum, meliorem cùm non habeamus auctorem, standum esse non dubito: verumtamen quam de eis tradidit cum annis Christi comparationem, atque constanter ad Arichim usque secundum videtur custodisse, minimè recipiendam esse existimo; in qua adeò enormiter, ad res licèt suæ ferme ætatis stylo tandem devenisset, offendit, ut de tanta viri hallucinatione (nam consultò alioquin dicendum esset à linea aberrasse, nec cur sic fecisset, divinare valerem) vix mihi metipsi fidem præstarem, nisi in subsequenti descriptorum à se Ducum Chronologica Tabula, quæ ad primam Partem præmissi Chronici instar integri Commentarii esse poterit, patentibus oculis absurdissimum ejus conspicerem Metachronismum. In qua Tabula annos Ducum cum annis Christi juxta excogitatam à me normam comparatos è regione ejus absurdæ comparationis adscribere est visum, ut sic utramque invicem expeditiùs, ac manifestiùs quisque possit conferre. Epocham verò Zottonis ad ineuntem referam annum* 571. *non eo ductus argumento, quòd ab eodem Duce ad annum Christi* 891 *& ad Beneventum à Græcis captam, Leo Ostiensis lib.* 1. *cap.* 48. *Editionis Neapolitanæ annos numeraverit* 320. *sed quod non aliter sentiendum esse, ipsa Ducum à Paulo tradita annorum intervalla, atque à recentioribus recepta, demonstrent: ab Zottone enim ad præscriptum annum* 891. *minimè annos* 320. *sed* 330. *Ostiensis eò loci in exemplari Cassinensi manu exarato, & in Editione Veneta, & Parisiensi, atque hic noster Anonymus Par.* 2. *Num.* 14. *aliique supputarunt: Epocham scilicet instituti Ducatus cum Epocha Zottonis, qui primus quidem, sed obscuro quodam rerum ordine Dux fuit, confundentes, ut lib.* 2. *peculiari in dissertatione declarabitur.*

ZOT-

(1) Suppleo. *Dom. Atenulfus sed. ann. XI. M. VI. obiit Ind. XIII.*

(2) Supputat Caroli tempora ab anno 771. à quo solus regnavit: sepulto Stephano 5. aliis 4.

(3) Non ignoro Auctorem Appendicis ad Gregor. Tur. cap. 45. annos interregni computasse 12. At Paulus, & qui illum secutus est Sigonius 10. tantùm supputarunt.

Z O T T O

Sedit ann. XX. Paulus Diac. lib. 3. cap. 16. sive 34.

Ex absurda compar. Pauli D.		*Ex mea comparatione*	
A Kal. Januarii an.	585.	*A Kal. Januarii an.*	*571.*
Ad Pr. Kal. Jan. an.	605.	*Ad Pr. Kal. Jan. an.*	*591.*

Cassinense Monasterium vastatur à Langobardis ante Zottonis obitum, non quidem multùm. Paulus Diac. lib. 4. cap. 6. sive 18. & 19.

Nempe circa tempora, quibus Theudobertus Rex Francorum cum Clothario patruele bellum gessit, ejusque exercitum vehementer afflixit; quando etiam signum sanguineum in cœlo apparuit, & quasi hastæ sanguineæ, &c. Paulus Diac. lib. 4. cap. 4. sive 16. Talium autem Meteororum adparitio in Appendice ad Greg. Turon. cap. 19., & 20., & ex eo in Historia Rheginonis lib. 3. cap. 87. & 88. comparatur cum bello à Theudoberto, & Theodorico fratribus cum Chlothario commisso in anno quinto Regni Theodorici, qui, ut variè computant, fuit Christi 601. sive 605. quod tamen bellum Paulus lib. eod. cap. 9. sive 29. alterum à præscripto à se, & parem facit Christi anno, qui notatus fuit Indictione 8. nempe 605. quo etiam loco Chlotharium non patruelem, sed patruum appellat prædictorum fratrum.

Nempe sub Pelagio Rom. Pontifice, ut ex Leone Ostiensi lib. 1. cap. 2. qui obiit in anno 590. nec admodùm antequam Sanctus Gregorius Magnus Dialogorum libros scriberet; qui ibi lib. 2. cap. 17. dicit nuper *id actum scripsit autem Gregorius in anno 593. ut Sacrorum Annalium magnus conditor Baronius observavit.* (1)

A R I C H I S

Sedit ann. L. Paulus Diac. lib. 4. cap. 15. sive 46. (2)

A Kal. Januarii an.	605.	*A Kal. Januarii an.*	*591.*
Ad Pr. Kal. Jan. an.	655.	*Ad Pr. Kal. Jan. an.*	*641.*

Dux iste Arichis per postremos quinque menses sui Ducatus consortem habuit filium Ajonem, ut subsequens temporum ratio suadet.

A J O

Sedit ann. I. mens. V. Paulus Diac. lib. 4. cap. 15. sive 46.

A Kal. Augusti. an.	654.	*A Kal. Augusti an.*	*540.*
Ad Pr. Kal. Jan. an.	656.	*Ad Pr. Kal. Jan. an.*	*642.*

R A D O A L D U S

Sedit ann. V. Paulus Diac. lib. 4. cap. 47.

A Kal. Januarii an.	656.	*A Kal. Januarii an.*	*642.*
Ad Pr. Kal. Jan. an.	661.	*Ad Pr. Kal. Jan. an.*	*647.*

Dux iste Radoaldus cum fratre Grimoaldo ex institutione Ducis Arichis post Ajonem Ducatum obtinuisse, integroque præscripto quinquennio administrasse, videtur. Quò referam, Paulum Diac. juxta Edit. Frobeni nullos Ducatus annos Radoaldo seorsim ab annis Grimoaldi imputasse.

G R I M O A L D U S

Sedit ann. XXV. Paulus Diac. lib. 4. cap. 16. sive 47.

Connumerato quinquennio, quo sederat cum fratre.	*Non connumerato quinquennio, quo sederat cum fratre.*
Atque Dux an. XI.	*Atque Dux an. XVI.*

(1) Mediam tenuit viam Sigebertus, Cassinensem devastationem in annum referens 596. non advertens certum S. Gregorii testimonium.

(2) Ipse viderit Paulus, quo pacto hic Arichis antequam esset Dux, Pædagogus fuit Radoaldi, & Grimoaldi: cùmque in Ducatu vixisset ann. 50. illos, *florem juventutis habentes*, sibi, & filio Ducatus successores instituit, ut tradit lib. 4. cap. 15. sive 45.

A Kal. Januarii an. 661.	*A Kal. Januarii an.* 647.
Ad Pr. Kal. Jan. an. 672.	*Ad Pr. Kal. Jan. an.* 663.

Rex per annos IX. Paulus Diac. lib. 5. cap. 12. five 33.
Complentes videlicet summam annorum XXV.

A Kal. Januarii an. 672.	*A Kal. Januarii an.* 663.
Ad Pr. Kal. Jan. an. 687.	*Ad Pr. Kal. Jan. an.* 672.

Hic in Edicto, quod Rothari Rex composuerat, alia quoque Capitula Legis, quæ ei utilia visa sunt, adjecit. Paulus Diac. lib. 5. c. 12. five 33.

Juxta Pauli normam præsens annus fuisset Christi 677. (1) cui adjecti Characteres minimè competunt. Sed juxta Regum intervalla, tradita ab ipsomet Paulo, si rite exponantur, ipse fuit à me demonstratus ann. 668. Rex enim Rotharis condidit Edictum, ut ibi notatur, *VIII. anno sui Regni*, *Indictione* 12. *mense Novembris* (nempe producta Indictione secunda, ut alias sæpe, ad Januarium) *atque anno LXXVII. post adventum Regis Alboini*, quæ temporis designatio haud Paulum latuit lib. 4. c. 15. five 44. isque fuit annus Christi 644. Vixitque in Regno Rotharis, eodem Paulo teste lib. 4. cap. 16. five 48. annos in solidum 16. menses 4. ad annum perveniens 652. hæredemque post se habens filium Radoaldum, cui Paulus lib. 4. cap. 17. five 50. imputat annos 5. dies 7. sed eos, ferè, omnes computandos communes cum annis patris; ita ut filium decessisse intelligamus eodem anno 652. quandoquidem subsecutus Rex Aripertus regnavit ann. 9. quod Paulus perhibet lib. 4. cap. 18. five 53. hoc est ad Autumnum, ferè, anni 661. post cujus mortem, *expleto*, inquit Paulus, *anno*, *& mensibus tribus*, *Grimoaldus Langobardorum Regnum invasit* : nempe in exordio anni 663. quod cum tempore conditarum ab Grimoaldo novarum Legum, & digesta à me Chronologia perbellè congruit.

Nempe in anno sui Regni VI. mense Julii Indict. XI. Ut est in Legibus Langobard. editionis Basileensis anni 1557. excusis cum legg. Salicis, Alamannorum, Saxonum, &c. qui fuit Christi annus 668.

ROMUALDUS II.

Sedit ann. XVI. Paulus Diac. lib. 6. cap. 1. five 2.

A Kal. Januarii ann. 672. In quo ejus pater Regis titulo uti cœpit.	*Ab exeunte ann.* 661. *In quo ejus pater Regiam cœpit ambire dignitatem.*
Ad Pr. Kal. Jan. an. 688.	*Ad exeuntem ann.* 677.

GRIMOALDUS II.

Sedit ann. III. Paulus Diac. lib. 6. cap. 1. five 2.

Nempe unà cum fratre Gisulfo, ut infra.

A Kal. Januarii ann. 688.	*Ab exeunte anno* 677.
Ad Pr. Kal. Jan. ann. 691.	*Ad exeuntem ann.* 680.

GISULFUS

Sedit ann. XVII. Paulus Diac. lib. 6. cap. 1. five 2.

Scilicet unà adnumeratis annis tribus, per quos sederat cum fratre Grimoaldo. Igitur solus.

A Kal. Januarii ann. 691.	*Ab exeunte anno* 680.
Ad Pr. Kal. Jan. ann. 705.	*Ad exeuntem ann.* 694.

Dux iste Romanam Campaniam vastavit sedente Romano Pontifice Joanne. Paulus Diac. lib. 6. cap. 9. five 27.

Juxta supputationem Pauli, quem secuti sunt Anastasius Bibl. & Ado in Chron. sedente Joanne Sexto, atque anno circiter 703.

Juxta meam comparationem, sedente Joanne Quinto, atque in anno circiter 685.

ROMUALDUS II. (2)

Sedit ann. XXVI. Paulus Diac. lib. 6. cap. 16. five 55.

Inte-

(1) Aliter hæc Regum tempora disponit Sigonius, at quàm bene, periti judicabunt.
(2) Tempora designata in Actis S. Rufini apud antiq. Brev. Capuæ huic competunt Romualdo; cujus nomen loco *Grimoaldi* est ibi reponendum, signantque ann. 794. five 795. quo definitè Audoaldi Campani Patricii filius è lethali morbo Divina ope convaluit, ut ibid. in Præfat. declaratur.

Integros	*Non integros*
A Kal. Januarii ann. 705.	*Ab exeunte anno 694.*
Ad Pr. Kal. Jan. ann. 731.	*Ad Æstatem anni 720.*

Circa hæc tempora Petronax civis Brixianæ urbis Romam venit, hortatuque tunc Gregorii Apostolicæ Sedis Papæ Cassinense castrum petiit, ac Monasterium B. Benedicti non post multum tempus in primum statum erexit. Paulus Diac. lib. 6. cap. 13. sive 40.

Evolutis ferme centum & decem annis à Langobardorum destructione. Leo Ostiens. in Prologo sui Chronici ex fide Cassinensis exemplaris manu exarati, nec non Editionis Venetæ, & Parisiensis; atque ad mentem Pauli Diac. loco relato, quem secutus quoque est Adrevaldus Floriacensis libro de Miraculis S. Benedicti. Verùm congenitæ inconstantiæ nè vitio, an alia occasione in Ostiensis Chronico anni modò plures, modò pauciores Cassinensi solitudini imputentur, hujus non est loci expedire. Nec in præsens dicam, cur idem auctor lib. 1. cap. 4. instaurationem à Petronace aggressam in anno 720. ad tempora retulisse videatur Papæ Gregorii III. qui sedit ab anno 731. nam Petronax certè sub Gregorio II. Cassinensi præsidere cœpit Monasterio, ut ex S. Willibaldi etiam Peregrinatione apud Surium 7. Kal. Jul. est intelligere.

Evolutis ferè annis centum triginta, per quos à Langobardorum eversione Cassinenses Monachi Romæ juxta Lateranense Palatium habitaverant. Petrus Diac. in Auctar. ad Ostiens. lib. 4. cap. 91. ex fide Cassinensis exemplaris manu exarati, nec non Editionis Venetæ, & Parisiensis, atque ad mentem Ostiens. in eodem M. S. Codice, & editionibus l. 1. c. 4. Quo loco Petronacem tradit in Cassinensi Monasterio habitare cœpisse in anno 720. idemque adnotavit præfatus Petrus Diac. in confecto à se Registro Num. 86. in Cassinensi Archivo adservato; cùm uterque antiquissimum ejusdem Cœnobii Monachum sequeretur, qui in Chronico Langobardorum, seu Monachorum, &c. à me evulgato parem fecit Epocham Petronacis, & Beneventani Ducis Gregorii, nulloque alio intermedio Duce, ipsum Gregorium post Romualdum II. (nempe Ducem Adelaum, quod Paulus antea fecerat, præteriens) atque adeò in anno 720. videtur collocasse; ut constabit ex dicendis infra.

A D E L A Y S

Aliis dictus Audelaus,

Sedit ann. 2. Anonymus Chronol. S. Sophiæ.

Par. 1. Num. 10.

Hujus Ducis nomen, & tempus	*Ab Æstate anni.*	720.
nulllum Paulus demonstravit.	*Ad Æstatem anni.*	722.

G R E G O R I U S

Sedit ann. VII. Paulus Diac. l. 6. c. 16. sive 56.

A. Kal. Januarii an.	731.	*Ab Æstate an.*	722.
Ad Pr. Kal. Jan. an.	738.	*Ad Æstatem an.*	729.

G O D E S C A L C H U S

Sedit an. III. Paulus Diac. lib. 6. cap. 16. sive 56.	*Sedit an. IV. Anonymus S. Sophiæ. Par. 1. Num. 12.*

Hos facilè conciliabis, si Godescalcho imputaveris annos IV. non integros, quos Paulus rotundè, & suo more, III. computavit. Anonymus tamen Cassinensis in Chronico Langobard. seu Monachorum, &c. huic Duci adsignavit annos VI. ut tempora Ducum, & Abbatum exæquaret; nam annum Epochæ Adelai fecerat Gregorii, bienniogue Ducum Chronologiam anteverterat. (1) *Sedit igitur Godescalchus.*

A. Kal. Januarii an.	738.	*Ab Æstate anni*	729.
Ad Pr. Kal. Jan. an.	741.	*Ad exeunt. prope an.*	732.

GI-

(1) Quæ quibus competant Beneventanis Ducibus post Adelaum, gesta in epistolis descripta Romanorum Pontificum Gregor. 2. & 3. Stephani 3. & Pauli 1. atque in Anast. Bibl. pluribus locis, secus ac Paulus prodidit in fusiori aperiam Chronologia.

GISULFUS II.

Sedit an. XVII. dies X. Anonymus Chronologus S. Sophiæ. Par. 1. Num. 13.

Paulus lib. 6. cap. 17. sive 58. nomen tantùm hujus Ducis demonstravit, quem libro eod. cap. 14. sive 50. filium dicit Ducis Romualdi 2., ac Nepotem Luitprandi Regis Langobardorum: nempe ex nepote Guntberga natum, filia Auronæ suæ sororis; tempus verò sedis non adscripsit, quoniam suam Historiam clausit in obitu Regis præfati, qui decessit, ut ex Anastasio Bibl. disco in Zacharia, ante diem Kalendarum Julii undecimæ Indictionis, idest anni 743. At vixisse Gisulfum in Ducatu per hos annos ab Anonymo S. Sophiæ designatos, cum Pauli supputatione aptissimè congruit, quem proximè post illum collocasse Arichim 2. atque adeò nec plures, nec pauciores annos, quàm 17. Gisulfo imputasse, dicendum est: quot ab anno 741. qui postremus fuit Godescalchi, prædecessoris Gisulfi, juxta ejusdem Pauli comparationem ad annum 758. quo Arichis 2. Ducatum suscepit, dinumerantur. *Non hunc, sed subsequentem Ducem Luitprandum, nepotem adpellat Regis Luitprandi præsens Anonymus. Et verò qui potuit Gisulfus iste filius esse Ducis Romualdi 2. ex Guntberga filia Auronæ, cùm Romualdum obiisse demonstraverim in anno 720. Aurona autem, ut Paulus perhibet lib. 6. cap. 7. sive 22. apud patrem Ansprandum, & matrem Theodoradam, hoc est innupta, ab Rege Ariperto, naso, & auribus decisis, deformis effecta fuerit in anno, sive 704. ut supputat Baronius, sive 705. ut notat Sigonius, ambo sequentes traditam à Paulo de his Langobardorum Regibus Chronologiam? Paulus tamen hanc inconvenientiam vitasse sibi est visus, Romualdi 2. obitum statuens in anno 731. sed quàm bene, ex mea hac comparatione facilè intelligitur. Dux ergo Gisulfus 2. quibusvis ortus parentibus, annos sedit XVII. dies X.*

Ab exeunte ferè an.	732.
Ad exeuntem an.	749.

LUITPRANDUS

Sedit an. VIII. mens. III. Anonymus Chronolog. S. Sophiæ. Par. 1. Num. 14.

Hunc Ducem Pauli comparatio, & qui illum secuti sunt, non admittunt: Auctor Indicis Ducum Beneventi in Codice Cassinensi 353. Erchempertus Num. 1. juxta priorem Editionem, & Ostiensis lib. 1. cap. 9. ex fide scripti exemplaris, atque Editionum Venetæ, & Parisiensis. Erchempertus verò, & Ostiensis haud palàm hujus se esse sententiæ exposuere; sed hoc tanti non est, ut longiori demonstrari debeat sermone. *Luitprandum Beneventi Ducem agnoverunt, ne dum hic noster Anonymus, sed Anonymus alter Salernitanus longè antiquior. Par. 1. Num. 3. itemque Anonymus ille, qui Ducum seriem ipsi Salernit. in M. S. Cod. præfixit, (1) ac tandem firmissimo documento demonstravit Falco Beneventanus in Chronico ad annum 1121. cùm in lite quadam coram Summo Pontifice Callixto 2. agitata apud Beneventum productum fuisse dicit* Privilegium Leoprand olim Ducis civitatis Beneventanæ; *qui sanè Leoprand, sive Luitprandus, non fuit, nisi præsens Gisulfi 2. successor; nec tale Diploma, sincerum tunc reputatum, credere nunc licet suppositititum. Iste igitur Dux (2) quoniam sedit ann. VIII. mens. III. ab exeunte anno 749. qui postremus fuit prædecessoris Gisulfi, ad ineuntem annum 758. pervénit, ac definitè ad mensem ejus anni Februarium, quo Arichim 2. ei substitutum fuisse à Rege Langobardorum Desiderio docemur Epist. 4. Pauli 1. Pontificis Romani ad Regem Pipinum datâ, & de mense testantur alia monumenta suo loco producenda, nam modò pro loci opportunitate satìs ad hanc primam Partem.*

(1) Sigonius de Reg. Ital. lib. 3. Paulo subscribit, Arichim. 2. collocans post Gisulfum 2.
(2) Anonymus Salern. qui Arichim electum perhibet per suffragia populorum, qualiter sit capiendus in dissert. dicam, quæ inscribitur. *Ducatus Beneventanus transilat ne ad hæredem*, lib. 2.

DE

UM LANGOBARDORUM

OMITIS CAPUAE ET

PANDULFUS IV

Landolfus de Prefen- — Landolfus, — Landulfus, in an. 1097. ... an. 1097.

LAND

Landolfus De Prefen-, Viv. ... an. 1097.

Landenolfus De Praefentia-no. Viv. in an. 1097. qui cum aliis conjurat in Pand. Richardum I. ante an. 1065.

DESIDERIUS Abb. Caffin. ab an. 1058. qui fe VICTOR PP. 3. in 1087. quo obiit. Pet. Diac. Chr. 3.

Lando Com. De Praefentia, quos acquifivit Capuae ... Cass. ...

PANDU

Landolfus Com. Tean. Viv. in ann. 1060. de eo Oft. ... l. 3. c. 66.

N. pater Pandolfi Abb. Caff. ... l. 3. c. 68.

Atenolfus Dux Normannorum, ... Chron. Caff. l. 2. c. ... Leo Oftienf. l. 2.

PANDU

GAITELGRIMA Uxor Guaimarii 4. Princ. Sal. cognatis Panduli 4. Princip. Capuae. Oftienf. l. 2. c. 63.

ATENULFUS Abb. Caffin. ab an. 1011 ... Oftienf. l. 2. cap. 39. & feq.

LANDULFUS ... ab an. 1015 ... mane Spirat...

PANDULFUS Pr. S. L. adoptatus a Pat. Gifulfo ... dit cum eo ab 992. ad 998. Cum patre Pandulfo I. a. 981 ... fratre ad ... pere mortuo ... multos. ...

LANDULFUS IV Princeps patre ab 988 ... 982. Tarantini in bello ... mag. 102. Lup. ... in Chr. S. Soph. p. 31 ... mor. 1. 987. ... Benevent. ...

PANDULFUS I

Cognomine Caput ferreus Pr. cum patre ab 943, cum patre & fratre Land. 3 ab 959. Cum fratre ab 961. Cum fil. Land. ... + ab 968. Dux Spoleti, & Marchio Camerini ab 967. & 969. post abdicationem ... Benevent. ... Salern. cum fil. Pandulfo ab 978. ad 981. quo obiit ... iisdem habuit, ... Leo ... Nicephorus ... Luitpr. in Legatione mitt. five per ... eundemque parenti, & avum. Uxor Aloara fil. ... Com. ...

LANDULFUS III ... N. & N. ignotorum ... Princ... cum patre, & patruo Atenulf... atque cum fratre Atenulfo ... Cum filio Pandulfo ... eodem, & altero filio Landulfo ... quo obiit ... Monasterium Sanctae Mariae ...

LAND

Sedit Princeps cum patre ab an. 901 ... nullo ... ad an. 910 ... Capuam ... perpetuam ... ad an. 943 ... perfes vixit ... ad an. 943 ... id conjunxit cum ...

ATEN

Filius Landenulfi ... Comitum Capuae ... 900 ... tulit 1. ... ris longe antiquioris, qui ... cum ex genere ... Capuae ...

Ceterum ... expofita ... ad ... Comitum ... Genealogia ...

DE STEMMATE PRINCIPUM LANGOBARDORUM,

Qui ex genere prodierunt

ATENULFI CAPUÆ COMITIS,

ET DEMUM

PRINCIPIS BENEVENTI.

Obscurissimam sanè, ac maximè implexam Principum Langobardorum, qui è Campano Comite Atenulfo, signato in Stemmate præmisso ad Erchempertum numero XVI. processerunt, diligentiori, ni fallor, ac rationabiliori ordine, quàm alii adhuc fecerint, quamque brevissimè, & in Tabula expositurus Geneologiam, de meo hoc consilio, deque re ipsa non importunè placet aliquid prænotare. Quod autem monendum duco, tum est obpigneratam de dando hoc Stemmate meam me solvere velle fidem, tum cupere post expositam Primam, ad Tertiam quoque partem Anonymi Sanctæ Sophiæ qualemcumque præmittere facem (annos etenim in ipso Stemmate adponam, per quos singuli Principes sederunt) qualem etiam ad Secundam ejus partem, adpictis Christi annis ad oram Historiæ præfati Erchemperti, aliisque in locis, ut occasio permisit, præstiti. Verùm hæc omnia quia denuò, & subtiliori trutina expendam Libro secundo, ibidemque annorum collectiones in Quarta parte ejusdem Chronici descriptas, qualiter accipere oporteat, ac reliqua omnis Principum Salerni, & Capuæ successio dilucidè explicabitur, hac utique ratione ne dum integrum prædictum Beneventanorum Ducum, & Principum Chronicon, sed universa nostratium Langobardorum Chronologia, quæ parcè nunc delibatur, abundè ibi tractabitur; nam Stemmata hic etiam dabo Salernitanorum Principum eodem stylo digesta, quibus præmissum pariter Chronicon Salernitanum, ut promisi, recensebitur final, & utcumque elucidabitur. Adjungam verò & Stemmata alia Principum Capuæ, Ducum Apuliæ, & Regum Siciliæ genere Nortmannorum, sub quibus tergemina illa Dynastia à Langobardis instituta, diuque servata, sensim in unius Regni formam, additis nonnullis insuper aliis, alterius juris & minoribus ditionibus, coaluit, atque adhuc manet: quamdecentissima futura cùm sint præsentis operis Parerga, suamque in nonnullis præseferant non injucundam novitatem. Sed Atenulfus, de cujus Stemmate est nunc breviter dicendum, ex Capuano Gastaldato jam Comes (ut inquit Leo Ostiensis lib. 1. cap. 52. Editionis Venetæ, & Parisiensis, quæ Cassinensis exemplaris genuinam exprimunt lectionem) cum filio suo Landulfo, & cæteri deinceps per generationes suas in urbe Beneventi Principatum tenuere per annos circiter centum septuaginta septem. Sicut ex eodem certè auctore perhibet etiam Anonymus Sanctæ Sophiæ Par. 3. Num. 1. & 16. sed hoc ampliùs habens, quod ipsas Principum generationes, & ætates exponit ab nemine tam clarè, & continenti serie priùs traditas, etsi Campanorum Principum successionem, qui ex Atenulfo processerunt, tanquam à suo instituto alienam, prætermisit; nam Beneventanorum tantummodo Dynastarum ordinem componendum susceperat: sicuti pari ratione Ostiensis sui Monasterii, & Abbatum Cassinensium condens Historiam, alienum à se esse putaverat, singillatim Atenulfi posteros, consimiliaque incidentia minutiùs recensere. Utriusque igitur defectum supplere, non tamen absque amborum ope, meæ esse partis cùm judicaverim, in hoc sanè opere innumerarum inprimis Chartularum, quas pluribus in Archivis legi, multaque observatione examinavi, aliorumque Auctorum præter modò laudatos, qui editi, sive inediti habentur, simulque nonnullarum antiquarum Inscriptionum, quæ adhuc exstant, sum adjutus præsidio; ex quo factum est, ut uno, eodemque labore nobilissimorum Principum Genealogiam, nec non Chronologiam è penitissima eruerim antiquitate, quam cum annis Christi, quod non vulgaris fuit diligentiæ, comparavi: etsi nec omnem mei animi sensum valui sic adimplere, qui optaveram, sicut Æserniæ, Suessæ, & Teani plerosque Comites ex ipsorum Principum stirpe prodiisse certis cognoveram documentis, ita generationem quoque Comitum cæterarum urbium utriusque Principatus non minoribus indiciis condiscere, quos ferè omnes per ea tempora, quibus Atenulfi posteri imperarunt, ex eorundem genere exiisse, non dubito. Quam mihi ante omnes persuasit opinionem Erchempertus, perhibens Num. 21. & 40. filios, & nepotes Landulfi Capuæ tunc Comitis, ex quo præsens Principum emanavit Stemma, illo defuncto, avitæ ditionis urbem quemque suam iterata divisione obtinuisse: nempe tali exemplo nunc desuetum exponens genus Politiæ, nullos olim è magnorum Langobardorum Dynastarum filiis carere propriis, & peculiaribus Feudis, modò adesset facultas, solitum fuisse; quæ tamen, ut constanti observatione facile est advertere, ipsorum Comitum hæredes eadem cupiditate præsidendi aliis detenti, utque specioso illo Comitum titulo pariter condecorarentur, (1) indivisa dein possidere consueverunt: ne scilicet illa in minima velut frusta iterum, & iterum perpetuâ, ac multotiens importuna sectione comminuerentur. Atque hoc est apud Ostiensem lib. 3. cap. 19. Pandulfum Venafranum Comitem obtulisse B. Benedicto, & Cassinensi Monasterio quartam partem de castello, quod dicitur Sextum, & medietatem totius partis suæ de Valle Venafri, & de Teano, & de Carinulo, & de Calvo, & de Cajatia, nec non &

(1) An ex Davidica etiam admonitione in Psalm. 132. Ecce quàm bonum, &c. sicut pleraque alia observarunt ad Sacræ Scripturæ quoque normam.

& de omnibus, quæ possidere videbatur in toto Principatu Capuano. (1) *Nam Comes ille è Capuæ Principibus, & ex hoc Atenulfo, genus certè cùm duxisset, ad quos universi etiam recensitarum urbium Comites lineam sanguinis referebant, utique in eas omnes, aliaque Principatus loca, non unius sortis, sed juxta multiplices gradus cognationis, quibus eos contingebat, partiaria conservabat jura successionis, ut patet. Me igitur arbitro, ab exposita hac consuetudine Beneventani quoque Principes, nec hi tantùm, de quibus est sermo, ex Atenulfo descendentes, sed quicumque alii, atque adeò etiam Salernitani, sicut de Campanis dictum est, eos omnes filios, quos post primogenitos suscepissent, Comites instituere, suorumque Principatuum urbibus præficere consueverunt; idque, nè longiùs abeam, exemplo confirmo filiorum Radelchisi Principis Beneventi, cujus uxor Caretruda, quæ, ut in Tumulo 7. legitur.*

„ sui magno fructus in culmine ventris
„ Ter quartum vidit fructificasse gradum, (ces.
„ Pontificem, & Comites genuit, Proceresq; saga-

Hoc nempe more Langobardi regendæ, servandæque suæ Reipublicæ bene esse consultum, ex antiquissima institutione persuasum habentes. Qua etiam providentia, ne dum exteros, sed neque suæ quidem gentis viros ex una in alteram migrantes Provinciam ad ullum admittebant honorem, ulloque donabant vitæ subsidio, sicut discere est ex Anonymo Salernit. in nondum edita Historia perbibente, Beneventanum Principem Grimoaldum Stor saiz Sironi Spoletano, sive Foro-Juliensi, ut habet Joannes Diac. in scripto Chron. Episcopp. Neapolis, Acherentiam novo exemplo ad obtinendum tradidisse; de quo Principis (*inquit Anonymus*) non parvam mœstitiam Beneventanis, simulque, & sævitiam invexit, & inter se planè mussitantes; nam ipsam civitatem (*Acherentiam*) non Proseliti, (2) sed Beneventi geniti obtinere quippe debuerant, & murmur magnum exinde inter eos erat. *Et Par. 7. Num. 8. idem Auctor indignatos Salernitanos ait, quòd eorum Princeps Gisulfus Landulfi Campani exulis filiis quasdam urbes, illarumque penè omnia fiscalia concessisset. Constare itaque ex his puto, me non temerè suspicari, ex præclarissimo hoc genere Atenulfi, præter eos, qui per longa annorum spatia Principes Benevento, & Capuæ præfuerunt, emersisse etiam Comites in utroque Principatu perplures. Quod planè cùm sentiam, minimè tamen adfirmaverim, perpetuò illos inter se coluisse, observasseque communis suæ genealogiæ conjunctionem, quandoquidem suam quisque peculiarem constituisse videtur familiam, quæ juxta connaturalem quamdam imponendorum cognominum varietatem varias susceperunt denominationes; vel scilicet ab nomine progenitorum, vel ab defuncto magistratu, tum ecclesiastico, tum laicali, vel ab vitio, sive qualitate corporis, vel ab aliquo quocumque alio eventu, vel tandem, quod etiam frequentissimum, à possessis urbibus, & oppidis; ita ut tractu temporis in multiplici adeò cognominum segete proclive satis fuerit ignorare, unum, idemque ipsarum omnium gentium extitisse primitivum semen. At qua ratione ex urbium, & oppidorum nominibus gentilitia suis possessoribus plerumque accesserint cognomenta, sicut in sequenti Stemmate dominis castri Presentiani inditum nomen fuit* de Presentiano, *quod unà cum gente videtur Capuæ defecisse post tempora Regis Roberti, operæ erit pretium ante omnia declarare. Quem sanè morem inde exortum mihi persuadeo, quoniam talium locorum domini, & custodes commissum sibi munus obeuntes, ibidem vitam ducebant suam, de quo luculentum occurrit testimonium in Anonymo Salernitano Parte 7. Num. 11. de Principe Pandulfo Caputferreo scribente, deque Salernitani Principatus Comitibus, qui unà simul omnes conspiraverant in Salerni invasorem Landulfum.* Dum Principi, *inquit,* Pandulfo ab illis nobilibus, qui per castella manebant, nunciatum fuisset, &c. *Et infra.* Princeps idem Pandulfus cum suis, & cum Salernitanis, qui per castella manebant, omniaque oppida, quæ sub jure Salernitanæ civitatis fuerant, ipsamque civitatem expugnabant. *Quocirca locum olim ab aliquo Dynasta ad habitandum petere, vel obtinere, idem erat, atque ad possidendum, fruendumque illum suscipere,* (3) *vel postulare; ut observo in Ignoto Cassinensi, apud quem Num. 22. & 26.* Magenolfus Ingenam neptem Imperatricis cepit coniugem, *& dein* pergebat Franciam, ut sibi ab Imperatore glorioso peteret, quo vivere loco, seu & habitare posset. *Et apud Paulum Diac. lib. 6. cap. 13. sive 42.* Carolus Martellus Reginfrido unam, hoc est Andegavensem, civitatem ad inhabitandum concessit. *Apud Erchempertum quoque Num. 50. Athanasius Episc. & Dux Neapolis concessum sibi à Campanis Amphitheatrum* Guaiferio ad cohabitandum tradidit, *qui* Præfectus Arenarum *dictus est Num. 74. idest ipsius custos Amphitheatri. Estque huc referendum, quod passim in antiquis Chartulis legitur, urbium, & oppidorum dici habitatores, quos eorundem dominos fuisse constat; sicuti, ut domesticum adferam exemplum, apud Petrum Diac. in Auctar. ad Ostiensem lib. 4. cap. 16.* Adelgrima Comitissa, filia Pandulfi Principis Capuæ, relicta Rainaldi Comitis, filii Berardi Comitis, *appellatur* habitatrix in territorio Carseolano, in castello, quod vocatur Auricola. *Hoc igitur pacto antiqui Dynastæ loca, quibus præsidebant, cùm inhabitarent, factum puto, ut ii ex ipsis municipiis, ceu communes, cæterique alii municipes, sed per quandam Antonomasiam, municipales desumerent denominationes, quas postmodum eorum filii, & nepotes, qui post longum annorum ordinem avitas retinuerunt Dynastias, taliaque de ævo in ævum servarunt vocabula, in gentilitia tandem cognomina commutarunt, sub tempore scilicet Nortmannorum, quando talem increbuisse cognominum consuetudinem, facilè est advertere. Atque ex hoc inter cætera intelligi etiam posse arbitror, cur possessarum ditionum nomina haud semper in gentilitia transierint possessorum, cùm tamen, ut dicebam, Dynastæ promiscuè omnes per tempora Langobardorum è subjectis locis consueverint denominari; nam in Erchemperto Num. 26.* Marinus *apellatur* Malfitanus, *qui Malfiæ, sive Amalfiæ; & Num. 27. & 67.* Landulfus *dicitur* Suessulanus, *qui Suessulæ præerat: & ab Ostiensi lib. 1. cap. 49.* Gregorius *dictus est* Neapolitanus, *qui Dux fuit* Nea-

(1) Omnia hæc alia à Pandulfo Venafr. possessa loca ex ejusdem concessionis Chartula, in anno data 1064., cujus exemplum habetur in refecto Registro Petri Diac. pag. 263. declarantur fuisse: *de Limatula, de Caserta, in Laneo, in Liburia, in Rocella, & Capuæ, tam intus, quàm foris.*

(2) Aliter *Proscipti*, quod idem, nam licet ex Sacræ Scripturæ usu *Proselitus*, sonet alienigenam, hoc tamen loco simplex est advena.

(3) Sanè ex antiquissimo gentium jure, quem locum, quis inhabitasset, etiam possidebat, ut in sacris literis passim, & alibi; idque præcipuè cùm aliquis populus novas quæsisset, obtinuissetque sedes, sicut Langobardi ad nos è Pannonia immigrantes, qui primitivum perpetuò servarunt morem, fuereque apud illos alienorum prædiorum, domorumque conductores servilis semper conditionis.

Neapolis, (1) *& lib. 2. cap.* 15. Landulfus de Sancta Agatha, *quem urbis cognominis Comitem fuisse, nemo inficiabitur. In quo sanè dicendi Schemate multus hic fuit auctor, Dynastas etiam Capuæ, illorumque consanguineos pluries sub generali* Capuanorum *vocabulo demonstrans: scilicet lib.* 1. *cap.* 23. 24. *&* 40. *quod ex collatione Historiæ Erchemperti Num.* 15. *&* 46. *fit manifestum, deque hoc nonnihil superiùs adnotavi Pag.* 272. *Qua pariter mente idem auctor lib. 2. c.* 16. *perhibet*, Capuanos valde infestum habuisse Cassinensem Abbatem Mansonem, consobrinum Principis Pandulfi Caputferrei, quòd ille quasi non solùm Abbatiam, sed etiam Principatum sibi vendicare satageret. *Et lib.* 3. *cap.* 16. Capuanos *item dicit* per decem circiter annorum curricula viriliter repugnasse, *ac tandem manus dedisse Richardo Comiti Aversæ. Verùm Leo antiquiorum secutus videtur morem, præfato etiam Erchemperto, de quo alibi, nec non Romano Pontifici Joani* 8. *olim observatum in Epist.* 205. 206. *&* 207. *quibus locis Campanos Proceres absoluto vocabulo* Capuanorum *Joannes appellavit; unde intelligimus, apud priscos illos auctores idipsum demonstrasse nudum hoc nomen*. Capuani: *atque conjuncta illa:* nobiles Capuani: *&* nobilis Capuanorum familia; *ejusmodique sermonibus indicatos, qui è genere Comitum, & Principum Capuæ descenderant: videlicet quòd pleraque nobilium Campanorum pars de una Comitum, Principumque erant cognatione. De qua etiam, sed in plures familias jam dispertita, reputandus mihi erit* Petrus, qui dicebatur Atenulfi patris cognomine, de nobilibus Capuanis, *& factus Romæ est Cardinalis, ut Ostiensis tradit lib.* 3. *cap.* 26. *Nec aliter exponendum judico eundem scriptorem lib.* 2. *cap.* 81. *tradentem*, quosdam Capuanos nobiles pro castro Conca (*fuit* Conca *in Comitatu Teanensi, quem Comites è Capuæ Dynastis Langobardis exorti iterum, iterumque obtinuerunt, ut ex subsequenti Stemmate constat*) multas cum Abbate Cassinensi Richerio, *intra annos scilicet* 1038. *&* 1055. contentiones habuisse, voluisseque aliquando terram Monasterii prædatum ire; *quorum antesignanus, ut est in Dialogis Abbatis Desiderii ineditis, quidam extitit, nomine in hac* Capuanorum *gente sæpissimè usurpato*, Pandulfus. *Estque idem Ostiensis cap.* 85. *prædicti libri* 2. *in hanc quoque sententiam capiendus, quo loco* Landenulfum, & Adenulfum germanos fratres, & eorum nepotem Petrum, nobiles Capuanæ civitatis ad Cassinense Monasterium gratiâ conversionis *sub antedicto Abb. Richerio se recepisse perhibet, eidemque Cœnobio obtulisse*, tum alia multa, quæ in toto Principatu Capuano, & intra Capuam possidebant, tum integras portiones suas, quas habebant in Ecclesia S. Rufi, similiter intra Capuam: *hæc enim Ecclesia à Nortmanno Capuæ Principe Jordano, hujus nominis primo, sub Abbate Desiderio* (*æquales fuerunt Jordanus solus, & Desiderius ab anno* 1078) oblata in eodem fuit Monasterio, *ut habet Petrus Diac. in Auctar. ad Ostiensem lib.* 3. *cap.* 46. Quæ dudum (*verba sunt Petri*) sibi concessa, & per sacramentum firmata fuerat ab his, quibus jure hæreditario, juxta morem patriæ, pertinuerat. *Sed primi illi possessores non alias utique, nisi partes suas Jordano permiserant, nam alias partes prædicti fratres Cassinensibus pridem obtulerant, ut dixi; ex quo tum hos, tum illos ab uno, eodemque genere prodiisse aperitur. At hoc satìs cùm sit manifestum, æquè certum quoque est, genus illud indefinito vocabulo* nobilium Capuanorum *ab Ostiensi demonstratum, de fratribus loquente Landenulfo, & Atenulfo, communi etiam* Capuanorum *nomine designatum fuisse in quodam Diplomate Principis Capuæ Richardi* 2. *filii præmemorati Jordani, quod unà cum pluribus aliis antiquis Chartulis Monasterii, seu Ecclesiæ S. Michaëlis Archangeli* In Formis *nuncupatæ extra Capuam, & Cassinensi Cœnobio olim subjectæ, servandum apud Clericos Regulares Campanæ Ecclesiæ S. Eligii meo rogatu tradidit præsignis vir Cardinalis Hieronymus Vidonus ejusdem Ecclesiæ S. Michaëlis Patronus, sive dicas Commendatarius; in quo Diplomate prædictus Princeps nonnullas donationes à Patre, & Avo eidem Monasterio factas, atque adeò hanc ipsam donationem de Ecclesia S. Rufi, nec non de duabus aliis Capuæ pariter sitis: nempe* S. Angeli de Odaldisci, & S. Benedicti Piczoli, (2) *idest minoris, pridem diversis vicibus præfato Monasterio concessis, confirmans: eas Ecclesias omnes ad se, & ad Patrem, Avumque pertinuisse ex occasione quadam non aliis verbis, quàm modò dicti Diplomatis exponenda, & ex concessione* Capuanorum, *adserit in hanc formam*. Quæ Ecclesiæ, *inquit*, etiam fuerunt quorundam fratrum, Guidonis, & Landenulfi, qui fuerunt filii cujusdam Landonis, qui dicebatur Caputi; qui videlicet tempore Richardi Principis Avi mei contra ejusdem animam Principis cogitaverunt, & inimicos intus Provinciam ejus invitaverunt, cælaverunt, & annonam dederunt, ob quam culpam res illorum Fisco præfati Richardi Avi mei, secundùm Langobardorum Legem devenerunt. Quæ etiam & præfato Richardo Principi Avo meo, & Jordano Patri meo, mihique per conventionem à Capuanis dimissa, & sacramento firmata fuerunt. *Hactenus Princeps Richardus. De qua concessione à* (3) Capuanis *facta Principi Jordano habetur etiam in consimili ferè Privilegio concesso ab eodem Ricardo* 2. *Monasterio antedicto, quod exaratum inspexi pag.* 29. *antiqui Registri ejusdem Monasterii in Archivo Cassinensi; inque binis his monumentis* Capuanorum *nomine illos Campanos definitè demonstratos fuisse adparet, ad quos Petrus Diac. præmemoratam dixit Ecclesiam S. Rufi* jure hæreditario *pertinuisse: nempe ad eos, sicut dictum est, quibus* Capuanorum *vocabulum peculiariter ex præscripta usurpatione à Langobardis observata competebat; quoniam de genere erant Principum Capuæ ex Atenulfo descendentium. Ipseque etiam Petrus continuator cùm esset Ostiensis, ejusdemque sectator Idiotismi, eâdem hujus verbi usus videtur acceptione in laudato Auctario lib.* 4. *cap.* 10. Capuanorumque *nomine posteros Atenulfi appellasse*, ab Capuanis *perhibens dejectos è Capua præfatum Richardum* 2. *& Nortmannos; quos* Capuanos *Nortmannus auctor Gaufredus Malaterra rem describens eamdem lib.* 4. *cap.* 26. *non sic, sed generaliori vocabulo dixit* Langobardos; *siquidem Nortmanni hunc magis amaverunt sermonem, alterumque sensim antiquarunt, quoniam è Capuæ Principatu quos jam deposuerant, minimè tale* Capuanorum *ampliùs condecebat nomen. Quod mansit nihilominus*

(1) Hinc in Anonymo Salern. P. 5. N. 3. fine: Principes Beneventi absolutè dicuntur *Beneventani*, & series Principum appellatur. *Genealogia Beneventanorum*.

(2) Minor, sed antiquiss. hæc S. Benedicti Ecclesia, fuit juxta Cathedralem, ubi nunc sunt hortus Monasterii Monialium nominis Jesu: Ecclesia autem S. Angeli etiamnum manet.

(3) Præsens conventio facta est, ni fallor, hoc ordine: ut Campani Langobardi, qui in Pr. Richardum conjuraverant, bona sua omnia ob initam proditionem amitterent, retentis solummodo minoribus aliquot C

nus in una de hoc Atenulfi genere familiâ, de qua supra pag. 306. & seqq. gentilitio dicta vocabulo Capuana. Sed Nortmanni sanè gentilitia cognomina frequentiùs, quàm Langobardi è possessis locis desumere cùm solerent; ea tamen à minoribus sæpius oppidis mutuati comperiuntur. Qui præterea ipsâ efferre haud præscriptâ, sed diversâ omnino formâ consueverunt; dominos, exempli causâ, oppidi Præsentiani in Episcopatu Teanensi, vel oppidi Cajanelli (1) in eodem Episcopatu, cognomento dicentes De Presentiano, ac De Cajanello: & sic quoque cæteros consimilium oppidorum possessores. Istiusmodi autem nuncupationis schema Langobardi nullatenus videntur usurpasse; nam Erchempertus minimè Landulfum de Suessula, vel Marinum de Amalfia, sed alterum Suessulanum, Amalfitanum alterum appellavit; neque Ostiensis Gregorium dixit de Neapoli, sed Neapolitanum: nisi illa exceperis nomina, ex quibus derivativa minùs commodè deduci poterant; unde Landulfus de Sancta Agatha, (2) non Sanctagathensis, ut idem perhibet Ostiensis, est dictus. Ex universis igitur è Principe Atenulfo descendentibus familiis unica solummodo nomen cùm servasset Capuanorum, reliquæ interim omnes, ut dudum admonebam, novas, aliasque ex aliis occasionibus, & peculiares denominationes acceperunt, quas singulas nosse, haud humana (certè non mea) valet diligentia: ex conjectura tamen nonnullas eadem pag. 306. & seqq. & pag. 296. indicavi. Quibus insuper adnumerari posse dijudico has paucas: nempe familiam De Atenulfo, sic dictam de nomine Atenulfi, qui præmemoratum genuit Petrum S.R.E. Cardinalem; & familiam De Sexto, ab dominio nuncupatam oppidi ejusdē nominis in Comitatu Venafrano, deque Venafranis Comitibus, & è Pandulfo egressam, cui cognomen De Sexto inditum est, de quo Petrus Diac. in Auctar. ad Ostiensem lib. 4. cap. 75. ipsamque familiam sub Rege Guilielmo II. haud digniori, quàm militari munere decoratam observo apud Joannem Aloysium Lellum in Elencho Privilegiorum Archiepiscopalis Ecclesiæ Montis Regalis num. 44. Atque his etiam addendas censeo tres alias, De Franco, De Citello, & De Roselle; quandoquidem Landulfus (verba sunt Richardi primi Principis Capuæ in Diplomate quodam de anno 1066. 4. Non. Julii, Indictione 3. in Registro Petri Diac. in Archivo Cassin. pag. 223.) qui dicebatur Francus, filius Landenolfi, & Joannes, qui clamabatur Citellus, filius ...... qui fuerunt Comites Cajatiæ, & Petrus filius Doferii, qui fuit Comes Volturnensis, sicut gente fuerunt planè Langobardi, ita reputandi firmiter sunt, nedum patriâ Campani, sed ex eodem hoc Principis Atenulfi genere exorti, quos in antedictum Richardum Capuæ novum Principem, & alienigenam conjurasse, in præfato adfirmatur Diplomate; quibuscum, præter supradictos Guidonem, & Landenulfum, conspirasse etiam Teanenses, aliosque Comites (omnes utique Langobardos, & de genere Principum, atque, ut exposui, Capuanorum) ex monumentis in eodem Registro exaratis pag. 246. & 305. liquidissimè constat. Sed Landenulfum cognomine Francum, Joannem Citellum, & Petrum filium Doferii, qui in anteriori superiùs laudato Diplomate Richardi II. appellatur De Roselle, (3) totidem familiarum auctores, consan-

A guinitate invicem conjunctos, deque posteris fuisse Atenulfi, admodum verisimile esse existimo, eodem hoc argumento persuasus, quòd & Langobardi, & in Campano Principatu, vigente adhuc eximio illo Capuanorum genere, fuerint Barones, locorumque possessores, in quæ etiam Comites aliarum urbium ejusdem Principatus partiaria jura, è communi videlicet origine sibi nata, habuerunt: sicut ex concessione intellectum est, quam Pandulfus Venafranus fecit Monasterio Cassinensi pridem relata, exque aliis consimilibus donationibus inferri etiam potest, tum alibi, tum in sæpe memorato Registro Petri Diac. descriptis. Verùm præter expositas hactenus familias, quas omnes multis probantibus documentis manifestum est, urbem Capuam, diu etiam post

B exactos Langobardos Principes, agnovisse, coluisseque matrem, alias longè plures eadem de gente ibidem, nec non Beneventi æquè inclaruisse per integrum illud intervallum annorum centum septuaginta septem, quo, ut inquit Ostiensis, Atenulfus, & cæteri deinceps per generationes suas in ea Principatum tenuere, ultro consentiet prudens omnis, ac peritus Lector, etsi de iis vel in ipsis Beneventanis Archivis nil ultra repererim, de quo satis dolui. Et insuper quod Capuæ observatum fuisse exposui, ibi quoque (cur non etiam Salerni?) quamsimillimo exemplo frequentatum, neminem puto denegaturum, namque Capua, ac Beneventum, de quibus modò est sermo, labentibus annis proprios, peculiaresque ex Atenulfi genere obtinuere

C Principes, qui proprias quoque, & peculiares constituerunt familias eo ordine, quo subsequenti in Stemmate explicabitur; suisque consanguineis tum hi, tum illi urbes, & oppida, juxta expositam consuetudinem, adjudicarunt, sicque Beneventanorum Principum genus in plures apud Beneventum familias, ut Campanorum apud Capuam, fuit propagatum, & ipsas pari modo multiplicibus cognominibus, sicut diversa tulit occasio, denominatas: idque pag. 272. indicabam, dicens, ex clarissimo hoc Stemmate, quamlatissimè explicato, diutissimèque vigente, innumeros per omnem Italiam Cis-Tyberinam Comites prodiisse, virosque nobiles, & Barones: de quo vel unum nunc libet adferre exemplum apud Registrum Petri Diac. pag. 160. à tergo in quodam Diplomate Campani Principis Pandulfi VI.

D de anno ejus Principatus 2. qui fuit Christi 1023. mihi lectum; ubi sub uno, eodemque tempore fit mentio sex, septemve Comitum urbis Calium, nunc Calvi hoc ordine. Lando, & Landenulfus filii quondam Landulfi; Atenulfus, & Pandulfus, & Landenulfus, & Guido, & Atenulfus filii Atenulfi tunc viventis, quos de Atenulfi Principis genere fuisse reputo: tum quoniam temporibus Principum ex ipso descendentium Comites extiterunt, tum quòd nomina usurparunt in gente illa frequentissimè repetita: esse namque hoc conjunctissimum indicium ad has consanguinitates dignoscendas peritiores persuasum firmissimè habent. Quo etiam ductus, non verebor adserere, primum Beneventi Archiepiscopum Landulfum, Capuæque Ar-

E chiepiscopos, binos Atenulfos, atque Paldulfum, qui regnantibus in utroque Principatu posteris primi Atenulfi vixere, nisi de hac non fuisse cognatione. Idque alterâ etiam firmare possum conjecturâ, qua simul persuasum habeo, minorum quoque urbium Antistites plerumque ex hoc fœcundissimo Co-

(1) Sic etiam ex antiqua illa consuetudine absolutè cùm dicerentur Cajetani, qui Cajetæ erant Duces, ut apud Ostiens. lib. 2. cap. 35. natum est nomen nobiliss. familiæ Cajetanæ, quæ è Cajetanis Ducibus exorta putatur.

(2) Potuit etiam Ostiensis ex Nortmannorum usu, sub quibus vixit, Landulfum dicere de S. Agatha, non Santagathensem, quod meæ nihilominus sententiæ favet.

(3) Hic Petrus certè dictus est De Roselle ab Rosella: Pagus qui fuit in Cancia, ut est in Ostiensi lib. 1. cap. 23. atque in ea Campani agri parte, quæ ad levam Volturni ripam tribus ferè milliariis à castro abest Volturnensi: nunc dicto. Castello à mare del Volturno.

Comitum, & Baronum genere delectos fuisse; quoniam, ut facili lectione condiscere est, secularem qui per ea tempora obtinuere potestatem, haud alienos evehi ad Episcop. amarunt dignitatem, quibuscum etiam ex communi Lege, mihi adnotata, ad oram p. 317. & frequentissimè tunc observata, uniti esse debebant pro pace, & salvatione in omnibus honoribus suis hominibus. At hos omnes, vel uno, vel altero præsignes honore, longissimè antecessit qui ex nobilissima Beneventanorum Principum origine sanguinis lineam ducens, & ex Abbate Cassinensi, atque Cardinali ad supremum omnis humanæ Majestatis fastigium invitus, ac diutiùs reluctans ascendit, ut Ostiensis perhibet lib. 3. cap. 1., & ejus continuator Petrus Diac. lib. eod. cap. 64. & seqq; Desiderius inquam in summo Romano Pontificatu appellatus Victor III., dictusque ante Monachatum Dauferius, ex innominato patre natus, filio, ut reor, Landulfi V., atque Salernitano Principi Guaimario IV. consanguinitate propinquus, ni fallor, ob Gaitelgrimam, Beneventani Principis Pandulfi II. filiam Landulfi V. sororem, & Guaimarii matrem, quem de Monachatu dimovere enixè curavit matris ejus, ac propinquorum orationibus fatigatus, Beneventanus Princeps Landulfus, scilicet VI. vivente patre Pandulfo III. filius qui fuit præfati Landulfi V. Nec ambigendum est, hunc virum talibus signis ab Ostiensi, tanquam penicillo, & coloribus ob oculos repræsentatum, genus duxisse ab Atenulfo: quibus nec minimum obstat primitivum, & genitale ejus nomen, Dauferius, in Atenulfi gente peregrinum, & nunquam aliàs auditum; neminem cùm lateat, in singulas alias familias, (1) sicuti nostra etiam ætate fieri videmus, aliena nomina sæpe sæpius immigrasse; de quo non unum in hoc ipso Stemmate Atenulfi occurrit exemplum, in gratiam scilicet uxorum, idque frequentissimè, illorumve, qui parvulos è sacro susceperunt Baptismate: cujus priscæ consuetudinis obvius modò est mihi testis Guilielmus Brito in Philipp. lib. 2. apud quem Comes Flandriæ Philippus, Galliæ.

„ Qui Regem puerum sacro de fonte levarat,
„ —— suum nomen, sicut mox exigit, illi
„ Indiderat.

Sed Dauferius, sive dicas Desiderius, in summum Pontificem summo sui generis decore evectus fuit in anno 1086. cùm priùs omni antiquo honore, ac potestate ferè omni, universos suos gentilitios vidisset exauctoratos: quandoquidem ad extremum senium, & occasum jam imperium devenerat universorum nostratium Langobardorum, (2) rerumque humanarum immutabili conditione, magis quàm armis, devicti primò Principes Capuæ, Principatum concesserant Aversæ Comiti Richardo Nortmanno in anno 1058.; & dein Principes Beneventi post omnem penè amissam ditionem, quam Nortmanni alterius generis, quà eis, quà Græcis tunc possessam, subtraxerant, sinè prole defecerant in anno 1077., atque ut rerum novus tulerat ordo, antiquissimam amplissimæ Dynastiæ Metropolim Beneventum, suburbano tantùm agro non denudatam, in Romani Pontificis potestatem dimiserant; quæ præsentiens, immo præsentia habens Desiderius suorum Langobardorum infortunia, atque ut Cassinensis suæ Abbatiæ rebus bene consultum iret, Nortmannis prosperis rebus exultantibus adhæsit, apud quos plurimum valuit, ut perhibet Ostiensis lib. 3. cap. 8., & in ejus Auctario Petrus Diac. lib. eod. cap. 49. reliquis interim Langobardis, vel nullam, vel vix aliquam suorum Comitatuum portionem retinentibus.

FINIS HIST. PP. LANGOBARD.

His Peregrinius adjecerat variantes lectiones ad Capitularia Principum Sicardi, & Radelchisi, quas serò ex scripto Cod. Vatic. acceperat, post maturatam typographi operam. Nos easdem suis quasque locis notavimus, & ne quid de V. C. scriptis mutilemus; hic ejusdem Peregrinii Monitum recudimus.

Typographo insuper commissa, & omissa, quæ adverti, corrigas, & suppleas, rogo, in subsequentem formam: Ortographica autem non omnia observavi, quia vel in Opusculis, in quibus suus singulis religiosè servatus est textus: vel mea, ipseque, etiam ex industria, in his inconstans esse volui: ratus doctiores nec invicem, nec sibi plerumque metipsis constare; inutilemque reputavi sollicitudinem isthæc scrupulosiùs persequi, modò in barbariem, inobservatamque non deflecterem scripturam. Et quidem antiquiores quoque, alii alias, variasque tenuere scribendi regulas, semperque opiniones fuere: nec per longos annorum circuitus una perpetuò priscis Latinis mansit loquendi, efferendique consuetudo. Verùm si in hoc me improbabis, haud admodum dolet: quin illud magis; si rerum, non verborum attentus scrutator, atque hujus antiquitatis bene peritus de Libro judices non bene; à quo (iterum hic moneo) abstineat quisquis majora, alienave studia sectatur. Cæterum vocabulum Analecta alicubi pro libro usurpavi Collectaneorum; quia id pridem factum à Seneca legeram in Lexico Græcolatino Budæi, Tusani, & Constantini, excuso à Joanne Crispino in anno 1562. Sed & scias velim, præter alia multa strictim nunc observata, quæ fusiùs explicabuntur Libro sequenti, esse ibi iterum uberiori sermone, & curiosissimè exponendum, Sipontinorum appellatione in Actis Adparitionis Sancti Michaëlis Archangeli venire Langobardos Beneventanos, qui obsidionem Græci Imperatoris Constantii in anno 663. Divina evadentes ope, Christi, Catholicamque fidem susceperunt, ut inedita, sed antiqua, & sincera Acta perhibent S. Barbati Episcopi Benev. candemque recentissimam Langobardorum Christianitatem Langobardi Auctores æmulis imputarunt Neapolitanis. Nec non ibidem uberiùs edisseram, Campani Principatus dignitatem Imperiali auctoritate institutam fuisse tempore Principis Pandulfi Caputferrei, etsi nomen pridem cœperat usurpari, nempe sub Beneventi Principe Atenulfo primo, qui Capuæ sedem fixit, & obiit. Qui quidem Caputferreus haud Beneventanum Principatum filio suo Landulfo 4. contribuit post mortem fratris sui Landulfi 3., quoniam, ut ambiguè conjectabar pag. 294. absque liberis ille decesserat; sed quoniam impotenti dominandi libidine percitus, veritus non est, legitimo præfati Landulfi 3. filio, ac successori, Pandulfo 2. nuncupato, debitam ex jam inita divisione Dynastiam præripere; quam tandem ipse Pandulfus 2. ejecto inde prædicto Landulfo 4. in an. 981. recuperavit, atque ad posteros etiam transmisit.

Errata correximus.

(1) Alias non adnumero, quæ nunc imponendorum nominum occasiones esse etiam solent, tanquam à Langobardis vel infrequentiùs, vel penitùs inobservatas.

(2) Eodem hoc tempore, & ante Desiderii Pontificatum amisere Langobardi Principatum quoque Salernitanum, qui unà cum universa Italia Cis-Tyberina Nortmannis etiam accessit.

APPENDIX
PRIMI LIBRI HISTORIÆ
PRINCIPUM LANGOBARDORUM,

Quæ continet sex alia Opuscula excepta ex vetusto Codice præclari Monasterii SS. Trinitatis ad Cavas, Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis.

Eaque sunt infra descripta.

I. CHronicon Ducum, & Principum Beneventi ab Duce Zottone ad PP. Landulfum I. & Atenulfum II. Quod in nonnullis variat ab consimili Chronico excuso pag. 320. & seqq.

II. Series Comitum Capuæ paulò aliter ac est in antiquissimo Codice Cassinensi. Cum Auctario Anonymi, ut videtur, Langobardici JurisConsulti, & civis Campani usque ad sua, & ad Principis Ademarii tempora: hoc est ad annum Christi millesimum primum.

III. Capitulare Arichis Principis Beneventi.

IV. Capitulare Adelchis Principis Beneventi.

V. Pactum Arichis Princ. Beneventi cum Judice Neapolitanorum de campo Leburiæ.

VI. Pactum, quod fecit Gregorius Dux Neapolis Indictione XIV. hoc est anno Christi DCCCCXI.; & Joannes Dux nepos ejus iterum renovavit cum PP. Beneventi Landulfo I. &c. non ante annum DCCCCXXXIII.

DE HAC APPENDICE,
ET DE ANTIQUO EJUS EXEMPLARI
AD LECTOREM.

APpendiculam Libro haud magno adjici, Lector, vides: quippe extemporaneam; & quæ nunc aggrego Opuscula, haud ita pridem apud præclarum Monasterium Cavense, quin præter spem omnem meam, & ipse vidi. In exitu enim proximè anteacti mensis Octobris cùm Salernitanæ urbis Archiva, quantùm per eam opportunitatem licuit, lustrassem; eodem animo ad antedictum me contuleram Cœnobium, quod jam olim, sed verè à limine, inspexeram ad Langobardorum Principum nuper à me conceptos Chronicos Canones absolvendos, idoneis chartulis refertissimum. Eas itaque dum sedulus per biduum ferè illic manens essem scrutatus, scrinia mihi referante vigilantissimo, cultissimoque ipsorum custode D. Camillo è Capua, in eadem sacra æde monasticam D. Benedicti regulam professo, cujus laboriosam, eruditamque diligentiam summo nitori, nec minori fidei adjunctam in describendis sua manu omnibus propemodum ejusce Archivi vetustis tabulis, descriptisque in plura Regesta per tempora, perque classes digerendis, habent præsentes, habebunt posteri multiplici cum utilitate acceptissimam; dum, inquam, nulla tunc mihi, nisi de messe, quam colligendam animo destinaveram, fuisset mens, vel cura; in posteramque diem discessionem parassem, en casu quodam inter A *confabulandum sermo de incompositis ortus antiquis Langobardorum picturis; reique in vicinum experimentum priscus laudatus est ex membranis compactus Codex eopse in Archivo adservatus, in quo tales videre erat deformes formas. Adsurrexi ad rem non quidem novam, sed aliud quid novi ex exoletis imaginibus fortè an percepturus. Librum posco, & obtineo, quem communium Legum Langobardorum esse statim comperi, picturasque ore derideo parum decoras: sed ore, inquam; nam eodem oculorum ictu persensi, peculiares nostratium Langobardorum in eo etiam servari vetustissimas non cusas unquam Leges. In quas anxia lectione cùm ruerem, inclinataque jam dies operi non daret locum, prece obnixa obtinui, ut* B *per imminentem noctem mecum habere, diligentiùsque rimari nulli nunc usui librum illum liceret. Et jam insomnis in multas cùm perseverassem horas, sex ista aliis antehac, certè mihi, incomperta antiqua Opuscula quamfestinatissimè inde excepi, postquam volucri simul visu omnes ejus percurreram membranas literis haud inconditissimis exaratas. Quæ cæteris pridem excusis nullâ morâ adjicienda, quippe tuis hisce studiis non leviter etiam profutura, cùm judicaverim: id per Appendiculam præstare, congruum planè fuit; quibus singulis singulas meo me arbitratu, ac more Epigraphes, præter eas, quas ipsa præseferebant, inscripsisse, velim scias: nam de cætero fide, qua soleo, ne dum ordinem in prisco observatum exemplari, sed ne commissa qui-* C *dem ab ejus librario menda, genuinamque non immutavi, quamvis horridam, nimisque barbaram dictionem. Atqui sanè inutile nunc minimè erit, specimen etiam aliquod ejusdem universi exemplaris, tanquam per Indicem, dare; ut scilicet ejus compilatoris, à quo Auctarium ad Seriem Comitum Capuæ processisse conjector, asserta à me ætas, patria, & conditio dilucidiùs patere possint. Quæ autem in illo continentur, hæc sunt. Primo loco (mitto nunc picturas, quia nil ad hanc rem) descripta habetur origo Langobardorum ex Insula Scandinavia, Regumque ejusdem gentis successio, & præcipua gesta usque ad Rotharim, ex Historia Pauli Diac.: sed dissimulato ejus nomine, excepta. Edictum dein sequitur præfati Rhotaris, quod ipse condidit* anno sui Regni VIII. ætatis XXXVIII. In- D dictione II. ab adventu totius gentis in Italiam an. LXXVI. *Leges postea aliæ ab Regibus aliis latæ; à Grimoaldo nimirum, Luitprando, Rachi, & Aistulfo. Has excipit Glossariolum Latinobarbarum: illud nempe, quod etiam in manu descriptis Codd. Historiæ Erchemperti haberi, expositum alia occasione est supra Catalogus huic subiicitur Regum Langobardorum ab Alboino ad Desiderium, narratiunculis immixtis rerum ab iis gestarum ex superiùs dicto Paulo Diac. pariter depromptis. Cui alter Regum Index adjacet, qui Italia Regnum postea obtinuerunt, sed nuda tantum nomi-*

A *nomina, & intervalla exponens, ab seniore ductus*
Pipino ad Othonem tertium cum hujusmodi Appen-
dicula. (1) Ardoinus factus est Rex in Italia:
& regnavit an. non pleniter duo. Et pugnavit
in Italia cum exercitu Henrici Regis, qui fuit
Dux de Bajoaria. Iste Henricus post discessum
supraſcripti Ottoni factus est Rex Totonicorum,
& post per ditione exercitu ejus ipse se med
ipsum venit in Italia, & omnes Lambardi men-
titi sunt Arduini Regis, & subdiderunt se Hen-
rici Regis. Et ipse applicuit usque urbem Pa-
pia, & igne cremavit eam, & sic reversus est
in Totonicum Regnum suum. *Hactenus de his*
ibi. Adsunt præterea sex ista nunc typis excudenda
Opuscula; quibus tum Beneventanorum Dynasta-
rum perpetua Series ab instituti Ducatus primordio
B *per annos ferè 360. Capuæque posteriores Comites,*
anterioresque Principes Langobardi ad annum
usque millesimum primum, nec alterius Dynastiæ
ulli alii Toparchæ, tum Leges perplures exponun-
tur, universis Beneventanæ regionis incolis, aliæque
solis Campanis civibus, quibus res frequenter tunc
erant cum finitimis Neapolitanis, olim observatæ.
E qua speciali, altiùsque in animo compilatoris
præfati Codicis defixá rerum, Legumque ad Cam-
panos cives spectantium describendarum curâ, patriâ
illum Campanum, atque Supplementi ad prænota-
tam Comitum Seriem fuisse simul Auctorem, sum
persuasus; quem posteriora à se exposita tempora,
Christique jam dictum annum millesimum primum,
& quod excurrit, attigisse, apertissimo ipsius con-
C *stat testimonio; nam Pandulfum Principem sibi vi-*
sum dicit, hoc est cognomine appellatum Caputfer-
reum, *qui in anno obiit* 981. *His deinceps Opu-*
sculis adjacent quædam juris Langobardici velut
Recapitulationes *ab juris ejusdem perito, qui in*
privum usum, ut conjicio, eundem Codicem compi-
lavit, sub his Titulis congestæ. Quantas causas
debet esse judicata sinè Sacramentum. Item quan-
tas causas fieri debet per pugna judicata. Me-
moratorium pro quibus causis filii ab hereditate
patris exeredati fieri debet. *Claudunt tandem*
Librum Capitularia ab Regibus edita, qui Regnum
Italiæ, exactis Langobardis, tenuerunt, nempe ab
Carolo Magno in anno ab Incarn. Dom. DCCCI.
Indict. IX. an. Regni in Francia XXXIII. in Ita-
D lia XXVII. Consulatus primo. *Item ab Ludovico,*
Pipino, & ab Lothario, tempore Eugenii Papæ,
ad liminaria B. Petri Apostoli: *idest anno Christi*
824. *quo etiam tempore idem Lotharius ibidem po-*
situs alteram Constitutionem promulgasse videtur,
Feudorum lib. 1. *tit.* 19. *denotatam; quam vir sum-*
mus Jacobus Cujacius referendam putat ad Lotha-
rium posteriorem. Sed de hoc in Dissertat. De
finibus Ducatus Benev. ad Septemtr. *Porrò eas*
omnes in Cavensi Codice descriptas Leges, aliasque
ferè universas ab cunctis aliis Regibus Italiæ dein
latas usque ad Carolum 4., *servato Regum, tem-*
porumque ordine simul cum Legibus Salicis, Ala-
E *mannorum, Saxonum, Anglorum, &c. in anno*
1557. *Basileæ Typis Henrici Petri evulgandas cu-*
ravit Basilius Joannis Heriold, quas sub diversis
Titulis in tres libros jam olim digestas, pluries ex-
cusas fuisse, non est qui nesciat. Vale.

CHRONICON DUCUM,

ET

PRINCIPUM BENEVENTI

Usque ad PP. Landulfum I. & Atenulfum II. quod locis signatis asterisco ab consimili variat Chronico excuso pag. 320.

ANni Ducibus Beneventi, & Princip.

ZOtto primus Dux an. *xx. Arichis natus in Foro-Julii an. quinquaginta. Ajo filius istius Arechis an. I. mens. v. Iste pugnavit cum Sclavis ad Aufidum, & interfecerunt illum per ingenium (2). Radoaldus anni quinq; Grimoaldus frater ejus an. viginti quinque. *Rodoaldus (3) filius istius anni sedecim. Grimoaldus filius ejus an. duo.* Gisolfus major frater ejus anni decem & septem. Iste devastavit Romam, & Sora, & Yrpinum, & cepit Arci. Romualdus filius istius Gisulfi an. vigintisex. *Gisolfus puerulus filius istius Romualdi Dux factus, deportatus est Papiam à Lioprando Regem. Gregorius * nepus Lioprandi Regis. an. septe. Godescalcus an. * tres. fugiens adventu Liuprandi Regis, occisus est. * Benevento Dux ibi estitit Arechis an. * vigintinovem. Iste primus appellatus est Princeps. Grimoaldus filius ejus an. * viginti. Grimoaldus alter Thesaurarius an. *x. mens. I. dies *xv. Sico an. * sex. mens. duo. Sicardus filius Siconi an. * tres, mense decem. Radelchis an. * tredecim. Hujus temporibus divisus est Principatus Beneventano inter Siconolfus, & ipsum. Radelgarius filius ejus anni quatuor, mens. * tres. Adelchis frater ejus anni viginti quatuor men. sex. Gaideris filius supradicti Radelgarii an. * duo. men. VI. dies nono x. Radelgichis filius supradicti Adelchis anni tres. mens. * VIII. dies. * XXI. Ajo frater ejusdem Radelchis an. sex. Ursus filius prædicti Ajoni, puer * decimus, anno uno. * Cujus tempore Sabbaticius Stratico cum valida manu Græcorum venit Beneventum III. Idus Julii, obseditq; eam usq; XV. Kal. Novemb. in qua pace facta ingressus est, eo die completis anni CCCXXX, & aliquod mensibus à Zottone primatum Beneventi, quibus Langobardi primatum tenuere Beneventanæ Provinciæ. Tribus denique annis, novemque mensibus, & diebus vigintibus dominatio Græcorum tenuit Beneventum, Samniique Provincia. Postea vero * Wido Marchio Beneventum ingressus * in die XIV. tenuit eam annis duobus, mensibus VI. Quibus expletis in eadem civitatem ingressa est Agelruda Imperatrix Kal. April. & egressa est exinde * mense Augusti, Papiamque reversa est cum ipso Marchionem; & Radelchis fratrem suum Benevento Principatum restituit. Post istos autem omnes Domnus Atenolfus tenuit Principatum

(1) Sigon. de Reg. Ital. l. 8. nescio à quo auctore, de his aliter.
(2) *Non longè à Siponto*. Paul. Diac.
(3) Pro. *Romualdus*. ut sup. p. 320. & apud Paulum Diac. l. 4. c. 18. sive 53. Sed in plerisque etiam aliis asterisco signatis locis varians lectio ad librarii referenda certè est somnolentiam.

tum Beneventi solus annum unum. (1) Quo completo, Dom. Landolfus fil. ejus factus est Princeps. & jam dicto pater cum filio suo an. x. mens. vi. Dom. Landolfus cum patre suo ann. ix. Et sinè patre suo simul cum Domnus Atenolfus fratre suo an. xxxii. In Ind. iv. Dom. Atenolfus frater ejus factus est Princeps, nono anno Principatus Dom. Landolfi fratri suo, eodem anno quo defunctus est pater illorum; & tenuit Principatum simul cum fratre suo ann. xxii. Ind. iv.

SERIES
COMITUM CAPUÆ.

Cum Auctario Anonymi, ut videtur, Langobardici JurisConf., & civis Campani usque ad sua, & ad Principis Ademarii tempora: hoc est ad an. Christi MI.

Landolfus senior tenuit Capua vetere anni xxv. mens. iv. & fecit civitatem novam in monte Trifisco, quam dominavit anno i., & mens. viii. Quo defuncto successit ei Lando filio ejus. Qui nono mense antequam moreretur ad Pontem Teodemundi multos virili certamine Neapolites interemit, cepitque nongentos. Et dominavit eandem civitatem ann. xiii. mens. novem. Quem cùm cremata esset ab ignem, venit cum fratribus suis; idest Landone, Pandone, Landolfo Episcopo, & Landenolfo ad Pontem Casulini, & condiderunt ibi civitatem novam, quæ nunc est Capua. In qua jam dicto Lando vixit anni iiii. mens. viiii. Cui successit Lando filio ejus, & tenuit Capua mens. vi., & projectus est de eadem civitate à Pandone thio suo. Qui ipse Pando tenuit Comitatum Capuanæ civitatis ann. i. & mens. iiii. Cui sudcessit in regimine eidem civitatis Landolfus Episcopus frater ejus, quam dominavit ann. iii. mens. viiii. Quibus expletis, venit Ludoicus Imperator, stetitque in Capua mens. viiii. & habiit Barim; super quem sedit ann. iiii. & cepit eam, simulque Seodam Regem Saracenorum cum aliis plurimis. Qui Beneventum reversus, captus est à Beneventanis mens. Aug. sed dimissus ab eis, qui districtis sacramentis recessit, à Beneventu, & infra tres dies, ac noctes habuit Berole; in qua deguit mens. xi. Inter quos postulatus à (2) Lando Episcopo, iterum venit, & per quosdam Comites suos, antequam ille Capuam adveniret, multis interfecti sunt Sarracenis: ita ut (3) decem millia pauci remanerent; qui à magno exercitus Sarracenorum super Salernum residente venerant. Sed audientes mortem proximorum (4) suorum, paululum supra eandem civitatem commorantes, reversi sunt in terram suam. Ludovicus Imp. hoc audiens, quia volerct ire super eos, reversus Capuam. In qua uno anno commoratus, reversus est Franciam, in qua eodem anno defunctus est. Landolfus autem Comes, & Presul ante adventum jam fati Imperatoris, & post ejus decessum, tenuit Capua annis (5) tredecim. Quoque cedente, Pandenolfus nepus ejus factus est (6) Episcopus eodem tempore, sed suggerente adversario Christianæ fidei, factus est eodem anno divisio ejusdem Episcopatui à jam dicto Pandenolfo, qui hodii, & invidiæ accensus ardore Landenolsum fratrem suum laycum inordinatè totondens, direxit Romam, eumque Johannem Papa, multa prece deposcens, Episcopum fecit. Qua de re non parva inter parentes utrorumque Episcoporum nata est discordia; ita ut odium fieret plurimo tempore. Denique Johannes Papam tali comperto flagitio advenit Capuam, ut discordes ad concordiam revocarent. Divisionem facta, unum constituit in Civitatem. Capua, idest Landenulfum Episcopum; alterum (7) Landenolsum Episcopum in Sancta Maria, cognomento Suricorum; & facta est pacem inter eos. Sed paululum perdurantes, reversus est ad sedem propriam. Iterumque factus est inter eis divisio, quod non multum temporis pax secuta est. Denique jam Pandenolfus completis in Comitatu annis tribus, & mensibus octo, fecit convivium (8) cum his parentibus suis, plurimis sacramentis eos obligans, ut non eum quolibet (9) malum nocerent; sed perjurantes ceperunt eum, & diviserunt inter se Comitatum Capuanum. Landolfus Episcopus adeptus est totum Episcopatum (10) Kal. Novembris Indict. prima. Lando etenim pater ipsius Landolfi Episcopi fuit Comes Capuæ añ. duo, mens. x. Cui successit (11) Landolfus frater ejus, vicem illius retinentes Capuam an. i. & mens. quattuor. Quo vivo decedente mense Januario, cepit Capuam Atenolfus Comes, quem an. xiii. mirificè regens, postea factus est Princeps Beneventi. Completisque in Principatu ann. x. mens. vi. vitâ privatus reliquid eam filiis suis, Doñ. Landolfi, & Doñ. Atenolfi Christianissimis Principibus. Ipse Doñ. Landolfus filius ejus regnavit an. xliv. Et Landolfus fil. ejus regn. ann. xxii. Pandolfus Princ. regnavit ann. xxxviii., quem vidimus. Landolfus Princeps filius ejus, quod cum eo, quem postea, regnavit an. xiv. (12) periit inter Agarenis. Landenolfus frater ejus an. x. m. viii. Iste Landenulfus Princeps interfectus est à Capuani ad Sanctum Marcellum, (13) feriâ quintâ Paschæ; cujus corpus nudus reliquerunt in Platea. Monachos de S. Benedicto cœnobium rapuerunt corpus ejus, & sepelierunt eum ante Secretarium. Per idem tempus ostendit Dominus Deus mirabi-

(1) Obtinuit Atenulfus Principatum Beneventanum ineunte ann. 900. certè non post. Vide sup. p. 278. Ejus autem, & subsequentium Principum tempora variè à variis tradita opportuniori loco expendenda, atque dirigenda, sed & castiganda exactè erunt. Unum nunc moneo, verè Atenulfum 2. cum fratre Landulfo ann. regnasse 22., sicque minimè transgressum fuisse annum Christi 931. quem è Principatu depulsum ad generum suum Guaimarium 2. Salerni Principem se recepisse (obiit ille in ann. 933.) Anonymus Sal. est auctor. Princeps sanè Landulfus 1. hac de causa videtur filium suum Atenulfum in ann. 933. consortem Principatus instituisse: etsi nulla, quòd sciam, aliis prodita causa voluit, ut in Chartulis nomen expulsi fratris etiam retineretur: ut infra in Pacto Ducum Neap. & alibi.

(2) Scribe *Lando.* hoc est *Landulfo*.

(3) In Cod. Cass. *de duodecim*. Sed Erchempertus N. 35. stat pro hac Cavensi lectione.

(4) Al. *rursum*.

(5) Al. *XII.* Vide sup. p. 277.

(6) Locus mutilus, qui integer est in Cod. Cass. malè tamen interpunctus in edito. p. 123.

(7) Al. *Landulfum*, omnino bene. Librario imposuit antecedentis Episcopi consimile nomen.

(8) Al. *cunctis*, quam lectionem firmat Erchemp. N. 50.

(9) Al. *modo*.

(10) Ann. 882. vide sup. p. 278. N. 6. & 7.

(11) Al. *Landenolfus*, vide sup. p. 278. N. 8.

(12) In ann. 982. ut sup. pag. 305. & in Ser. Ab. Cas.

(13) Hoc est *XII. Kal. Maji*, ut in antiq. Emort. ac perinde Fer. 5. Paschæ in ann. 993.

rabilia ſuper eum. Quidam claudus ad ſepulcrum ejus veniens, obnixèque Chriſtum deprecans, per interceſſione Domini Landenolfi Principis, & (1) Martyris, qui ſinè cauſa occiſus eſt à ſuis, cujus corpus illic requieſcèt, ei ſanitatem rederet, qui ſtatim ſuper eodem ſepulcrum ſoporatus. totam quievit noctem. Mane autem facto, ſanus ſurrexit, Deo gratias referens, ac ſi de ullo devilitate membrorum nunquam habuiſſet. Nam per eodem tempore venit (2) Ugus Marchio cum ſuos exercituos, & Tranſmundo magnificus Comes obſederunt Capuam per aliquantis diebus, & poſtea receſſerunt (3) Meſino. miſſis direxit ſuis ad Capuam peragendi Placita. Dum oms fuerunt Placito, & homicidia invicem, ſtatimque ipſi Franci apprehenderunt illis, pariter vinctos perduxerunt eos ante Ugonem Marchius in Meſino, ubi aderat. Inquiſiti ibi omnes per ordinem de homicidium, quod fecerat. Cùmque inquiſitim habuiſſet: illos Ugonem Marchio cum ſuis Conſulibus de morte hujus Principis, miſit eos (4) in Romaniam, & ſuſpendi fecit illos per loca viarum ſingula. Cùmque ipſi Capuani occiderent ſuum Principem cum gladiis, & fuſtibus, ſicut Judei Dominum, eo quoque die feſtinos miſerunt miſſos ad Laydolſum fratrem ejus, quo tianus erat Comitem, ut iret ad Capuam, & fecerunt ipſum Principem. Hoc illo audito de morte hujus Principi, cum gaudio ſurrexit, & pergit ad Capuam, & fecerunt illum Principem, quibus idem Dom. Laydolfus Princeps egit in ipſo Principatu añ. ſepte. (5) In hoc autem venit Otto tertius Imperator Capuam, habuit in Gargano ad Sanctum Michaëlem, & revertit Romam. Ideo direxit ſuum exercitum cum Ademari Marchius Capua, & Neapolim, non pro rebellio. Sed tulerunt ex eis ſtadiis, & receperunt à majoribus Capuæ ſacramenta fidelia ab eodem Imperatorem, & receſſerunt cum ipſis obſides. Poſt dies verò aliquantos, iterumque Ademarius cum Alemannis, & Francis pergit ad civitatem Neapolim, & Laydolfus Princeps cum eis ſimul aderant. Ingreſſi ergo Neapolim, apprehenderunt ipſum Magiſtrum militem (6) nomine, & duxerunt illum in Capuam. Alio verò die ſimiliter ingenioſè, & apprehenderunt ipſum Laydolſum Principem, & Landone de Cajatias, inſimul cum eos Capuanos nobiles, & ſeparati miſerunt illum in exilium, & Maria Principiſſa uxor Laydolfi ſimiliter miſit in exilium. Prædictum Laydolfum depoſuit ipſe Imperator de honorem ſuum (7) in Romam, & exiliatum tranſmiſit illum; nec non & prædicto Magiſtro milite, & Gaideriſo, & Lando de Cajatias omnes ipſi ſeparati ad Regnum, vel tra Alpie. Reliquis ipſi nobilis Capuanis exiliatis in ſingula loca per arta cuſtodia. Tunc hiſdem Imperator tradidit Ademari Principatum Capuanum, & undecimo die ſtante mẽ. mr̃. ingreſſus eſt Ademari in Capua, & regnavit in ea meñſ. quattuor.

A D N O T A T I O.

Dabis, Lector, quin etiam expetere te existimo, ut hujus Chronici poſtrema verba prolixiori paululum notula obſervem, quæ ſit nunc ſatis. Præſens itaque Ademarius, ſic etiam nomine appellatus Oſtienſi lib. 2. cap. 15. ſed in antiquis Chartulis tum Waimarius, *tum* Adamarius, *Principatum Capuæ ſuſcepit* undecimo die ſtante me mr: *hoc eſt* die vigeſima prima menſis Martii, *ſequenti anno poſtquam Otho 3. Capuam, & dein Garganum ſe contulerat, nempe an.* 1001. *Hiſque concordat antiqua chartula apud Mich. Monac. in Sanct. p. 639. Verumtamen ſunt alia monumenta, quæ referunt ejus Principatum ad an. 999. quibus conſentiunt. quæ ducunt annos 8. ejus ſucceſſoris Landulfi de S. Agatha ab eodem anno depoſiti Laidolfi ad an. 1007. Alia verò extendunt Ademarium ad jam dictum 1001.; ita ut de ſolo tempore ejus ejectionis ipſa cum hoc noſtro convenire videantur. Sed nec de anno obitus præfati Imp. ac perinde de geſtorum ejus ordine, tradita ab antiquis ſatis conſtans habetur narratio. Et qui illum defunctum ponunt an. 1002.; biennio aliorum ſupputationem ſupergreſſos prodit Abbas Uſpergenſis his verbis.* An. Dom. Incar. 1000. an. Regni ſui 18. Otto Imp. 3. obiit 5. Kal. Febr. eo videlicet anno, qui ab Inc. Dom. inſcribitur milleſimus primus. *Itemque Lupus Protoſp.* Anno *inquit*, 1000. Indict. 13. Obiit Rex Otho Romæ (*de loco concordat Guilielmus apud Blondum in Hiſt. Rom. Dec. 2. lib. 3. p. 290. diſcrepant alii, quos notavi ad Anon. Caſſin.*) *namque id ex reductione quadam referendum eſſe ad an. 1001., ut faciunt perplures, hinc ſatis conſtat. Cæterùm quos exules* ad Regnum *abſolutè ſic dictum, &* trans Alpes *ab Imperatore miſſos hìc perhibetur, eos* ad Italicum, *quod appellabatur,* Regnum, *&* trans Apenninum *relegatos fuiſſe intelligimus; nam* Alpes *in Leg. Lang. lib. 1. tit. 25. l. 50. & 56. ſive 58. & 64. & alibi paſſim pro* Apennino.

CAPITULARE

ARECHIS (8) PRINCIPIS BENEVENTI.

Index Capitulorum.

Incipit Capitulare Dom. Aregis Princ.

I. *Si quis hominem pauper abſque parentibus, nihil etiam.*

II. *Si quis germanum alterum germanum oborta litate.*

III. *Si quis filium poſt mortem patris ejus pulſaverit, ut aſſolet.*

IV. *Si quis occiderit Monachum, vel Presbyterum, aut Diaconem.*

V. Si

(1) Ex vulgi ſermone, nam *Martyrem*, ait D. Auguſt. ep. 61. *non facit pœna, ſed cauſa.*

(2) Alio itaque ordine hæc accidere, quàm tradat Oſt. lib. 2. cap. 10.

(3) Teano Minianum *per Meſinum* iter eſse, ait Richard. de S. Germano ad ann. 1229. unde nunc. *Rocca Monſina.*

(4) Vulgò *Romagna.* inter Apenninum, & mare Superum, ad Ravennam ultra, citraque eodem ſenſu in leg. Lang. lib. 1. tit. 25. lib. 74. ſivè 82.

(5) In ann. Chriſti 1000. His concordat Oſtienſ. lib. 2. cap. 24. At in Reg. Petri Diac. pag. 78. & 98. ſunt Diplomata ab Oth. data *ann. 999. 10. Kal. Mar. Capuæ Ind. 12. Imp. ann. 3, Regn. 15.*

(6) Omiſsum Librario eſt nomen hujus Ducis in Cavenſi exemplari.

(7) Erat Otho Romæ *Kal. Nov. ann.* 1000. & 15. *Kal. Febr. ann.* 1001. Ex Diplom. apud Ferrerium *de Epiſcopis Vercellenſ.*

(8) Princeps iſte Arichis præter ſummi Dynaſtæ inſignia, nimirum Principis nomen, & coronæ uſum, Legis etiam condendæ poteſtatem, deleto Rege Langobardorum Deſiderio, videtur uſurpaſse; & poſt ann. Chr. 774. hoc edidiſse Capitulare: noſtrates enim Langobardi etſi in Regno non cenſebantur, cujus pars *Tuſcia* poſita dicitur *in longinquo*. Leg. Lang. lib. 2. tit. 55. lib. 14. Leges tamen ſervarunt cæteris communes.

V. *Si pater filiæ non habentis germanum, aut germanam.*

VI. *Si liber homo habens uxorem liberam, nihilque proprium possidens.*

VII. *Ut adolescentem ante x. & VIII. annos ætatis.*

VIII. *Nullus homo habens uxor legitimam filiis, vel filiabus.*

IX. *Si quis libertorum, seu libertinorum ostenderit Præceptum.*

X. *Ut primi hæredes obligationem, vel debita propinquo.*

XI. *Si quis silvâ propriâ plaustrum invenerit.*

XII. *Si quis cujuslibet homo filia, vel soror, aut qualibet.*

XIII. *Si quis hominum furtivam arte, vel quolibet modo.*

XIV. *Quæcumque mulier propria res habens morte mariti.*

XV. *Si quis terra, vel mancipium per xxx. annorum circulo.*

XVI. *Si quispiam rem propriam inspiratus pro anima sua.*

XVII. *Si quis absque permissum Pontificis, vel custodum.*

CAPITULARE.

I. SI quis homo pauper absque parentibus, nihil etiam habens, ex quocumque negotium secundùm Legem potenti homini juratus (1) fuerit, ita decernimus, ut solus prævetu sacramentum, quin etiam modo simili potens juramentum, quando ei contigerit, pauperi singulari exhibeat. Si verò pauper aliquantula substantiola habuerit, cùm quinque secum juret, similiter & hoc quinario numero potens pauperi satisfaciat.

II. Si germanus alterum germanum aborta lite primùm percusserit, posteaque percussus dolore stimulatus se defendendo percussorem occiderit, hoc itaque censimus, ut justa personæ interfecti qualitate talem fratricidium componatur. (2)

III. Si quis filium post mortem patris ejus pulsaverit, ut asolet; dicendo, quòd ei aliquid præmii nomine pro qualibet causam dedisset; aut forsitan dum pater ejus adviveret per vim aliquid attulisset, de his præpositis causis ostensio dumtaxat fieri non potest; necnon & ipse filius responderit, nequaquam talia scisset, idcirco juratus dicat, quòd necnon neglexisset perquirere, nec de ipsis rebus, unde pulsatus est, aliquid signum apud se reperisset. (3)

IV. Nonnulla flagitiorum veteres Jurisperiti, dum fieri posse non crederent, decernêre præcaventes, posteritati erronea relinquere vestigia. Ad nunc crevescentibus malis, & fieri posse creduntur, & quod dictum nephas est, facta videntur. (4) Actenus religiosorum homicidia, eo quodpote, aut inerme genus, aut

A in omnibus venerandum haberetur, nullus compositionis, & aperta Lex judicialia calculo claruit. Et si quondam, forsitan, contigisset, aut sub ostensu legalis negligentiæ, vel oblitæ rationis obmittebatur, aut certè censorum opinatione, aut illud, ut cuique libitum erant, decernebatur. Ideo sicut omnibus simul æquissimè placuit, sancimus, idem præcepimus, ut si quis deinceps occiderit Monachum, vel Presbyterum, aut Diaconem, primatum tenentem, componat solidi cc. vel supra, ut Principi patriæ placuerit usque trecentos. (5) De cæteris verò personis inferioris gradus, quæ in Palatio deserviunt, ducentorum solidorum compositio præveniat. De reliquis autem Eccle-
B siasticis, qui extra Palatium deagunt cl. sicut de Laicis, qui exercitalibus militant armis.

V. Si pater filiæ non habentis germanum, aut germanus sorori occisi fuerint, (6) ita nobis rationis judicio complacuit; ut sicut in rebus patris, vel germani sm̄ lege hæreditates possessuræ sunt, ita & occisorum compositiones hæreditariè sibimetipsæ exigant.

VI. Si liber homo habet uxorem liberam, nihilque proprium possidens, talem culpam perpetraverit, per qua damnatus, questori sm̄ legem in manu pro servo tradendus fuerit, ipsa uxor maritum tantùm custodiant. (7) ille verò, qui eum in servitio acceperit, de marito ejusdem infra septimanam duos dies, sicut pro-
C priis servis, quatenus eam posset nutrire. Sin autem minorem culpam penetraverit, unde mox Legis tradendi deest, sub extimatione justissima vir, & coniunx deserviat ei, cui culpatum est usque ad præfinitum tempus. Post constitutionis autem dies liberantur in pristinam libertatem. Et si ipsa uxor tantùm culpata fuerit, eisdemque modis, ut de viro superiùs censuimus, simul de utroque equalitate sententia detur. Ita tamen, ut ejus, qui eos acceperit, discipli-nis, & imperii, sicuti servi subjaceat. Si verò infra constitutum supradicti servitii tempus alteram alteri homini ingesserunt culpâ, vir, aut conjux imperpetuum servi tradantur, & reus per dies, ut supra sibi concessum, uxorem nutriant, ipse verò dn̄s traditi, unde prior servo
D si contigerit, pro injuria hab eo illa, justitiam querenti persolvant.

VII. Et hoc constituimus, adolescentem ante x. & octo annos etatis non posse solius ori sui manifestationem condemnari.

VIII. Nullus homo habens uxor legitimam, filiis, vel filiabus, qui ex altera inlicita conjuge procreantur, legitima vivente, per quolibet ingenium aliquid donatione facere posse. (8) Maximè dumtaxat, qui de incerto coitu nascuntur, ex nuverca, idest matrinia, aut previgna, idest filiastra, vel cognata, quæ est uxor fratris, aut ex germana uxoris, vel etiam ex consobrina
E generantur, omnimodo prohibemus nullo quolibet argumento, quod contingaverit, vel dici humanâ versutiâ potest, his donationem facere posse, qui hoc facinus contraxit.

IX. Si

(1) For. *junctus*, unde litium, sicut bellorum certamina, passim, *conjunctiones*, cætera menda tutè corriges.

(2) Parem omninò Legem de quocumque alterius percussore ad sui defensionem Rex tulerat Luitprand. Leg. Lang. lib. 1. tit. 9. lib. 19.

(3) Iis insistit, quæ sancita à Rege fuerant Rothari Leg. Lang. lib. 2. tit. 55. lib. 9.

(4) Ita quidem; nam quæ habetur Leg. Lang. lib. 1. tit. 9. lib. 27. recentiùs à Carolo edita est Imp.

(5) Confer. Legem Lang. lib. 1. tit. 9. lib. 21.

(6) Legem abrogat descriptam lib. 1. Leg. Lang. tit. 9. lib. 18.

(7) Qui ex patrato damno, vel crimine debitam, vel privato, vel Fisco compositionem, sive creditori pecuniam solvendo non erant, perpetua, vel temporaria servitute eam compensabant ex Lege Langobard. lib. 1. tit. 25. lib. 68. lib. 2. tit. 33. lib. 4., & alibi: a Judæis observata Reg. lib. 4. cap. 4. & Matth. cap. 18. quos Langobardi habuere aliarum etiam legum auctores.

(8) De his loquitur Lex Lang. lib. 2. tit. 8. lib. 3. & 6. nam alii naturales adibant patris hæreditatem, ut lib. 2. tit. 14. lib. 2.

IX. Si quis liberorum, seu liberti natum ostenderit Præceptum libertatis quondam scriptum ante reversionem Dom. Gisolfi de tras Pado, (1) & falsum procul dubio apparuerit, propterea si manifestare potuerit illis diebus scriptum fuisse, quos prædiximus, in libertate permansisse; ita profectò censemus, ut quodquod ex tali libertate superstites sunt, sive homines, sive mulieres, in pristinam servitutem revertantur. Filii verò, vel filiæ eorum, qui de genus uxoribus procreati sunt, libertatem cum matribus permaneant.

X. Pervênit ad aures sublimitatis nostræ, quòd quidam hominum versuta calliditate inbuti, propter obligationes, vel debita, quæ fecerant, propinquioribus parentibus, qui justa Legem heredes eorum futuri sunt, testamentum donationis ammittant, ut quæstores eorum creditas res facilè perdant; propterea sic namque decernimus, ut primi heredes obligatione, vel debita propinquorum persolvant, dehinc, quod residuum fuerit de rebus eorum, sibimet assumant.

XI. Si quis in silva propria Plaustrum, quod vulgò dicitur Carrum, (2) honustum lignis cum bubulis deprehenderit, & fortasse ad domum suam perduxerit, per unumquoque lignum, quę imposita sunt Plaustro, his cujus bobes. & veiculum fuerint, novem ligna componat. De plaustro verò, sicut Lex testatur justitiam præveniant.

XII. Satis infamis, & inlicita consuetudo temporibus istis hinnolevit; dum quædam mulierculæ defunctis viris, maritalis dominaturæ solutæ, licentiùs proprii arbitrii libertatem fruantur. Abitum sanctimonialis in secrete domi suscipiunt, ne vim nuptialem perpatiantur (3) quippe tuta sibi cuncta fore arbitrantur, si conjugalis dominatui non subiciantur. Sicque fecit, ut sub optentu regionis, denta omni formidine, quicquid animo delectantur, licentiùs assequantur. Namque deliciis affluunt, commessationibus student, potibis vineis ingurgitantur, lavacra frequentant, & quanto magis assequi possunt, tanto eodem habitu immollitie, delectationemque vestimentorum habutuntur. Igitur siquando in plateas processuræ sunt, facies polliunt, manus candidant, incedunt lividinem, ut vescentibus incendia misceant: sæpe etiam formosus videre, atque videri impudentiùs appetunt, & ut brebiter dicat, ad omnem lasciviam, voluntatemque animi frena relaxant. Hoc quoque procul dubio luxuriante vitæ fomite succense, exurunt eas carnis incentiba, adeò ut non solùm unius, set quod dicit nefas est, plurimorum prostitutionibus clanculo substernuntur; & nisi uterus intumuerit, non facilè comprobatur. Talem itaque pestem execrandam modis omnibus contestantes, instituimus, ut cujuslivet affinitate juncta, innuptæ, vel viduę velamen scē religionis induerunt, & intra anni circulum eas quatenus voluerit, vel poterit in Monasterium trudi dilataverit, propterea si stupri crimine detectæ fuerint, componat Guidrigild suum in Palatium; Princeps videlicet ejusdem temporis cum ipso Guidrigild, rebusque propriis retrudat eas in Monasterium.

XIII. Divinæ Legis auctoritas communans testatur, *siquis in captivitatem duxerit, in captivitatem vadat*. (4) Hactenus adeò hęc patria crudelis limine perviciem perpetitur, ut etiam transmarinis paganitatis gentibus ejus habitatores indifferenter vendant. Propterea presenti judicio sententia damus, ut si quis hominem furtiva arte, vel quolibet modo extra Provinciam vendiderit, sic eum componat, sicut his, qui infra venenundant; (5) ita tamen, ut venditoris persona ultra mare venundetur. Si verò pauperrimus fuerit, nihil habens, unde compositione procedant, quod superest persona ejus, ut supra trans mare venalis vadant.

XIV. Quæcumque mulier propria res habens, mortui mariti lectum castè servaverit, & de rebus suis aliquid pro anima sua judicare voluerit, quæ ejus minimè consenserint, sicque prospeximus (6) si duos filios habuerit, tertiam partem de rebus suis disponere liceat; si quidem tres, septimam partem; si quattuor habuerit, nonam: si verò ampliùs, per hanc numerum ratiocinationem, ut contigerit, sorte dividantur.

XV. Si quis terram, vel mancipium per triginta annorum circulos absque pulsationem possiderit, & certa manifestatio dumtaxat patevit; sic namque censemus ut quicquid ædificii, vel incrementis ex his rebus possessor optinuerit, absque molestationem, & depulsationem, sicut ipsa prædicta initia, ulteriùs possideant. (7)

XVI. Si quispiam rem propriam inspiratus pro anima sua locis venerabilibus decrevit, non reputetur extraneus, vel inimicus parentibus, sicut in lege nefas scriptum est; sed sit sacramentum talis, si opportunitas incumbit; & heredes proximorum modis omnibus habeatur.

XVII. Si quis hominum causâ temerario absque permisso Pontificis, vel custodum Ecclesiasticorum, mortuum in Basilica (8) sepelierit, hac ratione perpendimus, componat solidum quatraginta ejusdem venerabili loci Rectoribus; de sepulto quidem supradictis personis, ut libet, conveniatur.

Explicit Cap. Domini Aregis.

(1) Ad servitutem revocat manumissos *per impans*, ut loquitur Lex Lang. lib. 2. tit. 34. lib. 1. hcc est *per votum* illegitimi Ducis Godescalchi, istius Gisulfi 2. antecessoris de quo sup. pag. 333. & Paulus Diac. lib. 6. cap. 17. sive 57.

(2) Lex testatur Langobard. lib. 1. tit. 23. leg. 1. *qui currum* &c. *ad propriam domum suam duxerit, non sit culpabilis*, &c.

(3) Has permiserat Rex Luitprand. Leg. Lang. lib. 2. tit. 37. leg. 1. quarum malitia tunc latebat.

(4) Apocalyp. cap. 13.

(5) Confer Capitul. Pr. Sicardi N. 3. & 4. hancque inhumanam mercaturam non tantùm nostratibus usu receptam, vide in Erchemp. nu. 81. & Anast. Bibl. pag. 113.

(6) Eandem in hac lege servat proportionem mater ad filios, quam in Leg. Lang. lib. 2. tit. 14. leg. 2. filii naturales ad legitimos.

(7) In Leg. Lang. leg 2. tit. 35. leg. 5. idem cautum, sed nil de incrementis ibi, quia certè nil opus.

(8) In Basilica ne dumtaxat; quod communiter tunc vetitum: an etiam in ejus Atrio, & Cœmeterio, in quo frequentiùs humabantur?

CAPITULARE

ADELCHIS (1) PRINCIPIS BENEVENTI

Index Capitulorum.

Incipit Cap. Dom. Adelchis Princ.

CAPITULARE.

SI cujuscumque servus liberam uxorem (3) tollere, qui ad Palatium justa Legem pertinebat, utique pessima extitit consuetudo, ut eas personas quisquis vellet expeteret, à modò autem, & deinceps statuimus, ut tanta perversitas nullum habeat locum; sed ipse solummodo eos habeat semper, cujus primùm ille fuerat servus, etiam si illos ad Palatium nunquam repetant. Nam potest fieri, ut ipsum solum habeat dominus suus, quem si hac occasione amiserit, efficietur pauperrimus. Sed si unum, sive plures habuerit famulos, & in uno quolibet eorum istud occiderit, dominus suus, uti decretum est, eum cum illam, quam sibi eam uxorem tulerit, possideat perpetim cum filiis eorum. Et si quis temerarius eos ad Palatio petere deinceps præsumpserit, petitio illius causa permaneant.

II. Si quis à quocumque fuerit plagatus, & plagam Judex præsentaliter factam aspexerit, & adversarius illam ei egisse negaverit; preveat sacramentum plagatus, quòd certiùs ipse, super quem proclamavit, illam ei fecerit, quam ostenderit plagam; postea verò improbus persolvat illi justa Edicti tenore justitiam absque tergiversatione aliqua.

III. Si clarum, manifestumque fuerit qualibet fœminam consuetudo, & legaliter habuisset maritum, & quartam (4) seu octabam habuisset hab eo sibi factam, eamque perturbatione temporis perdidisse quomodocumque. Vel si etiam, ut accidere solens multotiens, quartam eandem, vel octaba non fuerit scripta, propinquis mariti, vel quilibet aliter eandem quartam, vel octaba eidem mulieri rite competentem contrare minimè præsumat. De quibus si ulteriùs altercationem quisquam proposuerit ejus, querellam nullum optineat fructum; quoniam iniquum, & reprehensibilem videtur, ut quod omnes de suis retinent viris; aliquante mulieres pro iniuria, vel aliqua accidentia ammittunt.

IV. Si quis se testem in quocumque munimine propriis manibus subscripserit de rebus, quibus forsitan facto ad se pertinentibus; statuimus, ut postea nullo modo inde valeat movere causationem; devet enim sollicitè perquirere, & sciret, quòd sit illut, ubi rogatur subscribere. (5)

V. Si quis rem suam obligaverit cuicumque, & denuo illam alteri vendiderit, & emptor ipsam ante faciem, cui obligata fuerit priùs anno uno expletos possederit, postea exinde nullam controversiam his, qui eam obligata habuit, valeat movere; quoniam neglectui ejus rite deputabitur, quòd emptorem infra tot spatium exinde appellare contempsit, & quòd ab illo obligatore nullam priùs acceperit firmitatem; quoniam justum videtur, ut magis his, qui illud pretium dedit, eandem rem possideat, quàm ille solam obligatione retinent. (6)

VI. Si quis juraverit, & cognitum fuerit certiùs Judici, quòd perjurasset, aut famam habuerit perjurandi; si calumniator intentionem proposuerit, quòd tunc perjurasset fallaciter, & postea ipse, qui juravit, persolvat ei justitiam, si ceciderit, juxta Edicti (7) tenorem.

VII. Si quis casam, vel quacumque rem aliquis per munimen habuerit, & illud munimen per ignem, aut depredationem postea amiserit, & causator quicumque dixerit, quoniam eandem casa, vel res, quam possidet, ei debeat pertinere, legaliter preveat sacramentum idem possessor cum parentibus, quòd de eandem rem, vel casa veracem habuisset munimina, sed ea per igne, aut à zalatione, seu depredationem perdidisset. Si verò his, qui querella movit, priùs elegerit ille velle per pugnam approbare, solus juret, qui ipsam tenuerit, quæcumque fuerit res, & sic ad pugna pergatur, etenim considerandum est, & veraciter credendum, fieri potuisse, ut multis ut muniminis, vel ut dictum est, amiserint, & ammittant, dum & oppida, & villæ plurimæ à Paganis (8) crematæ sunt, & nostris ex gentibus meritis sæpiùs cremantur, & disperduntur. Ideoque iniquum videtur, ut talibus accidentius amisso munimine aliquis it perdat, si munimen inde non ostenderit, quod jure ei competit has habere.

VIII. Inconveniens usque modò consuetudo extitit, ut jam quisquis voluisset, si nosse scribere, Brevem undecumque oportunitas exegisset. A modò autem decernimus, ut soli Notarii Brevem scribant, sicut & cetera munimina. Et quiscumque deinceps Brebis fuerint absque Notarii subscriptionem ostensus, nullam retineat firmitatem; quoniam multos ex illis deprehendimus fuisse falsos, quod, Deo opitulante, cupimus, ut ulteriùs non fiat.

DE

(1) Sedit Adelchis ab ann. 854. ad 878. De quo Erch. à N. 20. usque ad 39.

(2) Non de solo *Morgincap*, quod sonat *Matutinale donum*, estque idem, ac *quarta*, sed de *octava* etiam loquitur hoc Capitulare infra N. 3.

(3) Tales conjuges Palatio sub quadam conditione adjudicavit Rex Lu tp. Leg. Lang. leg. 2. tit. 9. leg. 1. quos postea Lotharius lege 4. ibid. ad anteriorem dominum reverti jussit. Idem nunc statuit Princ. Adelchis.

(4) De *quarta*, sivè *Morgincap*. apertè Lex Lang. lib. 2. tit. 4. leg. 1. Sed nusquam de *octava*: nisi ea sit *Methium*, alias *Meta*. quæ tamen non est *octava* ibid. leg. 2.

(5) Minimè Legem reprehendit, vel cassat, latam à Rege Luitpr. Leg. Lang. lib. 2. tit. 2. lib. 5. quæ est de *puellis sinè parentum voluntate nuptis*.

(6) Lotharius hoc ipsum constituit Leg. Langob. lib. 2. tit. 19. leg. unica.

(7) In hoc Capitulari, sicut etiam alibi, nomine *Edicti* veniunt Leges Regum Lang. Lex autem nunc denotata, habetur lib. 2. tit. 51. leg. 1. & tit. 58. l. 1.

(8) *Saracenos*, dicit, omnem tunc Cis-Tyberinam Italiam dirè vastantes; quo etiam nomine eos appellat. Erchemp. N. 16. & Joannes Papa 8. in Epistolis sæpè.

DE PACTO

ARICHIS PRINC. BENEVENTI. &c.

Non de hoc, sed de novissimo omnium Pacto, (1) *quæ Arichis* (2) *Princeps Beneventi unquam iniit cum Neapolitanis, locutus certè est Erchempertus Num.* 2. *inquiens*, misericordiæ vice distributa *eis fuisse à præfato Principe* diaria in Liburia, & Cemiterio, *quo tempore Carolus Magnus post subjugatum, captumque Regem Italiæ Desiderium in anno Christi* 774. stipatus innumerabili exercituum agmine, crebriùs Beneventum. adiit capessendum; *nulla enim de elargitis* diariis, *nec de* Cemiterio (*de agro nimirum Nolano, quippe celebriori eo vocabulo appellabatur tunc Nola*) *fit hic mentio: sed de Legibus ab Neapolitanis, atque à Campanis potissimùm invicem observandis: deque una tantum* Liburia, *præclaro & ipso campo frumentario, ac vitifero in Campania post Clanium amnem ad Meridiem, Nolano ab Oriente conjuncto. Et sanè Arichim nec semel, nec unâ formâ cum Neapolitanis fœdera junxisse, hinc fit manifestum; quòd iis* per Præceptum, *ut hìc dicitur, antehac concessisset, quæ sibi ab Neapolitanis metipsis permissa aliquantò priùs fuerant. Sed præterea Pactum ab Erchemperto memoratum haud ex ejusdem Auctoris dicto irritum fuisse apparet; sicuti palàm de hoc nostro compilator Cavensis exemplaris, importuno quamvis loco, est testatus. Veruntamen Campanos Langobardos, quorum occasione, & armis præter innatam dominandi, promovendarumque finium libidinem, tum Arichis, tum quisque Beneventi Dynasta quamfrequentissimo bello, ut iterum observabam pag.* 256., *Neapolitanos exercuerunt, aliquando tandem absimili non admodum fœdere strenuis adeò æmulis firmiter post hæc concordasse, ex Pacto discere clarè est, inito post annos fermè* 150. *ab Gregorio Duce Neapolis cum Beneventi Principibus Landulfo I., & Atenulfo II. quod diutiùs stetit; renovatumque cùm fuisset ab ejus nepote, Neapolis similiter Duce Joanne, vim, & nomen* Consuetudinis, *quod scriptus præfert Codex, ex diuturniori illo usu videtur obtinuisse. Cæterùm nè Librarium offendisse puta, quòd ipsum inscripserit initum ab Arichi, non cum* Duce, *sed cum* Judice (3) Neapolitanorum; *namque &* Judices, *juxta hujus nominis multiplicem usurpationem, de qua pluribus nunc non dicam, aliquando etiam appellatos, qui Neapolis Duces erant, ex manu descriptis Sancti Athanasii ejusdem urbis Episcopi Actis, quæ Baronius quoque recitat ad an.* 872. *num.* 10., *satis modò erit aperire.* Hæc dum ad Hadriani Papæ notitiam devenissent, direxit unam Epistolam antefato Judici (*sic Acta, quæ Sergium prædixerant Ducem*) & aliam clero Neapolitano, *&c. Idemque ex Joannis Papæ VIII. liquet epist.* 67. *qua Neapolitani commendantur, quòd abjecto eodem impio Sergio olim Duce, ac Magistro militum, pastorem, & Episcopum Athanasium* habere Judicem elegissent. *Nolim tamen* (*Parergi loco ut hoc addam*) *Judices, Ducesque Neapolis cum alio ibidem observato olim Magistratu confundas; qui S. Gregorio M. l.* 7. *Ind.* 2. *epist.* 108. *dicitur* Major Populi; (4) *eoque idem Divus functum prodit quemdam Theodorum, aliàs Theodoricum, ut habet l.* 8. *Ind.* 3. *epist.* 24., *cùm Dux esset Maurentius. Etsi Cedrenus p.* 433. *tradat, consimili ferè vocabulo nuncupatum, qui Chersonæ, urbis ad Mæotidem Paludem, indigena, supremâ eam curare consueverat potestate, priusquam Theophilus Græcus Imp. suos illuc Præfectos transmittere instituisset. Joannes Boccacius sanè, quem Paulus Benius parum bene capit, nec justè carpit, ex prisco hujus nominis usu in Fabella inscripta.* Theodorus, & Violantes, *de prædivite Patricio viro loquens, qui industrium valde servum impensè diligebat, ait.* Et sopra i suoi fatti il fece Maggiore. *Nempè ut intelligendum hinc sit,* Majorem Populi *apud Neapolitanos non summo imperio, sed juxta demandatam sibi, definitamque potestatem res publicas administrasse; cujus præter cætera, munus fuisse vectigalia, redditusque curare, non negabis: modò ejusdem D. Gregorii vitè expendas epistolam septuagesimam præfati libri septimi, ubi de superiùs dicto Theodoro; qui Vectano pauperi, sed nobili viro, annuas per biennium viginti urnas vini de insula Prochyta, Neapolitanæ utique urbi tunc subdita, misericordiæ intuitu donaverat. Talis autem* Major Populi *nonnihil diversus ab eo censendus est, qui Latinè* Loci Servator: *Græcè.* Τοποτηρητὴς: *hoc est.* Vicarius, *sivè* Locumtenens *dicebatur, ut alibi pluribus; quo nomine in antiqua chartula de anno* 47. Imp. Constantini, & 10. Romani ejus filii, die 2. mensis..... 2. Indict. data Neapoli: *nempe anno Christi* 958., sive 959., *indigitatum quendam reperi Gregorium*, fil. bonæ recordationis Domini Joannis gloriosi Ducis; *ibique subscripsisse hac forma.* Ego Gregorius Loci Servator subscripsi. *Estque fortassis idem ille Domini Joannis filius, in Pacto à patre ejus inito cum Principe Landulfo I. subnotatus; advixisse enim Ducem illum ad annum usque* 952. (*nescio an etiam ulteriùs*) *ex ejus Diplomate disco apud Latinam Historiam Neapolitanam, pag.* 162. *in quo Indictio, quæ tunc censebatur* decima, *depravatè notata habetur*, septima.

PACTUM

ARICHIS PRINC. BENEVENTI.

Cum Judice Neapolitanorum de campo Leburiæ, &c.

Item Consuetudo Leburiæ, & Pactum.

Incipit Pactum, quod constituit Dominus Arechisi gloriosus Princeps cum Judex Neapolitanorum de servis, & ancillis, & de terris, & de Legurias, & de Tertiatoribus, quę communes est inter partes.

In primis de Liguria, ut quantum Neapolitani per XX. (5) annos usque modò in dominicatu tenuerunt, nec censum inde in partes Langobardorum persolverunt, securiter possideant. Similiter Langobardi quantum per XX. annos usque modò in dominicatu tenuerunt, nec censum iisdem in partes Neapolitanorum persolverunt, securiter possideant. Alia verò omnia fundora fundata, sive exfundatas, homines, & terras, quibus solidi non sunt dati, dividimus per medium. Terras autem, in quibus so-

(1) *Principis Arichis hoc minimè denotabat* Pactum *sua in Histor. Erchempertus.*
(2) Arichi tunc sanè obses datus à Neapolitanis etiam est Cæsarius Consul., de quo infra in ejus Tumulo.
(3) *Quorum Duces non nulli dicti etiam, ut hìc, sunt.* Judices.
(4) *Majoris sanè dignitatis nomen, quàm Magistratus, qui apud eos appellatus.* Major Populi.
(5) Ex communi verò jure Langobardorum lib. 2. tit. 35. l. 3. & seqq. admittebatur præscriptio post annos 30.

ſolidi dati ſunt, per ſcripta firmantes ipſas cartas inter partes per ſacramenta cum tribus perſonis intus domum ſuam ſi voluerimus ipſas terras inter partes recolligere, licentiam habeant Neapolitani reddere med. ex ipſi ſolid. & Langobardi ſimiliter, & dividere ipſas terras per medietatem. Sin autem, dividantur in tres partes: unam partem tollant Langobardi; aliam Neapolitani, & aliam qui ipſos ſolidos datos habent; facientes inter utraſque partes talem firmatione in ſcriptis, ut à tunc ſecuriter Langobardi tertiam partem, & Neapolitani tertiam, & ipſi homines, qui ipſos ſolidos habent, tertiam partem ſecuriter poſſideant. Et fundora, vel terras, quæ in partes Langobardorum venerint in ſortem, nullo modo ipſi homines, qui habitant in ipſa fundora, poſſint infiduciare, vel vendere, aut per qualecunque argumentum alienare in parte Neapolitanorum: & ſi factum fuerit, ipſos ſolidos pereant, & ipſas res revertatur in parte Langobardorum. Similiter & parte Neapolitanornm perficiatur. Exceptuamus ex his omnia fundora de Liburias, qui pertinet ad ipſum * (1) Principatum Capuanum fundata, & exfundata; & homines, & terras, quæ vobis per Capetularem dedimus, quæ vos nobis aliquandiu relaxaſtis. Et omnia, quæ in parte * Langobardorum venerint, per nullum modum, aut per qualecumque ingenium querant habere dominationem Langobardi. Et terras, ſeu ſervos, quos Langobardi diviſos habent cum Neapolitanis per ſcripta, vel quocumque modo definitum habent inter ſe, ſi comprehenſerit qualiſcumque Neapolitan. exinde ſervum ad partem Langobardorum, componat ſol. C. Et ſi alias qualeſcumque res exinde pigneraverit, componat de una cauſa novem: ſimiliter & à parte Langobardorum perficiat.

Quando inſtitutum fuit facto à Dom. Arechis Glorioſiſſimo primo Princeps Langobardorum cum partem de Neapolim, & firmatum eſt qualiter inter partes eſſe deberent de terris in Liburia, de ſervis, & de ancillis, & de Tertiatoribus, & de omnibus cauſis, tranſgreſſi ſunt Neapolitani ipſum Pactum, & noluerunt de omnibus prædictis rebus vivere ſecundùm Pacti tinorem, nullo modo conſenſimus ei illud.

Si quis Langobardus habet comparatas terras in Liburia, & cār emptionis exinde oſtenderit, & pars Neapolitanorum intentionem inde miſerit, jurent à parte Langobardorum tres homines ſex hominibus, (2) quales pars Neapolitanorum queſierint, dicentes per ſacramentum, *Quia iſta cār veraces ſunt*. Et deinde pars Langobardorum retineat ſibi duas ſortes de hiſdem terris; unam pars Langobardorum, aliam pro ipſis ſolidis datis; tertiam verò partem conſentit inde habere partem Neapolitanorum * cār oſtenſerit, quas ei quiſcumque homo feciſſet de terris in Liburia; ſi audet prior de Capua facere jurare tres homines de ſex, quales pars de Neapolim queſierit, dicente per ſacramentum, *Quia iſtæ terræ, quas emptas habere dicitis, de illis hominibus fuerunt, qui cenſum reddiderunt in Capua. Et ſic eos habuerunt Comitatus Capuanus, ſicut alios Maſſarios de Liburias abberentur*, * (3) ipſæ cartulæ à tribus hominibus de ſex quales pars de Capua quæſierit, & ſi noluerit pars de Capua reddere med. de ipſi ſolidi, quas ipſæ cartulæ continunt, dividantur ipſæ terræ pro med., & ſi noluerit reddere med. de ipſi ſol., dividantur ipſæ terræ in tertiam partem, unam partem tollat exinde pars de Neapolim pro ipſa hoſpitatica, & aliam pro ipſi ſolidi tertiam partem tollat exinde pars de Capua.

Si horta fuerit intentio de fundis exfundanis; & dixerit una pars, quia iſta fundora de talibus Tertiatoribus fuerunt, & alia pars dixerit, quia non fuerunt de his Tertiatoriis, quos dicitis, ſed de iſtis fuerunt, quos nos dicimus, non ſit inde ſacramentum, ut una quælibet pars in perjurium exinde incurrat. Inquiratur diligenter ad qualia hoſpitatica fuerunt pertinentia antiquitus, & tunc ſinè ſacramentum, & perjurio poterit inde eſſe finis.

Si cenſiles (4) homo de Liburia patitur oppreſſiones à parte de Neapolim, & nolue exfundare ſe de ipſo fundo, ponit poſt Regiam domus ſuæ ipſum ſuſtem, ſicut antiqua fuit conſuetudo, & vadit ubi voluerit. Si autem pars de Neapolim cum parte Langobardorum potuerit revocare ipſum Tertiatorem in ipſum fundum, & fundare illum ibi, poteſtatem habeant, & ſerviat ambobus partes, ſicut antea ſervivit. Et ſi aliunde voluerit ibi hominem fundare, poteſtatem habeant. Et ſi hoc facere non potuerint, aut non voluerint, dividant inter ſe fundum, & terris ipſius.

Si Liburianus ſerbus de Longobardis mortuus fuerit, habeat ipſe Langobardus in poteſtate ſua omnes res illius.

De ſervis communibus ita fiat. Si exierit de ipſo fundo ſervus ipſe, & intentio de eo horta fuerit, ut ipſe Langobardus eum inde mobuiſſet, aut ad manum eum apprehendiſſet; ſi non audet jurare ipſe Langobardus, quòd ille eum de ipſo fundo non mobuiſſet, aut ad manum eum non apprehendiſſet, inveniat illum, & revocet eum in ipſo fundo. Alia talem faciat ipſe Neapolitanus ad ipſum Langobardum, ſi eum inde quæſierit. Nam ſua voluntate, ſinè conſilio de ipſo Langobardo, aut de ipſo Neapolitano motus fuerit ipſe ſervus de ipſo fundo, & vadit in terram aliam; tunc dividant ipſe Langobardus, & ipſe Neapolitanus ipſum fundum per medietatem cum omnibus pertinentibus de eodem fundo. Tamen quandocumque extra dominationem de Neapolim invenerit ipſe Langobardus eundem ſervum, apprehendat eum, & habeat eum ſuæ poteſtatis, ſicut ſuum proprium.

Se-

(1) Alto ſomno tenebatur priſcus iſte, ſed nimis ignavus Librarius; qui ex ſui temporis uſu *Principatum* hìç ſuppoſuit pro, *Comitatum*. Nam long poſt Princ. Arichim cœpit audiri nomen Principatus Capuæ, de quo vide ſup. p. 293. & inf. p. 341. Attentiùs autem pag. ſeq. nomen retinuit *Comitatus*, Sed per ſummam quoque oſcitantiam vocabulum, quod aſteriſco notavi. *Langobardorum.* videtur ſubſtituiſſe pro. *Neapolitanorum*.

(2) Legum Lang. lib. 2. tit. 55. leg. 5. exponitur modus, quo partiarii hi adhibendi erant teſtes.

(3) Mutila credidi loca, quæ notavi aſteriſcis.

(4) *Cenſilis*, qui cenſum ſolvit, idem ac *Tertiator*. Qui verò ſubducebant ſe de aliquo Municipio, vel Pago, in alias ſedes migraturi Portam domus (id namque valet tò *Regiam*) poſita, immiſſaque poſt eam fuſte, ſeù baculo, nè ſtatim de fuga appareret, cautè obſerabant. Sed vide num tacitæ *exfeſtucationis*, & *exfundationis* hic lateat priſcus ritus.

Sequens Pactum antecedenti subjungitur in exemplari nulla prorsus Epigraphe, nec nota præfixa distinctionis.

PACTUM

A GREGORIO DUCE NEAPOLIS

In Indict. XIV. hoc est anno Christi DCCCCXI. *Et. à Duce Joanne ejus Nepote non ante annum* DCCCCXXXIII. *rursus initum cum PP. Beneventi Landulfo I. &c.*

REpromittimus, & juramus, & jurare faciemus Nos (1) Johannes Consul, & Dux vobis Dom. Landolfo, & Dom. Atenolfo, seu & Dom. (2) Atenolfo Principibus, filiis, & nepos Dom. Atenolfi Principibus quia à modò, & semper fumus, & erimus vobis veri amici, absque omni mala deceptione, & absque omni dolo, & fallacia, & malo ingenio, & nullam contrarietatem, aut inimicitiam faciemus vobis in toto Principatu vestro Beneventano cum omnibus suis pertinentiis; nec in toto (3) Comitatu Capuano; nec in Teano cum pertinentiis suis, nec in hominibus vestris, nec vos, nec homines nostris per nostram voluntatem, nec per qualecumque submissionem nostram; & si factum fuerit absque nostra voluntatem, judicavimus vobis exinde secundùm Legem Romanorum, aut Langobardorum absque malitiosam occasione.

De Sarracenis autem hoc vobis permittimus, quia sic per omnia, & in omnibus pleno animo vos, & terram vestram contra eos adjuvavimus, ubi necessarium fuerit tamquam nos medipsos, & terram nostram.

De Liburias autem hoc vobis permittimus; ut terras, servos, & ancillas, seu fundora per concessiones habetis vos, & homines vestris in Liburias à singulis Ducibus Neapolitanorum, quæ possidetis temporibus Dom. (4) Landenolfi patrui vestri, & Dom. (5) Sergi abii vestri. Si parte nostra Neapolitanorum exinde requisitionis habueritis intentionem vos, aut homines vestris, si ausi fueritis inde jurare, jurent à parte vestra Langobardorum sex homines vestris quales nos voluerimus ad Sancta Dei Evangelia, dicentes. *Quia istæ cessiones, quæ ostendimus, veraces sunt*. Et tunc fiat vobis à parte nostra firmitatis scriptio, exinde ut ampliùs non sit vobis requisitionis causatio de ipsis rebus, & servis, & ancillis, quos, & quas prædicti continent cessiones à partibus nostris Neapolitanorum, & liceat vos eas habere securiter. Et quę per cār emptionis, seù convenientiæ, vel divisionis habetis, & homines vestris à partibus nostris Neapolitanorum, si à parte nostra Neapolitanorum exinde requisitionis intentionem habueritis vos, & homines vestris, si ausi fueritis inde jurare, jurent à parte vestra Langobardorum tres homines vestris de sex hominibus, quales nos vobis querimus, ad Sancta Evangelia, dicentes. *Quia istæ cartulæ, quas ostendimus, veraces sunt, & ipsas terras, quas istæ cartulæ continent, possidemus eas*. Et tunc fiat vobis exinde à parte nostra firmitatis scriptio de cunctis rebus illius, quæ prædictæ emptionis, seu convenientiæ, vel divisiones continent, & possideatis eas securiter.

De omnibus verò aliis causis, unde intentionem habueritis vos, aut homines vestri nobiscum, aut cum nostris hominibus, judicavimus vobis exinde absque omni dilatione secundùm Legem Romanorum, aut Langobardorum, absque omni malitiosa occasionem. Si verò vestris hominibus intentionem habuerint cum nostris hominibus Neapolitani, aut aliis hominibus nostris de terris in Liburias, quam comparatas habent, ostendentes eis homines nostris cartulas, quomodo comparatas habent eandem terras à Langobardis, & auctor paruerit, si manifestatum fuerint, & venditio ipsa vera sit, & venditor ille juxta textum cartulæ defendere potuerit, pars nostra habeat terram illam. Et si defendere non potuerit secundùm ipsa cartam, aut non voluerit, & negaverit, quòd ipse eam non fecisset, & pars nostra terras illas possederit (6) à triginta autem sol. insuper, juret pars nostra cum sex hominibus, quales vos volueritis, ad Sancta Dei Evangelia, dicentes. *Ut cār ipsa verax sit*. A triginta verò sol. in subtus jurent tres, quale vos quesieritis, & destringat parte vestra nobis illum venditorem juxta textum ipsius cartulæ. Nos verò omnem compositionem, & legem, & justitiam, quæ parti nostrę facere debet auctor ille, donamus omnia ea parti vestri Langobardorum per (7) Launegilt receptum à vobis exiguum; & faciendum omnia exinde, quæ volueritis: & auctor ille defendat parti nostræ terram illam absque omni requisitione. Et si pars nostra terras illas possederit per ipsa cār, & auctores non paruerit, & aliquid nos à parte vestra exinde quesierint, comberemus parti vestræ cār ipsa cum sex hominibus nostris, quales vos nobis quesieritis; & ipsas terras habeamus absque omni intentione. Hæc autem omnia superscripta qualiter continent in quantum exinde apparuerit per omnia ita vobis observabimus, & ita vobiscum in antea sedebimus, sicuti sedit Dominus (8) Gregorius abius meus vobiscum, ex quo cum illa suprascriptum Capitularium fecistis à secundo die mensis Julii Indic. (9) XIV. usque in obitum ejus, unde solummodo nomina mutabimus. Hęc omnia vobis observabimus, salva fidelitate sc̄orum (10) Imperatorum.

Dom.

(1) De hoc Duce Ostiensis lib. 1. cap. 55., & MSS. Acta Sancti Agrippini.

(2) Atenulfus iste à patre assumptus est in collegam, & successorem Principatus ann. 933. postquam Atenulfus, ejus Patruus è Principatu fuerat depulsus. Vide sup. pag. 334. Igitur non antea renovatum hoc fuit Pactum à Duce Joanne.

(3) Capuæ itaque Principatus institutus nondum fuerat: quod conjectabam sup. p. 292. & seqq.

(4) De hoc Landenulfo in Face dixi ad Erchemp. n. 15.

(5) Nempe *Ducis Neapolis*. Cujus filiam cùm hinc constet in uxorem ductam ab horum PP. patre Atenulfo I. ipse viderit Anonymus Salern. quo pacto præsens Landulfus I. potuerit conjugem habere Gemmam, filiam Athanasii Episc. Neap. fratris antedicti Sergii. Primum sanè Atenulfum nil prohibet censere bigamum; quod ex his, & ex dictis in Stemm. Principum satis liquet.

(6) Rotharis Leg. Lang. lib. 2. tit. 55. l. 5. statuerat *duodecim &c.*

(7) Ex Leg. Lang. lib. 2. tit. 15. l. 6. irritæ erant donationes, factæ absque *Launegild* idest reciproco dono.

(8) De hoc Gregorio Ost. l. 1. c. 49. & 52.

(9) Nempe an. 911. ac sequenti ab obitu Atenulfi primi, cùm è Constantinopoli rediisset Landulfus I. ejus filius. Quo tempore Dynastæ Cis-Tyberim omnes in Saracenos coivere. Vide Luitpr. lib. 2. cap. 12. & seqq. Ostiens. lib. 1. cap. 52.

(10) *Constantini, & Romani*. Quibus præfati etiam Principes tunc obtemperabant, ut dixi ad Lupum an. 929.

Dom. Johs Consul, & Dux. Gregorius thius ejus. Landolfus. Gregorius fil. dom. Johi. Sergius fil. dom. Aligerni, Aligernus, Johs, Cæsarius, Johs, Sergius, Gregorius, Gregorius, Johannes, Gregorius, Sergius, Petrus, Aligernus.

Hactenus isthæc Opuscula è MS. excepta Cod. Cavensi. Quibus non incongruè Neapolitanorum quoque Ducum Cæsarii, & Boni subiiciam Tumulos: eorundem quòd tum fœdera cum Langobardis, tum etiam bella exponant.

TUMULUS

CÆSARII CONSULIS (1) NEAPOLIS.

E venerandæ antiquitatis, memorandique operis Cœmeterio D. Januarii extra mœnia ejusdem urbis incerto casu Salernum translatus, ubi nunc prostat in Ecclesia Minorum Convent.

Cæsarius Consul (2) teneris sublatus in annis
Hìc recubat moriens, væ tibi Parthenope.
Æternum medio gestas in pectore vulnus,
Militibus periit murus, & arma tuis.
Et mea, qui hunc genui, vos vulnera flete parentes,
Qui sobolum cupitis tam bene sorte frui.
Sors mea deterior dulcis in funere nati,
Cujus flamma meum pectus ubique cremat.
Aptus erat cunctis verbo, probus in actu;
Consilio solers, fortis ad arma simul.
Rex (3) Romæ precelsa novæ, quo sceptra reguntur,
Prætulit hunc nostra civibus urbe suis.
Istius auxilio longeva paterna senectus
Tuta regebatur, jamque quietus eram.
Virtus, ingenium, pietas, patientia summa,
Væ cui cum genito tot periere bona.
Sit blandus Bardis eras, ut fœdera (4) Grais
Servares sapiens inviolata tamen.
Consul, (5) post Præsul genitor monumenta parabi,
Cui fuerat curæ condere membra patris.
O mihi non prolis tantùm, sed (6) collega fidus,
Cui tantos linquis, quos tuus auxit amor.
Nutritus (7) obses Arichis moderamine sancti
Salvasti patriam permemorande tuam.
Sex, (8) quater, & binos hic jam transcenderat annos,
Cùm flamen Christo reddidit æthre suum.
Vita senis tenuis post natis funus acervum
Post illum paucis credo dieb. eam
Lux te præcedat Christi, Karissime fili,
Sancte Januari, quod peto, posce Deum.

Depositus est XII. Kal. Oct. Imp. novo Constantino, & Hereni August. anno XIV. (9) Indict. XII.

TUMULUS

BONI CONSULIS, ET DUCIS NEAPOLIS (10)

Exstat in occidentali latere Ecclesiæ S. Mariæ nuncupatæ *à Piazza*, in regione Furcillensi ejusdem urbis.

Bardorum bella invida hinc inde (11) vetusta
Ad lacrimas, Parthenope, cogit sæpe tuos.
Ortus, & Occasus norit, quo Sico regnavit,
Suadendo populos munera multa dabat.
Nam mox hìc recubans ut Principato refulsit,
Eosque perdomuit bellis, triumphis subdit.
Ut reor affatim, nullusque referre disertus
Enumerando viri facta decora potest.
Sic ubi Bardos agnobit edificasse Castellis
Acerræ, Atellæ (12) diruit, custodesque fugavit.
Concussa loca Sarnensis, incenditur Furclas
Cuncta letus depredans cum suis regreditur urbem.
Omnibus exclusis isto tantùm retinebit antro,
Me-

(1) Consulem tantùm inscripsi, quoniam pater ejus in hoc Tumulo, ipseque palam, & in Acrostichis sic est dictus.

(2) Etsi non minor ann. 26. adhuc tamen puer. Vide sup. pag. 230.

(3) Rex novæ Romæ Cæsarium prætulit suis civibus, qui Constantinopoli mitti olim consueverant ad regendum Ducatum; ut apud D. Greg. M. l. 2. Ind. 10. ep. 32. Constant. Porph. de Adm. Imp. c. 27. & alios, illumque patris Collegam instituit, & successorem. Tumuli verò auctor, nescio metro ne coactus, an quod discrimen vocabuli tunc non attenderetur, Regem dixit, quem recentiores Græci nisi Imperatorem non appellassent.

(4) Quin ipsemet Arichis sub vitæ finem in ann. 787. adhæserat Græcis, & in Carolum Mag. conspiraverat, postquam ab eo subactus fuerat: illorumque Missos uxor ejus ineunte an. 788. suscepit, quos Stephanus hujus Cæsarii pater Neapolim duxit solemni pompa, eadem cum iis consilia, sed re infecta, aliquandiu meditatus. Vide ep. 64. 88. & 92. Papæ Hadriani ad Carolum Magnum.

(5) Præmortua nimirum uxore, ut tradit Jo: Diac. Neap. & ante ann. 768. quod ex Anast. Bibl. liquet in Steph. III.

(6) Nam pater etsi Episcopus curam non dimiserat Ducatus.

(7) Diutiùs itaque mansit apud Arichim Cæsarius, cui datus est obses, ut puto, post ann. 774., quando fœdera inter eos fuere diuturniora, ipseque Arichis concessit *diaria*, &c. ut in Erch. num. 2. Sed & *dona obtulit in Ecclesia S. Januarii*, quod perhibet Joannes Diac. Neap. in Chron. Bella enim, de quibus Papa Hadr. ep. 65. ad Carol. Mag. si ad proximè subsequutos annos sint revocanda, statim sedata fuisse videntur.

(8) Nempe ann. 26. quod patet ex adnotatis ad lit. *d*; *Sex, quater, & binos*, non autem, ut alii edidere. Sex, quater, & binos, idest 12. Et sanè puero duodenni hæ competere non possunt laudes.

(9) Anno, & mense ferè decurso ab obitu Pr. Arichis, Christi scilicet 788.

(10) Hujus titulos retinui in Acrostichis demonstratos.

(11) Vetusta sanè, & lacrimosa, quippe Langobardi numquam Neapolim obtinuere, & ad Boni Ducis usque ætatem perpetuis ann. 200. & eò ampliùs illam bellis acriter exercuerant.

(12) Imperabat tunc Theophilus, sub quo res à Græcis præclarè in Langobardia, nimirum Cis-Tyberina, gestas, tradit Cedrenus pag. 429. At Neapolitanos mox succubuisse, ex Sicardi aperitur Capitulari.

Metium (1), *& annum brebe Ducatu gerens.*
Nam moriente eo, tellus magno concussa dolore,
Inde, vel inde pauper luxit, & ipse senex.
Sibi o quàm duris uxor cedit pectora palmis,
Subtili clamitans voce mori parata satìs.
Ululatu potiùs communia damna gementes,
Pax quia nostra cadit, sed decor ipse simul.
Loquax, vigilis, tantus habebatur ab omni,
Ut moriens Populi corda cremaret idem.
Eheu teneri quàm lacrimas patiuntur infantum
Clamitat, ic nobis paxque paborque fuit.

A *Turmatim* (2) *properant dibersi sexus & hetas,*
Funera de tanto voces ubique gemunt.
Dapsilis, & fortis, sapiens, facundus, & audax,
Pulcher erat specie, defensor ubique totus.
Virgo precipua, mater Dñi, posce benigna,
Ut sociare dignetur beatorum amœnis locis

XLVIII. hic vixit annos. Obiit die nona Mensis Januarii per (3) Indictione duodecima.

(1) Pro *Medium*, converso *d*, in *t*. Hinc autem liquet, vel Bonum non statim post obitum antecessoris, quem Stephanum faciunt, in Ducem evectum, vel ipsum Stephanum haud decessisse *Ind. VIII.* sive ann. 830., ut editus ejus Tumulus in aliis etiam depravatus præfert. At reliqua etiam omnis Series Neapolitanorum Ducum eodem hoc vexatur incommodo, perque certa annorum intervalla duci haud valet, cui antiquæ Chartulæ Neapoli datæ nullo esse præsidio probantur, sola cùm exprimant nomina, & tempora Græcorum Imperatorum: secus, ac in plurimis Chartulis observatum adparet Amalfitanis, & Cajetanis, quæ suorum Ducum prænotatæ nominibus fuere.

B (2) De more ex singulis regionibus urbis in Principum virorum morte populus per turmas ad planctum olim conveniebat; de quo vide me ad Falconem ann. 1127.

(3) Anno videlicet Chr. 834. ac sequenti post obitum Principis Siconis, biennio ante initum Capitulare Sicardi, descriptum pag. 256.

FINIS APPENDICIS.



EPITOME
CHRONICORUM CASINENSIUM
AUCTORE,
UT FERTUR,
ANASTASIO BIBLIOTHECARIO.
Nunc primùm edita è MStis Codicibus.

IN CHRONICON BREVE MONASTERII CASINENSIS.

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Constantinus Cajetanus Abbas Casinensis, inter Eruditos suo tempore celebris, multa e MStis Codicibus sibi pararat, quibus ad illustrandam Historiam, ac praecipue Monasticam, uteretur. Adservantur ista apud Patres Benedictinos Venetiis in amplissimo S. Georgii Coenobio, ejusque cultissima Bibliotheca. Licuit mihi ex eo penu & hoc Opusculum depromere. Si titulo credimus, ejus Auctor fuit *Anastasius senior Sanctae Romanae Ecclesiae Bibliothecarius* sub Stephano II. Papa, cujus etiam jussu haec literis mandata fuere. Stephanus autem Secundus, quem Tertium Baronius appellat, Romanam Cathedram ascendit anno 752. eamque tenuit ad annum usque 757. Quare Guilielmus Cave in Hist. Script. Eccles. ad annum 754. haec habet: *Anastasius Monachus Casinensis, sub Stephano III. Pontifice Romanae Ecclesiae Bibliothecarius, & quod volunt nonnulli, sed inani conjectura ducti, Cardinalis, claruit anno DCCLIV. Scripsit Historiam de Translatione partis Reliquiarum S. Benedicti, & Sororis ejus Scholasticae, quae in Bibliotheca Casinensi servatur. Exemplar etiam MS penes se habuisse testatur Arnoldus Wion Lign. Vit. Lib. 2. c. 8. pag. 177. Hujus quidem Anastasii nullus meminit Petrus Diaconus Libro de Viris Illustribus Casinensibus.* Cavaeo reponendum est, non inanem conjecturam esse, quae Anastasium hunc (dum non fictus sit Auctor) Cardinalitio titulo auget; ut enim nostris, ita & antiquis temporibus, qui Bibliothecarium S. Rom. Ecclesiae agebat, is fere semper, si non semper, Cardinalium quoque albo inscriptus erat. *Anastasius* autem *senior* ideo appellatus, ne quis illum confundat cum altero Anastasio, qui subsequenti Seculo post annum Christi 864. Bibliothecarii munere functus est Romae, nonnullisque Romanorum Pontificum Vitis, atque aliis Libris nomen sibi perenne quaesivit.

Sed, ut nihil dissimulem, sunt qui Anastasium hunc suspecti nominis, imo plane confictum Scriptorem habent. Diu inter Casinates Italos, & Floriacenses Gallos, agitata est, ac etiamnum viget celeberrima Quaestio, quiescantne in Casinensi Monasterio, an in Floriacensi, sacra S. Benedicti, & S. Scholasticae pignora. Hinc inde a dissidentibus patronis veterum suffragia congesta sunt, atque inter alios ab Arnaldo Wion laudatus est Anastasii Liber, de quo agimus. Attamen habes quod mirere. Neque Italis, neque Gallis Opusculum hoc probatur; quippe illi Leonem Marsicanum in Chronico Casinensi, ejusque continuatorem Petrum Diaconum sequuti, prorsus negant ullam Reliquiarum S. Benedicti Translationem factam ad Floriacense Monasterium. Galli contra & factam afferunt, Bedae, Pauli Diaconi, Adrevaldi, Aimoini, aliorumque veterum Scriptorum auctoritate nixi, & ipsas Reliquias ad Casinense Coenobium nunquam amplius relatas contendunt. Anastasius vero iste medius stat, ossa Viri sanctissimi in Gallias asportata scribens, eaque rursus tempore Stephani II. Papae Casinum delata. Clarissimus ergo Vir Johannes Mabillonius in Act. Sanct. Ord. S. Benedicti Sec. 2. pag. 337. Dissertatione peculiari pertractans Historiam Translationis corporum S. Benedicti, & S. Scholasticae in Galliam, Scriptorem hunc *Pseudo-Anastasium* appellat, & Bullas Pontificias ab eodem laudatas falsi inscribit. Tum num. 20. ejusdem Dissertationis haec habet: *Quis ergo, inquis, fictitiae illius Relationis auctor est, si non Anastasius Bibliothecarius? Istud sane aliis definiendum relinquimus. Quamquam si quis attente rem perpendat, in illa narratione quaedam cum Petri Diaconi ac Bibliothecarii Casinensis stilo, aetate, & genio convenire advertet.*

Equidem in controversiam tam arduam temere me non ingeram; Neque hujusmodi narrationem, neque Scriptoris nomen, legitima prorsus, ac germana praestare mihi est animus. Imo contra stat mihi, Scriptori, qui haec literis mandarit medio Seculo

Octavo, falso tribui hunc foetum. Attamen, quod est ad narrationem, & rem ipsam, addere liceat, vix me intelligere, cur tot vocibus in ipsam effundantur tum Casinates, tum Galli. Ad illos quod attinet, ex eorum Bibliotheca Liber prodit; ac proinde, ut veri videtur simile, a Casinate Monacho ista venire, ita difficile excogitare possumus, nisi vera fuisset, & Casini quoque credita Benedictini tumuli expilatio per Francos facta, Casinatem Monachum eam tamquam rem certam relaturum fuisse. Multoque minus eidem neganda fides, quum in hoc ei consentiant Paulus Warnefridi, Casinensis olim Monachus, Johannes VIII. Papa, & tot alia antiquorum testimonia, quae Mabillonius in laudata Dissertatione congessit. Rursus quod est ad Gallos, ipsi quoque meminerint, se in suis Historiis nonnihil habere, quod Casinensis Scriptoris narrationem, quod est ad rei substantiam, satis juvet. Scribit ille reportata tamdem Casinum Sanctissimi Abbatis Lipsana. At negare ne illi quidem possunt, Adrevaldo teste, Zachariam Romanum Pontificem, literis datis ad omnes Francorum Ecclesias, enixe curasse, ut Casinensi Coenobio restituerentur sublata S. Benedicti ossa. Praeterea ex eodem Adrevaldo, Ademaro, & aliis habemus, Carlomannum Casinensem Monachum, Pipini Regis Fratrem, in Franciam missum, *ut reportaret in Casinum corpus S. Benedicti*. Denique ex *Actis Episcoporum Rotomagensium*, ut Mabillonius ipse concedit in Annal. Benedict. ad annum Christi 750., constat, a Medone Abbate Floriacense aliquam saltem sacrarum Reliquiarum partem Casinatibus concessam, sive restitutam. Audiamus Adrevaldum in Relat. miracul. S. Benedic. cap. 17., ubi fatetur Abbatem Floriacensem Casinatibus *ex ejusdem pretiosissimi Confessoris corpore Reliquias benignissime contulisse*.

Ex his satis intelligimus, restituti sacri pignoris narrationem a Francorum monumentis non abludere, quum & similia utrobique habeantur in suffurandis sacris corporibus acta, & ab utrisque Carlomanni expeditio, & quidem cum Stephano II. Papa, in Gallias referatur, ut recuperarentur Casinatibus S. Benedicti ossa. Quod si Casinas Scriptor restituta quaeque scribit, Adrevaldus vero Floriacensis Reliquias tantum: cur veritatem nutare ab Itali tantum parte velis, quum non minus simulare potuerint Casinates, quam Franci dissimulare singula recuperata, pro suorum Coenobiorum honore? Accedit, quod ipsius Pauli Diaconi verba, a Gallis pro se prolata, innuere videntur, restituta Casinatibus sacra Corpora. Imo idem Paulus *in Homilia de S. Benedicto*, dum Casini degeret, scripta, auctor est, suis temporibus hominem mutum, & surdum usum linguae & aurium recepisse *ad sacratissimum Corpus S. Benedicti*. Mabillonius in Annal. Benedict. ad ann. 797. censet, id *sine dubio* intelligi de corpore Floriaci posito. At Paulus suos Casinates ibi alloquitur, & ipsos ejusdem miraculi testes appellat. Neque Casinates cum Floriacensibus versabantur. Leo etiam Ostiensis miraculum hoc ibi patratum disertissime scribit. Denique magnum momentum ad hujus rei elucidationem conferre poterit, quod nunc subdam. Paulus Diaconus Lib. 6. cap. 2. Hist. Langobard. omnium gravissimus testis est, vere expilata per Floriacenses ossa S. Benedicti fuisse, eaque in Gallias asportata. Id Paulus diserte affirmat, quamquam subsequentibus verbis, ut Angelus Nuceus contendit, affirmare rursus videatur, idem S. Benedicti Corpus Casini adhuc adservari. Ego locum Langobardicae Historiae in antiquissimo Codice MSto Ambrosianae Bibliothecae per Clarissimum & amicissimum Virum Josephum Antonium Saxium, ejusdem Bibliothecae Praefectum, attente considerandum curari. Rescripsit ille, in editis quidem Pauli libris legi: *Circa haec tempora cum in Castro Casino, ubi Beatissimi Benedicti sacrum corpus requiescebat* &c. at in Ambrosiano Codice legi: *ubi Beatissimi Benedicti sacrum corpus* REQUIESCIT. Si germana haec Pauli lectio est, vides, ipsum quidem fateri furtum, at simul innuere Restitutionem factam: quod & in Chronico nostro contenditur. Certe hujus unius vocis mutatio Paulum totum eripere Floriacensibus potest. Quod si restitutum sacrum illud Corpus Casino Paulus aperte non scribit, id factum, quia Langobardicam Historiam usque ad annum 754. minime ille perduxit. Si Librum perfecisset, fortassis & hoc ibi legeremus expressum. Quare suspenso quidem gradu procedendum est Eruditis in amplectenda Anastasiana hac narratione; sed & ab eadem rigide, atque omnino exsibilanda abstinendum fortassis est, quum Pauli Diaconi auctoritas re consentire cum hoc Scriptore videatur.

Dixi tamen narrationem hanc ab Anastasii illius aevo abhorrere, quando ipsum velimus haec scripsisse anno Christi 754. Nam occurrunt nonnulla, imo complura, quae recentioribus Seculis aptius conveniunt; qualia sunt intentata tam facile a Romanis Pontificibus Anathemata ipsis Francorum Regibus, quod Floriacenses, & Cenomanenses non cogerent reddere Reliquias sublatas. Praeterea illorum Regnis denunciatae Interdicti Ecclesiastici minae: qui mos tantum invaluit post millesimum annum a Christo nato, antea perquam rarus. Denique cum Seculo VIII. nullo pigmento componere possis Populorum *Lotharingorum* memoriam, quum constet, tunc igno-

ignotam terris hanc appellationem fuisse. Reliqua praetereo. Leo autem Marsicanus Cardinalis Ostiensis Lib. 2. cap. 44. Chronici Casinensis auctor est, Henricum I. Imperatorem Sanctum anno 1022. Casinum advenisse, ibique non uno miraculo certiorem factum, quod illic B. Benedicti Corpus veraciter requiesceret, *ubicumque postmodum scripturam Translationis ejusdem B. Patris reperire potuit, flammis exussisse*. Pergit dicere Marsicanus, optimum illum Augustum *ex ipsius falsae Translationis serie rationabiliter ostendisse, haec frivola esse, ac confictitia, dum sicut ibi refertur, unus idemque Angelus & illos hortabatur ad surripiendum, & Romanum Pontificem instigabat ad persequendum, rursumque illis insistebat ad fugiendum*. His verbis ne puta, Anastasianam narrationem Translationis impeti. Feriunt illa Adrevaldi, Aimoini, & reliquorum Floriacensium Historiam, ubi contraria haec prodigia legas, quae judiciosa sane censura Leo Marsicanus explodit. Itaque si in Libello, quem edimus, de Restitutionis negotio ficta & somniata legere tibi videris, ne ab hujusmodi quidem censura immunem se praestat Floriacensium Monachorum de Translatione assertio.

Quod restat, in eam pendeo sententiam, Historiam hanc a Casinate quopiam Monacho post Millesimum a Christo nato annum fuisse concinnatam. Vera ne is tradat, an mera figmenta dederit de reportatis ad Montem Casinum SS. Benedicti, & Scholasticae ossibus, in medio relinquo. Sed sive vera, sive falsa referat, narrationem suam ornasse, sive infucasse videtur miraculis, Bullis, & concionibus ad rei opportunitatem sero a se compositis. *Anastasii* vero *Bibliothecarii* inscriptionem ab alio potius, quam ab ipso, adjectam, ut major fides Historiae Translationis accederet, veri simile puto; quippe post ipsius Translationis seriem, quae sequuntur, nemo negabit, quin ab uno eodemque Scriptore procedant. Quei ergo se Anastasium, nempe Virum viventem anno Chr. 754. effingere se ille voluerit, aut potuerit, qui Historiam Casinensem ad tempora usque Bertharii Abbatis deducit, hoc est ad annum circiter 857.? Praeterea in plerisque cum Leonis Ostiensis Historia Chronicon istud graditur, ut conferentibus patebit. Attamen, qualiscumque sit hic foetus, certe antiquus, non ingratum Lectoribus reor, si in publicum diem efferatur, tum quod ad Historiam Casinensis Monasterii aliquid conferat, tum quod ad examen implicatissimae Quaestionis, ubi nunc conditum jaceat S. Benedicti Corpus, haec quoque sint adhibenda. Dixi, Opusculum hoc desinere in Bertharii Abbatis Vitam; sed suspicari jure possumus, non illic constitisse Scriptorem, ipsumque alia addidisse, quae temporis injuria exciderint.



EPITOME CHRONICORUM CASINENSIUM

JUSSU

SANCTISSIMI STEPHANI PAPÆ II.

CONSCRIPTA

AB ANASTASIO SENIORE

SEDIS APOSTOLICÆ BIBLIOTHECARIO.



Tempore Theodorici Regis Gothorũ apud Casinum castrum civitatis Heracleæ multis Beatissimus Benedictus coruscabat virtutibus: cui post beatos, & primos Apostolos nullus unquam extitit secundus. Hujus itaque Patris Benedicti Avus Justinianus: Pater Eupropius, Mater Abundantia, nutrix verò Cyrilla dictæ sunt.

Zeno autem Augustus cùm per 18. annos in nova Roma præfuisset, in eadem Urbe vitæ terminum accepit, Anastasiusque Purpuram induit, & cùm vigesimum septimum Imperii ageret annum, vi fulminis percussus interiit, ac Justinus Catholicus Augustali potitus est solio. Igitur cùm fama Patris Benedicti circumquaque

A volitans cuncta repleret, Tertullus Aureæ Urbis Patricius cum consanguineis suis Boëtio, Symmacho, Vitaliano, Gordiano, & Equitio, ascensis equis Casinum pervênit, & rogatus à Placido filio suo, obtulit Sanctissimo Patri Benedicto totum ex integro Casinum Montem cum universis pertinentiis suis, atque ex proprio jure illum abscindens, eidem Patri tradidit in perpetuum possidendum: ab omnium mortalium jure, & dominio eundem locum liberum perpetuò mansurum decernens. Obtulit etiam eidem Patri castra, possessiones, & villas, quæ sibi jure hereditario pertinebant, cum universis pertinentiis suis inter hos fines: Ab una parte fluvium Vulturnum; ab altera fluvium Ligulanum: à tertia fluvium Sacrum:
B à quarta Municipium Carseolanum. Pari modo Palatium suum in urbe Roma, in Cœlio Monte situm, eidem Patri concessit cum medietate de Lacu Lucrino: nec non & Insulam Caprariam in Salo Neapolitano locatam, & Portum Trajestensem, & Vulturnensem & totam Piscariam Lesin unà cum fauce sua, & fluvium Lauri, & tres Insulas Diomedis, ac Proastia, quæ habebat

A bat in Apulia, quorum nomina hæc ſunt: In Canuſia fundum Melitenſem, Podenſam, Villampertuſam, Campum Calienſem, Balolianum, Viculum, Miralanum, Plalanum, Campipaſtenam, Lacum Romanum. In Territorio Capuano fundum Patenarienſem, & Marcoranum. Nec non & res ſuas in Majella cum maſſis iſtis, Frate, Apontium, Pinne, Aſculum, Firmum, & Ciculanium. In Mari Adriatico Portum Veneris, Portum Salini, & Portum Maurini. In Liguria curtes has: Parſiceta, Adili, Montironem, Magalia, Franganellum, Campaldum, Laurentiacum, Argele, Ragguſula, Calderaria, Fraſſanetulam, Stratam petroſam, Pontem longum Berſili, Grennanum. In Salo B Cajetano Inſulas has: Pontiam, Pantereriam, Palmariam, & Portum Fluvii Gariliani.

Hunc imitatus ad bonum Equitius Senator, obtulit & ipſe eidem Patri fundum Gentiarium, Cellam S. Agapiti, & Curtem ſuam in Neapoli, in Surrento, in Bari, in Trani. Idipſum fecit & Gordianus Senator de Villa ſua Euchelia inter hos fines: Ab uno latere Silicem, & rivum: a ſecundo Campum Longum, & rivum, qui vadit per agrum de Macella Famelica, & fluvium Carnellum: ab altero à rivo Silvatici uſque in Silicem. Dedit etiam & fundum Granarium inter hos fines: ſicut incipit a Sancto Firmano, & vadit directè in Camarda, & inde in fluvium Melfia, inde in limitem ſub Granario, C & vadit ad montem S. Angeli. Nec non & fundum Reginæ inter hos fines. A primo latere Via Latina; a ſecundo Silicem; a tertio fluvium Melfia, & Viam Campaninam, Viam Porcaritiam, & vadit in foſſas, & mittit in Silicem.

Poſt hæc Tertullus Patricius, cupiens oblationem, quam Deo, & Sanctis ejus fecerat, Imperiali ſanctione roborare, novam Romam adiit, & orbis Monocratorem Juſtinum ſua auctoritate firmare obnixis precibus poſtulavit. Auguſtus autem Patricii ſui precibus inclinatus, cuncta, quæ Patri Benedicto ab eodem Patricio, & Gordiano, & Equitio conceſſa fuerant Caſinenſi Cœnobio in perpetuum ſem- D per habenda, Imperiali auctoritate firmavit. Et deinde Auguſtali munificentia eidem Patri in perpetuum tradidit poſſeſſiones has ſemper habendas: In Africa Villas has: Thamuſida, Abylle, Cobucle, & ſex Inſulas. In Mauritania Cæſarienſi Villas has: Lemnis, Artiſica, Camaruta, Gylba, Canemia, Caſtili, Caſecalbeati, Rungonia, Cuſi, Ruxaſſis, Coba, Paliamis, Tacatta, Thrabica, Memro. In Sardinia; Nibia, Portum Guidonis, Ferraria, Biora, Molazia; nec non & omnes portus Siciliæ cum XVIII. Curtibus, quarum nomina hæc ſunt. In Meſſana, modia terræ XXX. cum Portu ſuo. In Agrigento CCC. In Siracuſis CCCC. Juxta Catanenſium civitatem CL. In Tinnaride CL. In Drepanis IV. millia. In Aquis Sege- E ſtianis DCCCC. In Partenico DCCC. In Hiccara DC. In Panormo CCC. cum Portu ſuo. In Sounto XXX. In Thermis XXXX. In Cefalodo XV. millia. In Aleſo LVII. In Galcate CIX. In Agaliate CCL. In Agantino II. millia. In Azio XX. millia. Nec non etiam Villas, quæ ad jam dictas Curtes attinent, quarum nomina hæc ſunt. Juxta Siracuſam Villa Bidenſis, Centuriprinenſis, Halicienſis, Hymera, Soluntina, Heraclea, Hennenſis, Herbitenſis, Agirmenſis, Netrinenſis, Abitenſis, Murgentinenſis, Aſſorinenſis, Macarenſis, Ancnenia, Tuſſenſis, Ameſtra, Petrina, Calacina, Mutticenſis, Hyblenſis, Alintina, Apollonia, Pachinum, Agyra, Caputina, Aſſorbina, Florina, Letina, Giratarina, Acherina, Leontina, Plinphia, Hermellena, Helera, Paſilis, Licrella, Mamertina, Halintia, Iginna, Achardina, Tycherronitana, Neapolis, Pronnea, Gellenſis, Lilibenum, Tautaricupalma, Tauromenium, Naxum, Acyum, Laponia, Gelaſia, Peſilia, Gena, Allana, Aquenſis, Lanarium, Malatis, Aquisloridis, Lalveſiana, Nible, Agris, Acuſapre, Capitoniana, Philoſophiana, Lallonitana, Cornoviana, Dædalia, Plineis, Refugiodialis, Plaga Calviſiani, Plaga Meſopotami, Plaga Reoſmocymbi, Refugium Apollinis, Pytamana, Camiſiana, Petrina, Pirina, Logaria, Eliva, Aqua Porticiana. Confirmavit etiam res, quæ ab eodem Patricio Patri Benedicto in Marilla conceſſa fuerunt inter hos fines. Ab uno latere Cryptam Latronis ſub Monte Saracenico, & ſicut aſcendit in Stafilum, in vertice Montis Majelle, & vadit in Cryptam Latronis, inde in rivum Branum, & deſcendit ad Volubrum ſuper Eccleſiam S. Donati, & vadit in rivo Ficario, inde in rivo Flaſcicano, inde in Foſſa Luparia, inde in Roſontem, & vadit in Capitranam, & collem S. Januarii, & per foſſatum pergit in aquam nigram; inde aſcendit per Foſſatum ſub Sancto Vito in aquam Fraſiningam, & exinde aſcendit in Stafilum in vertice Montis Majelle. Pari etiam modo confirmavit eidem Servo Domini in perpetuum caſtrum Caſinum, caſtrum Fortunæ. Inter amniam Caricam, Aquiloniam, Sueſſam, Fundis, Cajetam, Minturnia, Formia, Atinam, Arpinam, Galaſiam, Suram, Albam, Aprimiam, Ariſtinam, Tranſaquas, Oretinium, Carſeolim, Thetyna, Sulmonium, Aufidenam, Iſernium, Venafrum, Bovianum, Calenum, Aquas vivas, Fabrateria, Aquinum cum Eccleſiis, Villis, Xenodochiis, Caſtris, Ptochotrophiis, Cacoſomiis, Brefotrophiis, Monaſteriis, Archimandritis, vel Archimandriſia habentibus cum portubus, aquis, aquarumve decurſibus, ſylvis, pedaticis, phociis, Eſononibus, Noſocomiis, omnia, & in omnibus Patri Benedicto in perpetuum conceſſit ſemper habendum, ab omni mortalium jure, & dominio cuncta libera manere decernens, ſolummodo ad P. Benedicti dominium reſpectum habeant, & à Romano Imperatore tuitionem, & defenſionem accipiant.

Idem verò Juſtinus cùm in utraque Roma per XI. annos Monocrator fuiſſet, ad extrema veniens, Juſtinianum Nepotem ſuum ad ſe evocans, eumque Monocratorem in utraque Roma conſtituens, dixit ad eum: quantùm noſtri Imperii Monarchiam rerum conditor exaltare gratuita pietate ſtuduerit, Patris Benedicti declarant indicia; qui noſtro potiſſimum tempore fulgens, miraculorum immenſitate, univerſum jam penè illuſtravit, ac decoravit orbem Romanum. Is enim præter vitæ meritum, præter legis doctrinam, præter pietatis immenſitatem, tanto virtutum jubare ſplenduit, ut jure & merito Sanctis, & Beatis Apoſtolis comparatione dignus habeatur. Ob quam rem ejus beatitudo apud noſtram Majeſtatem tam præcipuæ dilectionis, & venerationis locum obtinuit, & tanta familiaritate conjunctus extitit, ut inextricabilem in noſtro Auguſto, & à Deo conſervando Imperio, ſuam commendaverit, & perpetuaverit ſanctitatis meritis memoriam. Quem quia ob vitæ meritum, & proborum morum diſciplinam carum nimis ultra quàm dici poteſt, habui, inter alia negotia Imperii,

quæ

quæ vestræ dilectioni injungimus, hoc vobis mandantes contradimus, uti jam dicti P. Benedicti res orationibus committatis, & in Casinum Cœnobium ab ipso fundatum debitæ tuitionis, & dilectionis curam impendatis. His dictis diem clausit extremum. Justinianus verò post eum Monarchiam in utraque Roma adeptus, non solùm priorem Avunculi sui Justini in P. Benedictum dilectionem in eodem statu servare, sed etiam ampliare modis omnibus studuit. Augustus namque effectus propter amorem, quem in Patrem Benedictum habebat, concessit eidem Patri, & ejus Casinensi Cœnobio in perpetuum possidenda, quæ super annectimus; sed & insuper dedit in Africa juxta Carthaginem ad Monasterium construendum modia terræ XX. millia: In Cæsarea Mauritaniæ modia terræ XXX. millia, cum Villa Saldensi: Juxta Hipponem Regium modia terræ XX. millia: Villam Salaconiam, Frigulion, Banasam, Tili, Tingicoloniam, Septem fratrum, Villam Aquilæ, Tembilongam, Parietinam, unà cum sex Insulis, & Russader cum flumine Malna: In Provincia Cæsariensi Villas has: Camaratam, Chrispas, Castra Suorum, Quillam, Arsenosriam, Year, Cunroum, Lipanam, Ycosium, Rusubiscarim, Ruscaram, Rusassim, Maslubium, Pactianim, Matidiam, Culicitanim, Suducoum, Thbraccam, Membrum, Mocrim, Viposcianim, Sitifim, Unusam, Corbam, Thebestem, Marcymanim, Cyrtam, Macrim, Tatillim, Raridim, Caput Cilani, Aquis. In Sitifi, Horream, Tubusuttam, Alambesem, Tadutum, Gemellas, Lambesen, Alamasmam, Raraym, Dragonos, Caddaum, Suffasar, Taranamusam, Ygygilim, Asanum, Naragygaram, Taguram, Typatam, Wlvascruibiam, Bullaregiam, Membressam, Amurdasam, Sufetulam, Marazanim, Madasumam. In Provincia Bysacena, Uncam, Arsuram, Sufibum, Pupput, Vicum Augusti, Masclianim, Cilium, Cusdrum, Cliperim, Leptim, Gitim, Fisidam, Sabratam, Meidil, Bertem, Annasel, Ysiriam, Diodicam, Canothum, Lymnidem, Badraim. Juxta Alexandriam Villas has: Servorum, Limniadem, Papim, Vicundium, Aristeum, Cuticum, Agarlabam, Agytiam, Themetamen, Thrabunctim, Thinteos, Talaim, Merpen. In Ægypto: Riconorubram, Pelusium, Thimius, Chereum, Nitrinem, Nycium, Herpolim, Latum, Taphim, Daphnum, Afroditum, Vicum Judæorum. Juxta Damascum: Nemesam, Heriopolim. Juxta Antiochiam ad Monasterium construendum modia terræ XX. millia, Villam Sycamam. In Asia, Dablim, Viliopolim, Mylinum, Asponam, Nytallim, Safymam, Daim, Gabalam, Antirandum, & Insulam Tenedum. In Thracia, Patiticum, Libissam. In Pannonia, Cibalim, Antianim, Himasam, Balcum, Scarabantiam, Vindemonam, Arlapem, Yaciacum, Nimaniam, Artabindo. In Histria Teriestrem, Polam. In Epiro, Clodiam, Signidum, Heracleam. In Macedonia, Clodianim, Syrciam. Juxta Thessalonicam, ad Monasterium construendum, modia terræ X. millia, & Villam Amphipolim, Acutissimam. In Dalmatia, Pontem Ciluri, Biludium, Lausinium, Salluntum. Juxta Tripolim Africæ modia terræ DCCC. In Hispania juxta Tarraconam modia terræ XX. millia. Juxta Cordubam ad Monasterium construendum modia terræ XXX. millia. Juxta Barcinonam modia terræ X. millia. In Sardinia Villam Longon, Coclearíam, Turrim, Sarcapos, Sorabi-

A lem, Astim, Forum Trajani, Henulem, Mitem, Osam, Comnos, Ortocam, Metallam. In Corsica, Campum Leonis, Insulam Planusiam, Montem Christi. In Liguria, Fidentiolam, Cæsenam, Pisaurum, Trohontum. In Mari Adriatico Aternum cum portu suo. In Calabria, Gramentum, Summuranum, Nicoteram. In Lucania, Marcellianum, Vibonam, & medietatem Laci Lucrini. In Territorio Neapolitano, super illam medietatem, quam Tertullus Patricius dederat, constituit etiam, ut de Imperiali Fisco acciperet Casinensis Ecclesia pro concinnatione luminum, & indumentis Monachorum auri libras XXX. & pallia byssina; & ut nullum plateaticum, vel portaticum aliquando

B darent. Huic concessioni subscripsit idem Clementissimus Imperator Justinus Filius ejus, qui ei successit, Theodosius Augustus, Belissarius Patricius, Tiberius, Mauritius, Tiberius, Constantinus, Heraclius, Phocas, qui postea Imperium tenuerunt, Philippicus, Germanus, & Basilius Consules, Narsis Cubicularius, Longinus Præfectus, Venantius, & Liberius Patricii. Idem verò Justinianus ob coronationem suam à nova Roma egressus ad Auream Romam pervênit, & à Senatu, Populoque Romano susceptus, & in Augustali Solio collocatus, à Senatu Romano coronatus, Monocrator constituitur. Postquam autem Imperialia jura suscepit, ad reparandum Reipublicæ statum

C animum intendit. Primo itaque per Belissarium Patricium Persas bello aggressus est, qui transgressis Romanorum terminis, eorum regiones graviter populabantur. Hos Belissarius magnis prœliis obterens, Romanorum ditioni parêre coëgit. Ad Africam verò, quam multis habentibus annis Vandali possederant, Justinianus Imperator Belissarium cum exercitu misit; qui mox prœlio cum Vandalis commisso magnas eorum copias fudit, Regemque eorum Gelimerum vivum capiens ad novam Romam transmisit; Carthaginemque post annum suæ excessionis nonagesimum sextum recepit. Post hæc Justinianus Augustus eumdem Belissarium Patricium dirigit ad Italiam, de manibus Gothorum

D eripiendam, & sub Imperii jure reducendam. Hic ex Sicilia in Italiam veniens ad auream Urbem pervênit; quo ingresso, Gothi, qui in Urbe morabantur, nocte egressi, relictis præ timore patentibus portis Ravennam confugiunt, coactique Gothi exercitu cum Belissario confligunt, factaque magna strage Gothorum, residui cum Gutage Rege suo in fugam conversi sunt; quem Johannes Magister militum noctu fugientem insequens, vivum comprehendit, & ad auream Urbem ad Belissarium perduxit. Patratâ Belissarius victoriâ ad Orientalem Romam rediit, secum Gutagem Regem Gothorum captum deferens. Postmodum ad Africam adversùs Guintarich Belissarius mittitur, qui Vandalos rursus sollicitans, apud eos arripuerat

E Regnum. Belissarius verò ubi Africam attigit, Guintarich sub dolo pacis illico peremit, residuosque Vandalorum Reipublicæ jugo substravit. Victor exinde Belissarius ad auream Romam venit, & sic ad novam Romam rediit. Rursum itaque Gothi exercitum congregantes, auream Urbem circumdant. Elapsi sanè ex Urbe aliqui Senatorum, novam Romam properant, rem gestam Monocratori Justiniano per ordinem pandunt. Qui statim Narsim Eunuchum Cubicularium suum cum valida manu dirigit. Is ad Italiam veniens, magno cum Gothis certamine conflixit. Quibus ad internecio-

nem penè consumptis, Regem illorum Totilam interfecerunt, universamque Italiam ad aureæ Romæ jura reduxit. Justinianus autem Imperator cùm per XXXVIII. annos Romanorum Monarchiam obtinuisset, vitâ decessit, ac sepultus est in Orientali Roma. Et Justinus minor in Orientali Roma electus, & in aurea Roma in Augustali solio collocatus, & à Senatoribus coronatus, Romanorum Monarchiam regendam suscepit. Hic arcas ferreas fieri jussit, in quibus tributa congereret, postea verò amens effectus Tiberium Constantinum Imperatorem constituit, cùm idem Justinus annis XIII. Imperium tenuisset.

Sub Justiniano Imperatore Beatissimus P. Benedictus plenus signis, plenus prodigiis, feliciter migravit ad Dominum.

Tiberius autem Constantinus cùm in aurea Roma Monocrator effectus fuisset, Persas potentissimè debellavit, victorque regrediens, tantam molem prædæ detulit, ut humanæ crederetur vix posse sufficere cupiditati. Postquam verò Romanum Imperium septem annos tenuit, sentiens sibi imminere diem mortis, Mauritium genere Cappadocem virum strenuum ad Imperium elegit, ornatamque filiam suam Imperialibus ornamentis. Uxorem cum Imperio tradidit, sicque è vita decessit, magnum de sua morte luctum Romanis relinquens. Quo defuncto, Mauritius indutus purpurâ, diademate redimitus, ad Circum processit, acclamatisque sibi laudibus, sumpto exercitu, novam Romam egressus, ad auream Romam perrexit, & à Senatu Romano in Augustali solio coronatus Monocrator orbis constituitur, primus scilicet ex Græcorum genere. Hoc imperante, cùm jam ab Incarnatione Domini 568 annorum circulus volveretur, a Patris autem Benedicti tempore annus sextus, & vigesimus elaberetur, Narses Patricius, & Eunuchus, proditor, & hostis Romani Imperii factus, Italiam a jure Imperii subducens Langobardis tradidit; portus maris per gyrum Provinciæ destruens, terrâ, & lapidibus replevit; pontes diruit, & alter Judas effectus contra Imperium se præparare modis omnibus cœpit. Eo etiam tempore igneæ in cœlo acies visæ sunt, ipsum, qui postea fusus est, humani generis sanguinem coruscantes. Quo tempore castra, & civitates destructæ sunt, & Monasteria desolata.

Eo etiam tempore Zotto crudelissimus Dux Beneventanorum cum Longobardis nocturno tempore Casinum ingressus, eumdem locum in prædam, & direptionem dedit; sed neminem hominem illic tenere potuit; ut sermo venerabilis Benedicti impleretur, quem Theoprobo dixerat: *vix obtinere potui apud Deum omnipotentem, ut ex hoc loco mihi animæ concederentur*. Fugientes itaque ex eodem Cœnobio Fratres, Romam profecti sunt, & Librum Regulæ, quem Pater Benedictus manu sua scripserat, & pondus libræ panis, & mensuram vini, nec non & vestimenta, & calceamenta ejusdem Patris, ejusque Sororis secum ferentes, atque ex concessione S. Pelagii Papæ II. & Tiberii Mauritii Imperatoris juxta Lateranense Patriarchium Monasterium construxerunt ad honorem Sanctorum Johannis Baptistæ, & Evangelistæ, & Pancratii Martyris, duodecim Monachos unoquoque anno a Lateranensi Cœnobio ad Casinum ad P. Benedicti corpus custodiendum mittentes. Habitaverunt autem Fratres in Monasterio Lateranensi annis 185.

Post P. Benedictum hi Archimandritæ in Casinensi Cœnobio præfuerunt: Constantinus, Simplicius, Vitalis, & Bonitus. In Lateranensi verò Monasterio hi Archimandritæ fuerunt: Valentinianus, Gregorius, Theodorus, Johannes, Leo, Ursus, Agapitus, Leo II., Johannes II. Romanus, Theophilus, Adrianus. Sicut autem bipartitus ordo Abbatum, ita bipartitus est ordo Archimanditarum. Abbas est unius Cœnobii, vel unius Monasterii, & plurimorum Monachorum, ac plurimorum Cœnobiorum. Archimandrita verò unum, vel plures habet Abbates. Summus autem, & universalis Archimandrita, a quo omnes Abbates, & Monachi Regulam acceperunt.

Mauritius autem Imperator, postquam uno & viginti annis rexisset Imperium, cum filiis Theodosio, Tiberio, & Constantino a Phoca testratore Prisci Pabitii occiditur. Fuit autem utilis Romano Imperio, nam sæpe contra hostes dimicavit, & victoriam obtinuit. Hunni quoque, & Persæ ejus virtute devicti, & subjugati sunt.

Phocas igitur post Mauritii Imperatoris interitum Romanus Imperator factus, per octo annorum curricula principatus est. Ab hoc Phoca Cæsare S. Bonifacius, qui quartus a B. Gregorio Romanæ Urbis Episcopatum tenuit, impetravit donari Ecclesiæ Christi Templum Romæ, quod ab antiquis Pantheon antea vocabatur, quòd quasi omnium videretur esse Deorum. Unde eliminata omni spurcitia fecit ex eo Ecclesiam ad honorem Sanctæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ, & omnium Martyrum Christi, ut exclusa multitudine Dæmonum, multitudo ibi Sanctorum in memoria haberetur.

Eo etiam tempore Faustus B. Patris Benedicti discipulus, cum Simplicio socio suo à Glanafolio Casinum dum regrederetur, devênit ad Scutam Liguriæ civitatem, ibique à Domino terræ captus, & deprædatus cum Floriano Abbate Ardeadi filio, maximam partem corporis B. Mauri, quam secum ferebat, amisit. In quo loco Monasterium ad honorem B Mauri constructum, & jam dictæ Reliquiæ cum ingenti reverentia positæ sunt.

His porrò diebus Eleuterius Patricius in aurea Urbe Imperii jura sucepit; qui quodam tempore, dum à Ravenna ad auream Urbem veniret, in castro Luceolis à militibus interfectus est.

Contra Phocatem verò Imperatorem. Heraclianus, qui Africam regebat, rebellavit, atque cum exercitu veniens, eum Regno, vitaque privavit, Remquepublicam Romanam Heraclius filius ejus regendam suscepit. Hic Persas debellans, per sex annos vastavit, afflixit, incendit, subjugavit; demum victor regrediens, ordinato in Perside Rege, vitalis ligni partem, quæ à Persis de Hierusalem ablata fuerat, secum revexit, & loco suo restituit. Et ad auream Urbem veniens, partem ejusdem ligni in Monasterio Lateranensi locavit; & in Augustali solio Cæsareani Palatii a Senatoribus positus, & Diademate redimitus, Monocrator constitutus est. Imperavit autem Heraclius in utraque Roma annis XXX. Quo vitâ decedente Heraclianus filius ejus cum matre sua Martina Romani Imperii jura sucepit; tenuitque Imperium in utraque Roma duobus annis. Huic successit in Imperium Constantinus germanus ejusdem, alius filius Heraclii, imperavitq; mensibus sex. Hoc etiam mortuo, Constantinus, qui & Constans, ejusdem filius, Monocrator in utraque Roma effectus tenuit Imperium annis octo & viginti. Hic contra Langobardos, qui Italiam vasta-

vastabant, milites contrahens, ab Orientali Roma venit Athenas, indeque mare ingressus Tarentum applicuit; indeque egrediens, omnes Apuliæ Urbes diversis prœliis cœpit, & Luceriam opulentissimam Urbem expugnatam invadens diruit, & ad solum usque prostravit. Deinde cum omni Romanorum exercitu Beneventum circumdedit, & eam diversis machinis expugnare ardentissimè cœpit; cùmque Princeps se attritum perspiceret, Gysam sororem suam Imperatori obsidem tradens, pacem cum eo fecit. Et hic Imperator Neapolim abiit, hincque Romam perrexit: cui sexto ab Urbe milliario Vitalianus Papa cum Sacerdotibus, Senatu, Populoque Romano occurrit. Qui Augustus cùm ad B. Petri limina pervenisset, obtulit ibi pallium auro textile; & manens apud auream Urbem diebus duodecim, omnia, quæ fuerunt ex ære antiquitus instituta in ornamentum civitatis, deposuit, in tantum, ut etiam Basilicam B. Mariæ, quæ aliquando Pantheon vocabatur, discooperiret, tegulasque æreas deauratas exinde auferens simul cum omnibus aliis ornamentis de aurea Urbe sublatis, ad novam Romam transmitteret.

Eo etiam tempore quidam Sarabaita Aygulfus nomine cum suis complicibus Casinum adveniens, dum cum Fratribus, quos ibi invenit, se manere simularet, effracto a latere P. Benedicti, ejusque Sororis sepulcro, abstulit ferè dimidiam partem sanctorum ossium occultè, & fugam iniit. Nocte autem adveniente Angelus Domini Vitaliano apparens dixit: Hæc mandat tibi rerum omnium Conditor Deus: Scio opera tua, & studium tuum, & viam tuam novi; plus enim studes in rebus transitoriis, & caducis, quàm in restauratione Ecclesiarum. Quapropter noveris Aurelianenses, & Cęnomanenses Casinum venisse, & amantissimi Domini Benedicti, ejusque Sororis sepulcrum violasse, & partem Sanctorum artuum inde abstulisse, & nunc secum in Franciam asportare. Nunc itaque surgens lictores ad comprehendendum illos transmitte, sanctasque sublatas Reliquias in pristino sepulcro condendas Casinum remitte. Pontifex autem evigilans lictores ad illos comprehendendos usque ad Montem Bardonis direxit; sed invenire non potuit. Nam utpote viri dolosi per devia quæque, & anfractus incedentes ibant. Agebatur namque hoc dispositione occulti judicii Dei, qui jam dictas Reliquias non per Papam Vitalianum, sed per Carlomannum Regem Francorum, & Patricium Romanorum, ac Monachum Casinensem, necnon Pipinum fratrem ejus, & Stephanum Papam Secundum reducere disposuerat. At Pontifex ubi jam dictos latrones Franciam rediisse comperit, Episcopos vicinarum Urbium ad se evocans, consedentibus Episcopis, & Presbyteris, adstantibus quoque Diaconibus, & Clero universo, Aurelianenses, & Cęnomanenses, nisi resipiscerent, à liminibus Ecclesiæ separavit, faciensque exemplaria, per totam Hesperiam disseminavit. Ad Monachos verò Floriacenses quindecim ferè milliaribus ab Urbe Aurelianensi distantes, qui sanctas Reliquias retinebant, per Theodorum, & Johannem Cantores Ecclesiæ, istiusmodi direxit Epistolam.

Vitalianus Episcopus Servus Servorum Dei. Heremitis in Floriacensi Cœnobio commorantibus, eorumque Cynocephalo Mumulo, non Abbati, quod dignum, & justum est. Audivimus, quòd sinè gravi dolore loqui non possumus, quemdam vestri Cœnobii gyrovagum Aygulfum nomine, suggestione

A *diabolica Casinum venisse, & effracto B. Benedicti Sepulcro ejus Reliquias diminuisse. De quo facto gravi animadversione Vos, & Monasterium vestrum plectendos cum eodem gyrovago judicavimus nisi & vos, & locum vestrum paterno affectu diligeremus. Faciliùs enim pateremur Casinensis Cœnobii possessiones in prædam, & direptionem dari, quàm S. P. Benedicti lipsanum ab aliquo violari. Ob quam rem vestræ Universitati ex parte Dei Omnipotentis, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum, & septem Universalium Conciliorum præcipiendo mandamus: Ut ad cor redeuntes, & Sanctis Apostolis Petro, & Paulo, & B. Benedicto satisfacientes, ad nos cum jam dictis Sacrosanctis Reliquiis veniatis, & de*
B *perpetrata nequitia cum jam dictis sacrilegiis veniam postuletis. Sin autem, & Vos, & locum vestrum, & eumdem sacrilegum cum commanipularibus suis a Sanctæ Matris Ecclesiæ gremio separantes, perpetuæ, & indissolubilis maledictionis, & anathematis vinculo innodamus, & à Regno Dei alienamus, & cum Diabolo, & ejus atrocissimis pompis, & Juda D. N. Jesu Christi traditore, æterno supplicio, æternæque maledictioni deputamus. Pari etiam innodationis vinculo obligetur, quicumque Vos, & locum vestrum solvere præsumpserit à nexu excommunicationis absque digno emendationis, & pœnitentiæ fructu. Datum quinto Kal. Aug.*

C Aliam etiam direxit Clodovœo filio Dagoberti Regi Francorum in hæc verba. *Vitalianus Episcopus Servus Servorum Dei. Clodovœo Regi Francorum, si filius obedientiæ fuerit, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Sancti, & magni Nicęni Concilii præcepta secuti, quæ jubent, Regularem Epistolam per unamquamque Provinciam mitti, ne hi, qui abjiciuntur, ab aliis recipiantur, Serenitati Vestræ notum facimus, Aurelianenses, & Cęnomannenses, ac Monasterium Floriacense cum omnibus sequacibus illorum à liminibus Ecclesiæ separatos, & indissolubili anathematis vinculo innodatos: quoniam Ecclesiam B. Benedicti, ejusque Sepulcrum in castro Casino situm violare conati sunt, & Sanctas Reliquias post nostrum interdictum retinere conantur,*
D *contra Apostolicæ Sedis statuta, & interdictum, & totius Sanctæ Synodi sententiam, quam missis per singulas Provincias literis notam Vobis omnibus fecimus. Excommunicamus igitur pro superiùs dictis Reliquiis omnes jam dictos, & falsum Abbatem Strumbolum, non Mummolum, & Aygulfum filium Satanæ cum suis fautoribus, donec sanctas Reliquias ad Urbem Romam reducant, & de perpetrata nequitia, secundùm statuta Canonum, pœnitentiam sumant. Quapropter vestram à Deo conservandam Clementiam obnixa prece rogamus, & ex Dei Omnipotentis, & Apostolorum Petri, & Pauli, & Benedicti parte præcipimus: ut jam dictos latrones ad justitiam Sedis Apostolicæ faciendam constringatis. Sin autem, & Vos, & illos perpetuæ maledictionis anathemate damnamus. Datum die Kalendarum Novembrium.*
E
Supradicti igitur Missi Sedis Apostolicæ ad Regem Dagobertum venientes, honorificè suscepti sunt, contradentes ei sacram Pontificis. Clodovœus itaque Rex cum suis Concilio habito, Apocrisarios Summi Pontificis Aurelianis, & Cęnomaniis direxit, mandans, & ex Regali auctoritate præcipiens, ut jussionem Pontificis in omnibus adimplerent. Sed Sathanæ perfidiâ inebriati, Deum in Pontifice, & Regem contempserunt. Munera etiam eis dare, ut Sanctas Reliquias redderent, idem Sanctus Pontifex voluit multa; sed illi mente

turgida, neque Pontificis monitis obedire, neque sancta patrocinia reddere voluerunt. Unde nimis idem Sanctus doluit Pontifex, sesequé contulit spei Divinæ, & ante jam faros latrones indissolubilis anathematis vinculo innodavit, præfatumque gyrovagum a S. Matris Ecclesiæ gremio separans Dei commisit judicio. Sed non post multum tempus dignas scelerum suorum pœnas luit: nam à quodam Nobili Viro propter furta, & latrocinia captus, minutatim concisus est, talique modo ebibit illum Infernus. Prædictus verò Pontifex post hæc Apocrisarios in Galliam destinans universis Episcopis, & Abbatibus per Galliam, Britanniam, Hispaniam, atque Burgundiam destinavit Epistolam continentem ita:

Vitalianus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis in Christo Fratribus, & Filiis Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus in Hispania, Bætica, Lusitanica, Galicia, Aquitania, Britannia, Germania, Gallia Belgica, Gallia Togata, Gallia Cisalpina, Gallia Transalpina, & Gallia Transcampana constitutis, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Vestræ Universitati per præsentia scripta notum esse volumus, Mumolum Hæreticum, & Floriacenses, olim quidem Monachos, nunc verò Sarabaitas, gyrovagos, ac primogenitos Sathanæ, ea, quæ carnis sunt, sequi, & tenere doctrinam Balaam filii Beor; furta, latrocinia, commessationes, & ebrietates, & lenocinia diligere, & in violatione sepulcrorum operam dare. Ob quam rem scitote illos indissolubili anathematis vinculo esse damnatos, & a Regno Dei alienatos, & cum Diabolo, & ejus atrocissimis pompis, & Juda Jesu Christi Domini nostri traditore esse sociatos, nisi fortè Patris Benedicti, ejusque Sororis Reliquias; quas nequiter abstulerunt, in nostram præsentiam, Casinum reportandas, Romam reduxerint, & de tanta nequitia, & sacrilegio dignam pœnitentiam gesserint. Quapropter ex parte Dei Omnipotentis, ex Apostolorum Petri, & Pauli, vestræ Universitati mandamus, ut Floriacenses, Aurelianenses, & Cenomannenses pro excommunicatis habeatis, & illos ante nostram præsentiam cum sanctis Reliquiis venire cogatis. Quo autem termino ante nos venire debeant, vestris literis insinuate. Quicquid verò exinde statueritis, dilecti Filii nostri Clodovœi Regis erit, his etiam renitentibus, adimplere. Datum Romæ 17. Kal. Augusti.

Constantinus autem Imperator postquam Auream Urbem ornatu suo exspoliavit, Neapolim rediens, terreno itinere perrexit Regium Calabriæ civitatem, ingressusque Siciliam, dum se in balneo Daphne, quod est in civitate Syracusana, lavaret, ab Eunuchis occisus est; & Megentius sumpsit Imperium. Contra quem Romani ab Aurea Urbe venientes, in Syracusa eum vitâ privarunt; multique ex Judicibus ejus detruncati ad novam Romam transmissi sunt. Imperiumque Romanum Constantinus Constantis Augusti filius regendum suscepit, tenuitque XVIII. annos. Post hunc Justinianus filius ejus in utraque Roma Monocrator effectus per X. annos strenuè gubernavit. Hic Africam, quam Saraceni ceperant, sub Romanorum jura reduxit.

Contra hunc Justinianum Leo Augustalem dignitatem arripiens, eum Regno privavit, Regnumque Romanorum tribus annis regens invasit, Justinianumque exulem in Ponto servavit: Rursusque Tiberius contra Leonem insurgens Romanum invasit Imperium, eumque toto, quo ipse imperavit, tempore, in nova Roma in custodia habuit. At verò Justinianus, qui amisso Principatu in Ponto custodiebatur Imperium rursus recipiens, eos, qui se expulerant, Patricios occidit, Leonemque, & Tiberium, qui locum ejus usurpaverant, cepit, & in medio Circi coram omni populo jugulari fecit: Gallinicum verò Patriarcham novæ Romæ, qui contra eum conjuraverat, erutis oculis ad Auream Urbem transmisit. Contra hunc Philippicus veniens, duodecimo milliario a nova Roma cum eo pugnavit, vicit, occîdit, talique modo Romani Imperii solium Philippicus, qui & Bardus, adeptus est. Imperavit autem Justinianus annos undecim, & ejectus est: Leo annis tribus: Tiberius, qui & Absymanus, annos septem: rursumque Justinianus annos sex. At Philippicus, qui & Bardus, cùm annum unum & sex menses Imperium tenuisset, contra eum Anastasius, qui & Arthemius dictus est, insurgens, eum Imperio expulit, oculisque privavit, nec tamen occîdit, & Imperii summam in utraque Romam accepit. Post hæc Romani Theodosium eligentes, coactum in solio Imperiali confirmant. Hic Theodosius Imperator apud Nicæam Urbem Anastasium gravi prœlio vicit, datoque sibi juramento eum Clericum fieri, ac Presbyterum fecit ordinari. Inter hæc defuncto Theodosio Imperatore, qui uno solummodo Imperium rexerat anno, ejus in loco Leo Augustus cognomento Isaurus in utraque Roma Monocrator substituitur.

Vitalianus autem Papa, ut ad rem redeam, postquam præsentiæ Domini redditus est, cùm Aurelianenses, Floriacenses, & Cenomannenses propter P. Benedicti Reliquias à Deodato, & Agathone Romanis Pontificibus excommunicati fuissent: Leo Papa Sanctissimus, cognomento Sermocinarius, per Abundantium Paternensem, Johannem Regitanum, & Johannem Portuensem Episcopos, Theodorum, & Georgium Presbyteros, Johannem Cardinalem Diaconum, & Constantinum Subdiaconum, direxit literas ad Childebertum Regem Francorum, continentes ita.

Leo Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto in Christo Filio Childeberto Regi Francorum salutem, & Apostolicam Benedictionem. Dum nos Regnum vestrum paterna pietate, & mansuetudine toleramus, ipsi in derisum patientiam nostram exhibentes, nihil eorum, quæ præcipimus, satagitis implere. Insuper etiam ad Apostolicæ Sedis injuriam, ac contemptum, Reliquias furto sublatas reddere noluistis. Præcipimus ergo, nisi iram vultis experiri Apostolicam, ut omni occasione, vel dissimulatione postposita Sanctas Reliquias, quæ per vestros latrones de Casinensi Ecclesia furto sunt substractæ, absque aliqua diminutione eidem Ecclesiæ restitui faciatis. Sin autem ulteriùs contemptores extiteritis, & mandatum Apostolicum infra XX. dies post acceptas literas non adimplere satagitis, ex tunc, & deinceps nos in omni Regno Francorum Divina Officia interdicimus. Epicuro verò Floriacensi omnem Monasterii prælationem auctoritate Apostolica prohibemus, quo ad usque præfatam restitutionem cum integritate adimpleant, & Romanæ Ecclesiæ de contemptu, & illa injuria plenariè satisfaciant. Datum XIV. Kal. Septembris.

Abbates verò Floriacenses, Aurelianenses, & Cenomannenses, ubi ex toto Romanam Ecclesiam sibi infensam, resistentem, & contradicentem viderunt, ad Simonis arma recurrunt, peccata opportunè importunè distribuunt, & se nullo pacto, nulla ratione voluntatem Romanæ

næ Ecclesiæ implere fatentur. Igitur cùm jam dictus Pontifex præsentiæ Domini redditus est, Cęnomannenses, Aurelianenses, & Floriacenses à Romanis Pontificibus, qui ei unus post alterum successerunt, Benedicto videlicet, Johanne, Conone, Sergio, Johanne Secundo, Johanne Tertio, Sysinnio, Gregorio, Gregorio, & Zacharia propter Sanctas Reliquias excommunicati sunt. Inter quos & Sanctus Papa Constantinus, natione Syrus, Chilperico Regi Francorum, per Toycentum Episcopum Sylvæ Candidæ, & Georgium Portuensem Episcopum, Michaëlem, Paulum, & Georgium Presbyteros, & Gregorium Cardinalem Diaconum in hæc verba direxit epistolam.

B *Constantinus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto in Christo Filio Chilperico Regi Francorum, si tamen filius obedientiæ fuerit, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Quantò majori patientia Romana Ecclesia Regnum vestrum sustinet, tantò abundantiori superbia, & extollentia elevamini contra Canonum sanctionem. Totiens quippe ab Antecessoribus nostris commoniti, non solùm inobedientes extitistis, verùm inobedientiæ pertinaciam addidistis. Pro tanta itaque insolentia, nisi Sanctæ Reliquiæ P. Benedicti, ejusque Sororis, nobis redditæ fuerint, omnia Divina in Regno vestro Officia interdicimus, & sicut Aurelianenses, & Cęnomannenses, perpetuæ maledictionis anathemate condemnamus. Quòd si & ipse Apostolici mandati contemptor esse volueris, qui hujus superbiæ defensor esse comprobaris, nos Ecclesiasticæ justitiæ vigorem pro te dimittere non volentes, in personam vestram post XX. dierum spatium anathematis gladium intentamus. Datum XVII. Kalen. Decembris.*

C Idem verò Pontifex corpus terræ, Cœlo animam reddidit, Aurelianenses, Floriacenses, & Cęnomannenses a cœtu Fidelium dimittens exortes. Nam omnes Pontifices, qui ei in Sede Apostolica successerunt, ejus viam secuti, eosdem Sacrilegos a liminibus Ecclesiæ separaverunt per annos ferè LXVIII. & menses IX., ac dies IV. usque ad tempora Stephani Secundi.

D Sed cùm Gregorio II. Gregorius III. natione Syrus successisset. Zelo Sanctæ Religionis permotus, Synodali Decreto cum Sacerdotali Conventu coram Sacrosancta Confessione Sacratissimi Corporis B. Petri Apostolorum Principis, residentibus cum eodem Summo & Venerabili Papa Antonino Gradensi Archiepiscopo, nec non Johanne Ravennatensi Archiepiscopo, & aliis XCIII. Episcopis, seu Presbyteris Sanctæ Apostolicæ Sedis; astantibus quoque Diaconibus, & cuncto Clero, & nobilissimis etiam Consulibus, & omni Romano Populo, statutum est.

E Ut si Aurelianenses, & Cęnomannenses Sanctas Reliquias, quas eatenus retinuerant, red dere contemnerent, essent exortes a Corpore, & Sanguine Christi, & totius Ecclesiæ unitate, atque compage. Post peractum igitur hoc constitutum, misit scripta commonitoria pro requirendis Sacrosanctis Reliquiis, quæ similiter, ut reliquorum Antecessorum suorum contempta sunt.

Cùm autem Omnipotens Deus censuisset Casinense Cœnobium miseratione sua potentissima per Benedicti Patris, ejusque Sororis Reliquias in pristinum statum reducere, & Cœnobialem institutionem, quæ inde principium sumpserat, per orbem Romanum propagare: contigit, ut Petronax Vir Religiosus, Civis Brixianæ Urbis, divino afflatus instinctu Romam veniret, cupiens Hierosolymam pergere; quem S. Gregorius III. Papa cœlitus inspiratus admonuit, ut Casinum castrum peteret, & eumdem locum in statum pristinum revocaret. Annuit Petronax, & nisi Sanctæ Reliquiæ redderentur, se iturum esse negavit. Tum Papa: In veritate, in veritate, in veritate, quæ Christus est, tibi promitto, quia Romana Ecclesia vobis jam dictas Reliquias restituet. Ad cujus promissiones Petronax vir Domini flexus, de Lateranensi Congregatione secum Fratres assumens, Casinum advênit, & eumdem locum in statum pristinum reparavit, & ibi usque ad finem vitæ sanctissimè, & religiosissimè vixit. Idem verò Sanctissimus Vir Petronax Hermoaldum Casinensem Monachum cum aliis duodecim evocans direxit in Liguriam juxta Civitatem Brixianam in loco, qui vocatur ad Leones, ibique Monasterium idem Hermoaldus ad honorem Patris Benedicti construens inibi per annos triginta, & eò amplius vixit.

Igitur dum aurea Urbs à Liutprando Rege Longobardorum infestaretur, Vir Domini Gregorius Sacras Claves ex Confessione B. Petri Apostoli accipiens ad Neustrofranciā direxit Carolo sagacissimo Viro, cognomento Tutadi, qui tunc Regnum regebat Francorum, navali itinere per Anastasium Sanctissimum Episcopum, & Sergium Presbyterum, postulans, ut à tanta oppressione Langobardorum auream Urbem, & Rempublicam liberaret; & Casinensi Cœnobio P. Benedicti, ejusque Sororis Reliquias redderet. Quis autem hic Carolus fuerit, vel unde Reges Francorum processerint, dignum videtur ad posterorum memoriam opusculo præsenti annectere.

Franci origine Trojani post eversionem Trojæ Priamo quodam Duce inde digressi, juxta Thraciam super ripas Danubii consederunt, ædificantesque ibi civitatem, vocaverunt eam Sicambriam ma seruntque ibidem usque ad tempora Valentiniani Imperatoris, a quo deinde repulsi, pro eo quòd tributa Romanis juxta morem cæterarum gentium solvere recusarent. Egressi inde, Marcomiro, Sunnone, & Generbando Ducibus venerunt, & habitaverunt circa ripas Rheni, in Confinio Germaniæ, & Alemanniæ. Quos cùm multis postmodum bellis idem Valentinianus attentasset, proprio eos nomine Francos, quasi feraneos, idest feroces appellavit. Quando verò de Troja Franci egressi sunt, in duos populos se dividentes, alii Francionem quemdam super se Regem levaverunt; alii nomine Turcum secuti sunt; atque ex eo duos populos sumpto nomine Francos, & Turcos, usque hodie vocant. Cum istis igitur a Troja, videlicet cum Marcomiro, Sunnone, Generbando sunt egressi a Sycambria; & hi quidem Duces fuerunt. Hi fuerunt Reges eorum: Faramundus, Clodio, Merovœus Hildericus, Clodovœus, qui Galliam ab Anastasio Imperatore cum Consulatu Romano accepit. Huic quatuor filii successerunt, Clotarius Suessionis, Childebertus Parisiis, Theodoricus Metis, Clodomirus Aurelianis. Theodorico verò successerunt Theodobertus, & Theobaldus: Clodomiro, Guntarius, Theobaldus, & Dodoaldus successerunt filii ejus, sed tamen Mona chia ad Clotharium revertitur. Huic successerunt quatuor filii ejus: Suessionis Chilpericus, qui Nerone pejor extitit; Clotharius Secundus, Dagobertus Primus. Huic successerunt duo filii, Sigebertus, qui Regnum Metis, & Austriam tenuit; Clodovœus, qui Neustriam, idest Franconiam

coniam possedit, sive Franciam, & Burgundiam; Childericus, qui Austrasiam, & Germaniam. Post hunc Fratres ejus Theodoricus II. Clodovœus III., Childebertus II., & Dagobertus II., Chilpericus II., Theodoricus III., Clotarius IV., Childericus II., Aurelianis Guntraunus; in Burgundia Theodoricus, & Sigobertus filius, quem Clotharius, & quinque fratres ejus secuti sunt. Post Childericum in Austria deficientibus Regibus, Duces nominari cœperunt, idest, Pipinus filius Bythildæ filiæ Lotharii, qui Pipinus genuit Arnulfum, Arnulfus Anchisen, Anchises Pipinum, Pipinus, ex Alphayde concubina, post repudiatam Byltrudem, genuit Carolum Martellum, qui omnes contudit. Et post eum filius ejus Pipinus, qui postea dejecto Ylderico, qui est Childericus, Rex est factus. Heic finita est successio Meringorum. Et hoc quoque notandum est, quòd inter Rhenum, & Mosam est Austria: Inter Mosam, & Ligerim Neustria, quasi nova Austria, quæ nunc Franconia, & Francia appellatur. At Carolus expleto sui temporis cursu sepultus est apud Sanctum Dionysium, relinquens filios tres Carlomannum Casinensem, Pipinum nanum, & Grifonem. Hic Grifo post Patris decessum natu primus regnare volens invitis fratribus, post multam discordiam, occiditur. Duo Fratres Carlomannus, & Pipinus Regnum inter se diviserunt. Hæc compendiosè scripsisse nullis sit onerosum. Nunc ad Historiæ ordinem redeamus.

Per idem tempus defuncto in Romana Ecclesia Gregorio Tertio Papa, Zacharias Sanctissimus natione Græcus in Apostolicam Sedem Pontifex subrogatur. Hic in Casinensi Cœnobio plura adjutoria contulit, Libros Sacræ Scripturæ, nec non & Librum Regulæ, quem P. Benedictus manu sua scripserat, pondus quoque libræ panis, & mensuram vini, & sacca cilicina P. Benedicti, ejusque Sororis indumenta, quæ fugientes è Casinensi Cœnobio Monachi secum Romam detulerant; retinuit & sibi velum Sanctæ Virginis Christi Scholasticæ.

Eo etiam tempore Carlomannus filius Caroli cognomento Martelli, Frater Pipini nani, præsentis vitæ relinquens gloriam, ac potestatem terrenam, intravit Italiam; cùmque in territorium....... devenisset, videns locum hilarem, & fervorum Dei usibus aptum, construxit Aguliense Monasterium, & sub jure, ac potestate Casinensis Monasterii submisit. In cujus occursum S Papa Zacharias adveniens, venit ad Montem Soracti, ubi parumper remorati, ad B. Petrum Apostolorum Principem cum Sanctis fidelibus Romam devotus advênit, sesèque eidem contulit Apostolico, atque in spirituali habitu sub Beatissimi Benedicti magisterio fore spondens permansurum, Clericus ab eodem Sancto Pontifice factus est anno decimo Regni sui expleto. Et inter alia multa dona, quæ obtulit B. Petro Apostolo ante Confessionem fecit arcum argenteum majorem pondere librarum septuaginta. Post aliquantulum tempus ad Casinense Monasterium P. Benedicti, situm in territorio Romano milliario octuagesimo, adveniens, sanctæ conversationis habitum accepit; in quo & suam vitam finire, & Sanctas Reliquias furto sublatas se redditurum jurejurando professus est, ibique cum omni humilitate sedulum Fratribus exhibebat officium, & qui ante purpuratus, contextisque vestibus ex auro, & gemmis incedebat, post, vili tectus tegmine pauper ipse pauperibus ministrabat; erat enim humilitate summus, innocentiâ magnus. Verùm quia, ut ait Apostolus, *probate spiritus, si ex Deo sunt*, Petronax Abbas, ut experimento ejus cordis arcana cognosceret, tentavit ei curam paucarum pecorum, quas habebat, injungere. Cùmque ad pastum per multos dies illas duceret, & reduceret, quadam die incidit in Latrones, qui cùm super eum irruissent, Carlomannus ait: Quod vultis de me facere, facite: tantum ne oves mihi commissas tollere pertentetis. Latrones autē Carlomannum funditus exspoliantes cœperunt abire. Carlomannus autem pudendorum suorum nuditatem non ferens, super Latrones irruit, illosque in terram prosternens femoralia sua abstulit, cætera verò vestimenta eis reliquit. Igitur dum ad Casinum Carlomannus cum ovibus sibi creditis nudus rediisset, & Abbati rem, quæ acciderat, indicasset: Abbas, ut experimento ejus humilitatem agnosceret, increpare eum vehementissimè cœpit, cur femoralia sua recuperare præsumpsisset, illud Evangelii ei objiciens. *Qui te percusserit in unam maxillam præbe ei & alteram; auferenti tunicam dimitte & pallium*. Tum Carlomannus nihil aliud nisi peccasse se respondebat. Jubetur ergo vestiri, & ad commissam obedientiam remitti. Quadam verò die dum ad Monasterium cum ovibus sibi commissis redire satageret, una earum claudicare ægerrimè cœpit. Videns igitur Carlomannus se ad Casinum horâ constitutâ non posse reverti, ovem in humero suo imponens, eam usque Casinum reduxit; sed antequam rediret, perfundi eum ovis lotio contigit; quam rem Carlomannus adeò patientissimè tulit, ut nec oviculam ob hoc de collo deposuerit, nec alicui verbum ex hoc aliquod dixerit. Quod dum Abbati ab his, qui viderant, nunciatum fuisset, verè spiritum Dei in eo esse perpendens, præcepit eum ab obedientia ipsa quiescere, & juxta Ecclesiam, prout sciebat, hortum excolere. Sed quid de ejus humilitate dicam? cum tribus vicibus à servis Monasterii verberatus sit, qui coquinam administrabant, tempore scilicet illo, quo juxta P. Benedicti præceptum in ordine vicis suę hebdomadam coquinæ Fratribus procurabat; & numquam aliquando alicui verbum aliquod dixit, nisi istud tantum: Parcat tibi Deus, & Frater Carlomannus.

His porrò temporibus Rachis Rex Longobardorum Regiam dignitatem cœlestis Regni amori postponens, cum Uxore Thasia, & Filia Ratruda ad Beati Petri Apostolorum Principis limina satis devotus advênit, acceptâque à Sanctissimo Papa oratione, Clericus effectus, cum Uxore, & Filia Casinum advênit. Extat usque ad hodiernum diem vinea, satis Casinensi Monasterio vicina intra septa dicti Sacri Cœnobii, quæ ex ejus nomine appellatur, quam idem plantavit, & coluit. Uxor verò Thasia, & filia Ratruda sub districtissima conversatione in Plumbariola vitam finierunt.

Idem verò Sanctus Papa Zacharias debitum naturæ persolvens, migravit ad Dominum; & Stephanus Sanctissimus, ac Beatissimus Casinensis Cœnobii Sol splendidissimus in Apostolicam Sedem Pontifex subrogatur. Hic, juxta tenorem Prædecessorum suorum Gregorii II. ac Gregorii III. & Zachariæ, qui Carolo Excellentissimo Regi Francorum suos direxerant nuncios, petentes, ut Aurelianenses, & Cenomannenses constringeret ad sanctas reddendas Reliquias, ita & ipse Venerabilis Pater divina gratia inspirante. Apostolicas literas per nuncios suos direxit Pipino nano Regi Francorum,

rum, quatenus jam dicta patrocinia reddi juberet. Inter hæc dum magna persecutio ab Aystulpho Rege Longobardorum in aurea Urbe, & in sibi subjacentibus civitatibus immineret, & vehemens ejusdem Regis sævitia esset, idem Beatissimus Papa tertio suæ Ordinationis mense direxit Paulum Diaconum germanum suum, & Ambrosium Primicerium cum pluribus muneribus ad Aystulphum Regem Longobardorum pacem per XL. annos efflagitans; quam cùm impetrare non potuisset, ad se Sanctum Petronacem Casinensem Abbatem evocans cum aliis quamplurimis Monachis ad eumdem Regem sua vice direxit, obnixè per eumdem Abbatem postulans pacis fœdera, & quietem utrarumque partium Populi Dei obtinere. Quem Aystulphus suscipiens, & omnino contemptui habens, ejus sprevit monita, & ad suæ animæ detrimentum sinè effectu ad Casinense Cœnobium remisit, obtestans eum minimè ad Sanctissimum Papam declinare. Quæ dum ad Sanctissimum Papam relata fuissent, subitò Dotringangus, ex parte Pipini Regis Francorum advênit, per quem misit in responsis, se omnem voluntatem Pontificis de sanctis Reliquiis, & de Exarchatu Ravennate impleturum; & postmodum alius Missus familiaris ejus venit, ea ipsa referens. Tunc idem Pontifex Nuncium suum ad Aystulphum Regem direxit pro sua, & qui cum eo erant, indemnitate. Ipsoque reverso, extemplo Missi Pipini Regis Francorum Chordingangus Episcopus, & Autharius Dux adveniunt, quatenus prædictum Sanctissimum Papam ad suum Regem deducerent, juxta quod petendo miserat. Tunc Sanctus Vir Carlomannum Casinensis Cœnobii Monachum cum aliis duodecim de eadem Congregatione Fratribus ad Patris Benedicti, ejusque Sororis Reliquias Casinum reducendas in Franciam secum ire præcepit. Nocte autem illa, quæ diem præcedebat, qua Nuncii Pontificis ad Casinum venturi erant, Sanctissimus Pater Benedictus unà cum Sorore sua Carlomanno apparens dixit ad eum: Surge, & de nostra Congregatione tecum Fratres assumens, prout ab omnium dominatore præfixum, & ordinatum est, Galliam perge, & ossa nostra ex hoc loco furtim sublata recipiens, ad hunc locum reducere, & in pristino sepulcro recondere stude; quia te largiflua omnipotentis clementia ad tantum negotium peragendum elegit. Increverunt enim peccata illorum ante Deum, & non est voluntas mea in eis. Nam ego, qui semper odio habui sacrilegia, & rapinas prohibui, quomodo umquam tantis sceleribus præberem assensum? vel qualiter voluntas mea poterit esse in illis, quorum Deus venter est, & sanctæ professionis habitus in confusione? qui gulæ voluptatibus, & illecebris serviunt, & ternis, vel quaternis diebus per diversorum cellas hospitantur. Adjungensque post hæc sanctus, Carlomanno dixit: non est mirandum, si refuga legis, & sentina nequitiæ, & radix perversitatis Aygulphus Sepulcrum meum infringens violavit, cùm caput omnium nostrûm se a Judæis teneri, flagellari, conspui, illudi, crucifigi permiserit, & sui Præcursoris sepulcrum a Paganis invadi, ossa incendi, & per rura, & per sylvas spargi permisit. Hæc dum sanctus dixisset, tenui se immiscuit auræ. Carlomannus autem manè veniens in Capitulum, Abbati, & Fratribus, quæ viderat, & audierat per ordinem pandit. Ipse autem omnem laborem pro Casinensi Ecclesia libenter amplectens, juxta quod Pontifex præceperat, ad eum cum duodecim Fratribus Romam pervênit anno Dominicæ Incarnationis 754. Indict. 7. Stephanus autem Sanctissimus Papa fidens de Omnipotentis Dei misericordia, Carlomannum cum Fratribus assumens secum, egressus a Romana Urbe ad Beatum Petrum Apostolum 14. Octob. Indictione 8. comitante se turba Romanorum, & cęterarum Urbium populis flentibus, & ejulantibus, ob id scilicet quia in infirmitate corporis detentus erat. Et commendans oves sibi creditas Deo, & Beato Petro Apostolo, cum jam dicto Carlomanno, & Proceribus Ecclesiæ, & cęteris Clericorum Ordinibus, nec non & ex militia optimatibus, Christo prævio, cœptum carpit iter, magnam illi cœli serenitatem Domino in ipso itinere tribuente. Igitur venientes ad quadragesimum milliarium a Longobardorum finibus, Autharius Dux præcedens Sanctum Pontificem, & Carlomannum, duxit Ticinum, ubi eos Rex præstolabatur. Venientes verò Ticinum, cùm Aystulphum Regem ad pacem flectere nequaquam valerent, unà cum Carlomanno, & Chrodigando Episcopo, Authario Duce, & Doctringango Abbate, Vulgario Episcopo Numentano, Gregorio Episcopo Hostiensi, Leone, Philippo, Georgio, & Stephano Presbyteris, Theophilacto Archidiacono, Ambrosio Primicerio, Bonifacio Secundario, Leone, & Christophoro Regionariis, quintodecimo die Novembris prædictæ octavæ Indictionis a civitate Papiæ moventes, suum in Franciam proficiscendi carpserunt iter. Sicque, cum nimia celeritate, Deo prævio, ad Francorum pervênit Clusas, & cœpto gradiens itinere ad Venerabile Monasterium Sancti Christi Mauritii (uti & constitutum erat pariter cum Rege Francorum Pipino conveniri) annuente Domino sospes cum omnibus, qui cum eo erant, advênit; in quo loco aliquantis demorantes diebus, Ambrosius Primicerius febre correptus defunctus est. Convenientes itaque in prædicto Monasterio, Folradus Abbas, & Rothardus Dux directi à Pipino Rege Francorum, petierunt eumdem Pontificem, & Carlomannum ad suum progredi Regem: quos cum magno honore cum omnibus, qui cum illis erant, ad eum deduxerunt. Audiens veró Rex jam dicti Pontificis, & Carlomanni sui dilectissimi Fratris adventum, festinanter in illorum venit occursum unà cum Bertrada Regina conjuge sua, & duobus filiis suis Carolo, & Carlomanno, & Primatibus, & non pauca millia in occursum ipsorum pergit cum aliquibus Optimatibus. Ipse verò in Palatio suo, in loco qui vocatur Panticone ad trium ferè millium spatium descendens de equo cum magna reverentia, unà cum Uxore, & filiis, & humilitate maxima terræ prostratus unà cum omnibus superiùs nominatis, eumdem Pontificem, & Carlomannum fratrem suum suscepit; sicque cum hymnis illos, & canticis usque ad Palatium suum deduxit, sexta jam mensis die, in Apparitionis Domini nostri Jesu Christi sacratissima solemnitate, ibique in Oratorio pariter considentes, mox ibidem Beatissimus Papa, & Carlomannus eumdem Regem cum lacrymis deprecati sunt, ut per pacis fœdera causam B. Petri, & Romanæ Ecclesiæ disponeret; & P. Benedicti, ejusque Sororis patrocinia, sicut per Chrodigandum Episcopum promiserat, redderet. Qui jurejurando unà cum filiis promisit se voluntatem Pontificis, & Carlomanni fratris sui in omnibus adimplere, & Exarchatum Ravennæ,

&

& Reipublicæ jura, & Sanctas Reliquias reddere: eo tamen tenore, ut sibi, & filiis suis Patriciatum aureæ Urbis concederet. Sed quia tempus imminebat hyemale, eumdem Pontificem cum Carlomanno, & omnibus, qui cum illo erant, in Parisium ad S. Dionysii Monasterium usque perduxit. In quo dum idem Rex Pipinus cum illis moraretur, Deo annuente, post aliquantos dies, die Kalendarum Augusti, idem Pipinus cum duobus filiis suis ab eodem Pontifice uncti sunt in Reges Francorum, & coronati sunt Patricii Romanorum. Idem verò Pontifex præ nimio labore itineris, & temporis inæqualitate in languorem gravissimum incidit, adeò ut de ejus vita omnes desperarent. Sed dum eum manè mortuum invenire sperarent, alia die virtute divina sanus effectus est. Pipinus autem Rex, juxta quod jurejurando Beatissimo Stephano Papæ, & Carlomanno fratri suo de Sanctis Reliquiis promiserat, omnes Duces, ac Proceres Regni sui vocans jussu jam dicti Stephani Papæ II. unà cum Carlomanno fratre suo, & duobus filiis suis, nec non Authario, & Rhotardo Ducibus, Audoëno quoque Rothomagensi Episcopo, quem Stephanus Papa in tanto negotio suum Vicarium miserat, Crodingango Episcopo, Vulgario Numentano Episcopo, Georgio Hostiensi Episcopo, Leone, Philippo, Georgio, & Stephano Presbyteris, Theofilacto Archidiacono, Bonifacio Secundicerio, Leone, & Christoforo Regionariis, Doctringango, Fulrado, & Gulfrado Abbatibus, Georgio Episcopo, Albuino, & Heterio Capellano, ac Notario, Aurelianis advênit. Horum itaque adventum, Carlomanni scilicet ac Pipini, Monachi de Monasterio Floriacensi dum agnovissent, dissoluta sunt extemplo viscera eorum, & conturbata corda, sanctasque B. Patris Benedicti quas nequiter, & indecenter tractaverant, Reliquias, de loco, in quo absconditæ erant auferentes, in alio loco occultaverunt, intra ambitum scilicet Ecclesiæ, ipsique Monasterium egredientes fugam arripuerunt. Cùmque Ecclesiam Carlomannus, & Pipinus cum exercitu Francorum, Lotharingorum, Alemannorum, Suevorum, & Burgundionum ingressi fuissent, & ea, quæ Monachi egerant, agnovissent, ultra modum accensi, fossores quamplurimos aggregantes, ac totam Ecclesiam altiùs eruderantes, quod desiderabant invenerunt. At Audoënus Rothomagensis Archiepiscopus dum Sanctas Reliquias non propter Casinensem Ecclesiam, sed propter lucra sua tollere vellet, subitò factæ sunt densissimæ tenebræ, ita ut alterum alter non videret, nullusque ad tangendas jam dictas Reliquias accedere poterat; stupebant enim nervi eorum. Tum Carlomannus ad fratrem suum Regem Pipinum conversus ait: Est, frater amantissime, ut video, fraus in negotio; quamobrem si vestræ Serenitati æquum videtur, promissionem Deo faciamus, ac Patri Benedicto, si Sanctas Reliquias hinc levari permiserit, nobisque in tanto negotio opitulatus fuerit, ut citiùs Casinum reportentur, & in suomet sepulcro cum aliis Reliquiis ibi dimissis recondantur: quia, ut video, Audoënus Rothomagensis Archiepiscopus avaritiæ face succensus, ad lucra sua, non ad proficuum Casinensis Ecclesiæ, laborat; & ut sua sint, concupiscit. Annuit Rex Pipinus, & prout suus frater Carlomannus dixerat, fecit. Necdum votum expleverant, & ecce lux intolerabilis super eos de cœlo descendit, & audita est vox de cœlo dicens: *Cur moras teritis? id propter quod venistis, perficite, quia Deus, & ejus amantissimus servus Benedictus, vobiscum est.* Audoënus autem Rothomagensis Archiepiscopus, qui vicem Stephani II. Papæ ibi fungebatur, roboratus, & animatus oraculo Patris Benedicti Reliquias inde elevans, Carlomanno Casinensis Cœnobii Monacho tradidit; quas ille suscipiens, & in pallio purpureo involvens, & sigillo Regali consignans cum fratre suo Rege Pipino, & omnibus, qui cum eo ad tantum negotium perficiendum à dicto Stephano Papa directi fuerant, similiter etiam Virginis Christi Scholasticæ patrocinia à Casino sublata inde elevans, cum fratris sui Benedicti Sanctuariis junxit, annulo similiter Regali consignans, Cęnomannis devênit. Cœptum itaque iter de die in diem accelerantes, cum ingenti gaudio, & lætitia ad Lutetiam Parisii remeantes, extra civitatem octavo die, postquam ab Aurelianis exierant, fixerunt tentoria, laudantes, & benedicentes Deum, qui Casinensi Ecclesiæ misereri dignatus est. Distat autem Aurelianis à Lutetia milliaribus LXXXVI.

Quanta autem signa, & prodigia facta sint, propter magnitudinem, & fastidium omissa sunt.

Construxit præterea Carlomannus ipse illo in territorio Bituricensi Monasterium in honorem B. Martini in loco, qui Matiacus dicitur; illudque Casinensi Cœnobio submittens, posuit ibi Caputium P. Benedicti factum ex villis nigris longitudinis trium unciarum. Ibi etiam non longè fecit Saccense Monasterium ad honorem B. Mariæ, & B. Benedicti, sub jure Casinensis Cœnobii. Similiter posuit ibi tabulam ferream, quæ fuerat inter Corpus B. Benedicti, & sororis ejus Scholasticæ. In quibus etiam Monasteriis idem Sanctus Domini manibus suis vineas plantavit, & unicuique viti palum ferreum affixit. Similiter etiam & in Senesa Liguriæ Ecclesiam SS. Mauri, & Juliani, Casinensi Cœnobio subdidit, prout ipse ab Aystulpho Rege acceperat.

Stephanus autem Sanctissimus Papa, audiens gloriosissimum Regem Pipinum dilectissimo fratri suo Carlomanno, Patris Benedicti, ejusque sororis Sanctas Reliquias reddidisse, cum lætitia ingenti profectus, direxit in occursum illorum omnes civitatem Lutetiam habitantes cum floribus, & palmis laudes Deo dicentes, & cum acclamatione earumdem laudum illas susceperunt clamantes: *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

His taliter prælibatis, Rex Pipinus unà cum Carlomanno fratre suo obnixè deprecari cœperunt eumdem Sanctissimum Papam, ut Aurelianenses, & Cęnomannenses propter jam dicta patrocinia excommunicatos per annos 68. & menses 8., & dies 4. à XV. Romanis Pontificibus Ecclesiæ matri restitueret. Stephanus autem Sanctissimus Papa Floriacensem Abbatem, & ejus Monachos ad se evocans dixit: Scitis, ad quid sint facta Monasteria, quæ sint Monachorum officia, & quæ Sanctorum præcepta? Ut igitur altiùs exordium sumam, hoc fuit principale propositum in illis, qui fuerunt auctores Monasteriorum, Ecclesias, & Claustra, in quibus amatores Dei, contemptores seculi absque omni tumultu possent manere quieti, condere. Hanc mentem habuit Antonius in Constitutione Monasteriorum. Illud idem senserat Pater Benedictus Sanctissimus, cui sacrilegi, perjuri, & proditores fuistis. Hoc senserunt

runt Maurus, & Placidus discipuli ejus. Hoc subsequens Monasticus cœtus. Quid autem vobis miseris prodest claustrum quæsisse quietis? Frustra pelagi tumultum evasistis, si patiamini tempestates in portu. Frustra oliva procedens ad fructificandum ramos produxit, si id quod assecuta fuerat, perdit. Frustra sanctæ professionis secretum claustrum petiistis, si otium, & quietem amittitis. Jam accepistis, ad quid sint Monasteria constituta: deinceps animadvertite, quæ sint Monachorum officia. Officium Monachi est, ut ait Hieronymus, cum timore adventum Domini expectare, sua, & aliorum peccata orando plangere, pro desiderio cœlestis Patriæ, & dilatione præmii lugere, & exemplo Mariæ à pedibus Domini, à quiete contemplationis nulla ratione discedere. Si igitur usurpet Marthæ ministerium, ut erga plurima se præbeat occupatam, non poterit suum exercere officium. Sed quid sit officium Monachi, ostenso, audite, quæ sit P. Benedicti jussio: In primis Dominum Deum diligere, ex toto corde, tota anima, & tota virtute; deinde proximum tuum tamquam te ipsum. Re enim vera dilexistis Deum, quando ejus Constitutiones evacuare tentastis. Deus Benedicto famulo suo promittit, quòd corporalis requies ejus in Casino in perpetuo esset habenda; & vos è contrario Benedictum de Casino corpore, & spiritu expellere tentavistis: Et proximum tuum tamquam te ipsum. Quam dilectionem in proximos, & magistros vestros, Monachos scilicet Casinenses ostendistis, qui sicut fures, perjuri, homicidæ, & sacrilegi Ecclesiam Casinensem expoliastis, Patris Benedicti sepulcrum fregistis, ejus ossa diminuistis, & quod Nero, ac Domitianus, Trajanus, & Antoninus, Severus, Valerianus, & Gallienus, Decius, & Valerianus, Diocletianus, & Maximianus in Christianos non commiserunt, vos in Benedictum, & ejus sororem exercuistis? Nonne sacrilegos, fures, perjuros, ac sepulcrorum violatores lex Divina, & humana condemnant? Nonne tales, juxta Pauli eloquium, judicaturus est arbiter omnium Deus? Jam verò de sceleratissima peccatorum sentina, & totius perversitatis, & nequitiæ radice Strumbulo, qui & Mummulo, quid dicam? Qui juxta nominis sui derivationem liquor fœtidus interpretatur, Mummia enim liquor fœtidus est, fluens de cadaveribus mortuorum. Qualiter Sathanæ filium Aygulphum commemorem, perversum, crudelem, sacrilegum, cruentum, nefandum, qui juxta nominis sui ethymologiam, Lupus subsannans, sivè deridens dicitur? Hi namque cum omnibus fautoribus suis corpore simul, & anima perierunt, qui in excommunicatione propter P. Benedicti Reliquias à quindecim Romanis Pontificibus facta mortui sunt. Dicite, rogo, quid vobis nocuit Benedictus? Nonne jurejurando promisistis ejus vos Regulam servaturos? Commisistis in Benedicto quòd Judæi commiserunt in capite Benedicti, qui injecerunt manus in eum; & juxta illud Davidicum *foderunt manus ejus, & pedes, & dinumeraverunt omnia ossa ejus*. Quod ipsum in Beato Benedicto fecistis, ossa illius dilacerantes, & sanctum pulverem de carnibus ejus factum immundis manibus contrectantes. Videtis, quia facta vestra similantur factis Judæorum. Judæi dederunt pecuniam, ut Christum tenerent: & vos obtentu avaritiæ pecuniam ad Benedicti sepulcrum inveniendum, confringendum, & ossa ejus dilaceranda, & dispergenda dedistis. Sed

A quid mirum, si tanta à falsis discipulis, sustinuit servus, quando à Juda est venundatus Dominus? Sequitur: Nudum vestire, dolentem consolari, à seculi actibus se facere alienum, honorare omnes homines, & quod quis fieri sibi non vult, alii ne faciat. Promisistis hoc jurejurando de Benedicti Regula vos servaturos. Videte, si observastis; videte si implevistis. In vobis, ut audio, Balaam, & Simon Magus, ac Nicolaus Antiochenus, & Ganimedes, sceptri Monarchiam obtinent. Et o utinam non essetis sub imagine Plani, & Apellæ, qui naturæ turpiter indixistis bella. Unde vobis ille Oratoris versiculus coaptandus est. *Atra notat vestis, quales intrinsecus estis*. Quid igitur erit
B de hoc? quid erit? Feram superbiam vestram? Feram perjuria? Feram sacrilegia? Feram contumaciam? Feram sepulcrorum violationem? Feram lenocinia? Non inquam per Viventem in secula. Vobis jure gyrovagorum à Benedicto prolatus sermo obvenit: quia de talibus melius est silere, quàm loqui. Usque nunc tota mente dormitastis, & profundissimo non tam somno sternitis, quàm lethargico. O linguas præcidendas! O membra per partes & frusta laceranda, & lupis, & canibus projicienda, quæ ad violationem sepulcrorum se armaverunt! Et super hæc omnia gloriantur, cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Equidem Romanæ Ecclesiæ injurias pa-
C tienter ferre, impietatem verò, & blasphemiam, & sacrilegium in Deum, & in Sanctos ejus ferre nullatenus possum. Os fœtidum contra Lateranensem Ecclesiam, quæ Patris Benedicti mater fuit, & est, aperuistis, & putorem spurcissimum contra eam, & contra filium ejus Benedictum protulistis. Miror Sanctos Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates, cum furibus, sacrilegis, & perjuris, & excommunicatis currentes, & cum illis portionem, & societatem habentes.

Cùm autem Sanctissimus Pontifex, hæc & similia verba dixisset, precibus, & interventu Serenissimi Regis Pipini, & Carlomanni Monachi Casinensis, prædictos Abbatem, & Mo-
D nachos ab excommunicatione absolvit, eisque pro eorum pertinacia, & sacrilegio perpetrato pœnitentiam salutarem injunxit. Quibus peractis dum jam dictas Reliquias in conspectu Pontificis reduxissent, annulo suo signatas, Casinum reducendas, Carlomanno olim quidem Regi Francorum, & Alemannorum, tunc verò Casinensi Monacho, Papa contradidit. Atque cum Excellentissimo Rege Pipino, cumque immenso exercitu, sumptis Sacrosanctis P. Benedicti, ejusque Sororis Reliquiis, ac pretiosi Martyris Dionysii, per Montem Silenum urbem Romam regrediens, & Exarchatum Ravennatem ab eodem gloriosissimo Rege Pipino vice B. Petri Apostolorum Principis accipiens, Pon-
E tifex pro tanto dono ab eodem Rege Romano Pontifici collato, simul etiam, & pro Sanctuariis Casinensi Cœnobio redditis, ipsum Pipinum Regem, ipsiusque filios Patricios Urbis cum ingenti gloria constituit.

Igitur Stephanus Papa cum eodem Rege, ejusque filiis, Senatu, Populoque Romano, omnique Francorum, Alemannorum, Suevorum, & Burgundionum exercitu, cum Episcopis, Archiepiscopis, & Cardinalibus, & cum omni Romanæ Ecclesiæ Clero ad Casinense Cœnobium venerunt, & inæstimabili luce à Francia usque Casinum illos comitante super Reliquias, lætificati sunt. Cùmque Montem Casinum ascen-

A ascendissent, idem Sanctissimus Stephanus Papa II. secum septem Episcopos Cardinales una cum Carlomanno P. Benedicti sepulcrum, ejusque sororis Virginis Scholasticæ referre præcepit. Quo aperto, duas contiguas sepulturas repererunt, & posuerunt in dextram partem sepulcrorum loculum marmoreum quatuor pedum longitudinis, latitudinis verò penè duorum; in quo ossa Sanctissimi Patris Benedicti, ejusque Sororis, quæ de Neustro-Francia reducta fuerant, cum aliis ossibus ibi inventis recondiderunt. In sinistro autem sepulcrorum latere loculum ex lignis Sethin eorum pulverem continentem posuerunt. Recondiderunt eos autem ita, capita eorum contra Chorum, pedes B contra Altarium S. Baptistæ habentes. Sicque omnibus à Sanctissimo Stephano Papa II. dispositis, & à septem Episcopis Cardinalibus, *Gloria in excelsis Deo* idem Pontifex clara voce intonuit. Statim verò ut Sanctæ Reliquiæ loco suo redditæ sunt, terræmotus factus est magnus; odoris verò suavitas, & luminis immensi tanta claritas extitit, ut humana infirmitas, & splendorem lucis exprimere, & odoris suavitatem eloqui minimè possit. Reconditæ sunt autem, ut ante jam dixi, Reliquiæ per manus Sanctissimi Stephani Papæ Secundi. Ad pedes verò sepulcrorum Constantinum, & Simplicium cum integris ossibus suis quiescentes invenerunt. Claudentes autem sepulcra ea candi- C dissima syndone desuper operuerunt, & ut decebat aptantes Altarium supra ex uno lapide posuerunt, tenens unam ex sepulturis totam, & partem alterius, quod dedicavit Sanctissimus Stephanus Papa. Eo etiam die voces Angelorum laudes Deo reddentium in eadem Ecclesia auditæ sunt. Acta sunt autem hæc pridie nonas Decembris.

Idem verò Sanctissimus Pontifex Casinensem Congregationem salutans in osculo pacis, dixit ad eos: Non est passa clementia omnium Mediatoris promissionem, quam Sanctissimo Patri Benedicto de loco isto fecerat, perditum iri, sed quasi post exitum Israël de Ægypto resti- D tuit filiis Sem à Cananæis regionem propriam, quibus genitor illorum Noë distribuit hæreditatis testamentum, ut nullo umquam tempore deperire possent trium filiorum ejus possessiones, prout ante Diluvium evenerat. Ita & de patrociniis Sanctissimi Patris Benedicti, ejusque Sororis fecit Conditor, & Redemptor omnium Deus, reducendo sua largiflua pietate à Floriaco ad Casinum per nos indignos, & per dilectissimos filios nostros Carlomannum, Pipinum, & duos filios ejus Carolum, & Carlomannum. Nam in multas generationes Deus electis suis bona restituit, qui secundùm illum Mosaicum obitum, corpus, quod diminutum fuerat Patris Benedicti vobis restituit. Nam Moyses audivit: *Ascende in montem, & ibi morere*: Benedictus E autem: *Surge, & vade ad castrum Casinum, & populum ejusdem Provinciæ, quæ adhuc idolorum cultibus servit, meum ad cultum convertere stude, quia eumdem locum tibi tradam, & illic Sedes nominis tui, & corporalis requies in perpetuum erit*. Igitur quia Deus verax est, & verba ejus transire non possunt, & impossibile est mentiri Deum, sic nunc accidit Benedicto Beatissimo Patri. Intuemini, rogo fratres carissimi, corpus gubernatoris Benedicti, & Scholasticæ Sororis ejus. Servite illis cum timore, & exultate eis cum tremore, quia nunc vobiscum corpore, & spiritu sunt. Intuemini illos, qui inexpugnabili lacerto antiqui hostis armaturam devicerunt. Intuemini mundum, & ejus delicias à Benedicto, & ejus Sorore calcatas, mittentes in mare equos suos; idest discipulos suos Maurum, & Placidum, & turbantes aquas multas. Intuemini illum, qui nubes, aëra, Angelos, & omnem creaturam transgrediens, judicia Dei de ipsius pectore hausit. Hæc dum perorasset, cum septem Episcopis Cardinalibus, & Carlomanno, & Pipino, duobusque filiis ejus Carolo, & Carlomanno prostravit se ante Sanctissima, clamans, & dicens: Ave Christi Discipule, ave veri Sponsi amice, ave Prædicator veritatis, & Doctor gentium, ave Legislator universalis, ave Abba Abbatum, ave Archimandrita Oecumenice, ave Columna Orthodoxiæ: Tuus ego, & hi septem Episcopi: tuus Clerus: tuus Populus Romanæ Urbis: tui & hi Patricii: tua Lateranensis Ecclesia, in qua alitus, & nutritus es, tuum Casinense Cœnobium, in quo corpore, & spiritu habitas. Non patiaris nos ovibus tuis excludi. Sedem Apostolicam protege, Romanum Imperium, & hos gloriosos Patricios, corpore tibi simul, & mente prostratos ab hostibus visibilibus, & invisibilibus defende, & Christo pro omnibus orgias funde, quatenus heic, & in æternum omnes tuo munere lætemur.

Post hæc, omnia præcepta, & privilegia Pontificum, & Imperatorum idem Pontifex cum supradictis Patriciis renovans, & ea, quæ ablata fuerant, restituens, & suam, & antefatorum Patriciorum ibi memoriam sub Anathematis vinculo semper habendam, si secus agerent, indicens, commendansque se Beato Benedicto, & Fratribus, ipse quidem ad auream Urbem, Patricii verò Neustro-franciam redierunt.

Aystulphus autem Rex Longobardorum Carlomannum Casinensem Monachum, fratrem Pipini ad se venire rogavit. Carlomannus autem duodecim de Casinensi Congregatione fratres assumens, ad eundem Regem tendebat. Cujus adventum idem Rex dum agnovisset, Duces, & Satrapas suos obviam ei direxit, qui simul cum eo usque Ticinum venientes, ad suum Regem deduxerunt. Quem nimis honorificè Rex Aystulphus pro Reipublicæ suæ utilitatibus suscipiens ad fratrem ejus Pipinum illum in Franciam ire rogavit. Carlomannus autem spem in Deo, & in Benedicto Patre Sanctissimo ponens, prout à Rege fuerat rogatus, cum fratribus, qui secum venerant, Neustro-franciam tendere coepit. Pipinus autem Rex Carlomanni fratris sui adventum dum agnovisset, unà cum Berthada conjuge sua, & tribus filiis Pipino, Carolo, & Carlomanno, & cunctis Principibus Francorum in ejus occursum advênit, vidensque eum, ruit super collum ejus, diuque cum lacrymis exosculans, duxit ad Monasterium Sancti Christi Martyris Dionysii, ibique languore correptus fratrem suum Pipinum, & uxorem ejus cum tribus filiis ad se evocans, rogavit corpus suum Casinum transferri, & ad pedes Patris Benedicti sepeliri. Et post hæc dixit: Æquum, & omni ratione conveniens est, ut sicut ego tibi Regnum concessi, & Monasticum habitum Regno, & Patriciatui præposui, omnia Latini nominis Monasteria constructa, vel construenda in omni Occidentali climate, sub Monasterio Casinensi, & sub P. Benedicti unione, ditione, & obedientia tu cum filiis tuis in perpetuum subdas. Quod dictum dum fratri suo Pipino, & tribus filiis ejus, & cunctis Principibus, & Ducibus placuisset, & factum, & dictum laudantes, sacramento firmassent, idem Carlomannus

nus in præsentia cognatæ, ac nepotum, de manu Monachorum Casinensium, qui cum eo venerant Dominici Corporis, & Sanguinis Sacramento se muniens, flentibus cunctis, qui aderant, vitam gloriosam sanctissima, ac bentissima morte conclusit. Cujus corpus Rex Pipinus frater ejus, cum Uxore, & filiis, & universis Regni Francorum Optimatibus in locello aureo, & gemmato imponens cum immensis muneribus ad castrum Casinum eduxit, & juxta quod ipse cupiverat ad Patris Benedicti pedes eum sepelivit. Hic est Carolus Salychus, qui juxta prophetiam Sybillæ extitit pius, magnus, nobilissimus, & potentissimus, & misericordiosus & faciens justitiam pauperibus. Tanta erat virtus, & Sanctitas in eo, ut cacumina arborum per viam, unde ibat, se ei inclinarent; ad aquas cùm veniret, in occursum ejus figerentur. Nec ante carnalis homo similis ei fuit, nec postea erit. Qui Regnum propter Deum relinquens Monachus factus, oves pavit, earum lotio se inquinari, à latronibus denudari, a servis Monasterii tribus vicibus æquanimiter verberari permisit. Et ut alter Josuë (sicut à majoribus traditur) Solem stare jussit, in pugna, quam cum fratre suo Pipino contra Paganos habuit, fontem de terra produxit, qui usque nunc fluere non cessat. Regnavit autem Carlomannus annis decem. Vixit in sancto proposito annis decem, & migravit ad Dominum. Quantis autem miraculis, quantisque prodigiis, Patris Benedicti, ejusque Sororis, Constantini, Simplicii, & Carlomanni ossa fulgeant, nec manus scribentis, nec vox loquentis, nec auris sufficit audientis. E quibus ea, quæ Deus per eos patravit, non omnia scribere ordiar.

Relata sunt autem pignora Sanctorum Benedicti, & Scholasticæ à Neustro-francia ad castrum Casinum per Sanctissimum Stephanum Papam Secundum, & Carlomannum olim Regem Francorum, tunc verò Monachum Casinensem, & Pipinum fratrem ejus, & duos filios ejus Carolum, & Carlomannum, Anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo quinquagesimo quarto, pridie Nonas Decembris, Theodorico, & Flavio Regnum Gothorum administrantibus, Aistulpho Regni Langobardorum habenas regente, Romanis verò Constantino piissimo, & Heyrene matre ejus in utraque Roma residentibus.

Ego Anastasius Apostolicæ Sedis Bibliothecarius jussu Sanctissimi Stephani II. hæc omnia, prout ipse oculis propriis vidi, & manibus contrectavi, ad posterorum memoriam, & Dei omnipotentis laudem, apicibus tradidi, & Christi Ecclesiis longè latèque constructis direxi, Anno à Mundi principio 5978. Per omnia benedictus Deus in secula.

IDem verò Sanctissimus Papa ad posterorum memoriam, in Casinensi Ecclesia laboris sui privilegium dereliquit, cujus iste est textus: Stephanus Episcopus Servus Servorum Dei. Omnibus Ecclesiæ Catholicæ filiis salutem, & Apostolicam Benedictionem. Sicut nemo se debet jactare de suis meritis, sic nemo debet opera Dei, quæ in illo per Sanctos suos fiunt finè suis meritis, silentio præterire, sed prædicare. Quia sic Angelus admonet Tobiam. Unde pro oppressione Sanctæ Dei Ecclesiæ à Rege atrocissimo Aistulpho, simul etiam pro Sanctorum Benedicto, & Scholasticæ Reliquiis ad Casinum reducendis, ut nobis divinitus in visione per eumdem Patrem injunctum fuerat, ad optimum Sancti Petri fidelem D. Pipinum Christianissimum Regem unà cum fratre suo Carlo-

A manno in Franciam veni, ubi ægrotavi usque ad mortem, & cum Carlomanno, qui ad Patris Benedicti, ejusque Sororis patrocinia Casinum reducenda advenerat, mansi apud pagum Parisiacum in venerabili Monasterio Christi Martyris Dionysii. In quo cùm jam me medici desperarent, fui sicut in oratione in Ecclesia ejusdem Beati Dionysii Martyris subtus campanas, & vidi ante Altare bonum Pastorem D. Petrum, & Magistrum gentium D. Paulum, & nota mente illos recognovi de eorum sarcariis: & turbatum D. Dionysium ad dexteram D. Petri, subtilem, & longiorem, pulcra facie, capillis candidis, colobio indutum candidissimo, purpurâ clavato, pallio toto purpu-
B reo, auro interstellato, & sermocinabant inter se luctantes: Dixitque bonus Pastor Divus Petrus. Hic frater noster postulat sanitatem, ad quem Beatus Paulus dixit: modò sanabitur. Et appropinquans misit manum suam ad pectus D. Dionysii amicabiliter; respexitque ad Divum Petrum, & dixit Divus Petrus ad D. Dionysium hilariter: Tua gratia est sanitas ejus. Et statim Beatus Dionysius thuribulum incensi, & palmam manu tenens cum Presbytero, & Diacono, qui in parte stabant, venit ad me, & dixit mihi: Pax tecum, frater; non morieris; noli timere, donec prosper ad sedem tuam revertaris; Surge sanus, & hoc Altare in honorem Dei, & Apostolorum ejus Petri, &
C Pauli, quos vides, dedica, Missarum gratias agens. Erat enim ibi inæstimabilis claritas, & suavitas. Moxque sanus factus, volebam implere, quod mihi præceperat; & dicebant, quòd insaniebam. Quapropter retuli illis, & Regi, suisque Optimatibus, quæ videram, & quomodo sanatus fuerim; implevique, quæ jussa sunt mihi. Post hæc Aurelianis, & Cenomannis ad Patris Benedicti, ejusque Sororis Reliquias reducendas, vice mea direxi Carlomannum ex Rege Francorum, Monachum Casinensem, ejusque gloriosissimum Fratrem Pipinum, & duos filios ejus Carolum, & Carlomannum; Autharium, & Rothardum Duces; Audoënum Rothomagensem Archiepiscopum; Doctrin-
D gangum, Fulradum, & Gulfradum Abbates; Vulgarium Numentanum, & Georgium Hostiensem Episcopos; Crodingangum, Gregorium, & Cæsarium Episcopos; Leonem, Philippum, Georgium, & Stephanum, Cardinales Presbyteros; Theophilactum Archidiaconum; Bonifacium Secundicerium; Leonem, & Christophorum Regionarios; Alcuinum, & Eutherium Regis Pipini Notarios. Qui dum jam dictas Reliquias in nostram præsentiam reduxissent, annulo nostro, & Regis Pipini signatas Casinum reducendas, dilecto filio nostro Carlomanno olim quidem Regi Francorum, & Alemannorum, tunc verò Casinensis Cœnobii Monacho tradidimus. Quo etiam adjuvan-
E te, divinâ clementiâ, die Kalendarum Augusti, inter celebrationem, & consecrationem Altaris, & oblationem Sacratissimi Sacrificii, inunximus in Reges Francorum Regem Pipinum, & filios ejus Carolum, & Carlomannum. & Berthadam conjugem ipsius inductam Cicladibus regiis gratiâ septiformis Spiritus Sancti consignavimus, atque Francorum Proceres Apostolica benedictione sanctificantes, Auctoritate B. Petri Apostolorum Principis nobis à Domino Jesu Christo tradita obligamus, & obtestamur, ut numquam de altera stirpe per succedentium temporum curricula ipse, vel quique ex eorum progenie orti, Regem super

ſe præſumat aliquo modo conſtituere, niſi de eorum progenie, quos Divina Providentia ad Sedem Apoſtolicam tuendam, & Sanctas Reliquias reddendas eligere, & per Vicarium S. Petri, immo Domini noſtri Jeſu Chriſti in poteſtatem Regiam dignata eſt ſublimare, & unctione ſacratiſſima conſecrare. Cum quo etiam Excellentiſſimo Rege Pipino, ejuſque germano Carlomanno, cum immenſo exercitu, ſumptis Sacroſanctis P. Benedicti, ejuſque Sororis, ac pretioſi Chriſti Martyris Dionyſii Reliquiis, per montem Silenum ad Urbem Romam regredientes, & Exarchatum Ravennatem ab eodem glorioſiſſimo Rege Pipino vice Beati Petri Apoſtolorum Principis accipientes, pro tanto dono ab eodem Rege noſtro Pontificio collato, ſimul etiam & pro Sanctuariis Caſinenſi Cœnobio redditis, ipſum, ipſiuſque filios Patricios Urbis conſtituimus; & cum eodem Rege, ejuſque filiis, Senatu, Populoque Romano, omnique Francorum, Alemannorum, Suevorum, Burgundionum exercitu cum Epiſcopis, Archiepiſcopis, Cardinalibus, & cum omni Romana Eccleſia, & Clero ad Caſinenſe Cœnobium venientes, inæſtimabili luce à Francia uſque Caſinum nos comitante, Patris Benedicti, ejuſque Sororis patrocinia loco ſuo reddidimus; in dextra videlicet parte ſepulcri, in loculo marmoreo longitudinis quatuor pedum, latitudinis penè duorum; Carnes verò illorum defluxas, & diſſolutas in loculo ex lignis Sethim, aptato in ſiniſtro ſepulcrorum latere cum magna reverentia poſuimus: ſicque immenſa, & innenarrabili claritate illuſtrati, & inæſtimabili ſuavitate odoris recreati, eamdem Eccleſiam dedicantes, & Sanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum Reliquias ibi locantes, eumdem Sanctiſſimum locum Benedicti Patris, ejuſque Sororis corporibus, & meritis conſecratum, privilegiis magnæ auctoritatis ſublimavimus, & Caput omnium Monaſteriorum conſtituimus in perpetuum, eique omnia Latini nominis Monaſteria in perpetuum ſubmiſimus; & ſuper Altare, quod conſecravimus, pallium Apoſtolicæ dignitatis pro benedictione S. Petri reliquimus; ut quia ipſius Petri, ceterorumque Apoſtolorum ſimul, & Sancti, ac pretioſiſſimi Confeſſoris Chriſti Benedicti, ejuſque glorioſiſſimæ Sororis, & Virginis Scholaſticæ merita ſunt juncta in cœlis, eorum memoriæ pariter venerentur in terris; ad honorem, & gloriam, & laudem Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui cum Patre in unitate Spiritus Sancti debetur honor, & adoratio per immortalia ſecula ſeculorum. Amen. Actum hoc Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLIV.

Eodem etiam tempore Rex Pipinus exercitum congregans ſupra Guaiferium Ducem Aquitaniæ advênit, illumque publico Marte devincens occîdit. Poſt cujus necem Pipinus XXVI. Patriciatus ſui anno diem obiit, ſepultuſque eſt in Monaſterio S. Martyris Chriſti Dionyſii, ſito in Lutetia Pariſiorum. Et tres filii ejus Regnum Francorum, & Patriciatum Romanorum regendum ſuſceperunt; Carolus ſcilicet, Carlomannus, & Pipinus: ſed Pipinus in pueritia vitâ deceſſit; poſt cujus tranſitum Carlomannus biennio ſupervixit, & Carolus ſolus Regno, & Patriciatu potitur. Iſte eſt, qui propter virtutum inſignia Magnus dictus eſt; & à Nicephoro Imperatore totum Occidentem cum Corona, & Conſulatu ſuſcepit. Reges autem Francorum Sicambrici dicti ſunt à Sicambria civitate; Smeroingo, Aſmerovei à

A Smeroveo Rege; Chriſati, & Tricoracati pro eo quòd piloſi erant.

At Leo Imperator cùm quatuor annis & viginti in nova Roma Imperium adminiſtraſſet, diem obiit, & Conſtantinus filius poſt Patris deceſſum in eadem Urbe Imperium ſumpſit. Idem verò Conſtantinus cognomento Caballinus annis XXXV. Imperii ſummam dum gubernaſſet, vitâ deceſſit, & Leo filius Conſtantini Zacharis per annos quinque Orientale Romanorum Imperium tenuit. Quo ex hac vita educto, Heyrene uxor ejus per annos circiter X. cum filio Conſtantino in nova Roma Imperii ſolium ſumpſit, & in aurea Urbe diadema accipiens Auguſtus factus eſt. Qui cùm ad bi-

B vium Pythagoricæ literæ perveniſſet, matrem de ſolio pellens privatam vitam ducere coëgit, ſoluſque in utraque Roma per ſeptem annos rerum eſt ſummam adeptus. Heyrene verò filii injuriam ultum ire ſtatuens, ſuoſque priſtinos fautores evocans, filium de ſolio Imperiali dejecit, & menſes duos & annos quinque Romanorum ſolium ſola retinuit.

His porrò temporibus cùm Deſiderius Rex Langobardorum auream Urbem undique infeſtaret, & duos filios Carlomanni, qui partem Regni Francorum quærebant, contra Carolum Regem ſuſcepiſſet, idem Carolus cum immenſo exercitu Romanorum, Francorum, Alemannorum, Burgundionum, Saxonum, necnon aliarum multarum gentium multitudine ſuper

C Papiam advênit, quam undique obſidens cœpit cum Deſiderio Rege, & multitudine Nobilium Langobardorum. Inde quoque Carolus Patricius procedens cum Hildegarda uxore ſua, & duobus filiis ſuis, Beneventum obſedit, & adinſtar locuſtæ radicitus univerſa corrodit. Princeps autem coactus filios ſuos Grimoaldum, & Adelgiſum obſides Carolo tradidit, ſimulque coronam, & theſaurum; ſicque Patricius Beneventum relinquens, Caſinum pervênit; accipienſque à Theodemaro Caſinenſi Archimandrita fidelitatem, præceptum Beato Benedicto fecit, confirmans omnes pertinentias ejus, prout à Patricio Tertullo, & Juſtino, &

D Juſtiniano Imperatoribus conceſſa fuerant; confirmans inibi omnes aquas cum ripis ſuis ex utraque parte, ubicumque terris Monaſterii conjuncta fuiſſent. Reddidit etiam Caſinenſi Monaſterio Cœnobium S. Mauri in Glanafolio cum pertinentiis ſuis. Sed & auctoritatem dedit, ut Monachi juxta tenorem Regulæ Archimandritam ſibi eligerent, quem meliorem, & digniorem, Romanoque Imperio fideliorem inveniſſent, à Romano Imperatore per ſceptrum inveſtiendum. Sicque idem Patricius auream Urbem triumphans ingreſſus eſt. Poſt hæc reverſus in Franciam, Saxones ſæpius rebelles vicit, & Chriſtianos multo labore fieri coëgit.

Eo etiam tempore cognati B. Papæ Adriani

E tumultuantes fuerunt contra Papam Leonem, qui, dum pergeret die S. Marci cum Letania ad S. Petrum, captus eſt, & cœcatus, præciſâ etiam ejus linguâ, fuit. Sed Deus omnipotens reddidit ei & viſum, & loquelam; egreſſuſque ab aurea Urbe jam dictum Patricium adiit; & cum eo ad Urbis mœnia rediens, idem Patricius fecit vindictam de inimicis ejus. Et purgans ſe jam dictus Papa per ſacramentum de quibuſdam criminibus ſibi illatis, perfudit oleo à capite uſque ad pedes eumdem Patricium, ac circumdans Imperatoria veſte, coronavit in Imperatorem Romanum. Nam uſque ad tempora illa à Senatu Romano Imperator coronabatur.

batur. Factus itaque Imperator concessit Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus Civitates, Villas, & Castra, Ducatus, Marchias, Comitatus, Monetas, Teloneum, Advocatias, jura Centurionum, & Curtes Imperii, retenta sibi ordinatione earumdem rerum, tributis, & bellicis expeditionibus. Sanciens; ut de jam dictis omnibus Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates sibi, & successoribus suis fidelitatem, & homagium facerent, & servitium exhiberent, deinde verò Romano Pontifici responderent. Casinense verò Cœnobium idem Imperator cum jam dicto Pontifice, nullius juris, aut ditionis esse constituit, ob id scilicet, quia per Cives Romanos, Benedictum, Maurum, & Placidum fundatum est in proastio Romani Imperii, ditatum verò per Tertullum Patricium, Equitium, ac Gordianum Senatores Romanos, possessionibus, Civitatibus, Castris, Villis, Insulis, & portubus, servis, & ancillis, auctum per Tertullum Patricium, & Justinum, ac Justinianum Imperatores habeat tuitionem à Romano Pontifice, defensionem verò ab Imperatore, cujus Civitates, Castra, Possessiones, Insulas, Villas, Servos, ancillas, Marchias, & Comitatus possidet. Ob quam rem scilicet, Camera Imperialis ab Imperatoribus constituta est. Hic est Carolus, qui primus Regum adeptus est Imperium Anno Dominicæ Incarnationis DCCLXXVIII. Quo etiam anno idem Excellentissimus Imperator ob amorem Carlomanni patrui sui in Casino sepulti, constituit: Ut Casinensis Ecclesia eisdem privilegiis uteretur, quibus, & aula Imperialis decoratur; constituens, & in perpetuum decernens: Ut ejusdem Cœnobii Monachi infra Romanum Imperium Capellani Imperiales existerent; & Abbates infra Italiam per omnia Monasteria ibi constituta eligerentur, si tamen de suis invenire non possent, & Casinensis Cœnobii Archimandrita Romani Imperii Archicancellarius, & Magister Capellanus. & Princeps pacis (per ipsum enim transire habebat, si quis rebellans Principum Imperatori reconciliaretur) in perpetuum esset; dans ei potestatem bibendi in auro, & lectum ipsius unius coloris operire purpurâ; & in processionibus ante se ferre hastam puram deargentatam, & Labarum Imperiale, idest Crucem auream cum gemmis, & unionibus: Pacem ab Altari accipiens ad Imperatorem deferat: in Ecclesia à dextris Augusti cum Monachis suis assistat; & in omni laude Imperatoris primus cum suis fausta Imperatori proclamet. Lorum, Coronam, salutiferum Regnum, indumenta Imperialia, & arma sacrata ipse custodiat, & nullus in hoc ei anteponatur. Et in omni conventu Episcoporum, & Archiepiscoporum, & Principum, superiorem omnibus sui ordinis sedem habens, primus sententiam proferat. Et Ecclesia Casinensis, propter Carlomannum ibi sepultum, & propter omnes possessiones ab Imperatoribus illi concessas, Camera Romani Imperii in perpetuum existens, præcellat in omnibus omnia Monasteria, quæ constructa, vel construenda sunt in toto orbe Romano: & Abbas ejusdem loci celsior omnibus Abbatibus in perpetuum existeret; & Cæsareanum Palatium sub jura sua habens custodiret; & infra Italiam semper in Imperatoris excubiis permaneret.

His quoque diebus Aaron Rex Persarum audito, quòd Carolus in aurea Urbe Monocrator factus fuisset, cupiens ejus amicitiam obtinere, per legatos suos direxit jam dicto Imperatori **Papilionem, & tria tentoria mirifica, & Horologium mirabile, nec non Corpus S. Cypriani Episcopi, & Martyris. Imperii igitur summa Carolus in aurea Urbe potitus, per annos XXVII. administrans, diem clausit extremum. Hujus filii fuere Carolus, Pipinus, & Ludovicus.** Carolus in Imperium à Patre adoptatur; Pipinus Rex Italiæ; Ludovicus Rex Aquitaniæ, vivente adhuc Patre Carolo Magno, constituitur. Sed duobus fratribus Carolo, & Pipino defunctis, & Magno Carolo Patre eorum mortuo, & honorificè apud Aquisgranum sepulto, Ludovicus pro patre regnat, & imperat; veniensque ad auream Urbem à Papa Valentino coronatur, & à Senatu, Populoque Romano Monocrator constituitur. Hic fuit multorum constructor Cœnobiorum, Pater pauperum, & Judex viduarum. Hic ab aurea Urbe egrediens, venit Casinum; acceptoque ab Archimandrita ejusdem fidelitatis Sacramento, per præceptum aureâ Bullâ bullatum confirmavit omnes possessiones, & pertinentias ejus. Hujus filii erant Lotharius, Pipinus, Ludovicus, & Hyrmingarda, & Carolus Calvus de Juditha. Clotarium socium, & hæredem Imperii elegit, & in Italiam misit; Pipinum Aquitaniæ, Ludovicum Bavariæ Regem præposuit. Carolo Calvo Alemanniam, Rethiam, & partem Burgundiæ dedit, indignantibus cæteris filiis. Sed hæc quidem in aurea Roma.

In nova verò, Hyrene Imperatrix, dum annis quinque Imperium sola tenuisset, Nicephorus cognomento Stragis illam Imperiali dignitate pellens, Augustale solium arripuit: quod cùm per annos octo, & menses totidem tenuisset, carnis universæ viam ingressus, Stauratium filium post se in Romanorum throno reliquit. Et hic quoque cum tribus mensibus præfuisset, Michaëli Curopalato Imperii reliquit habenas. Hic namque cùm Regnum adeptus fuisset, filios suos, unum Patriarcham nomine Ignatium, Theophilactum verò alterum sibi consortem ascivit. Præfuit autem anno uno, & mensibus sex, & fraude suorum occisus est in Palatio. Et Michaël cognomento Trullus Romanorum Imperium in nova Roma suscepit, & per novem annos administravit; Theophilumque filium post se in Throno reliquit cum Constantino Imperii consorte.

His porrò diebus Ludovicus Imperator aureæ Urbis cognomento Almus, filius Caroli Imperatoris superioris, dum Lotharium filium suum consortem fecisset Imperii, ab eo unà cum Uxore sua captus est, & custodiæ mancipatus; sed ab optimatibus Imperii ereptus, ad pristinam Imperii reversus est gloriam.

His diebus Authpertus Vir per omnia Sanctus in Casinensi Cœnobio Archimandrita effectus, ad Ludovicum Imperatorem venit, exhibitoque ei, & filio ejus juxta morem homagio, accepit ab eis per præceptum aureâ bullâ bullatum totum pagum Marsorum cum servis, & ancillis, & universis pertinentiis suis.

Eo etiam tempore Sychardus filius Sychonis Beneventani Principis à jam dictis Imperatoribus Principatum accipiens, in lasciviam resolutus, cunctos Beneventanæ gentis proceres, aut custodiæ, aut morti addixit. Cùmque ejus facinora Beneventani tolerare non possent, ab Adelferio, & Nanyngone, atque Agelmundo, Sicardus Princeps gladio perimitur, & Radelchisum Thesaurarium ejus ibi in Principem eligunt. Cujus electionem graviter ferentes, Landulphus Castaldio Capuanus, Romualdus, Ari-

Arichis, Grimoaldus, Guaiferius, Aldemarius, A
& Ursus Comes Consinus, & omnes Beneventani Proceres, Beneventum relinquentes Salernum invaserunt, & Siconolphum Diaconem fratrem jam dicti Sichardi Principis sibi in Principem eligunt. Qui Siconolphus Diaconus tam cum eisdem Capuanis, quàm etiam cum maxima Beneventanorum manu, qui prædictum Radelchisum exosum habebant, Salernum ingressus, contra eundem Radelchisum dimicare modis omnibus cœpit. Sicque vicissim ab his Saracenorum exercitus ex diversis partibus orbis alter adversùs alterum evocatus, totum nonmodò Principatum, verùm etiam Regnum Italicum sua dissensione, ferro, & igne per annos
ferè XXX. demoliti sunt. Primus itaque Ra- B
delchis in auxilium sui Saracenos invitat per Pandonem quemdam fidelem suum, qui tunc Barim regebat; quos dum idem Pando juxta murum urbis, & ora maris locasset improvidus, illi, ut sunt ingenio callidi, nocte intempesta Urbem per loca abdita penetrant, multisque aliis intentatis prædictum patriæ proditorem marinis fluctibus donant. Horum Rex fuit nomine Calphon, quos præfatus Radelchis, quia propellere urbe non poterat, cœpit quasi familiares excolere, & ad sui auxilium provocare; cumque illis totam Siconolphi regionem devastans, Capuam quoque ingressus, redegit in cinerem. Syconolfus econtra ex Hispania
Saracenos adsciscens, frequentibus prœliis om- C
nes ferè in circuitu, præter Sipontum, à Radelchis jure auferens urbes, Beneventum nihilominus expugnabat. Post hæc Siconolfus ad Casinense Cœnobium veniens sub præstationis nomine, Hispanis tribuendum Agarenis, universum ferè thesaurum, quæ gloriosæ memoriæ Reges Carolus Martellus, Carlomannus, & Pipinus, filii ejus Carolus Magnus, Ludovicus filius ejusdem, & Pipinus, & alii quamplures seu Reges, seu Principes religiosi ibidem contulerant, abstulit. Prima siquidem vice abstulit in calicibus, & patenis, crucibus, phialis, annulis, bociis, ac fibulis, auri purissimi libras CXXX. Saricam insuper sericam de Sylphori
cum auro, & gemmis pro aureis decem mil- D
libus. Item secunda vice CCCLXV. libras argenti, & tredecim mille aureos, & duas varias argenteas ponderis librarum XXX. per unamquamque, & fundatos duplices octo, & bariam unam in anaglifis, & Scartonem Constantinopolitanum argenteum deauratum. Item tertio tulit in coronis, bariis, annulis, coralibus, & coclеariis argenti libras CCCC. & aureos quatuordecim mille. Item alia vice aureos quatuor mille, & coronam auream gemmis smaragdinis decoratam, pro solidis tribus millibus. Et hæc quidem omnia ipse sacrilegus S. Benedicto auferens, neque sibi, neque Patriæ aliquid profecit, neque ab illo tempore aliquam deinceps victoriam habere promeruit.

Sed libet cursum paulò altiùs, & præceden- E
tium, & subsequentium Archimandritarum seriem, sertumque texere, simul etiam operi huic breviter annectere. Et ut ab ipso sumam Sanctissimi Patris Filio exordium, de singulis pauca recitabo.

Vir Domini Benedictus postquam apud Sublacum eadem loca in amore Domini nostri Jesu Christi fervescere longè lateque fecisset, hoc est pacto ad Casinum à Divina provectus clementia. Nam cùm antiqui hostis Florentii, veneno inebriati invidiæ, facta Beatissimus Pater conspiceret, lapsumque teneris discipulis pertimesceret, dare locum disposuit. Hæc dum sollicitè secum mente tractaret, revelatio cœlestis tali illum adhortari est dignata oraculo. Ut quid, dulcissime Benedicte, tristaris? Numquid nam non reminisceris illud, quod deprompsi: *si me persecuti sunt, & vos persequentur?* Tibi enim alia est eligenda via, aliud iter quærendum. Te namque elegi ex omnibus incolentibus orbem; tu Evangelii mei tuba cœlestis existens, spiritu es meo repletus. Surge jam, & vade ad castrum Casinum, & populum ejusdem Provinciæ, qui adhuc Idolorum nefandis cultibus servit, & in quorum præcordiis Sathanæ versutia regnat, qui nihil sciunt, aut dicunt, nisi quod in cordibus eorum vitiosi serpentis versutia scripsit, sermone vivifico prædicans, meum ad cultum convertere studeto; quia illic ero, & non te deseram, & confundam omnes adversarios tuos. Serve meus carissime, proficiscere Idolorum ad pugnam: confortare, & esto robustus; quia castrum Casinum tibi tradam, & illic sedes nominis tui in perpetuum erit. Hæc dum Sanctus Pater audisset, summi Regis fretus munere, suos ad se discipulos evocans, sic eis est orsus fari: Audite me fratres, & filii, cohæredes, & socii in promisso Regis æterni. Nam mihi Dominus meus Jesus Christus præcipere dignatus est, ut ad culturam Idolorum exterminandam, æternæque oblivioni tradendam, castrum petam Casinum. Ideoque voluntas Domini nostris voluntatibus modis omnibus anteponenda est. Nostis præterea, & bene nostis, quantos dolos, quantasque insidias Presbyter mihi præparavit Florentius, qui me veneno interficere, & discipulorum meorum animas extinguere voluit. Quapropter cedendum est loco juxta illud Regis æterni præcipientis eloquium: *Si vos persecuti fuerint in una Civitate, fugite in aliam.* Et quia ita est, jussioque Domini nostri Jesu Christi imminet, parêre debemus, eundum est. Super hoc autem, & illa est nobis lex: ut viscera pietatis omnibus conemur præstare mortalibus; sicut & nos accepimus à Jesu Christo Domino nostro. Vos autem state, & permanete in conversatione, & statu sancto Religionis, proculdubio scientes, quantò studiosiùs in spiritualibus disciplinis permanseritis, tantò majora præmia in futuro examinis die percipietis à Jesu Christo Domino nostro. Hæc cùm dixisset, anno Domini quingentesimo vicesimo nono, temporibus Justiniani Imperatoris Oratoria cuncta, quæ construxerat, diversis fratribus sub statutis Præpositis ordinavit. Statimque absque cujuslibet comitis adminiculo ad Casinum castrum pergere cœpit. Sed cùm per ignota loca solus viator incederet, duo confestim in figura juvenum aderant Angeli, qui tanto Patri per montium deserta, quò gressum dirigere deberet, indicabant. Tres etiam corvi, quos ipse alere solebat, per omnem viam individui illi facti sunt comites, ejus vestigia assiduè persequentes. Cùmque ad Casinum castrum venisset, nobilissimum Monasterium Casinense fundavit, idque & sua corporali requie, Regulæque descriptione, Caput omnium Monasteriorum constituit. Erat enim hic locus illustris ab ante, & famâ celebrior; cujus tanto olim sublimitas culmine viguit, ut Romani celsitudo Imperii Philosophicis studiis illum in ævum dicaret. Hunc Marcus Terentius Varro omnium Romanorum doctissimus, consideratissimus, & acutissimus, ac diligentissimus, incoluit, & propria jurisdictione possedit. Iste igitur tam insignis,

gnis, excellentisque peritiæ, tam multa scripsit, quàm multa vix quisquam legere posset. Scripsit præterea Antiquitatum Libros XLI. & hos in res humanas, & Divinas divisit, rebus humanis XXV., Divinis XVI. tribuit, ita secutus in ea divisionum rationem, ut rerum humanarum Libros senos quatuor partibus daret, in quibus disputat, qui agant, ubi agant, quid agant. In sex itaque primis de hominibus scripsit; in secundis sex de locis; sex tertios de temporibus, sex quartos, eosdemque postremos de rebus absolvit; sed unum singulariter, qui communiter priùs de omnibus loqueretur, in capite posuit. In Divinis item rebus eadem ab illo divisionis forma servata est. Quantum verò attinet ad ea, quæ de his exhibenda sunt ab hominibus in locis, temporibus, & sacris, hæc quatuor, libris complexus est ternis; nam tres priores de hominibus scripsit, sequentes de locis, tertios de temporibus, quartos de sacris.......... hi quod exhibeant, quando, & quid, subtilissima distinctione commendans. Alios verò tres libros conscripsit extremos, ut quinquies terni quindecim fierent. Sunt autem omnes, ut antea diximus, sexdecim, quia & istorum exordio unum singularem, qui priùs de omnibus loqueretur, apposuit: quo absoluto, consequenter ex illa quinque partita distributione tres præcedentes, qui ad homines pertinent, ita subdivisit, ut primus sit de Pontificibus, secundus de Auguribus, tertius de quindecim Viris Sacrorum. Theologica etiam tripliciter divisit; in Mythicon, Physicon, & Civile. De Lingua verò Latina Libros novem edidit. De hoc siquidem viro Tullius ait: Nos in nostra Urbe peregrinantes, errantesque, tamquam hospites tui libri quasi domum reduxere, ut possemus aliquando, qui, & ubi essemus, agnoscere. Tu ætatem Patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacrorum jura, tu Sacerdotum, tu domesticam, tu publicam disciplinam, tu sedium, regionum, locorum, tu omnium Divinarum, humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti. Tali igitur auctoritate, talibusque studiis Casinensis civitas antiquitus ab ipso suæ constructionis exordio splenduit, & eminentissimè viguit. Tribus namque nominibus olim dicta est. Priùs namque, Heraclia; orti à Sabinis eumdem locum à Caxa appellavere Casinum. Caxa enim antiquitus dicebatur res vetustior. Quodam etiam tempore Mello dictus est Casinus. Sed hujusmodi disciplinæ sublime diversorium, & vera sapientia Christus ad cœlestis Philosophiæ principale Gymnasium per Beatum Patrem convertere dignatus est, qui hoc in loco & viguit, & docuit, & totum in orbem per suos Sanctos discipulos sacra jura propagavit.

Post quem anno Domini DXXXXII. defunctum, Indictione V. Sanctissimus Constantinus, atque Reverendissimus in Regimine successit.

Tertius Simplicius. Quartus Vitalis. Quintus Bonitus, virtutum viri, & Sanctitate insignes.

Huic, post destructionis tempora, centum, videlicet, & decem annorum, Sanctus subrogatur Petronax anno Domini DCCLII. Quem tres quidam Nobiles Beneventani, Paldo, Taso, & Tatto, germani fratres, qui ante circiter quinque annos Monasterium Sancti Martyris Vincentii juxta ortum Vulturni fluminis de propriis sumptibus construere cœperunt, & per se, suosque ad loci hujus restaurationem plurimùm adjuverunt.

A Huic Patri Sanctus Papa Zacharias, qui Gregorio successit, Privilegium fecit primus: ut hoc Monasterium cum omnibus sibi pertinentibus Cellis, ubique terrarum constructis ad honorem P. Benedicti, ab omnium Prælatorum ditione sit omnimodis liberum, ita ut nullius juri subjaceat, nisi solius Romani Pontificis. Huic Patri quidam Saracenus nomine Beneventanus totam hæreditatem suam præter servos, & ancillas libertati donatos concessit. Et Dux Beneventanus Arichis Sanctam Sophiam in Benevento condidit, eique tradidit. Peractis triginta & duobus annis in Sancto Regimine, migravit ad Dominum an. ejusdem DCCLXXXIV. pridie Non. Maji, & est sepultus in porticu juxta S. Martinum.

B Post quem Optatus Sanctus Abbas Septimus à Sancto Benedicto Patre, sedit annis decem, & depositus est pridie Non. Jan., atque juxta Prædecessorem suum sepultus.

Secutus est Hermes Abbas Octavus uno anno, & sepultus est XV. Kal. Augusti juxta Ecclesiam S. Benedicti.

Gratianus Pater Nonus subrogatur, annis quatuor, mensibus quinque. Huic præfatus Dux Arichis obtulit Templum opulentissimum, quod Beneventi condidit, & Græco vocabulo Sapientiam Sanctam nominavit, ditatum amplissimè, in quo Sanctorum Martyrum duodecim fratrum corpora, diversis ex locis allata, honorabiliter in singulis capsis pariter sub uno Altari recondidit. Postmodum corpus pretiosi Martyris Mercurii; nec non & aliorum tam Martyrum, quàm Confessorum, numero XXXI. sancta Corpora ex diversis Italiæ partibus per tempora diversa adeptus, ibidem nihilominus attulit, & per diversa Altaria in circuitu majoris Altaris sitis reverenter locavit. Ubi dum maximam devotionem, (quoniam vicinum loco illi Palatium erat) frequentem consuetudinem in oratione pernoctandi habuit. Fertur, quadam nocte oranti illi Sanctos duodecim fratres apparuisse, eumque pariter inclinatis amicabiliter vultibus salutavisse; quos dum torvo nimis aspectu respiciens, exteros quoslibet esse existimans, quinam illi essent, qui nocturno tempore Claustra Sanctimonialium sic audacter ingredi præsumpsissent, inquireret, illi leniter arridentes: Nos, inquiunt, sumus, Princeps, quos tua devotio, per diversa repertos loca, summo huc studio detulit, ac studiosiùs delatos recondidit: quod nobis quidem quàm bonum, & quàm jucundum, tibi autem quàm sit divina pietate proficuum, ultima dies ostendet. Et his dictis, subitò Principis visio, quæ videbatur, disparuit. In quo etiam Monasterio contulit Ecclesiam Sancti Modesti cum multa substantia intra civitatem. Prædictus Abbas depositus est X. Kal. Sept. & sepultus in porticu S. Martini.

Cui successit Thomichis Abbas Decimus, sedens annis sex, mensibus quinque, qui obiit octavo Kal. Febr. Huic quidam Beneventi ditissimus Leo seipsum, & omnia sua, mobilia, & immobilia, Monasterio tradidit, priùs servis omnibus, & ancillis libertate donatis, & cum Curtibus, & omnibus quæ possidebat, juri Casinensi concedens, numero XXXII. Curtes, & Domos, & Casale unum Pantanum nominatum.

Potho Abbas Undecimus subsecutus est, annis septem, mensibus quinque; defunctus verò tertio Kal. Jul., & sepultus juxta Ecclesiam S. Benedicti.

Post

Post Theodemar Duodecimus Abbas sedit annis XIX. Huic Carolus Magnus filius Pipini scripsit, ut sibi de Monasterio aliquot fratres ad constituendam illis in partibus Regularem normam transmitteret, quod & fecit, mittens illi Regulam, & Hymnos, qui tunc ex traditione Regulæ in hoc Monasterio canebantur; pondus quoque libræ panis, & mensuram vini; necnon & mensuram misti, quam servitores debent accipere; omnesque consuetudines hujus loci tunc temporis. Huic Patri præfatus Princeps Arichis concessit partes majores in Territorio Consianæ urbis, super id quod habebat. Et filius ejus succedens donavit universa dominicalia sua cum servis, & ancillis; & Cellam Sancti Agapiti; portum quoque Trajectensem, & Vulturnensem; totam piscariam de civitate Lenissa cum fauce sua. At Hildebrandus Spoleti Dux obtulit Curtem Castrum cum pertinentiis suis, & Olivetum, & aliam Curtem, & familias multas; & portum, & lacum Fucino cum piscatoribus, & Gualdum suum nomine Cusanum. Quidam etiam Vir Vaccho Beneventanus obtulit filium suum Gnachiptum cum XIX. Casalibus, & Casam suam, servos, & ancillas. Sub hoc Abbate Paulus Diaconus Venerabilis, Regis Desiderii Notarius, Monachus effectus est, de quo latiùs alibi refertur. Ultimo hujus Abbatis anno, Ludovicus Imperator, qui dicitur Almus, vel Sanctus, filius Caroli Magni, in Aquisgrani cum omnibus Franciæ Abbatibus, Monachis, & Religiosis Conventum faciens, valde utilissima nostri Ordinis observationi septuaginta duo generalia Capitula constituit, quæ ita ferè omnia apud honesta Monasteria, ac Sancti Benedicti Regula observantur. Prædictus Abbas defunctus est Non. Jun. & sepultus juxta Ecclesiam S. Martini.

Egisulphus Abbas Decimus tertius ordinatur ex nobili Beneventanorum prosapia Anno Domini DCCXCVII. Sedit annis XXI. Qui mira tam in superiori, quàm inferiori Monasterio construxit, & in argento, & auro, ac gemmis exornans. Incitabat enim illum opum copia non parvarum. Huic Princeps Grimoaldus concessit Monasterium Sanctæ Mariæ in Mansa cum possessionibus, & pertinentiis. Et idem Vacho Beneventanus iterum secundo obtulit Casam propriam cum hereditate, & pertinentiis suis, ac Casalia octo, Olivetum, Molendina, servos multos. & alias duas Casas, & Curtes, & aliam Ecclesiam, & duodecim familias servorum, & multa bona. Alius vir Colo obtulit Curtem suam cum pertinentiis. Et aliquis nomine Maximus totam substantiam suam. Prædictus Abbas depositus est post multa gesta; & sepultus est juxta Ecclesiam S. Benedicti ante Capitulum introëuntibus in Ecclesiam ad lævam.

Apollinaris consecratus est, vir per omnia Sanctus, & Apostolicus. De quo gesta habent, quòd super undas siccis pedibus Apostoli Petri ad morem ambulavit; & alias Sanctimoniæ virtutes. Huic Patri Trasimundus Beneventanus obtulit Casas suas, Casalia quatuor, servosque. Rodegarius quoque Hospitale condens, ipsum, ac Casas suas, & Ecclesiam in Benevento foris Sancti Salvatoris, Casam majorem, & Molendinum, necnon & decimas omnium rerum suarum Sancto Cœnobio concessit. Alius Compsanus Amipertus nomine, obtulit Curtes suas quinque, cum omnibus pertinentiis suis, servis, & ancillis quamplurimis; & tunicam unam cum lista aurea, & circello de auro; & listam auream cum margaritis; & fibulatorium aureum, cum medietate omnium mobilium suorum. Sed & Clericus Daniel Tarentinus se ipsum, & omnia sua cum servis, & ancillis plurimis, sancto loco tradidit. Alius Dachenaldus Capuanus obtulit universam substantiam suam cum terris, & colonis, & omnibus tam mobilibus, quàm immobilibus. Dachopertus item Capuanus obtulit Casale suum cum Casis, & Cortaneis, & omnibus pertinentiis suis. Hujus Abbatis tempore Radelchis Compsanus Comes, qui interfecto Grimoaldo Siconem Principem constituerat, pœnitentiâ ductus, ad famam Sancti Viri Apollinaris, qui cunctorum per ora volvebatur, relicto seculo, cervice tenus catenâ ligatus, huc se contulit. Cujus nimis austeram pœnitentiam Diabolus dolens, simul & invidens, multis audientibus circa Monasterii claustra sæpissimè clamabat dicens: Heu me sic instanter persequeris? non sufficiebat tibi, ut me ipsum hinc expelleres, insuper & meos fideles undecumque tibi vendicare non desinis? Præfatus Princeps Sico, cùm diu Neapolim obsedisset, & afflixisset, tamdem Sancti Martyris Januarii (cujus Festum est hodie, dum hæc præsentia scribuntur) corpus auferens, Beneventum detulit, & cum suis quondam sociis Festo, & Desiderio Sanctis, in Episcopio honorificè recondidit. Sedit prædictus Abbas annis undecim, & depositus est V. Kal. Dec. & sepultus est prope Ecclesiam Sancti Benedicti juxta gradus Porticus, quà tunc temporis pergebatur ad Ecclesiam S. Martini. Hujus anno tertio Saraceni a Babylonia, & Africa venientes Siciliam occupaverunt, & Panormum ceperunt Anno Dom. DCCCXX.

Deusdedit Abbas efficitur Decimus quintus, qui sedit annis sex. Huic prædictus Sico dedit fluvium nomine Laure cum omnibus limitibus, & piscariis suis. & omnibus quæ juxta ipsum hinc inde pertinebant. Mortuo Sicone, Sicardus filius Princeps nequissimus per avaritiam Sanctissimum Abbatem custodiæ mancipavit, ubi etiam mortuus est, septimo Id. Octob. In cujus sepulcro crebra fiunt miracula.

Huic successit Hilbericus Abbas Decimus sextus, sedit diebus septemdecim. Post quem Authpertus Decimus septimus sedit annis tribus. Cui Clotarius Francorum Imperator Pratum magnum, vocatum Cervarium, & servos, & hereditates plurimas donavit. Prædictus Sicardus Princeps obtulit Patri Benedicto Civadum, qui Martoranus vocatur, cum ripis, & aquis, fulsariis, & piscationibus, & omnibus intra se positis. Quidam vir Rodegarius Campsanus obtulit quatuor Curtes suas cum pertinentiis, & servos, & ancillas. Hujus Abbatis nonnulla Opuscula, & pulcri Sermones habentur. Migravit Decimo Kal. Martii.

Bassatius Sanctissimus Decimus octavus ordinatur Anno Dom. DCCCXXXVII. Sedit annis novemdecim. Tertio hujus Anno corpus B. Apostoli Bartholomæi Principe Sycardo prædicto de Liparitana Insula, ordinatione Divina, Beneventum translatum est; in quam Insulam olim de Armenia mirabiliter fuerat cum saxea tumba itinere marino sinè remige ullo transvectum. Huic Agerandus Gastaldeus Capuanus obtulit universam substantiam suam, tam in territorio Capuano, quàm Teanensi, Calinuloque, cum servis, & ancillis. Sed & Arnelfriol nobilis Alphanus obtulit Almefrid filium suum cum Curte sua, & universis pertinentiis suis, & to-

& totam portionem suam de Ecclesia Sanctorum Nazarii, & Vincentii, cum ornamentis, & Curtibus, & omnibus pertinentiis ipsarum, & servis, & ancillis, & universis eorum. Theodoricus quoque Calatiæ Comes concessit Curtem unam, quæ dicitur sglle cum pertinentiis, & scutellam argenteam, & Scattones tres, garales duos, badum aureum unum, equos tres, & alia nonnulla.

His diebus orta est occasio, cur Saraceni advenerunt. Nam secundus filius Siconis nequiter à suis occisus, Radelchis Thesaurarius ipsius in Principatu successit. Interea Capuani, quibus Landulphus Gastaldius præerat, prædictum Radelchim infensum habentes, ad Siconulfum apud Tarentum exulem, supradicti Siconis filium se conferunt, eumque in Principem eligunt. Qui Siconulfus, cum eisdem Capuanis, & maxima Beneventanorum manu Radelchis inimicorum, Salernum ingressus, contra Radelchim insurrexit, cœperuntque invicem litigare. Sed quoniam, ut ait Veritas, *omne Regnum in se divisum desolabitur*; Et ut Livius: *Concordiâ parvæ res crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur*, vicissim ab his Saracenorum exercitus, alter adversùs alterum, & diversis orbis partibus evocati, totum non modò Principatum, verùm etiam Italicum Regnum ferro, & igne per annos XXX. demoliti sunt. Primus itaque Radelchis Saracenos invitat: Quorum Rex Calphon &c. *ut supra*. Hoc in tempore Sanctissimus Bassatius, Vir per omnia antiquis comparandus, à Ludovico Imperatore per Sceptrum Romani Imperii de toto Cœnobio est investitus. Hic Ludovicus Italiam dum ingressus fuisset cum Clothario Patre, ad Casinense Cœnobium veniens, possessiones universas ablatas restituit, & parinos nativos, & grisos, calicasque cum guindis, & ocreas fratribus concessit, & pelle vulpina lectisternia eorum operiri statuit. Nam usque ad tempora illa Monachi cucullas nigras cum villis nigris habebant. His diebus ingens Saracenorum multitudo Romam advecta Monasteria Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli ex integro deprædati sunt, multos inrerficientes; & per Appiam viam ad cremandam Fundanam civitatem venerunt; sicque advicina hujus Monasterii S. Andreæ Apostoli, & S. Apollinaris cremantes, ad sacrum Cœnobium (cujus famam jamdudum vulganter audierant, quamquam præsentialiter cernebatur ex loco) satagebant properare. Sed quoniam tardior illos hora cohibuit, tentoria figunt, altero ut die totum Cœnobium destruerent. Maxima tunc erat cœli serenitas, tantaque fluvii siccitas, ut pedibus quis transfundaret; ita quòd nec per vastum temporis spatium tenui, vel stillicidio arva erant perfusa. Ast ubi noctis horror incubuit terris, unus Christicolarum è castris aufugiens Agarenorum, ad Bassatium Sanctum clamabundus, & ex habitu lugentia signa prætendens, sic orsus: Annuisset cuncta regentis dextera, quò te Pater numquam novissem. Et lacrymarum rivulis genas respergens adjunxit: Sceleribus suis Christianorum exercitus per compita fugit, per rura, per valles; Campanumque solum penitùs deleverunt Agareni, & Casinense Cœnobium incendendum, ac Monachos occidendos venire professi sunt. Hæc dum fratres suis auribus accepissent, horrendamque sibi mortem imminere conspicerent, maximè perterriti, nudis pedibus, & cinere asperso capite ad Sanctum cum Letaniis ascendunt. Patrem Benedictum orantes, ut animas misericor-

A diter dignaretur recipere, quorum corpora tam repentinæ cladi suo tradere judicio decrevisset. Tota igitur nocte vigiliis, orationibus intentis, Sanctus Apollinaris Abbas Bassatio Abbati apparens ait: Quid, fratres, ita turbamini? Cui Bassatius: Propter mortem, quam ante oculos cernimus, Pater, omnium nostrûm, & loci hujus desolationem. Nolite, ait Apollinaris, timere. Beatus Pater vestram à Domino liberationem obtinuit; ipsumque pariter nobiscum in auxilium vestrum pro certo venisse noveritis. Perspicite tantùm vota vestra, & supplicationes ad Dominum: quod etiam nos unà vobiscum ante conspectum Domini facimus. Hocque Abbas expergefactus dum fra-
B tribus indicasset, cum lacrymis, ac singultibus in faciem procidentes, Deo gratias reddunt, immensisque jubilationibus benedicunt, & hymnis, & laudibus noctis residuum peragunt. Cùm ecce circa matutinas vigilias subitò cœlum, quod eatenus, ut diximus, serenissimum fuerat, obnubilatur; tamque valida inundatio facta est, coruscant fulgura, tonitrua mugiunt, ut fluvius Lyris ultra ripas excrescens redundaret. Mane facto igitur, Saraceni surgentes, ad flumen properant, vident eminus, quem die præterito pedibus transire poterant, vix nunc posse se illius vel ripas attingere; cœperuntque scrutari, sicubi navem reperire valerent. Sed cùm omni spe frustrati totius prædæ Cœ-
C nobii, qua onustari putabant, se vacuos conspicerent, sicut sunt barbaræ, immitisque naturæ, stridentes dentibus cuncta per circuitum sacri Cœnobii succidentes, Cajetam revertuntur. At inde debilitatis, & subnervatis, ac dimissis equis suis, conscensis navibus ad propria Africana redierunt. Cùmque ita proximi patriæ essent, ut montes vicinos aspicerent, & nautico more plausus inter se darent, repente conspiciunt unum inter suas huc illuc naviculam discurrentem, in qua duo tantùm videbantur, unus Clerici specie pulcra canitie, alter verò habitu erat indutus Monastico, à quibus diligenter interrogati, unde tam hilarès remearent? quidve inibi operati essent? ab Italia se, & ab
D ipsa Roma reverti, ibique se maximas cædes, rapinas, atque incendia perpetrasse fatentur. Et Petri quidem, inquiunt, ac Pauli Ecclesias devastavimus; ad Benedicti verò Cœnobium deprædandum cùm transire nequiverimus, Cellas ejus trans ipsum positas igne succendimus. Cùmque demum & ipsi ab eis requirerent, quinam essent: Ajunt: nos illi sumus, quorum vos domos diripuisse, & cremavisse gloriamini. Verumtamen qui simus, quantocius nosse habetis; & cum hoc verbo disparuerunt. Repente igitur surgente procella, naves illorum & inter se collisæ, & partim inter montes, & scopulos inclusæ naufragari coguntur. ita ut vix aliqui evaserint, hæc ad aliorum notitiam enar-
E rantes. Hoc modo Petrus Apostolus, & Benedictus Pater suas injurias vindicarunt.

Eo etiam tempore Ludovicus Imperator Romæ à Sergio Papa est coronatus. Ad quem Casinensis Archimandrita perveniens, accepit ab eo Curtem, nomine Lajamim, & Turturritum ex integro. Cui Imperator præcepit super causas Imperii vigilare; & Abbatem Casinensem numquam ab Imperatoris latere infra inferiorem Italiam abesse; sicque Casinum veniens, omnibus in Italia ordinatis, reversus est.

Post hæc Massar Dux Saracenorum absente Imperatore omnia devastabat. Qui dum quadam die secus hoc Patris Benedicti Cœnobium

iter

iter ageret, adeò mens ejus divinitus immutata est barbara, ut dum canis illius unam in pratis Monasterii aucam cepisset, per semetipsum cum flagello cucurrerit, eamdemque de ore illius extraxerit. Veniens autem ante januas Monasterii, mox claudi illas præcepit, ne scilicet aliquis illic suorum ingrediens, violentiam aliquam inferret. Præfatum igitur Ludovicum Sanctus Bassatius Abbas adiit, cùm Rempublicam Romanam labefactari, & Christianos occidi à Saracenis cerneret, assumptis de Casinensi Cœnobio sibi duodecim fratribus, & ad Cœnobii custodiam milites CCCLXV. relinquens. Cùmque Imperatorem, ut Casinense Cœnobium, suam videlicet Cameram, universamque Italiam à Saracenis eriperet, enixiùs efflagitaret, ille tanti Patris precibus motus, ad Casinensem Ecclesiam cum immenso exercitu Patrem Benedictum, ejusque Sororem, & Carlomannum salutaturus advênit. Susceptus itaque cum immenso amore à fratribus, per grisobulium submisit Beato Benedicto omnia Monasteria, quæ constructa erant in omni ditione Imperii. Post hæc cum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & Casinensi Archimandrita, Capuam pervênit, & quotquot Saracenorum ibi invênit, capite truncari præcepit Anno Domini DCCCLI. Post Imperator receptus omnes Saracenos ipso die Vigiliarum Pentecostes extra civitatem jugulari præcepit, & Ducem Massar capite plecti. Ibique inter Radelchim totam Provinciam, ac Siconulphum æquo discrimine partitus, præter Casinense Cœnobium, & S. Vincentii, omnibusque ordinatis, in inferiori Italia, Neustro-franciam rediit. Post hæc ingens Saracenorum classis iterato Italiam adiens devastabat. Rursusque per Venerabilem Bassatium Imperatorem adeuntem, suggestum est, ut ad liberationem Christicolarum festinaret. At Ludovicus, qui defuncto nuper Patre solus regnabat, comitante jam dicto Abbate, cum immenso exercitu Casinum pervênit, & Barum pergens, multos Saracenos morti addixit, Uxor namque Ludovici Imperatoris in Tucbaldum Palatii Comitem post Imperatoris discessum oculos injecit; vidensque eum pulcherrimum, & secundum ab Imperatore Regali genere ortum, cœpit eum ad turpe lenocinium provocare. Diligebatur namque idem Tucbaldus ab Imperatore, & ab Imperatrice, licèt diversimode. Quæ diabolico debriata spiritu, nactâ horâ, dum Comitem venientem vidisset, cubiculum ingressa, ad se illum evocans, dixit: En ut cernis tui de amore pereo; quapropter rogo ut assensum præbeas; Nam Imperator, ut nosti, intra Italiam commoratur: Si consenseris, Romanum tibi tradam Imperium: si non, mortis incurres periculum. Comes autem ad Imperatricis dicta turbatus blandis alloquiis illam à prava voluptate revocare cœpit; sed frustra dentem in dentem tundebat, frustra aërem verberabat. Illa autem dum se contemni vidisset, apprehensa lacinia vestimenti, cœpit trahere eum ad obscœnitatem libidinis. Tucbaldus verò plus Deum, quàm Imperatorem formidans, mantum, quo utebatur in manu illius reliquit. & abscessit. Regina autem dolum in corde retinens, retento indumento, scidit vestimenta sua, & redeunti Imperatori ostendens dixit, se à Blatino Comite violatam. Statim Augustus, ac si suam comperisset mortem, missis militibus Tucbaldum ad se venientem. inauditum, vitâ privari præcepit. Uxor verò Tucbaldi, Cæsaris iram formidans, ad Patrem Benedictum cum filio suo declinavit, virum suum à Ludovico Imperatore occisum deplorans. Cùmque propter Saracenos idem Imperator à Berthario Casinensi Abbate, ut infra plenius dicetur, ad Italiam evocatus fuisset, & ad Clusas Liguriæ pervenisset, Papa Benedictus, ut moris erat, ei processit obviam: At Andaberta Uxor præfati Tucbaldi injustè perempti conqueritur virum suum, velle se illum à falso crimine purgare, si tamen id Cæsari, ac Pontifici complaceret. Nec mora, accenditur ignis; vomeres duodecim inflammantur, super quos illa, Deo se protegente, nudis pedibus illæsa deambulavit. Imperator autem, se esse reum de perpetrato crimine sciens; cum Papa Benedicto fecit præceptum Tucbaldo filio interfecti Comitis, & ejus hæredibus in perpetuum de Ducatu Liguriæ, & Tusciæ, ab Urbe Roma usque ad Mutinam, & per totum Camarinum usque in Diviam, confirmans etiam Comitatum Constantiensem, & quicquid in Alemannia retinebant. Concessit autem eis in perpetuum Comitatum Mutinensem cum aliis octo Comitatibus.

Post hæc Geodam Rex Saracenorum Augustum discessisse prænoscens; omnia crudeliter devastabat. Hæc ubi, Imperator per Sanctum Bassatium nunciantur, innumero Gallorum adunato exercitu, ac Romanorum, Longobardorumque caterva stipatus, venit Casinum. Interea Sanctus Abbas Bassatius VI. Kal. April. præsentiæ Domini redditus est, & juxta Ecclesiam Patris Benedicti in ipso Fratrum Capitulo digna satis sepultura reconditus. Hujus valde maximum fuit tam sursum, quàm deorsum in rebus Ecclesiasticis studium.

At à Casinensi Congregatione Sanctus Martyr Christi Bertharius jam dicti Bassatii discipulus eligitur, moribus, & vita strenuus, inque bonitate conspicuus. Qui qualiter totis viribus contra Saracenos dimicavit, & quomodo usque ad mortem Christianos dilexit, Præcepta Imperialia, & finis ipsius rei indicia pandunt. Hic itaque velut pretiosum lilium nitens, generosa stirpe progenitus, septennis ad Patrem Bassatium veniens se recipi rogavit. Quem Abbas in spiritu præcognoscens, qualis futurus esset meriti, suscepit. Congregationi associatus, quam cœlibem duxerit vitam, candida rutilans virginitate, penè innumera scripta testantur. Erat in cunctis contemplativus, ac Dei secretorum sublimis, ac ardentissimus exorator, ac speculativus. Erat vultu hilaris, sermone politus, animo pius, corde benignus, in lectione sedulus, in oratione vigil. Cui benignitas, quæ secum inolevit à puero, tanta erat, ut eam signis evidentibus, & affectu probabili exhiberet. Unde factum est, ut Venerabilis puer, sicut de virtute in virtutem ætate proficiebat, sic de gradu in gradum Sacrorum Ordinum proveheretur, usque dum ad Cœnobii regimen, Deo propitio, sit sublimatus. Sed libet, qui mos erat Congregationis nostræ tunc temporis, retexere. Nam pridie Kal. Septemb. Conventus ad tunc locum veniebat universorum cum suis Præpositis Monachorum docendi ab Abbate, quid facerent, quid caverent, quidve corrigerent; seu qualiter sub Dei præsentia, & timore cum Regulari observatione vivere deberent. Sequenti verò die ordinabantur, & describebantur, atque destinabantur in obedientias per singulas, prout opportunum erat, Provincias. Electus igitur Bertharius Nonus decimus Abbas præfuit annis XXVII., & mensibus septem.

F I N I S.

ANONYMI
CARMEN PANEGYRICUM
DE LAUDIBUS
BERENGARII AUGUSTI,
PRIMUM
AB HADRIANO VALESIO
CHRISTIANISSIMI REGIS GALLIÆ
HISTORIOGRAPHO,
Nuper verò
A GUILLIELMO GODEFRIDO
LEIBNITIO
Editum, ac Notis illuſtratum.

IN CARMEN PANEGYRICUM BERENGARII.

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

HAdrianus Valesius V. Cl. primus fuit, qui Carmen hoc Panegyricum anno 1663. Parisiis in lucem protulit. Gallico homini beneficium istud debemus, quod tamen ab Italis expectandum erat; siquidem antiquus, & fortasse unicus Codex MStus, unde Nicolaus Heinsius Poëma hoc in itinere Italico primum descripsit, ac subinde Valesio communicavit, Patavii adservabatur in Monasterio Canonicorum Regularium S. Johannis in Viridario. Eumdem & ego ibi adhuc adservatum proxime praeteritis annis inspexi; neque is, si recte memini, mihi visus est *annorum minimum septingentorum*, ut Heinsius ad Valesium scripsit: quod tamen parum refert. Mirum est, Felicem Osium, qui olim Patavii nullum lapidem non movit, ut veteres Historicos congereret, ac evulgaret, nihil de monumento hoc cogitasse, aut etiam rescivisse. At quoniam Spartam hanc Valesius occupavit, bene sit illi. Nos ejus labore fruemur, & hunc Libellum Italicis Bibliothecis, quum nimis rarus antea fuerit, familiarem ac facilem nova hac editione faciemus. Neque porro unus Valesius Carmen hoc typis commisit. Anno quippe 1707. Claris. Vir Godefridus Guilielmus Leibnitius iterum inter Scriptores Rer. Brunsuic. Tom. I. pag. 235. edidit, eo quod, ut verisimilis fert conjectura, aliquis ex Majoribus Estensium Principum memoretur Lib. 2. iis versibus.

Advolat Azo ferox subigens in bella sodales,
Vicinoque suas cogens ab limite turmas
Olricus, Latium Hadriacis qua clauditur undis,
Ac labor est saevis gladios praetendere Abaris.

Carmen vero istud inter pretiosiora monumenta, quae Italicam Historiam juvare possint, recensendum est. Nimis enim tenebris apud nos urgetur Seculum, quo Berengarius floruit, ex inopia nempe Scriptorum temporis illius. Et eo pluris faciendus est Poëta noster, quod aequalis fuerit Berengarii ipsius, & de Principe adhuc vivente scripserit. Sed quum multa in ejus Carmine occurrant perobscura, tum metri causa, tum etiam quod illius temporis gesta in Italia pauci memoriae tradidere, rem non ingratam, imo utilem Lectoribus me facturum censui, si ipsas Notas, quibus doctissimus Valesius idem Carmen illustravit, in hac nostra editione retinerem, & rursus recuderem. Jam statuit ille, Berengarium Augustum Gallicae genti attribuendum; sed ego in Antiquit. Estens. Cap. 23. pag. 225. incertum hoc, & dubium esse ostendi. Quod vero Berengarius admodum juvenis in Regem Italiae anno 888. adlectus fuerit, id mihi innotuit ex sigillis cereis Diplomatum, quae ipse dedit primis sui Regni annis, & ego non semel inspexi. Ibi enim effigies hominis imberbis, vultumque juvenilem praeferentis, qualem non videas in subsequentium annorum Diplomatis. Placuit mihi Valesii Notis breves alias addere, quibus Leibnitius editionem suam ornaverat, uti & brevem Chronologiam Panegyrici hujus, quam idem Leibnitius in calce subjunxit. Quod tamen ille a mense Majo anni 887. exordiatur Regnum Berengarii in Italia, id minime solidis fundamentis niti constanter ajo. Mihi quippe ante oculos obversata sunt duo Diplomata Caroli Crassi Imperatoris, data *anno* 887. *III. Idus Augusti in Curte Regia Lustonoa*, seu *Justonoa*, pro quibusdam praediis Angelbergae olim Imperatricis in Italia morantis. Quare nondum eo anno locus fuit Berengario invadendi Regni, quod solum post mortem Caroli subsequenti anno 888. factum est. Sunt & alia mihi ante oculos Diplomata nondum edita ejusdem Berengarii, ex quibus idem evincitur. Unum datum est *anno* 889. *IV. Idus Septemb. anno Regni II.* Alterum *anno* 894. *IV. Non. Sept. anno Regni VII.* ut alia omittam. Sed de his fusius differendi opportunior occasio se mihi offeret, si aliquando alteram Partem Antiquitatum Estensium atque Italicarum pertractare vacabit, ubi complura Diplomata ad Berengarium spectantia proferam, a quibus hoc ipsum Carmen majorem lucem mutuabitur.

HADRIANI VALESII
PRÆFATIO
IN PANEGYRICUM DE LAUDIBUS BERENGARII AUG.

Nicolaus Heinsius Danihelis filius Batavus, vir non patrio solùm nomine sed etiam studiis suis clarus, anno MDCL. Lugduni Batavorum Cl. Claudianum edidit cum veteribus codicibus scriptis collatum, notisque illustravit, ac dono mihi dedit. Quas ego notas cùm evolverem, animadverti Poëtam quemdam nondum editum de Gestis Berengarii Augusti ab eo non semel laudari: cujus pauculis versibus lectis, statim (ut sum Historiæ omnis ac præsertim Francicæ studiosissimus) totum opus videre ardentissimè concupivi. Intelligebam enim Poëtam, qui de Berengario ex professo scripsisset, historici nobis loco futurum, & res laboriosi Principis, secundis, adversisque eventibus variatas, ac crebra veluti scenæ mutatione confusas, diligenter enarraturum. Itaque paulò post per literas Heinsio pro munere gratias egi, eumque simul rogavi, ut si carmen istud Panegyricum de Berengarii laudibus totum descripsisset, ac penes se haberet, mihi mitteret. Rescripsit mihi Nicolaus Heinsius Lugduno Batavorum anno MDCLI. pridie Kalendas Julias, Poëma de Gestis Berengarii Cæsaris quatuor in libros divisum, Patavii in Bibliotheca Monasterii Sancti Johannis in Viridario servari, ante annos saltem DCC. scriptum: illud in arca tineis, ac blattis expositum se invenisse, cœpisse etiam describere, sed labore esse deterritum, tametsi versus, ut ferebat ætas, pessimi non essent: proxima hieme futurum se in Italia, ac totum Panegyricum transcribi, & ad me perferri curaturum. Si Codex, qui exiguus nec ceterorum more catenulá pluteis alligatus erat, subductus esset ab aliquo, at Romæ ejus exemplar repertum iri apud Lucam Holstenium, qui ab ipso monitus, Johannis Rhodii operá totum Codicem describendum curavisset. Postmodum venit Luteciam Parisiorum Heinsius unà cum Luca Langermanno Hammaburgensi, adolescente studioso, jussu Reginæ Christinæ profecturus in Italiam. Hunc, cùm me sæpius inviseret, multis repetitisque precibus; & mox cùm Italiæ Bibliothecas circuiret, Romæque commoraretur, literis rogavi, ut urbis Antenoreæ, promissique sui meminisset. Rescripsit Romá Heinsius anno MDCLII. III. Kalend. Majas, se uno tempore literas meas, & Johannis Rhodii Patavini epistolam accepisse, in qua scribebat, Panegyrici de Berengario exemplum alterum apud se esse, alterum apud Holstenium, curante se scriptum: si Heinsius Romæ librarium offenderet, Valesii desiderio celeriùs satisfactum iri. Adjecit Heinsius, ex his apparere quantopere mei, & mandatorum meorum servaret memoriam: se tamen ex ipso autographo carmen de Berengario exscribi malle, idque ut fieret sibi unicè curæ futurum. Idem & Lucas Langermannus Hammaburgensis, ejus comes peregrinationis Italicæ, à me interpellatus rescripsit eodem anno pridie Idus Maji, facturum se uti optatum de vita Berengarii exemplum haberem, postquam ipse ac Heinsius Patavium repetissent. Tandem circa initium anni MDCLIV. Panegyricum illum accepi, & ex literis Heinsii datis Idibus Martiis Ubsolæ vel Upsalæ quæ est Suedorum Metropolis, didici ad latus cujusque paginæ veteris Codicis adscripta fuisse passim scholia, in expositionem obscuriorum auctoris locorum: quæ pleraque omittere visum fuerit, quòd majore ex parte nullius ponderis, momentique essent. Exemplum vel apographum meum scriptum esse manu adolescentis Germani, quod Lucas Langermannus postea cum autographo composuerit, & plurimis in locis ejus fide emendaverit.

Quòd si haud falsò Heinsius judicavit, Codicem Monasterii Patavini Sancti Johannis in Viridario, carmen de Berengario continentem, annorum *esse* minimùm septingentorum: *(ut haud falsò videtur judicavisse) credere convenit eum codicem circa Berengarii majoris ætatem ipsius fortè auctoris manu scriptum, & opus à Poëta æquali Berengarianorum temporum, hoc est ante annos ferè quadraginta & septingentos compositum esse: cùm Berengarium seniorem Imperatorem Romanorum anno DCCCCXXIV. aut insequenti interfectum esse constet. Certè ab auctore æquali Panegyricum de laudibus Berengarii Augusti, vivo etiam tum ipso scriptum esse, plurima sint quæ mihi persuadeant. Inprimis Panegyristes in Prologo librum suum sic alloquitur.*

Nonne vides, tacitis abeant ut sæcla triumphis,
Quos agitat toto orbe colendus homo?

Taceri dicit à Scriptoribus triumphos, non quos egerit sed quos agat Berengarius; victorias non quas ex hostibus tulerit, sed quas ferat Princeps orbe toto colendus: *quem ibidem* summum virum, virum pium, genesi & factis legendum, ac caput summum *appellat. Tum ergo Berengarius vivebat. Nec enim mortuus triumphos agere dicitur, sed egisse: non hostes vincere dicitur, sed vicisse. Ibidem ait, licèt Panegyricus suus de Berengario cremaretur, non defuturos viros bonos, qui amore tanti, & tam pii Imperatoris impulsi, laudes ejus perire non sinerent, carmenque suum describerent, ac servarent.*

Tu licèt exustus vacuas solvaris in auras,
Pars melior summi scribet amore viri.

Scribimus plerumque amore Principum quos vidimus, non eorum qui diu ante nostram ætatem vixere. Addit, se pii Regis pauca de multis gesta exposuisse contentum fore.

Sat mihi, pauca viri ponere facta pii.

In libro II. *Poëta de posterioris Widonem inter ac Berengarium prœlii apparatu scribens, nominatim, & exactè enumerat præcipuos* Widonianarum, *& Berengarianarum partium duces: nonnumquam patriam, plerumque Ducatum, Comitatumve, aut Marcam singulorum, numerumque cujusque copiarum indicat: tum summam belli attigisse contentus negat sibi vacare, de gregariis militibus qui à mediocris sortis Ducibus aut (uti loquitur) à* modicis magistris *regerentur, aliquid dicere, quod docti, & eloquentes aliquando facturi sint.*

Va-

Vacat non denique vulgus
Instabili motum studio modicisque magistris
Profari. Quandoque manent hi sorte labores
Doctiloquos. Mihimet summam tetigisse duelli
Sufficiat.

Postremò adjicit, se ex industria præterire Episcoporum Italiæ nomina, qui huic pugnæ Berengarium inter Widonemque commissæ interfuerunt, & hunc aut illum juverunt.

Farier illectos studio Mavortis utrimque
Pontifices vereor.

Ergo Panegyristes noster notos apprime habuit non solùm clarissimos Berengarianarum, & Widonianarum partium Duces, sed etiam obscuriores quosque, ac inferioris sortis, ipsum quoque vulgus, *seu gregarios milites, quos enumerare potuit, verùm noluit, ac tanti esse non putavit: notissimos habuit & Episcopos urbium Langobardiæ, Berengarii, ac Widonis adjutores, qui professionis suæ, Canonumque immemores, ad bellum profecti erant: sed dignitati eorum parcens, nominibus abstinuit, digná Catholico scriptore verecundiá deterritus: quæ tanta ac tam exacta notitia hominum tum in Italia viventium nisi æquali auctori haud dubiè convenire non potest. Denique Ludovicus Bosonis filius post occupatum Regnum Langobardiæ, Veronæ desedisse securus dicitur à Poëta in libro ultimo, ac nihil à quoquam sibi timuisse falsa mortis Berengarii famá sublatus, feroxque factus.*

Nil veritus: metuenda nimis quia sustulit ipsum
Fama, Berengarium leti dispendia passum.
Ah! Latium quis te tantis defenderet armis?
Ergo pius Genitor rerum servato magistrum,
Ne pereant uno Latialia gaudia leto.

Hi tres postremi versus (ni fallor) apertissimè docent, Poëtam Berengarii æqualem fuisse, cùm pro salute ejus, quem rerum magistrum, *idest rerum dominum vocat, Deum oret, & eo mortuo defuturum* Latio, *seu Italiæ validum* defensorem, *ac Italiæ felicitatem perituram affirmet: quæ nisi vivo Principi precari; nisi de vivo Principe dicere Panegyristes non potuit. Jam verò ut literis, & donis ab Johanne Papa X. ad Imperium invitatus sit Berengarius, quanto favore, & honore à Romanis exceptus; ut Senatus Romanus, schola Græcorum, cæterique exteri obviam ei processerint; ut frater Papæ, & Consulis filius pedes ejus sint osculati; acclamationes populi quales extiterint; ut Papæ equo Urbem invectus fuerit; quo in loco quaque ratione Johannes eum exceperit, & post vota facta in Basilicam S. Petri introduxerit; laudes Johannis, & Berengarii ibi dictas à Clero, atque cantatas, preces ad monumentum Beati Petri fusas à Berengario; ut in Palatio Vaticano idem cœnæ adhibitus à Johanne, ac die demum Paschæ coronatus ante tumulum Petri Apostoli, unctusque & Imperator consalutatus sit, acclamante populo Romano & vitam, victoriamque novo Imperatori precante: ut omnes superiorum Principum donationes, ac beneficia unis literis suis confirmaverit; quæ dona Principi Apostolorum obtulerit; quanta Episcopo, Senatui populoque Romano pro Imperio munera dederit: hæc inquam omnia ita singillatim persequitur Poëta noster, tam fusè, ac tam diligenter enarrat novem & centum versibus, ut ipsummet his rebus adfuisse non dubitem.*

Pauperem se esse, & de victu, vestituque sollicitum, ipse in Prologo ad librum hocce disticho fateri non erubescit.

Endromidos te cura magis victusque fatigat:
Hinc fugito nugas, quas memorare paras.

Videtur & senex fuisse, ac ætate provectus, cùm carmen Panegyricum de laudibus Berengarii Aug. componeret. Quippe juvenibus quibus sanguis calidior, & vena melior sit, vicem suam demandat, ac veluti lampadem tradit.

Nec tentabo meis ultra fastidia dictis
O juvenes, inferre: calet queis pectore sanguis,
Et plectro meliore movet præcordia Clio.
Mille mihi satis est metris tetigisse labores:
Mævius atque licèt videar, vos este Marones,
Et post Imperii diadema resumite laudes.

Res gestas Imperatoris Berengarii, quos labores *non absurdè vocat propter multa, & periculosa bella adversus varios æmulos Regni,* mille *versibus complexum se dicit, verè quidem, haud exactè tamen LVIII. enim & mille versus quatuor Panegyrici libris continentur: ne de Prologo loquar, qui XVI. distichorum, sive duorum & triginta versuum imparium est.*

Auctoris ut nomen, ita & patria ignoratur. Vix dubito tamen quin genere Italus fuerit: & si quis in provincia Venetia natum crediderit, ei facillimè sum accessurus. De patria, sive Patavium, sive qua alia urbs fuerit, non laboro. Certè tanta rerum Italicarum, tanta originis Berengarii majoris, tanta Procerum Italiæ, qui tum vixere notitia, quanta Poëtæ nostro fuit, neminem in alium, quàm in hominem Italum, æqualem ejus ætatis potest convenire. Multa heic ad historiam illorum temporum pertinentia reperias, quæ apud alios frustra quæsieris. Atque utinam non (ut ait in Prologo) pauca facta *Berengarii Pii Principis* paucis, *sed universas ejus res gestas fusè persecutus esset. Ex his enim quæ dicit, apparet ipsum multò plura de hisdem scire quàm scribat. Quæ & quanta iste, unus, aut primus omnium nos doceat, in Animadversionibus meis suis singula locis observo. Quare nullam heic eorum mentionem faciam. Non inficiandum est tamen, Poëtam nostrum nonnumquam morem Panegyristarum sequi, & Poëticá magis quàm Historica fide quædam omittere, aut narrando parumper immutare, ne quid Berengarii quem laudandum suscepit gloriæ detrahat: sed quàm raró, & quàm parvis in rebus id faciat, in Animadversionibus noto. Hominem fuisse pium admodum & Catholicum, ac demissè de se sentientem, Panegyricum ejus, ac vel solum Prologum legentibus statim apparebit.*

Si quid in prosodia peccat: (ut nonnumquam peccat) si comparationes suas à Virgilio, Statio, cæterisque veteribus Poëtis plerumque totas mutuatur: si interdum vitiosa verborum collocatione, ac confuso ordine obscurat sententiam: si parum Latinis interdum utitur verbis: non hæc ei vitio vertet sapiens, & æquus Lector, sed ætati qua vixit imputabit, & pro captu temporum magni faciendum carmen istud esse judicabit, quod utique historiæ loco habere oportet, & rerum, priscorumque morum, ac rituum relatione, non sermonis elegantiá, aut versuum majestate metiri.

HA-

HADRIANI VALESII
BERENGARIUS AUGUSTUS.

PRiusquam Panegyricum de laudibus Berengarii Aug. notis illustrare aggrediar, operæ pretium est quæ patria quòdve genus Berengarii fuerit, quem patrem, quem avum habuerit, quæ privatus, quæ Rex, & Imperator gesserit, pauculis capitibus exponere: quæ lucubratio, & ad lucem Poëtæ nostro dandam, & ad gravissimos errores doctorum hominum patefaciendos erit aptissima. Hoc opusculum breve quidem, sed laboriosum inscribetur Berengarius Aug.

CAPUT PRIMUM.

Quòd Berengarius major, Francus, & Regiæ stirpis fuerit.

PAnegyristes noster, qui Imperatoris Berengarii æqualis fuit, in libro II. Panegyrici Berengarium Regio Francorum genere ortum fuisse indicat, quum Regnum Italiæ, tamquam avitam hæreditatem ei à Deo collatum esse dicit hoc versu.

Quique Berengario Latium concessit avitum.

In libro IV. eum superiorum *Imperatorum*, Caroli videlicet Magni, & insequentium progeniem exstitisse docet isto disticho,

Romanâ steterat rutilus nec vestibus aulâ,
Induperatorum solito de more parentum.

Idem in libro III. eumdem Berengarium Regis Germaniæ Arnulfi propinquum facit his verbis:

—— Arnulfi Germanica rura prementis,
Brengario sed enim Regum per stemmata juncti,
Tendit ad Imperium.

Erat autem Arnulfus Carolomanni Bajoariorum, Pannoniorum, ac Sclavinorum Regis ex nobili fœmina, sed pellice filius, Ludovici Germanorum Regis nepos, Ludovici Pii Augusti pronepos: qui & Berengarium suam *progeniem*, hoc est hominem suæ stirpis, Regiive generis appellat. Zuventibaldum enim filium suum, quem ad auxilium Berengario ferendum in Italiam mittere decreverat, sic alloquitur.

—— Tantumne potis perferre dolorem,
Nostra ut progenies propria vexetur in aula?

Et in libro IV. ac ultimo Poëta Ludovicum Provinciæ Regem, Bosonis Regis filium, Ludovici junioris Aug. ex Hermengarde filia nepotem, Lotharii Aug. pronepotem, Imperatoris Ludovici Pii abnepotem, vocat Berengarii nostri propinquum, atque conjunctum:

Sollicitat Rhodani Gentem, cui moribus auctor
Temnendus Ludovicus erat, sed stirpe legendus:
Brengario genesi conjunctus quippe superba.

Omittendum non est quod ait Panegyrista initio libri I. Berengarium à Carolo Magno Rege Francorum, ac Langobardorum, ac post Imperatore Roman. genus deduxisse:

Francigenam fateor Karolum prænomine Magnum.
Prodit avis, atavisque illo de sanguine rector
Ausoniæ.

Et quod ibidem asserit, solum Italiæ *à propinquis* Berengarii cùm Regibus tum Imperatoribus, nimirum à Pipino, & Bernardo Regibus, à Lothario Aug. dum pater ipsius vixit, & à filio ejus Ludovico juniore primùm Rege Langobardorum, deinde Imperatore insessum, habitatumque esse.

Sceptrigeri hoc potiùs dudum coluere propinqui.

Certè Berengarius ipse in literis suis, quas Chesnius Tomo III. inseruit ex Chronico Monasterii Acutiani sive Farfensis, Carolum Magnum *proavum suum Carolum Serenissimum Imperatorem* nuncupat. Johannes quoque ejus nominis VIII. Episcopus urbis Romæ Berengario sic scribit. *Dilecto filio Berengario, Glorioso Comiti, Regiâ prosapiâ orto.* Auctor Annalium Fuldensium in relatione rerum anno DCCCXXCIII. gestarum *Perengarium consanguineum Imperatoris*, in rebus an. DCCCXXCVI. *cognatum Regis, qui Forojuliense fruitur*, vocat. *Imperator* autem ille, quem & *Cæsaris*, & *Regis* nomine promiscuè designat, erat Carolus cognomine Crassus, filius Ludovici Germaniæ Regis, Ludovici Pii Aug. nepos, Caroli Magni pronepos: quem quidam *juniorem* & *distortis cruribus* cognominavere. Ibidem in rebus anni DCCCXCV. Berengarium *Perngarium nepotem Regis* Arnulfi qui postea Imperator est factus, appellari invenio, non quòd fratris, aut sororis ejus filius, aut ex filio, filiave esset nepos Berengarius, (nullum enim Arnulfus fratrem, nullam sororem, & parvulos tum filios habebat) sed forsitan quòd avunculo ipsius genitus esset: quemadmodum apud Reginonem in rebus anni DCCCXCII. *Waltharius Comes, nepos Ottonis Regis*, (id est Odonis) *filius scilicet avunculi ejus Adalhelmi* dicitur. Quid, quòd & ipsemet Berengarius in literis, quas infra totas transcripturi sumus, Ludovicum juniorem Aug. Imperatoris Lotharii filium, Ludovici Pii Aug. nepotem *Dominum Ludovicum olim Serenissimum Imperatorem*, & *Consobrinum suum* quater vocitat? Haud dubiè igitur, Berengarius Carolingorum domum gradu aliquo, aliqua cognatione contingebat, nec alius erat, quàm Francæ nationis.

Filia fuit Berengario ex Bertila uxore Gisila, quæ ut scribit Liutprandus in Hist. libri I. capite X. Adelberto Eporediæ Marchioni Anscharii Marchionis filio, homini Franco nupsit, Berengariumque juniorem genuit, qui cum Adelberto filio aliquamdiu in Italia regnavit, donec ab Ottone Aug. regno Langobardico dejectus, & unà cum conjuge Willa in exsilium missus est.

Ex quo intelligitur gravissimè errare Historicos, qui pro duobus Berengariis tres nobis ingerunt, eosque

eosque natione Langobardos, aut Italos faciunt. Domnizo qui circa annum Domini MCXV. floruit, in libri I. capite II. Berengarium posteriorem (quod & de priore dicendum esset) ac filium ejus Adelbertum semel, atque iterum *Langobardos* appellat. Otto Frisingensis Episcopus in Chronici ad annum MCXLVI. deducti libri VI. capite XIII. quem Gotfridus Viterbiensis Presbyter ferè ad verbum transcripsit, post mortem Caroli cognomine Crassi *Imperium à Francis ad Langobardos translatum* ait : & in capite XXII. *Regnum Romanorum post Francos, & Langobardos ad Teutonicos translatum esse anno Domini* DCCCCLXIV. scribit, quo nimirum anno Otto Saxo, Romæ jam à Johanne PP. & à Senatu, Populoque Rom. salutatus Imperator, Berengarium Regem Italiæ cum Willa uxore cepit, atque in Germaniam secum duxit. Videlicet Otto Frisingensis, atque Gotfridus, sed Gotfridus maximè non Widonem modò, ac Lambertum, sed etiam Berengarios natione Langobardos exstitisse, atque adeò tres Berengarios in Langobardia regnavisse crediderunt. Gervasius Tisseberiensis similiter qui circa annum MCCX. scripsit, in Otiis Imperialibus inter Imperatores Romanos unà cum Ludovico Bosonis filio, Hugone, & Lothario numerat Berengarios tres, quos constat plures duobus non fuisse. Sed & Platina Cremonensis, inter recentiores non silendus, qui anno MCCCCLXXXI. obiisse fertur, in Formosi PP. Vita prodit, *Berengarium Ducem Forojulianum à Regibus Langobardorum originem duxisse, & avitum, paternumque Regnum* Italiæ *repetisse*. Idem in Christophoro PP. *Berengarium è Duce Forojuliano Imperatorem creatum* dicit, *quòd in Italia oriundus esset è stirpe Langobardorum Regum* : ac in Stephano VII. *Berengarium tertium* pro secundo vocat *primi Berengarii ex filia nepotem* : & *Rodulfum Burgundionum Regem in Italiam hostili manu contra Berengarium secundum descendisse* tradit : quem Rodulfum Berengario priori Eberhardi filio, Langobardorum Regi, ac Imperatori Romanorum, Berengarii posterioris avo materno bellum intulisse, dejectoque successisse docet Liutprandus. Johannis Baptistæ Egnatii Veneti in libro III. de Romanis Principibus hæc sunt verba: LX. *ferè agebatur annus ab Arnulfi morte, Berengariis interim Langobardici sanguinis Italiam vexantibus, & Ugone, Rodulfo, & Lothario Gallis Principibus rem sibi interdum asserentibus. Cæterùm cùm Berengarius tertius cum Adalberto filio tyrannum veriùs, quàm Principem ageret, arcessitur à Romanis Otto*. Berengarios ergo Egnatius numero tres, eosque genere *Langobardos* facit; Hugonem, Rodulfum, & Lotharium *Gallos*, quo nomine Francos designare voluit. Carolus Sigonius Mutinensis, Historiæ Romanæ doctissimus, diligentissimusque scriptor, Berengarios quidem duos tantùm quot fuerunt agnoscit, sed eos, ut & Widonem, ac Lambertum *Italos*, hoc est Langobardos facit, atque à *Francis* distinguit his libri VI. de Regno Italiæ verbis. *Francos inde Reges Italici excepere*, mortuo nimirum Carolo Crasso. Causa erroris Sigonio fuit, quòd à Liutprando in capite VI. libri I. Historiæ Widonem, & Berengarium *duos ex Italia præpotentes Principes*; & in Chronico Monasterii Acutiani *Guidonem præpotentem ex Italiæ Principibus*, ac *Berengarium nostrum Principem Italicum*, à Sigeberto quoque *Berengarium Italicum* vocari videbat : sicuti à Poëta nostro, qui Berengarium Regio Francorum genere ortum ait, idem nihilominus libri I. initio *Italus Princeps* vocatur, hoc est Princeps Italiæ. Sed aliud est, *ex Italia Principem*, aut *ex Italiæ Principibus, Principemve Italicum* esse; aliud, Italum, vel Langobardum esse. Principibus Italiæ adnumerari, Principesque Italici, aut etiam absolutè Italici nuncupari jure merito potuere Berengarius, & Wido : hic patre Duce Spoletinorum natus, Dux & ipse Spoletinus; ille Ducis Forojuliensium filius, Ducatusque paterni successor. Sed non ideo magis pro Italis, aut Langobardis habendi sunt, quàm Francorum Imperatores, aut Germani, Nortmannique Principes, qui in Italia latè regnaverunt; aut quàm Optimates Francorum, Germanorum, Nortmannorumque, qui apud Italos amplissimas præfecturas videlicet Ducatus, Marcas, & Comitatus obtinuerunt. Cæteros omitto historicos cùm Italos, tum externos, qui in Berengariorum genere, & numero assignando similiter erravere. Leonem tamen Marsicanum præterire non possum, qui in Historiæ Monasterii Cassinensis libri I. capite ultimo non jam è duobus Berengariis tres, sed unum tantummodo facit, & avum, nepotemque confundit. Quippe scribit *post mortem Ludovici Lotharii filii* (Caroli Crassi dicere debuit) *invasisse Italiæ Regnum Berengarium Forojuliensem, verùm in ipso regni initio à Guidone duobus prœliis superatum aufugisse*. Guidoni Lambertum filium successisse, Lamberto Ludovicum Bosonis Regis Provinciæ filium, *adversùs quem Rodulfum Regis Burgundiæ filium in Italiam venisse* : Rodulfo expulso, *Hugonem unà cum Lothario filio Italiæ Regnum aliquot possedisse annis*, tum Lotharium solum : qui phrenesi exstinctus, *deinceps in Italia regnandi Francorum Regibus terminum dederit, Italiæ Regno à Francis ad Teutonicos* (scilicet ad Ottonem Saxonem) *translato. Interea Berengarium prædictum cum filio Alberto denuo Regnum invadere* gestiisse. At Berengarius iste Alberti, seu Adelberti pater, Berengarii majoris de quo scribimus, è Gisila filia Adelberto Eporediæ Marchioni nupta nepos fuit. Optimè tamen, ac verissimè Leo non Berengarium modò, vel potiùs ambos Berengarios, sed etiam Widonem, seu Guidonem cum Lamberto filio, & Ludovicum, Rodulfum, Hugonem, ac Lotharium Hugonis filium, Francos natione facit, *Francisque* (quales omnes fuere) *seu Francorum Regibus* adnumerat. Ex quibus Rodulfus quum in Italiam venit, non Regis tantùm Burgundiæ filius, sed patre dudum mortuo Rex Burgundiæ erat : neque *adversùs Ludovicum Bosonis filium venit*, (ut ait Leo) sed adversùs Berengarium majorem, à quo multis ante annis Ludovicus Regno pulsus erat, & excœcatus. Ad patrem Berengarii majoris venio.

CAPUT SECUNDUM.

De patre Berengarii superioris.

PAtrem habuit Berengarius Eberhardum Ducem Forojuliensium, qui & Everardus dictus est. Certè auctores Annalium Bertinianorum, Fuldensium, atque Mettensium, Regino quoque, Hermannus Contractus, & Marianus Scotus, aliique *Berengarium filium Eberhardi* appellant, eumque cùm Ducatum Forojuliensium teneret, à parte quadam populi Itali Regem statutum esse scribunt anno Domini DCCCLXXXVIII. Leoni Marsicano in libri I. Chronici Cassinensis capite LXIV. & ultimo Berengarius noster vocatur *Forojuliensis, Berardi Marchionis filius*, vel potiùs Eberardi. Nimirum regionis Forojuliensis præfectus, quæ jam inde à Langobardorum in Italiam adventu Du-

cem sibi suum habere cœperat, ut Dux sæpissimè, sic nonnumquam Marchio dicebatur: & Ducatus Forijulii, jam ætate Caroli Magni interdum *Marchia*, vel *Marca Forojuliensis* nuncupabatur, sicut in Eginhardi Annalibus non semel reperio.

Apud Aubertum Miræum Bruxellensem in Codicis Donationum piarum capite XXI. Everardus quidam Comes, & Gisla uxor ejus res suas omnes, etiam mobiles inter liberos suos dividunt. Ambo autem in Francia Orientali, videlicet in Hasbanio, in Toxandria, in Condrusis, & in Austerbanto, in Langobardia quoque, præsertim in pago Tarvisiano, & in Alamannia prædia amplissima possidebant, filiosque habebant Unrochum, Berengarium, Adalardum, & Rodulfum; filias Ingeltrudem, Juditham, Heilwicham. Facta hæc divisio *Imperante Domino Ludovico Aug.* anno regni ejus XXIV, uti docet Testamentum Everardi Comitis, quod Aubertus Miræus ex Monasterio Cisonio ab Everardo condito eruisse se ait: observatque Everardum hunc Comitem in matrimonio habuisse *Gislam Ludovici Pii filiam*, Caroli c. Calvi Imper. sororem, atque à Frodoardo in libri IV. Historiæ Remensis capite 1. *Everardum Marchionem* vocari, qui Monasterium S. Callisti PP. & Mart. in prædio suo exstruxerit, quod prædium, nimirum Cisonium Rodulfus Abbas ipsius filiorum minimus unà cum Monasterio, & corpore S. Callisti Remensi Ecclesiæ moriens legaverit: obiisse autem Everardum in Italia, cujus corpus Unrochus major filius Cisonium detulerit, & cujus natalis XVII. Kalendas Januarias quotannis ibi celebretur. Tum addit. *Ceterùm (quod hactenus à nemine notatum) secundus filius S. Everardi Berengarius, cujus supra in Testamento fit mentio, postea Rex Italiæ, ac demum Imperator fuit*. Testamentum ipsum idem scriptor semel atque iterum notat *anno Domini* DCCCXXXVII. factum, qui fuit Ludovici Pii Aug. Imperii quartus & vicesimus. Andreas Chesnius vir rerum nostrarum peritissimus, in Historiæ Regum Burgundiæ libri II. capite VII. Gislam quoque *uxorem Everardi Ducis Forojuliensis, & Comitis Cisoniensis*, matrem, ex eo præ ceteris *Berengarii Ducis Forojuliensium*, inter Imp. Ludovici Pii liberos numerat. Gravius Andrea Chesnio errarunt Galterus, ac Ludovicus Sanctamarthani in libri VII. capite VI. qui Miræum ex toto secuti, non modò *Gislam Ludovici Pii Aug. filiam fuisse*, & Everardo *Duci Forojuliensi, ac Comiti Cisoniensi* nupsisse, sed etiam *Berengarium, qui Forojuliensium Dux, ac postea Rex Italiæ* fuerit, præter ceteros genuisse scripserunt. Sed Alpaidem quidem Begonis Comitis uxorem, Letardi, & Ebrardi matrem apud Frodoardum, ac in Chronico Hildineshemensi; & Hildigardem apud Nithardum in libro III. Ludovici Pii filias reperio: Gislam ejusdem Imperatoris filiam nusquam reperio: quæ ne in Testamento quidem isto Ludovico Aug. genita fuisse dicitur. Adde quòd Everardum huncce pro Comite, vel Marchione Ducem Forojuliensem, & Comitem Cisoniensem Andreas Chesnius, & Sanctamarthani gemini cùm vocant, gratis vocant, nec Testamenti tabulis, nec ullo vetere, aut recentiore auctore nixi: tamquam tum Ducatus, Comitatusque hereditarii essent; aut tamquam Cisonium vicus ignobilis Comitem tum suum haberet, quod nonnisi nobilioribus, & clarioribus opidis conveniebat. De loco mortis, & sepulturæ Everardi Comitis Miræo credat qui voluerit: verùm Berengarium ejus filium Ducatum Forojuliensem, ac postea Regnum Italiæ tenuisse, nec Miræo, nec Sanctamarthanis fratribus credere quisquam historiæ, & temporum peritus potest. Quippe anno Domini DCCCXXXVII. Imperii Ludovici Pii XXIV. testamentum fecisse Everardus Comes dicitur à Miræo, quo in testamento Berengarii filii meminit Everardus. At Berengarius Eberhardi filius, è Duce Forojuliensium anno DCCCXXXCVIII. Rex Italiæ factus est, videlicet anno LI. post scriptum hoc testamentum, & anno Christi DCCCCXXIV. à suis occisus est, sicuti Frodoardus memoriæ tradit in Chronico. Quare dicendum esset, centum annos vixisse Berengarium, si vel XII. tantùm annum attigerat, quum pater testamentum fecit, & bona sua inter liberos divisit. Quod falsum esse nemo non videt, præsertim cùm Berengarius *juvenis* ad Regnum Italiæ pervenerit, ut ex Johannis PP. VIII. ad ipsum epistolâ intelligitur. Meliùs ergo fecisset Miræus, & verisimiliora scripsisset, si nomine *Domini Ludovici Aug.* non Ludovicum Pium Aug. sed ejus nepotem Ludovicum juniorem Aug. in testamento Everardi C. designari dixisset, & anno *regni Domini Ludovici Aug.* XXIV. non annum Christi DCCCXXXVII. sed DCCCLXVII. vel DCCCLXXIII. attribuendum putasset. Ludovicus enim junior, Lotharii Aug. filius, Ludovici Pii Aug. nepos anno DCCCXLIV. à Sergio Episcopo Romano Rex Langobardorum unctus, consecratusque, à Leone anno DCCCL. vivo patre unctus est Imperator: decessit anno Domini DCCCLXXV. regni Langobardici, seu Italici XXXII. Imperii XXVI. quemadmodum Annales Bertiniani docent. Certè *vir Illustrissimus Ebrardus ex Principibus Imper. Lotharii*, cui Hincmarus R. E. scribit apud Frodoardum in libri III. capite XXVI. Berengarii nostri pater mihi videtur fuisse. Quin & si Alberico creditur, Eberhardus ex Comite Dux Forijulii à Lothario Aug. constitutus, corpus Callisti PP. ab Episcopo Brixiæ impetravit, & in prædio suo Cisonio collocavit anno Imperii Lotharii ultimo. Quod si verum est, Everardus, seu Eberhardus Comes, de cujus testamento supra locuti sumus, usque ad Ludovici junioris Aug. Ludovici Pii nepotis tempora pervênit.

Johannes qui eo nomine octavus Ecclesiam Romanam rexit, Berengarii nostri patrem *piæ memoriæ, nobilissimum quondam* vocat, bonumque, & Sedi Apostolicæ devotum fuisse, ac summum Episcopis Romanis honorem habuisse testatur his epistolæ cujusdam suæ ad Berengarium verbis. *Lectis nobilitatis vestræ literis, quia sinceritatem, ac devotionem more scilicet parentum vestrorum circa nos pro amore Jesu Christi Domini, & B. Petri A. P. reverentia vos habere ingentem reperimus, multâ vestræ mellifluæ locutionis dulcedine sumus omnino repleti. Hujus namque bonitatis decus eximium ex moribus piæ memoriæ nobilissimi quondam genitoris vestri vos trahere indubitanter cognoscimus: qui dignum semper honorem, & piam reverentiam antecessoribus nostris, sacris videlicet Pontificibus exhibere tota mentis alacritate studebat. Et ideo pulcræ juventutis vestræ florem de radice justa prodeuntem Dominus exercituum pietatis suæ gratiâ custodiet incolumem*. Scripta est autem hæc epistola regnante jam Carolomanno Ludovici Regis Germaniæ filio, qui nonnisi anno Christi DCCCLXXVI. patre mortuo V. Kalend. Septembris Regnum iniit. Itaque si tum erat in *flore juventutis* Berengarius, haud dubiè juvenis adhuc anno DCCCLXXXVIII. Regnum Langobardorum occupavit. Poëta noster nomen patris Berengarii, dignitatemque non notat; sed quum ab eo prælatam ceteris provinciis Italiam, cariorem que habitam ait,

Et genitor cunctis dilexit cariùs arvis,

satis

satis apertè videtur indicare, eum Ducatum quidem Forojuliensem, aut quem alium in Italia tenuisse: itaut ob id ibi manere cogeretur: habuisse tamen aliis in Franciæ provinciis amplissimas possessiones, & latifundia, in quibus vivere potuisset.

CAPUT TERTIUM.

De avo Berengarii majoris.

QUem Eberhardus patrem, seu quem Berengarius prior avum habuerit, incertum est. Si in rebus obscuris nec à quoquam veterum traditis conjecturæ indulgere licet, suspicor Berengarium appellatum esse. Mos enim tum Proceribus erat, filio primogenito plerumque avi paterni, aut etiam materni, si claritate præcellebat, nomen imponere. Verùm cùm duo, tresve Berengarii propinqui Ludovici Pii, filiorumque ejus occurrant, difficile dictu est quem præferri oporteat.

Ac primùm Berengarius quidam dignitate Dux, propinquus Imper. Ludovici Pii exstitit Huronici, vel Hunroci Comitis filius, vir sapiens, & fidelis, cujus operâ in legationibus Princeps utebatur, & qui Ducatum Septimaniæ expulso Bernardo obtenturus fuit, si non esset immaturè præreptus. Berengarii hujusce mentionem facit Theganus in libello de Gestis Ludovici Pii Imp. *anno DCCCXXXIV. Tunc Imperator misit legatos suos post eum* (Lotharium filium suum) *Baradadum Episcopum Sessonicum, & Gebehardum nobilissimum Ducem, & Berengarium sapientem propinquum suum. Supradicti Duces* (scilicet Gebehardus, & Berengarius) *protulerunt quod eis imperatum fuerat, & instruxerunt eum ut veniret ad præsentiam patris cum cæteris seductoribus suis, promittentes pacem: & ille cum illis promisit venire*. Et paucis versibus interjectis, hæc sequuntur. *Eodem anno in ipso itinere obiit Berengarius, Dux fidelis, & sapiens, quem Imperator cum filiis suis luxit multo tempore. Iste est annus XXIII regni Domini Lodeuvici Piissimi Imperatoris*. Ejusdem meminit auctor incertus, sed gravis, qui de vita Imper. Ludouvici Pii scripsit. Anno DCCCXXXVI. principatus Ludouvici Aug. XXIII. *Causa Gothorum ibidem ventilata est: quorum alii partibus Bernardi favebant; alii ducebantur favore Beringarii, Hunroci quondam Comitis filii. Sed Beringario immatura morte prærepto, apud Bernardum potestas Septimaniæ quammaxima remansit*. Is est fortè Berengarius, quem anno DCCCXIX. Tholosanorum Comitem fuisse Eginhardi Annales, & Vita Ludovici Pii docent.

Invenio & alterum Berengarium Comitem, qui Helletrudem Lotharii Aug. filiam in matrimonio habuit. Hæc post viri sui obitum de Rege Lothario fratre suo quærebatur, quòd res, & prædia à parentibus sibi relicta rapuisset, & Nortmannis in beneficium donavisset: ut scribit Hadrianus PP. II. in sua ad Carolum Gloriosum Regem cognomine Calvum epistola. Hadrianus autem circa initium anni DCCCLXVIII. sedere cœpit: quo anno Berengarius iste Comes, gener Lotharii Aug. jam haud dubiè decesserat. Quippe anno DCCCLXIX. VI. Idus Aug. constat obiisse Regem Lotharium, à quo Helletrudis soror vidua se spoliatam querebatur. Hunc esse existimo *Berengarium Ducem*, memoratum in literis Lotharii Aug. anno Domini DCCCXLIV. datis, quæ in libro instrumentorum Monasterii Casauriensis leguntur, & ita incipiunt. *In nomine D. N. J. C. Lotharius divina ordinante providentia Imperator Aug. anno Imperii ejus XXII. seu temporibus Berengarii Ducis, anno Ducatus ejus VI. die VI. mensis Septembris Indictione VII. &c.* Ducis enim, & Comitis apud plurimos Scriptores appellatio promiscua est.

Fuit & tertius quidam Berengarius propinquus Caroli Calvi Francorum Regis, cui ut & Hugoni collatum honorem, hoc est Comitivam, aut Ducatum ademit anno DCCCLXV. quòd nihil rei adversùs Nortmannos gessisset: sicuti in Annalibus Bertinianis reperitur. *Anno DCCCLXV. Carolus ad Rosiacum villam veniens, Adalardo cui custodiam Regni contra Nortmannos commiserat, sed & suis propinquis Hugoni, & Berengario, qui nihil utilitatis contra Nortmannos egerant, collatos honores tollit, & per diversos eosdem honores disponit*. Is pactioni inter Ludovicum, Carolum, & Lotharium Reges apud Confluentes initæ anno DCCCLX. inter nobiles laicos interfuit, atque subscripsit.

Ex his igitur Berengariis duo, nimirum primus, & postremus Imperatorum nostrorum propinqui fuere, medius gener etiam Lotharii Aug. Sed primum, videlicet Berengarium Ducem, Ludovici Pii propinquum, ut Eberhardi patrem, & avum Berengarii nostri fuisse credam, inclinat animus: propterea quòd cùm Berengarius iste anno DCCCXXXVI. decessserit, & cùm Berengarium nostrum constet jam anno DCCCLXXVI. plurimum in Italia potuisse; XXXIV. circiter annos Eberhardo Berengariorum alterius filio alterius patri possumus assignare. At Berengarius Comes, Lotharii Aug. gener, qui non multò ante annum DCCCLXVIII. mortem obiit; & Berengarius propinquus Caroli Calvi, qui anno DCCCLXV. Ducatu, vel certè Comitiva dignitate privatus est, nullum dant Eberhardo locum, nullum ei temporis spatium saltem justum relinquunt, cùm anno DCCCLXXVI. Berengarius noster jam in Italia auctoritate multùm valeret, sicuti supradiximus. Existimo autem Berengarium Ducem, qui propinquus Ludovici Pii fuisse fertur, & ita appellatur, non aliter quàm materno eum sanguine contigisse, & forsitan ex aliqua ejus sorore furto conceptum fuisse: ita ut Berengarius noster Berengarii Ducis nepos Carolum Magnum *proavum* suum, aut potiùs abavum, Ludovicum juniorem Aug. *consobrinum* suum jure vocaverit, & à Johanne VIII PP. *Regiâ* idem *prosapiâ ortus*; in Annalibus Fuldensibus Caroli cognomine Crassi *consanguineus*, & *cognatus* appellari potuerit. Sed de his quisque pro arbitrio sentiat: ad Berengarii nostri res gestas veniendum.

CAPUT QUARTUM.

Quæ Berengarius privatus gesserit: & de epistolis à Johanne PP. VIII. ad eum scriptis.

ANno DCCCLXXVI. Carolus cognomento Calvus Imperium Romanum, Regnumque Italiæ, seu Langobardiæ, morte Ludovici junioris fratris sui filii vacuum occupavit, & die natali Domini Romæ à Johanne PP. unctus, coronatusque, & Romanorum Imperator appellatus est:

cùmque Ticinum rediisset, Optimatium Italiæ, quos ad se venientes plerosque receperat, ibi Conventum egit, Bosonemque affinem, nimirum uxoris suæ Richildis fratrem Ducem terræ constituit, ac corona Ducali ornavit, atque ordinatis Regni Italici rebus reversus est in Gallias. Imperator Ludovicus junior, Lotharii Aug. filius, Ludovici Pii nepos, moriens filiam ex conjuge sua Angelberga, vel Engilberga superstitem reliquerat nomine Hermengardem, & fidei Berengarii nostri Everardi filii servandam, tuendamque commiserat. Hanc Boso post Imperatoris Caroli ex Italia reditum, negligenter custoditam connivente Berengario per vim rapuit, & in matrimonium accepit, matre puellæ, ut existimo, non invita: sicuti Annales Bertiniani docent his verbis. *Anno Domini DCCCLXXVI. Boso postquam Imperator ab Italia in Franciam rediit, Berengarii Everardi filii factione filiam Hludouvici Imperatoris Hirmengardem, quæ apud eum morabatur, iniquo conludio in matrimonium sumpsit*. Primum igitur Berengarii operum fuit, matrimonium Bosonis: ex quo intelligitur eum jam tum inter Proceres Italiæ non mediocri fuisse potentia. Quamquam Regino in libro II. Chronicorum, & Marianus Scotus, ac Sigebertus tradunt, *Carolum Seniorem Imp. an. DCCCLXXVII. ab urbe Roma in Langobardiam reversum, Bosoni germano Richildis Reginæ Hirmingardem filiam Ludovici Imper. in matrimonium junxisse, diemque nuptiarum tanto apparatu, tantaque ludorum magnificentia celebratum esse, ut hujus celebritatis gaudia modum excessisse ferantur*. Carolus, qui Calvus cognominatus est, *Senioris* tum cognomine à fratris filio Carolo Crasso Rege distinguebatur.

Anno DCCCLXXXIII. adversùs Witonem Comitem Tuscanorum accusatum majestatis & profugum, qui cum valida manu Maurorum, Saracenorumque Italiam depopulantium firmum fœdus pepigerat, idest (ut Hermanno Contracto placet) *adversùs Widonem Ducem Spoletinorum*, qui postea imperavit in Italia, missus est Berengarius ab Imper. Carolo cognomine Crasso: sed nihil magnæ rei gessit, cœli corruptione, & morbis per castra vulgatis exercitum reducere coactus, licèt cum eo dimicasse dicatur. Ob legatos in *urbem Regiam*, hoc est Constantinopolim missos, & ob pecuniam ab Imperatore Græcorum contra jus acceptam, *à Carolo III. Aug. captum* esse Guidonem Ducem Spoletinorum invenio in Erchemperti Historia, & nisi fugâ evasisset, capite plectendum fuisse. Addit Erchempertus, Guidonem cognito *Carolum Aug.* (III. seu Crassum) *seminecem jacere*, cupiditate regni impulsum, deceptumque à contribulibus suis, Beneventanam provinciam, quam subegerat, & Spoletinorum Ducatum reliquisse, & Galliam regnandi gratiâ petiisse: tumque Benevento quidem Græcos potitos, Spoletinos ab Agarenis, seu Saracenis esse vastatos; *ipsum autem invisum, inauditumque mansisse*, hoc est à Francis spretum, & Regni Francici in Gallia spe dejectum, frustratumque esse.

Anno DCCCLXXXVI. inter Berengarium Forojuliensem Ducem, & Liutwardum Episcopum Vercellensem, Caroli Aug. à secretis Consiliarium unicum orta discordia est. Berengarius per vim, aut per insidias Vercellas ingressus, multas res Episcopi pro voluntate corripuit, ac urbe excessit spoliis onustus, nemine prohibente: sed insequenti anno DCCCLXXXVII. ad Imperatorem venit, & magnis muneribus contumeliam, ac injuriam Episcopo factam luit, inimicoque satisfecit: quemadmodum in Annalibus Fuldensibus invenitur.

Sunt ad Berengarium adhuc privatum Johannis Papæ ejus nominis Octavi epistolæ IV. à Chesnio Tomo III. historiæ Franciæ Scriptorum insertæ: in quibus Berengarium non aliter quàm *Gloriosum Comitem*, aut *Illustrem Comitem*, licèt Dux Forojuliensium esset, Johannes appellat.

Primâ epistolâ datâ Indictione XI. idest anno DCCCLXXVIII. quæ incipit, *Lectis nobilitatis vestræ literis*, Johannes Berengarium rogat, ut de injuriis à Lamberto Widonis Spoletini quondam Ducis filio, Duce & ipso Spoletino Sedi Apostolicæ illatis Carolomannum Gloriosum Regem certiorem faciat: Regiis & ipsius etiam Berengarii literis compescendum esse hominem, ac monendum ne Ecclesiam Romanam ampliùs persequatur.

In secunda epistola, quæ incipit, *Quanta, & qualia Romana Ecclesia &c.* scribit, se duce Bosone Principe Franciam navibus petiturum, ibique de statu Ecclesiarum, & de quiete Reip. ac de sua omniumque salute Synodum habiturum: cui ut intersint, Berengarium, & omnes Optimates Regni Langobardici monet, atque hortatur: quam Synodum anno DCCCLXXVIII. Tricassis habitam esse omnes sciunt.

In III. epistola, quæ incipit, *Relatu nonnullorum audivimus*, post coactam in Gallia Synodum, & habitum cum R. Ludovico Imperatoris Caroli filio sermonem, ductu Bosonis Principis Romam se salvum rediisse scribit, Lamberto Comite, quem ob rerum Ecclesiæ Romanæ, & ipsius Urbis direptionem excommunicaverat, nusquam apparere auso: monet, rogat, hortaturque Berengarium, ut omnibus rebus postpositis ad ipsum veniat, de statu Ecclesiarum, & de tranquillitate Reipub. unà secum acturus.

In IV. epistola, quæ incipit, *Quia dilectus, ac Spiritalis filius noster Carolomannus Gloriosus Rex &c.* Johannes Antonio Episcopo Brixiensi, & Berengario Comiti scribit, se cui curam Regni Italici Rex Carolomannus delegaverit, Liutfredum Comitem ab Ecclesiæ communione removisse, propterea quòd Gerlindam Monacham ex Placentino Monasterio fugâ elapsam receperit, detinueritque, atque etiam Engilbergæ Augustæ prædia, & chortes diripuerit. Proinde caveant ambo, ne quid habeant cum eo commune, sed aditum ejus, sermonemque defugiant. Anno autem DCCCLXXX. regni sui quarto nondum expleto, Carolomannus paralysi oppressus VII. Nonas April. obiit: ante quem annum IV. hasce epistolas scriptas esse apparet.

CAPUT QUINTUM.

De Regis Berengarii exortu, rebusque gestis.

UT meliùs noster Poëta Panegyristes intelligatur, & ut cuncti historiæ Francicæ studiosi faciliùs animadvertant, in quibus à veteribus Chronicis, Annalibusque nostris recedit: Berengarii post occupatum Italiæ Regnum res gestas capitulatim suo quamque anno notare potiùs, quàm referre constitui.

Sub finem anni DCCCLXXXVII. Franci Orientales, Saxones, Toringi, Bajoarii, & Alamanni à Caro-

à Carolo Craso Aug. corpore, animoque ægro deficiunt, & ejus in locum Arnulfum Carolomanni
ipsius fratris ex concubina filium substituunt. Carolus anno DCCCLXXXVIII. pridie Idus Januarii
ex Imperatore, & totius Franciæ Monarcha privatus, obiit in Alamannia. Tum Regna Francorum
velut legitimo herede destituta, (nam & Carolus Ludovici Balbi filius à plerisque non legitimus
habebatur) resolvuntur in partes. Berengarius filius Eberhardi Dux Forojuliensis, in Italia; Ro-
dulfus Chuonradi, filius in superiore Burgundia; & Odo Dux filius Roberti, in Francia Occidentali,
& in Aquitania, ac parte Burgundiæ Reges facti. Ex his Berengarius hortantibus Optimatibus
Ticini coronari se jussit. Liutprandus in libri I. capite VI. & Chronici Acutiani Auctor hoc statim
post Caroli Calvi obitum contigisse falsò tradunt, & Widonem, ac Berengarium fide utrimque
data pollicitos esse, si Caroli Calvi superstites forent, alteri Galliam, alteri Italiam altero favente
cessuram: cùm Carolo Calvo anno DCCCLXXVII. mortuo, Carolomannum primò Ludovici Re-
gis Germaniæ filium, deinde fratrem ejus Carolum cognomine Crassum Regnum Italiæ usque ad
annum DCCCLXXXVII. obtinuisse constet: post cujus demum mortem Berengarius in Italia re-
gnare occœpit. Præterea Lambertus Widonis hujus pater vulgò nostris auctoribus creditus, Italis
frater natu major, anno DCCCLXXVII. jam defuncto Carolo Calvo Aug. & anno etiam DCCC-
LXXVIII. vivebat adhuc; Dux adhuc Spoletinorum erat, Ecclesiamque Romanam persequeba-
tur ut Johannis PP. VIII. ad Berengarium epistolæ supra capite IV. memoratæ docent: adeò Wi-
do Lamberti successor vivis Carolo Calvo, & Lamberto, de Regno Galliæ cogitare, & illud sibi
cum Berengario pacisci non potuit. Poëta noster scribit Berengarium à Proceribus Italiæ Regem
electum esse, metuentibus ne à Rheni, aut Araris accolis, vel ut ibidem ait, *à Gallis*, aut *à Germa-
nis revo aretur*, eligereturque. Ex quo intelligitur in Gallia unde genus duceret, & in Germania ei
possessiones plurimas, & maximas, & satis amicorum, clientumque vel ad Regnum ibi obtinendum
fuisse.

Eodem anno Arnulfus Italiam cum validis copiis ingredi, & Regnum Italicum occupare decre-
vit. Quod Berengarius præcavens, præmissis Optimatibus Tridentum ad eum venit. Arnulfus Be-
rengario Regnum Langobardorum totum reliquit, exceptis villis Regiis, seu publicis, quas Curtes
vocant, & pauculis aliis: ut in Annalibus Fuldensibus, Chronicoque Hermanni invenitur. Wido
quoque Spoletinorum Dux, per Odonem frustratus spe Regni Gallici, sub finem anni coactis co-
piis revertit in Italiam, Camertibusque, & Spoletinis sibi adjunctis, nonnullis etiam Berengarii par-
tium pecuniâ corruptis, Rex Italiæ appellatur, bellumque Berengario infert: sicuti auctor Anna-
lium Fuldensium, Regino, Annales Mettenses, Marianus Scotus, & Carolus Sigonius in libro VI.
de Regno Italiæ, aliique tradunt: è quibus Marianus anno DCCCLXXXIX. Sigebertus anno
DCCCXC. Berengarium, & Widonem Reges constitutos falsò ajunt.

Paulò post Wido cum Berengario bis pugnat, & altero prælio ad flumen Trebiam circa Placen-
tiam, altero iterum in agro Brixiano post maximam utrimque cædem factam funditur, fugaturque
Berengarius, & à victore Regno expellitur: si Liutprando, Sigebertoque credimus: quod anno
DCCCLXXXIX. accidisse Marianus, & Sigonius putant, Sigebertus anno DCCCXCII. Poëta no-
ster verius à Berengario priore prœlio victum esse Widonem, & permissu ejus corpora cæsorum à
Widonianis sepulta; posteriore multum utriusque exercitus sanguinis fusum, & nocte pugnam di-
remtam esse scribit. Idem tamen satis apertè ostendit, penes quem demum victoria fuerit, quum
initio libri III. prodit, crevisse in dies post hoc ultimum prœlium Widonis exercitum, confluenti-
bus ad eum ex Gallia militibus: qua cognita re, Rex Arnulfus filium suum cum copiis in Italiam
miserit, & auxilium ferre Berengario jusserit. Nam post pugnam copiæ victoris crescere consue-
verunt, victi imminui quotidie: & qui tum externis auxiliis eget, pro victo; qui non eget, pro
victore habetur. Accedit Poëtæ nostro Erchempertus Monachus Cassinensis, auctor & ipse æqualis
eorum temporum: qui in Historia Langobardorum Beneventi degentium tradit, anno Domini
DCCCLXXXVIII. rediisse Guidonem in Italiam, quam obtinere cupiverit, sed non potuerit: ibi
eum apud Brixiam cum *B ren ario, & ipso Duce* pugnasse: *in quo conflictu utriusque partis acies cru-
deliter cæ æ, spolia* tamen *cæsorum à Berengario collecta* sint: pactos esse ambos inducias tantummodo
usque ad Epiphaniam VIII. Idus Januarii. Ambobus tertius adjungitur Regino, qui *tantam stragem
ex utraque parte postmodum factam* ait, *tantumque humanum sanguinem effu um, ut Regnum divisum
desolationem penè incurrerit. Ad extremum* Wido *victor existens*, (inquit) *Berengarium Regno expulit.
Pulsus itaque Arnolfum Regem a iit, ejusque patrocinia contra hostem expoposcit*. Reginonem auctor
Annalium Mettensium, Marianusque more suo transcribunt. *Ad extremum* Wido *victor extitisse* dici-
tur Reginoni, quoniam primò non vicerat, sed post magnam utrimque cædem victus fuerat à Be-
rengario, & suorum ab hoste interfectorum, ac spoliatorum corpora ad sepulturam depoposcerat.
Ex his intelligitur, è duobus cruentissimis prœliis, altero circa Brixiam haud dubiè victum esse
Widonem, altero Berengarium ab eo fusum: nec sicut Liutprandus, Sigebertus, ac Sigonius ajunt,
Berengarium utrâque pugnâ esse superatum.

Wido occupato Langobardorum Regno, anno Domini DCCCXCI. à Stephano Papa VI. Romam
arcessitur, ac IX. Kalendas Martias Imperator constituitur, consecraturque Indictione IX. quemad-
modum Frodoardus, Chronica Monasterii Acutiani, & Cœnobii Casauriensis seu Piscariensis, Sigo-
niusque docent. Frodoardi in libri IV. historiæ Remensis capite II. verba sunt hæc. *Formosus Papa*
literis ad Fulconem Remensem Episcopum missis *Imperatorem* Widonem *coronatum eodem anno signi-
ficat Indictione* X. scilicet ineunte. Mense autem Septembri anno DCCCXCI. Indictio X. incipiebat.
Sed an à Stephano VI. ejus nominis Episcopo Romano, qui VIII. Kal. Junii anno DCCCXCI.
mortem obiit, an à seipso qui pridie Kalendas Junii ei successit, coronatum Widonem Aug. & an
Indictione X. coronatum; an potiùs *coronatum* eum *significet* literis datis *Indictione* X. ineunte, in-
certum est.

Berengarius duobus prœliis superatus, ad Arnulfum confugerat: potentissimumque Regem roga-
verat sibi ut succurreret, se unà cum Regno Italico ditionis ejus futurum pollicitus, si adversarium
fugavisset. Igitur Arnulfus anno DCCCXCI. (si Sigonio creditur) Zuventibaldum suum ex con-
cubina filium cum valida armatorum manu in Italiam misit: qui post frustra oppugnatum per XXI.
dies Ticinum, acceptâ à Widone pecuniâ domum inglorius rediit, ut Liutprandus in capite VII.

libri

libri I. & Sigonius scribunt. Sigebertus ait à Widone corruptos donis primores exercitus Zuendebaldi, irritos revertisse: sed in annum DCCCXCVII. eam expeditionem falsò conjicit. Panegyristes noster nullam petiti auxilii, tamquam rei Berengario pudendæ mentionem facit: sed memoriæ tradit Arnulfum, ut amico, & propinquo suo Berengario subveniret, sua sponte, nec rogatum ducendas trans Alpes copias dedisse Zuventibaldo, vel Cendebaldo filio, qui post repressum Widonem, monitu Berengarii ad patrem reverterit: credo, ne quis à Berengario in Italiam arcessitum putaret eum, cui ipse auctor fuerit Italiâ excedendi.

Anno DCCCXCII. Wido Aug. totius ferè Langobardiæ potens, Lambertum filium suum Imperii sibi consortem adjunxit. Certè in Chronico Casauriensi MS. hæc verba reperio. *Wido, Imperatore Carolo jam defuncto, in Italicum Imperium Augustaliter successit anno ab Incarnatione Domini DCCCXCI. Sequenti anno Lambertus in Imperium coronatus, sicut Wido Aug. pater ejus imperat. Igitur ambobus imperantibus &c.* Ibidem *Dominus Wido, & Lambertus filius ejus Imperatores* vocantur in literis datis *annis Imperii eorum II. & I. die XX. mensis Julii, Indictione X.* Lambertus igitur cum patre imperavit, quemadmodum observo: & annus Widonis Imperii secundus, idem Imperii ejus primus fuit: quem tamen omnes historici veteres, ac recentiores, exceptis Frodoardo, & Sigonio, nonnisi post patris sui mortem in Italia imperare occœpisse tradunt. Hinc in Chronico Cassinensi dicitur Lambertus *post annos regni VI.* morte functus esse: quem Poëta noster III. post Widonem patrem suum anno decessisse ait, hoc est anno Domini DCCCXCVII. qui si nonnisi post patris obitum anno DCCCXCIV. exeunte cœpisset imperare, non VI. sed tres tantùm annos imperasse dicendus esset. Præterea Frodoardus in libri IV. historiæ Remensis capite II. sic de Formosi Papæ ad Fulconem Remensem Episcopum posterioribus literis refert. *Hic quoque Lantbertum filium Widonis anno II. Imperii patris ipsius novum Imperatorem factum fuisse designat.* Sigonius anno DCCCXCI. exeunte Lambertum *socium Regni* à patre *adscitum*, & anno DCCCXCVI. à Stephano PP. VII. Imperatorio insigni & nomine donatum, aut *è Rege Italiæ Imperatorem* factum, unctumque ait: quem anno DCCCXCII. in Imperatoriæ potestatis consortionem receptum à Widone parente suo, atque si tum coronatus est, eo mortuo, iterum anno DCCCXCIV. Romæ coronatum esse constat.

Arnulfus semel atque iterum à Formoso Episcopo urbis Romæ invitatus per literas, & nuncios, à Berengario quoque rogatus anno DCCCXCIV. cum valido exercitu fines Langobardorum intrat: ac primùm à Veronensibus comite Berengario recipitur: deinde circa Purificationem B. Mariæ Bergomum expugnat, & multis opidanorum jugulatis, Ambrosium, quem Wido munitæ urbi Comitem præfecerat, ante portam cum balteo, & armillis qualis captus erat, de arbore laqueo suspendi jubet. Quo exemplo & Proceres, & ceterarum urbium incolæ, inprimis Mediolanenses, Ticinensesque perterriti, Regi occurrêre venienti, pollicitique sunt se imperata facturos. Ottone Saxonum Duce Mediolanum misso, ipse Ticinum adit: cùmque ad opidum Placentiam venisset, consilium, iterque commutat, ac derepente converso agmine, per Alpes Penninas Galliam ingreditur, Acaunumque petit, ut improviso incursu dudum invisum sibi Regem Rodulfum obtereret. Sed is præruptos, eminentesque montes adscendens, munitissimis in locis tutus latuit, & Germanorum manus evasit. Cùm Rodulfo noceri nihil posset, regio inter Juram, & montem Jovis, seu Peninum jacens, in qua regnabat, igne, ferroque depopulata. Imperator Wido excedentem Italiâ Arnulfum dum insequitur, ad flumen agri Placentini Tarum vomitu cruoris exstinguitur anno regni Italici VI. Imperii quarto, Christi DCCCXCIV. Lambertus ejus filius cum matre Ageltrude Aug. Regnum obtinuit: qui Romam veniens, ab Antistite Sedis Apostolicæ diadema Imperatorium sibi imponendum curavit: uti in Annalibus Fuldensibus, & Mettensibus, & apud Reginonem, Hermannum, ac Marianum invenio. Nisi quòd Marianus anno DCCCXCV. Widonem decessisse, & Sigebertus anno DCCCXCVIII. Arnulfum primùm Langobardiam intrasse, Guidonem autem anno DCCCCI. mortem obiisse falsò scribunt.

Arnulfus Formosi Episcopi Romani literis, & nunciis iterum invitatus, ac multò magis spe rei bene gerendæ, anno DCCCXCV. mense Septembri Italiam intravit, & Alamannis per Bononiam præmissis Florentiam Tuscorum, ipse cum Francis Lunam petere contendit, ubi & Natalem Domini celebravit. Insequenti anno equi pestilentiâ consumti in transitu Apennini, itaut sarcinæ exercitus ephippiatis more equorum bobus imponerentur. Tandem ad Urbem perventum. Ageltrudis Aug. Imperatoris Lamberti mater Romam præsidio militari tenebat. Sed eâ cum suis clam profugiente, urbs Leoniana expugnata, & Transtiberini ad deditionem compulsi. Arnulfus ab Formoso Antistite in Basilica SS. Apostolorum Petri & Pauli inunctus, coronâque capiti ejus impositâ Imperator appellatus est. Inde castellum Piceni Firmum quò se Ageltrudis contulerat, dum obsidet Arnulfus, ab ea soporifero medicamento potionatus, obsidionem solvere cogitur. Comes aderat Arnulfo Aug. Berengarius: qui comperto Arnulfum excœcandi sui consilium iniisse, Veronam carissimam, & fidissimam sibi urbem celeri fuga repetiit. Quare spretus ab Italis ob fidem violatam Arnulfus, Ticini multos suorum per tumulum opidanorum amisit, nec Eporediæ muris receptus, domum inglorius rediit. Ratoldus nothus ejus filius, quem Mediolani reliquerat, mox Lario lacu devectus, & ad ipsum reversus est. Tum Berengarius Regnum Italicum usque ad flumen Adduam recepit; cetera Lantberto reliquit. Ita Regino, Annales Mettenses, Marianusque, ac Sigonius tradidere. Poëta noster in libro III. Panegyrici sui scribit, post tres menses quàm Zuventibaldus ad patrem suum redierat, Widonem iterum renovasse bellum adversùs Berengarium, & Arnulfum cum maximo exercitu Italiam intravisse, Bergomo cum Ambrosio comite, aliisque opidis captis, usque ad urbem Romam pervenisse, eaque saltem ex parte potitum esse, & suasu Berengarii domum revertisse: paulò post Widonem excessisse è vita, & Lambertum ejus filium Ticini cum Berengario fœdus junxisse, Regnumque Italiæ (ut & Hermanno placet) ambos inter se divisisse. Hæc quidem Panegyristes refert, ex duabus Arnulfi expeditionibus Italicis unâ tantùm factâ, nec Imperatorem Romæ salutatum Arnulfum dicit, nec Widonem, ac Lambertum Imperatores fuisse indicat, ut nec Ludovicum Bosonis filium; & Widonis mortem biennio seriùs quàm acciderit contigisse affirmat. Similiter Liutprandus ambas Arnulfi expeditiones Langobardicas in unum conjungit, confunditve: neque Imperatorem Romæ à Formoso, atque à Senatu, populoque Romano factum eum tradit, sed *Regem Arnulfum* semper appellat; & Widonem semel modò cum Berengario *Imperatorem*, Lam-

bertum *Regem* tantummodo vocat; ac Widonis vitam biennio quàm fuerit diuturniorem facit, sub di
scessum ex Italia Arnulfi nimirum anno DCCCXCVI. mortuum eum narrans, cùm anno DCCCXCIV
obierit. Adiicit Berengarium post excessum Arnulfi Ticinum, ac Regnum Italiæ obtinuisse, à Wido-
nianis verò Lantbertum venustum ephœbum, Regem constitutum esse, qui recepto Ticino, Beren-
garium armis Veronam repetere compulerit.

Anno DCCCXCVII. Imperator Lambertus, vel Lantbertus, Widonis Aug. filius, per insidias suorum fracto collo interiit, postquam annos VI. partim cum patre, partim solus Langobardiam, Romamque obtinuerat. De quo dubitari non potest, cùm Poëta noster Lambertum tertio post Widonem parentem suum anno mortuum dicat: quem Widonem anno DCCCXCIV. exspirasse constat. Sic accipiendum est, quod in Chronico Monasterii Cassinensis invenio, Lambertum Guidonis filium *post annos VI.* defunctum esse: & quod Liutprandus in capite X. libri I. historiæ prodidit, Maginfredum Mediolanensium Comitem *quinquennio rebellem Lamberto extitisse*, ob idque jussu ejus capite truncatum esse, (quem tamen anno DCCCXCVI. decollatum Annales Fuldenses, & Hermannus dicunt.) Nam cùm post patris obitum non plus triennio imperaverit Lambertus: si per V. annos rebellavit Maginfredus, haud dubiè non Lamberto modò, sed Widoni etiam infidus fuit. Regino, & Marianus *anno Domini DCCCXCVI. Lampertum filium Guidonis vitâ decessisse* scribunt. Nihil est ferè Sigeberti Chronico in temporum notatione confusius, in quo anno DCCCCII. Lambertus regnare cœpisse, insequenti anno mortuus esse dicitur. Carolus Sigonius falsi cujusdam Diplomatis subscriptione deceptus, anno Domini DCCCXCVIII. Imperii sui VII. Lambertum obiisse tradit. Mortuo Lamberto, Berengarius solus, & sine consorte toto Regno Langobardorum potitur.

Anno Domini DCCCCI. Hungari, jam Bajoariæ, Sueviæ, Franciæ Germanicæ, atque Saxoniæ cladibus noti, ingrediuntur Italiam, & Aquilejam, Concordiam, Altinumque, ac Patavium emensi, per Vicetinorum, Veronensium, Brixianorum, Bergomatium, ac Mediolanensium agros ad urbem Regiam Ticinum perveniunt. Quibus cùm Rex Berengarius exercitum triplo majorem opposuisset, Barbari plurimis suorum in fluminis Adduæ festina tranatione demersis, fugâ campos repetunt Veronenses, insequentibus, & à tergo imminentibus Italis, ac utrique demum circa Brentam agri Patavini amnem, majoremve Medoacum, Brintesiam in tabula Peutingeriana, Brintam Fortunato dictum castra ponunt, alteri ab alteris flumine divisi. Ibi Hungari, quos equi defatigati ulteriùs fugere prohibebant, etsi jam prædâ omni redditâ pacem redimere frustra tentaverant, sarcinas universas, captivos, arma, equos, exceptis singulis quibus domum reveherentur, filios quoque obsides daturos se, nec ampliùs Italiam vexaturos pollicentur, si ipsos salvos, & incolumes excedere paterentur. Sed Itali multitudine sua elati, Barbaris quasi jam victis insultabant, mortem cunctis minitabantur, & æquas conditiones pacis accipere recusabant. Itaque Hungari ex desperatione animum sumunt, & sese mutuò hortati, flumen transeunt, ac tripertitis copiis in hostes cibum capientes deimproviso impetum faciunt: fundunt, fugantque inopinantes, ac maximo eorum numerô ictibus sagittarum interfecto, multis Comitibus, & Episcopis, in primis Liudwardo Vercellensi Antistite trucidatis, securi totum Regnum Italiæ cædibus, incendiis, ac rapinis crudeliter vastant, ita ut solis locorum munimentis incolæ defenderentur. Hanc à R. Berengario, & à Francis Transalpinis, Langobardisque, & Italis cladem acceptam anno DCCCCI. Regino, & Annales Mettenses, quos sequor tradunt; Hermannus anno DCCCC. anno DCCCXCIX. Marianus. Sigebertus DCCCCIX. anno victum prœlio ab Hungaris Berengarium falsò ait. At Carolus Sigonius in libro VI. de Regno Italiæ annis DCCCCII. & DCCCCIII. eam Hungarorum incursionem in Italiam, ac victoriam contigisse putat: de qua Poëta noster siluit, quia Berengarii magis culpâ, quàm virtute sua Barbari vicerunt.

Interea novus Berengario hostis, æmulusque Regni oritur Ludovicus. Hunc Boso ex posteriore conjuge Hermengarde, Imperatoris Ludovici junioris filia procreaverat, & nomine avi materni appellandum curaverat. Et Boso quidem ab uxore sua impulsus, quæ vivere se nolle dictitabat, si filia Imperatoris Italiæ, & desponsa quondam Imperatori Græcorum, virum suum Regem facere non posset, XXIII. Burgundiæ Episcopis partim comminatione coactis, partim monasteriorum, & villarum donatione corruptis persuaserat, ut ipsum ungerent, coronarentque anno DCCCLXXIX. Idibus Octobribus. Audaciorem faciebat Bosonem Ludovici Balbi mors, eodem anno IV. Idus Aprileis defuncti; & filiorum ejus Ludovici, ac Carolomanni pueritia injuriæ obnoxia, quorum mater fuerat à Balbo dimissa, & alteri conjugi superductæ cedere compulsa. Accedebat & Angelbergæ Aug. socrus, & Johannis Papæ VIII. à quo pro filio habebatur, favor. Quo exemplo, ac simili occasione invitati post Caroli III. Imperatoris obitum anno DCCCLXXXVIII. Berengarius, & Wido in Italia, Odo in Gallia, Rodulfus in Burgundia Jurensi vel superiore, nullo sibi jure debita, ac velut legitimo hærede destituta occupaverunt Regna. Anno DCCCLXXXVII. Ludovicum puerum Regis Bosonis, ac Hermengardis filium, Ludovici minoris Aug. nepotem ad se venientem Imperator Carolus ejus nominis tertius, cognomine Crassus honorificè exceperat, sibique filium adoptaverat: ut in Annalibus Fuldensibus invenitur. Ex quo apparet, Bosonem Ludovici patrem jam mortuum fuisse. Demum hortante per literas Stephano Episcopo urbis Romæ, auctore quoque, & fautore regni Arnulfo Caroli Aug. successore, Valentiæ Segolaunorum anno DCCCXC. Indictione VIII. ab Archiepiscopis Burgundiæ Lugdunensi, Viennensi, Arelatensi, & Ebrodunensi Rex constituitur Ludovicus: quo anno Hermengardis Regina ipsius mater ad Arnulfum propinquum magnis cum muneribus venerat ut id impetraret. Eidem puero Arnulfus interventu matris Ermingardis quasdam urbes Rodulfi Regis Jurensis cum pagis adjacentibus dedit: sed eas Ludovicus armis occupare, ac Rodulfo eripere non potuit.

Tandem Ludovicus, invitatus à Principibus Italiæ cùm Francis tum Langobardis, & Italis, ac præsertim ab Adelberto potentissimo Marchione Tuscorum, violata fide quam paulò ante dederat, si à Berengario dimitteretur inviolatus, se in Italiam ampliùs non venturum: è Provincia in Langobardiam transiit post Lamberti Aug. mortem vix interiecto, expletoque quadriennio: ut ait Panegyristes noster, quem sequor, hoc est circa anni DCCCCI. exitum, aut sub initium anni insequentis: & Berengario ex Italia in Bajoariam expulso, totum Regnum Langobardorum occupavit, Romamque

mamque ingressus, à Benedicto Papa ejus nominis quarto diademate capiti imposito Imperator est appellatus. Aliquanto post Berta Adelbertum virum suum, Tusciæ, vel Lucæ Marchionem, cæterosque Italiæ Proceres alienavit Ludovico. Qua usus occasione Berengarius, urbis custodibus auro corruptis, & coacta virorum fortium manu, noctu Veronam ingreditur, Ludovicum securum, ac improvidum, dimisso exercitu suo cum pauculis ibi desidentem magis quàm commorantem capit, eumque propter perjurium oculis jubet orbari: cùm *annos* III. *regnasset* in Italia, ut Chronicon Monasterii Cassinensis docet. Destitutus est igitur, ac excœcatus Ludovicus anno DCCCCIV. aut insequenti. Pulsum Regno à Ludovico Berengarium tum quartanâ laborantem, & ipsum postea simul, ac Berengarius convaluit, nocte patefactis Veronæ portis, invito Berengatio (etsi Liutprandus id negat) in Ecclesia quò confugerat vinctum, occæcatumque esse tradit Poëta noster. Regino, & Marianus Scotus anno DCCCXCVI. Ludovicum Bosonis filium Italiam intrasse, anno DCCCXCVIII. post multa prœlia variâ fortunâ commissa, novissimo certamine Berengarium fugasse, Romæque à Summo Pontifice coronatum, & Imperatorem factum esse scribunt. Addit Regino, anno DCCCCIV. Berengarium ab Episcopo, & à civibus Veronensibus ipsi faventibus clam revocatum ex Bajoaria ubi exsulabat, contractis raptim copiis Veronam pervenisse, & noctu intra muros receptum esse, ac Regnum Italiæ, Ludovico oculis privato, tandem obtinuisse: quod anno DCCCCV. contigisse ait Marianus. In Chronico Casauriensi dicitur *tertius Ludovicus Regni, & Imperii coronam accepisse* DCCCC. *Dominicæ Incarnationis anno currente*. Sigebertus cum Chronico Casinensi, & cum Sigonio tres ei Regni Italici annos attribuit, ac in Chronico memoriæ prodit, Ludovicum oblitum jurisjurandi anno DCCCCXIII. rediisse in Italiam, & expulso Berengario, Regnum ejus invasisse, atque anno DCCCCXV. à Berengario Veronæ captum, oculisque orbatum esse. Carolus Sigonius nescio quæ diplomata secutus, anno DCCCC. exeunte circa Octobrem Italiam eum ingressum; insequenti anno Imperatorem à Benedicto IV. Episcopo Urbis factum; ac circiter Septembrem, pulso Veronâ Berengario, & in Bajoariam fugiente, totâ Italiâ potitum; an. DCCCCII. excœcatum dicit. Notandus est error in Ludovico isto Constantini Porphyrogenneti, qui in libri de administrando Imperio capite XXVI. *Ludovicum non coronatum tenuisse Ticinum* ait, ac postea cùm Veronam venisset, ab opidanis tumultuantibus comprehensum, ac oculis privatum esse. Qua enim ratione *ἄστεπτος* dici potuit Ludovicus Regis Bosonis filius, Ludovici junioris Aug. nepos, aut sinè Regio insigni in Langobardia regnavisse, quem Valentiæ anno DCCCXC. Indictione VIII. à quatuor Archiepiscopis, & compluribus Episcopis, Principibusque Burgundiæ Regem electum, unctum, constitutumque esse constat? Rex autem sinè corona fieri utique non solet. Quo modo *ἄστεπτος* dici potuit, quem & Ticini *Regiis insignibus exornatum*, seu Langobardorum Regem factum esse Sigonius solus tamen affirmat? quem apud Liutprandum in libri II. capite XI. Berengarius ipse *Regem* appellat: quem denique *Romæ à Summo Pontifice coronatum*, Imperatoremque salutatum Regino non semel, & Marianus scribunt, & quem Chronicon Casauriense DCCCC. *anno Regni, & Imperii coronam accepisse* docet.

Destitutione Ludovici Aug. Berengarius totius Langobardiæ compos factus erat: nomenque & insigne Imperatorium ei deberi videbatur, quod Wido, & Lambertus, & Ludovicus etiam ab ipso victus erant consecuti. Hanc dignitatem tanto Principi fortuna non negavit. Quippe Berengarius accitus à Johanne Papa X. auxilium adversùs Saracenos Garelianum montem occupantes implorante, anno DCCCCXVI. Romam venit, ibique die Paschæ in Basilica S. Petri diademate cingitur, unguiturque, & salutatur Imperator: sicut Panegyristes noster docet in libro IV. & ultimo de vita Berengarii. Et annum quidem, quo Imperatoria insignia Berengario collata sunt, Poëta non notat: sed in Chronico Casauriensi, seu Piscariensi hæc verba invenio: *Anno ab Incarnatione Domini* DCCCCXVI. *quo anno Berengarius Aug. Imperii coronam suscepit*, &c. & ibidem literas quasdam lego, datas anno Berengarii Imperatoris Aug. IV. mense Novembri, Indictione VIII. (scilicet ineunte) alias datas II. *Kalend. Novemb.* sive pridie Kalendas Novembris *anno Dominicæ Incarnationis* DCCCCXVII. *Domini verò Berengarii Imperii* II. *Indictione* V. Auctor est Onufrius Panvinius, *Johannem X. Papam creatum esse Idibus Februariis anno* DCCCCXVI. itaut si à Johanne hoc coronatus, Imperatorque factus est Berengarius, non ante annum DCCCCXVI. fieri Imperator, coronarique potuerit: quem Johannem anno DCCCCXV. sedere cœpisse falsò ait Hermannus; Marianus Scotus anno DCCCCXVIII. DCCCCXVII. Sigebertus. Sigonius ab Johanne X. ejus nominis Episcopo urbis Romæ, quem anno DCCCCXIV. IX. Kal. Februar. in Sedem Petri intrusum dicit, anno Domini DCCCCXV. Berengarium Imperatorem mense Septembri inunctum esse putat. Baronius à Leone Marsicano deceptus, Johannem istum anno DCCCCXII. aut certè DCCCCXIII. Sedem Romanam invasisse credit: cùm annus Domini DCCCCXV. tertius ejus Pontificatus annus fuisse, & tum Leo apud Græcos imperavisse dicatur à Marsicano: quem Leonem Basilii filium, cognomine Philosophum anno DCCCCXIV. Idus Junias obiisse constat. Heic Panegyristes noster desinit, XXVIII. regni Berengarii annos plenos versibus mille & quinquaginta octo complexus. Nos usque ad mortem ejus cætera paucis persequemur.

Adelbertus Eporediæ civitatis Marchio, qui Gisilam Berengarii filiam duxerat, & Odelricus Comes Palatii natione Suevus, Gilebertus Comes, Lantbertus Mediolanensis Archiepiscopus, nonnullique alii Principes Italiæ à Berengario defecere, Rodulfumque Regem Jurensis Burgundiæ, Rodulfi Regis filium, & successorem, Burchardi Suevorum Ducis generum per nuncios accersivere. Quos Berengarius Aug. cùm per Hungaros magnâ rebellium inprimis Odelrici cæde vicisset, Gilebertus, quem captum Imperator dimiserat incolumem, datæ fidei oblitus, oblitus accepti beneficii Rodulfum in Italiam adduxit. Is receptus à conjuratis primùm, videlicet ab Adelberto Marchione, & Lantberto Archiepiscopo, deinde à cæteris omnibus Optimatibus, postquam ibi jam triennio regnaverat, multis demum gravis est visus. Unde factum est, ut dimidia pars Langobardorum Berengarium Veronâ suâ clausum Rodulfo præferret, ad eumque transiret. Divisis Regni viribus, parant ambo civile bellum. Rodulfus circa Florentiam ad XII. ab urbe Placentia milliarium Berengarium Aug. cruento prœlio superavit, & Veronam in asylum suum fugere compulit. Anno DCCCCXXII. *Berengarium Langobardorum Imperatorem* ab Optimatibus suis destitutum, & Rodulfum ab eisdem in Regnum admissum Frodoardus tradit in Chronico: atque anno insequenti Rodul-

fum

sum cum Berengario conflixisse, eumque acie vixisse: anno demum DCCCCXXIV. Berengarium Italiæ Regem ab suis interfectum esse. Jugulatus est Berengarius à Veronensibus suis, auctore facinoris Flamberto compatre, cujus filium ex sacro fonte exceperat, anno regni (si Frodoardum sequimur) XXXVII. Imperii IX. si accedere Sigeberto malumus, regni Italici XXXVIII. Imperii Romani X. anno. Quippe Sigebertus anno DCCCCXXIV. Berengarium à Rodulfo Rege Burgundionum Italiam ingresso victum, anno DCCCCXXV. à suis interemtum ait. Carolus Sigonius Rodulfum Regem Langobardorum Ticini, seu Papiæ appellatum, atque coronatum an. DCCCCXXI. sequenti anno Berengarium victum prœlio apud Fidentiolam, anno Domini DCCCCXXIII. regni sui XXXVI. occisum esse dicit.

Hugo potentissimus Arelatensium, vel Provincialium Comes, Bertæ filius, natione Francus, Regni Italici occupandi causâ venisse cum multis in Italiam dicitur, sed à Berengario territus esse, ac fugatus. Hoc Liutprandus in capite III. libri III. indicat: qua tamen ratione, quove anno res gesta sit, non tradit. Quare operæpretium est Constantinum Porphyrogennetum non de Hugonis modò priore expeditione Italica, sed etiam de Rodulfi in Italiam adventu diligenter scribentem audire: qui auctor æqualis in capite XXVI. libri de administrando Imperio hæc memoriæ tradidit. Excœcato Ludovico Berengarius, Berengarii, qui nunc floret avus Regnum obtinuit, Romamque cùm venisset, ibi est coronatus. Postea multi Rodulfum ex Burgundia uti in Italiam veniret invitarunt, polliciti Regnum se ei tradituros, Berengariumque interfecturos. Itaque profectus est in Italiam: & dimidia pars incolarum ad eum transiit, reliqui Berengarium deserere non sustinuerunt. Pugnatum est semel, atque iterum. Priore prœlio superatus est Rodulfus; posteriore vicit, & Berengarianos conjecit in fugam. Desertus à suis Berengarius, detractis insignibus Imperatoriis (etsi id Constantinus non dicit) media inter cæsorum cadavera procubuit, ut simulatione mortis evaderet, ac ne à quoquam agnosceretur, corpus scuto texit. Quidam ex Rodulfi militibus Berengarii jacentis pedem, qui fortè intectus apparebat, hastâ pupugit: cùmque nihil moveri eum vidisset, mortuum ratus discessit. Nocte Berengarius ex media strage assurgit tacitus, solus palatium suum repetit, ac rursus rerum potitus, Rodulfum vincit acie. Tandem pace facta, ambo Regnum Italiæ inter se divisere. Sua utrique pars regionis cessit, ita ut tamen Rodulfus sub Berengarii ditione esset. Tot prœlia, & strages invitare exteros ad occupandum Regnum Italicum videbantur. Igitur ex Burgundia in Italiam cum copiis venere tres Marchiones, Hugo Taliaferni, (hoc est ut puto sector ferri) Boso, & Hugo ejus frater, qui postea regnavit in Italia. Qua cognita re, Berengarius eis occurrit armatus, viisque omnibus insessis nec opinantes undique inclusit. Suis interdixit, ne quemquam ex hostibus interficerent, sed quemcumque cepissent, naribus, auribusque amputatis dimitterent. Quod cùm esset factum, tres supradicti Duces, quibus circumventis, & fame, ac inopia pressis spes hostem evadendi nulla supererat, excalciati, manibus Evangelia præferrentes, ad Berengarium veniunt, petitâque veniâ, jurant ipso vivo se in Italiam non reversuros: quos Berengarius incolumes cum suis domum redire permisit. Ipse autem postea cùm Veronam sese contulisset, à Falamberto compatre suo interemtus est: quo cæso, totum Regnum Italiæ Rodulfus occupavit. Hugonem autem illum, Arelatensium, vel Provincialium Comitem cæteris dictum, Leo in libri I. Chronici Cassinensis capite ultimo *Aquitaniæ Ducem* appellat, hoc est Aquensium, vel Aquisextiensium. Aquæ enim Sextiæ caput sunt Provinciæ. Aquitanos porrò incolas Aquarum Sextiarum vocatos, & ab his Aquitanis totam Provinciam *Aquitaniam* dictam esse Leoni Marsicano non mirabitur, qui apud Plinium in libri IV. capite XIX. legerit Aquarum Tarbellicarum incolas dici *Aquitanos, unde nomen Provinciæ* Aquitaniæ, vel Aquitanicæ propriè dictæ.

Hæc est summa vitæ, rerumque gestarum Berengarii Augusti, viri multis, magnisque virtutibus adornati, prudentis, pii, clementis, & constantiore, ac fideliore suorum obsequio digni: cujus animus nec calamitatibus umquam succubuit, nec secundis rebus nimis elatus est. Qui ex privato cùm se Regem fecisset, nunc Regno pulsus, nunc restitutus, nunc toto Langobardorum Regno potitus, nunc parte ejus dimidia, aut etiam minima contentus, tandem hostibus suis aut mortuis, aut fugatis, Imperatoria insignia obtinuit: ac demum Veronensium, quibus semper maximè confiderat, compatrisque sui insidiis circumventus periit: felix, si obsequentioribus Italis uti potuisset.

PROLOGI SUMMA.

IN Prologo ad librum suum, Poëta primò causas exponit, quæ ipsum à componendo carmine deterreant: deinde narrat, cur his parvi habitis, Berengarium laudare constituerit.

In XVIII. prioribus Prologi versibus ait sibi ederam, aut laurum non esse sperandam: qualia præmia Homero, Maroniqne, sed doctis, disertis, ac sui dissimilibus Poëtis collata sint. Et tum quidem Poëtarum carmina in Deorum templis recitari consuevisse: nunc quamlibet proseucham, aut Ecclesiam sua scripta contemturam: cùm nemo curet carmina, quæ non urbani modò, sed etiam in agris rustici componant; & ipse nullum longi, ac laboriosi itineris pretium tulerit. Quare timere se, ne versus sui severis sæculi auribus indigni, sinè ulla Musa verbis trivialibus facti exurantur. Parcendum igitur operæ nihil profuturæ, renunciandum arti inutili, nugis valedicendum, & de victu potiùs, vestibusque cogitandum.

In XIV. posterioribus versibus, seu VII. extremis distichis Prologi affirmat Panegyristes, se has querelas insuper habiturum, ac nihilominus propositum exsecuturum, & maximi Principis victorias, ac laudes ne à posteris ignorentur, cantaturum. Se plausu populi, ac præmiis quæ in Theatris Poëtis olim conferebantur, non moveri. Si liber suus fortè à quibusdam malis cremetur: at melio res viros si non auctoris, aut operis; saltem pii Imperatoris vel materiæ amore, exemplaria ejus aliqua describturos, ac servaturos. Postremò Christum orat, ut cœptis suis adspiret.

PANEGYRICI
DE LAUDIBUS BERENGARII
INVICTI CÆSARIS
PERIOCHE.

Panegyrici libri I. Epitome.

HÆc libro I. insunt. Berengarius Francus, à Carolo Magno genus ducens, supremo judicio, & hortationi Caroli Aug. accedentibus Optimatium studiis, Regnum Italiæ, quod vulgò Langobardorum dicitur, obtinet, ac Ticini coronatur. Wido Lamberti filius, Spoletinorum Dux, & ipse natione Francus, indignatus ab Odone, Berengario, & Rodulfo sodalibus suis sui similibus Regna maxima esse occupata, ex Gallia in Italiam contendit cum copiis, adjunctisque sibi præter ceteros Camertibus, ac Spoletinis, Berengario intulit bellum: à quo prœlio victus, impetravit per Legatos, sibi ut suorum cadavera liceret sepelire.

Panegyrici libri II. Breviarium.

LIbro II. continetur Widonis adversùs Berengarium Langobardorum Regem altera pugna, & ut magna utrimque cæde facta, nox prœlium diremerit. Utrarumque partium adjutores præcipui nominatim referuntur.

Panegyrici libri III. Prologus.

ARnulfus Rex Francorum Orientalium cùm comperisset quotidie crescere Widonis copias confluentibus ex Gallia militibus, Zwentibaldum mittit in Italiam cum armatorum manu, & auxilium ferre Berengario jubet. Ita represso Widone, Zwentibaldus monitu Berengarii ad Arnulfum patrem suum revertitur. Post tres menses quàm juvenis redierat, Wido iterum renovat bellum, & Arnulfus ipse cum maximo exercitu Italiam ingressus, Bergomum, aliasque urbes capit: usque ad urbem Romam viâ vi factâ accedit, in urbem Leonianam à Romanis recipitur, & suasore Berengario domum redit. Mox Wido bellum meditabundus moritur, & Lambertus ejus filius, supremorum parentis mandatorum memor, Legatum de compositione ad Berengarium mittit: per quem invitatus ad colloquium, Ticinum petit, & cum Berengario pacem facit. Eo pacto juvenis quietus Regnum paternum tribus annis obtinuit, ac equo præcipitatus periit. Tum Berengarius totâ ferè potitur Italiâ.

Panegyrici libri IV. Elenchus.

POst quadriennium accitus ab Langobardici Regni Proceribus Ludovicus Provinciæ Rex, Ludovici junioris Aug. ex filia nepos, finibus Italiæ Berengarium expellit, quartanâ laborantem. Berengarius, simul ac convaluit, cogit copias, & à Veronensibus nocte recipitur opido. Ibi Ludovicus in Ecclesia subitò oppressus, ac sub ortum Solis luminibus orbatus: Provinciales qui eum secuti erant in Italiam, pulsi undique, ac transalpinas sedes suas fugâ repetere coacti. Berengarius jam iterum totius Langobardorum regni potens, à Johanne Papa invitatur ut Romam veniat: qua in urbe diademate ab ipso cingitur, & ungitur, appellaturque Imperator. Hæc summa Panegyrici.

☞ *Numeri Valesii, Literæ Leibnitii notas indicant.*



ANONYMI
CARMEN PANEGYRICUM
DE LAUDIBUS
BERENGARII AUGUSTI.

ΑΡΧΕΤΑΙ ΠΡΟΛΟΓΟΣ.



On ederam sperare vales laurumve libelle:
Quæ largita suis tempora prisca viris.
Contulit hęc magno labyrinthia fabula Homero,
Æneisque tibi, docte Poëta Maro.
Atria tunc divum resonabant carmine vatum.
Respuet en Musam quæque proseucha tuam.
Pierio flagrabat eis sed munere sanguis:
Prosequitur gressum nulla Thalia tuum.
Hinc metuo rapidas ex te nigrescere flammas,
Auribus ut nitidis vilia verba dabis.
Quid vanis totiens agitas hæc tempora dictis,
Carmina, quæ profers, si igne voranda times?
Desine: nunc etenim nullus tua carmina curat,
Hæc faciunt urbi, hæc quoque rure viri.
Quid tibi præterea duros tolerasse labores
Profuit, ac longas accelerasse vias?
Endromidos te cura magìs, victusque fatigat,
Hinc fugito nugas, quas memorare paras.

A
Irrita sæpe mihi cumulas quæ murmura codex,
Non poterunt votis addere claustra meis.
Seria cuncta cadant opto, & labor omnis abesto,
Dum capiti summo xenia parva dabo.
Nonne vides, tacitis abeant ut secla triumphis,
Quos agitat toto orbe colendus homo?
Tu licèt exustus vacuas solvaris in auras,
Pars melior summi scribet amore viri.
Supplice sed voto Christum rogitemus ovantes,
Quò faveat cœptis Patris ab arce meis.
Haud moveor plausu populi, vel munere circi.
Sat mihi pauca viri ponere facta pii.
Christe, poli convexa pio qui numine torques,
Da queat ut famulus farier apta tuus.

B
ΑΡΧΕΤΑΙ ΤΟ ΠΑΝΗΓΥΡΙΚΟΝ (1)
ΒΕΡΕΝΓΑΡΙΟΥ
ΤΟΥ ΑΝΙΚΗΤΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ. (2)

GRæcia quæsitis cecinit si regna loquelis,
Moribus insulsos, & relligione tyrannos
Tolleret ut quosdam immeritò super astra beandos,
Quos Lachesis nigro satiùs damnavit averno.
Roma suos vario vexit si figmine post hæc
Augustos ad tecta poli radiata perenni
Vibratu, simul hos stygio sorbente barathro:
Induperatorem pigeat laudare nitentem
Christicolas quidenim, cœlum reserantibus odis,

 Quòd-

C
(1) ΑΡΧΕΤΑΙ *τὸ πανηγυρικὸν Βερενγαρίου τοῦ ἀνικήτου Καίσαρος*] Post occupatum à Carolo Magno Imperium Occidentis, cùm nostros inter & Græcos crebra essent epistolarum, legationumque commercia, cœpit Occidentalibus nosci, & in usu esse lingua Græca: quod qui Scriptores nostros Eginhardum, Abbonem, Liutprandum, Dudonem, aliosque legerit, facilè agnoscet, Græca verba, aut proverbia Latinis inserta reperiens.

(2) *τοῦ ἀνικήτου Καίσαρος*] Tum Imperatores boni ominis causa *Invictissimi Cæsares*, aut *Invictissimi Augusti* vulgò vocitabantur; nonnumquam *Piissimi Imperatores*, nonnumquam & *Serenissimi Augusti*: quemadmodum nos Imperatoriæ subscriptiones docent cùm alibi passim, tum in Chronico Casauriensi inventæ: *Signum Domni Ottonis Invictissimi Cæsaris; Signum Domni Ottonis Serenissimi Imperatoris, & Invictissimi Augusti*. Sic Severus Alexander Aug. *Invictus Augustus* in quodam nummo aureo vocatur: in alio nummo Victorinus Aug. *Invictus*: in aureo numismate Imper. C. M. Aurel. Claudius Germ. Gothicus *Invictus Aug.* inscribitur apud Johannem Tristanum.

A Quòdque replet Domini mundum spiramine totum?
Ergo Berengarium genesi, factisque legendum
Ritè canam, frenare dedit cui celsa potestas
Italiæ populos bello, glæbaque superbos.
Stirpe recensita generis, quo stemmate pollet
Scire vacat. Nam cuncta nequit mea ferre Thalia.
Francigenam fateor Karolum prænomine Magnum,
Quem tellus axi tremuit subjecta rigenti,
Quamque petens, linquensque ruit Sol aureus undis,
Et quam torret equis totiens invectus anhelis,
Prodit avis, atavisque illo de sanguine (a) rector
Ausoniæ. Karoli sed enim nutritus alumni
Ritè sub imperio: simili qui nomine Romam
Postremus Francis regnando coëgit habenis. (3)
Ille virum cernens belli sub imagine lætum,
B Et ratione pium, regnique beamine dignum,
Egregii fidum lateris delegit amicum,
Fascibus, imperiique aptum, si bella ministrum
Fortè ruunt. Italus Princeps exercitus armis
Præduros Martis didicit sic ferre labores.
Venerat ecce dies, primi cùm fata parentis
Posceret atra lues Regem, totosque per artus
Febris iit. Moriens primos compellat amicos.
Ultima Brengario referunt dixisse propinquo. (4)
Subdere colla tibi meritò deberet Eous,
Et licèt Occiduas cernit quos mersus in undas
Phœbus, uterque etiam mundi quos despicit axis:
Attamen Hesperiæ proceres pro viribus ardent
Ritè subesse tibi, tanto quia digna labore
Cuncta geris: penes Imperii te gloria nostri,
C Atque tuis stabit Romana potentia fatis.
Hec fans ætherias ductor concessit in auras,
Supremumque gemens regnorum liquit habenas.
Ille quidem sic astra subit: miseranda cupido
Sed populos persvasit agens, qui limite lato
Unius imperio soliti concurrere, plures
Ut mirentur abhinc diversa per arva tyrannos,
Et sibi quæque legat proprium gens. (5) omnibus idem
Dum perstaret amor, raperet ne gaudia Rhenus
Aut Araris spectata diu, glomerantur in unum
Ausonii proceres, ac talia nuncia Regi
Ire jubent. (6) Hæc terra satis, terræque coloni,
Fluminaque antiquos subterlabentia muros
Nota tibi. Nec te revocet fera Gallia, digno
Quin potiare solo; (7) trux aut Germania, quando
Sceptrigeri hoc potiùs dudum coluere propinqui,
Et genitor cunctis dilexit cariùs arvis.
His motus gressum precibus contendit ad urbem
Irriguam cursim Ticini abeuntibus undis.
Sustulit hic postquam regale insigne coronam,
Non alias raptim cupidus pervadere terras,
(Quod multos juvenum leto demersit acerbo.) (8)
Lætitiâ resonant, plausu & fora cuncta resultant,
Templa sacrata virûm trepidant, matrumque choreis,
Orgia, & innuptæ concinnant clara puellæ,
Dantque choros molles: & tympana dextera pulsat,
Atque lyræ graciles extenso pollice chordas
Percurrit, septemque modos modulatur avenis.
Rura colunt alii, sulcant gravia arva juvenci,
Tondent prata greges, pendentque in rupe capellæ.
Omnibus una quies, & pax erat omnibus una,
Non secus, ac longa ventorum pace solutum
Æquor, & imbelli recubant ubi litora somno,
Silvarumque comas, & abacto flamine nubes
Mulcet iners æstas: tunc stagna, lacusque sonori
Detumuere, tacent exhausti solibus amnes.
Invidiâ tumidus nec passus talia Wido
Perfurit, (b) ac nimios profundit pectore questus,
Otia quæ Latium foveant, piget usque fateri.
Nam video florere viros, rebusque supinos
Fertilibus, solioque Ducem considere celso,
Quem legére sibi. Montes superare profundos
Vis

(a) Origine non utique paterna, nam pater fuit *Everhardus* Dux Forojulii: sed an per matrem, aut aviam, aut denique proaviam, non constat. *Leibnitius*.

(3) Idest Berengarius fuerat nutritus sub imperio Caroli altoris sui, qui ex Francorum Regio genere ejus nominis ultimus Imperator, Romam & Langobardiam obtinuit: cujus Caroli propinquum ibidem Poeta Berengarium vocat.

D (4) Carolus Aug. eo nomine ultimus, qui Berengarium propinquum suum, & amicum ad Regnum Italiæ occupandum moriens hortatus est, & quo mortuo plures per Franciam Reguli emersere, ac Berengarius Ticini Rex Italiæ est appellatus, hic inquam Carolus haud dubiè Ludovici Regis Germaniæ filius fuit, cognomento Crassus: quo anno DCCCLXXXVIII. pridie Idus Januarii mortuo, Berengarius in Italia, Rodulfus in superiore Burgundia, Odo in Francia occidua, & in Aquitania, ac parte Burgundiæ Reges exorti: quod Liutprandus, & Chronici Acutiani auctor statim post Caroli Calvi obitum nimirum circa annum DCCCLXXVII. factum esse falsò crediderunt. Ut omittam Carolum Calvum non eo nomine ultimum Imperatorem Rom. aut fuisse, aut à Poeta nostro vocari potuisse, sed Carolum cognomine Crassum. Præterea Carolus Calvus non in Italia, verùm cis montem Cinisium in E Burgundia parte Galliæ febre correptus, ac veneno a medico suo sublatus est: cujus morti Berengarium interfuisse, nec quisquam scripsit, nec verisimile est: Liutprandus etiam negat interfuisse. Denique Carolus Calvus Berengarium etiamsi adfuisset, moriens ad Regnum Langobardorum occupandum invitare non potuit, quo ipse à Carolomanno fratris sui filio pulsus, fugam capessiverat: cui Carolomanno in Regnum Italiæ Carolus Crassus frater successit. Carolus autem Crassus, Imperator III. ejus nominis, & dignitatis, in Alamannia obiit anno DCCCLXXXVIII. pridie Idus Januarias ex Imperatore privatus, ac in Augia Monasterio sepultus est: ut Regino, & Annales Mettenses tradunt: qui Berengarii Ducis opera adversùs Vvidonem rebellem an. DCCCLXXXIII. usus erat. Sed Berengarium Ducem Forojuliensium Caroli Crassi jam privati, & ab omnibus deserti morti in Alamannia interfuisse, haudquaquam puto, cùm nec res similis veri sit, nec à quoquam memoriæ tradita. Hoc igitur finxisse mihi videtur Panegyristes noster, ut majorem Berengario conciliaret auctoritatem, haud dubiè laudando magis, & pro justo, legitimoque Principe habendo, si à Carolo Crasso Imperatore, propinquo suo moriente successor Regni Italiæ designatus crederetur: cùm Arnulfus eumdem Carolum patruum suum ceteris ferè omnibus Regnis vivum inhumanè spoliavisset.

(5) Idem Regino, & Annales Mettenses tradunt his verbis. *Post cujus mortem* (Caroli Imperatoris III. vel Crassi) *Regna quæ ejus ditioni paruerant, velut legitimo destituta herede in partes à sua compage resolvuntur: & jam non naturalem dominum præstolantur, sed unumquodque de suis visceribus Regem sibi creare disponit, quæ causa magnos bellorum motus excitavit*.

(6) Berengario Regi mox futuro, seu Regi electo, ac mox coronando.

(7) Esto. Credamus Poetæ nostro, Berengarium precibus, & legatione Optimatium Italiæ victum, Regnum Langobardorum capessivisse. Etiamne *Gallia*, & *Germania*, seu *Rheni*, & *Araris* accolæ Berengarium evocare, ac sibi Regem habere voluere, ac dudum optavere? Idem ferè de Vvidone Liutprandus scripsit. Arar autem veteres, Araris, Arari; ut Liger, Ligeris, Ligeri; Elaver, Elaveris, Elaveri dixere: Araris, Ligeris, Elaveris nisi in secundo casu non dixere: quod observo, quia in eo multos viros doctos errare video.

(8) Postquàm Berengarius Ticini regiam coronam accepit, reliquas Regni Italici urbes, atque regiones non unà statim occupavit, ut fieri oportebat, quæ causa ingentium bellorum, ac magnarum cædium fuit, Vvidone haud multò post invadente quidquid à Berengario non fuerat occupatum.

(b) Vvido Dux Spoletinorum, & Camertinorum, defuncto Carolo Crasso, non minùs sibi juris ad Regnum putabat, quàm Rodulfi, Conradi filio in superiore Burgundia, aut Odoni filio Roberti in Francia Occidentali, aut Berengario filio Everhardi in Regno Longobardorum. Ipse Vvido, vel filius, vel frater Lamberti creditur, qui patri Vvidoni Spoletinorum Rectori successerat. *Leib.*

A *Vis foret ulla mihi? forsan perfringere fœdus*
Et faciles juvenum possem subvertere mentes.
Præcipuum Tyrrhena colunt, qui rura, volentes
Subiicient mihi colla, reor. (9) *Minùs aptus in armis?*
Quid? Potuit Paris egregias turbare Mycenas,
Excire, atque nefanda feros in prœlia Atridas.
Quid referam, quantus sedeat Rodulfus in aula?
An qualis referam Francis dominetur in arvis
Oddo, mei similes dudum notique sodales? (10)
Solus egon' donis sæcli privabor opimi,
Et taciti metam solus devolvar ad ævi?
Non, donec puras animus depascitur auras,
Vel si me rapidus Mavors perstrinxerit armis,
Provolvens juvenum fusos in sanguine patres. (11)
Talibus irarum dictis fundebat habenas
Mente coquens bilem: jacto velut aspera saxo
B *Cominùs erigitur serpens, cui subter inanes*
Longa sitis latebras, totosque agitata per artus
Convocat in fauces, & squamea colla venenum.
Jamque legit socios aptos furialibus ausis.
Fama volans Regis nitidas cùm perculit aures,
Conatus agitare satis (12) *Widonem iniquos*
Fortuna servante modum. Quatit ille tremendum
Regali de more caput, cœlique tuetur
Convexa, atque sacris ità fatibus ora resolvit.
Tu cœli, terræque sator, qui fulmina torques,
Annorumque vices, dimensaque tempora noctis,
Quatuor, & mundi partes, quantum arctus ab austro,
Et quantum occasus roseo consistat ab ortu,
Metiris, subeat geminos ut phosphorus ortus
Præcedens nunc Solis equos, pellensque tenebras
Noctis agat præ se gelidos aliquando jugales:
Testis adesto piis, noxamque remitte cruoris.
Si manus hæc mortis tulerit dispendia Gallis, (c)
Debita jure mihi raptum ire volentibus arva
Infandum. Cui tanta viro concessa potestas
Me regnis privare? Sedet si, conditor orbis,
Pro culpis abolere viros, nil vota retardent,
Sed per cuncta ruant fati discrimina, quando
Ferrea jam scindit morituris stamina Clotho,
Ac miseros diri capitis discriminat angues
Alecto, crudele nefas, Acheronte sub imo.
Nox subit interea variis distincta figuris,
Cùm pater egregius (13) *tecto sese intulit alto*
Post epulas, ubi membra thoro laxavit honoro.
Annua vix toto rutilarunt sidera mundo
Pace sub hac. (14) *En fraudis agit tentamina prædo,*
Quà secuit quondam aërias Rex Pœnus aceto
Imperii cupidus cautes. Ubi constitit oris
Italiæ, nunc ille minis, aliquando rogatu,
Sollicitat juvenum hoc fluxas sermone catervas.
Quisquis avet solidis protendere legibus ævum,
Et

---

(9) Ait Vvido Tyrrhenos sibi seu Tuscos adversùs Berengarium auxilio futuros, videlicet Camertes, & Spoletinos, quorum Dux fuerat. At Spoletini sunt in Umbria, dicet aliquis. Verum id quidem est: sed Umbria pars tum erat provinciæ Tusciæ, vel Etruriæ. Paulus enim in libri II. de Gestis Langobardorum capite XVI. *Sexta* (inquit) *provincia* Italiæ *Tuscia est. Hæc habet intra se Circium versus Aureliam; ab Oriente verò Umbriam. In hac provincia Roma est constituta. In Umbria verò, quæ istius in parte ponitur, Perusia, & lacus Clitorius, Spoletiumque consistunt.* Tuscia ergo *intra se ab oriente Umbriam habebat*, & Umbria *in parte Tusciæ ponebatur*, hoc est pars Tusciæ provinciæ erat, atque habebatur. Quare & Vvido ipse pro Duce Spoletinorum in Annalibus Fuldensibus *Vvito Comes Tuscanorum*, idest Tuscorum, Etruscorumve appellatur.

(10) Poeta dicit Vvidonem *invidiâ tumidum* ægrè tulisse, quòd Carolo Crasso mortuo, Berengarius apud Langobardos regnum occupasset, Rodulfus in Burgundia Jurensi, Odo, vel Oddo in Neustria, Aquitania, & Burgundia: & idem sibi licere existimasse, propterea quòd Rodulfus, & Odo *sodales* ipsius fuissent, & in privata fortuna *sui similes*, hoc est Comites, vel Duces qualis ipse erat, nec nobilitate generis, nec viribus, aut sapientia, nec dignitate, ac potentia ipso superiores. Hoc est quod ait Regino. *Post cujus* (Caroli Crassi) *mortem regna quæ ejus ditioni paruerant, veluti legitimo destituta herede in partes à sua compage resolvuntur, & jam non naturalem dominum præstolantur, sed unumquodque de suis visceribus Regem sibi creare disponit. Quæ causa magnos bellorum motus excitavit: non quia Principes Francorum deessent, qui nobilitate, fortitudine, & sapientia Regnis imperare possent: sed quia inter ipsos æqualitas generositatis, dignitatis, ac potentiæ discordiam augebat, nemine tantùm ceteros præcedente, ut ejus dominio reliqui se submittere dignarentur. Multos enim idoneos Principes ad regni gubernacula moderanda Francia genuisset, nisi fortuna eos æmulatione virtutis in perniciem mutuam armasset.* Ita Trogus, cujus verba Regino furari consuevit, de VII. Optimatibus Persarum, qui Magos, & Oropastam falsum Regem occiderant, scribit. *Erant virtute, & nobilitate ita pares, ut difficilem ex his populo electionem æqualitas faceret.* Idem de amicis, ducibusque Alexandri Magni in libro XIII. sic refert. *Qui numquam sibi reperissent pares, si non inter se concurrissent: multosque Macedonia pro uno Alexandros habuisset, nisi fortuna eos æmulatione virtutis in perniciem mutuam armasset. Inter ipsos verò æqualitas discordiam augebat, nemine tantùm ceteros excedente, ut ei aliquis se summitteret.* Tum autem *veluti legitimo herede, & naturali domino destituta* Regna Francorum habebantur à plerisque, quoniam Arnulfus Carolomanni ex pellice filius erat: Ludovicus autem Balbus coactus fuerat à patre Carolo repudiare Ansgardem conjugem ex qua Ludovicum & Carolomannum filios habebat, & Adelheidem ducere, quæ Carolum postumum peperit: itaut Carolus hic postumus, qui Simplex, vel Stultus cognominatus est, non magis, quàm Arnulfus ex legitima conjuge genitus, ac legitimus Ludovici Balbi filius, justusque heres, & regni successor esse videretur. Omitto & Arnulfo Regi Transrhenano dictum esse, *hunc Carolum filium Ludovici non esse*, ut Fulco Remensis Episcopus in literis ad Arnulfum apud Frodoardum scribit.

(11) *Juvenum*, idest natorum. Sic Juvenalis in Satyra VIII.

Prodita laxabant portarum claustra tyrannis
Exsulibus juvenes ipsius Consulis.

Hoc est filii Bruti Consulis.
Et in Satyra X.

I nunc, & juvenis specie lætare tui.

In Sat. XIV.

Quid suadet juveni lætus stridore catenæ?

Ibidem

Et pater ergo animi felices credit avaros,
----- juvenes hortatur, ut illam
Ire viam pergant.

Item

Clamosus juvenem pater excitat: Accipe ceras,
Scribe puer.

Item

Cùm dicis juveni, stultum qui donet amico.
Jam torquet juvenem longa, & cervina senectus.

Idem & apud alios veteres auctores observavi.

(12) *Satis iniquos*, valdè, aut admodum iniquos: Sic ibidem

Cœtus sat in arma superbus.

Item

Sat rationis inops.

Quod historicos nostros, & eorum temporum scriptores legentibus notissimum est.

(c) Deum testem innocentiæ vocat Berengarius, si Gallos occidat regnum suum invadentes. Scilicet, quòd Vvido Gallicis auxiliis niteretur. Itaque *Gallicus heros* infra vocatur, & *Rhedanicus ductor*. Contra Berengarius *heros Athesinus*; etsi ambo essent stirpis Francicæ, ambo ex Regni Italici ducibus progeniti. *Leib.*

(13) Berengarius.

(14) Vix, ac ne vix quidem. Non enim per totum annum quietus regnavit Berengarius, cùm eodem quo coronatus Ticini erat anno, Vvido ei bellum inferre cœperit, ut nostri auctores docent, Regino, Annales Mettenses, aliique: apud quos invenio, anno DCCCLXXXVIII. à quadam parte Italorum Berengarium Regem constitutum esse; alios Vvidonem æquè Regia dignitate augendum decrevisse. Ambo itaque uno, eodemque anno Reges facti, Berengarius ineunte anno, Vvidò exeunte: quod & Carolo Sigonio placuisse video.

Et fasces mutare Ducis, quæ tradimus ultrò
Ritè fruens donis, nostros glomerare maniplos
Ne cunctetur ovans. Cuiquam si fortè videtur
Futile quod ferimus, robur quia ponit in armis
Brengarii, stimulis olim quia motus iniquis
Finibus absentes Gallos quæsivit Etruscis: (15)
Quantus in arma feror, patriis vel quantus ab oris
Ausoniam subeo, liceat deferre tyranno,
Atque unà caris veniat fundendus in arvis.
Quis placuere vices, ac dulce movere potentes,
Colla jugo posuere truci: malè fida recessit,
Sed penitus, Tyrrhena manus, hostesque protervos
Exultans in regna tulit. Proh sæva nocentum
Consilia! Princeps aberat, pacemque parabat
Imperio, Veronæ Atesis quà culta salubris
Irrigat: (16) ecce gradu celeri petit alta minister
Tecta Ducis sudore madens. Fortissime rector
(Inquit) adesto tuis. Saltu super ardua montis
Sese injecit ovans cœtus sat in arma superbus,
Cui nisi præduros gladiis inferre maniplos
Institeris, quid opus Latio quæ dicere victo
Damna ferent? Infensus ad hæc ita reddidit olli
Rex. Jubeo, juvenis, tantùm desiste moveri.
Non caput hoc dum vita regit diffusa per artus,
Hæc tellus cedet superata, pudetque fateri
Res Latii victas: ait, accirique sodales
Imperat. Excurrunt vastos excita per agros
Agmina, amor quibus est pacis, quìs gloria curæ
Natorum dulcisque domus, vitamque perosi
Adveniunt placido glomerati pectora Regi.
Exacuunt justas subitis rumoribus iras.
Undique collecti postquàm venere manipli,
Ingenti fremitu pariter Ducis ante tribunal
Bella cient. Liquidas tandem se reddit ad auras
Terribilis ductor, quando latus omne sub armis
Ferrea suta terunt, humeros & pectora latè
Flammeus orbis habet, capiti tremit ærea cassis,
Et gemino dextra rutilant hastilia ferro.
Ensis in ore etiam præclara refulget jaspis. (17)
Pulcher honos regumque decus, fortissima pubes,
In mediis orsus, rabidi commercia Martis
Præsto. Manus capulo sit parta, animusq; labori, (18)
Ut decet egregios: Regnum quia tollere pessum
Wido velit, certum est sociis atque arva vocatis
Partiri, & gremiis juvenum subducere pactas.
Si foret huic animus mecum confligere solo,
Et pactis differre nefas, quod fluctuat armis
Mersurum populos: (19) ait, & spumantis habenas
Implet equi, præcepsque petit confinia belli,
Quà manus hostilis Latium pessumdabat armis.
Hic cœlo ut pepulit gelidas aurora tenebras
Rorantes excussa comas multumque sequenti
Sole rubens, galeaque viri clusere minaci
Ora, tubæque sonant, vocisque resultat imago,
Partitæque vices tolluntur in æquora gentes. (20)
Qualis ubi audito venantum murmure tigris
Horruit in maculas, somnosque excussit inertes,

A Bella cupit, laxatque genas, & temperat ungues.
Mox ruit in turmas, natisque alimenta cruentis
Spirantem fert ore virum. Sic excitus ira
Ductor in adversos inigit ferus arma maniplos.
Undique consurgunt acies, & pulvere cœlum
Conditur, horrendisque sonat clamoribus æther.
Hic alius rapido dejectus in æquore cursu
Proteritur, pedibusque simul calcatur equorum.
Atque alius volucri trajectus tempora telo
Cornipedis tergo pronus ruit: illius ense
Desectum longè caput à cervice cucurrit.
Hic jacet exanimis fuso super arma cerebro.
Ille manu caret, hic gressu, nec visibus iste
Integer obruitur: campi sudore madescunt:
Sanguine manat humus: crudescens undique campo
B Mars turmale furit, Wido si fulminis instar
Labitur in turmas. Libycus velut agmina campis
Læta boum cùm fortè leo procul aggere cernit,
Attollens cervice jubas, sitensque cruoris,
In mediam erecto contendit pectore turbam.
Hinc fremit Ausoniæ ductor, furit inde minister
Wido necis, propria nimiùm virtute superbus.
Invicti valeat verùm quis ferre tyranni
Pondera virtutis? (21) Demum dare terga coacti
Illius effugiunt comites. Clamoribus ultro
Palantes sequitur. Quæ vos dementia cepit,
Montibus ut septi, gladios vitare velitis?
O socii. Haud quondam hæc patriis promissa dabatis
Ædibus. Hesperiæ quævis prædulcia natis
Spondentes. Revocate gradum, quid dextera possit
C Hæc, hodie cernetis, io: ne fidite cursu
Lecta manus. Frustra sedenim compellat abactos
Fulminei virtute Ducis. Desertus amicis,
Sat rationis inops, utrumne inglorius armis
Abscedat redivivo animam servare duello,
Redditus an pulcram properet per vulnera mortem
Hostibus. Hæc secum subitò dum mente retractat,
Unus adest comitum, ac rapidis calcaribus urgens
Jam torpentis equi latera. Hostes inclite Gallis,
Inquit, abi: penitus nostri cessere manipli.
Nec miserum credas hominem sævire per agmen,
Pulvereos Libyes potiùs quàm monstra per agros.
Vidi equidem, geminos uno cùm sterneret ictu
Ille viros. Pudet heu fari quæ funera victis
Intulerit. Discede, precor, melioribus ausis
D Servandus. Tandem sociûm perculsus amore
Discedit, sesque suis mœrentibus addit.
Nox ruit interea, curas hominumque labores
Composuit, nigroque polos involuit amictu,
Omnibus illa quidem mitis, sed turbida pulso.
Volvitur irarum furiis actique laboris,
Non tamen absque via mentisq; vigore profundæ (22)
Namque sub occiduas versæ jam noctis habenas
Astrorumque abitus, ubi primùm maxima Tethis
Impulit Eoo cunctantem Hyperiona Ponto,
Doctiloquos agit ille viros ad limen ovantis
Hesterna nece victoris, (23) ne luce carentes
Pro-

(15) Hoc est, quia olim Berengarius principatu Caroli Crassi mihi motus invidiâ intulit bellum, & Gallos quos arcessivisse in Etruriam ad occupandum Regnum falsò dicebar, in Tuscorum, Spoletinorumque finibus frustra quæsivit armatus anno DCCCLXXXIII. De quo bello Annales Fuldenses, & Hermannus cum Poeta nostro sunt consulendi.

(16) Quum Vvido Gallis, & Tuscis, Spoletinisve suis comitatus, pacem Italiæ turbare occœpit, aberat Ticino Rex Berengarius, & Veronæ in extrema Italia, vel in agro Veronensi commorabatur, Regem Arnulfum cum valido exercitu Italiam ingredi parantem placaturus, & cum eo pacem facturus: quam Tridenti ad Atesim factam esse Annales Fuldenses malunt. Abest autem Verona ab oppido Tridento millia LX. De ea pace vide, & Hermannum Contractum.

(17) In fronte vaginæ, ut Juvenalis loquitur, aut certè in capulo gladii.

(18) Dextræ ad enses stringendos sint paratæ, & animi ad laborem ferendum. *Parta* pro parata per syncopen.

E (19) Pacto singulari mecum certamine differre, aut etiam avertere bellum civile, quod imminet, Italis aut saltem alterutri parti exitio futurum. Legitur alias, *& partis differre nefas*.

(20) Feruntur in campos, & in æquam planitiem milites, quos hodieque vulgò Gentes armorum, vel Gentes armatas vocamus.

(21) Berengarii τῦ ἀνικήτου Καίσαρος: quem *Ausoniæ Ductorem, & fulmineum Ducem* ibidem Poeta appellat.

(22) Sine ratione, & sine vigore altæ mentis.

(23) Vvido ad Berengarium hesternâ victoriâ lætum eloquentes, & disertos Oratores mittit petitum, sibi ut liceret corpora suorum efferre ad sepulturam: qua legatione victum se ipse profitebatur. Quod à Poeta fictum non est, cùm Erchempertus scribat, Berengarium in priore hoc prœlio campo potitum esse post magnam utrimque cædem, & spolia legisse.

Prohibeat mandare solo. Jam calle peracto
Postquàm introgressi, & coram data copia fandi,
Incipiunt. Suprema dedit superare potestas
Cui, Ductor, fera bella, (24) animū submitte rogatu.
Nam petimus, liceat socios mandare sepulcris
Æthere priuatos: malis ne membra ferinis
Facta Deo pereant, campove relicta fatiscant.
Hoc fortis Wido, hoc populus miseratus amicos.
Nec adeò fractæ vires, animique labascunt,
Prœlia quin superent, ac spes in nostra adigendi
Jura solum. Juvenes vitio tabescitis omnes
Gentis (Ad hæc victor) fandi quia copia vobis
Semper, & ore magìs robur quàm pectore: verùm
Plus dixisse, egisse minùs, taxatur honestum.
Tollite membra tamen, vitæ quia lumine cassis
Quid restat potius? Miseret tot mille jacentum
Unius ob noxam, luteo quis corpore mundi
Arcana tribuit flatum ratione creator.
Illa quidem videat Deus. At vos, æthera testor,
Aut Italis Galli celeres abscedite terris:
Aut bello fractas iterum densate catervas.
Hæc ubi dicta, viri gressum vertêre frequentes
Ad socios: tolluntque citi sua funera campo
Sandapilis, reditura tubis ut cuncta ciebit
Nuntius ætheria præcurrens arce Tonantem.

Explicit Liber I.

INCIPIT LIBER II.

FLuctuat interea Wido, crebroque retractat
Milite quo bellum moveat, quæ pectora sollers
Prætendat ferro. Placuit sententia demum,
Sollicitet patria populos tellure quietos,
Unanimes quò bella ferant virosque reducant
Effœtas, paribusque solum potiantur habenis.
Summe Deus, qui cuncta foves, qui cuncta creasti,
Qui regis imperio cælum, mare, sidera, terras,
Qui facis astra micent, & signa micantia currant,
Te precor, intende, & mihimet succurre roganti,
Ac sensus infunde meos, commercia belli
Illectosque duces vili subnectere chartæ
Quò valeam. Prior arma rapit jam Gallicus heros (a)
Aerios ducibus montes superantibus auctus,
Anscherio cum fratre simul, qui jure protervo
Quingentos acuunt propria de gente ministros
Instructos animo, & gladiis, nec viribus infrà.
Gaussinus tercentum equites fera bella volentes
Præcelerare jubet, (1) pariter contendit Ubertus
Bis centum pro laude viros: eadem omnibus arma,

A *Et cultus similis, patriæque in pectore vires.*
Arma legens inimica iterum Thyrrena juventus,
Inclyta gens dudum, terræque marisque duello
Apta satìs, modò sed malefida, & degener ultro,
Bella cupit, pariterque cohors Camerina superbit
Munere natorum, subigitque in bella sodales
Mille. Sua virtute, magìs sed prole supinus,
(Post monstrata fides) centeno milite lætus
Pauper adhuc Albricus abit, jam jamque resultat
Spe Camerina. (b) Utinam dives sine morte sodalis.
Quid furibunde ruis sociis ad crimina lectis
Ragineri? Non consilio nec viribus ullis
Vincitur, æthereo causas qui pensat olympo,
Quique Berengario Latium concessit avitum.
Collectos etiam ducit Wilelmus amicos
B *Tercentum lorica habiles galeaque minaces,*
Nec jaculo segnes. Totidem propellit Ubaldus. (c)
Consimili fervore. Vacat non denique vulgus,
Instabili motum studio, modicisque magistris,
Profari. Quandoque manent hi sorte labores
Doctiloquos, mihimet summam tetigisse duelli
Sufficiat, veniunt etiam, discrimina campo
Qui nuper tulerant, numero ter mille, magistris
Conserti pariter stupido restantibus arvo
Infandum. Foret his satiùs cecidisse duello,
Quàm miseros vidisse dies. Nam dispare fato
Disperiere. Jubet tandem Lamberticus horror (d)
Præcipuum truncare: (2) siti perit alter in arvis:
Ungrorum cupit infaustas differre sagittas
Tertius, alta poli scandit supremaque ponti
C *Tristis, ut almificis sese sustollere sceptris*
Fortè queat. (3) Hominum proh mens ignara futuri.
Nunc acies glomerant, bellum numeros; minantur
Lætantes, timidisque etiam brevis addita virtus.
Per medios Wido incedens gratatur amicos,
Exsultatque animis, & spe jam præcipit hostem.
Qualis ubi abruptis fugit præsepia vinclis
Tandem liber equus, campoque potitus aperto,
Aut ille in pastus armentaque tendit equarum,
Aut assuetus aquæ perfundi flumine noto
Emicat, arrectisque fremit cervicibus altè
Luxurians, luduntque jubæ per colla, per armos.
Senserat horrisonos tandem sævire furores
Armipotens Latii decus, & spes inclyta belli (4)
Arma ciet, primisque virum regnique ministris
D *Ociùs accitas cogant in prœlia turmas*
Imperat, ac latas vacuent habitantibus urbes.
Jussio torva means Italo jam perfurit arvo,
Conveniant nocuo rursus decernere ferro,
Quìs pia jura placent. Notas exinde per urbes
Læta novare nefas ardet: sic præpete motu
Comit equos artusque terit thorace juventus.

Nec

(24) O ductor, cui suprema potestas dedit fera bella superare: seu Rex, quem Deus referre ex hoste suo victoriam voluit.

(a) Ipse Vvido.

(1) Gauslinus ille, & Ubertus, ideft Hucbertus, vel Hubertus, & Albricus, & Raginerius, & Vvilelmus, & Ubaldus, seu Hucbaldus, Hubaldusve, Vvidonis socii, & adjutores, qui fuerint, aut quarum urbium regionumve Duces, & Comites nescio: nisi quòd Albricus, vel Albericus Camerinus fuisse dicitur à Poeta, qui & è Gallia accitos, & è Tyrrhenis, seu Spoletinis, ac Camertibus, Camerinisve socios Vvidonis, & auxiliarios plerosque exstitisse indicat. Hic est forsitan Albericus Comes, qui electioni Caroli Imperatoris cum Italici Regni Episcopis, & Optimatibus anno DCCCLXXVI. subscripsit. Ubaldus autem videtur fuisse Hubaldus Bonifacii Camerinorum, & Spoletinorum Marchionis pater, quem Liutprandus in libri I. capite VII. scribit, pro Vvidone cum Berengario, & Zuventibaldo pugnasse, & circa Ticinum in medio fluviolo Bajoarium provocantem lancea trajecisse. Ubertus infrà Gallum se dicit, si tamen idem est.

(b) Jam spe præcipiens Camerinorum Principatum à Vvidone sibi conferendum.

(c) De Ubaldo, qui pro Vvidone contra Berengarium stetit, Luitprandus l. 1. c. 7.

(d) Lambertus Vvidonis filius Maginfredum Comitem Mediolanensium, ob rebellionem (idest quòd ad Arnulphum defecisset) capitis supplicio punivit. An hunc intelligit Auctor? minùs adhuc constat, qui reliqui duo fuerint, quæve eorum tristia fata.

E (2) Unum & præcipuum è III. Ducibus, qui Vvidonem in priore pugna juverant, unàque victi erant, & tum eumdem sequebantur, capite truncari jussit Lambertus Vvidonis filius. Hic est Maginfredus Mediolanensium Comes, qui & Mediolanenses ad defectionem secum traxerat, & loca Comitatui suo proxima igne, ferroque vastabat: quem ob id Lambertus sententia capitali damnavit, ut Liutprandus scribit: filium ejus, & generum oculis orbatos esse, in Annalibus Fuldensibus reperitur. *Lamberticus horror*, idest Lambertus odio impulsus propter defectionem, perfidiamque hominis.

(3) In promontorio quodam ad litus maris suspendio hunc quisquis fuit, periisse videtur Poeta indicare εἰρωνικῶς: nisi si legendum est *alta soli*. Hæc quia ignota, ideò & obscura.

(4) Berengarius Rex Italiæ.

Nec mora, Walfredus (5) (e) *ter mille resumit amicos.*
His manus in capulo, primis ac fervor ab annis
Hostilem turbare globum. Nec fortior alter,
Hostica quem pubes bello vereatur euntem,
Ausona cui faveat. Pariter tria fulmina belli
Supponidæ (6) (f) *coëunt, Regi sociabat amato*
Quos tunc fida satis conjunx: peritura venenis,
Sed postquàm haustura est inimica hortamina Circes. (7)
Hos mille, & quingenti equites comitantur euntes,
Obtecti Chalybum pectus de more metallo
Gentis, & umbrati nitidis à vertice cristis.
Teutonico ritu sexcentos urguet ovantes
Leuto viros: etiam simili strepit agmine frater
Bernardus. Stimulant longis calcaribus armos
Alipedum cuncti, & cludunt latera ardua parmis.
Germanus sic bella gerit. (8) *Nec segnis abibat*
Albricus, Tiberine tuas (g) *non sanguine lymphas*
Qui fraude infecit, (9) *quingentaque robora belli*
Educit patriis horrentia viribus, atque
Francigenis olim duris exercita ludis.
Jamque moræ impatiens glomerat Bonifacus amicos; (10)

Alter

(5) Vvalfredus, qui Berengarium an. DCCCLXXXIX. adversùs Vvidonem tribus millibus armatorum juvit, hic est omnino, qui in palatio Ticinensi anno Domini DCCCLXXVI. regni domini Imperat. Caroli in Francia XXXVII. Imperii I. Indictione IX. electionem Caroli Aug. cum Episcopis, Abbatibus, Comitibus, & ceteris regni Italici Optimatibus confirmavit, tertiusque inter laicos ei subscripsit. Nam post signum Bosonis Ducis, & Richardi Comitis, *signum Vvalfridi Comitis* ibi invenitur. Eumdem Marchionem Forojuliensium fuisse, & Veronam in potestate Arnulfi Aug. fideliter retinuisse, quo an. DCCCXCVI. mortuo Berengarius illico Regnum Italiæ velut hereditario ad se jure pertinens occuparit, referunt Annales Fuldenses his verbis. *Post mortem etenim Vvaltfredi Forojulii Marchensis, qui multum fideliter ad Imperatorem Veronam contendendo retinuit, illico Berengarius Regnum Italicum invasit.* Vvalfredus iste Vvidonem, Regis Vvidonis partium adjutorem, qui *ab arvis Sequanicis illectus* fuerat, seu à ripa Sequanæ evocatus, hasta occîdit eo in prœlio: ut Poeta refert.

(e) Valesius eum esse credit, cujus meminêre Annales Fuldenses ad Ann. 896. & non inmeritò. Vvalfredo, & Mangifredo Comitibus Italiam cis Padum distribuit Arnulphum An. 895. Herm. Contract. Canisii.

6) Videtur Bertila conjux Berengarii Regis Italiæ, patrem habuisse Supponem, natione Francum: quæ tres fratres, Supponis filios viro suo auxiliares adjunxerit. Suppo autem iste, in Chronico Monasterii Casauriensis vocatur *Suppo Piceni Comes, qui & Dux inscribitur, in Imperatoris exercitu fulgidus*, Ludovici nimirum junioris, Lotharii Aug. filii, Ludovici Pii nepotis, *Marchiæ Comes* ibidem dictus. Et in libro MS. instrumentorum Monasterii Casauriensis sæpe anni Supponis Comitis cum annis Imperii Ludovici, vel Hludouvici ejus adnotántur sic: *anno Imperii ejus XX. & I. anno Supponis Com. die XXIX. mensis Septembris per Indictionem V.* item *Supponis Comitis anno Comitatus I.* item II. *anno Comitatus Supponis*, propterea quòd res, quæ per eas literas Cœnobio Casauriensi conferebantur, in Supponis hujusce Comitatu sitæ erant. *Suppo Archiminister* vocatur à Guilielmo Bibliothecario S. R. E. in Vita Hadriani PP. II. hoc est Palatii Ludovici junioris Aug. Archiminister, vel Major domus: qualis Carolo Calvo Aug. fuit Boso Dux, Richildis Aug. frater, qui *sacri Palatii Archiministrum* in subscriptione Ticinensi seipse appellat. Idem electioni Caroli Aug. Ticini anno Domini DCCCLXXVI. subscripsit, post mortem Ludovici junioris Aug. anno I. Nam inter signa Comitum quinto loco ibi reperitur *Signum Supponis Comitis*. Epistolæ Johannis Papæ VIII. ad *Supponem illustrem*, vel *Gloriosum Comitem* Indictione XI. datæ leguntur duæ. Altera Johannes ipsum etiamsi Carolomanni partibus studeret, rogat ut ad se unà cum Bosone Principe Romam redeuntem confestim veniat, & ceteros Proceres Italiæ præoccupet de Republ. secum acturus. Altera eidem mandat, sibi ut post pacem inter Reges Francorum frustra tentatam ex Gallia revertenti, ad Montem Cinisem obviam celeriter occurrat, simulque Angelbergam Imperatricem, Anspertum Mediolanensem Archiepiscopum, Vvibbodum Parmensem Episcopum, aliosque fideles amicos precibus suis ad eumdem conventum adducat. Legitur & tertia Johannis PP. VIII. epistola data Indictione XIII. hoc est anno Christi DCCCLXXX. ad *nobilissimos viros Egifredum, Supponem, Eripaldum, Berardum Bonifacii filium, & Cotefredum Gloriosos Comites*, qua eos orat ut Angelbergæ Aug., quæ Ludovici junioris August. uxor fuerat, rerum, possessionumque omnium curam, & sollicitudinem gerant. Idem Imperatorem Carolum Crassum rogat, ut *Supponem Gloriosum Comitem, & communem fidelem* secum Ravennam ad colloquium adducat. Indiction. XIV. anno DCCCLXXXI. Suppo igitur ille, socer mihi videtur fuisse Berengarii R. cùm sua ei uxor tres Supponis filios adversùs Vvidonem adjunxisse dicatur, & verisimillimum sit uxorem viro non alios, quàm fratres & sanguine proximos adjungere potuisse.

(f) Ex his meritò colligit Valesius Bertilam Berengarii, vel Regis Conjugem fuisse Filiam Supponis Comitis. His in Monasterii Casauriensis Chronico vocatur *Pyceni Comes*, qui & *Dux*, & Guilielmo Biblioth. in vita Adriani Secundi Papæ *Suppo Archiminister* nempe Ludovico juniori Augusto *Comes Palatii*, & cui ac de quo scribit Johannes VIII. Papa. Passim de eo diplomata. Cæterum tres filios ejus Berengario tunc affuisse, sed sororem eorum Reginam à marito postea ob violatam fidem veneno fuisse sublatam ex hoc auctoris nostri loco discimus.

(7) Bertila tum valdè casta, & fida erat viro suo Berengario, & de ejus salute sollicita, cui & fratres suos cum mille & quingentis equitibus adversùs Vvidonem adjunxit. Sed postea cùm malum secuta consilium Berengario fidem non servasset thori, ab eodem veneno sublata est: quod nusquam alibi quàm apud Poetam nostrum legi.

(8) Leuto, & Bernardus fratres sexcenos quisque equites, scutatos omnes more Germanico, & longis calcaribus utentes ad R. Berengarium adduxere auxilio. Ex quo intelligitur Leutonem, & Bernardum, quicumque illi fratres fuerint, natione Germanos seu Francos fuisse, etiamsi in Italia Comitatus, aut etiam Ducatus obtinerent, ibique vitam agerent, & pleroique equites suos ex eadem natione habuisse, licèt domicilio Italienses. Idem de trium Supponis filiorum mille & quingentis equitibus sentiendum est, quos Poeta noster ait loricis ferreis pectora tecta, & galeas cristatas habuisse, *Teutonico ritu*; hoc est more patrio, more Germanico, vel Francico.

(g) Apparet ex Comitibus Tusculanis etsi iis anterior quos alii memorant auctores.

(9) Albricus Berengarii adjutor, qui per fraudem nuper Tiberim cruentavit. Legitur aliàs: *tuas non sanguine lymphas qui fraude infecit*. Hic Albricus tam Poetæ nostro notus erat, quàm nobis ignotus est. Marociæ quidem filium, & Johannis PP. fratrem uterinum Albricum Patricium Romanorum apud Frodoardum in Chronico invenio, qui anno DCCCCXXXIII. Romam à Rege Hugone defendit, & quem inter ac Hugonem Odo Abbas pacem facere anno DCCCCXLII. conabatur: quem Albricum, vel Albericum Marozia ex Alberico Marchione genuisse dicitur Liutprando in libri III. capite XII. Sed Albericus Romanorum Patricius à Poeta nostro designari non potest, cùm LIV. post pugnam Berengarii, & Vvidonis anno vixerit. Ne *Albericus quidem Marchio* pater ejus designari mihi videtur, qui Albericus Marchio anno DCCCCXV. florebat, ut Leo Marsicanus in libri I. capite LV. tradit.

(10) Bonifacius iste, per ætatem non potest esse Hubaldi filius Bonifacius, Comes potentissimus, quem sua ætate Camerinorum, ac Spoletinorum Marchionem fuisse, ac Regis Burgundionum, & Langobardorum Rodulfi sororem Vvaldradam in matrimonio habuisse, Liutprandus scripsit: sed nec Bernardi pater Bonifacius, ad quem Berardum Johannes PP. VIII. epistolam datam Indict. XIII. misit: neque etiam pater Adelberti Tuscorum Marchionis Bonifacius.

Alter ab adverso, ac paribus circumdatus armis
Berardus numero tercentum. Maxima vulgi
Pars, Italo vibrant omnes de more sarissas,
Orbe latusque tegunt clypei pro Marte sinistrum.
Advolat Azo ferox subigens in bella sodales, (11)
Vicinoque suas cogens ab limite turmas
Olricus, (12) (h) *Latium Hadriacis quà clauditur undis,*
Ac labor est sævis gladios prætendere Abaris (13)
Farier illectos studio Mavortis utrimque

Pon-

(11) In Chronici Novaliciensis Monasterii circa annum ML. sub Heinrico Augusto Imperatoris Chuonradi filio compositi libro V. ac penultimo invenio, Adelheidam post viri sui Regis Lotharii mortem Ticini à R. Berengario juniore Berengarii nostri nepote comprehensam, cùm arte pedisequæ esset elapsa custodiam, auxilium ab Attone avo Bonifacii petiisse: à quo in Canusinum castrum abducta, & à Rege Berengario diu frustra obsessa, ibi usque ad Regis Ottonis adventum in Italiam pæne tribus annis remanserit. Ottonem accepta in matrimonium Adelheida, ut Attonem ob fidem uxori suæ servatam remuneraretur, castrum Canusinum ei quod Episcoporum Regensium fuerat, totamque regionem circumjacentem dedisse. Leo Marsicanus tres libros historiæ Monasterii Cassinensis ad suam ætatem, videlicet ad annum MLXXXIX. deduxit: cujus in libri I. capite ultimo scribit, cum Hugone Rege venisse in Italiam *Azzonem* hunc *Comitem*, seu *Atonem*, avunculum Berardi cognomine Francici, propinquum ipsius Regis, à quo Marsorum Comites orti sint: mortuo Hugonis filio Rege Lothario; Adelaidem uxorem ejus ad Atonem propinquum suum sese in Canusam arcem munitissimam contulisse, quam Berengarius cum Alberto filio ferè triennio obsederit, donec ab Ottone Rege Germaniæ obsidione liberata anno DCCCCLI., & uxor ducta est. Domnizo Presbyter libros duos de vita Mathildis anno MCXV. composuit. Hic in capite II. libri I. ait, Attonem Principem, quem & Comitem appellat, unum fuisse è III. Sigefredi Principis filiis: qui Sigefredus relicto agro Lucensi, in fines Parmensium, & Regiensium cum liberis transierit. Ex his Attonem Canossam, quæ nuda silex erat in agro Regiensi, muris, turribusque munivisse, & Adalardi Episcopi Regiensis militem factum esse, qui Adeleidam Reginam Lothario viro orbatam, & ex arce Garda, in qua custodiebatur, elapsam, in castrum suum receperit, ibique tribus annis & dimidio à Berengario R. obsessus sit: Attoni filium fuisse Tedaldum, cui Episcopus Romanus Ferrariam dederit; Tedaldo Bonifacium Ducem Mathildis patrem; & Chonradum filios exstitisse. Domnizonem sequitur Carolus Sigonius, & in libro VI. de Regno Italiæ prodit, *Sigifridum Comitem, qui ab Atestinis Principibus genus duceret, anno DCCCXCVI. ex agro Lucensi ubi aliquandiu fuisset, in Regiensem migravisse, atque ibi castella, & possessiones multas pecuniâ comparavisse*: ejus à filio Atone, & *Mathildem Comitem, & Marchiones Atestinos*, qui usque ad suam ætatem *maximæ in Italia potentiæ, & auctoritatis fuerint*, ortos esse. Quod si verum est, uti suprà ait diligentissimus auctor Sigonius, Sigefredum Principem, Comitemve, patrem Atonis Comitis Reginæ Adelhaidis defensoris, *ab Atestinis Principibus genus duxisse*, planè existimem Azonem, cujus Poeta noster meminit, & qui majorem Berengarium anno DCCCLXXXIX. adversùs Vvidonem juvit, Sigefredi Principis, Comitisve patrem, Atonis Comitis, anno DCCCCLI. Berengarii junioris obsidione liberati avum fuisse, eumdemque Atestinum Marchionem. Atto autem & Ato, Azzo, & Azo unum idemque nomen est: quod complures ex ea familia Marchiones Atestini, Ferrariæ civitatis domini habuere, vulgò Azones Marchiones Estenses dicti. Quippe Ateste Venetorum est ad Atesim, à quo & cognominatur, qui fluvius in mare Hadriaticum effluit: & vulgò *Este* vocitatur. Poeta verò noster Azonem istum suum cum Olrico conjungit, quem *vicino à limite* maris Hadriatici manum suam coegisse scribit hoc disticho,

Vicinoque suas cogens ab limite turmas
Olricus, Latium Hadriacis quà clauditur undis.

Itaut Azonem Olrico, & mari Hadriatico propinquum facere videatur: quod Atestino Marchioni optimè convenit, Ateste ad Atesim in Hadriam decidentem positum obtinenti.

(12) Olricus iste adjutor, & commilito Berengarii, finitimus Azoni, & mari sinuive Hadriatico Venetiam Italiæ regionem terminanti; haud dubiè est Odalricus, vel *Odelricus Comes Palatii* Berengarii,

à Suevis, Alamannisve ortus: quem Liutprandus in libri II. capitibus XV. & XVI. prodit postea à Berengario in vincula conjectum, Lantbertoque Archiepiscopo commendatum, ac traditum, atque Rege insciente dimissum esse: & cum Adelberto Eporediæ Marchione, genero Regio, cum Gileberto Comite prædivite, & strenuo, cum Lantberto Mediolanensi Archiepiscopo, & compluribus aliis Principibus Italiæ à Berengario descivisse, & Rodulfi Burgundionum Regis in ejus locum substituendi consilia iniisse apud Brixiam, ibique ab Hungaris Berengario amicis cùm se viriliter defendisset, præter ceteros interfectum esse, Adelbertum Marchionem, & Gilebertum vivos captos. Ceterùm Poetæ de Olrico verba indicant eum, quum inter Berengarium, & Vvidonem iterum pugna commissa est, præfectum *limitis* Italiæ mari *Hadriatico* proximi, seu Marchionem Forojuliensem exstitisse.

(h) Quinam Bonifacius, & Berardus hîc memorati non constat, sed nec qui Azo, etsi non procul Hadriatico mari habitasse ex eo colligas, quòd Ulricus *vicino à limite* turmas cogit, Latium Hadriacis, quà clauditur undis; itaque Valesius suspicatur Azonem fuisse de *Estensi* stirpe. Olricum verò, qui tunc (ex Poetæ verbis) Italici limitis defensor contra *Abaros*, idest Ungaros fuit, Luitprandus postea à Berengario descivisse narrat libro II. cap. XV. XVI. *Leib.*

(13) Ita legebatur in codice MS. *Abaris*, vel *Avaris*: quod cùm non intelligeret librarius, *Iberis* scripsit magno errore. Quippe Iberi, vel Hispani multum absunt à Venetia, & à sinu Hadriatico. Avares autem Græcis vulgò dicti sunt Ἄβαροι, & Ἀβάρεις, vel Ἄβαρες, idest Abari, & Abares; Victori Tununensi Episcopo Abari in Chronico, ut Poetæ nostro; Theodulfo etiam, ut Isidoro, & Johanni Biclarensi Abares hoc versu

Quod deformis Abar, Pannonicusque Gipes.

Annales Fuldenses in rebus anni DCCCXCVI. & plurimi veteres rerum Caroli Magni scriptores Avaros, plerique Avares appellitarunt. Panegyristes noster heic Abarorum, seu Avarum nomine Hungaros designat, quos per Aquilejam, & Veronam Venetiæ urbes Italiam tum ingredi consuevisse in libri II. IV. & XVI. capitibus notat Liutprandus. Avares porrò, Turci, & Hungari Hunnicæ erant nationes: minùs ut mirum sit Avarum appellatione Hungaros designari, qui & ejusdem essent originis, & easdem quas ante Avares ad Histrum sedes incolerent. Sic & Vvitichindus Corbejensis Monachus, qui ad Ottonis majoris mortem, seu ad annum DCCCCLXXIII. Annales suos deduxit, *Dalamanti* (inquit) *conduxerunt adversùs eum Avares, quos modò Ungaros vocamus, gentem bello asperrimam*: & circa finem libri I. Annalium, ac in libro III. eosdem modò *Ungaros*, modò *Avares* appellat. Sic Roswitha Gandersheimensis Monacha ab Heinrico Bajoariorum Duce, Oddonis, seu Ottonis Magni fratre, sæpe superatos *Avares*, sive Hungaros scribit.

Avaresque per hunc sævi sæpissimè victi.

Ditmarus quoque Mersepurgensis Episcopus, qui anno MXVIII. obiisse dicitur, sæpe in libro præsertim II. Chronici Hungaros *Avarum pharetratorum* nomine designavit, præcipuè his verbis. *Ecce iterum Avares, id est Ungari adversùm nos arma commoverant*. Auctor Annalium Fuldensium Vvitichindo, Roswitha, & Ditmaro multò vetustior, in rebus anni DCCCXCVI. & anni DCCCC. ita etiam loquitur. *Pacem Græci eodem anno cum Avaris qui dicuntur Ungari, facientes*: item, *Avari qui dicuntur Ungari, totâ devastatâ Italiâ regressi sunt*. Eosdem Poeta noster in libro isto Ungros vocat hoc versu,

Ungrorum cupit infaustas differre sagittas.
Tertius.

Ungros similiter in quibusdam Chronicis, ab Hepidanno & *Agarenos* vocatos invenio, nomine Ungarorum in Agarenorum vocabulum corruptè, mendosèque detorto. Zonaras quoque Οὔγγρους, Ungrosve pro Hungaris, vel Ungariis appellare consuevit: Nicetas in libro II. modò Οὔγγρους; modò Παίονας, seu Pannonios à sedibus, quas

occu-

Pontifices vereor. (14) Strictis ingentia dictis
Prætereo: Rheni licitum nec fœdera paucis
Effari. (15) (i) Hinc aliò libitum transmittere cursus.
Ut tandem collecta bonus videt agmina ductor,
Assilit in medium nitidis cernendus in armis,
Talia dicta ferens. Nostri munimina regni,
O proceres, prohibere minas Widonis iniquas
Sitne pium sapitis, dudum qui funera campo
Experti. (16) Mavult igitur quia tendere fastus
Nunc etiam, rebus finem quàm ponere fessis,
Arma referte citi, & caram defendite terram
Me duce, quem dudum precibus sustollere fasces
Hortati: dixitque. Diu cessare duellum
Turba fremens queritur, subito concussa tumultu,
Vix labara opperiens. (17) Ferus omni in pectore sævit
Mortis amor cædisque. Nihil flagrantibus obstat.
Præcipitant redimuntque moras. Sic litora vento
Incipiente fremunt, fugitur cùm portus: ubique
Vela fluunt: laxi jactantur ubique rudentes.
Jamque natant remi, natat omnis in æquore summo
Anchora. Jam dulcis medii de gurgite Ponti
Respicitur tellus, comitesque à puppe relicti.
Campus erat dudum studio damnatus iniquo
Huc ambæ tendunt acies squalentibus armis.
Sed jam bella vocant. Alias nunc suggere vires, (18)
Qui pensas tacita mundum ratione Creator.
Fatalem populis ultro poscentibus horam
Admovet atra dies, stygiisque emissa tenebris
Mors fruitur cœlo, bellatoremque volando
Campum operit, nigroque viros invitat biatu
Arma ciens, aboletque domos, connubia, natos.
Pellitur & patriæ, & qui mente novissimus exit,
Lucis amor, animusque ultra thoracas anhelus
Conatur, galeæque tremunt horrore comarum.
Quid mirum caluisse viros? Flammantur in hostem
Cornipedes, niveoque rigant sola pinguia nimbo.
Jamque ruunt, primusque virum concurrere pulvis
Incipit, ac spatiis utrimque æqualibus acti
Adventant, mediumque vident decrescere campum.
Pulcher adhuc belli vultus, stant vertice coni:
Plena armenta viris, nullus sinè præside vector
Ac postquam rabies, & vitæ prodiga virtus
Emisere animos, sternuntque ruuntque vicissim
Ictibus innumeris. Haud tanta cadentibus hædis
Aëriam Rhodopen solida nive verberat Arctos.
Interea Widonen adit Walfredus ovantem
Cædibus, haud regem; sedenim qui nuper ab arvis
Sequanicis illectus erat. Capit eminus ipsum
Hasta viri valido nimiùm contorta lacerto,
Extremo galeæ primoque in margine parmæ
Semita quà lucet: clauso spiraminis haustu
Ilicet oppetiit. Moriens telluris alumnæ
Infelix, caræque domus reminiscitur, atque
Damna modò Latiis quia venit adeptus in arvis.
Hinc acies sequitur cæso ductore, furitque.
Ascherium sternens heros Atesinus, & Othum, (19)
Comminus hunc stantem metit, hunc à poplite sectum
Cus-

occupaverant dicit: interdum Οὔννες Hunnos, ut & Suidas, communi Gentis nomine appellat: quod Hunnorum nomen Avaribus etiam & Turcis ab historicis attributum reperias. Sed quod forsitan pauci observavere, Hungari postquam Pannoniam armis occupaverunt, interdum non tantùm Avarum, sed etiam Turcorum appellatione impropriè sunt designati. Constantinus Porphyrogennetus Turcos Patzinacitis, & Rossis confines facit, & in capite XII. libri de administrando Imperio ait, Turcos habere ab Occidente Franciam, à Septemtrione Patzinacitas, seu Transilvanos, à Meridie magnam Moraviam, quam subegerint: Chrobatis etiam ad montes versus finitimos esse. Constat autem hodieque Hungariam, Transilvaniâ, Croatiâ, Moraviâ, & Russiâ terminari; Savo flumine à Croatia dividi. Et in capitibus XXVII. ac XXX. scribit Langobardos, & Avares coluisse Pannoniam circa Danubium, ubi jam Turci habitent. Idem in capite XL. pontem Trajani, & Belegradam, Belogradumve seu Taurunum, & Sirmium in Turcia ponit: & in capite XLII. Turcos inter Danubium, & Savum jacentem regionem etiam obtinere ait. Liutprandus in libri II. capitibus II. & VIII. eosdem nunc Hungaros, nunc Turcos appellat. Zonaras quoque in Leone Philosopho *Turcorum ad Istrum, qui & Ungri vocantur* meminit; & in Constantino filio Leonis, ab eodem Bologudes, & Gyla *Turcorum vel Ungrorum Principes* vocantur: ac in Nicephoro Phoca Turci, qui & Ungri Thraciam vastasse dicuntur. Hæc fusiùs sum persecutus, ut qui historicos legunt, intelligant sæpe unam, eamdemque Gentem pluribus nominibus cùm communibus tum propriis, & nonnumquam impropriis; & plures Gentes una appellatione designari.

(14) Ergo Poeta noster notos quidem habuit Episcopos, qui posteriori pugnæ inter Berengarium, & Vvidonem initæ interfuerunt: sed ut dignitati eorum parceret, universos indictos transmisit. Duces autem, ac Episcopos, qui prœlio huic interfuere, notos habere nisi auctor æqualis non potuit. Et Duces quidem, seu Proceres Italiæ, & Galliæ, utrarumque partium adjutores commemoravit Panegyristes; Antistites ut dixi de industria omisit, quos sacri Canones bellare vetuerunt.

(15) Ex his verbis intelligitur, Berengarium qui anno DCCCLXXXVIII. cum Arnulfo Rege Germaniæ jam pacem fecerat, iterum insequenti anno ante alteram istam pugnam cum eodem Rege artius fœdus junxisse metu Vvidonis.

(i) Cum Arnulfo scilicet Germanis Rege; quem regno etiam Italiæ imminentem anno 888. Berengarius Tridentum veniens nonnullis concessis sibi conciliaverat. Unde nunc (ideſt sequente anno) auxilia contra Vvidonem expectavit. *Leib.*

(16) Ex prioris pugnæ eventu intelligitis, didicistis, scitis pium, æquumque esse cum Vvidone pugnare: qui me regno à vobis delato spoliare conatur, inquit Berengarius. Sapere pro scire tum dicebant, & pro docto sapientem, ut hodieque patria lingua dicimus.

(17) Vix signa exspectans, atque vexilla.

(18) Hos XX. versus usque ad
Aeriam Rhodopen solida nive verberat arctos.
ex Statianæ Thebaidos libro VIII. pæne ad verbum transtulit in Panegyricum suum Poeta noster: qui à Statio plerumque, ac nonnumquam ab aliis veteribus Poetis comparationes suas, descriptionesque mutuatur.

(19) Etsi hoc de Vvalfredo Berengariano potest intelligi, qui interfecto Vvidone Sequanico, milites ipsius Duce destitutos insecutus sit, & ceciderit: tamen *herois Atesini* nomine Regem Berengarium designari malim, quem constat Veronæ ad Atesim commorari consuevisse, eamque sedem Ticino urbi Regiæ, & Langobardorum Regum sedi veteri prætulisse. Sic Gregorius Turonicus Episcopus in libri I. historiæ Francicæ capite XL. & in libello de Vita S. Hillidii Arvernorum Episcopi *Imperatorem Trevericum* appellat Maximum, qui in Britannia insula factus Imperator, Gratiano Aug. in Galliis victo, & interfecto, Augustæ Trevirorum sedem statuerat: quæ urbs jam inde à Constantii Chlori Cæsaris exortu per annos ferè centum Imperatorum, & Cæsarum in Galliis morantium Regia jam fuerat. Sic & Theodericus Gothorum, & Italorum Rex, à Germanis scriptoribus cognominatus est Veronensis, quòd Veronam sæpe sedem habuisset, eamque urbem novis, & refectis operibus exornavisset: etsi aliqui Ravennensem dictum malunt. Ceterùm in posteriore versu Ascherium legendum puto potiùs quàm Alcherium: & ita typis imprimendum curavi. Nam Ascharius, vel Ascherius notum est nomen; Alcherius ignotum. *Othum* autem, vel Otum pro Ottone Poeta posuit: sicut à Theophylacto Simocatta in libri VI. capite III. Theodorici Francorum Regis legati Βόσος, & Βέττος, seu Bosus, & Bettus vocantur, qui Boso, & Betto dicebantur. Constantino quoque Porphyrogenneto in capite XXVI. frater Regis Italiæ Hugonis nunc Βόζων, nunc Βοῦζος, seu Bosus appellatur, quem Liutprandus in libri IV. capite V., ceterique Bosonem nuncupant. Imp. Otto major, Ὦτος ὁ τῶν Φράγγων βασιλεὺς Cedreno dicitur, ideſt Otus.

Cuſpide tranſmiſſa. Hic ſocios demitteret umbris
Innumeros: ni Rhodanicus ſuccurrere ductor
Admonitus, feſſis ſubitò adſoret ultor amicis. (20)
Ut lupus in campis pecudes cùm vidit apertis,
Non ductor gregis ipſe comes, non horrida terret
Turba canum. Ruit, ac toto deſævit in arvo.
Haud aliter dirum Wido *ſe tollit in æquor*
Hic celſum quòd cernit equo turbare ſodales
Erardum (21) *indignans, uno duo corpora ferro*
Cornipedemque, equitemque fodit. Ruit ille ruentem
In dominum, lapſiſque manu quærentis habenis
In vultu galeam, clypeumque in corpore calcat:
Saucius extremo donec cum ſanguine frenos
Reſpuit, & juncta domino cervice recumbit.
Otgarii, comites rabido clamore vocantis (22)
Ora ferit frameâ: pereunt conamina vocis
Intercepta cruore. Milo verùm arma cadenti
Dum rapit, infelix Italâ deprenditur haſtâ,
Ac moriens linquit clypeum hoſtilemque ſuumque.
Auxilio collecta ſubit tandem Auſona pubes:
Bellum ingens oritur. Multum hinc illincq; cruoris
Funditur, & totis ſternuntur corpora campis.
Nam varium virtutis opus. Nunc turba recedit,
Nunc premit, ac vicibus tellurem amittit, & aufert.
Ut ventis, nimbiſque minax cùm ſolvit habenas
Aër, alterno profligens turbine mundum:
Stat cœli diverſa acies. Nunc fortior auſtri,
Nunc aquilonis hiems, donec pugnante procella
Aut nimiis hic vicit aquis, aut ille ſereno.
Hic videt Anſcherius fratrem quia vulnere labi
Albrici, ingemit, ac rapido conamine telum
Contorquens, clamore gravi Sator ætheris, inquit,
Sic genus omne tuum propriis diſcriminet arvis,
Ut fratres Italo torvus diſcernis in agro.
His dictis, volat ingenti ſtridore per auras
Cuſpis in adverſum: clypeo ſed pulſa rigenti
Alipedi vadit mortem latura ſuperbo.
Hic mortem Albricus caperet, niſi proxima virtus
Tolleret hunc juvenum, ſociis & redderet armis.
Millibus in mediis vadens, Quid inertia bello
Pectora, Ubertus ait, duris prætenditis armis
O Itali? Potiùs vobis ſacra pocula cordi,
Sæpiùs & ſtomachum nitidis laxare ſaginis,
Elataſque domos rutilo farcire metallo. (23)
Non eadem Gallos, ſimilis vel cura remordet,
Vicinas quibus eſt ſtudium devincere terras,
Depreſſumque larem ſpoliis hinc inde coactis
Suſtentare. Miſer voces dum tollit inertes,
Haſta ſubit latebras animi ſcrutata ſuperbi,
Wifredi librata manu ſuper horrida fantis.
Infelix Galle, Auſonios; ne dicere pigros
A *Fas tibi, ni fallor, digitis impacta monebit*
Haſta meis. Viſu ille truci dum proſpicit hoſtem,
Labitur, & carpit moribundus dentibus herbas,
Hæ diverſa in parte vices utrûmque cadebant.
Sævior at miſeris inſtat regnator Etruſcis
Heſperiæ, (24) *timidumq; vocat* Widona *per agmen,*
Nil vulgare legens, ſed quæ digniſſima vitâ
Funera, præcipuos annis, animiſque cruento
Fert gladio. Innumeris veluti leo fortè potitus
Cædibus, imbelles vitulos, molleſque juvencas
Tranſmittit. Magno furor eſt in ſanguine mergi,
Nec niſi regnantis cervice recumbere tauri.
Wifredum ſedenim ſonipes malè fidus in armis
Rumpentem frenos diverſa per agmina raptat
Jam liber: ſic feſſa manus. Venit haſta per armos
B *Principis, & lævum juveni tranſverberat inguen,*
Labentemque affigit equo. Fugit ille perempto
Conſertus domino, nec jam arma, aut frena tenentem
Portat adhuc equitem. Fratris jam membra regebat
Arduinus equo: lævâ marcentia colla
Suſtentans dextrâque latus. Singultibus artum
Exhaurit thoraca dolor, nec vincla coërcent
Undantem fletu galeam: cùm multa gementi
Valde gravis curvas perfringit lancea coſtas, (25)
Exit & in fratrem, cognataque pectora telo
Conſerit. Ille oculos etiamnum in luce natantes
Siſtit, & adſpecta germani morte reſolvit.
Procubuere pares fatis (Miſerabile votum
Mortis) & alternâ clauſerunt lumina dextrâ.
Ac velut Edoni boreæ cùm ſpiritus alto
C *Inſonat Ægæo,* (26) *ſequiturque ad litora fluctus:*
Quà venti incubuere, fugam dant nubila cœlo.
Sic Regi quacumque viam ſecat, agmina cedunt,
Converſæque ruunt acies, cadit obvia pubes.
Ut vidit ſocios Regi dare terga ſequaci
Ildeprandus, (27) *abit clamans: Perſtate ſodales,*
Quid fugitis? Spectate, virum ſi pellere ferro
Fortè queam. Similes artus natura creatrix
Huic dedit, ac ſimilis ſuſtentat viſcera ſanguis.
Num ſacra riguit ſtyge? Num penetrabile plantis
Hunc modò tergus obit? (28) *Mortali urgemur ab hoſte.*
Haud legione, pium Domino quæ ſervit ad uſum. (29)
Sic ait, & toto connixus corpore telum
Effundens, femur ingenti ferit eminus ictu
D *Ductoris Latii: ſatis hoc. Et tollere greſſum*
Pone citus facti cogente timore parabat. (30)
Protinus intorquens jaculum ſed ductor in hoſtis
Os, terebrat faciem quartis ſinè lege labellis (31)
Increpitans. Secreta tibi committere nullus
Audebit Tyrrhene dehinc quòd apertus abundè
Hac

(20) *Rhodanicus Ductor* eſt Vvido, ducens in prœlium Rhodani accolas, vel ortus majoribus Francis, incolis Galliæ ad flumen Rhodanum. Unde ſubiicit Poeta.
Haud aliter dirum Vvido ſe tollit in æquor.
Hic celſum quòd cernit equo turbare ſodales
Erardum.]

(21) Vvido Rex indignatus, & ægrè ferens ab Herardo Berengariano ſuos equis deturbari, dejici. Poeta noſter Erardum pro Herardo, ut Ubertum pro Huberto, pro Hubaldo Ubaldum, pro Hildebrando, vel Childebrando Ildeprandum dicit, more Italorum, qui tum adſpirationem oderant.

(22) *Otgarii* ſcribi malim, & ita in codice ſcriptum fuiſſe puto, quod librarius in Osharium mutaverit. Quare *Otgarii* edi curavi.

(23) Notat Poeta per Hubertum Gallum avaritiam, & ambitionem Italorum ætatis ſuæ, altis domibus, & auro refertis gaudentium: cùm Galli contra ſeu Franci Galliæ domini humilibus ædibus eſſent contenti, quas hoſtilibus ſpoliis exornare conſueverant.
Depreſſumque larem ſpoliis hinc inde coactis
Suſtentare.

(24) Regnator Heſperiæ Berengarius eſt, qui Tuſcis, Spoletiniſve, & Camertibus pro Vvidone pugnantibus acriùs inſtabat.

(25) Omninò ſcriptum erat in codice *Vvaldegravi*, ideſt Vvaldgravii, quod nomen lingua Germanica ſilvarum Comitem, Præfectumve ſignificat; aut certè *Vvaldegari*: vulgò Germani Vvaldger, aut Vvaldgaer dicunt. Sed prius malo: quod nomen cùm librarius non intelligeret, ineptè diviſit in duo, & ſcripſit *Valdè gravis*, ſenſu, & contumaci ſyllaba repugnantibus.

(26) Hic verſus cum tribus ſequentibus, & hemiſtichio Virgilii eſt in libro XII. Æneidos. Cetera Poetæ noſtri furta, ſuo quodque loco notare tanti non E eſt.

(27) Ut vidit Hildebrandus Tuſcus ſocios ſuos in fugam conjectos, Rege Berengario inſequente.

(28) Alludit Poeta ad Achillem. An Berengarius Achillis exemplo Styge lotus induruit? An cutis ei eſt telis impenetrabilis, præterquam in planta?

(29) Non à legione aliqua Angelorum, quibus Deus uti conſuevit, ſed à Berengario *hoſte mortali mortales urgemur*: quod Hemiſtichium Virgilianum eſt.

(30) Hildebrandus cùm Berengarium Regem eminùs vulneraſſet in femore, contentus audaci facto, & ne ab ipſo interficeretur metuens, fugere parabat: optabatque illæſus evadere, ſatis actum exiſtimans, quòd fortiſſimo viro, & magno Principi vulnus intuliſſet.

(31) Vulnus duo utrimque labra facit in cute. Itaque Berengarius Hildebrandum vulnerando in facie, pro duobus IV. ei labra feciſſe videbatur.

Hac illacque flues. Sint hæc monumenta, minorem
Te frustra voluisse meis illudere telis.
Ille quidem evasit socium circumdatus armis.
Sed victor animi tota succensus in ira
Innumeram ferro plebem, ceu letifer annus
Aut jubar adversi grave sideris immolat: Ite
Vociferans, vestroque Duci narrate, Latinos
Dividat an rectè vobis mea lancea campos.
Tyrrheni proceres iterum hinc atque inde pudore
Collecti statuunt gressum, firmantque vicissim
Undique sese armis, oriturque miserrima cædes
Amborum, & ferrum ferro sonat: undique mistis
Inter se stridunt mucronibus. Instat utrimque
Densa acies, rursusque novo respersa cruore
Arva madent, ruit Hesperias dum Phœbus in undas.
Quis modus ulterior, vel quæ discretio belli?
Ni finem daret ætherea sator orbis ab aula.
Nocte instante solo tandem, spissisque tenebris
Concedunt mœsti, & trucibus dirimuntur ab armis.

Explicit Liber II.

INCIPIT LIBER III.

Tanta per Ausonios defervere prœlia campos, (1)
Non modò finitimis longè sed fama remotis
Dum canit: Arnulfi Germanica rura prementis,
Brengario sedenim regum per stemmata juncti
Tendit ad Imperium solito magis hispida plumis
Amplectens unà populum sævumque tyrannum
Gutture profuso. Coquit ille in pectore curas,
Moxque vocans genitum, Duros Sinbalde maniplos
(Inquit) age, (2) & rapidis Italos pete cursibus agros,
Rex ubi Brengarius audentes ardua Gallos
Insequitur bellis: tamen hos per vulnera dicas
Aut montis subito, mirum, succrescere partu.
Tot veniunt. Tantumne potis perferre dolorem,
Nostra ut progenies propria (a) vexetur in Aula?
Nec tibi bella dari vereor, si junctus amico
Iveris. At muris dicas servare superbos
Fortè animam, neque velle tuis famularier armis.
Esto: vices mutabo dehinc, & mœnia scindam
Ausoniæ, rutilam donec veniatur ad aulam
Clavigeri, (3) (b) & totos Araris vacuabo furores.
Paret ovans patri simili succensus amore
Mox Sinbaldus, & electo comitante ministro
Ingrediens Latium, quosdam præmittit, amico
Pacificum referant sese qui tollere gressum.
Consimili fervore subit pater obvius olli
Brengarius, celsas nimiùm quà tollit in arces
Se regnum, ac subitis Rhenos discriminat oris. (4)
Hic ubi congressu dextras junxere decoro,
Rex inquit prior: O juvenum fortissime, nostros
Cur velis penetrare locos cunctatio nulla est.
Nuncia vera satis. Solùm rogitare necesse,
(Incolumem quia te nostris conspectibus offers)
Si fruitur pater optatis tuus optime rebus.
Inquit at ille. Valet genitor, commune levamen,
Teque valere cupit, pacatis fœdere campis
Mansuro Latii. (5) *Celeres idcirco subegit*
Nos petere Ausonias collecto milite terras.
Interea loca tuta petit Dux Gallicus: atqui
Non geminis obstare sua virtute tyrannis
Posse videns. (6) *Illi fremitu (miserabile) clusos*
Irritant, hinc inde solum peragrando Latinum. (7)
Verùm ubi cuncta silere vident hostilibus ausis,
It monitu Regis patrias Sinbaldus ad oras,
Quòd solus queat hostilem superare furorem.
Tertia vix Lunæ se cornua luce replerant,
Hic lætus patriam postquam concessit ad aulam:
En Vvido agmen agens, iterum renovare furores
Ac-

(1) In Parisiensi Valesiana editione hujus Panegyrici, secundus, & tertius Liber in unum conjuncti fuerant, Typographi errore, quem nos in præsenti emendavimus.

(2) Filius Arnulfi Regis Germaniæ ex concubina, quem Poeta Sinbaldum vocat, Cendebaldus Abboni, in Annalibus Fuldensibus Zuventibaldus, & Zuentibolchus, Reginoni Zundibolch, Zuvendeboldus Liutprando dicitur. Tametsi autem in libri II. fine Poeta ait, posterius prœlium Berengarium inter & Vvidonem post magnam utrimque cædem factam nocte esse diremtum: tamen hæc Arnulfi ad filium verba

Tot veniunt. Tantumne potis perferre dolorem,
Nostra ut progenies propria vexetur in aula?

satis ostendunt eventum hujus prœlii Berengario pæne exitiabilem fuisse. Ægrè fert Arnulfus, quòd ad Vvidonem post pugnam istam confluant Galli Rhodani, & Araris accolæ, ac Hydræ Lernææ capitum more *per vulnera succrescant*, *Tot veniunt*: & quòd Berengarius propinquus, & amicus suus suo in Regno, sua in sede *vexetur*. Cujus verò aliùs copiæ crescere solent, quam victoris? Cujus aliùs imminui, quam victi? An Vvido Berengarium *vexare* post prœlium potuisset, si non vicisset? Victus a victore *vexari* solet: victor à victo non solet, non potest. Et victus potiusquàm victor externis eget auxiliis, qualibus tum Berengarius indiguit: cui Arnulfum sponte, nec roganti, ac nec opinanti quidem auxilia contra Vvidonem misisse, uti credi vult Panegyristes, parum verisimile est.

(a) Res Berengarii difficili loco fuisse, ipsumque Veronæ (ubi *propria ejus aula* erat) non satis tutum fuisse hæc indicant verba Arnulfi *Zuentibaldum* filium auxilio mittentis, quem Poeta vocat *Sinbaldum*. Leib.

(3) Denuntiat jam Arnulfus, se post filium Italiam ingressurum, & urbes, quæ portas sibi clauserint excisurum, ac vià armis factà Romam venturum, ibique in aurata Basilica S. Petri, cui claves regni cœlorum à Christo commissæ sunt, vota facturum.

(b) Credibile est Vvidonem tunc jam tum Romanos in partibus habuisse, & Imperii coronam accepisse. *Leib.*

(4) Locus, ubi præcelsam in arcem attollitur Italia, & à Venetis Germanos dividit, seu potiùs Vindelicos Arnulfo Germaniæ Regi subjectos, est ut puto Tridentum, in finibus Italiæ ad flumen Atesim positum, quod oppidum abest ab Augusta Vindelicorum millia passuum circiter CCXII. & Marchiæ Tridentinæ apud Liutprandum in libri IV. capite III. nomen dedit. Quo in loco anno DCCCLXXXVIII. cum R. Arnulfo collocutus erat Rex Berengarius, pacemque fecerat, uti Annales Fuldenses docent. Rheni autem, sunt accolæ fluminis Rheni, & ab eo cognominati, sicut Stephanus de urbibus, & populis scribit: Rheni pro Rhenanis, aut Rhenensibus dicti: sed heic pro Vindelicis Tridento confinibus ponuntur à Poeta. Legendum autem videtur

ac Venetis Rhenos discriminat oris.

Nec aliter scriptum in codice fuisse puto, pro quo librarius ineptè supposuit *subitis* nullo sensu.

(5) Pater meus Arnulfus, meum, tuumque præsidium valet, & valere te cupit, Rex Berengari, ac *campis Latii fœdere mansuro pacatis* frui, hoc est, te in Italia quietum, & diuturnæ pacis compotem regnare, ac fœdere, quod cum ipso iniisti, diu gaudere optat.

(6) Rex Vvido Gallicis fretus auxiliis, Ticinum urbem naturà munitam petiit, & castra ibi ad Vervavolum amniculum posuit: cùm intelligeret se duobus Regibus Berengario, & Zuventibaldo (nam & Regum filii Reges, *tyrannive* appellantur) viribus imparem esse, ac resistere unum ambobus non posse.

(7) Berengarius, & Zuventibaldus Vvidonianos Ticino, & aliis locis munitissimis inclusos minis, probris, & excursionibus, populationibusque agrorum elicere conabantur ad eruptionem, & pugnam: sed cùm animadverterent nihil eos audere, non æquo dare se campo, moneretque Berengarius solum se ad Vvidonem debellandum parem fore, Zuventibaldus ad patrem suum rediit. Ut de causa adventus, sic de causa reditus Zuventibaldi Liutprandus aliter sentit, ac Sigebertus.

Accelerat; contra ductor depellere pestem
Instruit arma pius, tantosque recidere fastus.
Nec latet Arnulfum rursus succrescere bellum
Hesperiâ. Widonem etiamnum milite fretum
Affore, cervicesque procaci adtollere fastu
Audiit, ac solio quo fortè sedebat eburno
Exsilit, ingentique domum clamore replevit.
Fortia jussa citò scribæ sulcate papyris,
Actutum populos cogant quæ adstare jubenti, (8)
Quàm varios linguis, tam duros pectore, & armis.
Namque juvat Latio clarum me visere amicum;
Quem totiens Rhodanus vexat properante Lemano
Milite. Quò fugient ergo? Cœlumne subibunt?
An latebras terræ quærent; liquidive profundi?
Oderit Hesperiæ, faxo, Dux nomen amatæ
Improbus, extremis terræ vel postus in oris. (9)
Talibus infestas metuenda mole catervas
Præstruit, irarumque graves emittit habenas.
Eridanus veluti nivibus fervore solutis,
Præruptum exit in arva fluens, camposque per omnes
Cum stabulis armenta ruit, radicitùs alnos
Litoreas fluctu undarum labente resorbens.
Jamq; solum tenet Ausonium Dux ille verendus: (c)
Cùm Widonis abit raucore soluta superbo
Fama in castra rei. (10) *Sociis extemplò vocatis*
Tunc ait: O proceres, quid opus depromere verbis,
Quò res Imperii vergantur pondere belli?
Collectis quando Hister adest hinc inde fluentis
Excidio nostri. Moneo, servate secundis
Rebus eò vosmet, tantis ac parcite bellis, (11)

A *Abscedat donec proprios Arnulfus ad agros.*
Pingue solum interea regum dum lustrat uterque, (12)
Pergami adveniunt urbem, (13) (d) *quam detinet ultro*
Munitam jaculis nimiùm subibusque preustis,
Natura tribuente locum satis arcibus aptum,
Ambrosius (e) *pesti miser heu devotus iniquæ.*
Qui regum infelix postquam defertur ad aures,
Obsidione jubent densa circumdare muros,
Ne capiat socium quemquam, exteriusve remittat,
Dispersi donec populi tot luce sequenti
Conveniant, captumque locis emittere firmis
Vi certent, (14) *ausit rursus ne talia quisquam.*
Postera cùm primùm stellas aurora fugarat,
Urbis ad excidium properat Germana juventus
B *Undique luctifico sonitu compulsa tubarum.*
Hic fossas implent alii, muroque propinquant:
Pars scalis etiam tendunt conscendere turres.
Urget enim utrorumque nimis præsentia Regum,
Mœnia quod retinent carum pro munere dantû. (15)
Omne genus contra telorum effundere cives,
Prædurisque parant hostes detrudere contis.
Nec possunt obstare tamen, tot millibus acti
Deficiunt verùm. (16) *Cadit hic cum fragmine muri:*
Ille ruit fossus jaculo: sinè viribus alter
Stat rationis inops. Reclusis undique portis
Urbs patet, hostili jam jam confusa tumultu.
Ecce verenda priùs nullo sub honore tenentur
Atria. (17) *Nam scissis pereunt velamina vittis*
Virginis: impulsumque sacer fugit ipse minister,
C *Quo-*

(8) Hypallage est, sulcate jussa papyris, pro sulcate jussis meis papyros, idest chartas è papyro factas. Mos tum erat Regibus Francorum, populis ditionis suæ cunctis, aut uni alicui nationi proximæ in generali Conventu expeditionem in hostem indicere Procerum consensu comprobatam, vel saltem Comitibus, Præfectisve civitatum, & Ducibus provinciarum scribere, atque mandare, ut certum in locum certo die suos quisque milites adducerent: sicut ab Arnulfo tum factum est. *Scribæ* autem, seu Notarii, in Glossis *Silentiarii* dicuntur. Chartam ex papyro præparatam Poeta noster papyrum supra vocat, quo nomine chartam nostram ex veteribus pannis, quisquiliisque confectam appellamus. Petrus Mauricius Venerabilis, Abbas Cluniacensis in tractatu contra Judæos postquàm *in pellibus arietum, & vitulorum*, idest in membranis Pergamenis, *in biblis, juncisve paludum Orientalium*, seu in charta ex papyro Ægyptia, Nilotica, Syria, Babyloniave confecta pennis, calamisve scribi sua ætate solere ait: D chartam, quoque qua nunc utimur, describit his verbis. *Legit*, *inquis* Judæe, *Deus in cœlis librum Talmuth: sed cujusmodi librum? Si talem, quales cotidie in usu legendi habemus, utique ex pellibus arietum, hircorum, vel vitulorum: sive ex biblis, vel juncis Orientalium paludum: aut ex rasuris veterum pannorum, seu ex qualibet alia fortè viliore materiá compactos, & pennis avium, vel calamis palustrium locorum qualibet tinctura infectis descriptos*. Ex quo apparet, ætate Petri Mauricii ante annos D. chartam nostram vulgarem jam tum in usu fuisse, eamque cùm alibi tum apud Arvernos (ubi optima, hodieque fit) ex rasuris veterum pannorum, & ex qualibet alia vili materia compingi consuevisse, cerarum, & corticum, & linteorum usu E pridem abolito. Qui chartæ nostræ vulgaris ante Mauricium meminerit, neminem observavi.

(9) Faciam oderit Vvido tantopere amatam sibi Italiam, in extremas terræ regiones à me relegatus. *Ducem* Arnulfus per contemtum vocat Vvidonem Aug. quasi tum adhuc Spoletinorum Dux solummodò esset. *Postus* dixit Poeta per syncopen pro positus.

(c) Arnulphus. *Leib.*

(10) Cùm fama rei, superba raucedine soluta abit in castra Vvidonis. Raucorem Poeta vocavit, quam alii ravim, alii raucedinem, & raucitatem appellare malunt.

(11) Ideò vos rebus secundis servate, & usque ad Arnulfi discessum ex Italia abstinete à prœliis, ac vobis quisque qualibet ratione consulite.

(12) *Uterque Regum*, Arnulfus, & Berengarius. Sic infrà:

Qui Regum infelix postquàm defertur ad aures.
Item
Urget enim utrorumque nimis præsentia Regum.
Item
Regum Imperio Romana petentum *Atria*,
Et
Ne lepidos caperent siquidem sedata tyrannos.
Ibidem
Talibus Imperiis, talique hortamine Regum.
Necnon
Admittuntque Duces veneranda ad delubra mites.
Quibus in versibus *Regum*, & *tyrannorum*, & *Ducum* nominibus Arnulfus, & Berengarius designantur.

(13) Pergamum Paulus Langobardus, Regino, Annales Fuldenses, & Mettenses, & Liutprandus, ceterique eorum temporum scriptores vocant urbem Bergomum in Venetia positam.

D (d) Hanc anno 894. ab Arnulpho expugnatam constat. *Leib.*

(e) Ambrosius Comes capta Urbe jussu Arnulphi suspensus est. *Leib.*

(14) Hoc est, contendant vi captum firmo, munitoque loco dejicere, expellere, extrudere, nimirum Bergomo.

(15) Valdè *enim urget, utrorumque Regum præsentia, dantum pro munere, quod carum retinent mœnia*, idest, direptionem urbis militibus pollicentium. *Nimis* tum ut & *satis* dicebant pro valdè, admodum. Sic Poeta noster Bergomum urbem fuisset ait
Munitam jaculis nimium, sudibusque preustis,
Naturá tribuente locum satis arcibus aptum.

(16) Opidani licèt se strenuè defendant, tamen Germanis resistere non possunt; sed à tot millibus hominum armatis oppugnati, deficiunt, atque succumbunt.

E (17) Ecclesiæ, quæ cunctis venerationi antè erant, inhonoratæ à milite victore violabantur impunè. Ibi velaminibus, vittisque, seu ligaminibus, & Guimpis scissis sacræ Virgines corrumpebantur; inde Presbyteri, Clericique fugiebant: cùm viderent quosdam Presbyteros trahi vinctis manibus, quas Catholici post Communionem osculari consuevissent.

Nam scissis pereunt velamina vittis
Virginis: impulsusque sacer fugit ipse minister:
Quorumdam stringunt ambas, quia vincula palmas,
Oscula, quæ solitæ sacris sentire litatis.

De Arnulfi militum immanitate, & libidine ea in expeditione sic Liutprandus in libri I. capite IX. refert. *Sacerdotes Dei vincti trahebantur: sacræ Virgines vi opprimebantur: conjugatæ violabantur. Neque Ecclesiæ confugientibus poterant esse asylum: sed mulieres eodem publicè prostituebantur.*

Quorumdam stringunt ambas quia vincula palmas,
Oscula quæ solitæ sacris sentire litatis.
Ambrosius auctor sceleris, fomesque malorum,
Ut tandem videt immites dominarier hostes
Arcibus, adscensu celeri petit ardua turris,
Nil sibi sub tanto fidens superesse periclo.
Ædibus ingeniis quorumdam marte resertis,
Pellitur inde tamen, (18) *victis accinctus & armis*
Arnulfo manibus trahitur post terga revinctis.
Ille calens irâ, testatur cuncta creantem,
Arboris hunc ramis subitò demittier altæ:
Proh genus invisum leti, suspendere ventis
Debita membra solo: mortalibus altera rerum
Pars datur, ac membris prohibetur glæba caducis.
Hinc igitur juvenum solvuntur frigore mentes.
Urbibus excedunt, laxisque repagula portis
Discindunt, hostesque feros in mœnia linquunt.
Sed quia non illis Prædo tutacula terris
Obtinuit, subitò Etruscas procinctus ad oras
Vertit iter, Regum imperio Romana petentum
Atria: (f) *ne summa forsan quia mansit in aula,*
Haud latuisse queat Gallus se dicere, postquam (19)
Fluctivagas Rheni Arnulfus remearit ad undas.

A *Fugerat hic Romana vafer sed culmina tandem,*
Ne lepidos caperent siquidem sedata tyrannos. (20)
Hi tamen accitis hostilia crimina pandunt
Signiferis, (21) *vexilla, jubentque educere castris,*
Viribus ac totis clausas insistere portas:
Vi saltem reserantis adire ut limina cœlum
Principis (22) (g) *Ecclesiæ liceat, ne frivola tantos*
Propellant figmenta viros, & vota retardent
Præsenti promissa loco, templisque dicatis.
Talibus imperiis, talique hortamine Regum
Induvias rapiunt cuncti Mavortis anheli, (23)
Commissas avidi ferro proscindere portas.
Jam quia parta sibi speculantur nigra Quirites,
Undique diffutis reserant penetralibus Urbem,
Admittuntq; Duces veneranda ad delubra mites. (24)
B *Hic ubi perfectis nituere altaria votis,*
Ardet inexpletum ductor proferre furorem
Barbarus. Infrenes animos sic ira fatigat. (25)
Quid faciat, quò se vertat, quæ mœnia visat,
Ignorat rationis inops. Nam summa tenebat,
Spes ubi pestiferis restabat postera Gallis. (26)
At ductor Latii socium sinè more tyrannum
Ut videt ingruere, placido sic pectore cœpit.

De-

(18) Ambrosius Bergomatium Comes, ut vidit urbem vi captam, expugnatamque esse, in turrim se contulit, nullum aliud receptaculum tanto in discrimine sibi superesse existimans.
Nil sibi sub tanto fidens superesse periclo.
Inde tamen depulsus est, & captus,
Ædibus ingeniis quorumdam Marte resertis.
Hoc est turri ipsa, vel ædibus turri contiguis, per quas aditus ad turrim erat, quorumdam Mechanicorum arte vique reseratis, & effractis. *Resertis* per syncopen Poeta dixit pro reseratis, ut in libro I. *parta* pro parata. Ingenia autem machinas appellari, & Architectos, seu Fabros, ac μηχανοποιὺς, Ingeniosos etiam Latinis dictos esse constat, quemadmodum nos, hodieque cum Hispanis eos vocamus. Hoc nomen ante annos XX. apud C. Plinium Cæcilium in libri Epistolarum X. epistola XL. observare memini: quod & Ægidium Menagium V. C. monui, cùm anno MDCL. Origines linguæ Francicæ ederet. Trajani Aug. ad C. Plinium Secundum de Nicensium theatro, & de Claudiopolitanorum balneo scribentis verba sunt hæc. *Architecti tibi deesse non possunt. Nulla provincia est, quæ non peritos, & Ingeniosos homines habeat: modò ne existimes brevius esse ab Urbe mitti, cùm ex Græcia etiam ad nos venire soliti sint.* Ceterùm librarius perperam scripserat
Ædibus ingenuis quorumdam Marte refertis.
Quibus verbis nullus inest sensus tolerabilis.

(f) Dissimulat Panegyristes Arnulphum Romam petiisse ad coronam Imperii sumendam, quam ei imposuit Formosus Papa; & alias causas comminiscitur, ne scilicet Vvido summa (idest Romana) manens in aula, post discessum Arnulphi se ipso præsente latuisse neget. *Leib.*

(19) Sed quia Vvido post amissum Bergomum nulla ampliùs in Liguria, & Venetia habebat munita loca, & perfugia, jussu Regum Arnulfi, & Berengarii agmen subitò processit in Etruriam (ubi Vvido Camerinum, & Spoletium præ ceteris obtinebat) & ad urbem Romam: ne forsan Vvido post Arnulfi discessum ex Italia, dicere posset, atque jactare, se minimè latuisse, qui Romam tum tenuerit. Prædo vocatur à Poeta Vvido, quia Berengarii Regnum invaserat. Sic Procopius *latro nocturnus*, & *prædo* dicitur in Chronico à Sirmundo edito: sic tyranni varii à variis auctoribus latrones, & prædones nuncupantur. *Summa aula*, ut puto dicitur Poetæ altissima munitio in ipso Urbis aditu ad Pontem, cujus in vertice Ecclesia Sancti Angeli ad Cœlos posita erat, ab Archangelo Michaele ita cognominata: de qua munitione vel castello, deque Ecclesia Liutprandus in capite XII. libri III. refert. Tutacula vocavit Panegyristes noster loca tuta situ, arces, aut castella arte, vel natura munita. Tutaculum, seu tutamen à tutari, ut miraculum à mirari deductum.

(20) Sed Vvido *tandem Romana* in *culmina fugerat*, seu in arcem S. Angeli sese contulerat, metuens ne pacatis motibus partium, Arnulfum, & Berengarium Reges citra vim indefensa Roma reciperet.

(21) Hi tamen ambo Reges, Arnulfus, & Berengarius Primores exercitûs, ac signiferos convocatos edocent, quid Vvido hostis fecerit, quidque mereatur: Sergii Antipapæ Vvidoni faventis, Sergianorumque adversùs Formosum Episcopum Roman. injurias exponunt, ac *clausas portas insistere*, idest oppugnare eos jubent.

C (22) *Ut saltem sibi liceat vi adire limina Ecclesiæ Principis reserantis cœlum*, seu limina Basilicæ Sancti Petri Apostolorum Principis, cui Christus claves cœli commisit: idest ut saltem urbem Leonianam, vel Romam Leonianam heptapylon, quæ Burgus Sancti Petri dicitur, per vim intrare possent, ibi in Basilica B. Petri, & ad sepulcrum ejus vota facturi, ac promissa dona oblaturi.

(g) Clausas portas (urbis scilicet Leonianæ) vi apertas indicatur, ut adire Arnulphus posset *limina* Ecclesiæ principis, seu Basilicæ cœlum reserantis, idest S. Petri. Ceterum, & urbem Romam in potestate habuit. *Leib.*

(23) Jussis, & allocutione Arnulfi, ac Berengarii Regum accensi milites, cuncti arma capiunt, quæ Poeta *Mavortis induvias* appellat, quòd his pugnaturi induantur.

(24) Romani, cùm viderent adversa sibi imminere muris undique effractis, & dejectis, portas urbis
D Leonianæ patefaciunt, & ambos Reges in B. Petri Basilicam introducunt. *Parta* Poeta dixit pro parata, impendentia. Sic in libro I.
Manus capulo sit parta.
Et in libro IV.
Forte aliqua partos valeat si rumpere nodos.
Quo in versu tamen forsitan legendum est potiùs *artos*: itaut synalœpha non fiat, sive præcedentis vocalis a elisio.

(25) Ductor Barbarus, idest Arnulfus Dux Barbarorum, seu Germanorum, iratus post vota in Basilica B. Petri soluta vult tota Roma potiri, vult & cupit Vvidonem usque ad internecionem persequi, & capere. Unde subiicit
At Ductor Latii socium sine more tyrannum
Ut videt ingruere.
Idest, postquàm Berengarius Rex Italiæ socium suum Regem Arnulfum vidit nimis imminere
E Vvidoni. Et infrà de Arnulfo.
Mitior his dictis patitur repedare volentes &c.

(26) Heic Poeta non de R. Arnulfo loquitur, sed de Vvidone Augusto nesciente quò se verteret, aut quæ in oppida, quasve in regiones sese conferret, imminentibus sibi Arnulfo, & Berengario. Tum autem Vvido altissimo munimento, vel arce Sancti Angeli suam, suorumque Tuscorum, & Gallorum salutem tuebatur, ut docent hæc verba,
Nam summa tenebat,
Spes ubi pestiferis restabat postera Gallis.
Idem suprà de Vvidone dixerat.
Ne summa forsan quia mansit in aula,
Haud latuisse queat Gallus se dicere.
Spes postera dicta est à Poeta pro postrema, suprema.

Desine Rex venerande: satis virtute peractum:
Nec decet ulteriùs socios deducere Rhenos. (27)
Nam si itidem Wido victis spem ponit in armis,
Adveniat tumidus, dextra hac, sine, posco domandus, (28)
Te dominante viris antiquo fœdere junctis. (29)
Mitior his dictis, patitur repedare volentes
Barbaricos proceres diverso ab limite lectos
Germanæ princeps metuendus, & arbiter aulæ. (30)
Vix proprios tetigit fines Rex ille verendus:
Legirupis en Wido tubis rediviva resumit
Agmina, item vetitos rupiens pervadere campos. (31)
Sævior ipse etiam Regni pater hostibus arma
Molitur, tantos avidus finire labores. (32)
Interea sors l cta Dei, circumdata saccis,
Vota facit, (33) *vultum lacrimis altaria circum*
Suffusa, has imo referebat pectore voces.
O rerum genitor, cunctis metuenda potestas,
Imperio qui bella regis, pacemque perenni,
Da tantos cessare dolos; da criminis auctor
Veloci pareat letho (34) *da tempora nostro*
Longa duci, quando gemina fert laude coronam,
Virtutis merito, & generis, quòd stemmate pollet. (35)
Audiit ista sator, totum qui curvat Olympum:
Mortis adesse diem (h) *cogit fera bella moventi,*
Sic tamen ut proprio componat lumina lecto. (36)
Ultima lux instat, nec jam spes ulla diei,
Cùm vocat hic natum tanto pro funere mœstum, (37)
Hæc monita fractis promens memoranda loquelis.
Nate vides, quàm dura premant dispendia vitam,
Quæ Pater ille hominum vetiti pro crimine pomi
Intuit, & rupto maculavit fœdere massam.
Nec patriis ultra poteris tutarier armis.
Namque rapit natura diem, somnumque reducit,
Percipe verba tamen positi sub fine parentis,
Et ratione vales quacumque, adsciscere forti
Bren-

---

(27) Berengarius Arnulfum alloquitur, & satis viribus actum esse ait, nec opus esse Germanos socios suos ulteriùs ab eo duci. Rhenos jam suprà pro Germanis dixit.

(28) Nam si Vvido iterum arma resumit, *sine: posco tumidus adveniat, hac mea dextra domandus*. Hoc est, patere, ser eum insanire: opto ut armatus mihi occurrat. Viribus meis haud dubiè superabitur: dextrà meà prosternetur; nec ullis ad id auxiliis egeo.

(29) Anno regni I. Christi DCCCLXXXVIII. Berengarius pacem cum Arnulfo fecerat, ut Annales Fuldenses, & Chronicon Hermanni docent: iterum sequente anno ante posteriorem cum Vvidone pugnam, artius fœdus, societatemque belli cum eodem Arnulfo junxerat, ut Poeta noster supra testatur his verbis,

Rheni licitum nec fœdera paucis
Effari.

itaut *antiquum fœdus* dici potuerit à Poeta, quod ante annos IX. initum, ante VIII. confirmatum erat. Liutprandus in capite VII. libri I. bis renovati postea hujus fœderis meminit, primùm ante Zuventibaldi adventum in Italiam, secundò priusquàm Arnulfus ipse intraret Italiam. Scribit autem à Vvidone bis victum Berengarium, promisisse Arnulfo potentissimo Regi, *se suosque ejus potentiæ servituros, si* ipsius auxilio *Vvidonem superaret, Regnumque Italicum sibi vindicaret*: & eumdem cum Zuventibaldo domum revertente Arnulfum adiisse, *pollicitumque esse, si ipsum adjuvisset, se totam Italiam (ut antè promiserat) ditioni ejus subjecturum*. hoc est, se & suos *milites*, aut (ut vulgari utar verbo) *homines* Arnulfi futuros; se Langobardiæ Regnum de manu Arnulfi accepturum, & beneficio ejus possessurum Italiam, cui Arnulfus ex pacto fœdere dominaturus, quam sub ditione sua habiturus esset. Hinc Poeta dicit de Arnulfo

Te dominante viris antiquo fœdere junctis.

quasi ex fœderis conditionibus dominus esset Arnulfus Langobardiæ ipsi subjectæ, & omnium in Langobardia sedes habentium, nimirum Francorum, Langobardorum, Italorum.

(30) Arnulfus, qui ibidem à Berengario *Rex venerandus*: à Poeta *Rex verendus* vocatur. Ceterùm heic Poeta, quem Liutprandus secutus est, unam tantùm Arnulfi expeditionem Italicam, Bergomum, Romamque ingressi commemorat: cùm ceteri duas referant, quarum priore Bergomum expugnatum sit, posteriore Roma: & Romanis ipsis portas patefacientibus urbem Leonianam ab Arnulfo, ac Berengario intratam, donaque ab ambobus Regibus in Basilica B. Petri super altare oblata esse, ac suasu Berengarii Arnulfum copias reduxisse in Germaniam solus dicit Poeta noster: nec Imperatorem Romæ appellatum, factumque eum ait, ut supra monuimus.

(31) *Legirupæ tubæ* dicuntur Poetæ, quòd leges, pacemque rumpant: sicut fœdifragus dictus à fœdere frangendo. *Item*, idest, iterum invadit Vvido partem regni Langobardiæ, quæ Berengarii erat. *Itidem* Poeta supra dixit eodem sensu,

Nam si itidem Vvido victis spem ponit in armis.

(32) Ipse etiam Berengarius pater, tot bellis, conatibusque Vvidonis è miti sævus, truxque redditus, copias cogit, hostique regni sui occurrere parat, conficiendi belli cupidus. Scriptum est in codice avidȣs. Nimirum Græci pro u Latino ȣ proferebant, & scribebant: & nonnumquam o. Sic dicebant ἀδιȣτα Δέȣς, pro adjuta Deus, aut adjuva; τȣρβέτις pro turbetis; σεκȣάτȣρ pro sequatur: Βȣκελλάριοι, Δεπȣτάτοι, Δȣξ, Εξκȣβιτον, κλεισȣραι, κοντȣβέρνιον, Κȣρσωρες, Σεκȣνδοι, Σκȣτάτοι, Τριβȣνοι, Χαρτȣλάριοι, νοβίσκȣμ. Itaque existimare quis possit, codicem istum Græculi alicujus manu scriptum esse, qui & titulos Græcos addiderit. Nisi si potiùs jam tum Itali u Latinum in ou vertebant, quemadmodum hodieque cum Germanis faciunt: quem popularium morem secutus librarius, hanc pronuntiationem scripturà quoque expressit, & pro avidus avidȣs nobis ingessit.

(33) *Sors lecta Dei* à Poeta dicitur sacer Ordo, vel Clerus, idest Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi, ceterique inferiorum graduum Clerici: κλῆρος enim sortem significat.

(34) Itane & Christianis, atque adeò Clericis ipsis licet, hostibus suis ejusdem religionis, & gentis mortem precari! *Criminis auctor* Vvido Aug. vocatur à Poeta Berengariano. Sanè Berengarius, qui prior Rex Italiæ factus est, pro legitimo Principe; Vvido, qui postea Regnum jam alteri delatum invasit, pro tyranno, & perduellionis reo habendus est. Hinc Vvido *Italiæ tyrannus* dicitur in Annalibus Fuldensibus, & ab Hermanno, & *Prædo* à Poeta nostro in libro I.

En fraudis agit temptamina Prædo:

Et in libro III.

Ia tempora nostro
Longa I uci: quando gemina fert laude coronam.

(35) Da diuturnam vitam Regi nostro Berengario, qui virtutis, nobilitatisque causa Regnum est consecutus.

(h) Vvidoni. Auctor noster omnia perturbat Arnulphus bis in Italia fuit. Primùm anno 894. Mediolano, & Ticino occupatis per Burgundiam in Germaniam rediit, quo tempore & Vvido Imperatorem se ferens obiit succedente Lamberto filio. Arnulphus anni sequentis autumno Italiam petens Romam pervênit, & coronam Imperii accepit. At noster duas expeditiones Arnulphi Italicas confundit, & quantum potest, extenuat, Vvidonisque mortem post Romanam collocat, quæ facta est anno 896. cum Vvido obierit circa finem anni 894. *Leib.*

(36) Mori Deus jubet Vvidonem, qui bellum renovare cupiebat: sua nihilominùs morte naturalive defungi, ac in proprio lecto eum voluit. *Letho* tamen malim. Eam enim mortem ἴδιον θάνατον Græci; Latini *propriam mortem* appellant. Julius Firmicus in capite XIX. libri VIII. *propria morte perire* hoc vocat: Paulus Diaconus in libro VIII. Appendicis ad Eutropium, & in libro II. de Gestis Langobardorum, & Aimoinus in capite XXXIV. libri II. Historiæ Francorum *propria morte defungi*.

(37) Moriens Vvido Lambertum filium suum vocat, ipsius morbo, ac morti propinquæ ingemiscentem & tristem.

Quorumdam stringunt ambas quia vincula palmas,
Oscula quæ solitæ sacris sentire litatis.
Ambrosius auctor sceleris, fomesque malorum,
Ut tandem videt immites dominarier hostes
Arcibus, adscensu celeri petit ardua turris,
Nil sibi sub tanto fidens superesse periclo.
Ædibus ingeniis quorumdam marte resertis,
Pellitur inde tamen, (18) *victis accinctus & armis*
Arnulfo manibus trahitur post terga revinctis.
Ille calens irâ, testatur cuncta creantem,
Arboris hunc ramis subitò demittier altæ:
Proh genus invisum leti, suspendere ventis
Debita membra solo: mortalibus altera rerum
Pars datur, ac membris prohibetur glæba caducis.
Hinc igitur juvenum solvuntur frigore mentes.
Urbibus excedunt, laxisque repagula portis
Discindunt, hostesque feros in mœnia linquunt.
Sed quia non illis Prædo tutacula terris
Obtinuit, subitò Etruscas procinctus ad oras
Vertit iter, Regum imperio Romana petentum
Atria: (f) *ne summa forsan quia mansit in aula,*
Haud latuisse queat Gallus se dicere, postquam (19)
Fluctivagas Rheni Arnulfus remearit ad undas.
Fugerat hic Romana vafer sed culmina tandem,
Ne lepidos caperent siquidem sedata tyrannos. (20)
Hi tamen accitis hostilia crimina pandunt
Signiferis, (21) *vexilla, jubentque educere castris,*
Viribus ac totis clausas insistere portas:
Vi saltem reserantis adire ut limina cœlum
Principis (22) (g) *Ecclesiæ liceat, ne frivola tantos*
Propellant figmenta viros, & vota retardent
Præsenti promissa loco, templisque dicatis.
Talibus imperiis, talique hortamine Regum
Induvias rapiunt cuncti Mavortis anheli, (23)
Commissas avidi ferro proscindere portas.
Jam quia parta sibi speculantur nigra Quirites,
Undique dissutis reserant penetralibus Urbem,
Admittuntq; Duces veneranda ad delubra mites. (24)
Hic ubi perfectis nituere altaria votis,
Ardet inexpletum ductor proferre furorem
Barbarus. Infrenes animos sic ira fatigat. (25)
Quid faciat, quò se vertat, quæ mœnia visat,
Ignorat rationis inops. Nam summa tenebat,
Spes ubi pestiferis restabat postera Gallis. (26)
At ductor Latii socium sinè more tyrannum
Ut videt ingruere, placido sic pectore cœpit.
De-

(18) Ambrosius Bergomatium Comes, ut vidit urbem vi captam, expugnatamque esse, in turrim se contulit, nullum aliud receptaculum tanto in discrimine sibi superesse existimans.

Nil sibi sub tanto fidens superesse periclo.

Inde tamen depulsus est, & captus,

Ædibus ingeniis quorumdam Marte resertis.

Hoc est turri ipsa, vel ædibus turri contiguis, per quas aditus ad turrim erat, quorumdam Mechanicorum arte vique reseratis, & effractis. *Resertis* per syncopen Poeta dixit pro reseratis, ut in libro I. *parta* pro parata. Ingenia autem machinas appellari, & Architectos, seu Fabros, ac μηχανοποιὒς, Ingeniosos etiam Latinis dictos esse constat, quemadmodum nos, hodieque cum Hispanis eos vocamus. Hoc nomen ante annos XX. apud C. Plinium Cæcilium in libri Epistolarum X. epistola XL. observare memini: quod & Ægidium Menagium V. C. monui, cùm anno MDCL. Origines linguæ Francicæ ederet. Trajani Aug. ad C. Plinium Secundum de Nicensium theatro, & de Claudiopolitanorum balneo scribentis verba sunt hæc. *Architecti tibi deesse non possunt. Nulla provincia est, quæ non peritos, & Ingeniosos homines habeat: modò ne existimes brevius esse ab Urbe mitti, cùm ex Græcia etiam ad nos venire soliti sint.* Ceterùm librarius perperam scripserat

Ædibus ingenuis quorumdam Marte refertis.

Quibus verbis nullus inest sensus tolerabilis.

(f) Dissimulat Panegyristes Arnulphum Romam petiisse ad coronam Imperii sumendam, quam ei imposuit Formosus Papa; & alias causas comminiscitur, ne scilicet Vvido summa (idest Romana) manens in aula, post discessum Arnulphi se ipso præsente latuisse neget. *Leib.*

(19) Sed quia Vvido post amissum Bergomum nulla ampliùs in Liguria, & Venetia habebat munita loca, & perfugia, jussu Regum Arnulfi, & Berengarii agmen subitò processit in Etruriam (ubi Vvido Camerinum, & Spoletium præ ceteris obtinebat) & ad urbem Romam: ne forsan Vvido post Arnulfi discessum ex Italia, dicere posset, atque jactare, se minimè latuisse, qui Romam tum tenuerit. Prædo vocatur à Poeta Vvido, quia Berengarii Regnum invaserat. Sic Procopius *latro nocturnus*, & *prædo* dicitur in Chronico à Sirmundo edito: sic tyranni varii à variis auctoribus latrones, & prædones nuncupantur. *Summa aula*, ut puto dicitur Poetæ altissima munitio in ipso Urbis aditu ad Pontem, cujus in vertice Ecclesia Sancti Angeli ad Cœlos posita erat, ab Archangelo Michaele ita cognominata: de qua munitione vel castello, deque Ecclesia Liutprandus in capite XII. libri III. refert. Tutacula vocavit Panegyristes noster loca tuta situ, arces, aut castella arte, vel natura munita. Tutaculum, seu tutamen à tutari, ut miraculum à mirari deductum.

(20) Sed Vvido *tandem Romana* in *culmina fugerat*, seu in arcem S. Angeli sese contulerat, metuens ne pacatis motibus partium, Arnulfum, & Berengarium Reges citra vim indefensa Roma reciperet.

(21) Hi tamen ambo Reges, Arnulfus, & Berengarius Primores exercitûs, ac signiferos convocatos edocent, quid Vvido hostis fecerit, quidque mereatur: Sergii Antipapæ Vvidoni faventis, Sergianorumque adversùs Formosum Episcopum Roman. injurias exponunt, ac *clausas portas insistere*, idest oppugnare eos jubent.

(22) *Ut saltem sibi liceat vi adire limina Ecclesiæ Principis reserantis cœlum*, seu limina Basilicæ Sancti Petri Apostolorum Principis, cui Christus claves cœli commisit: idest ut saltem urbem Leonianam, vel Romam Leonianam heptapylon, quæ Burgus Sancti Petri dicitur, per vim intrare possent, ibi in Basilica B. Petri, & ad sepulcrum ejus vota facturi, ac promissa dona oblaturi.

(g) Clausas portas (urbis scilicet Leonianæ) vi apertas indicatur, ut adire Arnulphus posset *limina* Ecclesiæ principis, seu Basilicæ cœlum reserantis, idest S. Petri. Ceterum, & urbem Romam in potestate habuit. *Leib.*

(23) Jussis, & allocutione Arnulfi, ac Berengarii Regum accensi milites, cuncti arma capiunt, quæ Poeta *Mavortis induvias* appellat, quòd his pugnaturi induantur.

(24) Romani, cùm viderent adversa sibi imminere muris undique effractis, & dejectis, portas urbis Leonianæ patefaciunt, & ambos Reges in B. Petri Basilicam introducunt. *Parta* Poeta dixit pro parata, impendentia. Sic in libro I.

Manus capulo sit parta.

Et in libro IV.

Forte aliqua partos valeat si rumpere nodos.

Quo in versu tamen forsitan legendum est potiùs *artos*: itaut synalœpha non fiat, sive præcedentis vocalis a elisio.

(25) Ductor Barbarus, idest Arnulfus Dux Barbarorum, seu Germanorum, iratus post vota in Basilica B. Petri soluta vult tota Roma potiri, vult & cupit Vvidonem usque ad internecionem persequi, & capere. Unde subiicit

At Ductor Latii socium sine more tyrannum
Ut videt ingruere.

Idest, postquàm Berengarius Rex Italiæ socium suum Regem Arnulfum vidit nimis imminere Vvidoni. Et infrà de Arnulfo.

Mitior his dictis patitur repedare volentes &c.

(26) Heic Poeta non de R. Arnulfo loquitur, sed de Vvidone Augusto nesciente quò se verteret, aut quæ in oppida, quasve in regiones sese conferret, imminentibus sibi Arnulfo, & Berengario. Tum autem Vvido altissimo munimento, vel arce Sancti Angeli suam, suorumque Tuscorum, & Gallorum salutem tuebatur, ut docent hæc verba,

Nam summa tenebat,
Spes ubi pestiferis restabat postera Gallis.

Idem suprà de Vvidone dixerat.

Ne summa forsan quia mansit in aula,
Haud latuisse queat Gallus se dicere.

Spes postera dicta est à Poeta pro postrema, suprema.

Desine Rex venerande: satìs virtute peractum:
Nec decet ulteriùs socios deducere Rhenos. (27)
Nam si itidem Wido victis spem ponit in armis,
Adveniat tumidus, dextra hac, sine, posco domandus, (28)
Te dominante viris antiquo fœdere junctis. (29)
Mitior his dictis, patitur repedare volentes
Barbaricos proceres diverso ab limite lectos
Germanæ princeps metuendus, & arbiter aulæ. (30)
Vix proprios tetigit fines Rex ille verendus:
Legirupis en Wido tubis rediviva resumit
Agmina, item vetitos cupiens pervadere campos. (31)
Sævior ipse etiam Regni pater hostibus arma
Molitur, tantos avidus finire labores. (32)
Interea sors lecta Dei, circumdata saccis,
Vota facit, (33) *vultum lacrimis altaria circum*
Suffusa, has imo referebat pectore voces.
O rerum genitor, cunctis metuenda potestas,
A *Imperio qui bella regis, pacemque perenni,*
Da tantos cessare dolos; da criminis auctor
Veloci pareat letho (34) *da tempora nostro*
Longa duci, quando gemina fert laude coronam,
Virtutis merito, & generis, quòd stemmate pollet. (35)
Audiit ista sator, totum qui curvat Olympum:
Mortis adesse diem (h) *cogit fera bella moventi,*
Sic tamen ut proprio componat lumina lecto. (36)
Ultima lux instat, nec jam spes ulla diei,
Cùm vocat hic natum tanto pro funere mœstum, (37)
Hæc monita fractis promens memoranda loquelis.
Nate vides, quàm dura premant dispendia vitam,
Quæ Pater ille hominum vetiti pro crimine pomi
Intuit, & rupto maculavit fœdere massam.
Nec patriis ultra poteris tutarier armis.
B *Namque rapit natura diem, somnumque reducit,*
Percipe verba tamen positi sub fine parentis,
Et ratione vales quacumque, adsciscere forti
Bren-

---

(27) Berengarius Arnulfum alloquitur, & satìs viribus actum esse ait, nec opus esse Germanos socios suos ulteriùs ab eo duci. Rhenos jam suprà pro Germanis dixit.

(28) Nam si Vvido iterum arma resumit, *sine: posco tumidus adveniat, hac mea dextra domandus*. Hoc est, patere, fer eum insanire: opto ut armatus mihi occurrat. Viribus meis haud dubiè superabitur: dextrà meà prosternetur; nec ullis ad id auxiliis egeo.

(29) Anno regni I. Christi DCCCLXXXVIII. Berengarius pacem cum Arnulfo fecerat, ut Annales Fuldenses, & Chronicon Hermanni docent: iterum sequente anno ante posteriorem cum Vvidone pugnam, artius fœdus, societatemque belli cum eodem Arnulfo junxerat, ut Poeta noster suprà testarur his verbis,

Rheni licitum nec fœdera paucis
Effari.

itaut *antiquum fœdus* dici potuerit à Poeta, quod ante annos IX. initum, ante VIII. confirmatum erat. Liutprandus in capite VII. libri I. bis renovati postea hujus fœderis meminit, primùm ante Zuventibaldi adventum in Italiam, secundò priusquàm Arnulfus ipse intraret Italiam. Scribit autem à Vvidone bis victum Berengarium, promisisse Arnulfo potentissimo Regi, *se suosque ejus potentiæ servituros, si* ipsius auxilio *Vvidonem superaret, Regnumque Italicum sibi vindicaret*: & eumdem cum Zuventibaldo domum revertente Arnulfum adiisse, *pollicitumque esse, si ipsum adjuvisset, se totam Italiam (ut antè promiserat) ditioni ejus subjecturum*. hoc est, se & suos *milites*, aut (ut vulgari utar verbo) *homines* Arnulfi futuros; se Langobardiæ Regnum de manu Arnulfi accepturum, & beneficio ejus possessurum Italiam, cui Arnulfus ex pacto fœdere dominaturus, quam sub ditione sua habiturus esset. Hinc Poeta dicit de Arnulfo

Te dominante viris antiquo fœdere junctis.

quasi ex fœderis conditionibus dominus esset Arnulfus Langobardiæ ipsi subjectæ, & omnium in Langobardia sedes habentium, nimirum Francorum, Langobardorum, Italorum.

(30) Arnulfus, qui ibidem à Berengario *Rex venerandus*: à Poeta *Rex verendus* vocatur. Ceterùm heic Poeta, quem Liutprandus secutus est, unam tantùm Arnulfi expeditionem Italicam, Bergomum, Romamque ingressi commemorat: cùm ceteri duas referant, quarum priore Bergomum expugnatum sit, posteriore Roma: & Romanis ipsis portas patefacientibus urbem Leonianam ab Arnulfo, ac Berengario intratam, donaque ab ambobus Regibus in Basilica B. Petri super altare oblata esse, ac suasu Berengarii Arnulfum copias reduxisse in Germaniam solus dicit Poeta noster: nec Imperatorem Romæ appellatum, factumque eum ait, ut suprà monuimus.

(31) *Legirupæ tubæ* dicuntur Poetæ, quòd leges, pacemque rumpant: sicut fœdifragus dictus à fœdere frangendo. *Item*, idest, iterum invadit Vvido partem regni Langobardiæ, quæ Berengarii erat. *Itidem* Poeta suprà dixit eodem sensu,

Nam si itidem Vvido victis spem ponit in armis.

(32) Ipse etiam Berengarius pater, tot bellis, conatibusque Vvidonis è miti sævus, truxque redditus, copias cogit, hostique regni sui occurrere parat, conficiendi belli cupidus. Scriptum est in codice avidȣs. Nimirum Græci pro u Latino ȣ proferebant, & scribebant: & nonnumquam o. Sic dicebant ἀδιȣ̃τα Δέȣς, pro adjuta Deus, aut adjuva; τȣρβέτις pro turbetis; σεκȣάτȣρ pro sequatur: Βȣκελλάριοι, Δεπȣτάτοι, Δȣ̃ξ, Εξκȣ́βιτον, κλεισȣ̃ραι, κοντȣβέρνιον, Κȣ́ρσωρες, Σεκȣ̃νδοι, Σκȣτάτοι, Τριβȣ̃νοι, Χαρτȣλάριοι, νοβίσκȣμ. Itaque existimare quis possit, codicem istum Græculi alicujus manu scriptum esse, qui & titulos Græcos addiderit. Nisi si potiùs jam tum Itali u Latinum in ou vertebant, quemadmodum hodieque cum Germanis faciunt: quem popularium morem secutus librarius, hanc pronuntiationem scripturà quoque expressit, & pro avidus avidȣs nobis ingessit.

(33) *Sors lecta Dei* à Poeta dicitur sacer Ordo, vel Clerus, idest Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi, ceterique inferiorum graduum Clerici: κλῆρος enim sortem significat.

(34) Itane & Christianis, atque adeò Clericis ipsis licet, hostibus suis ejusdem religionis, & gentis mortem precari! *Criminis auctor* Vvido Aug. vocatur à Poeta Berengariano. Sanè Berengarius, qui prior Rex Italiæ factus est, pro legitimo Principe; Vvido, qui postea Regnum jam alteri delatum invasit, pro tyranno, & perduellionis reo habendus est. Hinc Vvido *Italiæ tyrannus* dicitur in Annalibus Fuldensibus, & ab Hermanno, & *Prædo* à Poeta nostro in libro I.

En fraudis agit temptamina Prædo:

Et in libro III.

Da tempora nostro
Longa Duci: quando gemina fert laude coronam.

(35) Da diuturnam vitam Regi nostro Berengario, qui virtutis, nobilitatisque causà Regnum est consecutus.

(h) Vvidoni. Auctor noster omnia perturbat Arnulphus bis in Italia fuit. Primùm anno 894. Mediolano, & Ticino occupatis per Burgundiam in Germaniam rediit, quo tempore & Vvido Imperatorem se ferens obiit succedente Lamberto filio. Arnulphus anni sequentis autumno Italiam petens Romam pervênit, & coronam Imperii accepit. At noster duas expeditiones Arnulphi Italicas confundit, & quantum potest, extenuat, Vvidonisque mortem post Romanam collocat, quæ facta est anno 896. cum Vvido obierit circa finem anni 894. *Leib.*

(36) Mori Deus jubet Vvidonem, qui bellum renovare cupiebat: sua nihilominùs morte naturalive defungi, ac in proprio lecto eum voluit. *Letho* tamen malim. Eam enim mortem ἴδιον θάνατον Græci; Latini *propriam mortem* appellant. Julius Firmicus in capite XIX. libri VIII. *propria morte perire* hoc vocat: Paulus Diaconus in libro VIII. Appendicis ad Eutropium, & in libro II. de Gestis Langobardorum, & Aimoinus in capite XXXIV. libri II. Historiæ Francorum *propria morte defungi*.

(37) Moriens Vvido Lambertum filium suum vocat, ipsius morbo, ac morti propinquæ ingemiscentem & tristem.

Brengario. Hunc etenim fato meliore ſequetur
Heſperia, & noſtris etiam dominabitur arvis. (38)

Nec plura effatus, medio ſermone reſiſtit,
Et vitam pariter moriens, & famina linquit. (39)
Læ-

---

(38) Quocumque modo cum Berengario pacem facito, fœdus inito, ei adjungere, cum eo fœdus junge, ſi in parte Italiæ regnare vis. Vir enim fortiſſimus eſt, & me mortuo partem Langobardiæ, quæ noſtrûm amborum fuit, occupabit, ad eumque tranſibunt noſtræ homines ditionis, niſi amicum ipſum habueris.

(39) Poſt Romam ergo ab Arnulfo captam (anno autem DCCCXCVI. capta eſt) poſtque diſceſſum ejus ex Italia, ac domum reditionem Vvidonem Aug. deceſſiſſe ait Poeta noſter: quem Annales Fuldenſes, & Mettenſes, Regino, & Hermannus anno DCCCXCIV. obiiſſe conſentiunt. In Chronico Monaſterii Acutiani falsò dicitur *Arnulfi adjutorio Berengarius Princeps Italicus prævalens, Guidonem exſtinxiſſe, & potenter Regnum accepiſſe*: quem Vvidonem naturali, & non præcipitata morte functum eſſe conſtat. De Vvidone heic pauca dicere convenit. Apud Frodoardum in libri IV. hiſtoriarum Eccleſiæ Remenſis capite I. Fulco Remorum Archiepiſcopus in epiſtola ad Stephanum PP. VI. Hadriani III. ſucceſsorem *pro Vvidone affine ſuo, quem idem Papa in filium adoptaverat, memorat, tam ſe quàm ceteros conſanguineos ſuos, quibus id notificaverat, debitam exhibituros eidem Papa reverentiam: ad quæ ille reſpondens aſſerit, memoriam Vvidonis Ducis gratiſſimè ſe ſuſcepiſſe, quem unici loco filii ſe tenere fatetur*. In capite II. Papa Formoſus Stephani ſucceſsor ad Fulconem ſcribens, *Imperatorem Vvidonem coronatum eodem anno ſignificat Indictione X.* Et in capite III. *Idem Fulco pro Imperatore Lamberto gratiarum refert actiones*, (Formoſo PP.) *quòd notificaverit ſibi, de ipſo Lamberto patris ſe curam habere, filiique cariſſimi loco eum diligere: aſſerens quòd non illum tantùm diligeret pro conſanguinitatis neceſſitudine, qua illi devinctus habebatur, verùm multo magis, quia hujus Papæ venerator, & amator exſiſteret. Precatur autem ut idem Carolus Rex cum prædicto Lamberto amicitiâ jungeretur.* Et infrà. *Idem verò Papa* (Formoſus) *laudibus attollit eumdem* (Fulconem) *congratulans ejus dilectioni, & ſollicitudini, quam gerebat erga Lambertum Imperatorem: de cujus fidelitate, & ſtabilitate monet eum ſemper fieri ſollicitum, veluti conſanguinitatis propinquum*. In capite V. *Vvidonem Imperatorem exorat*, (Fulco) *ut Regi ſuo Carolo* (Simplici) *ſuffragium impendat, & talis erga ipſum exſiſtat, qualem eum erga propinquum exſiſtere ducet*. Quorſum iſta? Dicet aliquis. Ut oſtendam Imperatorem Vvidonem, qui Fulconis Remorum Archiepiſcopi, nobiliſſimi viri Franci, & Palatinis officiis ſub tribus Francorum Regibus aſsueti *affinis*, Caroli quoque Francorum Regis cognomine Simplicis materno genere *propinquus* fuerit; & Lambertum Aug. Vvidonis filium, qui *conſanguinitatis neceſſitudine, vel propinquitate* Fulconi *devinctus* exſtiterit, ambos haud dubiè natione Francos fuiſse. Unde & Liutprandus in libri I. capite VI. de Vvidone ſic refert. *Traxerat ſanè, & à Francis quamdam affinitatis lineam*: hoc eſt, *affinis Francorum Regum* erat, ut ſuprà docuimus, ob idque Regnum Francorum affectavit. Certè Leo Marſicanus in libri I. Chronici capite LXIV. Vvidonem præter ceteros pro Franco habet, quum ait mortuo Lothario Rege Hugonis filio, *Italiæ Regnum à Francis ad Teutonicos* (nimirum ad Ottonem Saxonem) *translatum eſſe*. Et Erchempertus Leone multò vetuſtior patrem Vvidonis Vvidonem Ducem Spoletinorum facit, Franciſque adnumerat. Quare Otto Friſingenſis Epiſcopus, & Gotfridus Viterbienſis Presbyter, & Carolus Sigonius, aliique falsò pro *Langobardis*, aut *Italis* habuere Vvidonem, atque Lambertum cum Berengariis: quum Otto, & Gotfridus poſt Caroli Craſſi obitum *Imperium à Francis ad Langobardos translatum* ajunt; & mortuo Carolo Craſſo *Francos Reges Italici excepiſſe* à Sigonio dicuntur.

Vvido & Lambertus, vel Lantbertus, Vvidonis ex Duce Imperatoris pater ille, hic frater, ut Italis placet, (Nam noſtri aliter ſentiunt) Ducatum Spoletinorum alter poſt alterum adminiſtrarunt, & ipſi per manus tradiderunt. Ex quo judicari poteſt, ſaltem Lambertum fratrem Vvidonis noſtri, Vvidonemque ipſum in Italia natos eſse, ibique habitaviſse, cùm utriuſque pater apud Italos magiſtratum geſserit, ibidemque mortem obierit.

Ortus tamen erat Vvido majoribus Francis Gallicanis, ſeu in Gallia ſedem habentibus, & multos ibi amicos, ac propinquos habebat non Proceres modò, ſed etiam Reges: in his Fulconem Remorum Archiepiſcopum, ac Carolum ipſummet Francorum Regem, qui Minor, & Inſipiens Simplexve, aut Stultus cognominatus eſt. Quamobrem *Gallos*, ideſt Francos Gallicanos, præſertim Araris, Rhodani, & Lemani lacûs accolas, miſsu fortè Rodulfi Magni Burgundiæ Regis contra Berengarium ſemper auxiliares habuit Vvido; & *patrias oras, patriamque tellurem* vocat Galliam in Panegyrico Berengarii: ipſe *Gallicus heros*; *Dux Gallicus*, & *Gallus*, ideſt Dux Francicus, & Francus è Gallia; & *Rhodanicus ductor* à Poeta noſtro nuncupatur. In libro I. de Vvidone adverſario ſuo, deque Vvidonianis militibus Rex Berengarius ita loquitur

Noxamque remitte cruoris,
Si manus hæc mortis tulerit diſpendia Gallis,
Debita jure mihi raptum ire volentibus arva.

Ibidem de Vvidone Regnum Italiæ invadente Poeta ſic refert

En fraudis agit temtamina Prædo,
Quà ſecuit quondam aerias Rex Pœnus aceto
Imperii cupidus cautes.

Alpibus autem Cottiis *Rex*, vel potiùs Dux *Pœnorum* Hannibal tranſiit in Italiam, non (ut Plinius, Ammianuſque, & quidam alii putavere) Peninis jugis, aut ut Cornelius Nepos ſcribit, ſaltu Grajo. Quare ſi eodem itinere contendit Vvido, Alpibus Cottiis Gallica auxilia in Italiam adduxit. Ibidem Vvido, qui & *hoſpes inclytus Gallis* vocatur, de ſe dicit

Quantus in arma feror, patriis, vel quantus ab oris
Auſoniam ſubeo, liceat deferre Tyranno.

Cuique liceat nuntiare Regi Berengario, quantis cum viribus à patria mea Gallia Italiam peto. Item Berengarius Vvidonianis ſic loquitur

Aut Italis Gallis celeres abſcedite terris.

In libro II. Poeta de Vvidone ex Gallia auxilia iterum arceſsente

Sollicitet patriâ populos tellure quietos.

Item de eodem

Prior arma rapit jam Gallicus Heros,
Aerios Ducibus montes ſuperantibus auctus.

Gallicus Heros Vvido eſt, qui & infrà *Rhodanicus Ductor*.

Ni Rhodanicus ſuccurrere Ductor
Admonitus.

In libro III.

Rex ubi Brengarius audentes ardua Gallos
Inſequitur bellis.

Gallos, ideſt Vvidonianos. Ibidem Vvido *Dux Gallicus* dicitur.

Interea loca tuta petit Dux Gallicus.

Et Arnulfus Araris accolas, qui Vvidonem ſequebantur, ait ſe debellaturum.

Mœnia ſcindam
Auſoniæ, & totos Araris vacuabo furores.

Idem poſt filii ſui ex Italia diſceſsum Vvidone renovante bellum, ſuccurrendum ſibi eſse Berengario ait, à Gallis Rhodanicis, Lemaniciſque vexato.

Namque juvat Latio clarum me viſere amicum,
Quem totiens Rhodanus vexat properante Lemano
Milite.

Vvido item *Gallus* nuncupatur.

Haud latuiſſe queat Gallus ſe dicere.

Et qui ei auxilium ferebant, quibuſque agros in Italia dederat, Galli appellantur à Poeta.

Spes ubi peſtiferis reſtabat poſtera Gallis.

Berengarii quoque clementiam laudat Poeta, Gallos, quos Vvido Aug. in Italiam acciverat, poſt ejus obitum ad ſe tranſeuntes recipientis, nec quidquam Camerinis, Spoletiniſque idem facientibus exprobrantis.

Nec Gallos abicit, nec crimina ponit Etruſcis.

Ceterùm patrem Vvidonis noſtri Vvidonem, Lambertum fratrem ab Italis haberi ſuprà dixi, propterea quòd Erchempertus Monachus Caſſinenſis, æqualis Vvidonis, in Hiſtoria Langobardorum Beneventi dominantium, Vvidonem noſtrum nunc *Guidonem germanum Lamberti Ducis Spoletinorum*: nunc *Guidonem filium Guidonis ſenioris*, (quem Ducem Spoletinorum circa initia principatus Ludovici minoris Auguſti fuiſse ſcribit) & *Guidonem juniorem* appellat: ac *Lambertum filium Guidonis ſenio-*

Lætantur populi mortis cecidisse ministrum,
Et curis solvunt animos, ac marte lacertos.
Ut cùm Sole malo, tristique rosaria pallent
Usta noto: si clara dies Zephyrique refecit
Aura polum, redit omnis honos, emissaque lucent
Germina, & informes ornat sua gloria virgas.
Pars quoque magna virûm properant, Widone sepulto,
Orantes veniam Latii ductoris ad aulam, (40)
Dum Widone satum invalido comitante ministro
Deficiunt, (41) *duplici nimium discrimine mœstum,*
Morte patris, simul ac notis abeuntibus armis.
Ac recolens præcepta patris, jubet ire sodalem
Qui pacem petat, ac Regem summissus adoret. (42)
Ne memor esse velit genitoris bella gerentis,
Sed legat in regnum sociali fœdere amicum,
Militiæque etiam, Mavors si quando ministrum
Bella ciet. (43) *Dux interea venerabilis ævo*
Fert pietatis opem venientibus ultro maniplis,
Nec Gallos abicit, nec crimina ponit Etruscis:
A *Prætendit solitò verùm pia viscera cunctis.* (44)
Nuncius in medio demum ut Lamberticus adstat,
Et quæ sit fortuna viro, pacisque voluntas
Edocet. Ipse Pater miti sic pectore reddit. (45)
Æqua referre malis nimiùm sacra jura recusant (46)
Namque poli sensum demissum traximus arce, (47)
Cujus egent prona, & terram spectantia. Mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantùm animam, nobis animum quoque mutuus ut nos
Affectus petere auxilium & præstare juberet.
Nec genitus gignentis habet pro crimine noxam,
Veridico cecinit quondam velut ore Propheta. (48)
Quapropter veniat, noster dicendus amicus
Hac ratione, fide violet ne jura protervus, (49)
In levi cumulans genitoris pectore technam.
B *Sin tenet ille dolum juvenili mente resumtum,*
Colligat arma citò, patrique simillimus ultro
Exercens studium, faxit per bella periclum.
Percipit hæc hilaris postquam juvenilis alumnus, (50)
Pro-

---

senioris, morientem *filio suo Spoletium reliquisse* ait, *quo etiam defuncto, Guido junior Spoletium, & Camerinum receperit*: sive Dux Spoletinorum, & Camertium factus sit. Similiter Leo Marsicanus Monachus, & ipse Cassinensis in capite supra laudato Vvidonem nostrum, *Guidonem Guidonis Comitis filium* nuncupavit. Ex quibus apparet, Vvidonem nostrum, Vvidonis Spoletini Ducis filium, non nepotem: Lamberti Spoletinorum Ducis fratrem natu minorem, non filium fuisse: & Vvidoni quidem seniori Lambertum filium majorem natu in Ducatum Spoletinum successisse: Lamberto filium incerti nominis, quem forsitan *Vvidonem Comitis Lamberti filium* Johannes PP. VIII. in epistola ad Carolum Crassum R. data Indictione XIII. vocat: filio isto Lamberti paulo pòst mortuo, Vvidonem Ducatum Spoletinorum, vel Tuscorum obtinuisse. Falsò igitur cum Annalibus Fuldensibus, & Mettensibus Regino, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Sigonius, ac ceteri recentiores Vvidonem nostrum, seu juniorem, pro fratre *filium Lamberti* fuisse scripserunt: quem *Lambertum Spoletinum Ducem, Vvidonis quondam Spoletini Ducis filium* Johannes Papa VIII. in epistolis, & *Gloriosum Comitem*, & *Spoletinum Comitem*, & *Ducem* promiscuè appellat. Erchempertum quidem omnibus nostris Historicis, & Chronologis, quantum ad Vvidonem attinet, vel unum facilè antepono: & homini Beneventano, diligenti scriptori de Principe Italiæ filiam, & sororem Beneventanorum Ducum in matrimonio habente, quem ipse vidit, & cujus in priore cum Berengario pugna desiit, multo magis quàm externis auctoribus ætate, aut patria remotioribus credendum judico. Et de Vvidone hactenus.

(40) Vvidone mortuo, multi qui eum secuti erant, ad Berengarium Regem Italiæ *Ductorem Latii* Poetæ dictum, se conferunt, veniamque ab eo petunt, ac impetrant. Unde & Panegyristes Lambertum mœstum fuisse ait

Morte patris, simul ac notis abeuntibus armis.

Erant autem, qui post Vvidonis obitum ad Berengarium transierunt, pars Franci è Gallia, pars Camerini, ac Spoletini: quorum alteros *Gallos*, alteros *Etruscos*, & *Tyrrhenos* Poeta more suo appellat, & humanissimè à Berengario exceptos esse affirmat his versibus:

Dux interea venerabilis ævo
Fert pietatis opem venientibus ultro maniplis:
Nec Gallos abicit, nec crimina ponit Etruscis.

Sed anno DCCCXCIV. quo Imperator Vvido decessit, Berengarius senex, & *ævo venerabilis* esse vix potuit, cùm annis ampliùs XXX. supervixerit, diutiùs victurus si per Flambertum, proditoresque licuisset. Anno enim DCCCCXXIV. aut ut aliis placet XXV. est interfectus. Transibant porrò ad Berengarium Vvidoniani, quòd Lamberti Vvidonis filii pueritiam maternæ tutelæ subjectam, & muliebria imperia contemnebant. Tum enim Lambertus *juvenis*, & *ephæbus* fuisse, Poetæ nostro & Liutprando dicitur.

(41) Hoc est Vvidonis filium deserunt, qui à matre regebatur, cujus mater Regnum administrabat. Scriptum tamen puto esse in codice, *Despiciunt*. Vvidonis Aug. uxor, Lamberti Aug. mater erat Ageltrudis Aug. quam Hermannus Contractus, & quidam alii *Angildrudam* vocant; & quam Poeta noster ob sexum *invalidi Ministri* nomine designat. Certè *anno DCCCXCIV. Vvidone Italiæ tyranno mortuo, Angiltruda vidua ejus cum filio Lamperto tyrannidem invasit*, uti ait Hermannus à Canisio editus. Ageltrudis autem ista, Vvidonis conjux, Ducum Beneventanorum Adelgisi filia, Radelchisi soror fuit, & Beneventanum Principatum mensibus XX. Augusta obtinuit.

Tom. II.

(42) Lambertus memor supremorum patris mandatorum, legatum unum è sodalibus suis ad Regem Berengarium misit, pacem, amicitiamque petitum:
C quo benignè excepto, ac dimisso, Berengarius, & Lambertus in urbe Regia Ticino collocuti, pacem inter se fecere, quæ usque ad Lamberti mortem duravit. Quo mortuo, Berengarius toto Langobardiæ Regno IV. per annos potitur: quemadmodum Panegyrista noster canit. Ex quibus intelligitur Lambertum in parte Regni Langobardici, quæ patris sui fuerat, regnavisse. At Liutprandus in capite X. libri I. scribit, mortuo Vvidone Berengarium statim Ticinum Regiam occupavisse, verùm ab Optimatibus, qui Vvidoni faverant, ac fideles fuerant, Berengariumque metuebant, Lantbertum Vvidonis filium Regem esse constitutum, ad eumque populum confluxisse. Berengarium igitur desertum à plerisque, Lantberto juveni cum magno exercitu Ticinum petenti occurrere ausum non esse, Veronamque sese contulisse: quem paulo pòst Proceres Lantberto ob severitatem infesti per nuntios rogaverint, ut
D ad se veniret, & Lantbertum expelleret.

(43) *Etiam ministrum militiæ, si quando Mavors bella ciet*: quibus verbis Lambertus non pacem modò, & amicitiam suam, sed etiam belli societatem offerebat Berengario.

(44) *Solitò*, more solito, more suo, pro sua clementia. Sic matutinò veteres dixere, ut Plinius aliique, pro matutino tempore, vel manè.

(45) *Pater mitis*, Berengarius.

(46) Mala malis referre sacri libri, & Dominica mandata nos vetant. Paulus Apostolus in epistolæ prioris ad Thessalonicenses capite V. versu XV. *Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat*: & in epistolæ ad Romanos capite XI. *Nulli malum pro malo reddentes*.

(47) Hos V. versus Poeta mutuatus est à Juvenale, duobus verbis in primo versu mutatis. Sic enim Juvenalis in sat. XV. scribit,

Sensum à cœlesti demissum traximus arce, &c.

E (48) *Filius non portabit iniquitatem Patris*, inquit Ezechiel Propheta in capitis XVIII. versu XX. Sic ergo ait Berengarius: Deus à filiis paternorum scelerum pœnas expetere non solet: quem nos imitari debemus: & ut ille filio patris delictum non imputat; ita ego Lambertum propter ipsius patris tyrannidem, & iniqua adversùs me bella non odi; non persequar insontem.

(49) In colloquium veniat invitatus, mecum pacem facturus, ac amicus meus futurus, ea conditione, ac lege, ne fidem postea violet, *fide jura* pro fidei dixit Poeta, ut *horas die* Virgilius I. Georg. *fide pignus* Ovidius in VI. Metam. *commissa fide* Horat.

(50) Postquàm hanc Berengarii orationem audiit legatus Lamberti, qui *sodalis* Lamberti supra dicitur à Poeta, & *nuntius Lamberticus*, seu Lamberti.

Procidit & supplex Regi, veneratur amorem
Quo tellus, pelagus servant atque astra tenorem,
Ne pontus liquidis arvum subvertat habenis, (51)
Aut ignita poli mergantur sidera lymphis.
Hinc remeans juveni defert sua nuncia voti, (52)
Ordine cuncta monens. Tandem Rex optimus atque
Lambertus properant, ubi fertilis unda Ticini
Alluit egregiam fluvii cognomine dictam
Urbem, in qua soliti Regem spectare Latini. (53)
Mutua verba serunt, postquàm promittit uterque
Mansurum fœdus, roseis dum vecta quadrigis
Fluctibus Oceani perfunditur orbita Phœbi, (54)
Aut tellus immota manet, nec pondere cedit,
Undique pulcra tuens vertentem sidera mundum,
Si tot vita virùm posset durare per annos,
O juvenale decus, si mens non læva fuisset! (55)
Sæpè datas voluit pacis rescindere dextras
Fraudibus inventis. Sedenim ratione sagaci
Deprendis Pater alme dolos, ac murmura temnis.
Tertia (i) *mox tamen hunc Latio produxerat æstas*
Ubere telluris potientem pace sequestra. (56)
Ecce dies instat juvenilibus æmula factis,
Mortis acerba ferens. Studio jam vadit in altos
Venandi lucos, cupiens sibi mittier aprum,
Informem, aut rapidis occurr re motibus ursum.
Avia sed postquàm nimio clamore fatigant
Præcipites socii, ipse uno comitante ministro
Dum sternacis equi foderet calcaribus armos,
Implicitus cecidit sibimet sub pectore collum,
Abrumpens teneram colliso gutture vitam. (57)
Bucina tristè canens disiunctos usque sodales
Convocat, ac domini letum crudele resignat.
Hoc sonitu nemus omne tremit, fugiuntque volucres
Elapsæ pennis, possessaque lustra relinquit
Omne pecus. Tanto sonitu glomeratur utrimque
Lecta manus comitum, disrupto & gutture mutum
Flebilibus juvenem vocitat clamoribus: ille
Nititur infelix fractas proferre loquelas.
Succidit in mediis equidem conatibus æger,
Ulteriùs nec lingua valet, nec verba sequuntur. (58)
Haud segnes socii crates, & molle feretrum (59)
Arbuteis texunt virgis, ac vimine querno,
Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant.
Hic juvenem agresti sublimem in stramine ponunt.
Qualem virgineo demessum pollice florem
Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi,
Cui neque fulgor adhuc necdum sua forma recessit,
Non jam mater alit tellus viresque ministrat.
Talibus expostum studiis ad templa reportant,
Ut condant digno juvenilia membra sepulcro.
Hic ubi ductoris replevit nuncius aureis
Brengarii, Widone satum cecidisse coactum
Cornipedis tergo: trahit has de pectore voces.
Heu mortis metuenda lues, quæ dulcibus annis
Inseritur, tristesque negat componere soles.
Dignior hic genitore foret, compluribus ille
Vixerit ac Latium quamvis turbaverit annis. (60)
Undique tota cohors Regni concurrit in unum
Vociferans. Pie Rex nostri miserere laboris,
Ne geminis posthac cogamur adesse tyrannis:
Cùm solus placeas rebus superesse Latinis. (61)
Ut Phæbo roseis arvum laxante quadrigis

Vere

(51) Regem Berengarium procidens adorat, vel summissius salutat, & veneratur, gratiasque ei agit ob promissam Lamberto domino suo pacem, & amicitiam: quà unà concordià elementa servantur, & Oceanus terram inundare, stellæ aquis immergi, hoc est omnia susque deque verti prohibentur.

(52) Legatus Lamberti ad dominum suum revertitur, & juveni Regi nuntium votis ejus respondentem affert.

(53) Tandem *Rex optimus*, seu Berengarius, & Lambertus Ticinum veniunt, à Ticino flumine cognominatum: quæ egregia urbs, sedes Regum Langobardorum, seu Italorum jam inde ab Clepo Alboini successore esse cœperat anno DLXXIV.

(54) Post pacem inter se factam, ambo Reges varios sermones habuere, variis de rebus sunt collocuti. Poiset legi &: *post quæ* pro *postquàm*. *Mansurum fœdus, dum orbita Phœbi*, idest Sol *Oceano perfunditur*, significat *pacem perpetuam*, qualem Agilulfus Rex Langobardorum, & cum Theuderico juniore Rege Francorum, & cum Cagano Rege Avarum, & cum Theudeberto minore Rege Francorum Austrasiorum Theuderici fratre fecisse dicitur à Paulo in libro IV. de Gestis Langobardorum: & qualem Justinianus Aug. anno Imperii VI. cum Chosroe Rege Persarum firmavit, quam ἀπέραντον εἰρήνην hoc est interminatam pacem vocavere Græci, ut scribit Procopius in libro I. Persicorum.

(55) Decorum fuisse Lambertum docet & Liutprandus in capite X. libri I. quum eum *elegantem juvenem* vocat, *adhuc ephœbum*. Idem severum eum, & constantem, ac ingenio callentem appellat, & in capite XII. ac ultimo libri I. de ejus virtutibus, ac venustate ita refert. *Inerat illi honesta morum probitas, sancta & formidolosa severitas*: (idest formidanda) *& quem juventus ornaverat in corpore splendida, mentis canities decorabat sancta*. Et tamen Poeta noster ait sæpe eum fraudibus, ac dolis pacem cum Berengario factam turbare, ac rumpere tentasse, nisi Berengarius juvenis artibus, ac dolis occurrisset.

(i) Obierit ergo anno 898. cujus æstas tertii intelligi debet regni Lamberti ab obitu patris; quæ & Sigonii sententia est, quamquam Rhegino anno 896. expirasse scribat, cujus auctoritate Valesius Sigonium falsi diplomatis subscriptione deceptum putat. *Leib.*

(56) Tres tamen annos feliciter in Italia regnavit Lambertus, Principatusque ejus fertilitate terræ, & pace memorabilis, ac fortunatus fuit.

(57) Lambertus dum in luco Marinco venatur, uno comite nimirum Hugone filio Maginfredi Mediolanensium Comitis, à sternaci, effrenique equo excussus *cecidit, sibimet implicitus collum sub pectore*, idest implicito collo sub pectore, gutturque collisit. *Ajunt hunc Regem, dum apros effreni consectaretur equo, cecidisse, collumque fregisse*, ut ait Liutprandus in capite ultimo libri I. Addit tamen idem auctor, ab Hugone isto mortem patris sui ulciscente, ligno non modico collum Lamberto dormienti fractum esse.

(58) Hic versus si bene memini, Virgilianus est.

(59) Hi VIII versus sunt Virgilii in libro XI. Æneidos de Pallante juvene Evandri Regis Arcadici filio: quos Poeta noster Lamberto Aug. formoso juveni convenire posse existimavit.

(60) Laudat heic Poeta Lambertum, vel invitus, & Vvidoni eum patri præferendum fuisse ait, si diutiùs vixisset. Vvido autem annis VI. regnavit in Italia; Lambertus post ejus obitum solo triennio.

(61) Undique Regni Proceres unum in locum conveniunt, atque ad Berengarium confluunt, eumque orant ut ex sua omnium sententia solus deinceps regnet in Italia, ne sicut antè erat factum, duobus simul Regibus magno suo cum periculo parêre cogerentur. At ut ait Liutprandus in libri I. capite X. *Semper Italienses geminis uti dominis volunt, quatenus alterum alterius terrore coerceant*: quæ verba auctor Chronici Monasterii Acutiani transcripsit. Et Italiæ Optimates, qui Berengarium post Lamberti mortem sic apud Panegyristam nostrum alloquuntur, iidem non Vvidonem modò, ac postea Lambertum Berengario opposuerant, sed etiam Ludovicum Bosonis filium Provinciæ Regem semel atque iterum; tum Rodulfum Burgundiæ Regem, necnon Hugonem Arelatensium Comitem adversùs eumdem Berengarium arcessiverunt. Quo Berengario interfecto, contra Rodulfum iterum Hugonem Provincialium Comitem potentissimum accivere, Regemque constituêre: & aliquanto pòst Rodulfum ipsummet R. è Burgundia adversùs Hugonem revocavere, deinde Arnoldum, vel Arnolfum Bajoariorum, ac Carantanorum Ducem; postremò Berengarium juniorem Berengarii nostri è filia nepotem, contra Hugonem, & Lotharium Reges invitavere. *Tyrannos* Panegyristes Berengarii justos, ac legitimos Reges appellare consuevit. Sic suprà

Ne lepidos caperent siquidem sedata tyrannos.

nimirum Arnulfum, & Berengarium Reges. Item de R. Arnulfo,

At ductor Latii socium sine more tyrannum
Ut videt ingruere.

Vere novo, gaudent pecudes fœtuque gravantur,
Humor adest herbis, ac vastis semina sulcis,
Gratus aër pennis, æquorque meabile nautis:
Cuncta nitent. Succedit enim natura creatrix,
Et rebus proprias certo dat tempore formas.
Haud secus Italiæ gestit sub Principe tellus,
Impacatus ubi ab superis cum prole recessit
Guido ferus, fastusque odii moriendo resolvit.

Explicit Liber III.

INCIPIT LIBER IV.

QUarta (1) *igitur Latio vixdum deferbuit æstas,*
Hac ratione iterum solito sublata veneno
Bellua, Tyrrhenis fundens fera sibila ab oris (a)
Sollicitat Rhodani gentem: cui moribus auctor
Temnendus Ludovicus erat, sed stirpe legendus,
Brengario genesi conjunctus quippe superba. (2)
Hic dudum Ausonium cupidus regnasse per arvum
Sed vetuit fortuna. (3) *Modò quia nuncia votis*
Accipit, extemplò sociis ad tecta vocatis (4)
Regia. Quæ totiens (inquit) voluistis amici,
En volvenda dies ultrò attulit: este parati,
Prædulcesque petamus agros. Nam rure vocamur
Vicino Italiæ. Vires huc fortè superbas
Dum tulero, propriis discedet ductor ab oris. (5)
O miser, inque dies miser, invictumne lacessas? (6)
Num te fama ducis totum vulgata per orbem
Præterit? O Genitor, rerum compesce furores:
Nescio namque mali quid mens præsagat eunti. (7)
Iamque valens modicum invalidos Provincia alumnos
Legat in Ausonios inimico nomine campos.
Nec victor, decus, & Latii spes unica regni
Tunc Veneti servare solum de nomine dictum
Quartanam patiens poterat, nec tendere bellum
Hostibus; immodicas animo sed decoquit iras. (8)
Ut caveis cùm fortè leo vinclisque tenetur,
Non artes agitare valet, non promere vires,
At duro premitur tantùm sub lege magistro.
Forte aliqua partos valeat si rumpere nodos,
Atque diu desueta cruor madefecerit ora,
Ipse lacer custos iras prior imbuet: inde
Obvia turba virùm morsus satiabit amaros.
Intereà Ludovicus ovat, regnumque fatigat
Fastibus, ac tantos sibimet blanditur honores,
Hoste velut necto spoliis potiatur opimis.
Infaustus Veronæ etiam contendit ad arcem, (9)
More pii Regis tamen, ut subsedit apertis
Mœnibus, antiquos sociis disterminat agros, (10)
Nil

(1) Quarto anno post Lamberti Aug. mortem nondum expleto, *vixdum defervescente IV. æstate*, hoc est sub finem quartæ æstatis, aut circa initia IV. autumni Adelbertus potentissimus Marchio Tuscorum, qui olim Etrusci, & à Græcis *Tyrrheni* vocabantur, accolas fluminis Rhodani, seu Provinciales, Regemque eorum Ludovicum solità impulsus perfidià in Italiam arcessivit adversùs Berengarium, & ceteris Italiæ Principibus auctor fuit rebellandi, Ludovicumque invitandi: quemadmodum Liutprandus in libri II. capite X. tradit. *Bellua* igitur *solito veneno sublata*, & *Tyrrhenis ab oris fera sibila fundens*, Adelbertus est Marchio Tuscorum, vel Lucensium: quem Panegyristes ob perfidiam, & defectionem, & ob evocatum Ludovicum serpentis venenatæ, sibilantisque appellatione designavit.

(a) Autumno igitur, cùm Berengarius in agro Veneto ex quartana decumberet, Ludovicus Rex provinciæ, filius Bosonis ex Ermengardæ filia Ludovici junioris Imperatoris, evocatus ab Adelberto Marchione Tusciæ (qui dicitur nostro: *bellua Tyrrhenis fundens fera sibila ab oris*, nisi uxorem ejus Bertam, Lotharii Regis Austrasiæ filiam intelligere malimus) Italiæ Regnum occupat. Si Lambertus anno 898. obiit, oportet hoc factum sub exitum anni 902. Sigonius ex diplomatibus vult Octobri anni 900. Italiam ingressum, sequente Romæ coronatum, anno 902. oculis orbatum; Noster perinde loquitur, ac si ingressum in Italiam mors sit secuta. *Lei*.

(2) *Rhodani Gens* sunt Provinciales, quorum Rex erat Ludovicus, ob nobilitatem generis Regno quidem dignus; sed indignus propter morum perversitatem: dignus quidem ob stirpem Regiam, qui ab Italiæ Proceribus Rex eligeretur: ob pravitatem animi dignus idem qui rejiceretur. Certè nemo negare possit, Ludovicum huncce nobilissimum fuisse, cùm Bosonis Regis Provinciæ filius fuerit, matrem autem habuerit Hermengardem, quæ Ludovici minoris Aug. filia, Imperatorum trium Lotharii neptis, Ludovici Pii proneptis, Caroli Magni abneptis fuit: à quo Carolo Magno cùm genus maternum deduxerit Berengarius, haud dubiè Ludovicum Provinciæ Regem sanguine contingebat. Ceterùm *moribus temnendus* dicitur à Poeta nostro Ludovicus, quòd oblitus jurisjurandi rediit in Italiam, & Berengarii Regnum invasit, & quòd Adelberti Marchionis Tuscorum, cui maximè Regnum Italiæ debebat, opibus, ac potentiæ invidit: itaut præter cetera vitia nobis ignota, perjurus, & invidus fuisse videatur. Provincia autem *modicum valens* Poetæ nostro dicitur, idest parum potens, infirma, invalida; incolæ ejus, *invalidi alumni*, ac *viri superbi*.

(3) Ludovicus hic ab Adelberto Eporediæ Marchione, genero Berengarii ipsius, atque à nonnullis aliis Proceribus Italiæ invitatus, venerat jam antea in Italiam cum exiguis copiis: quem Berengarius magno fretus exercitu, & Adelberto Marchione Tuscorum comitatus ita terruerat, ut jurare compelleret, si incolumis dimitteretur, nullis conditionibus ad Italiam repetendam adductum iri: sicut Liutprandus in capite X. libri II. scriptum reliquit. Langobardorum autem Regnum tantoperè affectabat Ludovicus, quia cùm materni avi sui, proavi, abavi, quoque & atavi illud fuisset, potiore jure ad se, quam ad Berengarium pertinere videbatur.

(4) Nunc quia nuntium suis votis respondentem accepit, statim Optimates, & Proceres regni (quos *amicos* ejus, & *socios* Poeta appellat) in Regiam convocatos, ad expeditionem Italicam suscipiendam hortatur. Qui nuntius veteribus dictus est, Catullo, Curtio, & ceteris, postea nuntium vocari cœpit.

(5) Nam ab Italiæ Proceribus invitamur in Italiam nobis proximam, & à Provincia Regno nostro solis Alpibus divisam. Postquam eam regionem cum exercitu ingressus fuero, forsitan (ut spero, atque confido) Rex Berengarius uti jam metu Vvidonis fecit, aufugiet, ac Italiam Regnum suum relinquet. *Dum tulero*, idest quum tulero.

(6) Berengarium ἀνίκητον βασιλέα.

(7) In Italiam *eunti* scilicet Ludovico. *Præsagat* pro præsagiat, & in codicibus Ammiani MSS. legitur, ut Frater meus observavit. Legi & posset ita

Nescio namque mali, quid mens præsagit eunti.
Idest, *namque nescio quid mali eunti mens præsagit*: *nescio quid* mali, seu aliquid mali.

(8) Berengarius propter quartanam, quà laborabat, Regnum Italiæ suum, ac ne provinciam quidem Venetiam in qua commorari consueverat, ab hoste defendere, & bellum à Ludovico illatum repellere non poterat. Hoc unus dicit Poeta noster, qui cùm vivo Berengario scripserit Panegyricum suum, adulari quidem tanto Regi, dominoque suo potuit nonnumquam: sed summa rerum capita in quibus facilè ab omnibus falsi convinci posset, finxisse, commutasse, aut de industria mentitus esse mihi non videtur.

(9) Ludovicus tam à Tuscis Principibus, quàm à Transpadanis, quos Liutprandus *Italienses* vocare consuevit, receptus regio apparatu, Berengarium, qui Veronam sese contulerat persecutus est, eoque inde expulso, totum Regnum sibi subjecit. Tum ab urbe Ticino proficiscitur Lucam, ut Adelbertum Marchionem Tuscorum viseret: inde reversus Veronam petiit, urbemque apertam intrat: si Liutprando credimus.

(10) Postquam Ludovicus more, exemploque R. Berengarii Veronæ consedit, Provincialibus suis expeditionis Italicæ comitibus agros in Italia, pro sua cuique dignitate, suoque merito attribuit: sicuti Vvido Aug. Gallos auxiliares antè erat remuneratus. Hoc nos solus docet Panegyristes.

Nil veritus : metuenda nimis quia ſuſtulit ipſum A
Fama, Berengarium leti diſpendia paſſum. (11)
Ah! Latium, quis te tantis defenderet armis?
Ergo pius Genitor rerum ſervato magiſtrum,
Ne pereant uno Latialia gaudia leto. (12)
Convaluit quia regnator tamen, undique lecti
Conveniunt proceres læti, vexillaque caſtris
Proripiunt, celereſque Ateſis ad mœnia tendunt, (13)
Hæc obiter comi reſerantes famina Regi. (14)
Te petimus, pietatis honor, nec parva precatu
Credimus hæc: (15) urbem propriis ſi ceperis armis,
Membra viros ſine curtari, qui fœdera Regni
Proturbant totiens, damnum pietatis iniquæ
Ne patiamur. (16) Ad hæc, Animis advertite ductor
O proceres inquit monitus, & crimina capto B
Ne conferte viro, generis quia ſanguine pollet,
Et forſan facinus maturis deſeret annis. (17)
Teſtetur pia jura poli, & dimiſſus abito:
Hoc ſatis. (18) Hi contra celeres cum murmure greſſus
Intendunt, rabidas acuentes pectoris iras:
Nil moti dictis, potiùs fera murmura rodunt
Non ſe poſſe malum poſthac dimittere inultum.
Talibus adveniunt urbem, muròque propinquant:
Ilicet admiſſi penetrant miſerabile templum,
Quo Ludovicus erat : (19) ſubitò rapiuntque ligantque,
Et pulcros adimunt oculos. Securus in aula
Fortè ſedebat enim, idcirco pia munera lucis
Perdidit, obſeſſus tenebris quoque Solis in ortu,
Tu ponens etiam curtum femorale Johannes,
Alta tenes turris, ſi fortè reſumere vitam
Sis potis: hinc traheris tamen ad diſcrimina mortis,
Et

(11) Securus, ac nihil ſibi à quoquam timens, Ludovicus Veronæ deſidebat, propterea quòd falſo nuntio ipſi quidem optando, ſed Italis omnibus præſertim bonis metuendo deceptus, Berengarium interiiſse morbo exiſtimabat, eoque rumore ſublatus, nimiam habebat ſuarum rerum fiduciam, tamquam morte æmuli vacuam aulam cum Regno occupaviſset.

(12) O Italia, quis mortuo Berengario te à tot hoſtibus internis, externiſque tam fortiter, potenterque defenderet? Ergo Deus Berengarium nobis Regem noſtrum, rerumque dominum incolumem diu ſerva, ne cum eo pax Italiæ, ſæculique felicitas pereat. C Quibus verbis ac precibus Panegyriſtes apertiſſimè oſtendit, hoc Poema ſe vivo Berengario ſcripſiſse. *Rerum magiſtrum* appellat dominum rerum, ut paulo infrà de Adalberto,

Apennicolas fauſto, qui nomine turmas
Elicit, egregio cupidus ſervire magiſtro.

Egregio domino, nimirum Berengario ſervire, ac ſuam fidem præſtare cupiens. Paſſim eo nomine Poeta ſic utitur, ut nunc magiſtrum pro domino vulgò dicimus. Ceterùm *Latialia fœdera* corruptè appellavit Panegyriſtes, quæ veteres *Latiaria* dixiſsent. Quippe obſervo à Latio non Latialem deduci, ſed *Latiarem*, quem Græci Λατιάριον nuncupant. Certè *collis Latiaris* Romæ ab ara *Jovis Latiaris* cognominati, mentionem facit Marcus Varro in libro IV. de Lingua Latina. *Jovis Latiaris*, Λατιάρις Διὸς meminere præter ceteros Cicero pro Milone, Feſtus in Oſcillum, Dionyſius Halicarnaſsenſis in libro IV. Antiquitatum Romanarum, D & Svetonius Tranquillus, quum à quibuſdam Cajum *Latiarem Jovem conſalutatum* ſcribit: uti in vetuſtiſſimo, & optimæ notæ codice Memmiano, aliiſque ſcriptum reperio, cùm libri excuſi *Latialem* mendosè præferant. Eſt & *Latiaris*, Λατιάριος, nomen proprium viri Prætorii ſub Tiberio Aug. T. Sabini circumventoris apud Cornelium Tacitum in Annalibus, & Dionem Caſſium in libro LVIII. Romam Paulinus in epiſtola ad Auſonium *Auguſtam urbem Latiaris Quirini* vocat: & Priſcianus in libro IV. *à Latium Latii Latiaris, ſicut à peculium peculii peculiaris fieri* affirmat. Omitto, quòd *ſollemne Latinarum Latiar* à Macrobio in libro I. Saturnaliorum appellatur, non Latial, ut à ſolio ſoliar. Ex quibus apparet, à Latio *Latinum*, & pro Latino *Latiarem*, ac Latium dictum olim eſse, ac ita dici oportere; *Latialem* numquam dictum eſse, nec dici oportere.

(13) E Poſtquàm convaluit Berengarius, ad eum Proceres Regni læti confluunt, & Veronam poſitam ad flumen Ateſim petere contendunt. Nimirum Adelbertus Marchio Tuſcorum, atque etiam ceteri Italiæ Principes per Bertam Adelberti uxorem alienati à Ludovico jam defecerant: qua occaſione Berengarius, poſteaquàm convaluit, ad opprimendum hoſtem ſecurum uti conſtituit. Sed diuturna admodùm febris Berengarii, ac trium circiter annorum fuit, ſi Ludovico intrante Italiam quartanà laborabat, nec niſi paulo ante excœcationem ejuſdem convaluerat: quem triennio in Italia regnaviſse Chronicon Caſſinenſe, Sigebertus, & Sigonius docent; Regino (falsò tamen) annis IX. Marianus X.

(14) Hæc inter eundum Regi Berengario dicentes, atque ab eo poſtulantes. *Famen* à fari pro ſermone dixit Poeta, ut ſolamen à ſolari Virgilius, & tutamen à tutari, conamen à conari.

(15) A te petimus Pie Rex: neque levia hæc aut exigui momenti, & indigna, quæ petantur exiſtimamus.

(16) Si Veronam ceperis, patere Rex, Ludovicum ſemel atque iterum Regni tui turbatorem, qui contra religionem jurisjurandi Italiam repetere, & occupare auſus eſt, artubus, ſeu pedibus, manibuſque truncari, ne noſtra nobis lenitas obſit: neu ſi inviolatum eum dimiſerimus, iterum renovet bellum. Poſset & legi

Membra Viro ſine curtari, qui fœdera Regni
Proturbat toties.

Nam ea de ſolo Ludovico dici indicat reſponſum Berengarii,

Et crimina capto
Ne conferte Viro, generis quia ſanguine pollet.
Ad hæc, Animis advertite Ductor
O Proceres inquit monitus.

Ad hæc inquit Ductor Berengarius: *O Proceres animis advertite monitus* meos, neu perjurii culpam in Ludovicum ſi captus fuerit conferte, ſed in ejus conſiliarios, neve pœnas ab eo expetite. Dignus enim eſt venià cùm ob nobilitatem generis, tum maximè ob juventutem.

(17) Forſitan cùm maturuerit, perjurium oderit, & fidei erit ſervantior, ſuoque contentus alienis non injiciet manum. Anno DCCCLXXVI. Boſo Hermengardem Ludovici junioris Aug. filiam in matrimonium accepit: ex qua Ludovicum hunc tulit, qui anno Chriſti DCCCCIV. aut inſequenti oculis orbatus eſt à Berengario, & tum annos ætatis ampliùs XXVIII. habere non potuit.

(18) Juret per Deum, legemque ejus Ludovicus, & per ea quæ ſunt apud nos ſanctiſſima, non ſe ampliùs in Italiam rediturum, & dimittatur incolumis, Provinciamque ſuam repetat. Hoc ſatis mihi erit: hoc vos quoque velim eſse contentos. Ibi *abito* dictum pro *abeat*: ut habeto pro habeat, eſto pro ſit. Servius in librum V. Æneid. *Habeto*, (inquit) *habeat. Tertia perſona eſt à futuro imperativi, quæ in hoc modo numeri ſingularis ſimilis ſecundæ eſt.* Ceterùm hæc fingit, ut puto, Panegyriſtes, ut avertat noxam à Berengario in Proceres, militeſque ejus, & ut invito Berengario Ludovicum Optimates Italiæ excœcaſse nobis perſuadeat. Unde & addit:

Nil moti dictis, potiùs fera murmura rodunt,
Non ſe poſſe malum poſthac dimittere inultum.

Proceres Regni Langobardiæ, nihil moti verbis mitibus Berengarii, ſecum taciti murmurant, tantum ſe perjurium impunitum non paſsuros. At contra apud Liutprandum in libri II. capite XI. Berengarius cùm corruptis auro cuſtodibus clàm noctu in urbem Veronam eſse receptus, & ibi Ludovicum ſecurum, ac inopinantem oppreſſiſset, adducto ad ſe ſic loquitur. *Oculos tibi auferri non ſolùm jubeo, ſed compello.*

(19) Admiſſi in urbem Veronam Berengariani, ſub auroram intrant Eccleſiam Sancti Petri amœnam, & munitam, in ſiniſtra parte urbis ſitam ſummo in colle, quò Ludovicus ſtrepitu hoſtium excitatus confugerat: ibi eum capiunt, vinciuntque, & luminibus orbant *in ortu Solis*, ut ait Poeta, ſeu *in ipſo auroræ crepuſculo*, ut Liutprandus loquitur.

Et miser in patria nudus truncaris arena. (20)
Nuncius at postquàm sociorum allabitur aures,
Prælatum juvenem communi lumine cassum:
Consilii fugiunt inopes, passimque recedunt. (21)
Flante velut Zephyro liquescunt aëros auræ
Vere novo, gremium solvunt cùm rura coactum
Frigore brumali crebris Boreæque pruinis.
Nec removere viros cessat de parte superbos
Fortis Adalbertus (b) *juvenilibus obsitus annis,*
Apenninicolas fausto qui nomine turmas
Elicit, egregio cupidus servire magistro. (22)
Emicuit subitò in mediis lux alma tenebris,
Et rediit pax grata piis, procul agmine tristi
Exempto, patriæque duce, ac genitore recepto.

A

Qui licèt effusos toto egerit orbe triumphos,
Cluserat Imperii necdum diademate vultum,
Romana steterat rutilus, nec vestibus aula,
Induperatorum solito de more parentum. (23)
Cur? Nisi quòd vicisse dolos virtute decebat,
Ad summum transire gradum, nisi sæpè vocatum? (24)
Summus erat pastor tunc temporis Urbe Johannes,
Officio affatim clarus sophiaque repletus, (25)
Atque diu talem meritò servatus ad usum.
Quatenus huic prohibebat opes vicina Charybdis, (c)
Purpura quas dederat majorum sponte Beato,
Limina qui reserat castis rutilantia Petro. (26)

Dona

B

(20) Irruentibus in Veronensem Ecclesiam B. Petri Berengarianis, Johannes unus è Ludovici partium adjutoribus in turrim supradictæ Ecclesiæ confugit, si qua ratione mortem posset evadere: sed extractus è latebra, interfectusque & spoliatus est. Qui videtur civis Veronensis fuisse, & contra fidem Berengario datam ad Ludovicum transiisse, cùm Veronæ jugulatus sit, & *in patria arena truncus* jacuisse dicatur. Hic autem Johannes à brevibus feminalibus, vel bracis quibus utebatur, cognomen invenerat, uni memoratus Poetæ nostro

Tu ponens etiam curtum femorale Johannes.

Ponens curtum femorale, hoc est *curtum femorale ponere* solitus, brevibus feminalibus uti assuetus. Sic nos hodieque *ponere*, vel (ut vulgari utar verbo) *mittere vestem*, pro indui vestem, habitumve dicimus.

C

(21) Provinciales postquàm cognovere Ludovicum Regem suum, quem in Italiam secuti erant, & à quo ibi agros, possessionesque acceperant, excæcatum esse: inopes consilii passim aufugiunt, ac domum quisque redeunt. Adalbertus quoque juvenis fortis, gener Regis Berengarii, coactis copiis Provinciales, quos *viros invalidos*, & *superbos* Poeta appellat, ex Marca sua Eporediensi expulit, & Provinciam unde venerant repetere coegit, fidem suam domino Berengario R. patri socerove suo approbare volens. Erunt tamen, qui hæc potius de Adelberto Tuscorum, vel Lucensium Marchione accipienda credent, quod Apennini incolas, seu *Apenninicolas* ducere dicatur Poetæ.

(b) Marchio Eporediæ, gener Berengarii I., pater Secundi. *Leib.*

(22) Adalberti, seu Adelberti Eporediæ Marchionis, qui ex Gisila R. Berengarii filia Berengarium juniorem Regem Italiæ genuit, *faustum* esse *nomen* dicitur à Poeta, quia Adal, vel Edil lingua Germanica nobilem; Bertus, Bert splendidum, ac fulgidum significat: ut Vita S. Bertæ docet. Certè in veteribus legibus Anglorum Nobilis vocatur *Adalingus*: & in Saxonia tria fuisse hominum genera, Nobilium, seu *Edilingorum*, Ingenuorum, & servorum Nithardus in libro IV. tradit. Ex Adal autem, vel Edil, & Bert compositum est nomen Adalberti. Tum porrò omnes Provinciales, & si qui alii Ludovicum secuti erant, occisos, aut saltem expulsos esse ex Italia, indicat Panegyristes his verbis

D

Et rediit pax grata piis, procul agmine tristi
Exemto, patriæque Duce ac genitore recepto.

Agmen illud *triste* Provinciales sunt, R. Ludovici comites; *Lux*, & *pater patriæ* Berengarius: quo recepto, & in regnum suum restituto, ac Provincialibus procul pulsis, & domos reverti coactis, pax grata bonis rediit.

E

(23) Berengarius post excœcatum Ludovicum, expulsosque Provinciales toto potitus Regno Langobardiæ, post tot & tantas, ac tot ex hostibus relatas victorias, nondum tamen factus erat Imperator; nondum coronam desuper clausam, ἐπανώκλειστον Anastasio Bibliothecario dictam, (qualis tum Imperatorum erat) acceperat Romæ ab Episcopo Urbis: nondum ibi in Basilica B. Petri purpurà, & auro circumfulserat more majorum suorum. *Effusos toto orbe triumphos* Berengarii vocat Panegyristes, non qui *toto orbe acti* sint, (nam intra Italiam tantùm Berengarius bellavit, & vicit) sed quorum in totum orbem diffusa notitia sit.

(24) Berengarium nisi victis vi hostibus, & nisi priùs à Romanis vocatum sæpe ac rogatum, ad Imperium, qui summus honor est, pervenire non decebat. Sæpius ergo si Panegyristæ nostro fides habenda est, (cur autem habenda non sit non video) rogatus jam fuerat ab Episcopis Romanis, arcessitusque Berengarius.

(25) Episcopus Ecclesiæ Romanæ tum erat Johannes, ejus nominis decimus, dignitate, sapientiaque clarus, qui anno DCCCCXVI. sedere cœpit, & sedit annos XIV. menses II. dies XV. ut Onufrius Panvinius in Romanis Pontificibus scribit. Quibus artibus hic Johannes, & qualis mulieris opera ad Apostolicæ Sedis fastigium elatus sit, docet Liutprandus in capite XIII. libri II. Tum Saraceni Africani, quos & Pœnos, & Mauros à sedibus appellitant, occupato monte Gareliano non modò Christianos ad limina Apostolorum orationis causà proficiscentes, aut capiebant, aut nisi datà immodicà pro redemtione pecunià abire non patiebantur: sed etiam vetus Patrimonium S. Petri, possessionesque etiam ac urbes, & provincias à Pippino, Caroloque Magno Ecclesiæ Romanæ concessas populabantur, atque vastabant: pecunias quoque ex Patrimonio Sancti Petri Romam ad Episcopum Urbis tutò deportari prohibebant. Quamobrem Johannes *populum, terramque sibi subjectam à Pœnis tam graviter laniari* indignatus, uti ait Liutprandus, ad Berengarium cum muneribus litteras misit, quibus eum rogabat, ut Urbi, Ecclesiæque Romanæ à Saracenis, perfidisque Christianis vexatæ consuleret, & utrique certam rerum suarum possessionem assereret, Imperium pro tanto beneficio recepturus. Venit igitur Berengarius Romam cum copiis, & à Johanne Imperatorià est coronà redimitus, Augustusque appellatus. Ibi Poeta noster desinit. *Summus* autem *erat tum in Urbe Pastor Johannes*, quum Berengarius factus est Imperator; erat &, quum Panegyristes poema suum scripsit. Quippe si vivo Berengario scripsit, (uti scripsisse in Præfatione ostendimus) utique, & vivo, ac sedente Romæ Johanne X. scripsit. Nam anno Christi DCCCCXVI. Episcopatûs Johannis primo Berengarius Imperatoriis insignibus donatus; anno ejusdem Sacerdotii IX. vel X. est interfectus.

(c) Saraceni tunc montem Garelianum ad Ostium Liris insidentes munera Romam ferri prohibebant. In hos à Johanne X. Papa vocatum Berengarium promisso Imperii honore, innuit noster, quod apertiùs indicat Liutprandus. *Leib.*

(26) Quia *Charybdis* Romæ propinqua Johannem Episcopum Romanum privabat opibus, rebusque, quas majores Berengarii, Reges Francorum, Imperatoresque Romanorum, nimirum Pippinus, Carolus Magnus, ceterique B. Petro cœlum justis aperienti, seu Ecclesiæ Romanæ donaverant. *Charybdis* illa *vicina* Romæ omnino (ut observo) mons est Garelianus in Latio cum munitione cognomini ad Gareliani fluminis, seu Liris ostium, & ad mare Tyrrhenum, juxta Trajectum non longè à ruinis Minturnarum. Aberant autem Minturnæ ab Urbe vià Appià circiter CIII. millia passuum. Porrò *Saraceni* Africani *in monte Gareliano munitionem constituerant, in qua uxores, captivos, parvulos, omnemque supellectilem satis tuto servabant. Nemo etiam ab occasu, sive ab arcturo orationis gratia ad Beatissimorum limina Apostolorum transire poterat, qui ab his, aut non caperetur, aut immodico dato pretio dimitteretur. Romanorum etiam civitates ita occupaverant*, ut quasque dimidias obtinerent. Addit Liutprandus in libri II. capite XII. *Africanos Romam versus aciem gyravisse, montemque Garelianum maxima pro tuitione sibi vindicavisse, multasque munitissimas civitates vi cepisse*: qui & in capite XIV. *Garelianum flumen*, ac *Gareliani montis summita-*

Dona duci mittit sacris advecta ministris, (27)
Quò memor extremi tribuat sua jura diei
Romanis, fovet Ausonias quo numine terras, (28)
Imperii sumpturus eo pro munere sertum,
Solus & occiduo Cæsar vocitandus in orbe. (29)
Talibus evictus precibus, jubet agmina Regni
Quiscum bella tulit, quiscum sacra munera pacis,
Affore, quæ tanti gressum comitentur honoris. (30)
Jamque iter emensus postquàm confinia Romæ
Attigit, ire jubet celeres ad templa sodales,
Vicinum qui se referant. Sonat ecce Subura
Vocibus elatis populi. Properate faventes,
Rex venit, Ausoniis dudum exspectatus ab oris,
Qui minuet solita nostros pietate labores.
Fervere tunc videas Urbem, & procedere portis
Quot Roma gremio gentes circumdat avito. (31)
Intereà princeps collem qui prominet urbi
Præteriens, ubi se prato committit amœno,
Singula quæque modis incendunt æthera miris
Agmina. (32) *Nāq; priùs patrio canit ore Senatus,* (33)
Præ-

mitatem, angustasque vias memorat. In Annalibus Bertinianis dicuntur *Saraceni, Maurique anno DCCCXLVI. quemdam montem centum ab Urbe millibus munitissimum* (idest Garelianum) *occupâsse*. Quod si verum est, annis non ut ait Leo XL. sed LXX. Garelianum montem obtinuere Saraceni. Nam anno demum DCCCCXVI. eo monte dejecti sunt. Leo Marsicanus in Chronici Cassinensis libri I. capite XLV. de ea re sic refert. *Rursus Saraceni fœdus cum Docibile Duce Cajetanorum ineunt, captivisque redditis, Garilianum ad inhabitandum ab eo directi sunt: ubi annis fermè XL. constituti, innumera undique mala gesserunt, multumque Christiani sanguinis fuderunt*. Item in capite LV. Gariolanum montem eum vocat, & Saracenos ab Italis, & à Johanne X. Papa inde expulsos esse opera Leonis Aug. ac cæsos anno DCCCCXV. Indictione III. mense Augusto affirmat falsò: cùm Leonem Aug. anno DCCCCXI. mortem obiisse constet, & cùm suprà ostenderim, ann. DCCCCXVI. & Johannem X. Romanum Episcopatum, & Berengarium Imperium Romanum iniisse: à quo Johanne certum est, vel ex uno Poeta nostro, Berengarium coronatum, unctumque esse. Apud Sigebertum in Chronico, Anno DCCCCX. *Saraceni Romam versùs girantes Garelianum montem occupant, ibique munitione sibi factâ, multas Italiæ urbes debellaverunt*. Et anno DCCCCXXIII. *Africani, qui per munitionem Gareliani montis totam Italiam laniabant, per militiam Johannis Papæ, & per auxilium Romani Græcorum Imperatoris pugnâ ita atteruntur, ut ne unus quidem superfuerit*. Indictione autem VIII. anno DCCCCXIX. Romanus, Augustus est appellatus, & annis XXVI. cum filiis suis, generoque Constantino imperavit. *Lirim amnem* (inquit Raimundus Marlianus) *jam septingentos abhinc annos à Gariliano castello, quod Saraceni munitissimum propugnaculum sibi construxerant, Garilianum appellamus*. Sed errat Marlianus. Nemo enim veterum montem, aut flumen Garelianum à Saracenis Africanis nomen accepisse dicit, non Liutprandus, non Leo Marsicanus, non Sigebertus, qui utriusque meminere. Crediderim potiùs à monte Gareliano munitionem, seu castellum Saracenorum in eo conditum appellationem accepisse, ut & castellum Garelianum diceretur, vulgò *la scafa del Garigliano*: quo in monte, vel colle Trajectum quoque, vulgò *Trajetto*, ex Minturnarum in valle, vel in planitie sitarum ruinis ædificatum esse ajunt, prope ostium Liris fluminis Latii, quod Leander *Garigliano* nunc vocari etiam dicit. *Vicina* ergo Romæ *Charybdis* Poetæ dicitur, munitio in monte Gareliano à Saracenis statuta, ad centesimum ab Urbe lapidem: quòd ut illa olim in freto Siculo; sic hæc ad mare Tyrrhenum obvia omnia absorberet, atque devoraret.

(27) Mittit Berengario Johannes Papa X. dona per Presbyteros, aut Diaconos Ecclesiæ Rom.

(28) Regem orat, ut memor diei Judicii, Ecclesiæ Romanæ res suas à Saracenis direptas, vastatasque restituat, & auctoritate sua, viribusque suis eamdem urbi Romæ, quam Regno suo Langobardiæ pacem, securitatemque reddat, pro tanto beneficio Imperium consecuturus.

(29) *Imperii sertum, Imperii diadema*, & *Imperii coronam*, ac *diadema gemmis, auroque levatum* vocat Panegyristes coronam Imperatoriam ἐπανώκλειστον, quæ à Regia differebat, & quam Anastasius Bibliothecarius S. E. R. in Constantini Copronymi Imperii anno XXVIII. à similitudine *galeam* appellavit. Undique enim clausa erat & solida, ac totum caput ambiebat, tegebatque cassidis modo, variis gemmis, & multiplici serie margaritarum ornata: quales coronas in capitibus cùm aliorum Imperatorum Romanorum recentiorum, tum maximè Theodori Lascaris posterioris, Michaelis Palæologi, & Andronici Palæologi ejus filii observare memini. *Solus* autem *in Occidente Cæsar* erat futurus Berengarius post unctionem, coronationemque sui Romæ factam à Johanne, propterea quòd Ludovicus Bosonis filius, aut jam post excœcationem perierat, aut ei post effossos oculos cum Regno Italico Imperatorium nomen erat ablatum; Carolus Rex Francorum Occidentalium erat, Cunradus Orientalium, & Germanorum: Hispaniæ, & Britanniæ Reguli plures, tum & invalidi à cogitatione Imperii plurimùm aberant. Itaque solus quidem in Occidentis partibus Cæsar Aug., vel Imperator futurus erat Berengarius; sed non solus tamen Imperator in Occidente appellandus: cùm Imperatores Constantinopolitani Thraciam, Macedoniam, Daciam, atque etiam Siciliam, & ipsius Italiæ provincias Apuliam, & Calabriam tunc obtinerent in Occiduis tractibus, ibi certè saltem Cæsares, & Αὐτοκράτορες, seu Imperatores, Augustique nuncupandi à subjectis nationibus.

(30) Victus, & devinctus precibus, muneribusque Johannis Papæ Rex Berengarius, copias suas è toto Regno coactas, quibuscum bella, pacemque gessit, adesse, ac properè convenire jubet, quæ ipsum Romam iturum, ac diadema, nomenque Imperatorium recepturum comitarentur.

(31) Peregrini Romæ tum multi erant exteri, quàm varii linguis, tam vestis habitu: quidam etiam ex eis obliti patriæ, ibi habitabant. Hi omnes in scholas divisi erant pro sua quisque natione, Franci, Saxones, Langobardi, Græci, Frisii, vel Frisones, aliique. Venienti ergo Romam Regi alicui ut Imperator consecraretur, occurrere solebant schola Francorum, schola Græcorum, schola Frisiorum, schola Saxonum, schola Langobardorum cum signis, atque vexillis, præcedente Senatu, populoque Romano, atque militia.

(32) Collis ille celsus, & editus, à quo despectus in Urbem erat, haud dubiè *Mons Gaudii* vocatur ab Ottone Episcopo Frisingensi in capite XXII. libri II. de Gestis Friderici I. Romanorum Imperatoris S. A. ubi ait Fridericum *armatum cum suis per declive montis Gaudii descendisse, & portâ Aureâ Leonianam urbem, in qua B. Petri Ecclesia sita est, intravisse*. *Montem Gaudii, qui & Marii dicitur*, appellat Petrus Diaconus, qui in occursum Henrici R. eò populi infinitam multitudinem à Paschale Papa II. missam esse tradit. *Pratum* autem *amœnum* colli subjectum aberat ab urbe Roma ferè uno milliari, quo in loco universæ militiæ scholæ cum Patronis Regibus Imperatorio diademate coronandis, aut etiam Imperatoribus occurrere solebant, laudesque eis accinere: ut Anastasius in Hadriano I., & in Sergio II. indicat. Nonnumquam Judices universi cum signis multo longiùs ab Urbe Principibus occurrebant, ad IX. lapidem, ad XII. etiam ad tricesimum, sicuti idem docet. Leo ipse Episcopus Romanus cum Romanis Carolum Magnum Regem Francorum, & Langobardorum, ac Patricium Romanorum Romam venientem apud Nomentum XII. ab Urbe lapide honorificè excepisse, in Annalibus rerum Francicarum ante annos DCCCXLVI. compositis dicitur. Regi Berengario occurrisse Senatum Rom. & scholam Græcorum, aliasque exterorum scholas, ac fratrem Johannis Papæ, Consulisque filium scribit Panegyristes noster. Ceterùm qui ex Urbe occurrebant Principi coronando, vel jam coronato, varios in ordines, vel scholas (*agmina* Poeta appellat) dividebantur pro varietate graduum, atque nationum, & carmina in laudem Principis composita suà quisque linguà alteri post alteros modulabantur. Priores ut procedebant, ita & canebant Romani; Romanos excipiebant Græci, Græcos ceteræ exterorum scholæ. Sic *laudes* novorum Imperatorum olim *à Consulibus* in Curia *dici* consuevisse docet Capitolinus in Pertinace: ne de Sena-

Præfigens sudibus rictus sine carne ferarum: (34)
Indicio, devicta cadent tentamina posthac,
Si qua hostes animo cupient agitare ferino. (35)
Dædaleis Grajus sequitur laudare loquelis, (36)
Stoi-

Senatorum, aut militum solitis acclamationibus loquar. Sic & Mauricio Aug. novo *laudes acclamatas* esse in Circo Constantinopoli: & Regi Guntchramno Aurelianos petenti processisse obviam opidanos cum signis, ac vexillis, Latinos, Syros, Judæos, *laudesque cecinisse* scribit Gregorius Turonicus Episcopus. *Dulcisonas laudum voces*, Anastasius in Sergio Papa II. *miros modos* suprà Poeta noster ob modulationem appellat. *Laudes Imperatori* (Ludovico Pio) *debitas Clerus Romanus conclamavisse* dicitur in Vita Ludovici Pii Aug.

Admonet me Gregorii Turonici Episcopi facta mentio, paucis aperire, quid in libri Historiæ ejus X. capite XVI. sit, barbatorias celebrare. Romani diem quo primam barbam posuerant, sacrificiis, & conviviis, ac domestica religione, lætitiaque celebrabant. Cajus Cæsar Aug. Germanicus, qui Caligula cognominatus est, *vicesimo ætatis anno accitus Capreas à Tiberio C. Aug. uno atque eodem die togam sumsit, barbamque posuit sine ullo honore, qualis contigerat Tirocinio fratrum ejus*, ut Cajus Svetonius Tranquillus scribit: qui & auctor est, Neronem Cæsarem Aug. *gymnico certamine quod in Septis edebat, inter buthysiæ apparatum barbam primam posuisse, conditamque in auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis adornatam Jovi Capitolino consecravisse*: quemadmodum apud Arbitrum in pyxide aurea non pusilla barba Trimalcionis condita esse dicitur. Juvenalis in Satyra III. sacra tum Diis Penatibus fieri, & liba inter amicos dividi consuevisse docet hoc versu,

Ille metit barbam, crinem hic deponit amati:
Plena domus libis.

Liba autem, quæ placentæ de farre, melle, & oleo erant, & Græcis popana vocabantur, sacris apta fuisse, vel ex uno Servio omnes sciunt. Omitto versum notissimum Satyræ VIII. de claritate natalium.

Quædam cum prima resecentur crimina barba.

Primam adolescentium barbam excipiebant parentes, aut propinquæ, nimirum amita, matertera, aut avia, condebantque pyxide, & ad Deum cui consecrata erat mittebant, aut ipsæ ei offerebant. Nero *cùm amitam ex duritia alvi cubantem visitaret, & illa tractans lanuginem ejus, ut assolent jam grandes natu, per blanditias fortè dixisset, Simul hanc excepero, mori volo: conversus ad proximos, confestim se positurum velut irridens ait*. Elagabalus Aug. semel mentum rasit, ob idque diem festum egit: ut Dio in libro LXXIX. scribit. ἅπαξ ἀπεκείρατο τὸ γένειον, καὶ ἐπ' αὐτῷ ἑορτὴν ἤγαγε. Augustus anno ætatis XXIV. primam barbam posuit, eumque diem festo convivio magnificè celebravit, ac populo epulum præbuit: sicuti idem in libro XLVIII. tradidit. Mansere, & apud Christianos prisci moris vestigia. Adolescentem enim radendum deducebant in Ecclesiam parentes, & propinqui, amicique, & per Presbyteri, vel etiam Episcopi ministerium primam lanuginem posituro fausta precabantur. In libro Sacramentorum Gregorii Papæ cum *oratione ad capillaturam* reperitur, & *oratio ad barbas tondendas*, quæ talis est. *Deus, cujus Spiritu creatura omnis incrementis adulta congaudet, exaudi preces nostras super hunc famulum tuum Ill. juvenilis ætatis decore lætantem, & primis auspiciis attendendum: ut in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio, cælestem benedictionem accipiat, & præsentis vitæ præsidiis gaudeat, & æternæ*. Et Proceres quidem eligebant aliquem magnæ dignitatis virum, cujus sibi manu prima barba cederetur. Sic Taso Langobardus, Dux Forojuliensium Gregorium Patricium, & Exarchum Ravennæ eam in rem elegerat, à quo per fraudem, & perfidiam est interemtus. Quippe jurejurando pollicitus erat Gregorius, *se Tasoni barbam sicut moris erat incisurum, eumque sibi filium facturum*. Itaque Taso cum Caccone fratre suo, & lectis juvenibus nihil mali metuens, ad Gregorium venit Opitergium: quem mox una cum suis, perjurus Patricius portis urbis clausis, & immissis militibus non inultum interfecit, ut Paulus in libro IV. de gestis Langobardorum scribit. Ex quo apparet, cujus quis manu primam barbam posuisset, ei fuisse filii adoptivi loco. Primæ barbæ tonsio, & festivi simul convivii apparatus, tum propinquis & amicis dari soliti, dies quoque ipsa qua barba ponebatur, *Barbatoria* vocabatur. Id nos docet Glossarium Latino-Græcum vetus, quod Philoxeno cuidam tribuitur, his verbis: *Barbatoria*, πωγωνοκουρία. Eadem eisdem verbis docet & Glossarium Beati Benedicti Floriacensis, ab Henrico Stephano editum: *Barbatoria*, πωγωνοκουρία. Qui eum diem festum, lætumque agebant, & convivio celebrabant, *Barbatoriam celebrare* dicebantur. Apud Gregorium in libri Historiæ X. capite XVI. Chrodieldis, & Basina Monachæ Pictavensis Monasterii Sanctæ Crucis, objecere Leuboveræ Abbatissæ, quòd talia in Monasterio convivia cum Sæcularibus iniisset. Episcoporum Pictavis congregatorum verba sunt hæc de Chrodielde, & Basina Leubeveram Abbatissam accusantibus. *Adjicientes etiam, Barbatorias intus eo quòd celebraverit*. Quæ cùm Henricus Spelmannus in suo Glossario, vel Archæologo non intelligeret, *Barbatoriam artem tonsoriam, vel capilli barbæve cultum* significare existimavit. Nec feliciùs Spelmanno Claudius Salmasius ex nomine feminino nomen masculini generis fecit, ex numero singulari pluralem: & in veteribus Glossis quas suprà laudavimus, *legendum* putavit, *Barbatoria*, πωγωνοκουρεῖα: ac *Barbatoria officinas tonsorum*, seu tonstrinas esse credidit, *Barbatores* κουρεῖς, vel tonsores, in suis in Ælii Lampridii Antoninum Elagabalum Notis. Hæc nos primi omnium observavimus, ut Gregorii nostri verbis obscuris, & à nemine hactenus intellectis lucem daremus, moremque dudum abolitum illustraremus, in duorum amicorum à quibus ea de re consulti sumus, vel potiùs doctorum in omnium gratiam.

(33) In veteribus Annalibus rerum Francicarum, qui in anno DCCCXII. desinunt, dicitur Leo Papa anno DCCC. *misisse obviam Romanæ urbis vexilla* Regi Carolo Romam petenti, *ordinasse etiam, atque disposuisse per congrua loca tam peregrinorum, quàm civium turmas, qui venienti laudes dicerent*. Et Anastasius scribit, eumdem Leonem ex Saxonia Romam revertentem, à Proceribus Clericorum, ab *Optimatibus*, & *Senatu*, à cuncta militia, & universo populo Romano, & à cunctis scholis peregrinorum ad Pontem Mulvium cum signis exceptum esse. In Annalibus Francicis a Pithœo, Freherque editis, qui vulgò Fuldenses cognominantur, de Arnulfo Romam intrante hæc invenio. *Omnis namque Senatus Romanorum, necnon Græcorum schola cum vexillis, & crucibus ad pontem Mulvium venientes, Regem honorificè cum hymnis, & laudibus suscipientes, ad Urbem perduxerunt*. *Patrio* autem *ore*, idest lingua Latina laudes Arnulfi canebat Senatus, præfixa sudibus ferens capita ferarum: ut indicaret, quidquid hostes nimirum Saraceni feris, ferinisque animis tentarent, sub tanto Imperatore tam prudente, tamque callido irritum deinceps futurum.

(34) *Capita Draconum cælata in ligno*, glossa vetus exponit hos *rictus ferarum sine carne*: quasi Senatus more militis Romani signa Draconum in summis hastis fixa gestaverit. Capita variarum ferarum contis præfixa, non vera quidem, sed facta è lino picto, aut è serico malim intelligi. Petrus Diac. in libri IV. Chronici Cassinensis capite XXXIX. occurrisse R. Henrico Staurophoros, Aquiliferos, Leoniferos, Lupiferos, & Draconarios prodit.

(35) *Indicio*, ad indicium, ad indicandum hostes ferarum similes esse, eorum conatus ferinis pares, & ex ipsis instar ferarum prostratis Berengarium triumphaturum. Canebat autem (ut puto) Senatus id quod rictibus istis ferarum præfixis designare volebat, & quod Poeta subjicit.

(36) Post Senatum Romanum procedebat, & Berengarium laudabat schola Græcorum *Dædaleis loquelis*, idest variis, multiformibus, multiplicibus, artificiosis: aut certè Atticis. Dædalus enim Atheniensis fuit: cujus nominis tertiam syllabam Poeta ex longa brevem fecit. Anastasius in Vita Sergii Papæ II. scribit, Sergium *in Excellentissimi Hludowici Regis occursum dum Urbi pæne I. miliarii spatio appropinquasset, universas militiæ scholas cum patronis direxisse, dignas nobilissimo Regi laudes omnes canentes, aliosque militiæ doctissimos Græcos, Imperatorias laudes* (Lotharii Aug.) *decantantes: qui cum dulcisonis earumdem laudum vocibus ipsum Regem gloriosè susceperunt*. Arnulfo occurrisse præter ceteros scholam Græcorum, ex Annalibus Fuldensibus suprà docuimus. Quin & multo antè Paulus Epi-

A *Stoicus hic noster, cluibus* (d) *quia pollet Athenis,*
Et sollers iter in Samia bene callet arena. (37)
Cetera turba pium nativa voce tyrannum
Prosequitur, totaque docet tellure magistrum. (38)
Hìc etiam juvenes nitida respergine creti,
(Alter Apostolici nam frater, Consulis alter
Natus erat) pedibus defigunt oscula Regis. (39)
Hinc ubi Præsul erat, gressum comitantur herilem
Vestibuli ante fores, graduum quà pervius usus
Advehit ornatam cupidos intrare per aulam. (40)
Ille quidem sacro fulgens residebat amictu,
Altarisque subibat ovans hinc inde minister, (41)
Quid

Episcopus Romanus, Imperante Constantino Leonis Isauri filio, in domo sua Monasterium SS. Stephani, & Sylvestri Episcopi Romanorum exstruxit, Monachisque Græcis ibi congregatis *Græcæ modulationis Cœnobium* esse decrevit: uti Anastasius scribit. Locum ipsum *ad Sanctos Martyres in schola Græcorum* appellari jussum ait Hugo Floriacensis Monachus Hilduinum secutus. Invenio, & Romæ *S. Mariam in schola Græca*, titulum Diaconi, seu Diaconiam fuisse. B Multi ergo tum Græci habitabant Romæ, cùm & ea in urbe Monasterium haberent. Vetus auctor, qui acta Sutrii inter Paschalem, & Henricum vidit, & scripsit, circa annum MCXI. de Rege Henrico Romam intrante ita refert. *Ante portam à Judæis; in porta à Græcis canentibus exceptus est*: quæ verba in libri IV. historiæ Cassinensis Monasterii capite XXXIX. apud Petrum Diaconum reperiuntur.

(d) Idest Nobilibus. Inter Glossas poemati nostro passim adspersas à nescio quo Vetere una hoc loco adscripta ita habet: *Cluo* (κλύω) *Græcum est idem, quod ausculto. Est autem Polysemus sermo, nam cluis nobilis, & pugnax, & auscultans dicitur, & defensor.* Leib.

(37) Hoc erat, quod canebant Græci, qui occurrerant Regi Berengario honoris causà: Berengarius Stoicus noster est, cui tota nobilium Athenarum, seu veteris Græciæ philosophia; cui Pythagoræ Samii via virtutis est cognita. C Nimirum Pythagoras Philosophus genere Samius. qui allegoriis gaudebat, in litteræ Υ forma bivium, atque discrimen vitæ humanæ agnoscere se dictitabat: & in dextro ejus litteræ ramo, qui minor esset, arduam virtutis viam, & angustam; in sinistro cornu quod esset latius, viam facilem, atque proclivem vitiorum, ac voluptatis. Glossæ autem, quæ in codice reperiebantur, à nobis suo quæque loco sunt relatæ, quoties opus fuit. Quas ego glossas à vetere aliquo Grammatico, vel potiùs ab ipsomet Panegyrista, & Poeta nostro adjectas esse puto, quemadmodum Abbo auctor Poetæ nostri fere æqualis, in libris suis de obsidione Luteciæ se fecisse profitetur. Glossa igitur, cujuscumque sit, heic *cluibus* interpretatur *nobilibus*. *Cluo* (κλύω) *Græcum, est idem quod ausculto. Est autem polysemus sermo. Nam cluis nobilis, & pugnax, & auscultans dicitur, & defensor*. D Sanè κλύω, apud Græcos significat audio, ausculto, morem gero, loquor: à quo κλυτὸς clarus, inclytus, celeber dicitur. Latinis clueo, vel cluo (nam utramque conjugationem habet) idem est quod noscor, nominor, dicor, vocor, sum. Unde *cluis* nobilis: quod nomen nusquam alibi legere memini, quàm in Glossis à Bonaventura Vulcanio editis, & è MS. Glossario Arabicolatino veteri collectis, in quibus *Cluis*, *nobilis* exponitur. Dudo in libro III. & nomine præcluis utitur, quum Richardum juvenem *præcluis nobilitatis*, hoc est præclaræ, vocat. *Cluere* etiam *antiqui purgare dicebant*: à quo Venus Cluacina nomen habet, ut scribit Plinius in libri XV. capite XXIX. Cluere an etiam veteres dixerint pugnare, & defendere, haud equidem scio: qua de re fides sit penès Glossatorem.

(38) Post Senatum Romanum, & Scholam Græcorum, ceteri exteri, ac peregrini, qui aut Romæ sedem habebant, aut orationis tantùm causà ad limina Apostolorum venerant, ut Franci, Langobardi, E Saxones, Anglique: in scholas, turmasve divisi, patrià quisque linguà laudes Berengario pio Regi dixere, & totius orbis occidui dominum mox futurum cecinere.

(39) Juvenes nobilissimi, & clarissimo sanguine orti, nimirum frater Johannis PP. X. & Consulis, ac Ducis Romanorum filius, postremi tamquam honoratiores occurrerunt R. Berengario, & more Romano jaminde à Cajo Cæsare Caligula cœpto pedes ejus sunt osculati: quo salutationis genere, aut potiùs adorationis Romam ultrò ditioni ejus se subjicere indicabant. *Apostolicum* ex more vocat κατ' ἐξοχὼ Panegyristes noster Episcopum urbis Romæ Johannem ejus nominis decimum, ceu Sedis Apostolicæ insessorem, & Petri Apostolorum Principis successorem, ac Vicarium. Sed jamdudum Episcopi quilibet hoc sibi etiam vindicaverant, ut *Apostolici Papæ*, *Apostolici Patres*, *Apostolici Præsules* vocarentur. Frater autem hic Johannis Papæ X. Petrus appellabatur: quem postea à Vvidonis Tuscorum Marchionis, & Marociæ ejus uxoris militibus in palatio Lateranensi interfectum esse scribit Liutprandus in libri III. capite XII. *Consul* Romanorum, tum erat *Theophylactus*: sicuti Glossa docet, quæ non addit, quo nomine filius Theophylacti appellaretur. Consul qualis tum erat, Consul & Dux urbis Romæ vocari consueverat. Sic in libro instrumentorum Monasterii Casauriensis dicitur Ludovicus junior Aug. fundator ejus Monasterii, *à Petro Consule, & Duce urbis Romanæ* possessionem, & capellam Sancti Blasii intra Urbem, seu solarium domus suæ cum area, & curte, & Curtem in loco, & fundo Tusciano emisse DCCC. libris argenti. Petrus iste Consul, & Dux Romanorum, in tabulis venditionis ita subscribit. *Petrus in Dei nomine Consul, & Dux*. Patricium Romanorum, vel Patricium urbis Romæ, qui & Senator dictus est, *Consulis* olim appellatione designatum, in libro VI. Rerum Francicarum observavimus.

(40) Petrus Papæ frater, & Theophylacti Consulis Romanorum filius, ceterique peractà salutatione Berengarium ad Johannem Pontificem maximum deduxere, in gradibus Basilicæ Beati Petri Apostoli, vel in atrio super gradus ejus Basilicæ sedentem: ad quos gradus Basilicæ S. Petri per atrii januam perveniebatur. Hanc januam *fores vestibuli* vocat Poeta noster: Petrus Diaconus in historiæ Monasterii Cassinensis libri IV. capite XXXIX. *porticus portam* appellat. Quippe *porticus*, & *vestibulum*, & ut Anastasius Bibliothecarius Ecclesiæ Romanæ loquitur, *atrium* una eademque res erat. Atrium enim sine vestibulo, & sine porticibus utique esse non solebat. Media pars atrii subjecta gradibus Basilicæ, & circumdata quadriporticu, seu tetrastylo, Paradisus dicebatur. Unde Paulus in libro V. de gestis Langobardorum, & Aimoinus in libro IV. Historiæ produnt, *Domnum Papam Romanæ Ecclesiæ locum, qui Paradisus dicitur ante Basilicam Beati Apostoli Petri, candidis, & magnis marmoribus mirificè stravisse*. Anastasius de eadem re scribens, locum istum *atrium B. Petri Apostoli subterius, quod Paradisus dicitur, & est ante Ecclesiam quadriporticum*, nuncupat; Platina *vestibulum B. Petri quadriporticum, quod Paradisum vocant*. In Annalibus Fuldensibus *Formosus Apostolicus ante Paradisum loco, qui dicitur Gradibus Sancti Petri suscepisse* Regem Arnulfum an. DCCCXCVI. dicitur. Erant autem in exteriore atrio gradus illi Basilicæ S. Petri haud exigui numero: quibus conscensis, jam interius atrium ingresso occurrebat janua Argentea Basilicæ, quam Petrus Diaconus *portam Argenteam*; Anastasius in Sergio Papa II. *portas Argenteas*, vel *januas Argenteas* nuncupat. Eà januà Reges, ac Imperatores in Basilicam S. Petri introducebantur ex more: quam Basilicam *ornatæ aulæ* nomine Poeta designavit.

(41) Stantes antea Episcopi Romani solebant opperiri Reges ad limina Apostolorum accedentes. In veteribus Annalibus rerum Francicarum dicitur *Leo Papa anno DCCC. in gradibus Basilicæ Beati Petri Apostoli stans cum Clero, & Episcopis, equo descendentem, gradusque adscendentem Regem Carolum excepisse, dataque oratione, in Basilicam Beati Petri Apostoli psallentibus cunctis introduxisse*.

In gradibus templi stipante sacrato
Constitit ipse choro. Carolum sic advenientem
Suscepit, laudum modulamina dulcia cantans.

In gradibus Basilicæ Beati Petri Apostoli cum Episcopis, & universo Clero consistens, Leo Papa advenientem Regem suscepisse dicitur Eginhardo. Sic antea Hadrianus eumdem Carolum excepturus, *in atrio supra gradus Ecclesiæ Beati Petri adsistebat*, ut Anastasius refert. Sic apud eumdem Sergius II. Papa Ludovico Rege Italiæ Lotharii Aug. filio veniente, *in atrio super gradus juxta fores Ecclesiæ cum universo Clero, & populo Romano adstitit*. Jam inde

Quid referam populos istinc illincque coactos,
Undantesque gradus, cùm Rex ad templa subiret,
Evectus Pastoris equo? (e) *Mox quippe sacerdos*
Ipse futurus erat, titulo res digna perenni. (42)
Advenit ut tandem, lecto comitante ministro,
Atque pedes sensim gradibus conatur ab imis:
Undique turba premit, (43) *cui vix obstare satelles*

A *Voce valet nutuque minans. Erat omnibus ardor*
Cernere præsentem, cupiunt quem sæcula Regem.
Ter quoque sacra pius gradibus vestigia fixit,
Majestate manus cogens cessare tumultus
Undantis populi. (44) *Postquàm conscenderat omnem*
Adscensum, aureolo præsul surgens cliotbedro
(45) (f)

Oscu-

inde igitur à Carolo Magno Episcopi Romani Reges nostros, sive Imperatores consecrandos, sive jam consecratos excepturi, in gradibus Basilicæ Beati Petri Apostoli *stabant, adstabant, consistebantve* cum clero Ecclesiæ suæ, vestibus Pontificalibus induti, & ita Principum nostrorum adscendentium adventum exspectabant. Quem morem usque ad Ludovicum juniorem Aug. duravisse puto per annos circiter L. Sed postea dignitati suæ convenientius existimaverunt sedere in gradibus Basilicæ B. Petri, & sedendo, stantes, accedentesque Reges, vel Imperatores opperiri, nec eis nisi omnes jam gradus emensis, appropinquantibusque assurgere: ut docet Anastasius, apud quem Leo IV. Sergii II. successor, Ludovicum juniorem Lotharii Aug. etiamtum vivi in Imperio collegam, Romam *venientem honorificè sicut mos est super gradus majores Beati Petri Apostoli residens suscepit*. Idem ex Poeta nostro discimus, qui de Berengario hæc subjicit,

B

Postquàm conscenderat omnem
Adscensum, aureolo Præsul surgens cliotbedro
Oscula figit ovans, dextramque receptat amicam.

Vetus tamen mos standi ante fores Basilicæ Beati Petri, à quibusdam postea servatus est, ut à Paschale II. Henricum excipiente, & à quibusdam aliis.

(e) Glossa: Talis est mos Romanus, ut qui debet promoveri ad dignitatem Imperii, Præsulis equo devehatur in Urbem. *Leib.*

C

(42) Romani, & exteri, atque peregrini atrium hinc & inde, seu ex utraque parte compleverant, & gradus ipsos Basilicæ inundaverant: vix ut præ densa multitudine Rex ad gradus posset accedere, licèt præeuntibus stipatoribus, & voce, ac nutu turbam summoventibus. Vehebatur autem equo Episcopi Romani Johannis X. ex more: quoniam ipse instar Sacerdotis mox futurus, & more, modoque Episcoporum sacro oleo unguendus, consecrandusque erat Imperator. Ibi Glossator, hoc est ut existimo Poeta ipse hæc observat. *Talis est mos Romanus, ut qui debet promoveri ad dignitatem Imperii, Præsulis equo devehatur in Urbem*. De eo more nihil usquam legi, nihil me usquam reperire memini: de quo tamen dubitari non potest, cùm & à Poeta nostro æquali eorum temporum describatur, & in Berengario candidato Imperii servatus dicatur, & in Glossa apertiùs exponatur. Ubi notandum est in equis albis, qualibus Romani triumphantes curru juncto Urbem olim invehi consueverant, Imperatores, atque Episcopos Romanos sedere solitos esse. Certè Leo in libro II. Chronici Cassinensis ait, Benedictum Papam Babenbergensi Ecclesiæ pro annuo censu *equum unum optimum album cum ornamentis, & phaleris suis*, ac centum marchis argenti imposuisse, & Leonem IX. Papam in gratiam Heinrici Aug. Conradi filii marchis remissis, *equum tamen sibi servasse* circa annum ML. Sugerius in Vita Ludovici Francorum Regis cognomine Crassi tradit, Dominum Papam Innocentium II *albo, & palliato equo insidentem* processisse die Paschæ ab Ecclesia S. Dionysii in Strata ad Basilicam Beati Dionysii nomine, ac tumulo illustrem anno MCXXXI. Imperatorem quoque Lotharium Innocentio Leodicum intranti cum Episcoporum, & Optimatum magno numero occurrisse, & *in platea ante majorem Ecclesiam peditem per medios ad eum festinasse, & alterâ manu virgam, alterâ frenum albi equi accipientem, tamquam dominum deduxisse*. Apud Radevicum in capite LXVII. libri II. objicitur Rolando, seu Alexandro Papæ III. quòd *ex Urbe exierit sine manto, sine stola, sine albo equo usque ad Cisternam*. Auctor est Henricus Cornelius Agrippa anno MDXXX. Clementi VII. Papæ, post coronam Imperatoriam Carolo impositam, ex Bononiensi Ecclesia Sancti Petronii procedenti coronato admotum esse *nivei candoris equum gradarium, aureis habenis, ac monili, purpureoque ephippio insignem*: admotum esse, & Imperatori *equum, niveo candore, & altitudine illustrem, magnificentissimè ephippiatum, phaleratumque, auro, &*

D

E

gemmis, undique fulgentem. Cùm igitur Episcopus Romanus equo albo vehi consuevisset, præsertim in sollemnibus, festisque processibus, & in ingressibus urbium: apparet R. Berengarium mox Imperatorem futurum, qui equo Johannis X. Episcopi Romani urbem Leonianam invectus est, in equo albo tum sedisse. Domitianus Cæsar Vespasiani Aug. patris, & Titi fratris *triumphum Judaicum equo albo comitatus est*, ut Svetonius scribit. Sed & Carolus V. Francorum Rex, cùm compensset Imperatores in urbes sibi subjectas equo albo invehi solere, Carolo IV. Augusto, ac filio ejus Vvenceslao Regi Romanorũ an. MCCCLXXVIII. equos nigros misit Luteciam intraturis. Jacobus Picolomineus Cardinalis Papiensis in libro Commentariorum VII. tradit, anno MCCCCLXVIII. à Paulo II. Papa in Vaticanum reverso Fridericum III. Imperatorem *albo equo phalerato, & aurea veste donatum* esse, *ut cùm antea atratus Cæsar semper fuisset, in sollemni illa transmissione Imperatorio ornatu procederet*. Maximillianus Friderici hujus filius, Rex Romanorum electus, & mox coronandus Aquasgrani intravit *in veste aurea, & equo albo* anno MCCCCLXXXVI. Carolo Maximilliani Aug. nepoti, Imperatoriâ coronâ anno MDXXX. redimito à Clemente PP. VII. applicitum esse equum nivei candoris jam suprà notavimus.

(43) Berengarius igitur equo vectus est usque ad gradus Basilicæ Beati Petri, & ibi demum equo descendit, ut gradus conscenderet: quod *sensim*, nec sine conatu fecit cùm ob ætatem ingravescentem, tum ob turbam gradus inundantem.

(44) Pius Rex Berengarius ter substitit in gradibus, & manu turbam vociferantem, ac sibi obstantem repressit.

(45) Postquàm gradus omnes Basilicæ Sancti Petri Apostoli conscendit Berengarius, Johannes X. Papa, qui in sella aurea considebat, assurrexit Regi demum, eumque osculatus est, ac dextrà dextram salutantis pro amicitiæ pignore apprehendit. Sic Leo Papa Carolum *equo descendentem, gradusque adscendentem*, idest gradus omnes Basilicæ S. Petri supergressum, *exceperat*, ut veteres nostri Annales universi docent. Glossæ, hoc est Poetæ ipsius verba hæc sunt. *Cliopbedrum Græcè dicitur sella plectilis, quæ vulgò Valdestolum vocatur*. Valdestolum vocat Glossator sedem, vel cathedram, quam Fredegarius in libri V. & ultimi Chronici cap. XXXIV. & Theodulfus Faldaonem, recentiores Faldistorium, vel Faldisterium appellant, Matthæus Parisiensis Faudestolam, nos vulgò olim *Faudestueil*, nunc truncato nomine *Fauteuil*, Itali Faldistoro. Et sella quidem plectilis, vel plicatilis, olim dicta est Faldao, aut Faldestolum, ut Glossa docet. At nunc sedem, seu cathedram majorem, panno aliquo serico, laneove instratam, cui & dorsum, & brachia sedentis possunt inniti, (quales juxta lectos poni consuevere) Faldaonis, Faldestolive nomine designamus. Ceterùm Cliothedrum, vel Cliophedrum corruptum nomen est. Clisthedrum aliqui dici mallent, idest sellam clausam. Fulcherius tamen Carnutensis, qui in anno MCXXVII. desinit, in historiæ Hierosolymitanæ libri III. capite LXI. eo etiam nomine utitur. *Considente autem* (inquit) *Boamundo super cliotbedrum suum Principe effecto, diploideque decentissima vestito, convocatis Optimatibus suis omnibus: juraverunt ei hominitatis subditam fidelitatem, præsente Rege, & favente, ab eo die, & deinceps se servaturos*: hoc est hominio, & fide ei sunt adstricti. Porrò Clementem VII. Papam *aureâ cathedrâ* delatum esse in Bononiensem Ecclesiam Sancti Petronii invenio, ubi Carolum V. Imperatorem coronaturus erat.

(f) Glossa nostra: *Cliotbedrum dicitur sella plexilis, quæ vulgò Valdestolum vocatur*. Hinc postea Faldistorium Italis, quod Gallis *Fauteil* quanquam paulò alio hodie sensu. *Plica*, Germanis *Falte*; unde & Faldolat, ex quo nuper falbalam fecere Galli. *Leib.*

Oscula figit ovans, dextramque receptat amicam. (46)
Hinc adeunt aulam pariter tibi Petre dicatam,
Janitor ætherei pandis qui limina templi.
Ante fores stant ambo domus, dum vota facessit
Rex: etenim se cuncta loco vovet ultro daturum,
Quæ priùs almifici sacris cessere tyranni.
Ilicet his verbis volvuntur cardine postes, (47)
Extollitque sacer laudes per templa minister.
Utpotè Silvestrum videat properare magistrum,
Constantinum etiam typico Baptismate lautum.
(48)

Nec

(46) Johannes PP. Berengarium osculatus est Regem, dextramque ejus apprehendit. Nimirum more Romano salutantes osculum offerebant amicis, dextrasque jungebant. Quo more servato, Hadrianus I. Papa, & Carolus Rex Francorum, ac Patricius Romanorum anno DCCLXXIII. Romæ in atrio super gradus Basilicæ S. Petri *mutuò se amplexi* sunt, apprehenditque Carolus dexteram Pontificis, & ita aulam B. Petri ingressi sunt; laudem Deo, & Carolo canentibus Clericis, & Monachis universis. Leo quoque Papa III. cùm ad eumdem Carolum Regem Francorum, & Langobardorum, ac Patricium Romanorum venisset, anno DCCXCIX. *pariter se* ambo *complexi cum lacrymis, & osculati sunt*, sicuti Anastasius scribit.

Extemplò properans Carolus veneranter adorat
Pontificem amplectens magnum, & placida oscula libat.
Inque vicem dextras jungunt, pariterque feruntur
Gressibus.

Sed & Pippinum Regis Caroli filium, obviam sibi à patre missum, & ante se prostratum manu allevaverat Leo Papa, amplexatusque fuerat, & osculatus: quemadmodum Alcuinus canit in quodam poematio. Apud Anastasium in Vita Sergii Papæ II. anno DCCCXLIV. Romæ in atrio super gradus Basilicæ Sancti Petri Sergius Papa, & Hludouvicus Rex Lotharii Aug. filius *mutuò se amplexi sunt, tenuitque Rex dextram Pontificis, & interius ingressi atrium ad portas pervenerunt argenteas*: & Nicolaus I. Papa Ludovicum huncce juniorem jam Augustum anno DCCCLVIII. discedentem non semel est osculatus. Anno MCXI. Henricus, qui ejus nominis V. Rex Germaniæ, IV. Imperator fuit, ad Paschalis Papæ II. vestigia corruit, exsurgensque *in ore, fronte, oculis ei osculum dedit, moxque dexteram Pontificis tenens, ad portam argenteam venit*: ut scribit Petrus in libro IV. historiæ Cassinensis. Paulus quin etiam Papa II. licèt more tum recepto in eminenti solio sedens anno MCCCCLXVIII. Friderico III. Imperatori, & pedem, & manum præbuerit osculandam: surgens tamen allevatum eum deosculatus, & amplexus est, dextramque ejus apprehendit, ut sæpe aliàs, ac semper ex æquo processit. Justinus quidem Aug. abjecit se pronum, & Johannem Papam adoravit. Rex Pippinus descendisse equo, *& humi prostratus* cum conjuge, & filiis Stephanum Papam ejus nominis tertium excepisse dicitur anno DCCLIII. Pippinus quoque Caroli Magni filius cum toto exercitu ante Leonem Papam III. sed pro ipsis Deum precantem ter humi sternitur: idemque mox faciunt, qui Carolum Magnum comitantur.

Ante Sacerdotem ter summum exercitus omnis
Sternitur, & supplex vulgus ter fusus adorat:
Pro populoque preces ter fundit pectore Præsul.

Ludovicus etiam junior Aug. freno equi Nicolai I. Papæ apprehenso, pedes equitem deduxit more stratoris; & Imp. Lotharius in urbe Leodico Innocentium II. Episcopum Romanum; alii alios: ex quibus & Lotharius Innocentium, ut olim Ludovicus Pius Stephanum V. incedentem manu sua sustentavit. Henricus, qui eo nomine quartus imperavit, ad Paschalis Papæ II. *vestigia corruit*. Anno MCXXX. Ludovicus Francorum, & Henricus Anglorum Reges Innocentii Papæ II. pedibus advolvuntur, *procumbunt inclinato vertice, ac prosternuntur*. Hæc quidem omnia facta legimus, sed nullos tum Reges, aut Imperatores Episcoporum Romanorum pedibus oscula fixisse legimus: quem honorem turbæ tantùm vicanæ Leoni III. Papæ ad Carolum Magnum festinanti dicuntur habuisse, Neapolitani Leoni IV., & Sigenulfus Beneventanorum Dux Sergio II. Primus, ut equidem reor, omnium Imperatorum, & Regum Fridericus Aug. anno MCLXXVII. Venetiæ in Rivo alto nudipes abjectis insignibus Regiis Alexandri III. Papæ pedes cum lacrymis osculatus fertur, sed nimirum ut vinculo anathematis exsolveretur. Idem tamen Fridericus Imperator anno MCLIX. Victoris Papæ IV. seu Antipapæ pedes osculatus esse dicitur Radevico in libri II. capite LXX.

(47) Johannes Episcopus Romanus, & Rex Berengarius junctis manibus Beati Petri Basilicam, januamque ejus Argenteam petunt. Clausa erat jussu Johannis hæc janua cum ceteris. Itaque ad januam ambo constitere, dum Rex vovet, jurat, ac pollicetur se simul, ac Imperatorium diadema recepisset, donationes majorum omnes confirmaturum, & quidquid Pippinus, ac Carolus Magnus aliique Principes Basilicæ huic contulerant, se eidem libentissimè collaturum. Quo facto, janua Argentea aperta est statim, & cum Johanne Berengarius Basilicam B. Petri intravit. Ita Episcopi Romani sibi consulebant, ita suæ cavebant Ecclesiæ, ut non antè Reges ad Imperium promovendos, aut etiam Imperatores in Basilicam Beati Petri intrare paterentur, quàm fidem dedissent eam se defensuros, suum ei jus, sua omnia servaturos: post exactum jusjurandum, quam *professionem*, vel *promissionem* vocabant, aperiebatur demum Basilica Sancti Petri, & in eam Reges introducebantur. Primus omnium Sergius Papa tale aliquid videtur fecisse, & à R. Ludovico juniore Lotharii Aug. filio, cujus voluntati diffidebat, jusjurandum exigere ausus esse. Nam ut Anastasius tradit, cùm ambo *ad portas pervenissent argenteas, tunc almificus Præsul claudi omnes januas Beati Petri, atque serari præcepit, & Regi sancto Spiritu admonente sic dixit: Si pura mente, & sincera voluntate, & pro salute Reip., ac totius Urbis, hujusque Ecclesiæ huc advenisti, has mea ingredere januas jussione: sin aliter, nec per me, nec per meam concessionem istæ tibi portæ aperientur. Statim Rex illi respondens dixit, quòd nullo maligno animo, aut aliqua pravitate, vel malo ingenio advenisset. Tunc Præsule præcipiente, prædictas januas patefecerunt, & ita in venerandam aulam Beati Petri ingressi sunt, laudem Deo, & ejusdem Excellentiæ decantantes universus Clerus, & cuncti religiosi Dei famuli, extensaque voce acclamantes, Benedictus qui venit in nomine Domini. Aulam Beati Petri*, & *Apostolicam aulam* vocat Anastasius Basilicam, vel Ecclesiam Beati Petri Apostoli, sicut Panegyristes noster *aulam Petro dicatam*, idest aulam Beati Petri. Johannes Papa X. à Berengario nostro expressius jusjurandum exegit, post receptam coronam Imperatoriam, daturum Basilicæ Sancti Petri quæcumque ei Reges, Imperatoresque concessissent, seu majorum donationes litteris suis confirmaturum; ac tum demum reclusis foribus Argenteis Berengarium introduxit. Anno MXIV. *Henricus Rex à Senatoribus XII. vallatus, cum conjuge Cunegunda ad Ecclesiam Sancti Petri Papâ exspectante venit*, & antequàm introduceretur, ab eodem *interrogatus, si fidelis vellet Romanæ patronus esse & defensor Ecclesiæ, sibi autem suisque successoribus per omnia fidelis, devota professione respondit; & tunc ab eodem inunctionem, & coronam cum contectali sua suscepit*: ut Ditmarus in Chronici libro VII. scribit. Petrus Diaconus in libri IV. Chronici Cassinensis capite XXXIX. de Henrico ejus nominis IV. Imperatore ita refert. *Mox dexteram Pontificis tenens, magno cum populi gaudio, magnisque clamoribus ad portam argenteam venit. Ibi ex libro professionem Imperatoriam fecit, & à Pontifice* (Paschale II.) *Imperator designatus est, rursumque osculato Pontifice, orationem primam continuò super eum Lavicanus Episcopus dedit ex more. Post Basilicæ ingressum* &c. Hæc anno MCXI. facta sunt. *Rex Heinricus* (inquit Sigebertus) *usque ad januas Ecclesiæ Beati Petri Apostoli cum processione pervenit: ubi in oculis adstantium decretum promulgavit*, quo affirmabat omnia omnibus Ecclesiis à Regibus, Imperatoribusque concessa nullo se modo subtracturum.

(48) Post Berengarii professionem statim reserata sunt ostia, & ipse cum Papa Johanne Basilicam intravit, Clerusque Romanus simul ingressus Deo, & Papæ, & Regi laudes ibi alta voce dixit, & cecinit: tamquam Sylvestrum Episcopum Romanum, & Constantinum Maximum Aug. recens ablutum Basilicam eamdem intrantes videret. Sylvestrum *Magistrum* vocat Poeta, quòd Constantinum Augustum fidem Christianam docuisse, & tinxisse

Ro-

Nec minùs his decus orbis inest rerumque potestas,
Tempora ni pejora forent impulsaque cessim. (49)
Jam tumulo Piscatoris sacra purpura Regis
Sternitur, & Christus lacrimis pulsatur obortis. (50)
Templa petit ductor posthæc, ubi fercula dono
Pastoris digesta nitent. (51) *Setina* (g) *propinant,*
Ac (decet ut Regem) variant tuceta (52) (h) *ministri,*
Mox croceis mundum lampas Phœbea quadrigis,
Luce Deus qua factus homo processit ab antro
Tumbali (53) (i) *perflat. Populus concurrit ab Urbe,*

Cer-

Romæ, ac per Baptismum leprà liberavisse credebatur, ut referunt Acta Sylvestri, quæ falsa quidem, antiqua sunt tamen, vel potiùs veterrima. Observo enim Gregorium Turonicum Episcopum ea legisse, & credidisse ante annos mille, & septuaginta. Quippe in libri Historiæ II. capite XXXI. de Chlodoveo Rege Francorum à Remigio Remensi Episcopo abluto sic refert. *Rex ergo prior poposcit se à Pontifice Baptizari. Procedit novus Constantinus ad lavacrum, deleturus lepræ veteris morbum; sordentesque maculas gestorum antiquorum recenti latice deleturus.* Tum ista subjungit. *Erat enim Remigius Episcopus sanctitate ita prælatus, ut Sylvestri virtutibus æquaretur.* Quibus ex Gregorii verbis Regem Chlodoveum Constantino Maximo Augusto, & Remigium Episcopum Sylvestro Episcopo comparantis, facillimè intelligitur, Gregorium Acta Sylvestri in mente habuisse cùm hæc scriberet, eaque Acta Sylvestri nota fuisse, ac probata Gregorio, uti & Gelasio, & Poetæ nostro. Constat tamen Constantinum Augustum, nec elephantiasi umquam laboravisse, nec Romæ à Sylvestro, sed Nicomediæ, aut saltem in villa publica Acyrone Nicomediæ proxima ab aliquo alio nobis incognito baptizatum esse.

(49) *Cessim* idest retrò. Sanè ut Constantinus Maximus, sic & Berengarius Romani Imperatores fuere: & tam Johannes X. eo nomine Romanæ Ecclesiæ Episcopus fuit, quàm Sylvester fuerat. Sed non ideò tamen Berengarius Constantino comparari debet, Johannesque Sylvestro, cùm nihil ferè præter nomen, dignitatemve commune habuerint. Constantinus exstincto Licinio Aug. collega, & affine suo, totum Imperium Romanum per Orientem, & Occidentem longè, lateque diffusum obtinuit: Berengarius Regnum tantummodò Langobardorum, ac ne illud quidem totum, (nam Ducatus Beneventanus suo Duci parebat) hoc est vix dimidiam Italiæ partem sub ditione sua habebat. A Sylvestri sanctitate multum aberat Johannes, stupris, & adulteriis Episcopatum Romanum consecutus: sed potentià, & opibus eum longè superabat; cùm Ecclesia Romana jam inde à Pippino Rege Francorum claras urbes, ac opulentas Italiæ provincias, nimirum Ravennam, Pentapolim, totum Exarchatum, ac Tusciæ, Campaniæque Romanæ, seu Latii partem obtineret.

(50) Ante sepulcrum Beati Petri ex piscatore Apostoli, quod vulgò tum Confessionem Beati Petri vocitabant, purpuratus Rex Berengarius procubuit humi orationis causà, pronumque se ex more prostravit. Sic Carolus Magnus Francorum Rex anno DCCLXXIII. cum Hadriano Papa I., simulque Episcopi, Abbates, Judices, & universi Franci, qui cum eo venerant; sic Ludovicus Rex Lotharii Aug. filius anno DCCCXLIV. cum Sergio Papa II., & omnes Franci, qui cum eo erant, ad tumulum Beati Petri sese pronos prosternunt, Deo & Petro gratias acturi, aut vota facturi, uti Anastasius scribit. Sugerius tradit, Ludovicum Crassum cum uxore, & filiis *capite tamquam ad sepulcrum Petri inclinato, pedibus Innocentii* Papæ II. *procubuissè*. Ceterùm cùm Poeta noster *purpuram* Berengario tribuat Regi Langobardorum, necdum Imperatori: haud dubito quin tum Francorum Reges, qui Imperatorum successores erant, præter ceteros purpurea veste uterentur.

(51) Post fusas ad sepulcrum Beati Petri preces, Berengarius Palatium Episcopale petiit, ubi Johannes Papa cœnam ei exquisitissimam dedit. Benedictus Papa VIII. anno MXIV. postquàm R. Henricum, & Cunegundam in Ecclesia Sancti Petri inunxerat, & coronaverat, *eodem* demum *die cœnam eis ad Lateranum fecit copiosam*, sicuti Ditmarus prodidit: at Berengario nondum coronà Imperatorià redimito à Johanne cœna data est apud Sanctum Petrum, seu in Palatio Vaticano Basilicæ Sancti Petri proximo: quod Palatium *templa* vocat Poeta, ut & suprà de Berengario.

Ire jubet celeres ad templa sodales,
Vicinum qui se referant.

De eo Palatio Otto in capite XXII. libri II. de Gestis Friderici Aug. mentionem facit, quum ait Fridericum Imperatorem anno MCLV. cum corona equo phalerato insidentem in castra sua muris Romæ proxima revertisse, *Romano Pontifice* (Hadriano IV.) *in Palatio, quod juxta Ecclesiam Beati Petri habebat remanente*. Hoc Palatium, vel Patriarchium à Leone Papa III., qui Caroli Magni capiti anno DCCCI. coronam Imperatoriam imposuit, ædificatum esse scribit Anastasius, & *domum juxta Ecclesiam Beati Petri Apostoli* appellat: ac memoriæ tradit Imperatorem Ludovicum juniorem anno DCCCLV. cum Leone Papa IV. *cumque Romanis Proceribus, & Optimatibus Francis sedentibus in domo, quam B. M. Leo III. Papa juxta Ecclesiam B. Petri Apostoli fecerat*, de Gratiani Magistri militum accusatione inquisivisse. Sed & Johannes Papa VIII. in epistola ad *Berengarium Gloriosum Comitem Regià prosapià ortum*, de Lamberto Spoletinorum Duce Vvidonis filio quærens, ita scribit. *Venit Romam*, (Lambertus Comes Carolomanni Regis nomine) *& quasi inimicus portam civitatis Romanæ violenter capiens, satellites suos per dies plurimos retinere fecit, ac sic tantam civitatem invasam retinuit: ita sanè ut nobis apud B. Petrum consistentibus, nullam urbis Romæ potestatem à piis Imperatoribus Beato Petro P. A. ejusque Vicariis traditam haberemus*. In monte Vaticano hodieque cum Basilica Beati Petri sunt Palatium, hortique Pontificis. Ex his intelligitur, haud usquequaque verum esse, quod in libro de Episcopatibus, Titulis, & Diaconiis Cardinalium ait Onufrius Panvinius, Episcopos Romanos *per mille annos usque ad Clementis V. Pontificatum*, seu ad ann. MCCCV. *in Patriarchio Lateranensi habitavisse*: post Gregorii demum Papæ XI. in Urbem reditum, qui anno MCCCLXXV. contigit, Antistites Ecclesiæ Romanæ *non ampliùs* in domo *Laterani*, *sed in Patriarchio prope Sanctum Petrum permansisse*. Etsi enim Patriarchium, vel Palatium Lateranense, quod erat intra Urbem Basilicæ Lateranensi, vel Constantinianæ, alias S. Servatoris, & S. Johannis dictæ proximum, atque conjunctum, olim *solium Apostolicum*, seu *Pontificale* fuit, ut loquitur Anastasius, hoc est sedes Pontificum Romanorum: licèt inquam ibi plerumque, ac præcipuè habitaverint Urbis Episcopi, tamen nihilominùs constat eos saltem jam inde à Leone Papa III. Patriarchium, Palatiumve in Vaticano extra Urbem habuisse prope Basilicam Sancti Petri, ubi non raro manserint; ubi Imperatores una cum ipsis conventum Procerum egerint; quò Papæ Urbe ab adversariis suis occupata velut in asylum confugerint, ubi Regibus, & Imperatoribus cœnam dederint.

(g) *Setten*, *Satten*, ingentia vasa lignea, hodieque vocant Germani, qualia sunt in quibus lac, atque etiam aqua servatur. An *Seidel* mensura minor, & *Situla* ab eadem origine, disquirere non est hujus loci. *Leib.*

(52) *Tuceta* Glossator, idest Panegyristes ipse nî fallor, *Regales epulas* exponit, Fulgentium V. C. in Expositione sermonum antiquorum secutus. Persio in Satyra II. *tuceta crassa* dicuntur, *bubula apud Gallos Cisalpinos condimentis crassis oblita, & macerata, & ideò toto anno durans*. Hinc in Glossis, quæ Isidoro tribuuntur, *Tucetum*, *bubula condita apud Gallos Alpinos*: & in veteri Glossario Latino-Græco, quod vulgò Lexicon Philoxeni vocant, *tuccetum*, Ζωμὸς παχὺς exponitur, sive jus crassum: quæ ex verbis Interpretis Persii suprà laudatis desumta sunt.

(h) Glossator noster interpretatur *regales epulas*. Sed notat Valesius Persio *tuceta crassa* dici, & in glossis Isidori *tucetum* esse bubulam conditam apud Gallos Alpinos, ita significatio à re plebeja ad regalem transivit. *Leib.*

(53) Idest die Dominicæ Resurrectionis, seu Paschæ, quo die Christus, Deus, & homo, è sepulcro suo resurrexit. *Antrum tumbale* vocat Poeta locum, in quo erat sepulcrum Christi, vel ut vulgò loquuntur tumba; aut etiam sepulcrum ipsum. *Monumentum* autem illud *erat excisum in petra*, ut Matthæus, Marcusque testantur. Quare locus in quo sepultus est Christus, ritè *antrum* nuncupari potuit,

Cernere vestitum trabeâ Imperiique coronâ
Augustum, (54) Replicata calent spectacula totis
Ædibus, auratis splendent altaria pannis: (55)
Cùm Princeps nitidus Tyrio procedit in ostro,
Tegmina vestitus crurum rutilante metallo:
Quale decus terræ soliti gestare magistri. (56)
Advenit & Domini pastor præpositus ovili,
Officio lætus, quamvis resonaret utrimque
Clamor: Ades Præsul, totiens quid gaudia differs
Innumeris optata modis? Per vincla Magistri
Te petimus, depone moras, & suffice votis. (57)
Talibus aræ adeunt gestis apsida sacratæ
Lumina terrarum. (58) Modicum posthæc diadema
Cæsar habet capiti gemmis auroque levatum:
Unguine nectarei simul est respersus olivi:
Cælicolis qui mos olim succrevit Hebræis,
Lege sacra solitis Reges atque unguere vates:
Venturus quòd Christus erat dux atque sacerdos,
Omni quem propter cœlo reparentur & arvo.
Jam sacræ resonant ædes, fremituque resultant
Clamantis populi. Valeat tuus aurea Princeps
Roma diu, Imperiumque gravi sub pondere pressum
Erigat, & supera sternat virtute rebelles. (59)
Perstrepuere nimis. Sed facta silentia tandem.
Lectitat Augusti concessos munere pagos
Præsulis obsequio gradibus stans lector in altis,
Cæsare quò norint omnes data munera (60) prædo
Ulteriùs paveat sacras sibi sumere terras.
Dona tulit perpulcra pius tunc denique templo,
Baltea lata ducum, gestamina cara parentum,
Gemmis ac rutilo nimium pretiosa metallo:
Ac vestes etiam signis auroque rigentes, (61)
Distinctum variis simul, ac diadema figuris.
Quid referam, quantis replerit mœnia donis? (62)
Non-

tuit, & a multis ita nuncupatur: à Burchardo in descriptione terræ sanctæ *spelunca sepulcri Domini* VIII. pedes longa, & lata. Vide eos, qui de locis sanctis scripsere.

(i) Festo Resurrectionis Domini coronationis solennitas peracta est. *Leib.*

(54) Igitur die Paschæ Berengarius in Basilica Sancti Petri Imperator est factus: quem ut ibi populus Romanus Imperatoriis insignibus ornatum videret, ex Urbe confluxit. Urbem autem Romam à Burgo Sancti Petri, vel urbe Leoniana, ubi Basilica Sancti Petri erat, Tiberis ponte junctus dividebat.

(55) Repetuntur, iteranturve spectacula per urbem Leonianam: & pannis ex auro textili altaria Basilicæ Sancti Petri ornantur.

(56) Berengarius Tyriâ purpurâ amictus processit in Basilicam Sancti Petri, auroque ocreatus: qualibus crurum tegminibus orbis Domini, seu Imperatores uti consueverunt. Glossator *tegmina crurum è rutilante metallo*, *ocreas aureo colore respersas* exponit non admodum bene. Nam qui *tegmina crurum è rutilo metallo*, seu ex auro dicit, ex auro textas ocreas utique dicit; auricolores tantùm nequaquam dicit. Hujusmodi ocreas Imperatorias Eginhardus in Vita Caroli Magni *Calceos Romano more formatos* ni fallor appellat. At Imperatores Græcorum rubricatis pellibus crura tum induebant. Certè Liutprandus in libri III. Historiæ capite IX. scribit, Romanum vitricum, & socerum Imperatoris Constantini communi populi consensu *rubricatarum pellium caligis, ut istic Imperatoribus mos erat, usum esse*.

(57) Sunt hæ acclamationes populi Romani ad Johannem Papam, per Vincula Beati Petri eum orantis, obtestantisque ut Berengarium unguere, & coronare properaret. *Magistrum* Romani vocabant Beatum Petrum, quòd majores ipsorum fidem Christianam edocuisset, atque tinxisset, primusque apud ipsos Episcopus sedisset.

(58) *Lumina terrarum*, sive orbis Johannes Papa, & Rex Langobardorum Berengarius, mox futurus Imperator, petunt apsidem, seu circulum sacri altaris, atque ante confessionem, seu sepulcrum Beati Petri Johannes capiti Regis Berengarii diadema Imperatorium ex auro, & gemmis imposuit, & sacro eum oleo unxit, more Hebræorum Reges suos, ac Prophetas unguentium; Hebræorum inquam, seu Judæorum *Cælicolarum* Poetæ nostro dictorum, quòd Cœlum, vel Cœli lumen colere, & adorare credebantur, simulacris carentes: ut Juvenalis, Petronius in epigrammate, aliique scripserunt.

(59) Post coronationem, & unctionem Berengarii, tota Basilica Sancti Petri fremitu, & clamoribus populi Romani, & Langobardorum resonare cœpit acclamantium: Valeat tuus Princeps Roma, & Imperium Romanum victis hostibus, ac rebellibus edomitis pristino splendori restituat. Sic ann. DCCCI. ineunte Carolo Magno coronato acclamatum est à populo Romano: *Karolo Aug. M. Imperatori Romanorum vita, & victoria*. Ann. DCCCXIII. Ludovico constituto Imperatori populi acclamavere: *Vivat Imperator Ludovicus*, & anno DCCCXVII. Lothario Imperatori electo populus acclamavit, *Vivat Imperator Lotharius*. In Litania DCCC. annorum à Goldasto edita, *Hludovvico à Deo coronato Magno, & pacifico Regi vita, & victoria*. Sic apud Ditmarum in libro II. Chronici, *Omnes Reipubl. Principes Ottonem patris sui decreto, ac petitione uno ore in Regem sibi & dominum elegerunt elevatis dextris, conclamantes, Vivat, & Valeat Rex victor in æternum: pariterque cum eo ad Aquasgrani proficiscuntur anno DCCCCXXXVI.* Ita ergo Franci electis à se Regibus acclamare consueverant, atque etiam coronatis jam & unctis cùm Regibus, tum Imperatoribus. Qui mos veterum Romanorum fuit, acclamare Imperatoribus electis solitorum, *N. Auguste, Dii te servent: Jupiter opt. max. Macrino, & Antonino vitam.*

(60) Finitis populi acclamationibus, & laudibus, ac votis, & facto tandem silentio, lector stans summis in gradibus Basilicæ Sancti Petri legit Berengarii Augusti litteras, paulo antè ab eo promissas, quibus omnium superiorum Principum donationes confirmabantur, & quicumque pagi, seu regiones, ac urbes Basilicæ Sancti Petri datæ olim fuerant à Pippino, Carolo Magno aliisque; à Berengario Augusto eidem, ac Johanni Papæ concedebantur, nominatimque exprimebantur: ut omnes scirent ab Augusto Berengario data hæc esse Beato Petro, vel potiùs confirmata, & terras loco sacro attributas, ac veluti sacras nemo ampliùs sibi vindicare auderet. De hoc more nihil alibi legi.

(61) Missà peractà, Basilicæ Beati Petri obtulit, contulitque Berengarius Augustus ex more dona pretiosa, baltea majorum suorum, vestes, diadema. Sic Carolus Magnus à Leone Papa coronatus Imperator *ante sacram Confessionem B. Petri Apostoli, post celebrationem missarum obtulit Apostolo Dei mensam argenteam*, vasa ex auro, coronam auream, & alia aliis Basilicis Romæ obtulit. Ann. DCCCLXXVII. Caroli Magni nepos Imperator Carolus imaginem Christi crucifixi ex auro, & gemmis per Johannem Papam S. Petro Apostolo obtulit. Idem Carolus anno DCCCLXXVI. ineunte Beato Petro *multis & pretiosis muneribus oblatis, unctus & coronatus*, atque Romanorum Imperator appellatus fuerat, sicut Annales Bertiniani docent.

(62) More Romano veteri Imperatores pro Imperio non modò militi donativum, Augustaticum postea dictum, sed etiam congiarium populo dabant: ut Antoninus Pius adoptatus ab Hadriano, multique alii fecere. Apud Gregorium in libro historiæ VI. Mauricius *ad circum processit, acclamatisque sibi laudibus, largitis populo muneribus, in Imperio confirmatur*. Constans Heraclii Aug. nepos, initio Imperii *Senatum* allocutus est, & *donis dapsilibus honoravit*: Constantinus quoque cognomine Copronymus cùm duos è filiis suis Cæsares appellasset, uxoremque suam tertiam Eudociam coronasset, *jactavit Hypatiam*, seu aurum in populum more Consulum procedentium sparsit: quemadmodum Theophanes, & Anastasius, qui eum transtulit docent. Primus ex nostris Carolus Calvus *datis Johanni PP. VIII., & Romanis magnis muneribus Imperator creatus est* anno DCCCLXXVI. ineunte die Natali Domini, *Imperatoris nomine à Johanne ingenti pretio emto*, ut Regino, & Annales Mettenses docent. Unde in Annalibus Fuldensibus dicitur, *Senatum Romanum more Jugurthino corrupisse, sibique sociavisse, itaut etiam Johannes Papa coronâ ei impositâ eum Imperatorem, & Augustum appellari præceperit*. Henricus V. quasi pœnitentià ductus, *cives, ac Pontificem* (Romanos, ac Paschalem) *muneribus sibi conciliavit, ab eoque coronatus, favore omnium Imperatoris, & Augusti nomen sortitus est anno ab Incarn. Dom. MCXI.*, ut Otto Frisingensis Episcopus in libri VII. historiæ capite XIV. tradit.

dit. Romani per Legatos anno MCLV. *quinque millia librarum*, aut si Helmoldo creditur, XV. millia librarum argenti pro congiario à Friderico petiere, danda Romanis Officialibus, seu honoratis, & Senatoribus, qui ipsi in Capitolio acclamaturi ex more erant: ac paulo post populus Romanus, qui cum Senatoribus suis in Capitolium convenerat, audiens Fridericum *sine sua adstipulatione*, vel *injussu suo* ab Hadriano PP. IV. *coronam Imperatoriam accepisse*, Tiberim transiit, pugnamque cum Germanis conseruit. Legatis tamen populi Romani sic locutus fuerat paulo ante Fridericus, ut de more dandæ ei pro corona pecuniæ consentiret. *Hunc quem alibi à Divis parentibus meis acceptum servavi morem, civibus cur negarem?* Romanis nimirum: quæ verba leguntur apud Ottonem Frisingensem Episcopum in libro II. de Gestis Friderici I. Rom. Imperatoris: aut uti apud Guntherum in libro III. Fridericus legatis istis ait:

Nec plebem munere largo
Lætificare tuam renuo: sed pacta recuso.

Non omittam quæ in Vita Henrici IV. reperio de Roma ab eo vi capta. *Tandem Romam præsumtionis suæ pœnituit: & quæ priùs meruisse poterat, ut à Rege donis honoraretur, tum ingenti pecuniâ apud Regem vix obtinuit, ne tota subverteretur*: cujus filius, & successor Henricus hujus nominis quintus, post Augustalem unctionem, & coronationem, tam *Papæ* Paschali, *quàm singulis ejus Episcopis, Cardinalibus, Clericisque majoribus, ac minoribus dona tot, tanta, ac talia dispertivisse* dicitur à Conrado Abbate Urspergensi, *ut absentibus omnino incredibile esset*. Anno MCXC. *Filius Friderici Imperatoris Henricus Rex à Cœlestino Papa III. omnium Romanorum favore unà cum conjuge die sancto Paschæ coronatus, Imperatoris & Augusti nomen sortitur. Hunc favorem Romanorum, avaritiæ eorum maximis muneribus satisfaciens promeruit*: inquit Otto à Sancto Blasio. Eum igitur morem secutus Berengarius, multa & magna populo Romano dona, vel munera pro Imperatorio diademate, & acclamationibus, seu laudibus dedit. In ejus tamen verba Romani jurasse, seu fidem ei jurejurando devinxisse non dicuntur à Poeta, sicut jam inde à Carolo Magno usque ad Arnulfum Augustum fecisse eos observo.

Imperator igitur Berengarius fuit, cùm antea Rex Italiæ, seu Langobardorum fuisset, & à Johanne Papa X. Romæ Imperatorio diademate cinctus est: quod si Poeta noster solus scripsisset, ei uni fidem habendam putarem, qui & æqualis fuit Berengarii, & res sibi cognitas, atque compertas, nonnumquam & à se visas enarravit. Adventum quidem Berengarij in Urbem, coronationemque ita describit, ut haud dubitem ipsum tantæ lætitiæ interfuisse, nec audita, verùm oculis suis spectata cecinisse. Sed non solus Panegyristes noster Berengarium Imperatorem factum ait. Quippe & Constantinus Porphyrogennetus, qui tum vivebat, in libri de administrando Imperio capite XXVI. excœcato Ludovico, Regnum obtinuisse Berengarium dicit, Romamque venisse, ac ibi esse coronatum. Frodoardus quoque, qui anno post Berengarii nostri mortem XLII. Chronicon suum absolvebat, Berengarium anno DCCCCXXII. *Langobardorum Imperatorem* appellat, impropriè tamen: cùm Rex Langobardorum vocandus fuerit, Imperator Romanorum. Liutprandus licèt Berengarium, & Vvidonem Romæ ex more ab Episcopo Romano Imperatores unctos, coronatosque esse non prodat: tamen in capite II. libri I. unà ambos Imperatores nuncupat his verbis: *Berengarius, & Vvido Imperatores, ob Regnum Italicum confligebantur*. Otto Frisingensis Episcopus in libri VI. Chronici capite XV., & Gotfridus Viterbiensis Presbyter in Chronicorum parte XVII. eisdem ambo verbis tradunt, Ludovico Bosonis filio capto, & luminibus orbato, *Berengarium exhinc Regnum Italiæ simul cum Imperio Romano obtinuisse*. Quin & Platina de eo in Christophoro Papa sic refert. *Acceptâ à Formoso Imperii coronâ, annis IX. vixit: atque ita Imperium à Francis ad Langobardos transfertur*. Constat tamen Berengarium IX. quidem annis Imperium tenuisse, sed à Johanne Papa X. non autem à Formoso Imperatorem unctum, salutatumque esse, ut Poeta noster disertè docet. In Chronico Monasterii Acutiani legimus litteras *Berengarii Imperatoris Augusti datas II. Kalend. Julii anno Dom. Incarn. DCCCCXX. Domini Berengarii XXXIII. Regni, Imperii V. Indict. VIII.* in quibus *proavum suum Carolum Serenissimum Imperatorem*, (nimirum Magnum) & pronepotem ejus *Ludovicum seniorem suum, olim Imperatorem* nuncupat, idest Ludovicum juniorem Augustum quondam Dominum ipsius: sub eo enim Berengarius, & sub Carolis Calvo, Crassoque vixit. Hæc omnia ignoravisse Carolum Sigonium miror, qui anno DCCCCXV. regni XXVIII. à Johanne PP. Berengarium mense Septembri Imperatorem inunctum esse dicit in libro VI. de Regno Italiæ, idque *ex diplomatis ejus elici*, in quibus Imperii sui annos annis regni subjungat. Tamquam sola nobis diplomata, aut litteræ ad probandum Berengarii majoris Imperium supersint: quem die Dominicæ Resurrectionis, seu Paschæ, non mense Septembri; anno Domini DCCCCXVI. non DCCCCXV. à Johanne PP. X. Imperatoriis insignibus donatum esse suprà ostendimus. Neque ob Saracenos adjutorio ipsius recens monte Gareliano depulsos uti credit Sigonius, à Johanne Pontifice gratiam referente Berengarius factus est Imperator: sed ut Barbaros inde dejiceret, Ecclesiamque Romanam eorum vexatione, incursionibusque liberaret, accitus à Johanne, Optimatibusque Romanis, & tanto beneficio in antecessum est obligatus, quemadmodum in Panegyrici hujus libro IV., & ultimo reperitur. Certè hoc ipso *anno DCCCCXVI. exisse Agarenos de Gariliano Indict. IV.* scribit Lupus Protospatha in Chronico: quos utique adjutore Berengario, novo Augusto victos, & eo monte dejectos esse non dubito. Et quoniam diplomatum Berengarii Augusti meminit Sigonius, operæpretium est litteras ejus Imperatoris subjicere, ex libro instrumentorum Monasterii Casauriensis, sive Piscariensis, qui in Bibliotheca Regia Luteciæ Parisiorum servatur excerptas. Litteræ inscribuntur: *Præceptum Berengarii Imperatoris de libertate Monasterii Casauriensis, & rerum ejus*: & tales sunt.

In nomine Domini Dei æterni Berengarius divinâ favente clementiâ Imperator Augustus. Si sanctarum Dei Ecclesiarum famulis aliquod tutelæ Imperialis nostræ subsidium, seu defensaculum impendimus, id ad æternæ recompensationis meritum nobis proficere non ambigimus. Quocirca noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque, præsentium scilicet, ac futurorum industria, qualiter Monachi cujusdam Monasterii, in quo almificum Beatissimi Pontificis, atque Martyris Clementis corpus dignoscitur esse reconditum, ubi Casa aurea nuncupatur, & in honore Sanctæ ac individuæ Trinitatis constructum decernitur esse, quod etiam Monasterium domnus Ludovvicus olim Serenissimus Imperator & noster consobrinus à fundamento, pro Dei amore, suæque animæ salute cunctas proprietatis suæ res infra urbem Romam, sive extra ipsam, necnon & Pentapolis, Tusciæ, Spolitini Ducatus, Camerini Comitatus, atque Fermini, Asculini, Aprutini, Pennini, seu Teatini finibus positas prætaxato Monasterio, ibique Deo famulantibus tribuens construxit: ad Majestatis nostræ clementiam percurrentes, mercedis nostræ pietatem suppliciter postulaverunt, quatenus eis pro Dei amore, nostræque, vel parentum nostrorum animarum remedio, ejusdem prælibati Monasterii res ipsis in eodem Monasterio nunc præsentibus, atque futuris Christo Domino famulantibus hoc nostræ auctoritatis Imperialis præcepto confirmare, & corroborare modis omnibus dignaremur. Quod firmiter attendentes, eorumque Monachorum miseriam, atque inopiam attentiùs perspicientes, omnes ejusdem Monasterii res, quas prædictus domnus Ludovvicus Imperator, & consobrinus noster pro animæ suæ salvatione in jam nominatis territoriis, atque locis prælibato Monasterio ad Beatissimi Pontificis, atque Martyris Clementis honorem dicato, ubi Casa dicitur aurea, olim præbuit suo in tempore: nolentes prænominati domni Ludovvici Serenissimi Imperatoris, & consobrini nostri eleemosynam, atque mercedis suæ largissimam donationem in futuro penitus esse exstinctam, quemadmodum jam sæpedicti domni Ludovvici Gloriosissimi Imperatoris animus futuris temporibus idem Monasterium in suo statu, atque rectitudine decrevit, & statuit esse, pro Dei amore, nostræque animæ remedio, vel parentum nostrorum salute (sicut etiam in eorum Monachorum jam nominato Monasterio assistentium præceptis legitur, quæ à præscripto domno Ludovvico Serenissimo Imperatore, & consobrino nostro eidem Monasterio deservientibus Monachis conscripta esse videntur) per hoc nostrum Imperiale præceptum perpetualiter prædicto Monasterio eique deservientibus Monachis confirmamus, modisque omnibus corroboramus. Præcipientes ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdasio, Gastaldio, aut qualibet magni, aut parvi officii persona jam nominatum Monasterium, ibique Deo deser-

Nonne maris paucas videor contingere guttas,
Syrtibus atque manu sumptas includere arenas, (63)
Quando brevi tantos cludo sermone triumphos?
Dociloquum, credo, labor iste gravaret Homerum,
Officio & genuit tali quem Mantua dignum.
Nec tentabo meis ultrà fastidia dictis

A *O juvenes inferre, calet quìs pectore sanguis,*
Et plectro meliore movet præcordia Clio.
Mille mihi satis est metris tetigisse labores. (64)
Mævius atque licèt videar, vos este Marones,
Et post Imperii diadema resumite laudes. (65)

vientes, atque Beati Clementis humatum corpus custodientes Monachos de ejusdem Monasterii rebus absque legali judicio devestire audeat, eisque quamlibet inferat violentiam, atque injuriam: sed liceat illis quieto ordine, quieta pace omnes prædicti Monasterii res tenere, & frui, Deumque pro nobis cotidie exorare absque contradictione cujusquam. Si quis ergo hoc nostræ confirmationis præceptum infringere, vel violare tentaverit, sciat se compositurum auri optimi libras ducentas, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem prætaxato Monasterio, ibique Domino famulantibus. Quod ut veriùs credatur, diligentiùsque observetur, manu propria roborantes, de anulo nostro subter assignari jussimus. Signum domni Berengarii Piissimi Imperatoris. (Ibi Monogramma) *Johannes Episcopus, & Cancellarius ad vicem Ardingi Episcopi, & Archicancellarii recognovi, & subscripsi. Data XII. Kalend. Novembreis anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo septimodecimo, domni verò Berengarii Piissimi Regis tricesimo, Imperii autem sui secundo, Indictione quinta, Actum in Piscaria in Christi nomine feliciter. Amen.* Ibi depictus est Berengarius Imperator cum tunica talari cincta, & cum trabea, coronatus, sedens in sella Regia cui pulvinus impositus, sceptrum dextrà tenens, sinistrà manu longum volumen chartarum à Monachis Casauriensibus suppliciter sibi oblatum comprehendens confirmantis more, modoque. Ad quæ Chronici Casauriensis auctor, Johannes ejus loci Monachus hæc adnotat. *Hac tempestate nutu Dei quidam Imperator Augustus nomine Berengarius accessit ad has regiones. Quem adierunt Fratres,* (Casaurienses) *& depositis coram eo suis miseriis, & ruinâ Monasterii, & gloriâ, in qua fuerat temporibus Ludovici: acceperunt Præceptum ab eo ut Abbatem eligerent, & quæcumque de jure Monasterii fuerant re-*

colligerent, congregationem ad priorem statum reducerent, & nihil de dignitate Monasterii perire permitterent. Sanè ipsa Præceptalis pagina, quam de libertate, rebus & dignitatibus Monasterii ad instar priorum Imperatorum idem Augustus fieri jussit, sigillo, & signo nominis ejus fuit impressa, & insignita, & Monasterio porrecta, & habita: & ejus exemplo in instrumentali volumine pro recordatione descripta sic est. De eligendi tamen Abbatis facultate Monachis data, nihil in superioribus litteris Berengarii invenitur: itaut si Johannes Chronici auctor non erravit, aliquid in his litteris desiderari, & omissum esse à librario videatur: sed B apertè *Imperatorem Augustum* seipse ibi Berengarius appellat, & annis regni sui in Langobardia annos Imperii sui subjungit, Dominumque Ludovicum juniorem Augustum *consobrinum* suum quater appellat: ne quis dubitet ipsum & Imperatorem exstitisse, & Imperatorio Caroli Magni genere ortum esse.

(63) E' Syrtibus sumtas arenas manu includere.

(64) Sufficit mihi mille versibus labores Berengarii Principis, pugnas, victorias, incommoda etiam ipsius, & triumphalem in Urbem adventum, promotionemque ad Imperium enarravisse. Versus suos non accuratè numeravit Panegyristes. Sunt enim mille, & LVIII. quibus non adnumerantur Prologi versus XXXII. seu XVI. disticha.

C (65) Hortatur juvenes Poeta, quibus & sanguis calidior, & vena melior sit, ad laudes Berengarii canendas, & ait se usque ad Imperatoriam coronationem de tanto Principe pro viribus suis retulisse: ipsos sibi succedere, & res à Berengario postea gestas feliciore stilo persequi oportere. Quæ verba indicant, & senem hunc Poetam, & Berengarii æqualem fuisse.



CHRO-

CHRONOLOGIA
PANEGYRICI
IN BERENGARIUM AUGUSTUM.

DCCCLXXXVII. Berengarius jam Rex Italiæ mense Majo illius anni, uti ex diplomatibus patet.

* *DCCCLVIII. Arnulfo Italiam aggredi complacuit, sed Berengarius parumper antea cum* Widone *dimicans, ne Italicum Regnum nova damna pateretur, Opido Tridentino Regi se præsentavit. Ob id ergo à Rege est clementer susceptus, nihilque ei Regni abstrahitur.* Annal. Fuldens.

DCCCLXXXIX. Berengarius à Widone *victus videtur. Ab hoc anno, vel fine prioris annos Regni computavit* Wido *ex alterutro sequentium diplomatum datorum:* 7. Kal. Junii 890. anno Dom. Widone in Italia Regnante primo. *Et:* 9. Kal. Martii ann. Incarn. 891. anno Regni tertio.

DCCCXCI. 9. Kal. Martii Wido *Imperator coronatus est, quod ex diplomatibus patet. Hoc anno, vel potiùs proximi initio Zuentiboldum filium ad opem Berengario ferendam videtur misisse Arnulfus, commotus fortasse ipsa coronatione* Widonis. *Quod apud Poëtam nostrum filium ad iter exortans indicare videtur verbis:* rutilam donec veniatur ad aulam Clavigeri. *Berengarii autem res ita fractæ erant, ut sub anni hujus exitum etiam Verona in potestate* Widonis *fuisse videatur, cùm mense Novembri Ferrariæ agens Ecclesiæ Veronensis privilegia confirmarit. Et huc pertinet quod Arnulfus filio ait Berengarium* propria in aula vexari.

DCCCXCII. Initio hujus anni, vel fine præcedentis Wido *filium quoque Lambertum Augustum renunciari, coronamque Imperii ei imponi curavit. Nam annus 896. in diplomatibus, dicitur* annus Imperii ejus quintus, & 898. septimus.

DCCCXCIV. Arnulfus, cùm Berengarius se Italiam ei subjicere, idest Regnum ipsius beneficio tenere promisisset, Alpibus superatis, Bergomum expugnavit. Ottonem Saxonum Ducem (*Henrici Aucupis patrem*) *Mediolanum tueri jussit, ipse Ticinum ivit; atque inde per Burgundiam Rudolpho Rege victo in Germaniam rediit. Regni Italici coronam sumpsisse apparet; Nam diploma extat.* 4. Kal. Mart. anno Domini 896. Regni Arnulfi Regis in *Francia nono, in Italia tertio. Eodem anno obiit Wido. Nam diploma extat fine Decembris hujus anni,* anno ab obitu Widonis primo. *Lamberto favit Formosus, eumque Imperatorem agnovit, ut ex epistolis cum Fulcone Remensi Episcopo* Widonis *consanguineo (apud Flodoardum) commutatis apparet.*

DCCCXCVI. Arnulphus in Italiam rediens (invito, ut apparet, Berengario, qui cum Lamberto fœdus percusserat) Romæ coronatur.

DCCCXCVIII. Lambertus obiit; ut patet ex literis Benedicti Papæ IV. ad Galliarum *Episcopos* anno II. post obitum Landeberti Imperatoris Augusti, Indictione III. *idest anno 900. datis. Hoc anno 898.* Bertildam *conjugem Berengarii (cui postea venenum propinavit) adhuc vixisse ex diplomate elucet, quod Rex iste* 8. Idus Novembris 898. anni Regni XI. Papiæ *(receptæ post obitum, ut videtur, Lamberti) Regiensi Ecclesiæ dederat.*

DCCCXCIX. Prima Ludovici Bosonis filii expeditio in Italiam, quam tamen mox ejuravit, in angustias à Berengario redactus. Arnulphus obit 3. Kal. Decembris.

DCCCCI. Ludovicus Bosonis filius Imperator coronatus est. Extat diploma 10. Kal. Junii 901. anno Imperii ejus primo. Berengarius regno pellitur.

DCCCCII. Ludovicus Veronæ capitur, & obcæcatur. Berengarius Papiæ dat diploma 7. Idus Augusti.

DCCCCIV. Vixit adhuc Bertilda ejus uxor.

DCCCCXVI. Berengarius ipsa die Paschatis, ut noster Poëta habet, Imperator est Coronatus, teste diplomate mense Martio *hujus anni dato. Die autem XXIV. Martii Pascha hoc anno est celebratum.*

* Corrige *DCCCLXXXVIII.*

PALATINI SOCII
In Synodum Ticinensem ab Episcopis Regnique Proceribus celebratam pro electione, seu confirmatione Widonis in Regem Italiæ.

Quanti semper apud Eruditos fuerint antiqua rerum monumenta, quæ præteritorum temporum Historiis aliquid lucis afferre possent, nihil luculentiùs probat quàm plausus ipse, quo ab universis Literarum cultoribus exceptæ fuerunt lucubrationes Doctissimorum Virorum Dubleti, Sirmundi, Labbei, Acherii, Chesnii, Mabillonii, Balutii, Leibnitii, ac cæterorum, qui hujuscemodi plura cùm ex publicis, tum ex privatis Archivis, dum ultimum cum blattis, ac tineis conflictum agerent colligentes, oblivioni eripuerunt, atque amplissimis digesta voluminibus publico Reipublicæ Literariæ bono consulentes ediderunt. Hoc potissimùm argumento excitati non injucundam Lectoribus navare operam credimus, si quæ nobis occurrunt Monumenta Historiæ illustrandæ idonea, suo quæque loco in hanc Scriptorum seriem inferamus. Id jam supra præstitimus, Bullam Paschalis PP. I. ad Petronacium Ravennæ Archiepiscopum Pontificali Ravennati adjicientes; id & in præsenti facimus, Acta Synodi Papiæ pro electione, seu confirmatione Widonis in Regem Italiæ habitæ, nunc primùm in lucem proferentes, non magnæ quidem molis Documentum, sed tamen Lectoribus non contemnendum, nec fortasse inutile. Cùm enim in præcedenti Panegyrico *de Laudibus Berengarii Augusti* frequens habeatur Widonis mentio, quidquid ad ejus vitam illustrandam conferre potest, non nisi opportunè hoc loco occurret, præcipuè cùm res in Italia gestæ nono Sæculo, quo Cæsar prædictus floruit, altâ plerumque jaceant caligine obductæ, quod an inopiæ Auctorum qui easdem posteris demandarent, an temporis injuriæ, quod eorum scripta voraci dente consumserit, tribuendum sit ambigimus. Illud certum est Scriptores omnes, qui de Widone loquuntur, in Annales suos retulisse Regium titulum ab eo assumtum fuisse, nullum, quem viderimus, eidem ab Episcoporum Procerumque Italiæ Synodo Papiæ collatum, dicere. Hoc autem documentum in nostras fortè manus incidit dùm instructissimum Bobiensis Monasterii Sancti Columbani Tabularium inviseremus, quod nuper maximâ diligentiâ atque ære multo disponi curavit, atque amplissimo Membranarum Indice locupletari D. Michaël Pius de Magistris ejusdem Cænobii Abbas, qui nos humanissimo susceptos hospitio facilem ad quæque cùm videnda, tum etiam excribenda ingressum concessit. Verùm antequam id propiùs aggrediamur non abs re fore putamus aliqua de Widone ipso primùm Italiæ Rege, postmodum Imperatore, ac de ejusdem æmulo Berengario primo hujus nominis præfari. Quamvis enim hanc spartam multa jam eruditione, multoque labore adornaverit V. Cl. Hadrianus Valesius, qui ex variis Chronicorum ejusdem ævi Scriptoribus, cæterisque Historicis quidquid de Berengario, ac Widone notatu dignum invênit, ad illustrandum Panegyricum, quem edidit, in suis contulit notis, doctisque auxit animadversionibus, quas in hujus voluminis præcedentibus foliis videre licet; non ideo tamen desunt, qui in ratione temporum assignanda ipsum aliquando minùs accuratum fuisse dubitent. Nos verò omissis plerisque, quæ de Berengarii & Widonis origine, ac gestis fusiùs Auctores prosequuntur, ea tantùm brevi perstringemus, quæ ad tempus pertinent, quo Regium titulum, imperialemque dignitatem obtinuerunt; hoc autem ad indagandum tempus, quo Synodus ipsa celebrata fuerit, aliquid collaturum, credimus; Membrana siquidem, quam in Bobiensi Archivo asservari jam diximus, notis Chronicis, uti & Episcoporum Procerumque subscriptionibus destituta est. Ea enim quamvis eodem ferme Sæculo, quo Synodus celebrata fuit, conscripta sit, ut forma characterum, cujus specimen sequenti Tabulâ damus, ostendit, Scriptoris tamen inertiâ, qui dum illam ab Autographo excriberet, fortasse subscriptiones velut aliquid superfluum omisit, in hac parte mutila remanet.

Berengarium itaque Eberardi filium à Carolo tertio, quem Crassum Auctores nominant, in Italiam anno DCCCLXXXIII. missum, adversùs Widonem Spoletinorum Ducem, qui postea in Italia imperavit, refert Hermannus Contractus, cujus tamen sententiâ nihil memorabile gessit, cæli corruptione, & morbis per castra diffusis exercitum reducere coactus, quamvis cum eo dimicasse dicatur. Hæc prima Berengarii contra Widonem expeditio est, quæ tamen non pro vindicando sibi Italico Regno, sed pro eodem sub Caroli Crassi ditione servando contra Widonem, qui ipsum invaserat, suscepta fuit; Mortuo postmodum Carolo, *Regna quæ ejus ditioni paruerant*, inquit Annalista Metensis, *veluti legitimo destituta hærede in partes à sua compage resolvuntur. Et jam non naturalem dominum præstolantur, sed unumquodque de suis visceribus Regem sibi creari disponit*; Quâ quidem datâ occasione Berengarius, qui tunc temporis Forojulianorum Ducatum tenebat, Italiæ Regnum facilè occupavit, ac in urbe Ticino Regiâ Coronâ ornatus fuit, ut refert Poëta Anonymus in Carmine de laudibus Berengarii Augusti. Quo autem tempore id factum sit, nunc videbimus; sed priùs Caroli Crassi depositio ac mors examinanda; nusquam enim apud coævos, vel proximos Scriptores legimus aliquid à Berengario contra Carolum tentatum fuisse; imò post ejus mortem tantùm Berengarium ac Widonem se Reges Italiæ dixisse tradunt, Annalista Metensis, cujus verba nuper dedimus, Annalista Mailrosensis, Ethelverdus, Hovedenus, & alii; quapropter Berengarii Regnum solùm post Caroli mortem incipere clarè patet.

Annalista Metensis supra citatus refert Carolum mense Novembris circa transitum Sancti Martini Triburias venisse, ibique Conventum generalem convocasse, Optimatesque Regni cernentes non modò vires

vires corporis, sed etiam animi sensus ab eo diffugere, Arnulphum filium Carolomanni ultro in Regnum attraxisse anno DCCCLXXXVII. Idem Annalista refert Carolum obiisse pridie Idus Januarias, sepultumque in Augia Monasterio. Continuator Freherianus Annalium Fuldensium, ait eum die Iduum Januarii ultimum diem clausisse. Annalista Mailrosensis narrat Carolum ab Arnulpho filio fratris sui de Regno expulsum post quadraginta dies obiisse. Ethelverdus expulsum fuisse hebdomadas septem ante ejus mortem, Hovedenus verò paginâ 420. sextâ hebdomadâ ante obitum. Mabillonius de re Diplomatica libro II. capite XXVI. numero XVIII. *Domni Karoli depositio* (ait) *in Necrologio nostro Sancti Germani consignatur nonis Decembris*. Ex citatis ergo Auctoribus cognoscere licet Carolum ab Imperiali sede expulsum fuisse circa initium mensis Decembris anni DCCCLXXXVII. hoc est die Nonarum Decembrium, ac postea è vivis migrasse, seu pridie Idus Januarias, seu die Iduum ipsius mensis sequentis anni DCCCLXXXVIII., quamvis Annalistam Metensem de die mortis loqui, Continuatorem verò Annalium Fuldensium de die qua sepultus fuit, intelligi possit, ut etiam notavit Pagius in Critica ad Annales Cardinalis Baronii ad annum DCCCLXXXVIII. numero I. Cæterùm unius diei error in hisce vix curandus. Quod verò Hovedenus refert Caroli depositionem sextâ hebdomadâ ante mortem, Ethelverdus verò septimâ accidisse, facilè conciliari potest, si illum hebdomadas solùm completas, hunc etiam incœptam numerasse intelligas, quæ temporis calculum ineunti facilè patebunt. Quòd autem ejus depositio in Necrologio Sancti Germani notata, depulsionis à solio, non verò ejus sepulturæ tempus indicet, nemini dubium esse debet; sæpe enim in Necrologiis, ultra emortuales Monachorum insigniorumque personarum dies, etiam res majoris momenti quæ accidebant, notabantur, ut Auctores non uno loco observant; maximè cùm Carolum non in eo Cœnobio, sed Augiæ sepultum viderimus.

Ejusdem Caroli effigiem sequenti tabula dare placet in eorum gratiam, qui harum rerum studio capiuntur: eam autem diligenter delineari curavimus ex cæreo Sigillo, affixo ejusdem Diplomati, quod in favorem Richindæ Abbatissæ Sanctæ Mariæ Theodotæ Papiensis dedit sub his Chronicis notis. *Data secundo Nonas Decembris Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXI. Indictione XIIII. Anno vero Imperii Piissimi Imperatoris Karoli Primo. Actum ad Mediolanum in Dei nomine feliciter Amen*. Hæc autem effigies notabiliter ab illa differt, quam Joannes Michaël Heinecius in Syntagmate historico de veteribus Germanorum, aliarumque nationum sigillis ex Paderbonensi Diplomate pagina 89. in medium profert, tum quòd in sigillo Paderbonensi, clipeus, ac vexillum appositum sit, quæ in nostro desiderantur, tum etiam quòd illius perigraphes sit *Karolus Imperator*, nostri autem Karolus MPAGS more sæculi, seu *Imperator Augustus* implicatis literalibus notis; quapropter vel Paderbonense sigillum, non Caroli Crassi, sed alterius Caroli credendum est, vel falsum ipse Carolus duo diversa sigilla adhibuisse dicendus: attamen ejusdem Caroli plumbeam Bullam protulit Mabillonius in supplemento sui operis de re Diplomatica, quæ nostro sigillo prorsus simillis reperitur.

Sed ut ad Berengarium redeamus tum ex iis quæ suprà dicta sunt, tum ex ejusdem Diplomatum subscriptionibus, quas infra dabimus, patet ipsius Regni initium non esse statuendum, nisi post Idus Januarias anni DCCCLXXXVIII., quibus Carolus obiit. Hinc erroris arguendus est Leibnitius, qui in Chronologia Panegyrici in Berengarium Augustum, quam præcedenti pagina 415. videre licet, Berengarium mense Maji anni DCCCLXXXVII. jam Regem fuisse, hocque ex Diplomatibus ejusdem evinci asserit; verùm, quod Viri de literis optimè meriti pace dictum sit, Diplomata aliquot fortasse existere quæ hoc probare videantur, non negamus, sed in ipsorum notis Chronicis errorem irrepsisse facilè credimus, quod in Diplomatibus etiam non vitiatis, scribarum incuriâ interdum accidisse, jam notum est; plura enim & nos vidimus Diplomata Authographa, atque optimè notæ, quæ Regni Berengarii initium, ab anno DCCCLXXXVIII. constanter repetunt, ut mox ostendemus. Sed ut hæc clariùs pateant, (juvat enim obscuri sæculi Chronologiam illustrare) videndum est, quæ annos computandi methodus tunc temporis apud Italos vigeret; cùm enim Scriptorum nonnulli annos à Christi Nativitate ordirentur, alii ab Incarnatione, horum autem calculus annum à Nativitate computatum, vel novem mensibus anteverteret, vel tribus mensibus subsequeretur, nisi hæc rectè perspecta sint, vix unquam alicujus facti certum tempus assequemur. Coarruvias (cujus auctoritate utuntur Mabillonius de re Diplomatica libro II. capite XXXIII., & Ducangius in Glossario ad verbum *annus ab Incarnatione*) Tomo II. *resolut. variar. lib. I. capite XII. num. I.* hæc habet: *Sunt qui ab Incarnatione Jesu Christi: idest à vicesima quinta die Martii annos dinumerant: nam & hujus moris meminit Text. in Capitulo I. distinct. XXIII. & Castellæ Rex Alfonsus in procemio illius Regiarum Constitutionum operis, quod septem partitum appellamus. Sed Pisani initium anni incarnationis adsumunt novem mensibus ante nativitatem: qua ratione annus à nativitate quinquagesimus, erit & ejusdem numeri ab incarnatione usque ad vicesimam quintam diem Martii: & ab eo die, qui est quinquagesimus annus à nativitate, erit quinquagesimus primus ab incarnatione: qui quidem usus potiùs placuit quibusdam, quàm is, quo Florentini utuntur tribus mensibus post nativitatem incipientes numerum annorum incarnationis, unde juxta computationem hanc annus quinquagesimus à nativitate, usque ad vigesimam quintam diem Martii, erit quadragesimus nonus incarnationis: at ab eo die erit quinquagesimus incarnationis simul & nativitatis, qui tandem usus apud Romanam Curiam omninò servatur: quod apparet ex literis Clementis Septimi, quarum meminit Joannes Lucidos dicto Capitulo III. probatque Rota in noviss. 108. scribens, secundùm cursum Romanæ Curiæ annum incarnationis incipere post Nativitatem Christi: quasi, quod apertius est, annus incarnationis incipiat vigesima quinta die Martii, postquam jam inceperat annus nativitatis vigesimâ quintâ præcedentis Decembris. Cæterùm quod eadem Rotæ decisio subdit, juxta consuetudinem Angliæ, & Franciæ incipere annum Incarnationis post mensem Martii, est ita interpretandum, ut sciamus annum Incarnationis apud Gallos, & Anglos incipere à die ipso Paschæ Resurrectionis, non à vigesima quinta die Martii. Nec tamen ex hoc infertur Gallos enumerare annos Domini à Resurrectione, quæ contigit triginta tribus annis post Nativitatem, sed proculdubio enumerant ab Incarnatione, initium sumentes ab insigni die, nempe à Paschæ Resurrectionis &c.*

Puricellus noster in monumentis Basilicæ Ambrosianæ ad annum Christi DCCCLXVI. paginâ 199. annos ab Incarnatione computandi morem apud Italos invaluisse his verbis insinuat: *etenim per ea*

tempora tam nostri Archiepiscopi, quàm Imperatores, & Italiæ Reges, Annum quemque Christi computabant ab ejus Incarnatione, idest à vigesima quinta Martii mensis die; cùm alioquin Romana Ecclesia computare soleret ab ejusdem Christi Nativitate, sive à Calendis Januarii ad alteras subsequentis Januarii Calendas; Hæc Puricellus, qui utrum Pisanorum methodo, an Florentinorum uterentur non indicat, cùm tamen à prima ad secundam integrum unius anni discrimen intercedat, cui potissimum tribuendum credimus, quòd Auctores in referendis præcipuarum rerum eventibus uno anno plerumque discrepent. Ex his ergo cognoscimus Pontifices eo tempore annos à Christi Nativitate, hoc est à die XXV. Decembris, vel forsan etiam interdum à Calendis Januarii inchoare consuevisse, cæteros verò Italiæ populos ab Incarnatione, scilicet à die XXV. Martii, hoc tantùm discrimine, quòd aliquorum annus præcederet novem mensibus annum à Nativitate ejusdem numeri, aliorum verò tribus mensibus tardiùs inciperet, ex quo sequitur, in primo casu menses omnes, qui inter XXV. Martii, & XXV. Decembris comprehenduntur anni numerum sortiri unitate majorem, quàm annus à Nativitate tunc currens haberet, reliquos verò menses Januarii videlicet Februarii, ac Martii, cùm in sequentem à Nativitate annum inciderent, ejusdem cum illo numeri esse, secus autem in secundo casu novem primos menses eodem cum anno à Nativitate numero signari, reliquos verò tres menses unitate ab eo deficere. Id autem quod de anno Incarnationis à die XXV. Martii incipiente, dicimus, non ita intelligendum est, ut negare videamur annos Incarnationis à Paschatis Solemnitate aliquando numeratos fuisse in Italia, & maximè apud Insubres; id enim sæculo potissimum XII. passim usurpatum fuisse clarè innuit Puricellus paginâ ibidem 750., 751., & alibi, quod tamen an etiam Berengarii tempore in usu fuerit infra videbimus.

His breviter non extra rem nostram indicatis, videndum est, quo calculo annos ab Incarnatione in suis Diplomatibus numeraverit Berengarius; ubi enim id assequi liceat, neutiquam dubitamus certam ejus Regni Epocham ex iisdem Diplomatum subscriptionibus nos assignare posse. Sed hoc non aliunde certè, quàm ex ipsis subscriptionibus indagandum est; De hoc tamen priùs Lectorem monitum volumus, ut inferiùs dicenda clariùs intelligantur, nos scilicet pro certo assumere Indictionem in Italia nono & decimo, ac sequentibus Sæculis non aliam plerumque usurpatam fuisse, quàm Constantinopolitanam, quæ à Calendis Septembris incipiebat; hoc autem & si alioquin jam cunctis notum sit, clarè evincitur ex Cedreno, ex Paulo Warnefridi libro II. capite XXV., aliisque Scriptoribus, tum maximè ex Testamento Ansperti Archiepiscopi Mediolanensis, cujus Authographum quod in Tabulario Monasterii Sancti Ambrosii Mediolani asservatum vidimus, (& cujus etiam meminit Tristanus Chalcus ad annum DCCCLXXIX.) clauditur his verbis: *Anno Regni secundo* (intellige Carlomanni) *decimo die mensis Septembris ingrediente Indictione tertiadecima, actum in Civitate Mediolanium*, uti etiam ex Charta quam refert Puricellus supra citatus paginâ 430., quæ sic clauditur: *Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo quinquagesimo tertio, anno verò Imperii Domni Secundi Henrici Imperatoris septimo, anno octavo Episcopatus Domni Widonis, quinto die mensis Septembris, ingrediente Indictione septima*, ubi vides Indictionem incipere à Calendis Septembris, non à die XXIV. ejusdem mensis, ut Papebrochius in Propilæo paginâ * 151., nonnullique alii tradunt. Excipienda tamen sunt Pontificum Rescripta, in quibus Indictio vel à Calendis Januarii, vel ab ipsa Christi Nativitate plerumque incipiebat; sed hæc nihil ad rem præsentem. Insuper monendum est annos ab Incarnatione à nobis computari juxta Æræ vulgaris calculum, nulla habita ratione differentiæ quatuor annorum, quibus eam à vero Nativitatis Christi tempore deficere tradunt recentiores Chronologi.

Plures Berengarianorum Diplomatum subscriptiones hîc nobis afferre liceret, quas apud Auctores passim offendimus, in quarum tamen notis chronicis errores frequenter nimiùm occurrere, cuilibet eas attentiùs consideranti facilè patebit, cujus rei exempla etiam dedimus in Dissertatione ad Bullam Paschalis PP. I. nota IX. & XI., eos autem Typographorum, ac Scribarum incuriâ plerumque irrepere credimus, interdum etiam quòd Scriptores Authographis, & Apographis indistinctè utantur, cùm tamen in secundis, Notariorum in intelligendis antiquis characteribus imperitia erroribus frequentissimis locum dederit. Hinc sequitur Auctorum calamum in explicandis alicujus Diplomatis notis chronicis mirum in modum torqueri, novasque interdum excogitari Epochas, quæ pura sunt figmenta, ut ea Pagii ad annum DCCCXXI. numero II. pro explicanda confirmatione donationis à Lothario factæ Cœnobio Grandivallis, de qua meminimus in præfata Dissertatione ad Bullam Paschalis PP. nota XI., cùm tamen ubi Authographa ipsa consuluissent, perspectum illico iisdem fuisset, se unico Scribæ, aut Typographi errore confundi. Nos ideo iis tantùm utemur subscriptionibus, quas ab Autographis integris, nulloque, quantùm attentâ observatione cognoscere licuit, vitio affectis, excripsimus. Harum verò quinque in Monasterio Sanctæ Mariæ Theodotæ Papiensis nuper vidimus, cunctisque videre licet, Monialibus humanissimè annuentibus, quarum prima donationem claudens à Berengario factam Curtis de Prato Plano Annæ, quam Conjugem suam dilectam nominat, hæc est. *Data VI. Idus Septembris anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXX. Domni vero Berengarii Serenissimi Regis XXXIII. Imperii autem sui VI. Indictione IX. Actum Papiae in Christi nomine feliciter Amen*. Idus Septembris anni ab Incarnatione DCCCCXX., Pisanorum calculo, incident in annum à Nativitate DCCCCXIX., cui post Calendas Septembris competit Indictio octava, non nona; si verò Florentinorum more annum inceptum intelligamus, Idus ejus mensis cadunt in annum à Nativitate DCCCCXX., cujus Indictio post Calendas Septembris nona est. Hinc colligas in hoc Diplomate annos computatos videri more Florentinorum, & annum Imperii sextum comparari cum anno Regni trigesimo tertio, atque inde Regni initium desumi ab anno Christi DCCCLXXXVIII., Imperii ab anno DCCCCXV. Pagius ad annum DCCCCXV. numero IV., & sequentibus Berengarii Imperium à die Paschatis anni DCCCCXVI. auspicandum contendit: Subscriptiones tamen, quas affert, inter se certant; altera enim Calendis Septembris data annum Regni XXIX. cum primo Imperii copulat, altera VII. Calendas Januarii annum Regni XXXI. cum IV. Imperii; quare in ipsis errorem suspicari licet. Sigonius anno DCCCCXV. Berengarium Imperio potitum affirmat. Hadrianus Valesius jam citatus hoc nonnisi anno DCCCCXVI. accidisse refert; hinc veritatem assequi ille solùm poterit, qui plura Authographa anno Imperii signata ad manus habeat. Interim observatione dignum est quòd Anna,

Anna, cui Berengarius curtem de Prato Plano donat, ejus Conjux dilecta vocetur; Bertilam enim ipsius Uxorem fuisse Auctores tradunt, quam ob violatam nuptialis thalami fidem primò ejectam, dehinc veneno sublatam docet Poëta Anonymus in Carmine Panegyrico de laudibus Berengarii Augusti; ipsum autem aliam Conjugem nomine Annam duxisse, alibi non legimus. quàm in hoc documento, quod tamen ejusdem rei certissimum argumentum esse debet. An verò Gisila Berengarii filia, quam Adalberto Eporediæ Marchioni nuptam, ac Berengarii Secundi matrem fuisse observat Hadrianus Valesius in notis ad Panegyricum supra citatum, Bertilæ filia, vel Annæ fuerit, nobis adhuc non constat.

Secundum Diploma, quo conceditur Risindæ Abbatissæ Sanctæ Mariæ Theodotæ pars quædam Muri publici civitatis Papiæ sic notatur: *Data IV. Idus Augusti Anno Dominicae Incarnat. DCCCCXIII. Domni vero Berengarii Piissimi Regis XXVI. Indictione I. Actum Papiae in Christi nomine feliciter Amen*. Huic anno secundùm Pisanorum calculum competeret Indictio XV., non I., quæ calculo Florentinorum optimè convenit; annus autem Regni XXVI. incipit, ut in præcedenti, ab anno DCCCLXXXVIII.

Tertium, quo datur facultas prædictæ Risindæ Abbatissæ ædificandi Castella & Propugnacula super bonis sui Monasterii, sic habet: *Data X. Kalendas Augusti anno Dominicae Incarnationis DCCCCXII. Domni vero Berengarii Serenissimi Regis XXV. Indictione XV. Actum Papiae in Christi nomine feliciter Amen*. Pisanorum calculo huic anno Indictio competeret XIV, Florentinorum verò XV. optimè convenit; annus autem Regni XXV. desumitur ab anno DCCCLXXXVIII., ut in superioribus.

Quartum pro confirmatione omnium bonorum supradicti Monasterii his verbis clauditur: *Data V. Idus Martii, anno Incarnationis Domini DCCCIC. anno vero Domni Berengarii Gloriosissimi Regis XIII. per Indictionem III. Actum Papiae Palatio in Dei nomine feliciter Amen*. Quamvis in notis chronicis Diplomatum, quæ hactenus dedimus, Indictiones ostendant Berengarium annos Incarnationis incipere Florentinorum more, nusquam tamen id clariùs patet, quàm in hac subscriptione, in qua Indictio tertia nec convenit calculo Pisanorum, quia secunda esse deberet, nec anno à Nativitate incœpto, cui pariter secunda competeret, sed tantùm Florentinorum calculo juxta quem menses Januarii, Februarii, ac Martii, anni ab Incarnatione DCCCIC., incidunt, ut supra diximus, in annum sequentem, hoc est à Nativitate DCCCC., cujus Indictio tertia est. Annus verò Regni tertius decimus numeratur hìc etiam ab anno Christi DCCCLXXXVIII.; si enim ab anno Æræ vulgaris DCCCC., in quem cadunt Idus Martii prædicti anni ab Incarnatione DCCCIC., deducas annos Regni completos duodecim, remanet annus DCCCLXXXVIII. prædictus, in quo, quinto Idus Martii, Berengarius jam regnabat.

Quintum denique, quo confirmantur nonnulla bona ejusdem Monasterii ita signatur: *Data V. Calendas Aprilis Anno Incarnationis Domini DCCCIIC. Anno vero Regni Domni Berengarii Gloriosissimi Regis XII. Indictione II. Actum Papiae Palatio Regio in Dei nomine feliciter Amen*. Hæc subscriptio sic jacet in Authographo, quod attentè inspeximus; attamen vel errorem in diem mensis irrepsisse, vel annum Incarnationis non à die XXV. Martii, sed à die Paschatis incipere, dicendum est. Secundum, quamvis à nobis non improbetur. unico tamen innixi exemplo asserere non audemus; eo enim sæculo annos in Italia à Paschate numeratos fuisse, nobis satis adhuc non constat; primum verò interdum accidisse, plura nos exempla monuerunt, quod & in hoc casu evenire potuisse facili Scriptoris lapsu, qui *V. Calendas Aprilis*, fortasse pro *X. Calendas*, scripserit, nemo inficiabitur. Hoc certum est, si anni initium desumatur à die XXV. Martii, errorem in die mensis necessariò admittendum esse; cùm enim præcedens Diploma, datum sit V. Idus Martii anni ab Incarnatione DCCCIC. Regni XIII., Indictione III. quos characteres in annum à Nativitate DCCCC. incidere notavimus, præsens ab illo differre non potest nisi unius anni intervallo, ut Indictio, & annus Regni ostendunt; sed si datum esset V. Calendas Aprilis anni ab Incarnatione DCCCIIC., non in alium annum incideret, quàm in DCCCIIC. à Nativitate; annus siquidem ab Incarnatione DCCCIIC. jam incœperat à die XXV. Martii, cui Indictio prima, non secunda, competit, annusque Regni non XII, sed XI., ideoque duobus differret annis; hinc error in die mensis necessariò agnoscendus est. Si autem placeat annum à Paschate exordiri, cùm hæc solemnitas anno à Nativitate DCCCIC. celebrata fuerit die Calendarum Aprilis, V. Calendas, adhuc currebat annus ab Incarnatione DCCCIIC in Diplomate enunciatus, qui tamen in annum à Nativitate DCCCIC. incidebat; huic autem Indictio II., & annus Regni XII optimè conveniunt. Idem erit si errorem in die mensis admittamus, ac decimo Calendas, pro quinto Calendas supplere placeat; tunc enim Diploma datum erit ultimis diebus anni ab Incarnatione DCCCIIC., qui in annum à Nativitate DCCCIC incident, cujus Indictio est II., annusque Regni XII. Alterutrum verò credere lubeat, hoc etiam Diplomate confirmatur Berengarii annos non alio, quàm Florentinorum calculo numeratos fuisse, ejusque Regni initium ab anno Christi DCCCLXXXVIII repetendum esse.

In Bobiensi quoque Tabulario duo vidimus Berengarii Diplomata, quorum primum Apographum, sed valde antiquum in favorem Theodelasii ejus Monasterii Abbatis datum fuit Papiæ *XIV. Kalendas Novembris anno Incarnationis DCCCCIII., Regni Domni Berengarii XVI., Indictione VII.*, quæ notæ prædicto calculo optimè conveniunt. Alterum Authographum, quo confirmantur omnia privilegia Monasterii Bobiensis, sed mutilum in principio, & circa finem, in eo tamen sequentia clarè leguntur: *Anno vero Domni Berengarii Gloriosissimi Regis I. Indictione VI. Actum .... alia, Curte Regia ....* Indictio itaque VI., quæ in cursu erat anno Domini DCCCLXXXVIII copulatur cum anno primo Regni. prout in prædictis. Adest etiam in eodem Archivo Charta *Judicati* à Regiis Missis, & Judicibus Papiæ facti occasione controversiæ cujusdam inter Radaldum, qui dicitur *ilulster Marchio & Comes*, ac Theodelasium Abbatem ejus Monasterii, cujus bonorum partem Radaldus in Beneficium tenebat, quod ea ætate in more positum fuisse observat Clariss. Muratorius Antiquitatum Æstensium paginâ 151. Hæc autem Charta data fuit: *Anno Regni Domni Berengarii Regis Deo propitio XXVIII., mense Aprilis Indictione III.*, ideoque anno Christi DCCCCXV., prout Indictio ostendit. Tot ergo testimoniis satis superque probatum credimus Berengarii Regnum anno DCCCLXXXVIII. incipere; diem autem etsi indicare non licet, eam tamen post Idus Januarias, & ante V. Idus Martii mensis collocandam esse, ex prædictis patet. Plures Berengarianorum Diploma-

tum

tum subscriptiones his quas dedimus addere liceret, ex Puricelli Basilica Ambrosiana, Bullario Cassinensi, Ughelli Italia Sacra, Ferrerio de Episcopis Vercellensibus, Sigonio de Regno Italiæ, aliisque Auctoribus, quos omnes recensere longum esset; eas tamen eadem de causa, quam supra innuimus, consultò omittimus, iisque, qui alia Berengarii Authographa videndi copiam habent, relinquimus attentè perspiciendum, an illud idem, quod ex nostris deducitur, ex illis etiam confirmetur, quod & ita futurum non dubitamus. Diplomata verò ipsa integra dare, quod Italicæ Historiæ ornamento cederet, supersedemus, cùm in hujus Operis decursù Clarissimi Muratorii studio ac nostro hæc, cæteraque adhuc inedita, peculiari volumine colligenda sint.

His itaque paulò fusiùs non tamen abs re explicatis, ac Regni Berengarii initio, anno Christi DCCCLXXXVIII. & quidem ante mensem Martii, alligato, ad Widonem ipsum procedendum est. Joannes Papa VIII. in epistola CCXCIII. ad Carolum Crassum Imperatorem anno DCCCLXXXII., ut Pagio placet datâ, ait: *Nobis in Pentapoli hoc est in urbe Fano consistentibus, Adelardus Reverendissimus Episcopus, & delitiosus vester, communisque fidelis, secundum vestræ delegationis jussum advenit, & ibi præfati Widonis, & satellitum ejus qui nostra violenter tulerunt, ac retinuerunt, præsentiam præstolati sumus: quatenus vel inde omnis emendationis, & justitiæ cœpto initio, per cæteras urbes, de omnibus juxta clementiæ vestræ decretum, recipiendo coram legato vestro justitias, pariter proficisceremur: sed illo semper fugiente judicium, & vestræ jussionis piissimam sanctionem callidè declinando, non veniente, quia nobis sine profectu aliquo per ipsas civitates, quæ illorum gravamine opprimuntur, proficisci evidenter extitit manifestum*. Paulò post: *Nunc igitur pro certo scientes, nullam nos de tantis malis posse habere justitiam & emendationem, per quemlibet Celsitudinis vestræ Legatum, nisi per vestram Imperialem præsentiam; rogamus obnixè, atque per Omnipotentem Deum adjuramus, ut ad defendendam & liberandam de manibus malefactorum, qui eam atrociter devorant, Ecclesiam B. Petri Apostolorum Principis vobis comissam, &c. venire libenter dignemini*. Continuator Annalium Fuldensium à Lambecio editus, ad annum DCCCLXXXIII. hæc habet. *Imperator* (nempe Carolus Crassus) *omne tempus æstivum mansit in Italia, animosque Optimatum regionis illius contrà se concitavit, nam Witonem aliosque nonnullos exauctoravit, & beneficia, quæ illi & patres, & avi, & atavi illorum tenuerant multo vilioribus dedit personis. Quod illi graviter ferentes pari intentione contra eum rebellare disponunt, multo etiam plura quam ante habuerant vendicantes*. Hinc patet Widonem, Spoletinorum, ac Camertinorum Ducem, quem Scriptores aliquando Witonem, interdum etiam Guidonem nominant, vivente adhuc Carolo Crasso animum ad majora intendisse, atque extendendi dominii libidine bona Ecclesiæ ab eo usurpata, & Caroli Augusti jussa contempta fuisse adeo, ut Imperator, quemadmodum supra diximus, Berengarium contra ipsum mittere coactus fuerit. Erchempertus in Historia Langobardorum circa finem tradit Widonem ob Legatos in urbem Regiam, hoc est Constantinopolim missos, & ob pecuniam ab Imperatore Græcorum contra jus acceptam, captum ab Imperatore Carolo Crasso, & nisi fugâ evasisset, capitali pœna plectendum fuisse.

Mortuo postmodum Carolo Crasso Francici Regni obtinendi in spem erectus Wido, Gallias petiit, sed brevi re infecta, ac ejusdem potiundi spe ab Odone frustratus, coactis copiis in Italiam reversum fuisse, Camertibusque ac Spoletinis sibi adjunctis, invasisse Berengarii Regnum tradunt, Annales Fuldenses, Annales Metenses, Poëta Anonymus sæpe citatus, Regino, Erchempertus, Marianus Scottus, Liutprandus, aliosque ejus vel primi ævi Scriptores difficilè invenias, qui de hisce rebus loquantur. Horum igitur testimonio, duplici prœlio inter Widonem ac Berengarium pro Italiæ Regno decertatum est. Primum ad flumen Trebiam accidisse tradunt haud procul ab Urbe Placentia, in quo Poëta atque Erchempertus post magnam utrimque cædem Berengarium campo, ac hostium spoliis potitum referunt, alterum in agro Brixiano, ac in eo conflictu utriusque partis acies crudeliter cæsas, Berengarium tamen fusum fugatumque, atque à Widone Regno expulsum asserunt Liutprandus, ac Sigebertus. Erchempertus verò in Historia Langobardorum ad annum DCCCLXXXVIII., ait Widonem rediisse in Italiam, ibique apud Brixiam cum Berengario pugnasse, ac post magnam utrinque cædem spolia à Berengario collecta fuisse, quod tamen de primo prœlio prope Placentiam alii Scriptores tradunt. Veruntamen cùm in nostra Synodo Widonis hostes *bis jam fugâ lapsi* dicantur, Berengarium utroque prœlio fusum fugatumque fuisse, non temerè alicui suspicio erit. Rebus itaque Berengarii post secundum prœlium in deterius abeuntibus, ipse ab Arnulfo Germaniæ Rege suppetias adversùs Widonem imploravit, à quo Zuentibaldum nothum ipsius cum validâ armatorum manu in Italiam missum fuisse legimus; hic autem, postquam Widonem, qui intra Papiensis urbis mœnia se se receperat, frustrà obsedisset, rei difficultate territus, acceptâque à Widone, ut nonnullis placet, pecuniâ, signa collegit, ac domum inglorius reversus est. Sed hæc extra rem nostram.

Quod autem tempus respicit, quo Wido Italiæ Regnum obtinuerit, adhuc obscura res est, nec facilè enucleanda. Erchempertus in Historia Langobardorum ad annum DCCCLXXXVIII. Widonis ex Gallia in Italiam adventum recitat, pugnamque inter ipsum, ac Berengarium apud Brixiam urbem consertam enarrat; Poëta quoque Anonymus eodem anno Widonem invasisse Italiam, quo Berengarius ejus Regnum obtinuerat (nempe DCCCLXXXVIII.) libro I. insinuare videtur, quod etiam tradunt Regino, Annales Metenses, Annales Bertiniani, aliique. Liutprandus libro I. capite VI. secundum prœlium apud Brixiam, paucis diebus post primum apud Placentiam accidisse hisce verbis scribit: *Nec mora diebus paucis interpositis* (intellige post primum prœlium) *collectâ Berengarius multitudine in Brixiæ latissimos campos Widoni bellum parat, ubi quum maxima strages fieret fugâ se se Berengarius liberavit*. Poëta nuper citatus habet Widonem Italiam eo tempore invasisse, quo Berengarius Ticino aberat, *pacemque parabat Imperio*, hoc est dum pacem firmare satageret cum Arnulfo Imperatore, qui Italiam cum valido exercitu ingressurus per alpes Tridentinas descenderat; hujus pacis meminerunt Annales Bertiniani, Annales Fuldenses, Hermannus Contractus, atque alii, Annales autem Bertiniani Arnulfi in Italiam profectionem, & pacem eum inter ac Berengarium, circa finem anni DCCCLXXXVIII. secutam, tradunt. Hisce ergo testimoniis, (si integra fides Scriptoribus adhibenda foret) Widonem, vel in fine anni DCCCLXXXVIII. vel circa initium DCCCLXXXIX., Italiæ Regno potitum fuisse, statuere liceret; si enim Wido Berengarium aggressus est anno DCCCLXXXVIII., eodem scilicet anno, quo is Italiæ Regnum obtinuerat, ac eodem anno, quo cum Arnulfo pacem pepigerat; si etiam Berengarius Widoni Italiam ingredienti statim occur-

occurrit ad Trebiam amnem, ac si post primum prœlium ibi consertum, *diebus paucis interpositis*, ut habet Liutprandus, iterum prope Brixiam decertatum est, tanta Berengarianorum clade, ut ipse solio cedere coactus fuerit, necesse est Widonem aut in fine prædicti, aut circa initium anni DCCCLXXXIX. jam Italiæ Regnum occupavisse. His tamen Scriptoribus haud omninò fidendum esse fortasse aliquis dubitaverit, tum quòd in cæteris interdum parum accuratos cognoscere liceat, tum etiam quòd Sigonius, qui ex antiquis Documentis pleraque hausit, quamvis earundem notas chronicas mutilas ferè semper exhibeat, libro VI. de Regno Italiæ Widonem anno tantùm ineunte DCCCXC. Regni compotem factum fuisse asserat, quod cum supradictis non adeò facilè conciliari potest, nisi annos ab Incarnatione Pisanorum more numeratos cum annis à Nativitate eum confudisse putes; id autem de tantæ eruditionis Viro affirmare non audemus. Regium saltem titulum à Widone eo tempore usurpatum ostendit Diploma authographum, quod in Tabulario Monasterii Sanctæ Mariæ Theodotæ Papiæ vidimus, cujus hæc est subscriptio: *Data quinto Calendas Augusti anno Incarnationis Domini DCCCXCII. Regnante Domno Widone in Italia anno Regni ejus quarto Imperii primo Indictione nona. Actum Papiæ in Dei nomine feliciter. Amen*; Ex quo cognoscere licet Widonem annos non Florentinorum more, ut de Berengario supra vidimus, sed Pisanorum, numeravisse; etenim dies quinto Calendas Augusti anni ab Incarnatione DCCCXCII. Florentinorum calculo incidit in annum à Nativitate pariter DCCCXCII., cui Indictio decima competit; cùm autem Indictio Diplomatis nona sit, quæ præcedenti anno DCCCXCI. in cursu erat, ipsum datum fuisse quinto Calendas Augusti ejusdem anni, necessariò dicendum est, quod nequaquam fieri potest, nisi annos ab Incarnatione Pisanorum calculo numeres; tunc enim mensis Augustus anni DCCCXCII. incidet in annum à Nativitate DCCCXCI. ut alibi diximus. Cæterùm Widonem annos numeravisse juxta Pisanorum morem advertit etiam Papebrochius in Propilæo paginâ * 151., ubi Diploma ab eo in favorem Mutinensis Ecclesiæ *Datum X. Kal. Decembris Indict. X. anno Incarnat. DCCCXCII. Regnante Domno Widone in Italia anno Regni ejus IV. Imp. I.* juxta hunc calculum explicat de anno Christi DCCCXCI. Cur verò Berengarius Florentinorum more annos numeraverit, Wido autem, Pisanorum, frustra indagare studeremus, nec causam potiùs, quàm rem ipsam cognoscere prodest; Ex dictis patet Widonem Regni initium desumere ante Calendas Augusti anni DCCCLXXXVIII. Imperatoris autem titulum ab ipso usurpari ante Calendas Augusti anni Domini DCCCXCI. ex Papiensi Diplomate perspicuum est; Imò cùm Sigonius de Regno Italiæ libro VI. scripserit, quòd Wido jam Imperator, atque ex Urbe Roma Papiam reversus Conventum celebraverit, ac leges tulerit, quas Calendis Maji anno sui Imperii primo edidisse affirmat, ut infra videbimus, Imperialem dignitatem ante illud tempus Widoni collatam fuisse, concludendum putamus. Sigonius de Regno Italiæ loco citato ipsum IX. Calendas Martii anni DCCCXCI. à Stephano (Papa V.) Romæ coronatum fuisse Imperatorem tradit, quod cum prædicto Diplomate meliùs concordat, quàm quæ Papebrochius nuper citatus ex Flodoardo Histor. Rem. profert, nempe coronatum fuisse à Formoso PP. *Indictione X. ineunte, idest post XXIV. Septembris anni DCCCXCI.* ut habet epistola Formosi PP. ad Fulconem Archiepiscopum Remensem ab eo relata. Pagius ad annum DCCCXCII. numero III. hunc locum ita interpretatur, ut non Widonis coronationem Indictione X ineunte factam fuisse, sed epistolam ipsam sub illud tempus datam esse intelligendum censeat; verùm Widonem non à Formoso, sed à Stephano coronatum, ex ipsius Stephani Bullâ mox videbimus. Interim Papebrochii error fortasse est quòd Indictionem post XXIV. Septembris diem incipere dicat, cùm ea ætate à Calendis ipsius mensis in Italia numerari consuevisse exemplis jam supra probaverimus, nec aliter à Pontificibus usurpatam fuisse nobis adhuc constet, nisi quòd frequenter ab ipsa Christi Nativitate, interdum etiam à Januarii Calendis eam incœperint.

Puricellus accuratissimus Scriptor in Monumentis Basilicæ Ambrosianæ paginâ 257. refert Chartam donationis factæ ab Anselmo Mediolanensi Archiepiscopo, Ecclesiæ Sancti Ambrosii Indictione XI. anno ab Incarnatione Domini DCCCXCIII., qui in Charta ipsa nominatur secundus Imperii Widonis; annum autem & si ab Incarnatione numeratum, tamen cum anno Æræ vulgaris DCCCXCIII. concurrere Indictio probat; quod, nisi mensis omissus fuisset, nobis indicaret quo calculo annos ab Incarnatione tunc temporis Mediolanenses Archiepiscopi numerarent. Hucusque dicta de Widonis Imperio confirmat etiam Privilegium Stephani PP. (quem Baronius aliique VI. nominant, Pagius vero V. esse contendit) concessum Bernardo Episcopo, & Ecclesiæ Placentinæ apud Petrum Campi Histor. Placentiæ T. I pag. 472., in quo legitur: *Data quarto Kal. Martias per manum Zachariæ Primicerii Sanctæ Sedis Apostolicæ imperante Domno piissimo Augusto Wido à Deo coronato magno pacifico Imperatore anno I. & post* ...... (lege *Consulatum ejus*) *anno I. Indictione nona*; in eo enim annus DCCCXCI., cui convenit Indictio IX., vocatur primus Imperii Widonis, & quidem IV. Calendas Martii, quod, nisi Scribæ, vel Typographi errorem suspicari velis, Sigonii sententiam mirè confirmat, ac Baronii aliorumque, qui eum à Formoso PP. coronatum tradunt errorem indicat.

Si mendi expers est, ut credimus, Diploma quo Wido Ageltrudæ conjugi suæ donat Ticinense Monasterium Sanctæ Agathæ ab Ughello Italiæ Sacræ T. 2. colum 151. recentioris editionis Venetæ relatum, ipsum Imperiali diademate insignitum fuisse IX. Calendas Martii vix ultra dubitandum erit; in eo enim sic legimus: *Data IX. Kal. Martii Indict. IX. Anno Incarnat. Dom. DCCCXCI Regnante Domno Widone in Italia anno Regni ejus III. Imperii illius die I. Actum Romæ in Dei nomine feliciter Amen*; hinc vides diem IX. Calend. Martii anni DCCCXCI. ejus Imperii primum nominari; dies autem IX. Calend. Martii anni ab Incarnatione DCCCXCI. Pisanorum more incidit in annum à Nativitate pariter DCCCXCI., quo Indictio IX. in cursu erat, ut ex iis quæ de varia annos ab Incarnatione numerandi methodo supra retulimus perspicuum est. Cætera Widonis Diplomata, quæ apud Auctores occurrunt, hìc recensere superfluum ducimus, cùm enim, ut jam alibi diximus, Scribarum & Typographorum erroribus non rarò scateant, vix ullius ad rem nostram usus forent. Ex hactenus dictis interim deducere licet, primò Widonem sui Regni initium ab anno DCCCLXXXVIII. auspicari, & quidem post IX. Calendas Martii, & ante V. Calendas Augusti; in Papiensi enim Diplomate dies V. Calendas Augusti anni ab Incarnatione DCCCXCII. (quem in annum à Nativitate DCCCXCI. incidere ostendimus) notatur *anno quarto Regni Widonis*, in

in altero verò favore Ageltrudæ, quod ex Ughello citavimus, dies IX. Calendas Martii ejusdem anni DCCCXCI. *anno tertio Regni* signata est, quod perspicuè ostendit tertii anni exitum, & quarti initium intra prædictos terminos versari, ac proinde Regni principium ex eo tempore desumi. Secundò, Imperii annos à die IX. Calendas Martii mensis incipere, ac denique Widonem à Stephano PP. Hadriani III. successore coronatum fuisse, quod tamen incertum esse putavit Hadrianus Valesius capite quinto Præfationum in Panegyricum Berengarii Augusti.

Sequenti Tabula Papiensis Diplomatis characterum specimen damus, Bullamque plumbeam ab ipso pendentem exactè delineari curavimus, ipsumque Widonis Diploma post Papiensem Synodum integrum recensemus, illis morem gesturi, quos pœnitior rerum notitia oblectat, quique obscuri Sæculi non modo gesta, sed etiam dicendi formulas, nomina, orthographiam, characteres, sigilla, cæteraque hujusmodi cognoscere cupiunt; Hæc autem Eruditis eo acceptiora fore credimus, quòd apud Mabillonium cæterosque, qui ex instituto de iis agunt, ea quæ ad Widonem spectant, frustra quæsierint.

Hactenus de Berengario, ac Widone fusiùs fortasse quàm par erat disceptatum est, nunc tandem ad Papiensem Synodum sermonem convertere juvat, ac in primis indagandum occurrit, quo tempore celebrata fuerit; Id autem facilè innotesceret, nisi Scribarum incuriâ, ut supra monuimus, hoc Documentum chronicis notis destitutum ad nos pervenisset. Cùm igitur neque ex ipso, neque ex ejus ævi Scriptoribus, apud quos nullam hujus Synodi mentionem offendimus, aliquid certi deducere liceat, conjecturis potiùs, quàm argumentis innitendum erit. Jam supra vidimus ex Chronicorum ejus ævi Scriptoribus Widonem circa initium anni DCCCLXXXIX. Italici Regni dominium obtinuisse, verùm an eorum sententiæ acquiescendum sit dubitavimus Sigonii auctoritate permoti, qui Papiam à Widone, exeunte tantùm anno prædicto, in potestatem receptam, sequenti verò anno DCCCXC. *Lombardiam*, in suam ditionem facili negotio redactam, tradit. Sigonii autem auctoritatem tanti facimus, ut non immeritò ambigendi nobis locum esse putemus de illis rebus, quas alii Chronistæ secus quàm ipse referunt; ille enim ea quæ scriptis consignavit, plerumque ex authographis Documentis ut supra diximus hausit, anilibus fabulis, atque credulæ nimis plebeculæ figmentis postpositis, quibus tamen antiqua Chronica non rarò scatere, notum est; in illis insuper res ipsæ, nullâ servatâ temporum ratione, sed præpostero sæpiùs ordine occurrunt, cui errori Sigonius quantùm potuit obviam ire studuit, accersitis in rem suam Imperatorum, atque Regum Diplomatibus, Pontificum Bullis, atque Episcoporum Synodis, quorum ope præcipuos rerum eventus certis temporibus alligare curavit. Cùm ergo juxta prædictos Scriptores Widonem anno DCCCLXXXIX., ad Regni dominium, fuso, fugatoque Berengario, pervenisse appareat, ac Sigonio etiam annuente circa ejusdem anni finem Papiensem urbem obtinuerit, quamvis sequenti tantùm, totius Regni possessionem adeptum esse dicat, eodem pariter tempore hanc Synodum celebratam fuisse credere licebit; maximè cùm in ipsa legamus, quòd Widonis hostes *bis jam fuga lapsi, ut fumus evanuerunt*, quod de duplici prœlio eum inter, ac Berengarium conserto intelligendum videtur, ac valde verosimile sit Widoni ab Episcopis Regium titulum tunc temporis solùm collatum fuisse, quando Berengarius, qui illum Papiæ pariter acceperat, dejectus, eidem sustinendo prorsus impar fuit, quod statim post secundum prœlium contigisse, probabile est. Neque hanc Synodum post annum saltem DCCCXC. retrahendam esse, illud nos persuadet, quòd sequenti anno DCCCXCI. IX. Calendas Martii, ut diximus, Wido Imperiali dignitate auctus fuerit, cujus rei mentionem nullam in ea legimus, cùm tamen ejus momenti res sit, ut inibi omittendam fuisse nullo pacto credamus. Cæterùm Widonem Regis titulum, atque munus ante hoc tempus usurpavisse, jam supra vidimus; quapropter confirmatam potiùs, quàm collatam illi fuisse Regiam dignitatem in ea Synodo, dicendum est.

Sigonius de Regno Italiæ libro VI. Leges nonnullas à Widone latas fuisse his verbis tradit: *Wido, ut se Pontifici gratum præberet, privilegia, ac dona à Pipino Rege, Carolo, & Pio Imperatoribus Romanæ Ecclesiæ data probavit: inde Papiam regressus solemnem regni constituendi causa conventum habuit, & beneficia Ecclesiis, ac Civitatibus more regio indulgere ingressus, Petro Duci Venetorum vetus privilegium de tuta, justaque rerum suarum possessione firmavit, ac Leges tulit, quas se Calendis Maji Papiæ anno Imperii sui primo edidisse scribit, quarum una hæc est*: „ Placuit nobis statuere, ut Episcopi, & „ Comites conveniant in suis parochiis, & comitatibus pro pace, & salute incolentium apud se, „ ita ut nullum prædonem, aut raptorem, aut incœstatorem permittant. Quòd si quos per fines „ suos transire velle ad hujus regni vastationem audiverint, obviam nuncios mittant, qui moneant, „ ut sine injuria, ac maleficio transeant. Curent autem, ut eis transeuntibus quæ necessaria sunt, „ solita mercede vendantur, si verò illi aliquid rapuerint, ab Episcopo, & Comite ejus loci ex „ banni nostri sententia solvant. Sin minus: ab Episcopo communione pellantur. Quòd si Comes „ populusque ipsos prædones invaserint, atque occiderint, ne quæstio de iis, qui ceciderint, habeatur. Si Comes hoc prætermiserit, proprio honore privetur, si vicinum suum auxilio advocare necesse habuerit, & ille recusaverit, similiter proprio honore nudetur, & triginta libras ar„ genti Comiti pendat „. *Eodem etiam mense, nempe XII. Kalend. Junii Stephanus Pontifex morte absumptus est*. Etc. Hæc Sigonius ad annum DCCCXCI., quæ fortasse alicui dubitandi ansam præbere possent, an nostra Synodus, ab eo Conventu, quem constituendi Regni causâ Wido Papiæ habuit, verè differat; attamen si conjecturæ in rebus dubiis locus est, tantum discriminis inter utrosque intercedere credimus, ut in unum confundendos nequaquam esse putemus. Ac primò nostra Synodus Widonem Regem semper, nunquam Imperatorem nominat, ut supra observavimus, quod tamen non dissimulandum fuisse, si jam Imperator extitisset, tum ratio, tum exempla nos monent, in altera enim Synodo Papiæ celebrata anno *Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVI. Indictione IX. mense Februario* apud Labbeum Conciliorum T. IX. colum. 283. Carolus II. non solùm Imperator nominatur, sed etiam ejus confirmatur dignitas. In Synodo Pontigonensi apud eundem Labbeum Tomo citato colum. 280. Carolus sæpius dicitur Imperator, cujus etiam rei exempla in aliis Synodis passim occurrunt. Secundò Lex à Widone lata, quam ex Sigonio retulimus, temporalem, ac pecuniariam mulctam transgressoribus infligit; in nostra autem Synodo Ecclesiasticæ tantùm pœnæ, atque

que anathemata decernuntur, quod clarè discrimen ostendit. Denique Wido prædictam Legem à se ipso constitutam apertè indicat tum iis verbis *placuit nobis statuere*, tum etiam sequentibus; cùm è contra in hac Synodo Episcopos Capitula per se ipsos sancientes facili negotio cognoscere liceat, maximè ex præscriptis numero V. XI. XII. & XIII. unde dilucidè apparet hæc Capitula ab Episcopis ipsis constituta esse, quorum conservationem Wido promisit, non verò Leges esse ab eo latas; maximè cùm Lex à Sigonio recensita cum nullo Capitulorum nostræ Synodi conveniat, quamvis eorundem dispositiones quoad rerum substantiam plerumque complectatur. Quamobrem credimus Widonem in Conventu Calendis Maji anno sui Imperii primo Papiæ celebrato, Capitula, quæ ab Episcopis jam priùs in Synodo constituta fuerant, in suis Legibus quoad substantiam renovasse, atque hanc Episcoporum Synodum nequaquam confundendam esse cum eo Conventu, quem solùm post aliquod temporis intervallum jam Imperator renunciatus, ac ex Urbe Roma Papiam redux convocavit. Cæterùm Regium titulum ab Episcopis Regnique Proceribus ea ætate collatum frequentissimè occurrit, quod etiam probant Concilium Matalense in quo Regis nomen Bosoni ab Arelatensis Regni Episcopis, Proceribusque delatum est; Conventus Agaunensis, in quo Rodolphus Conradi II. filius Rex Burgundiæ Jurensis dictus fuit; Concilium Valentinum in quo Regis nomen Ludovico Bosonis Regis filio ab Arelatensis Regni Episcopis, Proceribusque decretum est, pluraque alia Concilia, vel Synodi, quæ ne longiores simus consultò omittimus.

Cæterùm nostra Synodus in Bobiensi Charta non alium titulum præferebat, quàm sequentem: *Sinodus Episcoporum Papiæ*; eum autem parumper immutare non dubitavimus, opportunum rati, ut ea, quæ in ipsâ Synodo continentur primo ipsius tituli aspectu Lectoribus paterent, præcipuè cùm ex hoc nihil circa rei substantiam innovaretur.

Postremo loco Lectores monitos volumus Papiensis Synodi, ut etiam Diplomatis, quod post ipsam damus, orthographiam ac interpunctiones à nobis exhiberi prout in ipsis Authographis reperiuntur, quas, etsi obscuriorem interdum efficiant sensum, ac molliores aures offendere possint, non ideo tamen abrogandas putavimus, ut qua religione hæc à nobis edantur, manifestum fiat.

SYNODUS TICINENSIS

Pro electione, seu confirmatione Widonis in Regem Italiæ.

TITULI CAPITULORUM.

A

PRÆFATIO.

Post bella horribilia cladesque nefandissimas que meritis facinorum nostrorum acciderunt huic provincie disponente jura regni hujus cum tranquillitate sopitis hostibus suis insigni rege & seniore nostro Widone in aula Ticinensi nos humiles Episcopos ex diversis partibus Papiae convenientibus, pro Ecclesiarum nostrarum ereptione &....... cristianitatis salvatione quae pene jam ad inte- B ritum desolationis inclinata erat annuente nobis eodem principe in uno congregati sumus collegio ea videlicet ratione ut his per quos homicidia sacrilegia rapine & cetera facinora perpetrata erant dignam penitentiam ad capiendam salutem subtractis eis à malecepto negotio per veram confessionem Deo adjuvante imponeremus. ac ne ulterius tantum nefas excrescere aut vires tumere valeret pastorali provisione & auxilio regio compescen- D dum decrevimus.

CAPI-

 A

CAPITULA.

I.

IN primis oramus optamus operamque damus ut mater nostra sancta romana Ecclesia in statu & honore suo cum omnibus privilegiis & auctoritatibus sicut ab antiquis & modernis imperatoribus atque regibus sublimata est ita habeatur teneatur & perhenniter custodiatur illesa. Nefas est enim ut hec quae totius corporis Ecclesiæ caput est & confugium atque
B
relevatio infirmantium à quoquam temere propulsari vexarive permittatur presertim cum sanitas ipsius nostrorum omnium sit salubritas.

II.

IPse quoque summus pontifex à cunctis principibus & christiani nominis cultoribus digno semper veneretur honore debitaque precellat reverentia.

C

III.

SIngulorum episcoporum ecclesiae cum suis privilegiis & possessionibus tam interioribus quam exterioribus inconvulse & incorrupte absque aliqua sui demisoratione vel quorumlibet pravorum hominum injusta vexatione permaneant sicut precepta regum & imperatorum sibi collata continent.

IV.

REctoresque earum libere pontificalem
D
exerceant potestatem tam in disponendis ecclesiasticis negotiis quam in comprimendis legis Dei transgressoribus universis.

V.

SAncimus etiam ut neque in episcopatibus neque in abbatiis vel senedochiis aut ullis Deo sacratis locis ulla violentia aut novae conditionis gravamina imponantur, sed secundum antiquam consuetudinem omnes in suo statu suo-
E
que privilegio perpetuo maneant.

VI.

UT sacerdotum omnium & ministrorum Christi unusquisque in suo ordine condigno veneretur honore & reverentia & cum omnibus rebus ecclesiasticis ac familiis ad se pertinentibus sub potestate proprii episcopi quietus & inconcussus permaneat salva ecclesiastica disciplina.

VII.

PLebei homines & universi ecclesiæ filii libere suis utantur legibus ex parte publica ultra quam legibus sancitum est ab eis non exigatur nec violenter opprimantur: quod si factum fuerit legaliter per comitem ipsius loci emendetur si suo voluerit deinceps potiri honore: si vero ipse neglexerit vel fecerit, aut facienti assensum prebuerit a loci episcopo usque dignam satisfactionem excommunicatus habeatur.

VIII.

PAlatini qui in regio morantur obsequio pacifice sine depredatione regi deserviant suis contenti stipendiis.

IX.

HI vero qui tempore placiti diversis ex partibus conveniunt nullam pertranseuntes in villis seu civitatibus rapinam exerceant sibi necessaria antiqua consuetudine digno pretio ementes.

X.

QUicunque ab exteris provinciis adventantes depredationes atque rapinas infra regnum hoc exercere presumunt hi cum quibus morantur aut ad audientiam eos adducant aut pro eis emendent neque eos ulterius in talibus ausis sua potestate defendere audeant quod si fecerint inter excommunicatos habeantur quousque resipiscant.

XI.

PReterea quia gloriosus rex Wido dignatus est nobis promittere conservaturus se prescripta capitula necessitate non minima confecta & quæ in eis continentur curam habens Deo inspirante suae nostræque salutis sicut apertis inditiis jam demonstrat. Ideo nobis omnibus complacuit eligere illum in regem & seniorem atque defensorem quatinus amodo & deinceps illo nos secundum regale ministerium gubernante singuli nostrum in suo ordine oboedientes & adjutores pro posse existamus illi ad suam regnique sui salvationem.

XII.

POst obitum recordandæ memoriæ domini Karoli gloriosi imperatoris & senioris nostri quot quantaque pericula huic Italico regno usque in presens tempus

pus supervenerint nec lingua potest evolvere nec calamus explicare ipsis denique diebus quasi ad certum signum supervenerunt qui pro hoc regno ut sibi volentes nolentesque adsentiremus minis diversis & suasionibus inlectos furtive ac fraudulenter adtraxerunt. Sed quia illi superveniente perspicuo principe Widone bis jam fuga lapsi ut fumus evanuerunt nosque in ambiguo reliquerunt tamquam oves non habentes pastorem necessarium duximus ad mutuum colloquium Papie in aula regia convenire ibique de communi salute & statu hujus regni sollicite pertractantes. Decrevimus uno animo eademque sententia prefatum magnanimum principem Widonem ad protegendum & regaliter gubernandum nos in regem & seniorem nobis eligere & in regni fastigium Deo miserante prefigere pro eo quod isdem magnificus rex divino ut credimus protectus auxilio de hostibus potenter triumphavit & hoc non sue virtutis sed totum divinæ miserationis providentia adtribuit. Insuper etiam sanctam romanam Ecclesiam ex corde se diligere & exaltare & ecclesiastica jura in omnibus observare & leges proprias singulis quibusque sub sua ditione positis concedere, & rapinas de suo regno penitus extirpare & pacem reformare & custodire se velle Deo teste professus est.

XIII.

PRo his ergo & aliis multis ejus bonæ voluntatis inditiis ipsum ut prelibavimus ad regni hujus gubernacula ascivimus eique toto mentis nisu adhesimus seniorem piissimum & regem excellentissimum pari consensu ex hinc & inposterum decernentes.

Præceptum Widonis Imperatoris pro Monasterio Sanctæ Mariæ Theodotæ Ticinensis.

IN Nomine sanctae & Individuae Trinitatis Wido Divina favente Clementia Imperator Augustus si circa servos & Ancillas Dei munificentiam nostre benignitatis intulerimus credimus hoc ad animae nostrae salutem efficaciter pertinere. igitur omnium fidelium sanctae Dei Ecclesiae nostrorumque cognoscat industria qualiter Dei Ancilla quedam Asia quondam Abbatissa Monasterii sancte Dei Genetricis Mariae quod nuncupatur Theodote situm Urbe Ticinensi pro diversis utilitatibus ejusdem Monasterii expetiit preceptum ab antecessore nostro Hlothario Imperatore de quadam terra muroque juxta Monasterium ipsum quod Urbis ipsius terminum includebat ut ipse tam Monasterii septum muniret quam Urbis fines usque ad publicam viam includeret. concessit etiam ut res omnes quascumque Monasterium ide lungo tempore possedit aut postea juste ac legaliter tam emptione Donatione quam fidelium oblatione adquisivit ac deinceps similiter juste & legaliter adquirere potuerit tranquillo jure possideat. & ut nullus Reipublice Minister aut aliquis ex judiciaria potestate presumeret homines ejusdem Monasterii liberos aut servos inquietare vel locum ad causas audiendas vel freda exigenda vel tributa aut mansiones vel paratas faciendas nec fidejussores tollendos aut homines ejusdem Ecclesiae tam ingenuos quam servos super terram ipsius commanentes distringendos nec ullas redibitiones aut illicitas occasiones requirendas. & quicquid exinde Fisco nostro sperare poterat in eodem Sancto Monasterio solemniter perpetua securitate concessit. dedit etiam licentiam de Silva Carbonaria materiam ad reparationem ipsius Monasterii suscipere ac ligna ad usum ignis habere secundum temporis opportunitatem & quando necessitas imminet navem illius per Ticinensem Portum discurrere liceat absque alicujus controversia. Et commutationes rerum omnes quas predicta Asia fecit maneant inconvulse & liceat etiam eidem cœnobio secundum Regulam Sancti Benedicti de propria congregatione Abbatissam eligere & sint res ejus sub Imperiali immunitate defense. & si necessitas evenerit de rebus & familiis ipsius per Inquisitionem Imperialem veritas adprobetur. Nos vero precibus Elbongii Archicancellarii nostri & Rixindae ipsius Monasterii Religiose Abbatisse atque Congregationis ejus stimulati ob animae nostrae mercedem pie considerantes hec omnia sicut ab Antecessore nostro concessa sunt inconvulse concedimus ac firmamus eidem Venerabili loco perfruendum solemni jure statuimus possidendum & sub nostra tuitione secure ac sinceriter perseverent. immo etiam nostra Imperiali auctoritate firmamus & perpetuis temporibus observandum sancimus prefatam Rixindam Abbatissam que actenus casta mente sub cura & sollicitudine sanctam ejusdem loci congregationem Deo inculpabili regere dinoscitur deinceps dum advixerit prefatum Monasterium juxta normam & Regulam absque alicujus interdictione ordinare devotius valeat. & si Deo faciente vitam commutaverit sit eidem congregationi facultas a nobis promulgata secundum Regulam Sancti Benedicti de propria congregatione Abbatissam eligere in quam omnium sententia potissimum steterit. insuper concedimus in prefato Monasterio pro mercede animae nostrae Wadum unum in Pado ad piscandum ubi nominatur caput lacti habens terminum supe-

superiorem in cocuzo gepidasco. indè percurrit ad eum locum ubi Agonia influit in Padum. concedimus etiam in predicto Venerabili Monasterio insulas juxta predictam piscationem ex utraque parte Padi & quicquid antiquo tempore eidem Monasterium seu moderno obtinuit vel Padus invasit aut in futurum irruperit de propriis ipsius Monasterii fine Nebiasco usque ad fluvium Agonia. deinde ipse finis descendit in Padum a termino qui vocatur Grindalado percurrit in melum insitum, deinde ad Portum caput lacti quantum eidem Monasterium preterito tempore obtinuit suo jure & nunc obtinere videtur. seu quod Cunibert Rex inibi per suum contulit preceptum. precipientes ergo jubemus ut nemo fidelium nostrorum parti predicti Monasterii de his omnibus quae supra a nobis concessa sunt quolibet tempore ullam presumat inferre molestiam aut contrarietatem. sed sub omni integritate sicut a nobis concessa sunt & hac auctoritate nostra condonata sunt perhenniter ibidem ad utilitatem Monasterii sine diminutione permaneant. si quis autem contra hujus nostri precepti securitatem violentiam eidem Monasterio temptaverit inferre componat auri optimi libras viginti. medietatem Palatio nostro reliquam medietatem parti ejusdem Monasterii. Et ut haec nostra auctoritas pleniorem obtineat vigorem & à fidelibus nostris diligentius observetur manu propria subter firmavimus & bulla nostra sigillari jussimus.

Signum Domni WIDONIS *Serenissimi Augusti*

Helboncus Archicancellarius jubente Domno Widone Imperatore recognovi & subscripsi.

Data Quinto Kal. Augusti anno Incarnationis Domini DCCCXCII. Regnante Domno Widone in Italia anno Regni ejus IIII. Imperii I. Indictione VIIII. Actum Papia in Dei nomine feliciter Amen.



LIUTPRANDI
PRIMUM
DIACONI TICINENSIS,
DEMUM
EPISCOPI CREMONENSIS
HISTORIA,
EJUSQUE LEGATIO
AD
NICEPHORUM PHOCAM IMP.
Cum notis
HENRICI CANISII.

IN LIUTPRANDI CHRONICON.

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

SI quod Seculum vitiis, & barbaris moribus in Italia squalluit, certe Decimum a Christo nato reliquis in ejusmodi infelicitate palmam praeripuit. Deformata plane tunc temporis ipsius quoque Romanae Ecclesiae facies, bella per Italiam horrida, conculcatae leges, & potissimum abjecta bonarum Literarum conditio. Itaque summopere commendandus nobis Liutprandus Historicus, qui ferreo illo Seculo supra ceterorum ignorantiam se adeo erexit, ut vel nostris temporibus, quamquam stilo aspero, & inurbani aevi sui indolem satis referente, usus fuerit, adhuc tamen Lectorem ad sua libentissime legenda alliciat; quippe ingenio fuit ille vivido & acri, & quae scripsit, rara vivacitate ac libertate exposuit. *Luitprandum* plerique Eruditorum recentium nominare illum consueverunt; sed *Liutprandus*, seu *Liutbrandus* fuit apud Veteres illius nomen: qua de re certos nos faciunt Marmora publica, Chartae in Archivis, & antiqui Codices MSti, in quibus ego semper *Liutprandi* nomen, numquam vero *Luitprandum*, scriptum fuisse animadverti. Nam quod eum *Litobrandum*, atque etiam *Eutrandum* nonnulli appellent, id procul dubio ex Librariorum supino errore processit. *Natione Italum, & ex Papia Civitate oriundum*, uti Trithemius scripsit, cum Veteres, tum recentiores censuerunt. Verum Guillielmo Caveo in Script. Ecclesiast. Hist. Liter. monente, *Franciscus Bivarius in Censura Liutprandi Operibus praemissa, conjecturis non penitus contemnendis contendit gente fuisse Hispanum, domo Cordubensem, saltem Baeticum, & una cum parentibus a Sarracenis fugatum in Italia consedisse*. Et haec quidem Caveus, qui tamen egregie intellexit, anilibus fabulis, & fraude omnimoda abundare *Chronicon* quoddam Liutprando nostro suppositum in Hispania, & Matriti primum a Tamayo, tum a Ramirezio, & a Hieronymo de la Higuera Antverpiae editum cum notis anno 1640. a quo praecipue nugivenduli ansam ceperunt inserendi in Hispanicam gentem Liutprandi Itali.

At laude sua minime fraudandus Nicolaus Antonius, Hispalensis Jurisconsultus, qui non eruditione minus, quam amore veritatis, proxime elapso Seculo inter Hispanos magnum sibi nomen quaesivit. Is enim in Bibliotheca Veteri Hispana Lib. 6. cap. 16. exquisito Critices usu ad fabulas totum illud *Chronicon*, atque *Adversaria* Liutprando eidem inscripta, amandavit, & censorias notas falsariis suae gentis inussit; Italicam vero gentem Liutprandi possessione minime privandam censet. Quod solum justam aliquam hac de re dubitationem ingerere posse videbatur, dissimulandum non est. Scilicet in germano suo Chronico Liutprandus Lib. V. cap. I. ad Raymundum Illiberitanum in Hispania Episcopum de quadam Solis Ecclipsi ita scribit: *Qua etiam die Abdaram Rex noster a Radamiro Rege Christianissimo Galliciae in bello superatus est*. Verum levi correctione heic utendum Nicolaus Antonius monet, nempe scribendum *Rex vester*. Et sane fieri non potest, ut Liutprandus Italiam a tot saltem annis incolens, & Ecclesiae Ticinensis Clero adscriptus, Regem *suum* appellarit Regem Sarracenum, quo cum nulla amplius ei res erat, imo numquam fuerat.

Restat igitur, dum alia contra non militent argumenta, Liutprandum in Italia natum fuisse, & ut verisimile est, Ticini, quae & Papia, e gente Langobarda editum: quod & nomen ejus Langobardicum innuere satis videtur, ejusque munus, nam se *Levitam*, hoc est Diaconum, *Ticinensem* appellat. Libro etiam Tertio cap. I. his versibus Papiae conflagrationem describit:

Uritur infelix olim formosa Papia,
Vulcanusque suos attollens flatibus artus
Templa Dei, Patriamque simul conscendit in omnem.

Quibus verbis Papiam *Patriam* suam is manifeste, ni fallor, nominat. Ejus autem Pater ab Hugone Italiae Rege ad Romanum Imperatorem Graecorum legatus est missus circiter annum Christi 927., ut & hinc videas ejus parentem in Italia egisse.

Tunc *parvulus* erat Liutprandus. Post aliquot autem annos inter honorarios Aulae pueros cooptatus, *Regis Hugonis gratiam vocis sibi dulcedine acquirebat*, ut ipsemet testatur Lib. IV. cap. I. Hugone subinde, & Lothario Italiae Regibus dejectis, Berengarius II. sceptrum arripuit, qui Liutprandum *secretorum conscium*, *& epistolarum signatorem* constituit. Imo quum ejus solertiam probe nosset, ipsum legatum anno Ch. 946. ad Constantinum Porphyrogenitum Constantinopolitanum Imperatorem misit. Berengarium multa vitia deturpabant, atque exosum bonis brevi effecere; ac propterea & ipse Liutprandus post longum famulatum tamdem in ejus odium ita incurrit, ut facultatibus spoliatus, sibique pejora timens, in Germaniam ad Regem Ottonem se recipere coactus fuerit. In eo exilio circiter annum Ch. 958. Historiam suam sex Libris comprehensam, & Francofurti ad Moenum coeptam, absolvit. Anno 961. Otto Magnus Germaniae Rex, a Romano Pontifice, & a plerisque Italiae Proceribus iterum invitatus contra Berengarii tyrannidem, Langobardico Regno potitus est, & anno sequenti Romanorum etiam Imperator creatus. Tam felici conversione rerum in Italiam remigravit Liutprandus, quumque is Ottoni carus inter paucos esset, ejus studio ad Episcopatum Cremonensem provectus fuit.

Nova hac atque illustri dignitate auctum Liutprandum anno 963. censet Ughellus. Certe eo anno ipse jam Episcopus Romam ad Johannem Papam a laudato Augusto est missus, ibique Synodo, seu Conciliabulo, adversus ipsum Pontificem instituto interfuit. Tum anno 968. alteram legationem obivit, missus ab Ottone Magno Constantinopolim, ut a Nicephoro Graecorum Imperatore Theophaniam Romani junioris filiam Ottoni filio, in consortium Imperii Romani ascito, uxorem peteret. Quo autem anno Liutprandus e vivis abierit, non constat. Attamen apud Ughellum Ital. Sacr. Tom. IV. in Episc. Cremon. habemus descriptam Translationem Corporis Sancti Himerii Episcopi ad Civitatem Cremonensem, cura ipsius Liutprandi factam, in qua is appellatur *Cremonensis Episcopus bonae memoriae Luizo* (seu Liuzo) *imimus Summista Regius*, *in consilio providus*, *& amore divinitatis repletus*, *quem Imperator in secundo Regni culmine dicavit* (lego locavit) *frequenter ingrediens*, *& exiens a facie Regia*. Quibus ex verbis intelligimus, Liutprando fuisse quoque nomen *Liuzo*, quod tamen suspicari possumus, idem sonasse, seu fuisse ac *Liutprandus* apud illorum temporum vulgus. Simulque hinc manifestius elucet, quanta auctoritate polleret, quantoque in honore & gratia apud Ottonem Augustum foret idem Liutprandus. Additur in eadem narratione: *Laudabilis autem praefatus Pontifex animadvertebat*, *qualiter Sancti conderet sacrum* (nempe Corpus Cremonam advectum.) *Sed tamen non fuit hoc illi datum*, *quia Imperiali servitio coactus*, *Constantinopolim directus*, *illuc amplius haud est reversus*. Ex his verbis suspicio ingeritur legenti, non diu post legationem peractam superfuisse Liutprandum. Et sane eum quidem in Italia egisse anno 970. ac interfuisse Synodo in Civitate Ferrariensi coactae, testantur Acta a Rubeo laudata Hist. Ravenn. Lib. V. Ibi quoque *Liuzius Episcopus Cremonensis* inscribitur, uti & a Continuatore Reginonis, & Chronographo Saxone ad annum 965. *Liuzo* dicitur. Nulla post annum illum monumenta, quae supersint, viventem exhibent Liutprandum. Unus Julianus Toletanus, Historicus, si superis placet, vetustus, auctor est, anno 973. Liutprandum venisse Toletum, nec multo post mortuum ibi, atque sepultum. Sed, uti jam Sole clarius apud Eruditos constat, Chronicon Juliani illius, & Dextri, & Hauberti, aliorumque hujus farinae Historicorum, mera commenta sunt, ab impudentissimis hominibus fabricata, a nimium credulis & bonis evulgata, & ab ipsis Hispanis emunctioris naris nunc improbata, atque despecta. Ac proinde fabulis accensenda, quae de peregrinatione Liutprandi nostri in Hispaniam, ejusque ibi morte, ab Impostoribus illis referuntur.

Aditu olim mihi dato in nobile Archivum Canonicorum Cremonensium, solicite inquirebam, an aliqua Liutprandi monumenta superessent. Occurrerunt autem mihi duae Chartae ad ipsum spectantes, quas in memoriam tanti Viri describendas, & nunc proferendas duxi. Ex utraque autem elucet, Epocham Regni Italiae Ottoni II. currere incoepisse eodem anno, quo ejus Pater Otto Magnus ad Imperium provectus est, uti jam statueram in Lib. Antiquitat. Estens. cap. 16.

Charta commutationis quarumdam terrarum factae inter Liutprandum Episcopum Cremonensem, & Paulum Negotiatorem anno 965.

In nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Otto gratia Dei Imperator Augustus, & Otto filio ejus gratia Dei Rex, anno Imperii, & Regni eorum Deo propicio hic in Italia quarto, sesto Kal. Marcii, Indictione hoctava. Commutacio bone fidei noscitur esse contractus vicem emptionis obtinead firmitatem, & debead eciam oblicare contraentes. Placuit igitur, & bona convenit voluntatem inter Domnum Liuprandum venerabilem Episcopum Sancte Cremonensis Ecclesie, nec non & Paulus Negotiator .... filio Sigifredi, ipso geni-

genitore suo ei consentiente, & subter confirmante, ut in Dei nomine debeand dare, sicut & de presenti dederunt, & tradiderunt sibi .... comutationis nomine: In primis dedit, & tradidit Domnus Liuprandus Episcopus eidem Pauloni Negotiatoris in comutacionis causa, idest petia una de terra gerbida .... una insimul tenente juris ipsius Episcopio Sancte Cremonensis Ecclesie, que est posita foris suburbium istius Civitatis Cremone non multo longe da Pausiolo, quod est petia ipsa de terra gerbida .... eadem in ...... insimul tenente per mensuras perticas .... quatuordecim pro dicta petia de terra gerbida, quamque ad predicta .... de una parte vites ipsius Pauloni Negotiatoris. .... partibus ipsius Episcopio. Quidem & ad vicem fecerit his ipse Domnus Liuprandus Episcopus ad parte sui Episcopio abead Paulone Negotiator meliorate, & ampliata, & .... sicut & abet ...... hoc sunt petias duas de terra oratoria .... Paulone Negotiatoris, quibus sunt posita una ex ipsa in loco, & fundo Faresingo, alia in loco, & fundo, ubi Corte Gastaldi, nominative quod sunt petie ipse de terra aratorie per mensura justa insimul Juges duas legitime. Coeret ad jam dicta petia de terra .... in loco, & fundo Faresingo da utrisque partibus terra ipsius Episcopio; ad alia coeret ei de una parte terra predicto Episcopio; da alia parte terra, que pertinet de Gastaldiatico, da tertia parte percurrit Gambina .... Has denique rebus ipsis supranominatis, vel comutatis una cum accessionibus, & ingressoras earum, seu cum superioribus, & inferioribus earum rerum, qualiter supra mensuras justas, & coherentias legitur, in integrum sibi unus alteri pars parti comutacionis nomine tradiderunt, facientes exinde a presenti die unus de eo receperunt ab ipsis quamque, & Subcessores, vel heredes eorum legali jure proprietario nomine quicquid voluerit, aut providere sine omni uni alterius contradictione; & spoponderunt sibi unus alteri quo supra eo dederunt qualiter supra legitur in integrum ab omni homine defensare. Quidem & ut ordo legis depossit, & ad hanc previdendam comutacionem accesserunt super ipsis rebus ad previdendum, idest Lupo Diaconus de ordine ipsius Sancte Cremonensis Ecclesie misso idem Pontifici ab eo directo una simul cum eodem Paulone Negotiatoris, seu cum bonos homines extimatores, qui extimarent; id sunt Grimaldus filius quondam Thomati, & Aribertus filius bone memorie Auderadi, & Anselmus filius quondam Ildeverti Notarius, abitatoris hic Civitate Cremona, quibus omnibus exstimantibus comparuit eorum, & exstimaverunt, quod meliorata, & ampliata rem susciperet ipse Domnus Liuprandus Episcopus ad parte sui Episcopio ab eundem Paulonem Negotiatore, quam in comutacione dedisset, & legibus comutacio hec fieri posset. De quibus & pena inter se posuerunt, ut quis ex ipsis, aut Subcessores vel heredes eorum se de hanc comutacione removeret .... non permanserint in ea omnia qualiter supra legitur, vel si ab unumquenque hominem, qui supra eo dederunt in integrum non defensaverint .... pars parti fidem servanti pena dublis ipsis rebus sicut pro tempore fuerint melioratas, aut valuerint sub exstimatione in eisdem locis; Et nec mihi qui supra Pauloni licead ullo tempore nolle, quod volui, sed quod a me semel factum, vel conscriptum est, sub jusjurandum inviolabiliter conservare promitto cum stipulatione subnixa, unde duae Cartule commutationis scripte sunt. Actum Civitate Cremone feliciter.

Signum manuum suprascripto Pauloni Negotiatoris, qui hanc cartulam commutationis fieri rogavit, eique relecta est.

Signum manus suprascripto Sigefredi, qui eidem Pauloni filio suo consensit, ut supra.

Lupus Diaconus Missus supradicti Domni Liuprandi Episcopus super ipsis rebus accessi, & previdi, ut supra.

Signum manibus suprascriptorum Grimaldi, & Ariberti, & Anselmi, qui super ipsis rebus accesserunt, & exstimaverunt.

Signum manibus Pedelberti, & Arifredi filio quondam Gumperti, Vassalli ipsius Presulis, testes.

Ato Notarius Domni Imperatoris, & Regum rogatus subscripsi.

Heginulfus Judex Domni Imperatoris rogatus subscripsi.

Antoninus Notarius, & Judex sacri Palatii Scriptor hujus cartule commutationis post tradita complevi, & dedi.

Altera Charta commutationis inter Liutprandum Episcopum Cremonensem, & Wifredum Comitem anno 966.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Otto Imperator, & item Otto filio ejus gratia Dei Rex, anno Imperii, & Regni eorum Deo propicio ic in Italia Quinto, Hoctavo die Mensis Novembris, Indictione Decima. Commutatio bone fidei noscitur esse contractus, ut vicem emptionis obtinead firmitatem, & denique nexu obliget contraentes. Placuit itaque, & bona convenit voluntate inter Domnus Liuprandus Episcopus Sancte Cremonensis Ecclesie, nec non & Wifredus Comes filius bone memorie Ode .... In primis dedit ipse Domnus Liuprandus Episcopus eidem Wifredo commutationis causa Cortem unam juris ipsius Episcopio, qui est posita in loco, ubi Vialta dicitur, antepofita Capella una, que est inibi constructa in honore Sancti Petri &c.

Actum

Actum Civitate Cremona feliciter:
WIFREDUS COMES SS.
UGO COMES ROGATUS SSS.

In hac postrema charta *Wifredus Comes*, & *Hugo Comes* literis majusculis se subscribunt: quem morem a Principibus, ac illustribus Viris usurpari solitum iis temporibus alibi etiam animadverti.

Ceterum quin unus, idemque fuerit Chronici, quod incolume ad nos pervenit, Liutprandus Auctor, & Liutprandus Episcopus Cremonensis, jam nullus Eruditorum dubitat. Si Chronicon ipsum conferas cum Libello *Legationis Constantinopolitanae* ab ipso Liutprando Episcopo certissime descriptae, stilus utrobique idem est, ut ovum ovo similius non invenias. Fuit autem Liutprandus supra infelicissimi illius seculi modulum literis excultus; nam non Latino tantum, sed etiam Graeco sermone valuit; imo Saxonicam; sive Germanicam Linguam tenuit, cujus peritiae specimen luculentum Romae dedit in Synodo, ubi quae Otto Magnus Augustus patria lingua efferebat, Cremonensis Episcopus interpres Latine reddebat ad Concilii Patres. Neque prosa solum, sed etiam metro suum ingenium exercuit. Sunt qui illum nimiae licentiae incusent, quod sui temporis, Principumque etiam virorum, ac mulierum vitia, ac foeditates graphice exprimat, ac fortassis etiam amplificet. Hujus loci non est accusationem ejusmodi ad trutinam revocare. Ad nos quod attinet, Liutprando nostro tribuitur, *Chronicon de Hispanicis rebus*: tribuuntur & *Adversaria* quaedam, in quorum laudem Franciscus Bivarius multa congessit. Ea quoque Laurentius Ramiresius, & Hieronymus de la Higuera notis illustrarunt, Matriti, & Antverpiae edita. Jam diximus, haec Fabulis Romanensibus esse accensenda, utpote omnino supposititia, & mendaciis ad saturitatem referta. Moguntiae quoque anno 1602. Liber *de Romanorum Pontificum gestis a S. Petro usque ad Formosum Papam* prodiit, Liutprando eidem tributus. Sed & hoc opus ab ipso prorsus abjudicandum contendunt Eruditi, quippe ab ejus stilo nimis dissonum, & a maleferiato aliquo Germano, fortassis etiam recentiorum temporum, verisimilius profectum.

Quae igitur germana sunt Liutprandi scripta, nunc iterum in lucem efferimus. Ea sunt *Historia rerum in Europa suo tempore gestarum Libri VI.* quae Basileae anno 1532. impressa est, ac subinde a Justo Reubero in Tomo Veterum Scriptorum Hanoviae anno 1619. edito rursus exhibita. Sex posteriora Libri Sexti Capita, ubi de damnatione Johannis XII. Papae agitur, inter Baronium, Vossium, Caveum, Dupinium, aliosque disceptatum est, num Liutprandum Auctorem habeant, an alium quemquam Continuatorem ejusdem Historiae, qui tamen iis, aut proximis temporibus vixerit. Adhuc sub Judice lis est. Equidem puto, integram ad nos non pervenisse Liutprandi Historiam; neque enim in ea legimus propiora tempori, quo ipse scripsit, ac potissimum Berengarii II. facinora, quae ipsum acrius torquebant, atque ad scribendum incitabant. Alterum Liutprandi Opus est *Legatio ad Nicephorum Imperatorem Constantinopolitanum* ab ipso peracta simul atque descripta. Libellum hunc e Trevirensi Codice MSto eductum, mutilum tamen, Christophorus Brovverus e Soc. Jesu ad Marcum Velserum misit; hic autem Henrico Canisio commendavit, cujus cura typis excusus est anno 1600. Ingolstadii. Ipsum deinde in Annales suos Cardinalis Baronius intulit ad annum Ch. 968. Utrumque hoc opus, Italicae Historiae cum primis utile, heic Lector conjunctum habebit.

LIUTPRANDI TICINENSIS ECCLESIÆ LEVITÆ

Rerum ab Europæ Imperatoribus, & Regibus gestarum LIBRI VI.

PRÆFATIO

AD REVERENDUM PATREM RAIMUNDUM

Liberitanæ Ecclesiæ in Hispania Episcopum.

R*Everendo totiusque Sanctitatis pleno Domino Raimundo Liberitanæ Ecclesiæ Episcopo Liutprandus Ticinensis Ecclesiæ suis non meritis, Levites, salutem. Biennio ingenii parvitate petitionem tuam, Pater carissime, distuli, qua totius Europæ me Imperatorum, Regumque facta, sicut is, qui non auditu dubius, sed visione certus, ponere compellebas. Hæ siquidem res animum deterruere meum, ne id inciperem, copia (cujus sum penitus expers) dicendi, & detractorum invidia: qui supercilio tu mentes, lectionis desides, ac (secundùm eruditi viri Boitii sententiam) philosophiæ vestis particulam habentes, totamque se habere putantes hæc mihi sunt insultantes dicturi: Tanta majores nostri scriptitarunt, ut multò ampliùs lectores, quàm lectiones deficiant. Illudque Comicum garrient*: Nihil dicitur, quod non fuerit dictum priùs. *Quorum latratibus hoc respondeo, quòd Philosophi more hydropicorum, qui quò ampliùs bibunt, eò ardentiùs sitiunt; quò sæpiùs legunt, eò avidiùs nova quacque perquirunt. Qui si perplexa facundi Tullii lectione fatigantur, apertis saltem næniis animentur. Nam, ni fallor, sicut oculorum obtutus, nisi alicujus interpositione substantiæ, Solis radiis reverberatus obtunditur, ne purè, ut est, videatur: ita planè mens Academicorum, Peripateticorum, Stoicorumque doctrinarum jugi meditatione infirmatur, si non aut utili comœdiarum risu, aut heroum delectabili historia refocillatur. Quod si priscorum ritus execrabilis* Paganorum, *non solùm inquam non proficuus, verùm auditu ipso non parum nocuus,* (1) *Thronus memorandus inscribitur: quid istorum Imperatorum facta, Julii, Pompeii, Hannibalis, fratrisque ejus Hasdrubalis, ac Scipionis Africani insignium Imperatorum, laudibus coæquanda silebuntur? quum præsertim insit his Domini Nostri Jesu Christi, dum sanctè vixerint bonitas recitanda: dum quid delinquerint, salubris ab eodem correctio memoranda. Nec moveat quempiam, si enervatorum facta Regum, Principumve effœminatorum huic libello inseruero. Una est enim justa Omnipotentis Dei, Patris silicet, Filiique, & Spiritus Sancti, virtus, quæ hos justè suis pro sceleribus comprimit, illos dignis meritis extollit. Hæc, inquam, est vera Domini Nostri Jesu Christi Sanctis facta promissio*: Observa, & audi vocem meam, & inimicus ero inimicis tuis, & affligentes te affligam, & præcedet te Angelus meus. *Per Salomonis quoque os Sapientia (quæ est Christus) clamat*, Pugnabit pro eo Orbis terrarum contra insensatos. *Quod quotidie etiam qui stertit, animadvertit.*


(1) Aliàs *ηγεμόνι*.



LIUTPRANDI
TICINENSIS ECCLESIÆ
LEVITÆ
Rerum ab Europæ Imperatoribus, ac Regibus gestarum.
LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De Fraxineti Oppidi in confinio Italiæ situ, & ejus à viginti Saracenis piratis occupatione, & munitione cum Mauro monte, deque Saracenorum incrementis per invidiam, & factionem vicinorum Christianorum inter se.



VT autem evidens ex innumeris subdatur exempli, me tacente loquatur oppidum vocabulo Fraxinetum, quod in Italicorum, Provincialiumque confinio stare manifestum est. Cujus ut cunctis liquidò pateat situs (quemadmodum tuam Pater prudentiam latêre minimè reor, immo me meliùs scire, sicut ab ipsis, qui vestri sunt tributarii Regis Abderahamenis, potestis conjicere) mari uno ex latere cingitur, & in cæteris densissima spinarum sylva munitur. Quam si ingressus quispiam fuerit, ita sentium hamis tenetur, & acutissimis aculeis perforatur, ut neque progressionis, neque reditus, nisi cum magno labore, habeat facultatem. Sed occulto, & (quoniam secus esse non potest) justo Dei judicio viginti tantùm Saraceni lintre parva ex Hispania egressi, nolentes isthuc vento delati sunt. Qui piratæ noctu egressi, villamque clam ingressi, Christicolas (proh dolor) jugulant, locumque sibi proprium vendicant, montemque Maurum vil-

A lulæ cohærentem contra vicinas gentes refugium parant: spineam sylvam hoc pacto majorem, & spissiorem sua pro tuitione facientes, ut si quis ex ea vel ramum incideret, mucronis percussione hominem exiret. Sicque factum est, ut omnis præterquam unius angustissimæ viæ aditus demeretur. Loci igitur asperitate confisi, vicinas gentes circumquaque perlustrant. Accersitum complures in Hispaniam nuncios dirigunt, locum laudant, vicinasque gentes nihili se habere promittunt. Centum denique tantummodo Saracenos secum mox reducunt, qui veram rei hujus caperent assertionem. Interea Provincialium, qui illic conse-
B derant, vicinorum invidia cœpit intra sese dissidere, alius alium jugulare, substantiam rapere, & quicquid mali excogitari poterat facere. Sed quia pars partem, ut invidia, & dolor postularant, satis sibi subigere non poterant hos, quos prædiximus Saracenos, non minùs callidos, quàm perfidos in auxilium rogant, cumque his sibi proximum quisque conterit. Nec juvant solummodo proximum trucidare, verùm terram fructiferam in solitudinem reddere. Sed videamus quàm justa secundùm quendam profuerit invidia, quam ita describens ait:

Justius invidiâ nihil est, quæ protinus ipsum
Auctorem rodit, excruciatque suum.

Quæ dum decipere conatur, decipitur: dum extinguere molitur & extinguitur. Quid igi-
C tur? Saraceni quum hoc suis viribus minimè possent, alteram alterius auxilio partis debellantes, suasque copias ex Hispania semper augentes, quos primò defendere videbantur, modis omnibus insequuntur. Sæviunt itaque, exterminant, nil reliqui faciunt. Trepidare jam vicinæ cæteræ gentes, quoniam secundùm Prophetam horum unus persequebatur mille, &

duo fugarunt decem millia. Ex qua re? Quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos.

CAPUT II.

Quis ea tempestate Papa, & qui Principes terrarum fuerint, & quid gesserint Leo, & Basilius, quem Michaël Imperator ex famulo monachi in socium assumpsit Imperii, & quomodo ab eo interemptus est, & Christus Basilio apparuit minabundus, qui in pœnitentiam ædem divo Michaëli extruxit.

HAc autem tempestate Leo Porphyrogenitus Basilii Imperatoris filius, Constantini hujus pater, qui nuncusque superest, & feliciter regnat, Constantinopolitanæ civitatis regebat Imperium. Simeon fortis bellator Bulgaris præerat, Christianus, sed vicinis Græcis valde inimicus. Hungarorum gens, cujus omnes penè nationes expertæ sunt sævitiam, quæ miserante Deo, Sanctissimi, atque invictissimi Regis Othonis potentiâ, ut latiùs dicturi sumus, mutire non audet exterrita, nobis omnibus tunc temporis habebatur ignota. Quibusdam namque difficillimis separata à nobis erat interpositionibus, quas clusas nominat vulgus, ut neque ad meridianam, neque ad occidentalem plagam exeundi habuerit facultatem. Per idem tempus Arnulfus Rex potentissimus, defuncto Carolo prænomine Calvo, Bajoariis, Suevis, Francis, Teutonicis, Lotharingis, audacibusque principabatur Saxonibus, cui & Zwentebaldus Maravanorum Dux viriliter repugnabat. Berengarius, & Wido Imperatores ob Regnum Italicum confligtabantur. Formosus Portuensis civitatis Episcopus Romanæ Sedis summus, & universalis Papa habebatur. Sed nunc quid sub unoquoque horum gestum sit, prout breviùs possumus, explicemus. Leo igitur Græcorum piissimus Imperator, cujus supra fecimus mentionem, Constantini silicet hujus Porphyrogeniti pater, undique pace habita, sanctè, & justè Græcorum regebat Imperium, Porphyrogenitum autem non in purpura, sed in domo, quæ Porphyra dicitur, natum appello. Et quoniam res processit in medium, quod de hujus Porphyrogeniti genesi audivimus, proferamus. Constantinus Imperator Augustus, ex cujus nomine Constantinopolis est sortita vocabulum civitas, domum istam ædificari jussit, cui Porphyra nomen imposuit, voluitque successuram nobilitatis suæ sobolem istic in lucem prodire, quatenus qui suo ex stemmate nascerentur luculenta hac appellatione Porphyrogeniti appellarentur. Unde & hunc Constantinum Leonis Imperatoris filium ex ejus sanguine nonnulli dicunt originem ducere. Veritas autem rei hujus ita se habet. Basilius Imperator Augustus avus hujus, Macedoniâ humili fuerat prosapia oriundus, descenditque Constantinopolim τῷ πενίας ζυγῷ, quod est paupertatis jugo, ut cuidam serviret (1) Abbati. Igitur Imperator Michaël, qui tunc temporis erat, quum orationis gratiâ ad monasterium istud, in quo hic ministrabat descenderet, vidit hunc formâ præ cæteris egregiâ, accitumque ad se Abbatem rogavit, ut se donaret hoc puero. Quem suscipiens in palatio cubicularii donavit officio. Tantæ denique post paululum potestatis effectus est, ut alter ab omnibus Imperator sit appellatus. Verùm quia Omnipotens Deus servos suos justè visitat, quacunque vult censura, hunc Imperatorem Michaëlem sanæ mentis ad tempus non esse permiserat, ut quò eum graviùs premeret in infimis, eò misericordiùs remuneraret in summis. Nam, ut fertur, hujus tempore passionis, familiares etiam capitis jusserat damnari sententiâ. Quos tamen ad se rediens hoc pacto requirebat, ut nisi quos jugulari jusserat redderentur, pari ipsi, qui hoc effecerant, sententiâ damnarentur. Hoc igitur terrore quos damnari jusserat, servabantur. Sed quum hoc sæpiùs & iterum Basilio faceret, hujusmodi à sibi obsequentibus (proh nefas) accepit consilium: Ne fortè insana Regis jussio aliquando ex industria à te non diligentibus, immo odio habentibus impleatur, eum tu potiùs occidito, atque Imperialia sceptra suscipito. Quod sinè dilatione, cum terrore compulsus, tum etiam regnandi cupiditate deceptus complevit. Hoc itaque interfecto factus est Basilius Imperator. Denique parvo transacto tempore, huic Dominus noster Jesus Christus per visionem apparuit. Domini hujus Imperatoris, cujus hic necis extiterat autor, dexteram tenens, eumque ita conveniens: Ut quid interfecisti Regem, hoc est, Dominum tuum Imperatorem? Expergefactus itaque tanti se reum novit esse reatus: moxque ad se rediens quid super hoc faceret cogitabat. Confortatus itaque hac Domini Nostri Jesu Christi per Prophetam salubri, & verè acceptabili promissione: In quacunque die peccator ingemuerit, salvus erit: cum lacrymis, & gemitibus se peccatorem, se reum, se sanguinis innocentis effusorem esse confitebatur. Bono autem accepto consilio, amicos sibi de mammona iniquitatis effecerat, ut quos hic temporalibus subsidiis consolaretur, eorum precibus ab æterno gehennæ incendio liberaretur. Fabricavit autem pretioso, & mirabili opere juxta palatium, orientem versùs, Ecclesiam, quam νέαν idest novam, vocant, in honore summi, & cœlestis militiæ Principis Arcangeli Michaëlis, qui Græcè ἀρχιστρατηγὸς appellatur.

CAPUT III.

De Constantinopoleos nominibus, situ, & circumhabitantibus, deque vigilia nocturna ibidem constituta à Leone Imperatore, cujus ut fidem, & diligentiam experiretur, in habitu juvenis lascivi illapsus in duas custodias, eas muneribus corrupit, à tertia in carcerem ductus, priores exilio mulctavit, posteriores opibus, & honore extulit.

NUnc autem non pigeat libellulo huic res duas, quas ejusdem Basilii filius memoratus Leo Imperator Augustus memoriâ suâ dignas fecit, inserere. Constantinopolitana urbs, quæ priùs Byzantium, nova nunc dicitur Roma, inter ferocissimas gentes est constituta. Habet quippe ab Aquilone Hungaros, Pizenacos, Chazaros, Russios, quos alio nomine nos Normannos appellamus, atque Bulgaros nimiùm sibi vicinos, ab Oriente Bagdas: inter Orientem, & Meridiem Ægypti, Babyloniæque incolas: à Meridie verò Aphricam habet, & notam illam vicinam sibique contrariam insulam Cretensem. Cæteræ verò, quæ sunt sub eo climate nationes, Armenii scilicet, Persæ, Chaldæi, Avasgi huic deserviunt. Incolæ denique civitatis hujus, sicut memoratas gentes divitiis, ita & sapientia superexcellunt. Moris quippe

(1) Aliàs ϑηεμῶνι.

quippe eorum est, ne à vicinis gentibus opprimantur, singulis quibusque noctibus per totius civitatis bivium, trivium, quadriviumque armatos milites causâ custodiendæ civitatis, qui eam invigilent, ponere. Fitque, ut si post crepusculum quenquam deambulantem aliquò custodes offenderint, captus protinus, verberibusque cæsus, custodia pervigili, compedibus in carcere strictus, usque in crastinum in publicum producendus servetur. Hoc denique pacto non solùm ab hostibus, verùm & à latronibus illæsa civitas custoditur. Leo itaque Imperator vigilum fidem, constantiamque probare volens, solus post crepusculum è palatio descendens ad primam pervênit custodiam. Quem ut vigiles fugientem, & quasi metu declinantem viderunt comprehensum quis esset interrogaverunt, quòve pergeret. Qui è multis unum se esse, & lupanar petere dixit. Cui mox, cæsum te acriter, inquiunt, compedibusque strictum usque in crastinum reservabimus. Quibus respondit, nequaquam fratres, nequaquam, accipite quod porto, permittite ire quò volo. Qui XII. aureis acceptis, eum dimiserunt, inde verò transiens ad secundam venit custodiam. Qua quemadmodum & in prima captus, datisque viginti aureis, est dimissus. Ad tertiam deinde dum venisset est captus: Verùm non ut à prima, ac secunda datis aureis est dimissus; sed ablatis omnibus, compedibusque graviter strictus, pugnis, flagrisque verberatus, custodiâ usque in crastinum producendus servatur. His itaque discedentibus, custodem carceris Imperator ad se vocans, Amice mi, inquit, Leonem Imperatorem nosti. Quomodo, infit, noscere possim, quem vidisse me non meminerim? Ad publicum sanè quanquam rarò dum procedo, à longè, quia prope nequeo, eum intueor: mirabile quiddam, & non hominem, videre videor. Dare autem te operam quo illæsus exeas, quàm id percontari, tibi commodius est. Non æquè vos, te quidem in carcere, illum autem in aureo triclinio fortuna fovet. Parva sunt hæc, graviora addantur vincula, ne sit spatium de Imperatore meditandi. Cui ille, desine, inquit, desine: Imperator enim ipse sum Leo Augustus, qui de palatii dignitate non bono omine prodii. Carceris autem custos, sperans non vera esse, quæ dixerat, Egon', inquit, hominem impurum, bona sua cum meretricibus abligurientem Imperatorem credam? Quoniam te te tu neglexisti, pro te ego despiciam mathesin. Mars trigonus, Saturnus, Venerem respicit, Jupiter quadratus, Mercurius tibi iratus, Sol rotundus, Luna in saltu malâ fortunâ te premit. Imperator verò, ut vera, inquit, probes esse, quæ dico, dum matutinale dederint signum (ante enim non ausi sumus) mecum ad palatium potiori, quàm ego descenderim, omine venito: Si me ut Imperatorem non istic recipi videris, occidito. Non minoris quippe criminis erit me Imperatorem dixisse, si non sim, quàm aliquem occidisse. Si verò te ob id mali quicquam pati formides, hoc faciat mihi Deus, & hoc addat, si non potiùs præmium pro hac re sumes, quàm supplicium. Igitur carceris custos credulus effectus, dato, Imperator ut dixerat, matutinali signo, eum ad palatium usque comitatur. Quumque eòdem venisset, venerabiliter sicut à se noscentibus susceptus, Comitem suum exanimatum nimia admiratione reddidit. Sanè dum huic omnes dignitates occurrere, laudes reddere, adorare,

A socos detrahere, alia, atque alia pro se quemque facere contemplaretur, emori ei satius tunc esse duxit, quàm evivere. Cui Imperator, Contemplare, inquit, nunc mathesin, & si verè quo huc adveneris omine dixeris, veram te augurandi scientiam habere probabis. Priùs tamen quæso quid morbi sit proferas, quod te tam pallidum reddidit. Cui ille, Parcarum, infit, optima Clotho jam nere desinit: Lachesis verò in torquendo ampliùs laborare non cupit: Sævissima autem harum Atropos solam Imperii tui sententiam expectat, ut fila contrahens abrumpat. Palliditatis autem vultus mei causa hæc est, animam à capite descendisse, secumque in inferiorem corporis partem sanguinem perduxisse.
B Subridens igitur Imperator, Recipe, inquit, animam, recipe, & cum hac bis binas aureorum libras assume, nullique de me, nisi aufugisse respondeas. His ita gestis, Imperator vigiles, qui se captum dimiserant, quique cæsum custodiæ manciparant, venire præcepit. Quibus & ait, vigilantibus vobis, custodiamque civitati præbentibus, nunquid fures aliquando, adulterosque offendistis? Qui pretio eum dimiserant nil se vidisse responderunt: qui verò cæsum illum custodiæ mancipaverant, ita responderunt: Præcepit δεσπότειά σου ἁγία, idest, dominatio tua sancta, ut si vigiles post crepusculum quenquam aliquò deambulantem offenderent, captum protinus,
C verberibusque cæsum custodiæ traderent. Tuis itaque nos parentes jussionibus, dominator sanctissime, hac, quæ præsentem præcessit diem, nocte quendam lupanaria petentem cepimus, flagellavimus, carcerique impositum Imperio tuo producendum servavimus. Quibus Imperator, Citò inquit, ut in medium proferatur, potestas Imperii mei etiam atque etiam imperat. Nec mora, vinctus ut ducatur, percurrunt. Quem dum aufugisse audirent, semivivi ad palatium sunt reversi. Quod quum nunciassent Imperatori, mox Imperator se exutum, nimisque cæsum ostendens, venite, inquit, nolite formidare, ipse ego sum, quem flagellastis, quemque è carcere nunc au-
D fugisse formidatis. Scio enim, & verè credo, quòd non Imperator, sed Imperatoris inimicum tundere cogitastis. Hos, qui non ut Imperatorem me, sed ut latronem, vitæque meæ insidiatorem dimisere, morte tenus verberatos, urbe expelli, bonisque omnibus privari mea non solùm cupit, verùm & jubet autoritas. Vos autem non solùm meis, sed & horum perversorum divitiis dono. Quod quàm prudenter egerit Paternitas tua in hoc advertere poterit: quoniam cæteris extunc civitatem diligentissimè custodire, hunc etiam absentem quasi præsentem sperare necesse erat. Sicque factum est ut Imperator ampliùs de palatio non descenderet, & sui omnia fideliter custodirent.

E

CAPUT IV.

De altero Leonis Imp. ludo, quo vigiliam unius è XII. corporis sui custodibus remuneravit, cæteris elusis ob somnolentiam.

ALterum, quem ipse gessit ludum, silentio tegi absurdum esse dijudico. Constantinopolitanum palatium ob Imperatoris salutem multorum præsidiis militum custoditur. Custodientibus verò victus, censusque quotidie non parvus impenditur. Contigit itaque duodecim post corporis refectionem in ipso fervore

A vore diei unà in domo quiescere. Mos quippe
Imperatoris erat cunctis quiescentibus totum
perreptare palatium. Qui quum die quadam
eôdem, quò duodecim memorati lethęo se se
dederant sopori, pervenisset, ligno modico,
ut non incallidus, ostii pessulo projecto, ingre-
diendi sibi aditum fecit. Undecim verò dor-
mientibus, ut ars artem falleret, duodecimus
pervigil stertere ceu dormiens cœperat, con-
tractisque in faciem brachiis, totum quod Im-
perator faceret diligentissimè considerabat. Im-
perator igitur ingressus dum obdormire cun-
ctos perspiceret, aureorum numismatum li-
bram pectori uniuscujusque apposuit, moxque
clam egressus ostium ut priùs fuerat clausit.
B Eo autem hoc egit, quatenus excitati, & de
lucro gratularentur, ac qualiter hoc acciderit
admirarentur. Denique discedente Imperatore,
qui vigil solus extiterat, surrexit, dormien-
tiumque nummos aureos sibi assumpsit, atque re-
posuit: postea verò quieti se se reddidit. Im-
perator igitur de hoc ludo solicitus, post no-
nam, XII hos, quos nominavimus, ad se venire
præcepit, eosque ita convênit: Si fortè vestrûm
quempiam somnii visio deterruit, aut hilarem red
didit, ut in medium proferat, mea jubet autoritas:
nec minùs & si quid novitatis expergefactus quis-
que vidit, ut detegat imperat. Hi itaque
quemadmodum nihil viderant, nihil se vidisse
respondetunt. Magìs autem super hoc admira-
C ti, conticuere, intentique ora tenebant. Exi-
stimans Imperator eos non rei veritate, sed
calliditate aliqua reticere, succensus est, atque
magìs cœpit nonnulla terribilia reticentibus
comminari. Quod qui omnium conscius erat
ut audivit, hujusmodi humillima, & supplici
voce Imperatorem convênit: Humanissime Im-
perator, hi quid viderint nescio; ego tamen
delectabile, atque utinam quod persæpe con-
tingeret, vidi somnium. Undecim his conser-
vis meis, & hodie verè, sed omnino mihi op-
portunè dormientibus, visus sum quasi non
dormiens vigilare. Ecce autem magnitudo Im-
perii tui, quasi occultè ostium reserans, clan-
culumque ingressa, libram auri apposuit supra
D singulorum pectus. Quumque Imperium tuum
quasi repedare, sociosque hac visione stertentes
cernerem, continuò ceu lætus assurgens,
XI dormientium tuli libras aureorum numis-
matum, meoque marsupio in quo una erat ap-
posui, quatenus ob transgressionem decalogi,
ne solùm XI., verùm ad memoriam Apostolo-
rum, meâ unâ abhibitâ, & ipsæ essent XII.
Visio hæc, pater Auguste, bonum sit nescio,
usque modò me non deterruit, sed hilarem
reddidit. O' utinam interpretatio alia Imperio
tuo non placeat Nam & me divinum, & som-
nii venditorem esse liquidò patet. His auditis
magno est cachinno Imp. inflatus, verùm pru-
dentiam ejus, atque solicitudinem plus admira-
E tus, protinus infit: Antehac te neque divinum,
neque somnii venditorem esse audivi. Hanc
verò rem nunc ita apertè dixisti, ac si nulla
circumitione usus esses: sed quia vigilandi fa-
cultatem sinè auspicandi scientia habere non
posses, nisi divino esset tibi munere traditum,
seu verum sit, ut speramus, immo credimus, seu
falsum: fertur enim de quodam, quòd dormiens
multa reperit, à gallo excitatus nihil inve-
nerit: ut tamen quicquid videris, quicquid
repereris, tuum sit. His auditis quanta cæteri
sint confusione repleti, quantoque is gaudio sit
plenus, eorum quisque in se personas susci-
piens animadvertere poterit.

CAPUT V.

De Arnulfi, qui per Hungaros Zwentebaldum vicit, stolida temeritate quum genti perniciosæ ad Christianos subjugandos aditum munierit.

ARnulfus interea earum, quæ sub Arcturo sunt gentium Rex fortissimus, quum Zwentebaldum Maravanorum ducem, quem supra memoravimus, sibi viriliter repugnantem debellare nequiret: depulsis his (proh dolor) munitissimis interpositionibus, quas vulgò clusas nominari prædiximus, Hungarorum gentem cupidam, audacem, Omnipotentis Dei ignaram, scelerum omnium non insciam, cædis, & omnium rapinarum solummodo avidam in auxilium convocat; si tamen auxilium dici potest, quod paulò post, eo moriente, tum genti suæ, tum cæteris in meridie, occasuque degentibus nationibus, grave periculum, immo excidium fuit. Quid igitur? Zwentebaldus vincitur, subjugatur, fit tributarius: sed Domino solus. O cœcam Arnulfi Regis regnandi cupiditatem! O infelicem amarumque diem! Unius homuncionis dejectio, fit totius Europæ contritio. Quid mulieribus viduitates, patribusque orbitates, virginibus corruptiones. Sacerdotibus, populisque Dei captivitates; Ecclesiis desolationes, terris inhabitatis solitudines, cœca ambitio paras? Legisti, obsecro, ipsius Veritatis verba dicentis, Quid prodest homini si totum mundum lucraretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Quòd si te veri judicis non terruit severitas, ipsa saltem furorem tuum humanitatis temperaret communitas. Eras enim inter homines homo, si dignitate sublimis, non tamen naturâ dissimilis. Flebilis heu, miserabilisque conditio. quum illa bestiarum, serpentiumque, seu alitum genera, quæ intolerabilis sævitia, ac lethale virus ab hominibus separata esse facit, ut sunt basilisci, qui latinè reguli, vel rhinocerotes, seu gryphes, quæ & aspectu suo cunctis perniciosa esse videntur: inter se tamen pro originis ipsius, affinitatisque consortio pacata, & innoxia perseverant. Homo autem quum sit ad imaginem, & similitudinem Dei formatus, legis Dei conscius, rationis capax, non solùm proximum non amare potest, sed & odisse plurimùm valet. Videamus igitur quid Joannes non quilibet, sed virgo ille egregius cœlestis secreti conscius, cui Christus in Cruce Matrem virginem virgini commendavit, super talibus dixerit: Qui odit fratrem suum, homicida est; & scimus quòd omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Sed redeamus ad rem. Devicto namque Zwentebaldo Maravanorum duce, Arnulfus pace habita regno potitur. Hungari interim observato exitu, contemplatique regionem cordibus, malum, quod postmodum in propatulo apparuit, machinabantur.

CA-

CAPUT VI.

De Widonis (quem alii Guidonem, alii Hugonem vocant) & Berengarii ducum confœderatione: ita ut mortuo Carolo Calvo, Wido se Franciæ Romanæ Regem inungi curaverit, Berengarius Italiæ. Franci autem jam Odonem Regem constituerant. Et de causa levi quur Franci Widonem rejecerint.

DUm hæc aguntur Rex Galliæ Carolus, qui cognominatus est Calvus, præsentem moriendo mutavit vitam. Cui dum viveret, duo ex Italia præpotentes principes serviebant, quorum alter Wido, alter dictus est Berengarius. Hi sanè tanto sunt amicitiarum fœdere conglutinati, ut sibi hoc jurejurando promitterent, quòd si Regi Carolo superstites forent, alterius alter ordinationi conniveret, simul ut Wido quam Romanam dicunt Franciam, Berengarius obtineret Italiam. Sed quum sint nonnulla incerta, & instabilia amicitiarum genera, quæ diversis modis humanum genus dilectionis societate connectunt, ut quosdam præcedens commendatio postmodum amicitiæ inire facit commercia, alios negotiationis, seu militiæ vel artis, ac studii similitudo: quæ & sicut ex diversis vel lucri, vel libidinis, vel necessitudinum variarum societatibus acquiruntur: ita intercedente qualibet divortii occasione solvuntur. Hoc tamen est, hoc inquam amicitiæ genus, quod multis experimentis est sæpissimè comprobatum, nullo modo eos, qui amicitiarũ fœdus conjurationis iniere principio, indiruptam quivisse servare concordiam. Sanè quidem callidissimus ille humani generis inimicus, ut homines sui prævaricatores faciat Sacramenti, celeriùs, sagaciùsq; ad irrumpendam amicitiam laborat. Quòd si animos rectè sapientum de vero amicitiarum genere percontamur, respondebimus concordiam, veramque amicitiam nisi inter emendatos mores, ejusdemque virtutis, & propositi viros stare non posse. Contigit itaque utrumque Widonem, atque Berengarium Caroli Regis funeri deesse. Cujus tamen interitum Wido, ut audivit, Romam profectus est, & absque Francorum consilio totius Franciæ unctionem suscepit Imperii. Franci itaque Odonem, quoniam Wido aberat, Regem constituunt. Berengarius verò Widonis consilio, quemadmodum ei jurejurando promiserat, Italici regni sucepit Imperium, Wido autem Franciam petit. Quumque Burgundionum regna transiens. Franciam, quam Romanam, dicunt ingredi vellet, Francorum nuncii ei occurrunt, se redire nunciantes, eo quòd longa expectatione fatigati, dum sinè Rege esse diutiùs non possent, Odonem cunctis petentibus elegerunt. Fertur autem hac occasione Francos Widonem Regem sibi non assumpsisse. Nam dum ad Metensem venturus esset urbem, quæ potentissima in regno Lotharii claret, præmisit dapiferum suum, qui alimenta illi more regio præpararet. Metensis verò Episcopus, dum cibaria ei multa secundùm Francorum consuetudinem ministraret, hujusmodi responsa à dapifero suscepit: si equum saltem mihi dederis, faciam ut tertia obsonii hujus parte sit Rex Wido contentus. Quod Episcopus audiens, non decet, inquit, talem super nos regnare Regem, qui decem drachmis vile sibi obsonium præparat. Sicque factum est, ut Widonem desererent, Odonem autem eligerent. Francorum

A igitur legationibus non parum Rex Wido perturbatus, nonnullis cœpit cogitationibus æstuare, tam ex Italico regno Berengario jurejurando promisso, quàm ex Francorum, præsertim quòd penitùs illud se non posse sciverat adipisci. Inter utramque autem æstuationem, quoniam Francorum Rex esse nequibat, frangere quod Berengario fecerat jusjurandum deliberat: collectoque prout potuit exercitu, traxerat sanè & à Francis quandam affinitatis lineam, Italiamque concitè ingressus, Camerinos, atque Spoletinos fiducialiter ut propinquos adiit. Berengarii etiam partibus faventes, ut infidos pecuniarum gratiâ acquirit: itaque Berengario bellum parat. Copiis denique utraque ex parte B collectis, juxta fluvium Terviam, qui quinque à Placentia milliariis distat, civile bellum parant: in quo quum partibus ex utrisque caderent multi, Berengarius fugam petiit, triumphum Wido obtinuit. Nec mora diebus paucis interpositis, collecta Berengarius multitudine, in Brixiæ latissimos campos Widoni bellum parat, ubi quum maxima strages fieret, fugâ se se Berengarius liberavit.

CAPUT VII.

Berengarius Arnulfum in auxilium pollicitationibus pellicit in Guidonem, qui quum alteram fluvii ripam teneret, & congredi nequirent, Bajoarius quidam Arnulfi eques Italos ad certamen insolentiùs provocavit, & ab Hubaldo quodam victus occubuit, Arnulfique notus bello decessit. Berengarius autem Arnulfum rursum promissis onerat, qui rediens multas urbes subjugavit.

C JAm verò Berengarius quum Widoni resistere copiarum paucitate nequiret potentissimum, quem prædiximus, Arnulfum regem in auxilium rogat, promittens se, suosque ejus potentiæ servituros, si virtutis suæ adminiculo Widonem superaret, regnumque sibi Italicum vendicaret. Hujus planè tantæ promissionis gratia accitus Rex Arnulfus filium suum Zwentebaldum, quem ex concubina genuerat, valido cum exercitu hujus in auxilium dirigit, veneruntque pariter omni sub densitate Papiam. Wido verò ita fluviolum, qui Papiam alluit, Vervavolum nomine, tam sudibus, quàm exercitu munierat, quatenus altera alteram, ipso medio discurrente, pars partem oppugnare nequiret. Unus D & vicesimus dies transierat, quum, sicut prædiximus, altera pars alteri nocere non posset, & Bajoariorum unus quotidie agminibus exprobans Italorum imbelles eos, atque equitandi inscios clamabat. Ad augmentum etiam dedecoris inter eos prosiliit, hastamque uni ex manu excussit, sicque lætus in suorum castra repedavit. Hubaldus igitur Bonifacii pater, qui post nostro tempore Camerinorum, & Spoletinorum extitit Marchio, tantum gentis suæ cupiens dedecus vindicare, clypeo accepto obviam mox prædicto Bajoario tendit. Is autem triumphi præteriti, non solùm non immemor, sed eo factus audacior, ceu de victoria jam securus hunc contra properat lætus. Cœpitque vertibilem equum modò impetu vehementi dimittere, strictis modò habenis retrahere. Memoratus verò Hubaldus rectà eum cœpit adire. Quumque in eo esset ut mutuis se figerent vulneribus, more solito Bajoarius equo versili varios, flexosq; per anfractus cœpit discurrere, quatenus argumentis posset Hubaldũ decipere. Verùm, quum hac arte terga verteret, ut mox rediens

Hu-

Hubaldum ex adverso percuteret, equus cui Hubaldus insederat, vehementer calcaribus tunditur, & per scapulas antequam reverti posset, Bajoarius lanceâ ad cor usque perforatur. Hubaldus igitur freno Bajoarii præripiens equum, ipsum in medio fluvioli alveo exutum homine reddidit: Sicque suorum injuriæ ultor de triumpho ad suos rediit hilarior. Hoc sanè factum non mediocrem Bajoariis terrorem, Italicis audaciam intulit. Inito quippe Bajoarii Consilio, nonnullisque Zwentebaldus à Widone argenti acceptis ponderibus in propria remeavit. Igitur Berengarius dum ubi prospera inimico, sibi adversa prospiceret, cum Zwentebaldo pariter Arnulfi Regis adiit potentiam, orans, ac pollicens, ut si ipsum adjuveret, se totam Italiam, ut ante promiserat, ditioni ejus suppositurum. Qui tantæ promissionis gratiâ excitus, copiis collectis, cominus Italiam adit. Cui Berengarius, ut promissioni suæ daret fidem credulitatis, arrabonem clypeum portat. Susceptus itaque à Veronensibus, ad urbem proficiscitur Pergamum: ubi dum firmissima loci munitione confisi, immo decepti homines ei occurrere nollent, castrametatus ibidem belli fortitudine urbem capit, incolas jugulat, trucidat. Civitatis etiam Comitem Ambrosium nomine, cum baltheo, & armillis, cæterisque pretiosis indumentis suspendi ante portæ januam fecit. Quod factum, cæteris omnibus urbibus, cunctisque Principibus terrorem non parvum attulit. Quicunque enim hoc audierat, utraque auris ejus tinniebat. Mediolanenses igitur, atque Ticinenses hac fama perterriti, ejus non ausi sunt præstolari adventum: verùm præmissa legatione, jussioni suæ se obtemperaturos esse promittunt. Othonem itaque Saxonum potentissimum Ducem, hujus gloriosissimi, atque invictissimi Regis Othonis, qui nuncusque superest, & feliciter regnat, avum, Mediolanum dirigit gratiâ defensionis, rectâ ipse Ticinum petit.

CAPUT VIII.

De Widonis à facie Arnulfi fuga, Arnulfi metrica ad suos concione, postquam urbs Roma capta est, & de Formosi Papæ ab Rom. persecutione, & causa simultatis, Sergiique Antipapæ postmodum intrusi in eum defunctum immanitas: & miraculosa Formosi sepultura.

DEnique Wido hujus impetum ferre non valens, Camerinum, Spoletumque versùs fugere cœpit. Quem sinè dilatione acriter Rex insequitur, Urbes, & Castella omnia sibi resistentia debellans. Nullum siquidem castrum fuerat naturâ etiam ipsâ tam munitum, quod virtuti hujus saltem resistere moliretur. Quid autem mirum, quum ipsa civitatum omnium regina, magna silicet Roma, hujus impetum ferre nequiverit? Enimvero dum à Romanis ingrediendi urbem huic fiducia negaretur, convocatos se milites ita convênit:

Magnanimi proceres, & clari Marte secundo,
Arma quibus studium fulvo radiare metallo
Romulidæ sveti vacuis, quod condere sceptris;
Sumite nunc animos, vo is furor arma ministret.
Non Pompejus adest, non Julius ille beatus,
Qui nostros domuit proavos mucrone feroces.
In solis en hujus summam deduxit ad Argos,
Protulit in lucem quem sancta (1) Ritanica mater:
Bis tortâ studium pingues captare siluros
Cannabe, non clypeos manibus gestare micantes.

His heroës dictis animos accensi vitam aviditate contemnunt. Clypeis denique, cratibusque catervatim operti muros adire contendunt. Plurima etiam bellorum paraverant instrumenta, quum inter agendum, populo considerante, contigit lepusculum clamore ejus exterritum Urbem versùs fugere. Quem dum populus, exercitusque, ut assolet, impetu vehementi sequeretur, Romani putantes se impugnari, de muro sese projiciunt. Quod populus cernens, sagmatibus, sellisque, quibus equis insederant, juxta murum projectis, per eorum acervum muros ascendunt. Populi verò pars quædam, accepta mox trabe quinquaginta pedum procera longitudine, portam quatiunt, & Romam, quam Leonianam dicunt, in qua Beati Petri Apostolorum Principis pretiosum Corpus quiescit, vi capiunt. Cæteri verò, qui trans Tiberim erant, hoc timore compulsi, hujus dominatui colla submittunt. Hoc in tempore Formosus Papa religiosissimus à Romanis vehementer affligebatur, cujus & hortatu Rex Arnulfus Romam advenerat, in cujus ingressu, ulciscendo Papæ injuriam, multos Romanorum Principes obviam sibi properantes decollari præcepit. Causa autem simultatis inter Formosum Papam, & Romanos hæc fuit. Formosi prædecessore defuncto, Sergius quidam Romanæ Ecclesiæ Diaconus erat, quem Romanorum pars quædam Papam sibi elegerat. Quædam verò pars non infima nominatum Formosum Portuensis civitatis Episcopum pro vera religione, Divinarumque Scripturarum, & doctrinarum scientia Papam sibi fieri anhelabat. Nam dum in eo esset, ut Sergius Apostolorum Vicarius ordinari debuisset, ea, quæ Formosi partibus favebat pars, cum non mediocri tumultu, & injuria Sergium ab Altari expulit, & Formosum Papam constituit. Descenditque Sergius in Tusciam, quatenus Adelberti potentissimi Marchionis auxilio juvaretur: quod & factum est. Nam Formoso defuncto, atque Arnulfo in propria reverso; is, qui post mortem Formosi Papa constitutus est, expellitur, Sergiusque Papa per Adelbertum constituitur. Quo constituto, ut impius, doctrinarumque Sanctarum inscius, Formosum è sepulcro extrahere, atque in Sedem Romani Pontificatus Sacerdotalibus indumentis indutum collocare præcepit. Cui & ait: Quum Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem Sedem usurpasti? His expletis, sacratis mox exutum vestimentis, digitisque tribus abscissis, in Tiberim jactare præcepit, cunctosque, quos ipse ordinaverat, gradu proprio depositos iterum ordinavit. Quod quàm malè egerit, Pater Sanctissime, in hoc animadvertere poteris, quoniam & hi, qui à Juda Domini Nostri Jesu Christi proditore ante proditionem salutem, seu benedictionem Apostolicam perceperant, ea post proditionem, propriique corporis suspensionem minimè sunt privati, nisi quos improba fortè defenderant flagitia. Benedictio siquidem, quæ ministris Christi impenditur, non per eum, qui videtur, sed qui non videtur Sacerdotem infunditur. Neque enim qui rigat est aliquid, neque qui plantat, sed qui incrementum dat Deus. Quantæ autem auctoritatis, quantæque religionis Papa Formosus fuerit, hinc colligere possumus, quo-

(1) Al. Britannica.

quoniam dum à piscatoribus postmodum esset inventus, atque ad Beati Petri Apostolorum Principis Ecclesiam deportatus, Sanctorum quædam imagines hunc in loculo positum venerabiliter salutarunt. Hoc namque à religiosissimis Rom. urbis viris persæpe audivi. Sed his omissis ad narrandi ordinem redeamus.

CAPUT IX.

De Firmi per Arnulfum obsidione, & per astum uxoris Guidonis, quæ potionem soporiferam Arnulfo propinandam curaverat, solutione: de causa mali in Arnulfo, ejusque insolentia, & Templorum prophanatione. De Arnulfi consilio in Berengarium cæcandum, ejusque deinde contemptu: de seditione, & cæde Ticini, quæ nunc Papia dicitur, facta. De Anscarii metu, & Arnulfi tetro exitu.

REx Arnulfus desiderii sui compos effectus, persequi Widonem non desiit, profectusque Camerinum, castrum, vocabulo, & natura Firmum, in quo Widonis uxor erat, obsedit. Wido autem in incertis latuit locis. Præfatum igitur castrum nomine, & natura Firmum, vallo circumdatur omnia bellorum instrumenta, quibus capi posset, præparantur. Quumque Widonis uxor magnis undique angustiis premeretur, & evadendi spes illi omnis negaretur, causas mortis regiæ viperina cœpit calliditate exquirere. Accitum namque ad se quendam Arnulfi Regis familiarissimum magnis eum muneribus rogat, ut se adjuvet. Qui quum se non aliter posse testaretur, nisi civitatem domini sui traderet ditioni: illa etiam atque etiam magna auri pondera non solùm pollicens, verùm in præsentiarum tribuens, orat, ut quodam poculo ab ea sibi collato dominum suum Regem potaret: quod non periculum mortis daret, sed mentis feritatem mulceret. Quæ etiam suis ut fidem dictis præberet, ante illius præsentiam hoc unum suorum porat servorum. Qui unius horæ spatio conspectu hujus astans, sanus abscessit. Verùm veridicam Maronis illius sententiam in medium proferamus:

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

sumtum namque lethale poculum festinus regi propinat. Quo accepto, tanta hunc confestim somni virtus invasit, ut totius exercitus strepitu triduo excitatus evigilare nequiret. Fertur autem quoniam dum familiares hunc modò strepitu, modò tactu inquietarent, apertis oculis nil sentire, nil loqui potuisse perfectè. Positus tamen in mentis excessu mugitum reddere, non verba edere videbatur. Hujus autem rei actio repedare omnes compulit, non pugnare. Credo autem Arnulfum Regem justâ severi judicis censurâ hujusmodi pestem incurrisse. Secundæ enim res dum Imperium hujus ubique magnificarent, virtuti suæ cuncta tribuit, non debitum Omnipotenti Deo honorem reddidit. Sacerdotes Dei vincti trahebantur, Sacræ Virgines vi opprimebantur, conjugatę violabantur. Neque enim Ecclesiæ confugientibus poterant esse asylum. In his namque symbola faciebant, gestus turpes, cantus ludicros, & debacchationes. Sed & Mulieres eòdem publicè prostituebantur. Denique redeuntem Arnulfum Regem cum magna multitudine, paulatim Rex Wido persequitur. Quumque Arnulfus Bardonis montem conscenderet, ibi suorum consilio definivit, quatenus Berengarium lumine privaret, sicque securus Italiam obtineret. Cognatorum verò Berengarii unus, qui non parvâ Arnulfo Regi familiaritatis gratiâ inhærebat, hujus consilium ut agnovit, absque mora Berengario patefecit: qui mox ut sensit, lucernâ, quam ante Arnulfi Regis præsentiam tenebat, alii traditâ, fugit, atque Veronam percitus venit. Omnes extunc Italienses Arnulfum flocci pendere, nihili habere. Unde quum Ticinum veniret, non modica orta est in civitate seditio, tantaque istic strages exercitus facta est, ut cryptæ civitatis, quas alio nomine cloacas dicunt, implerentur horum cadaveribus. Quod Arnulfus cernens, quoniam per Veronam non potuit, per Hannibalis viam, quam Bardum dicunt, & montem Jovis repedare disposuit. Quumque Iporegiam pervenisset, Anscarius Marchio istic aderat, cujus exhortatu civitas rebellabat. Verùm hic Arnulfus jurejurando promiserat, nunquam se à loco eodem discessurum, quàm præsentiæ suæ repræsentarent Anscarium. Is autem ut erat homo formidolosus valde, ei omnino similis, qui à Marone canitur,

Largus opum, linguâ melior, sed frigida bello
Dextra,

de castello exiit, & juxta murum civitatis in cavernis petrarum latuit. Hoc eo fecit, quatenus licitè possent Regi Arnulfo jurejurando satisfacere Anscarium in urbe non esse. Itaque jusjurandum istud accepit Rex, atque iter, quod cœperat, peragens abiit. Profectusque in propria turpissima valetudine expiravit. Minutis quippe vermibus, quos pedunculos ajunt, vehementer afflictus spiritum reddidit. Fertur autem quòd præfati vermes adeò scaturirent, ut nullis medicorum curis minui possent. Utrum verò pro tam immenso scelere, Hungarorum scilicet emissione, secundùm Prophetam duplici sit contritione attritus, an ut ex præsenti supplicio consequeretur veniam in futuro, solius Dei scientiæ dimittamus: quod & Apostulus dicit: Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.

CAPUT X.

De Widonis obitu, Berengarii in regnum receptione, sed mox Lanthberti filii Widonis coronatione, populi in eum favore, & Principum odio. Nam Maginfredus Mediolanensis Comes in eum grassabatur: sed victus capite punitus est: & Adelbertus Dives in eum movit.

JUstus autem Deus uxori Widonis, quæ huic paraverat mortem, parat viduitatis dolorem. Sicut enim præfati sumus, dum redeuntem Arnulfum Rex Wido è vestigio sequeretur, juxta fluvium Tarum defunctus est. Cujus obitum Berengarius ut audivit, venit festinus Papiam, regnumque potenter obtinuit: fideles verò, fautoresque Widonis, veriti ne ab eis illatam Berengarius ulcisceretur injuriam, & quia semper Italienses geminis uti dominis volunt, quatenus alterum alterius terrore coërceant, Widonis Regis defuncti filium nomine Lanthbertum elegantem juvenem adhuc ephœbum, minùsque bellicosum Regem constituunt. Cœpit denique hunc populus adire, Berengarium

rium deserere. Quumque Berengarius Lanthberto cum exercitu magno Papiam tendenti copiarum paucitate occurrere non auderet, Veronam petiit, isticque securus degit. Non post multum verò temporis Lanthbertus Rex, quum esset vir severus, Principibus gravis est visus, unde & Legatos Veronam dirigunt, & Regem Berengarium ad se venire, Lanthbertum verò expellere petunt, Magnifredus prætera Mediolanensis urbis Comes quinquenio huic rebellis extiterat, qui non solùm urbem, in qua rebellis erat, Mediolanum scilicet, defenderat, verùm & vicina circumquaque Lanthberto loca servientia depopulabatur. Quod factum Rex non passus abire inultum, psalmographicum illud persæpe ruminans: quum accepero tempus, ego justitias judicabo. Nam post paululum capitis hunc jusserat damnari sententiâ. Quæ res terrorem cunctis Italiensibus non minimum incussit. Denique hoc eodem tempore Adelbertus illustris Tuscorum Marchio, atque Hildebrandus præpotens Comes huic nisi sunt rebellare. Tantæ quippe Adelbertus erat potentiæ, ut inter omnes Italiæ Principes, solus ipse cognomento diceretur Dives. Huic erat uxor nomine Berta; Hugonis post nostro tempore Regis mater, cujus instinctu tam nefaria cœpit ipse facinora; nam collecto exercitu, cum Hildebrando Comite constanter Papiam tendere festinat.

CAPUT XI.

De Lanthberti strenua victoria in Hildebrandum, quem fugavit, & Adelbertum, quem cœpit, & cavillo illusit post multorum stragem.


Lanthbertus interea Rex harum rerum inscius, in Marinco jam aliquantis diebus venationi vacabat. Quumque Adelbertus Marchio, & Hildebrandus Comes, cum diverso, & invalido Tuscorum exercitu Bardonis montem transirent, Lanthberto Regi medio in nemore venanti, ut sese res habuerat, nunciatur. Is verò sicut erat animi constans, viribusque potens, suos non passus est milites præstolari, sed collectis quos secum habebat centum ferè militibus, cursu præpeti eis occurrere festinat. Jam jam Placentiam venerat, quum juxta fluvium Sesterionem ad Burgum, in quo sanctissimi, & preciosi Martyris Dominici corpus positum veneratur, castrametasse nunciantur. Ignorantes igitur quid superventura nox pareret, temulenti post nonnulla inutilia τραγῳδείματα, idest cantilenas, somno sese dedere, stertere, nauseam alii sumptus intemperantiâ facere. Rex igitur animi ferox, tum ingenio callens in ipso eos noctis conticinnio opprimit, dormientes ferit, oscitantes jugulat. Ventum est denique ad illos, qui ductores hujus exercitus erant. Quumque eis non ex multitudine alius, sed Rex ipse præclari hujus facinoris nuncius esset, non solùm pugnandi, sed & fugiendi terror ipse abstulit facultatem. Verùm Hildebrandus fugâ elapsus, Adelbertum intra animalium præsepe jactitantem dereliquit: qui dum repertus, atque ante Regis præsentiam ductus esset: Rex eum illico ita convênit: Sibyllino spiritu uxorem tuam Bertam prophetasse credimus, quæ te aut scientiâ suâ Regem, aut asinum facturam se promisit. Verùm quia Regem noluit, aut, ut magis credendum est, non potuit, asinum, ne mentiretur, effecit, dum te etiam cum Arcadiæ pecuaribus ad præsepe declinare coëgit. Præter eum autem, & alii cum ipso nonnulli capiuntur, vinciuntur, Papiam ducuntur, custodiæ mancipantur.

CAPUT XII.

De mortis Lanthberti duplici opinione, quarum verior putatur, quòd ab Hugone Mediolanensi cæsus sit, quod conqueritur.

His ita gestis, Rex Lanthbertus iterum præfato in loco Marinco venationibus occupatur, quò ab omnium Principum decreto quid super captis agendum esset deliberaretur. Sed eo utinam venatio hæc feras caperet, non Reges. Ajunt sanè hunc Regem, dum, sicut moris est, apros effreni consectaretur equo, cecidisse, collumque fregisse. Verùm assertioni huic fidem præbere absurdum esse duco. Est enim alia mortis hujus, quæ mihi verisimilior videtur, atque ab omnibus populis narratur assertio. Magnifredus Mediolanensis urbis Comes, cujus superiùs paulò fecimus mentionem, dum pro scelere in Rempublicam, atque in Regem commisso capitis judicio damnaretur, unicum possessionis Vicarium Hugonem filium dereliquit. Quem dum Lanthbertus Rex tum fortunâ egregiâ, tum animi audaciâ nonnullos superare videret: non parvum pro patris morte dolorem collatis visus est beneficiis mulcere quamplurimis. Unde & eum præ cæteris familiaritatis dilexerat privilegio. Factum est autem dum Lanthbertus Rex nominato in luco Marinco venaretur (est enim ibidem miræ magnitudinis, & amœnitatis lucus adeò venationibus aptus) huc, illucque cunctis, ut moris est, discurrentibus, hoc cum uno scilicet Hugone ipsum solummodo inibi remansisse. Quumque Rex aprum in transitu præstolaretur, diuque multùm remorante longa expectatione lassaretur, paululum se se quieti dedit, vigiliæ custodiam huic infido, quasi fido committens. Absentibus igitur cunctis, Hugonis mens custodis, immo proditoris, atque carnificis, collatorum beneficiorum immemor, plurimùm patris mortem animo cœpit revolvere: non consideravit genitorem suum justam incurrisse necem, jusjurandum quod fecerat Regi, violare non metuit, vicarium se Judæ Domini nostri Jesu Christi proditoris appellari non timuit. Verùm conamine toto virium, ligno non modico dormienti collum fregit. Gladio quippe ferire timuit, ne peccati hujus autorem res eum manifesta probaret. Eo namque mens perversa ita egit, ut non gladii cicatrix, sed ligni manifesta collisio, hæc reperientibus fidem daret equo cecidisse, collique fractione hominem exivisse. Latuitque res per annos quamplurimos: sed dum processu temporis Berengarius Rex, nullo sibi resistente, regnum viriliter obtineret, ipse reatus proprii sicut fuerat autor, extitit & proditor. Impletque illud, quod Propheta canit, *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniqua gerens benedicitur*. Sed aliter fecisse minimè potuit, propter hæc ipsius veritatis verba dicentis nihil opertum, quod non reveletur, & occul-

occultum, quod non in publicum veniat. His itaque gestis quum Berengarius ampliori, ac pristina dignitate regia honoraretur, Adelbertus Marchio, & cæteri ad propria destinantur. Juvat autem, Pater carissime, tanti hujus obitum Regis, & deflendo scribere, & scribendo deflere. Inerat namque illi honesta morum A probitas, sancta, & formidolosa severitas, & quem juventus ornaverat in corpore splendida, mentis canicies decorabat sancta. Planè plus ille Reipublicæ, quàm Respublica decoris ei contulerat. Quòd si non cita mors hunc raperet, is esset, qui post Romanorum potentiam totum sibi Orbem viriliter subjugaret.



LIUTPRANDI TICINENSIS ECCLESIÆ LEVITÆ HISTORIARUM

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De Ludovico Arnulfi filio, cujus tempore Hungari Bajoariam invadentes, eam immanissimè vastaverunt. In quos Ludovicus bellum parat juxta Lemannum lacum.

POstquam vitalis calor Arnulfi Regis membra deserens, corpus reddidit exanime: ejus filius Ludovicus Rex cunctis à populis ordinatur. Tanti deniq; casus viri vicinos Hungaros, sicut nec in toto Orbe degentes latêre non potuit. Siquidem lethi hujus fama fuit ipsis omni festivitate jucundior, gratiis omnibus præstantior. Quid igitur? Primo mortis hujus, natique ejus ordinationis anno, permagno collecto exercitu, Maravanorum gentem, quam virtutis eorum adminiculo Rex Arnulfus subdiderat, sibi vendicant, Bajoariorum etiam fines occupant, castra diruunt, Ecclesias consumunt, populos jugulant, & ut magis magisque timeantur, interfectorum sese sanguine potant. Ludovicus itaque Rex, gentis suæ depopulationem, illorumque intelligens crudelitatem, suorum omnium animos hac formidine inflammat, ut si bello eodem quemquam, quod tum acturus esset, deesse contingeret, laqueo proculdubio vitam finiret. Innumerabilis denique illa gentis pessimæ collectio copiis hujus obviam properare festinat. Nec videas sitientem animam ardentiùs haustum laticis gelidi, quàm prelii diem gentem hanc crudelem appetere. Neque enim haud aliud, quàm dimicasse juvat. Ut autem ex libro, qui de origine Hungarorum inscribitur didici. horum matres mox pueris editis, ferro acutissimo faciem secant, scilicet, ut antequam lactis nutrimenta percipiant, vulnerum tolerantiam subire cogantur: dant huic assertioni fidem vulnera, quæ pro deficientium dolore propinquorum vivorum corporibus infliguntur; Sanguinem neque prout ἄθεοι καὶ ἀσεβεῖς ἀντὶ τῶν ἀκόντων id est, finè Deo, finè pietate pro invitis fundunt. Jamjam Rex Ludovicus collecta multitudine, Augustam venerat, quæ est in Suevorum, Bajoariorum, sive Orientalium Francorum confinio civitas, quum insperata magis, non autem optata gentis hujus nunciatur vicinitas. Sequenti igitur die Lemanni secus fluminis campos, Martio operi capacitate sua aptos, utræque acies convenere.

A

CAPUT II.

Hungari positis insidiis Ludovici copias vincunt, & delent, votique compotes, Francorum, Saxonum, Suevorumque terras deprædantur.

PRiùs itaque ac Titani croceum linqueret aurora cubile, Hungarorum gens necis sitiens, belli avida, hos videlicet Christianos adhuc opprimit oscitantes: nonnullos namque spicula, priusquam clamores, evigilarunt. Citiùs enim ab eis spiritus recessit quàm somnus. Gravis itaque hinc inde oritur pugna. Versi terga, seu in fugam Hungari, directis acriter belis, idest telis, plurimos sternunt.

B

Nubibus omnipotens Heloim quum condere Phœbi
Lumina Chrysocomi venerandus cœperit atris.
Vertice quumque polum summo clamore remugit.

Alios verò cubilibus confossos, neque strepitus, neque vulnera excitarunt.

Fulgura crebra volant solio demissa tonantis
Ignea mox trepidant, qui nigrum in candida vertunt:
Conscia tunc metuunt scelerum sulcare suorum
Pectora, judicio pariter ruitura superno.
Haud secus è vacuis volitant concussa pharetris
Spicula, scinduntur validæ queis terga loricæ:
Concutit ipsa ruens segetes cùm grando superba,
Fit sonitus, clangorque simul per tecta sonorus;
Sic galeæ strictis reboant tunc ensibus ictæ
Corpora sicque cadunt mutuis confossa sagittis.

C

Jam descendens septimam Phœbus occupaverat horam, & serenus adhuc Ludovici partibus Mars favebat, quum Turci, sicut non incallidi, positis ex adverso insidiis fugam simulant. Quos dum Regis populus doli ignarus impetu validissimo insequeretur, omni ex parte prodeunt insidiæ, quasi victi ipsi victores interimunt. Rex ipse è victore se victum esse miratur: sitque illi non opinatus gravior casus. Videres equidem saltus, agros passim cadaveribus stratos, rivos, & flumina sanguine permixta rubere: tunc hinnitus equorum, clangorque tubarum, & fugientes etiam atque etiam terrere, persequentes magis magisque hortari. Hungari præterea compotes voti sui effecti, Christianorum hac tam immensa nece propriæ non

D

satisfecere nequitiæ; sed ut rabiem perfidiæ satiarent, Bajoariorum, Suevorum, Francorum omnia deflagrando regna percurrerunt. Nec quisquam erat, qui horum præsentiam, nisi labore non parvo, naturave munitissimis præstolaretur in locis, factusque est per nonnullos annos populus hic tributarius.

CA-

CAPUT III.

De Adelberti Comitis rebellione, & capitali sententia in eum circumventum Hattonis Archiepiscopi insidiis lata.

HUjus tempore Adelbertus quidam non fortunæ mediocris, sed ex Primatibus magnus ille heros simultatem non modicam in castello Bavenburg contra Rempublicam exercebat. Sæpe Rex Ludovicus congregatis omnibus super eum irruerat. Cui nominatus heros non juxta castellum, ut à plerisque assolet, sed procul à munitione præparat bellum. Regis itaque milites priusquam re ipsa hujus audaciam mirarentur Regem præeuntes pugnæ præludio hunc extra castrum illicere, atque interficere cogitabant: Adelbertus præludii hujusmodi non solùm gnarus, verùm etiam debriatus his obviam tam longè à castro processerat, ut non hunc milites, eousque ex adversariis esse cognoscerent, quoad in eorum cervices istius mucro cædis impatiens dæsevirет. Sed quum septennio ferme Adelbertus heros rebellionem hujusmodi exerceret, sciens Ludovicus istius audaciæ fortitudinem, haud quaquam se nisi tergiversatione quadam posse devincere, Hattonem Maguntinæ Sedis Archiepiscopum quid sibi super hac re faciendum esset consuluit. Qui, ut erat versutiæ plenus, Desine, ait: ego te securum meis sollicitudinibus reddam, ego ut ad te veniat providebo, tu ne redeat curato. Hatto itaque animi confidentiâ, qua nonnullas res ex infortunio secundas effecerat animatus, Bavenburg quasi Adelberto compassurus adiit. Cui & ait: Si non & aliam vitam præter instantem putares, tamen injustè faceres quod domino tuo rebellis existeres, præsertim quum & quod agis, facias gratis: eo enim quo ferocitatem animi vinceres, quantum ab omnibus, & præcipuè à Rege diligaris, non intelligis. Consulenti itaque mihi, fidem admitte, iusjurandum accipe, quo sinè animi vacillatione de castello exire valeas, & redire. Si Sacerdotii mei promissionibus minimè credis, juramento saltem ne diffidas, quoniam ut te salvum, & incolumem de castello eduxero, ita & reducere procurabo. Adelbertus igitur hujus melle dulcioribus elogiis delibutus immo deceptus, jusjurandum ab Hattone accepit, eumque, ut secum pranderet protinus invitavit. Hatto verò tergiversationis, quam exercere post paululum cupierat, non immemor, eodem se haudquaquam pransurum omnimodis interdixit. Nec mora. Hatto de castello egreditur, cujus Adelbertus dexteram tenens, mox eum insequitur. Quem quum extra castellum conspiceret, pœnitet, infit, me heros egregie, quia secundùm tuum consultum, præsertim quum longum iter immineat, corpus edulio aliquo non refecerim. Ignorans denique Adelbertus quantum incommodi, quantumve infortunii hæc scientia habebat; Revertamur, ait, domine mi, & ne jejunii maceratione tabescas cibo saltem paululum te recreato. Connivens itaque ejus petitionibus Hatto per quam eum eduxerat viam repedavit, & reduxit dexteram tenens. Haud mora, cibus sumitur, atque ab eisdem die eadem usque ad Regem properatur. Clamor in castris oritur, fit tumultus non modicus, quandoquidem Adelbertus Regi advenisse nunciatur. Rex prætere a hujus ob adventum non parum exhilaratus

A proceres ad se venire, atque in judicio residere præcepit. Quibus & ait: Jam ferè septennio Adelbertus quantas strages dederit, quas nobis turbationes egerit, quot rapinarum, & incendiorum infortunia nobis intulerit re ipsa potiùs quàm fama deferente percepimus. Unde & sententiam vestram, pro hoc tanto scelere, quid recompensationis impræsentiarum accipiat, expectamus. Qui omnium decreto secundùm priscorum instituta Regum, majestatis reus adjudicatus, capite truncatur. Verùm dum vinctus traheretur ad mortem, Hattonem intuitus: Perjurii, infit, reus eris, si me necem incurrere sinis. Cui Hatto, sanum te, inquit, è castro educturum, ita & reducturum promisi: quod me tunc implesse intellexi, quum te è castello eductum, salvum, & incolumen mox in castellum reduxi. Tunc se istuc advenisse dolens, & Hattonis dolum tardè intellexisse suspirans, tam invitus spiculatorem sequitur, quàm libenter viveret si liceret.

B

CAPUT IV.

De Hungaris collecto innumerabili exercitu Italiam petentibus, & exploratoribus eorum, quale consilium dederint, & quare territi ab Italiæ ingressu sint reversi, sed mox reparatis viribus Italis occurrerint.

C PAucis verò interpositis annis, quum nullus esset, qui in Orientali, ac Australi plaga Hungaris resisteret: (nam Bulgarorum gentem, atque Græcorum tributariam fecerant) ne quid inexpertum his esset, quæ sub meridiano, atque sub orientali degerent climate, nationes visere satagunt: immenso itaque, innumerabilique collecto exercitu, miseram petunt Italiam. Quumque juxta fluvium Brennam defixis tentoriolis immo centonibus, triduo exploratoribus directis, qui terræ situm, gentisque multitudinem, seu raritatem considerarent, repedantibus nunciis hujusmodi responsa suscipiunt: Planicies hæc nonnullis plena colonis, uno (ut cernitis) ex latere montibus asperrimis,

D atque fertilibus, altero mari cingitur Adriatico: oppida verò tum nonnulla, tum munitissima: gentis quanquam ignoretur imbecillitas, aut fortitudo, immensa tamen conspicitur multitudo. Neque enim hanc tam paucis copiis invadere hortamur: verùm quum nonnullæ sint res, quæ nos pugnare compellant, triumphus scilicet assuetus, animi fortitudo, pugnandi scientia, opes præsertim, quarum desiderio fatigamur, quæ hîc tot insunt, quot toto in Orbe nec vidimus, nec videre speravimus: Nobis tamen consultis (neque enim longum, arduumve remeandi iter est, quod decem potest, & eo minùs diebus perfici) revertamur, quatenus verè

E omnibus gentis nostræ collectis fortissimè redeamus, sitque his tum in fortitudine, tum nostra in multitudine terror. Nec mora, his auditis ad propria revertuntur, totamque hyemis asperitatem in fabricandis armis, in acuendis spiculis, in docendis juvenibus belli notitiam, ducunt. Sol necdum piscis signum deserens, arietis occupabat, quum immenso, atque innumerabili exercitu collecto Italiam petunt, Aquilejam, & Veronam pertranseunt munitissimas civitates, & Ticinum, quæ nunc alio excellentiori vocabulo Papia vocatur, nullis resistentibus, veniunt. Rex igitur Berengarius tam præclarum, novumque facinus satis mirari

non potuit: antehac enim neque nomen gentis hujus audierat. Italorum igitur, Tuscorum, Volscorum, Camerinorum, Spoletinorum quosdam libris, alios nunciis directis, omnes tamen in unum venire præcepit, factusque est exercitus triplo Hungarorum validior.

CAPUT V.

Quur Rex Berengarius contra Hungaros non ierit, & quur Hungari Italos fugerint, & quomodo fugientes pacem petierint, & de prælumdio prœlii, in quo priùs vicerunt Hungari, post fugerunt. Et quomodo propter defatigatos equos ad Brennam fluvium à Christianis deprehensi, pacem ab eis petierunt, quam non obtinuerunt.

A B QUumque sibi Berengarius tot adesse copias cerneret superbiæ spiritu inflatus, magisque triumphum de hostibus multitudini suæ, quàm Deo tribuens, solus cum paucis quodam in oppidulo degens, voluptati operam dabat. Quid igitur? tantam mox ut Hungari contemplati multitudinem, animo consternati, quid facerent deliberare non poterant, præliari penitùs formidabant, fugere omnino nequibant: verùm inter utramque hanc æstuationem fugere magis, quàm præliari juvat: persequentibus Christianis, Abduam fluvium natando, ita ut nimia festinatione plurimi submergerentur, transeunt. Hungari denique, C consilio non malo accepto, per internuncios Christianos rogant, quatenus, prædâ omni cum lucro redditâ, ipsi incolumes remeare possent. Quam petitionem Christiani funditus abdicantes, his, proh dolor, insultabant, potiùsque vincula, quibus Hungari vincirentur, quàm arma, quibus necarentur exquirunt. Quumque pagani Christianorum animos hoc pacto mulcere nequirent, vetus rati consilium melius, cœptâ se se liberare fugâ satagunt, sicque fugiendo in Veronenses campos perveniunt. Christianorum primi horum jam novissimos insequuntur, fitque eôdem pugnæ præludium, in D quo victoriam habuere pagani: Validiore verò propinquante exercitu, fugæ non immemores, cœptum iter percurrunt, veneruntque Christicolæ cum idolatris juxta fluvium Brennam: equi enim nimium defatigati fugiendi copiam negabant Hungaris. Simul igitur utræque acies convenere, memorati tantummodo fluvii alveo separatæ. Hungari denique nimio terrore coacti, omnem supellectilem, captivos, arma omnia, equos; singulis tamen, quibuscum remeare possent retentis dare promittunt: hoc præterea in honorem suæ petitionis adjungunt, ut si vita tantùm comite, datis omnibus, illos remeare permitterent, se nunquam Italiam E ampliùs ingressuros, filiis suis obsidibus datis. Verùm heu Christiani superbiæ tumore decepti, minis paganos, ceu jam victos insequuntur, eisque continuò hujusmodi apologiam remittunt. Si contraditum nobis, præsertim à contraditis jamque canibus mortuis munus reciperemus, fœdusque aliquod iniremus, insanos capite non sanus juret Orestes.

CAPUT VI.

De Consilio Hungarorum ex desperatione inito, & victoria eorum in Christianos per insidias circumventos: quam victoriam docet ob Christianorum peccata, non illorum merita adeptos.

HAc igitur legatione Hungari desperantes, collectis in unum fortissimis, tali sese mutuo sermone solantur: Si hac, quæ in præsentiarum cernitur, luce perdita, nihil est, quod deterius provenire possit hominibus, & quia locus preci nullus, fugiendi spes omnis ablata, colla submittere mori est, quid verendum est nobis tela inter ipsa ruere, morte mortem inferre? Nunquid non fortunæ, & non imbecillitati casus deputandus noster? Viriliter enim pugnando occumbere, non est mori, sed vivere. Hanc famam tantam, hanc κληρονομίαν idest hæreditatem, ut à patribus nostris accepimus, etiam relinquamus hæredibus. Nobis debemus, nobis saltem credere expertis, qui copiarum paucitate nonnunquam plurimos stravimus. Invalidæ plebis sanè congregatio plurima ad cædem tantùm est exposita. Sed & fugientem sæpissimè Mars perimit: dimicantem fortiter protegit. Hi enim, qui nobis supplicantibus non miserentur, ignorant, neque mente percipiunt, quia vincere quidem bonum est, supervincere nimis invidiosum. Hac itaque exhortatione utcunque animos recreati, tres in partes insidias disponunt, rectà ipsi fluvium transeundo hostes in medios ruunt. Christianorum enim plurimi longa propter internuncios expectatione defatigati, per castra, ut cibo recrearentur, descenderant: quos tanta Hungari celeritate confoderunt, ut in gula cibum transfigerent, aliis quibusdam fugam equis negarent ablatis, eoque illos leviùs perimebant, quòd sinè equis eos esse conspexerant. Ad augmentum sanè perditionis Christianorum non parva inter eos erat discordia. Nonnulli Hungaris non solùm pugnam non inferebant, sed ut proximi caderent anhelabant, atque hoc ipsi perversi perversè fecerant, quatenus dum proximi caderent, soli ipsi liberiùs quasi regnarent. Qui dum proximorum necessitatibus subvenire negligunt, eorumque necem diligunt, ipsi propriam incurrunt. Fugiunt itaque Christiani, sæviuntque pagani, & qui priùs placare muneribus nequibant, supplicantibus postmodum parcere nesciebant. Interfectis denique, fugatisque Christianis, omnia Hungari regni loca sæviendo percurrunt. Neque erat qui eorum præsentiam, nisi munitissimis fortè præstolaretur in locis. Illorum sanè adeò prævaluerat virtus, quatenus eorum pars quædam Bajoariam, Sueviam, Franciam, Saxoniam, quædam verò depopularetur Italiam. Neque tamen hoc eorum meruerat virtus, sed verus domini sermo terra, cœloque durabilior mutari non poterat, quemadmodum per Hieremiam Prophetam omnibus nationibus in persona domus Israël comminatur dicens: Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, gentem robustam, gentem antiquam, gentem cujus ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur. Pharetra ejus quasi sepulcrum patens, universi fortes, & comedet segetes tuas, & panem tuum devorabit, filios tuos, & filias tuas comedet, vorabit, filios tuos, & armenta tua, comedet vineam tuam, & ficum tuam, & urbes munitissi-

tissimas, in quibus tu habes fiduciam, gladio conteret. Veruntamen in diebus illis, ait Dominus Deus, non faciam vos in consummationem.

CAPUT VII.

De Ludovici obitu, & Conradi coronatione, & qui Principes sub eo fuerint, inter quos Henricus Dux Saxoniæ: qui Regi rebellantes ab eo victi sunt, fugiente Arnoldo Bajoario in Hungariam, & quomodo Conradus moriturus Principes omnes de pace inter se, & ut Henricum Saxonem Regem constituant exhortatur, transmissis ad eum regalibus ornamentis. De Arnoldi Bajoarii ex Hungaria reditu, & bellico in Henricum apparatu: sed suorum exhortatu Henrico deditus, eidem militat.

HAc autem tempestate Ludovicus Rex moritur. Conradus ergo Francorum ex genere oriundus, vir strenuus, bellorumque exercitio doctus, Rex cunctis à populis ordinatur. Sub quo potentissimi Principes Arnoldus in Bajoaria, Burcardus in Suevia, Everhardus Comes potentissimus in Francia, Gisibertus Dux in Lotharingia erant. Quos inter Henricus Saxonum, & Thuringorum Dux præpotens clarebat. Secundo itaque regni hujus susceptionis anno memorati Principes huic, præsertim Henricus, rebelles extiterant. Quos Conradus Rex tam sapientiæ vigore, quàm fortitudinis robore superavit, suamque ad fidelitatem produxit. Arnoldus autem nimio ejus terrore coactus cum uxore, & filiis ad Hungaros fugit, fuitque ibidem quoad vitalis aura Conradi Regis rexerat artus. Septimo denique regni sui anno, vocationis suæ ad Dominum tempus agnovit. Quumque memoratos Principes se adire fecisset, solummodo Henrico non præsente, ita convênit: ex corruptione ad incorruptionem, ex mortalitate ad immortalitatem vocationis meæ tempus agnosco, &, ut cernitis, præsto est; proinde pacem, concordiamque vos sectari etiam atque etiam rogo. Me hominem exeunte nulla vos regnandi cupiditas titillet, nulla præsidendi ambitio inflammet. Henricum Saxonum, & Thuringorum Ducem prudentissimum Regem eligite, dominum constituite. Is enim est & scientiâ pollens, & justæ severitatis censurâ abundans, his itaque prolatis, propriam coronam non auro, quo cujuscunque ordinis penè Principes pollent, verùm gemmis preciosissimis, non solùm, inquam, ornatam, sed gravatam, sceptrum, & cuncta, quæ regalia sunt indumenta, in medium venire præcepit, ac prout valuit, hujusmodi verba effudit: hæredem, regiæque dignitatis vicarium regalibus meis ornamentis Henricum constituo, cui ut obediatis, non solùm consulo, sed & oro. Quam jussionem mox sequitur interitus: & interitum est obedientia prosequuta. Ipso namque mortem obeunte, memorati Principes coronam, cunctaque regalia indumenta Henrico Duci contulerunt; atque, ut Rex Conradus dixerat, cuncta per ordinem narraverunt. Qui Regiæ dignitatis culmen, & priùs humiliter declinavit, ac paulò post non ambitiosè suscepit. Verùm, nisi pallida mors, quæ pauperum tabernas, Regumque turres æquo pulsat pede, Conradum Regem citissimè raperet, is esset cujus nomen multis mundi nationibus imperaret. Hoc eodem tempore Arnoldus cum uxore, & filiis ab Hungaria rediens, honorificè à Bajoariis, at- **A** que ab Orientalibus suscipitur Francis: neque enim solùm suscipitur, sed ut Rex fiat ab eis vehementer exposcitur. Rex Henricus quum obtemperare suis omnes jussionibus, Arnoldumque solùm resistere cerneret, pervalido collecto exercitu in Bajoariam tendit. Quod Arnoldus ut audivit, ejus non passus est in Bajoaria præstolari adventum. Verùm collectis quibus valuit copiis, huic obviam properat. Cupierat sanè & ipse Rex fieri. Quumque in eo essent, ut bellum pariter inire deberent, sicut vir sapiens, & Deum timens Rex Henricus cogitans ex utraque parte irrecuperabile posse damnum accidere, Arnoldo quatenus cum solo solus loquatur denunciat. Putans igitur **B** Arnoldus, quòd singulari se acciret certamine ad condictum solus horâ statutâ pervênit. Quem sibi obvium properantem Rex Henricus tali est sermone aggressus.

Insana domini jussis quid mente resistis?
Quòd populus Regem me cupit, esse scias
Imperio Christi, quo constat machina mundi,
Tartarus hunc metuit, hunc Phlegethon timuit,
Conterit hic nitidos Reges, dudumque tremendos,
Sublimesque volens erigit hic miseros,
Quo meritas laudes domino per secula solvant.
Tu ne superbe, reus, perfide, dure, ferox,
Invidiæ stimulis, sævaque cupidine tactus
Corpora Christicolûm perdere valde sitis?
Si Regem populus cuperet præponere te met
C *Protinus is fierem, quem magis is cuperet.*

Hoc igitur quadrifario dicendi genere, copioso scilicet, brevi, sicco, & florido, Rex Henricus, ut erat animo prudens, Arnoldi animum mulcens, ad suos rediit. Arnoldus verò quum suis omnia retulisset, hujusmodi ab eis audivit ἀπόκρισιν idest responsionem: sapiens prompsit illius sapientiæ veræ sententiam, quæ ait: Per me Reges regnant, Principes imperant, & prudentes justitiam decernunt. Qui huic resistit, illum Dei ordinationi resistere quis ambigit? Neque enim in hujus electione totius populi posset animus esse unus, si à Trinitate summa, quæ Deus unus est, ante mundi constitutionem non esset electus. Si bonus fue- **D** rit, diligendus erit, Deusque in eo laudandus: si verò malus, æquanimiter tolerandus. Subditorum namque plerumque exigunt merita, quatenus nonnunquam à prælatis graventur, non regantur. Æquum autem, justumque nobis videtur, ut à cæteris non dissentiens hunc Regem eligeres. Ipse verò te, ut tam fortunatum, & prædivitem virum hoc pacto bearet, animique tui feritatem mulceret, ut quod prædecessores non habuere tui, tibi concedatur, scilicet quatenus totius Bajoariæ Pontifices tuæ subjaceant ditioni, tuæque sit potestatis, uno defuncto, alterum ordinare. Connivens igitur Arnoldus huic optimo suorum consilio, Henrici Regis miles efficitur, & ab eo, ut jam di- **E** ctum est, concessis totius Bajoariæ Pontificibus, honoratur.

CAPUT VIII.

De Hungaris, audita morte Conradi, Saxoniam invadentibus. Quibus Henricus, quamvis infirmus, occurrit, & suos exhortatus est, votumque vovit.

PEr idem tempus, dum Conradi Regis interitum, atque Henrici in Regni successionem Hungari audirent, tali sese mutuo sermone sunt aggressi: Rex fortè novus novis uti legibus

gibus cupit. Copiis igitur collectis non minimis, ascendamus, scrutemurque debita utrum Henricus Rex velit tributa persolvere. Quòd si non, ut credimus, Regibus dissentit à cæteris, Regnum ejus cæde, atque immensis depopulemur incendiis: non Bajoariorum, sed Saxonum, ubi Rex ipse est, primò fines occupemus, ut si fortè (quod non speramus) congregare exercitum velit, neque de Lotharingia, neque de Suevia, neque de Bajoaria, ei maturè possit occurrere. Sed & Saxonum, ac Thuringorum terra facilè depopulatur, quæ nec montibus adjuta, nec firmissimis oppidis est munita. Rex Henricus gravissima valetudine detinetur, & Hungarorum ei adventus proximè nunciatur. Vix finetenus verba nunciantis audierat, quum directis per Saxoniam nunciis, post triduum quotquot poterat capitali sententia se adire præcipit. Validissimo igitur per quatriduum collecto exercitu (est enim Saxonum mos laudandus, atque imitandus, quatenus annum post unum atque duodecimum nemini militum bello deesse contingat) etsi corporis invalidus viribus, tamen mentis vigore animatus, prout valuit, equum ascendit, atque collectis in unum copiis, hujusmodi verbis ad pugnandi rabiem excitavit:

Inclita saxonum ceu leo frendens
Bella per innumera gens erat olim.
Restitit hæc Carolo ense cruento,
Qui sibimet totum straverat Orbem,
Fugit & hic victus victor ubique.
Quòd sibi nos rediens subdidit omnes
Id Domini pietas gessit, ob hoc, quòd
Participes voluit esse salutis.
Nunc mala Turcorum nescia Christi
Gens inimica Deo gaudet in omnem
Ecclesiæ populum ducere ferrum.
Proh dolor, heroes heus mage quòd nunc
Subdere nostra volunt colla tributo.
Sumite nunc animos more virili:
Membra secare, precor, vique ferire
Sit furor heus ardens, sancta cupido:
Hæc Stygias referant munera ad undas,
Et calidos numerent igne trientes

Talibus itaque Rex exhortationibus ad pugnam suorum accendi animos videns, indicto cunctis silentio, hoc iterum divini munere flaminis tactus adjecit: Priscorum facta Regum, Sanctorum scripta Patrum nobis quid agere debeamus insinuant. Non enim Deo difficile paucis plures sternere: si tamen horum, qui id agere cupiunt, fides meretur, fides inquam non professionis tantùm, sed operis, non solummodo oris, sed etiam cordis. Voveamus itaque, ac secundùm Psalmistam vota reddamus: Ego, inquam, ego priùs, qui dignitate videor, & ordine primus. Simoniaca hæresis Deo invisa, & à Beatissimo Apostolorum Principe Petro damnata, quæ ab antecessoribus nostris hactenus est temerè custodita, modis omnibus à nostro sit Regno expulsa connectet invicem charitas unitatis, si quos divisit calliditas dæmonis.

CAPUT IX.

De nuncio qui Hungaros in Meresburgo esse nunciabat omnia devastantes. Et de exploratoribus, quos Hungari à captivis moniti mittebant. Item de pugna commissa cum Hungaris. Et de bono consilio Henrici Regis, & victoria, & ubi sit ipsa victoria depicta.

REx nonnulla his similia dicere cœperat, quum volipes nuncius Hungaros in Meresburgo, quod castrum in confinio Saxonum, Thuringorum, & Sclavorum esse nunciabat. Adjecerat etiam eos non modicam parvulorum, ac mulierum habere prædam, virorum verò immensam fecisse stragem. Condixerat enim à decimo & deinceps anno neminem esse superstitem relicturos, quatenus per hoc terrorem non parvum adhiberet Saxonibus, Rex igitur, ut erat animi constans, talibus non terretur, verùm magis, magisque, ut pro patria pugnare, ac laudabiliter si necesse sit, occumbere velint exhortatur. Vinctos interea Hungari, si impugnari debeant, sciscitantur. Quumque ab his non aliter posse fieri testaretur, exploratoribus directis, si hoc verum esse possit exquiritur. Profecti denique exploratores, Henricum Regem immenso cum exercitu juxta præfatum oppidum Meresburgum contemplantur. Denique vix ad suos poterant repedare adventum exercitus nunciaturi. Neque enim his fuerat alius, verùm Rex ipse belli nuncius. Haud mora, bellum incipitur, atque ex Christianorum parte sancta, mirabilisque vox Κύριε ex eorum turpis, & diabolica *hui hui* frequenter auditur. Dederat autem Rex Henricus suis ante belli inchoationem hujusmodi sapiens, ac salubre consilium: quum ad martis præludium cœperitis properare, nemo socium velociori quanquam habeat, attentet equo præire: Verùm clypeis altrinsecus operti primos super scuta sagittarum ictus recipite: deinde cursu rapido, impetuque vehementissimo super eos irruite, quatenus non priùs vobis sagittarum ictus secundò possint emittere, quoad vestrorum sibi armorum sentiant vulnera pervenisse. Saxones igitur admonitionis hujus saluberrimæ non immemores, ordinata æqualiter acie currunt, nec est qui velociori transeat equo tardiorem: Verùm clypeis, ut Rex dixerat, altrinsecus cooperti sagittarum super clypeos recipiunt ictus innocuos: deinde, ut prudentissimus vir dixerat, super hos cursu præpeti veniunt, adeò ut eorum priùs vita cum gemitu fugeret, quàm secundò jaculorum fulmina mitterentur. Fitque divini muneris pietate, ut potiùs hos fugere, quàm præliari juvet. Velox tunc sonipes gaudet, pigro queritante. Phaletrarum præterea decor, armorumque honor non Hungaris tutelæ, sed oneri erant. Abjectis quippe arcubus, demissis spiculis, phaleris etiam, quò expeditiùs equi currerent projectis, fugæ solummodo operam dabant. Verùm Omnipotens Deus, qui eis pugnandi audaciam abstulerat, fugiendi etiam copiam omnino negabat. Cæsis igitur, fugatisque Hungaris, immensa captivorum turba dissolvitur, atque in lætitiæ cantum vox gemitus permutatur. Hunc verò triumphum tam laude, quàm memoria dignum, ad Meresburgum Rex in superiori cœnaculo domus per ζωγραφίαν, idest picturam, notari præcepit, adeò ut rem veram potiùs, quàm verisimilem videas.

CA-

CAPUT X.

De Ludovico quodam, quem Itali super se regnare invitabant: & cur Adelbertus Marchio hoc fecerit, qui gener erat Berengarii. De Adelberti ex bono in malum mutatione, de eodem Ludovico in verba Berengarii jurante, & Adelberto eundem instinctu uxoris ad rebellionem solicitante. Qui contra jusjurandum reversus, Berengarium Veronâ expulit, & Lucam profectus, honorificè ab Adelberto illic suscipitur. Cujus conspecta potentia invidiæ stimulis agitatur, ob quam rem ab ejus fide Abelbertus mox discessit.

DUm hæc aguntur, Italienses penè omnes Ludovicum quendam Burgundionum genitum prosapiâ, nunciis directis, invitant ut ad se veniat, Regnumque Berengario auferat, sibi obtineat. Hujus verò tam turpis sceleris autor Adelbertus Iporegiæ civitatis Marchio erat, cui & ibidem Berengarius filiam suam nomine Gisilam conjugio copulaverat, ex qua filium genuerat, cui & avi sui vocabulum dederat. Iste est, inquam, iste Berengarius ille, cujus immensitate tyrannidis tota nunc luget Italia, cujusque lenocinio à quibuscumque gentibus premitur, non juvatur. Sed ut ad rem redeamus, satis nunc dixisse sufficiat. Præterea idem Adelbertus, quod bonis omnibus cavendum est, nequaquam sui similis fuit. Nam dum fervente ætate juvenilem duceret vitam miræ humanitatis, miræque sanctitatis fuit, adeò sanè, ut si ei à venatione redeunti pauper occurreret, aliudque non esset, quod illi prestare posset, cornu protinus, quod collo ejus fibulis aureis dependebat, sinè dilatione concederet, rursumque ab eodem quanti æstimabat acquireret. Tam diræ autem postmodum factus est famæ, ut hujusmodi vera de eo tam à majoribus quàm à pueris cantio diceretur. Et quia sonorius est, græcè illud dicamus, Adelbertus comis curtis μακροσπαθής, μικροπιστής: quo signatur, & dicitur lungo eum uti ense, & minima fide. Hujus itaque, aliorumque, ac nonnullorum Italiensum hortatu præfatus Ludovicus Italiam venit. Cui mox Berengarius, ut audivit, obviam venit. Quumque Ludovicus Berengario sibi obviam venienti magnas adesse copias, sibi verò paucas cerneret, jurejurando ei hoc terrore compulsus promisit, ut si sese dimitteret, quibuscumque promissionibus accitus ampliùs in Italiam non veniret. Fecerat namque sibi Berengarius plurimis collatis muneribus Adelbertum Tuscorum præpotentissimum Marchionem valde fidelem, atque ideo Ludovicus, tam facilè est expulsus. Modica verò temporis transcursa intercapedine, Rex Berengarius nominato Adelberto gravis est visus. Cui rei Berta conjux sua, Hugonis Regis, qui nostro post tempore in Italia regnavit mater, non modicè fomitem ministravit. Unde factum est, ut consulto eodem Adelberto Marchione, cæteri Italienses Principes propter eundem Ludovicum, ut adveniret, transmitterent. Qui cupiditate regnandi oblitus jurisjurandi, venit concitus in Italiam. Videns itaque Berengarius, quòd Ludovicus tam ab Italiensium, quàm à Tuscorum susciperetur Principibus, Veronam profectus est. Ludovicus verò cum Italiensibus eum prosequi non desistens, Veronâ etiam illum expulit, totumque Regnum sibi viriliter subjugavit. His ita gestis, bonum visum est Ludovico, ut sicut

A circumcirca viderat Italiam, videret & Tusciam. Exiens denique Papiâ, proficiscitur Lucam, ubi decenter, miroque paratu ab Adelberto suscipitur. Quumque Ludovicus in domo Adelberti tot militum elegantes adesse copias cerneret, tantam etiam dignitatem, totque impensas prospiceret, invidiæ zelo tactus suis clanculum infit: Hic Rex potiùs, quàm Marchio poterat appellari. In nullo quippe mihi est inferior, nisi solummodo nomine. Quę res Adelbertum latêre non potuit. Quod Berta, ut erat mulier non incallida, audiens, non solùm virum suum ab ejus fidelitate movit, verùm etiam cæteros Italiæ Principes ei infideles

B effecit. Unde factum est, ut dum è Tuscia rediens, Veronam pergeret, degeretque ibidem, nihil hæsitans, nihilque mali suspicans, Berengarius, dato pretio, custodes civitatis corruperit, collectisque viris fortissimis, in ipso noctis conticinio civitatem ingressus fuerit.

CAPUT XI.

Descriptio Veronensis oppidi, & Athesis fluvii, & pontis super eum, ubi Ludovicus corruptis à Berengario civibus traditus, & regno, & lumine privatur: Hungaris Italiam laniantibus.

FLuvius Athesis, sicut Romam Tiberis, mediam civitatem Veronam percurrit, super

C quem ingens marmoreus miri operis, miræque magnitudinis pons est fabricatus: à læva autem parte fluminis, quæ est Aquilonem versùs, civitas posita est, difficili, arduoque colle munita, adeout si ea pars civitatis, quam memoratus fluvius dexteram alluit, ab hostibus capiatur, ea tamen viriliter possit defendi. In hujus verò collis summitate preciosi operis Ecclesia est fabricata, & in honore Beatissimi Petri Apostolorum Principis consecrata, ubi & propter amœnitatem Ecclesiæ, locique munitionem Ludovicus manebat. Berengarius denique, ut præfati sumus, noctu civitatem ingressus, clam Ludovico suis cum militibus pontem pertransiens, in ipso auroræ crepusculo hucusque ad-

D vênit. Qui clamore, strepituque militum excitatus, sciscitatur quid esset, in Ecclesiam fugit, nullusque eum præter Berengarii militum unum ubi esset agnovit. Qui misericordiâ motus noluit hunc prodere, sed celare. Timens verò idem ne ab aliis repertus proderetur, vitâque multaretur, Berengarium adiit, eumque ita convênit. Quandoquidem tanti Deus te habuit, ut tuum proprias in manus traderet hostem, debes & tu ejus monita, immo præcepta magni facere: infit enim. Estote misericordes sicut & pater vester misericors est. Nolite judicare, & non judicabimini: Nolite condemnare, & non condemnabimini. Intellexit itaque Berengarius, ut vir non incallidus, hunc, quo ipse la-

E teret, scire locum, eumque hac sophistica responsione decepit: Putasne me, insulse, quem mihi Dominus tradidit hominem, immo Regem velle occidere? Numquid & David Sanctus Regem Saulem à Deo sibi in manus traditum servavit, non quòd occidere non potuit, sed quia noluit? His sermonibus miles inclinatus locum ostendit, in quem confugerat Ludovicus. Qui captus, & ante Berengarii præsentiam ductus, hujusmodi à Berengario sermonibus increpatur: Quousque tandem abutêre Ludovice patientiâ nostrâ? Num inficiari potes te illo tempore meis præsidiis, mea diligentia circumclusum, commovere etiam contra

ra non potuisse, neque misericordia inclinatum, quæ tibi nulla debebatur, te dimisisse? Sensistine, inquam, te perjurum in istis esse victum? Confirmasti sanè mihi teipsum nunquam Italiam ingressurum. Vitam tibi, sicut ei, qui te mihi prodidit, promiseram concedo: oculos verò tibi auferri non solùm jubeo, sed compello. His dictis Ludovicus lumine privatur, & Berengarius Regno potitur. Hungarorum interea rabies, quia per Saxones, Francos, Suevos, Bajoarios nequibant, totam per Italiam nullis resistentibus dilatatur. Verùm quia Berengarius firmiter suos milites habere fideles non poterat, amicos sibi Hungaros non mediocriter effecerat. Sed & Saraceni, qui, sicut dixi, Fraxinetum inhabitabant, post labefactionem Provincialium quasdam summas Italiæ partes sibi vicinas non mediocriter laniabant, adeò ut, depopulatis pluribus urbibus, Aquas venirent, quæ est civitas XL. ferme miliariis à Papia distans. Quæ etiam propter Thermas miro in tetragonum modo ad lavandum ibi constitutas vocabulum hujuscemodi sortita est. Tantus timor invaserat universos, ut nullus esset, qui horum præsentiam, nisi fortè tutissimis præstolaretur in locis.

CAPUT XII.

De Maurorum Saracenorum irruptione in Calabriam, Apuliam, Beneventum, qui Garelianum montem, quem alii Garganum scribunt, pro munitione habebant. Et qua occasione ab Aphrica exierint Domino id permittente.

Eodem tempore Saraceni ab Aphrica ratibus exeuntes, Calabriam, Apuliam, Beneventum, Romanorum etiam civitates ita occupaverunt, ut unamquamque civitatem mediam Romani obtinerent, mediam Aphricani. In monte quippe Gareliano munitionem constituerant, in quo uxores, captivos parvulos, omnemque supellectilem satis tutò servabant. Nemo etiam ab occasu, sive ab arcturo, orationis gratiâ ad beatissimorum limina Apostolorum transire poterat, qui ab his, aut non caperetur, aut immodico precio dato dimitteretur. Quamvis enim misera Italia multis Hungarorum, & ex Fraxineto Saracenorum cladibus premeretur, nullis tamen furiis, aut pestibus sicut ab Aphricanis agitabatur. Fertur autem eos hac occasione ab Aphrica exivisse, atque Italiam adiisse. Leone, atque Alexandro Imperatoribus Augustis hominem exeuntibus, Romanus (ut latiùs sumus dicturi) cum Constantino, qui nunc usque superest Leonis Imp. filio, Constantinopolitanum regebat Imperium. Et sicut fieri assolet, primo, quo Romanus suscepit Imperium, anno, nonnullæ ei gentes, præsertim ἀνατολικαὶ, hoc est Orientales, visæ sunt rebellare. Factum est autem dum Imp. exercitum ad expugnandas eas transmitteret, Apuliam, & Calabriam binas regiones, quæ ei tunc temporis serviebant, huic rebellasse. Quumque Imp. maximis Orientem versùs copiis directis exercitus huc multitudinem destinare non posset: rogavit primò ut ad sui fidelitatem pristinam sponte redirent. Qui quum renuerent, atque hoc se facturos minimè dicerent, ad Aphricanum mox Imp. dirigit Regem, eum precio rogans ut se adjuvet, virtutisque ejus auxilio Apuliam sibi, atque Calabriam subdat. Hac ex legatione Rex Aphricanus accitus, innumerabiles ratibus copias in Calabriam, Apuliamque direxit, binasque has Regiones Imperatoris dominatui potentissimè subdidit. Sed dum processu temporis has regiones dimitterent, Romam versùs aciem gyraverunt, montemque Garelianum maxima pro tuitione sibi vendicaverunt, multasque munitissimas civitates debellantes vi cœperunt. Dominus verò noster Jesus Christus coæternus, & consubstantialis Patri, Sanctoque Spiritui, cujus misericordiæ plena est terra; qui neminem vult perire, sed omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ne pereant; qui solus Deus ante mundi constitutionem prævidit, atque post omnem creaturam quasi Dominum cæteris utentem, ac dominantem creavit hominem, quemque in fine temporis per sui Sanguinis effusionem verus homo, verusque Deus, non duo, sed unus, redemit, ad amorem sui, propriæque patriæ dilectionem quosdam beneficiis invitat, terroribus alios compellit, non quò sibi, qui nec augmentum bonitate nostra, ut Propheta testatur dicens. Quoniam bonorum meorum non eges, nec detrimentum malitia sumere possit, sed ut nobis prosit. Placuit itaque ei, quia beneficiis noluimus, hujusmodi nos ad tempus castigare terroribus. Sed ne Saraceni nobis diutiùs insultarent, & dicerent, Ubi est Deus eorum? convertit Deus corda Christicolarum, adeò ut amplior eis pugnandi, quàm fugiendi priùs esset cupido.

CAPUT XIII.

De Joanne Ravennate, qui per nefas summum Pontificatum invaserat, per Theodoram videlicet meretriculam. Item de quodam juvene Aphricano, qui ad Papam venit, eique consuluit, quomodo cum Aphricanis feliciter pugnare posset: quod eodem duce factum est.

Quo tempore venerandæ Romanæ Sedis Joannes Ravennas summum Pontificatum tenebat. Hic autem tam nefando scelere contra jus, fasque Pontificii culmen obtinuit. Theodora scortum impudens, hujus Alberici, qui nuper hominem exuit, avia (quod dictum etiam fœdissimum est) Romanæ civitatis non inviriliter monarchiam obtinebat. Quæ diras habuit natas, Maroziam, atque Theodoram, sibi non solùm coæquales, verùm etiam Veneris exortivo promptiores. Harum una Marozia ex Papa Sergio, cujus supra fecimus mentionem, Joannem qui post Joannis Ravennatis obitum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obtinuit dignitatem, nefario genuit adulterio: ex Alberto autem Marchione Albericum, qui nostro post tempore Romanæ urbis Principatum usurpavit. Per idem tempus Ravennatis Sedis, qui secundus post Romanum Archiereum Archipræsulatus habebatur, Petrus Pontificatum tenebat. Qui dum subjectionis officio debitæ nominatum Joannem Papam, qui suæ minister Ecclesiæ tunc temporis habebatur, Romam sæpiùs & iterum domino dirigeret Papæ: Theodora, ut testatur vita ejus, meretrix impudentissima, Veneris calore succensa, in hujus speciei decorem vehementer exarsit; secumque hunc scortari non solùm voluit, verùm etiam atque etiam post compulit. Hæc dum impudenter aguntur, Bononiensis Episcopus moritur, & Joannes iste loco ejus eligitur. Paulò post ante hujus diem consecrationis, nominatus Ravennas Archiepiscopus mortem obiit, locumque ejus Joannes Theodoræ instinctu priore

re Bononiensi Ecclesia deserta ambitionis spiritu inflatus, contra Sanctorum Patrum instituta sibi usurpavit. Romam quippe adveniens, mox Ravennatis Ecclesiæ ordinatur Episcopus. Modica verò temporis intercapedine, Deo vocante, qui eum injustè ordinaverat Papa, defunctus est. Theodoræ autem Glycerii mens perversa, ne amasii ducentorum milliarium interpositione, quibus Ravenna sequestratur à Roma, rarissimo concubitu potiretur, Ravennatis hunc Sedis Archiepiscopatum coëgit deserere, Romanumque (proh nefas!) summum Pontificium usurpare. Hoc igitur Sanctorum Apostolorum Vicario constituto, Pœni, ut præfatus sum, Beneventum, Romanasque urbes miserè laniabant. Accidit itaque Pœnorum quemdam juvenem injuriis lacessitum Pœnos deserere, & ad Joannem Papam advenire; tactumque Divino spiramine Papam ita convenisse: Sacerdos magne, si saperes, populum, terramque tibi subjectam à Pœnis tam graviter laniari non fineres. Elige igitur juvenes nimia quasi mobilitate volipedes, qui me Imperatorem, præceptorem, dominum æquanimiter audiant. Horum neminem, præter singulas parmas, singulaque pila, ensesque singulos, & simplices vestes cum exiguitate obsonii habere permittito. Sexaginta denique hujusmodi inventis, sibique traditis, adversùm Pœnos properat; latuitque secus angustas, quà Pœnorum iter erat, vias. Quumque circumcirca sæpiùs & iterum Pœni depopulantes redirent, clamore cum maximo ex improviso, atque insperato, ex insidiis prosilientes, eos faciliter trucidabant. Clamor ex ore, ictusque simul à manu processerant. Neque enim Pœni, qui, quidve esset priùs scire poterant, quàm istorum spicula horum corporibus inhærebant. Hac denique fama, hocque exercitio nonnulli Romanorum acciti, plurimis in locis Pœnos prostraverant; callidoque hoc Aphricani consilio attriti, civitates penitùs rupto inter se fœdere deserebant, solùmque Garelianum Montem sibi pro munitione deligebant.

CAPUT XIV.

De consilio Landulfi Beneventanorum Principis Joanni Papæ dato, ut Imperatorem in auxilium advocaret: Cujus auxiliis fretus, feliciter cum Saracenis pugnatum est, divis Petro, & Paulo opitulari visis.

JOanne itaque, ut præfatus sum, Papa constituto, Landolfus vir quidam strenuus, bellorum exercitio doctus, Beneventanorum, & Capuanorum omnium Princeps clarebat. Pœnis igitur statum Reipub. labefactantibus, Landolfum hunc Principem egregium, quid super re hujuscemodi faciendum esset, quam Aphricani agunt, Joannes consulit Papa. Quod Princeps ut audivit, Papam per internuncios ita convênit. Res hæc, Pater, palàm magnis est investiganda consiliis: mittito itaque ad Græcorum Imp. cujus & ipsi quæ cis mare est terram, sicut & nostram, depopulari non cessant. Camerinos etiam, atque Spoletinos nostrum ad auxilium invitato, ineamus protectore Deo cum his bellum. Si vincimus, non multitudini, sed Deo imputetur victoria, si verè vicerint Pœni, peccatis nostris, & non inertiæ deputetur. His auditis, Papa confestim nuncios Constantinopolim dirigit, suppliciter Imperatoris auxilia sibi dari deposcens. Imperator

A verò ut vir Sanctissimus, Deumque timens, copias absque mora classibus advehendas direxit. Quumque per Garelianum flumen conscenderent, affuit, & Papa Joannes cum Landolfo pariter Beneventanorum Principe potentissimo, Camerinis etiam, atque Spoletinis. Horrida denique inter eos pugna exoritur. Verùm dum Christianorum partem Pœni prævalere conspicerent, in Gareliani montis summitatem confugiunt, angustasque tantùm vias defendere moliuntur. Ex parte verò illa qua difficilior erat ascensus, Pœnisque ad fugiendum aptior; Græci castrum die illa constituunt, in quo residentes Pœnos ne fugerent observabant, quotidieque oppugnantes, non mediocriter trucidabant.
B Græcis igitur, Latinisque quotidie confligentibus, Deo miserante, Pœnorum ne unus quidem superfuit, qui non aut gladio trucidaretur, aut vivus continuò caperetur. Visi sunt autem à religiosis fidelibus in eodem bello Sanctissimi Apostoli Petrus, & Paulus, quorum precibus Christianos credimus meruisse, quatenus Pœni fugerent, & ipsi victoriam obtinerent.

CAPUT XV.

C *De Adelberti Tusciæ Marchionis obitu, & filii ejus Widonis præfectura, & Matris ejus à Berengario captione: & quot suspicati sint Bertham peperisse liberos Adelberto. De rebellione Mediolanensium, & causa ejus. De Comite palatii capto, & Lanthberto non opportunè commendato, quem Berengarius frustra requisivit.*

HOc in tempore Adelbertus Tuscorum potens Marchio moritur, filiusque ejus Wido à Berengario Rege Marchio patris loco constituitur. Bertha autem ejus uxor cum Widone filio, post mariti obitum minoris non facta est, quàm vir suus potentiæ. Quæ tum calliditate, & muneribus, tum hymenæi exercitio dulcis, nonnullos sibi fideles effecerat. Unde contigit, ut dum paulò post à Berengario simul cum filio caperetur, & Mantuæ in custodia
D teneretur, suas civitates, & castella omnia Berengario minimè reddiderit, sed firmiter tenuerit, eamque postmodum de custodia simul cum filio liberarit. Hæc, ut rumor est, tres ex viro suo genuerat liberos: Widonem, quem prædiximus, atque Lanthbertum, qui nunc usque lumine privatus superest: Ermengardam etiam natam suam sibi Aphroditi dulcedine coæqualem, quam Adelberto Iporegiæ civitatis Marchioni, Gisilâ Berengarii Regis filiâ, Berengarii scilicet Regis hujus matre, defunctâ, hymenæi consortio copulaverat: quæ ei filium genuerat nomine Anscarium, qui quantæ virtutis, quantæque audaciæ fuerit, liber subsequens declarabit. His temporibus idem Adel-
E bertus gener Regius, Iporegiæ civitatis Marchio, atque Odelricus palatii Comes, qui ex Suevorum sanguine duxerat originem, nec non & Gilebertus prædives Comes, & strenuus Lanthbertus etiam Mediolanensis Archiepiscopus, nonnullique alii Principes Italiæ Berengario rebelles extiterant. Causa autem rebellionis hujus hæc fuit: dum Lanthbertus, defuncto antecessore suo, Mediolanensis Archiepiscopus ordinari debuisset, non parvam ab eo Rex Berengarius contra Sanctorum instituta Patrum accepit pecuniam, quantam cubicularii, quantam ostiarii, quantam pavonarii, ipsi etiam altilium custodes accipere deberent. Lanthbertus

A tus igitur Archipræsulatus amore vehementer animatus, quæcumque Rex posceret, quanto cum dolore tribueret, ex hoc intelligere poteris, quod subsequens lectio declarabit. Odelricum palatii Comitem, quem prædiximus, vinctum tunc Berengarius tenebat. Cùmque Lanthbertum Archiepiscopum constitueret, Odelricum ei, donec quid de eo ageret deliberaret, commendavit. Is autem pecuniæ multæ, quam pro Episcopatu erogarat, non immemor, hoc cum pacto cœpit de ejus infidelitate discutere. Paucis denique interpositis diebus Rex Berengarius nunciis directis, Odelricum ad se venire præcepit. Quos ironica hac responsione convenisse non dubium est: Sacerdotis officio pe- B nitùs carere debeo, si jugulandum quemquam in manus alicujus tradidero. Intellexerunt itaque nuncii hunc publicè rebellasse, quem à Rege sibi traditum absque ejus licentia noverant dimisisse. Qui regressi protinus ad Regem, Terentianum illud pro responsione dederunt: *Huic commendes, si quid rectè curatum velis.*

CAPUT XVI.

De Rodulfo Burgundione ad regnum ab Italis accito, & qualiter Hungari Odelricum Berengarii adversarium occiderint, & Adelbertum, ac Gilebertum ceperint: sed Adelbertus astu quodam pro gregario milite redemptus elapsus sit.

C QUo tempore Rodulfus Rex superbissimus Burgundionibus imperabat. Cui in augmentum potentiæ hoc accessit, ut potentissimi Suevorum Ducis Burchardi filiam nomine Bertham sibi conjugio copularet. Igitur Italienses, nunciis directis, hunc ad se venire, Berengarium verò expellere petunt. Inter agendum autem contigit Hungaros Veronam, his ignorantibus, advenisse, quorum duo Reges Dursac, & Bugat amicissimi Berengario fuerant. Adelbertus denique Marchio, atque Odelricus Comes palatii, (1) Gilebertus etiam Comes, pluresque alii dum in montem Brixianæ civitatis, quæ quinquaginta milliariis D à Verona distat, conventicula ob Berengarii dejectionem haberent: rogavit Berengarius Hungaros, ut si se amarent, super inimicos suos irruerent. Hi verò, ut erant necis avidi, bellandi cupidi, à Berengario mox præduce accepto, per ignotas vias à tergo hos usque adveniunt, tantaque illos celeritate confodiunt, ut nec induendi, sumendive arma spatium haberent. Captis igitur, cæsisque multis, Odelricus palatii Comes, qui se viriliter defenderat, occiditur. Adelbertus autem Marchio, & Gilebertus vivi capiuntur. Verùm Adelbertus, ut erat vir non bellicosus, sed sagacitatis miræ, nimiæque calliditatis, dum irruere Hungaros undique cerneret, essetque illi omnis spes E fugiendi ablata, baltheum, armillasque aureas, omnemque preciosum apparatum projecit, vilibusque se militis induit vestimentis, ne ab Hungaris quis esset dignosceretur. Captus igitur, sciscitatusque quis esset, militis cujusdam militem se esse respondit. Rogavitque se ad vicinum castellum duci vocabulo Calcinaria, in quo parentes, qui eum redimerent, se habere asserebat. Ductus igitur, quia non agnitus, vilissimo precio comparatur. Emit autem illum suus ipsius miles nomine Leo.

(1) Alias *Giselbertus*.

CAPUT XVII.

De Giliberto humaniter à Rege Berengario dimisso, sed perfidè ad Rodulfum profecto: quem in Berengarium sic reduxit, ut eum, præter Veronam, regno spoliaverit: deque pugna in Berengarium, & Rodulfum.

GIlebertus autem, quia agnitus, flagellatur, vinctus, seminudusque ante Berengarii Regis præsentiam ducitur. Enim verò dum ante eum sinè femoralibus curta indutus (2) endromade ductus Regis ad pedes concitus caderet, genitalium ostensione membrorum ad risum omnes commovit. Rex autem, ut erat pietatis amator, misericordiâ, quæ ei nulla debebatur, inclinatus, ei, non ut populus optavit, malum pro malo reddidit: verùm confestim lotum, optimisque vestibus indutum, abire permisit. Cui & ait: Jusjurandum à te nullum exigo, fidei tuæ teipsum committo. Si malè contra me egeris, rationem te scias Deo redditurum. Hunc denique ad propria redeuntem Regis gener Adelbertus, cæterique, qui cum illo rebelles extiterant, accepti immemorem beneficii ad Rodulfum ut adveniat, dirigunt. Profectus itaque eòdem Gilebertus ante triginta dies in Italiam eum adventare coëgit. Qui susceptus ab omnibus nil Berengario ex omni regno præter Veronam dimisit, totumque tenuit per triennium viriliter regnum. Quum duodecim sibimetipsi horis hoc placeat, displiceat hoc, modò diligat illud, mox aspernetur, quî fieri potest, ut omnibus semper æquanimiter placeat? igitur intra triennium iste Rex Rodulfus quibusdam bonus, aliis gravis est visus. Unde factum est, ut totius regni media pars populi Rodulfum, media Berengarium vellet. Parant itaque civile bellum non modicum: & quoniam Placentinæ civitatis Episcopus Wido Berengarii partibus favebat, duodecim longè à Placentia milliariis juxta Florentiolam bellum parant.

Tum perquam horrida pugna oritur civilis, & atra
Heu quater ante Calendas Sextilis: tamen ipse
Dum parat horrendos radios emittere Phœbus
Buccina Martis adest: gnato pater ipse perennem
Infert interitum, perimitque patrem genitura
Proh dolor, acer avus lethum parat ecce nepoti
Sternendus per eum, furiis pulsatus ab atris:
Fratrem qui fodit, fratrem fodit eminus alter
Berengarius ipse ruit medios Rex percitus hostes,
Et properat. Fertur ceu cœlo fulgur ab alto,
Dum coquit arentes cancri grave sidus aristas:
Non aliter dirus miserum Rex ipse Rodulfus
Dejicit innocuum stricto mucrone popellum.

CAPUT XVIII.

De victoria, quam Rodulfus per Bonifacium cognatum suum obtinuit, & Rodulfi in Italia regno. Et de Flamberto Veronensi, qui Berengarium occidere tentaverat.

DEderat Rex Rodulfus Waldradam Sororem suam tam formâ, quàm sapientiâ, quæ nuncusque superest, honestam matronam, conjugem Bonifacio Comiti Potentissimo, qui nostro tempore Camerinorum, ac Spoletinorum extitit Marchio. Hic collecta multitudine, cum Gariardo Comite Rodulfo Regi in auxilium

(2) fortè *endymate*.

lium veniebat, atque, ut erat vir tam callidus, A quàm audax, maluit potiùs in insidiis positus cum suis rei exitum expectare, quàm primum belli impetum sustinere. Jam Rodulfi penè omnes milites fugerant, & Berengarii dato victoriæ signo colligere spolia satagebant: quum Bonifacius, atque Gariardus subitò ex insidiis properantes hos tantò leviùs, quantò inopinatiùs sauciabant. Pepercerat Gariardus nonnullis, hastâ eos, & non ferro percutiens, Bonifacius nulli parcens immensam fecerat stragem. Signum itaque victoriæ Bonifacius ceperat, conveniuntque qui ex Rodulfi parte confugerant, persequentesque Berengaricos fugam illos inire cogebant. Berengarius verò in incognitum à domino Veronæ perrexit asylum. Tanta quippe B tunc interfectorum strages facta est, ut militum usque hodie permagna raritas habeatur. His ita peractis, regnum sibi Rex Rodulfus potentissimè subjugavit, Papiamque concitè veniens, congregatisque omnibus, Quoniam inquit, superni muneris largitate mihi contigit, devictis hostibus, regni solium adipisci: nunc cordi est meum vestræ regnum fidei commendare, Burgundiamque patriam veterem visere. Cui mox Italienses, si bonum tibi, inquiunt, videtur, præsto sumus. Igitur post Rodulfi Regis abscessum, malo Veronenses accepto consilio, vitæ Berengarii insidiari moliuntur: quod Berengarium non latuit; autor autem, ac repertor tam sævi facinoris Flambertus quidam erat, C quem sibi, quoniam ex Sacrosancto fonte filium ejus susceperat, compatrem Rex effecerat. Pridie verò, quàm pateretur, eundem ad se Flambertum venire præcepit.

CAPUT XIX.

De prudenti Berengarii Regis ad Flambertum sermone, & poculo aureo, quo eum ut placaret donavit.

Cui & ait: Si mihi tecum hactenus non & multæ, & justæ causæ amoris essent, & quoquo modo quæ dicuntur credi possent, insidiari te vitæ meæ ajunt: sed non ego credulus D illis. Meminisse autem te volo, quantæcunque tibi accessiones, & fortunæ, & dignitatis fuerunt, eas te non potuisse, nisi meis beneficiis consequi. Unde & hoc animo in nos esse debes, ut dignitas mea in amore, atque fidelitate tua conquiescat. Neque verò cuiquam salutem, ac fortunas suas tantæ curæ fuisse unquam puto, quantæ mihi fuit honos tuus. In quo mea omnia studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem omnem fixi. Unum hoc sic habeto: Si à te mihi servatam fidem intellexero, non mihi tam mea salus chara, quàm pietas in referenda gratia jocunda. His expletis, aureum non parvi ponderis poculum Rex ei porrexit, atque subjunxit. Amoris, salutisque meæ causâ E quod continetur bibito: quod continet, habeto. Verè autem & absque ambiguitate post potum introivit in illum sathanas. Beneficii quippe præsentis, & præteriti immemor insomnem illam, in Regis necem populos instigando, pertulit noctem. Rex autem nocte illa quemadmodum, & solitus erat, juxta Ecclesiam non in domo, quæ defendi potest, sed in tuguriolo quodam manebat amœnissimo. Sed & custodes nocte eadem non posuerat, nihil suspicans mali.

CAPUT XX.

De Berengarii cæde, perfidiâ Flamberti peracta, & sanguine ejus adhuc in lapide apparente. Et de Milone milite, qui Berengarii cædem ultus est.

Se primùm quatiens strepit
Gallus, quum vigiles facit
Mortales, solitò sonat,
Et pulsata Deo canit
Jam tunc ænea machina:
Invitatque docens bene
Lethæum grave spernere,
Laudes huic modò reddere,
Qui vitam tribuit, dedit,
Et nobis superam bene
Sanctam quærere patriam.
Hic Rex Ecclesiam petit,
Ac laudes Domino canit.
Flambertus properans volat
Quocum multa simul manus:
Ut Regem perimat bonum.
Rex eorum vigil inscius
Audit dum strepitum, nihil
Formidans properat citus
Hoc quid visere sit, videt
Armatas militum manus.
Flambertum vocat eminus.
Quid turbæ est ait: En bone
Vir, quid nunc, quid populus cupit
Armatas referens manus?
Respondit vereare nil.
Te non ut perimat ruit,
Sed pugnare libens cupit
Hac cum parte, tuum petit
Mox quæ tollere spiritum.
Deceptus properat fide
Rex hac, in medios simul
Tunc captus malè ducitur;
A tergo hunc ferit impius
Romphæa, cadit heu pius,
Felicemque suum Deo
Commendat piè spiritum.

Denique quàm innocentem sanguinem fuderit, quàmque perversè perversi egerint, nobis reticentibus, lapis ante cujusdam Ecclesiæ januam positus sanguinem ejus cunctis transeuntibus ostendens, insinuat. Nullo quippe delibutus, aspersusque liquore discedit. Nutrierat sibi Rex Berengarius familiariter, lautèque juvenem, immo Heroëm quendam Milonem nomine, memoriâ satis, ac laude dignum. Cujus si Rex fretus consiliis esset, fortunas sibi omnes non tantum adversari sentivisset, nisi quia fortè & hoc divinæ providentiæ consilium fuit, ut aliter fieri non posset. Is sanè nocte eadem, qua Rex Berengarius deceptus est, adhibitis sibi copiis, nocturnas ei vigiliarum custodias voluit exhibere. Rex verò promissionibus Flamberti deceptus, Milonem se non solùm custodire non sivit, verùm etiam atque etiam vehementer prohibuit. Milo autem sicut vir fidelis, & rectus, ac beneficii sibi à Rege collati non immemor, quem defendere, quia defuit, non potuit, citò acriter vindicare curavit. Tertiâ quippe post Regis necem die, Flambertum, eique in tam nefario scelere conniventes, vi captos, suspendio vitam finire præcepit. Fuerunt sanè in hoc viro nonnullæ, perfectæque virtutes, quæ Deo propitio suis in locis, vita comite silentio, non tegentur.

LIUTPRANDI TICINENSIS ECCLESIÆ LEVITÆ HISTORIARUM

LIBER TERTIUS,

Qui Antidosis inscribitur.

OPeris hujus titulum, Pater sanctifice, satis te mirari non ambigo. Ais fortè: Quum virorum illustrium actus exhibeantur, cur Antidosis ei inseritur titulus? Ad quod respondeo: Intentio hujus operis ad hoc respicit, ut Berengarii hujus, qui nunc in Italia non regnat, sed tyrannizat, atque uxoris ejus Willæ, quæ ob immensitatem tyrannidis secunda Jezabel, & ob rapinarum insatietatem Lamia proprio appellatur vocabulo, actus designet, ostendat, & clamitet, tanta enim mendaciorum jacula, tanta rapinarum dispendia, tanta impietatis molimina in me, & domum meam, cognationem, & familiam gratìs exercuere, quanta nec lingua proferre, nec calamus prævalet scribere. Sit igitur ei præsens pagina Antidosis, hoc est retributio, dum pro calamitatibus meis τὴν ἀσεβείαν eorum, idest impietatem, præsentibus, futurisque mortalibus denudavero. Nec minùs etiam sanctissimis, & fortunatis viris pro collatis in me beneficiis Antidosis erit. Ex memoratis sanè, aut memorandis nullus invenitur aut rarus, hoc uno Berengario scilicet impio excepto, quorum non beneficiis genitores, aut genitus vehementer gratulemur. Denique quod in captivitate, seu peregrinatione libellus hic conscriptus dicatur, præsens indicat exulatus. Cœptus quippe in Franconovord, qui est XX. milliariis locus à Moguntia distans, in Paxu insula nongentis & eò ampliùs à Constantinopoli milliariis usque hodie exaratur. Sed redeamus ad rem.

CAPUT I.

Quomodo defuncto Berengario, & Rodulfo ab Italia discedente, Hungari Italiam dilaniaverint: & de Papiæ conflagratione, quæ metro describitur, & quomodo, Deo miserante, capta, & delata non sit.

REge Berengario defuncto, atque Rodulfo absente, Hungarorum rabies Salardo Duce totam per Italiam dilatatur, adeò ut muros Papiensis civitatis vallo circumdaret, ac defixis per gyrum tentoriis, exeundi aditum civibus prohiberet. Qui quum his viribus resistere non possent, peccatis promerentibus, nec munere mulcent,

Clarus ab infuso descendens sydere Phœbus
Zodiaci primum solitò conscendere sydus
Incipit, & gelidas dissolvere colle pruinas,
Æolus atque suos bis binos mittere flatus
Hungrorum furibunda manus quum gaudet in urbem
Flatibus Æoliis adjuta infundere flammas.
Spiritibus validis parvus diffunditur ignis:
Nec juvat Hungarios solis hos urere flammis
Undique conveniunt, mortemque inferre minantur
Confodiunt telis, calidus quos terruit ignis.
Uritur infelix olim formosa Papia:
Vulcanusque suos attollens flatibus artus
Templa Dei, patriamque simul conscendit in omnem.
Extinguunt Matres, pueri, innuptæque puellæ
Sancta catervatim moritur catechumena plebs tunc.
Præsul in urbe sua hac moritur sanctusque Sacerdos
Nomine qui proprio bonus est, dictusque Joannes.
Quod fuerat longo thecis in tempore clausum,
En jacet, hoc aliena manus ne tangeret aurum,
Atque per immensas dissolvitur igne cloacas.
Uritur infelix olim formosa Papia,
Cerneres argenti rivos, paterasque micantes,
Corpora maiorum passim combusta virorum
Jaspidis hìc precium viridis, rutilique topazi,
Spernitur & saphirus, onyx, pulcherque beryllus.
Institor heu faciem nullus deflectit ad aurum.
Uritur infelix olim formosa Papia.
Lucidus immensas servat nec fonte carinas
Ticinus, sentina simul diffunditur igne.

Usta est infelix olim formosa Papia anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXIV. IV. Idus Martii, Indictione XII. feria VI. hora III. Quorum memoriam qui ibidem combusti sunt, vos & quicunque legeritis, faciatis vehementer exoro. Uerùm piissimi, Omnipotentisque Dei ira, cujus Propheta misericordiam, & judicium concinit, cujusque misericordiâ plena est terra, usque ad consummationem non defævit. Nam & si peccatis promerentibus est exusta, non tamen inimicorum manibus tradita. Impleturque quod Rex, & Propheta canit, nunquid in æternum projiciet Deus? aut non apponet ubi complacitior sit adhuc? aut in finem misericordiam suam abscindet à generatione in generationem? aut oblivifcetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas? Itemque & alius Propheta dicit: cùm iratus fueris misericordiæ reminiscaris. Reliquiæ igitur, quæ supererant, Hungaris non inviriliter resistebant, adeò ut lætabundi canerent cum Propheta. Hæc est mutatio dexteræ excelsi.

CAPUT

CAPUT II.

Quòd Papia Beati Syri ejusdem patroni meritis sit liberata. Et quòd idem Beatus Syrus Papiam veniens, in spiritu prophetico ejus affluentiam, & Aquilejæ casum denunciarit. Et cur Ermegarda post Adelberti mariti sui obitum tam potens extiterit.

ACcessit ad hoc, magnumque juvamen præbuit Sanctissimi Patris nostri, Doctorisque egregii Beati Syri, cujus in præfata urbe requiescunt exuviæ, intercessio gloriosa. Ac ne ejus vaticinium falleretur, prædicta urbs Papia ut caderet est impulsa. Verùm misericorditer à Domino est liberata. Missus siquidem prædicationis gratiâ à Beato Hermagora Evangelistæ Marci discipulo Papiam, Beatissimus Pater hujusmodi eam prophetiæ spiritus præsagio honoravit: delectare gaudiis urbs Papia, quia veniet tibi ab æternis montibus exultatio. Non vocaberis minima, sed copiosa in civitatibus. Et ut hoc ejus vaticinium firmius crederetur Aquilejæ non ignotæ civitatis casum hac eadem hora sermone hujusmodi nunciavit: Væ tibi Aquileja, quia quum inter impiorum incesseris manus destruêris, nec ultra reædificata consurges. Quod ita esse completum visibus patens ratio manifestat. Aquileja namque prædives, atque olim civitas immensa, ab impiissimo Hunnorum Rege Attila capitur, atque funditus dissipatur, nec ulteriùs, ut in præsentiarum cernitur, elevatur. Papia verò ut vir Sanctissimus dixerat, copiosa & appellatur, & cernitur: non solùm quippe vicinas, sed & longè positas præcellit opibus civitates. Quid alias memorem, quum ipsa insignis, & toto Orbe notissima Roma hac inferior esset, si preciosa Beatissimorum Apostolorum corpora non haberet? Patet igitur quòd hanc intercessio Beatissimi Patroni nostri Syri eripuit, qui eam tam veridico, ac precioso præsagio honoravit. Exustâ denique Papiâ, factâque per Italiam non modicâ prædâ, Hungari ad propria revertuntur. Hoc eodem tempore, defuncto Adelberto Eporegiæ civitatis Marchione, uxor ejus Ermegarda Adelberti præpotentis Tusciæ Marchionis, & Bertæ filia totius Italiæ Principatum obtinebat. Causa autem potentiæ ejus hæc erat, quoniam, quod dictu etiam fœdissimum est, carnale cum omnibus, non solùm Principibus, verùm etiam cum ignobilibus commercium exercebat.

CAPUT III.

Quòd Regi Rodulfo à Burgundia regresso, Ermegarda paulò post rebellis extiterit, ita ut cum Italiensibus Papiam tenuerit. Et quomodo Rodulfus illuc tetenderit. Et quomodo astu Ermegardæ Rodulfus, suos deserens, ad eam noctu ut transfuga venerit, & quomodo manè à suis quæsitus sit: & re cognita, Mediolanum milites ejus fugerunt. Item quomodo Italienses Hugonem accesserunt.

PEr idem tempus Rex Rodulfus è Burgundia rediens in Italiam venit: defunctoque Berengario, Regnum potenter obtinuit. Post autem aliquot dies Italienses omnes cœperunt inter se diffidere. Zelo quippe non modico propter Ermegardæ pulcritudinem juxta carnis hujus putredinem trahebantur, eò quòd ea stuprum aliis præbebat, aliis denegabat. Unde

A factum est, ut prædives Mediolanensis Episcopus, nonnullique alii Regis Rodulfi partibus faverent. Cum Ermegarda verò tot simul rebelles aderant, quot ipsam etiam Regni caput Papiam non inviriliter defenderent. Factum est autem, ut Rex Rodulfus collectis copiis Papiam contenderet, castrametatus quinto milliario ab urbe, eo in loco quò Ticinus simul, & magnus ille Padus conveniunt: in cujus laudibus Maro sic canit:

Fluviorum Rex Eridanus

Idem

Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum

Ermegarda, ut non incallida, Rodulfo Regi hujusmodi noctu per memorati alveum fluvii
B mandata transmisit: si te perdere vellem, jam longo tempore extinctus esses. Tui quippe omnes te deserere, meque ardenter adire, si meum modò adsit velle, contendunt: in his enim es locis, in quibus captus, vinctusque esses, si eorum jamdudum consiliis paruissem. Talibus Rex legationibus non solùm credulus, verùm etiam territus, nunciis remissis, se acturum quicquid ea consuleret, remandavit. Nec mora, sequenti nocte Rodulfus clam custodibus, dimissis omnibus, dimisso tentorio, lecto etiam bene composito, lintrem ingressus suos deseruit, atque ad Ermegardam quantocyus properavit. Igitur manè facto, magno silentio Regis milites tentorium circuibant; ve-
C nientibus verò Principibus, non parva inter eos admiratio erat, cur, præter solitum, Rex horâ hujusmodi dormitaret. Cumque strepitu, ut Spadones quondam Holefernem, evigilare niterentur, nullum, quemadmodum ipse, dabat responsum. Introëuntibus autem tentorium, nihilque reperientibus, raptum hunc alii, interfectum alii clamitabant: nemo tamen, quòd transfuga fieret, animadvertere poterat. Verùm dum hac admiratione fluctuarent, nuncius venit qui diceret. Rodulfum Regem super eos cum adversariis eorum velle irruere: qui mox animo consternati, tam celeri fuga cœperunt discedere, ut non hos currere, sed, si videres, diceres transvolare. Cùmque Mediolanum,
D tutum scilicet ad locum, pervenissent, consensu omnium Lanthbertus Archiepiscopus Hugoni potentissimo, & sapientissimo Provincialium Comiti mandat, Regnum ut Rodulfo auferat, sibique potenter obtineat. Erat enim longo ex tempore multis argumentis & ipse periclitans, si fortè Regnum posset obtinere Italicum. Hic enim Berengarius jam nominati Regis tempore cum multis in Italiam venerat: sed quia regnandi tempus nondum ei advenerat, à Berengario territus est, atque fugatus.

CAPUT IV.

E *Quomodo Rodulfus in Burgundiam reversus, Burchardum socerum suum ad auxilium adduxerit: & qua ratione idem Burchardus sit Mediolanum profectus, & ibidem honorificè susceptus; & de ejus morte tractatum. Qui Mediolano rediens Novariam venit: ubi & ab Italiensibus cum omnibus suis occisus est, & Rodulfus Burgundiam repetiit. Hugo verò Comes Provinciæ Pisas appulsus est, unde Papiam venit, & Rex Langobardorum fit. Wido autem Berthæ filius Tusciæ præficitur.*

ROdulfus denique cùm, infidelitate suorum, prænominatos adversarios superare non posset, in Burgundiam profectus, Burchardo Sue-

Suevorum Duci, cujus sibi filiam conjugio copulaverat, denunciat, ut sibi in auxilium veniat. Qui collectis copiis, cum Rodulfo confestim convênit in Italiam. Cùmque pervenissent Eporegiam, Rodulfum Burchardus ita convênit: Ipse ego ut legationis obtentu Mediolanum proficiscar, non absurdum videtur: hac occasione urbem explorare, atque eorum potero cognoscere voluntatem. Profectus itaque cùm jam Mediolanum pervenisset; priusquam urbem ingrederetur, ad Beati, pretiosique Martyris Laurentii Ecclesiam orationis gratiâ declinavit: Sed, ut ajunt, non tantùm petitionis gratiâ, quantùm alterius rei causâ. Dicunt enim, quia prope civitatem est Ecclesia miro, atque pretioso opere fabricata, eum ibidem munitionem construere velle; qua non solùm Mediolanenses, sed & plures Italiæ Principes coërcere decrevisset. Inde verò exiens, cùm juxta murum civitatis equitaret, linguâ propriâ, hoc est Teutonicâ, suos ita convênit: si Italienses omnes uno uti tantummodo calcari, informesque non fecero equas caballicare, non sum Burchardus: fortitudinem siquidem muri hujus, seu altitudinem, qua se muniri confidunt, nihili pendo: jactu quippe lanceæ meæ adversarios de muro mortuos præcipitabo. Hoc autem eo dicebat, quoniam neminem adversarium suæ ibi linguæ gnarum esse putabat. Verùm, suo omine non bono, quidam istic aderat, quanquam pannosus, & despectus, ejus tamen loquelæ scius, qui omnium horum Lanthberto Archipræsuli celer factus est nuncius: qui ut erat ingenio pollens, Burchardum non despexit, sed eum alio animo suscipiens, mirabiliter honoravit: sed & inter cætera, quasi hoc esset privilegium amoris, concessit cervum, quem is suo in brolio venaretur, quod nulli unquam nisi carissimis, magnisque concessit amicis. Lanthbertus interea Papienses omnes, nonnullosque Italiæ Principes ad Burchardi necem invitat, eumque tamdiu tenuit, donec congregatos esse omnes speraret, qui eum occidere deberent. Factum est igitur, ut Burchardo Mediolano discedente, Novariam die perveniret eadem. Quumque istic nocte transacta diluculo surgeret, Eporegiam tendens civitatem, Italicæ super eum irruentes subitò apparuere phalanges. Quas contra non ut vir bellicosus properat, verùm mox fugam incœptat. Et quoniam secundùm beati Job sententiam, terminus ejus constitutus præteriri non poterat, & fallax equus ad salutem, in fossam, quæ muros circuit ciuitatis, equus decidens eum projecit; ubi & ab irruentibus Ausoniis confossus lanceis vitam morte commutavit. Sui denique hoc videntes, quoniam aliò non poterant, intra Ecclesiam Sanctissimi confessoris Gaudentii confugiunt. Ausonii itaque ut ex Burchardi minis non mediocriter inflammati, atque indignati, Ecclesiæ fores frangunt, omnesque in ea repertos sub ipso etiam altari confodiunt. Quod Rodulfus ut audivit, Italiam dereliquit, & Burgundiam percitus venit. Hæc itaque dum aguntur, Hugo Arelatensium, seu Provincialium Comes navim conscenderat, & per Tyrrhenum Mare in Italiam festinabat. Deus itaque, qui hunc in Italia regnare cupiebat, prosperis eum flatibus brevì Alpheam, hoc est Pisam, quæ est Tusciæ provinciæ caput, duxerat: de qua sic Maro, *Alpheæ ab origine Pisæ*. Quumque eòdem pervenisset, affuit Romani Papæ Joannis scilicet Ravennatis nuncius. Affuerunt etiam penè omnes Italienses nuncii, qui hunc, ut super eos regnaret invitabant. Is autem, ut erat longo ex tempore hæc cupiens, percitus venit Papiam, cunctisque conniventibus regnum suscepit: post paululum Mantuam abiit, ubi & Joannes Papa ei occurrens, fœdus cum eo percussit. Quo tempore Berta Matre Hugonis Regis mortua, Wido filius ejus, quem ex Adelberto genuerat, sicut prædiximus, Tusciæ marchiam tenebat, qui Maroziam scortum Romanum sibi uxorem acceperat.

CAPUT V.

De plurimis Regis Hugonis virtutibus libidine fœdatis. De duobus filiis ejus. De amicitia ejus cum Henrico Imperatore. De Patre Liuthprandi hujus operis autoris ad Imperatorem Græcum ab Hugone misso. De duobus canibus Imperatori missis, qui eum dilaniare parabant. Et de patre quur tam magnificè sit ab Imperatore susceptus.

FUit autem Rex Hugo non minoris scientiæ, quàm audaciæ, nec inferioris fortitudinis, quàm calliditatis, Dei etiam cultor, sanctæque religionis amatorum amator, in pauperum necessitatibus curiosus: erga Ecclesias sollicitus, religiosus, philosophosque viros non solùm amabat, verùm etiam fortiter honorabat. Qui & si tot virtutibus clarebat, mulierum tamen illecebris eas fœdabat. Hic ex Francorum genere, ex genere Teutonicorum uxorem acceperat, nomine Aldam, quæ ei filium genuerat nomine Lotharium. Habuerat sanè tunc temporis ex quadam muliere nobilissima vocabulo Wandelmoda filium nomine Hubertum, qui nunc usque superest, & Tusciæ Provinciæ potens Princeps habetur. Cujus acta, Domino propitio, suis in locis exponentur. Hugone igitur Rege constituto, sicut vir prudentissimus quòcunque terrarum cœpit nuncios suos dirigere, multorumque Regum, ac Principum amicitiam quærere. Henrici præsertim famosissimi Regis, qui, ut supra memoravimus, Bajoariis, Suevis, Lotharingis, Francis, atque Saxonibus imperabat. Hic etiam Sclavorum gentem innumeram subjugavit, sibique tributariam fecit. Primus etiam hic Danos subjugavit, sibique servire coëgit: ac per hoc nomen suum multis nationibus celebre fecit. Rex igitur Hugo quum Reges, ac Principes amicos circumcirca acquireret, studuit nomen suum etiam Argivis longè à nobis positis notum facere. Imperabat verò his tunc temporis memoriâ satis, & laude dignus Romanus Imperator liberalis, humanus, prudens, ac pius: cui tum propter morum probitatem, tum propter linguæ urbanitatem genitorem meum direxit nuncium. Qui quum eòdem pervenisset, inter cætera, quæ Imperatori Romano Rex Hugo miserat munera, duxit duos canes, quales in eadem patria non sunt alicui visi. Qui quum ante ejus præsentiam adducti fuissent, nisi multorum brachiis constricti fuissent, eum protinus morsibus laniassent. Puto enim, quòd dum hunc Græcorum more theristro opertum, habituque insolito viderunt indutum, non hominem, sed monstrum aliquod putaverint. Denique magno cum honore ab eodem susceptus est Imperatore. Nec tam pro rei novitate, aut munerum magnitudine, quantùm quoniam dum præfatus genitor Tessalonicam venisset, Sclavorum quidam, qui rebelles Imperatori Romano extiterant, terramque ejus depopulabantur, super eum irruerunt. Verùm

Dei

Dei actum est pietate, ut eorum Principes vivi nonnullis mortuis caperentur. Quos dum præsentaret Imperatori, immensa affectus est lætitia, magnoque ab eo genitor munere donatus, ad Hugonem Regem qui se illuc transmiserat, rediit lætus. Post reditum verò ejus paucis interpositis solibus languore correptus Monasterium petiit, sanctæque conversationis habitum sumpsit, in quo post dies quindecim mortuus, me parvulo derelicto, migravit ad Dominum. Nunc autem quoniam Imperatoris Romani mentio facta est, quis fuerit, qualiterve ad Imperii culmen pervenerit, hic non absurdum mihi videtur referre.

CAPUT VI.

De Leone ferocissimo, quem Romanus, qui postea imperavit, fortissimè peremit, & de socii ejus pavore.

IMperante quoque Leone Constantini hujus genitore, Romanus iste Imperator quanquam πτωχὸς idest pauper, ab omnibus tamen χρήσιμος idest utilis, habebatur. Erat autem ex mediocribus ipsis, qui navali pugna stipendia ab Imperatore acceperant. Qui quum sæpiùs & iterum εἰς τὴν μάχην idest in pugna, nonnulla χρήματα, idest utilia, faceret, à sibi præposito adeò honoratus est, ut primus navium fieri mereretur. Quadam autem nocte, dum Saracenos exploratum abiret, essetque in eodem loco palus, atque arundinetum non modicum, contigit leonem ferocissimum ex arundineto prosilire, cervorumque multitudinem in paludem demergere, unumque eorum capere, sicque rabiem ventris mitigare Ρωμανὸς δὲ τῶν αὐτῶν, idest Romanus autem eorumdem sonitum audiens, timuit valde. Putavit enim multitudinem Saracenorum esse, qui conspectum se fraude aliqua vellent perimere. Manè autem primo exurgens, quum diligentissimè omnia consideraret, conspectis vestigiis, εὐθέως idest confestim, quid hoc esset agnovit. Leone itaque in arundineto commorante, Romanus Græcum ignem, qui nullo præterquam aceti liquore extinguitur, undique per arundinetum præcepit jactari. Erat autem in arundineto acervus arundinibus plenus, in quem leo confugiens, illo ab igne est salvatus. Ventus quippe contraria ex parte flans, ignem, ne ad acervum usque perveniret, amovit. Romanus præterea post ignis extinctionem uno tantum cum affecla ensem solum dexterâ, sinistrâ autem pallium gestans, locum omnem peragrans lustrat, si fortè os ex eo vel signum aliquod reperiret. Jam verò quum in eo esset, ut nihil inveniens repedaret, quid hoc monstri esset quòd acervus ille, sit ab igne salvatus, studuit visere. Quumque duo prope assisterent, secumque rebus ex nonnullis fabularentur, leo hos tantùm audivit, quoniam quidem ob caligantes oculos παρὰ τῷ καπνῷ idest ob fumum, videre non potuit. Volens igitur leo animi sui feritatem, quam ab igne conceperat, in hos evomere, saltu rapidissimo, quà illorum voces audierat, inter eos prosiliit. Romanus verò, non ut suus affecla pavitans, sed ea potiùs mente consistens, ut etsi fractus caderet orbis, impavidum ruinæ ferirent, pallium quod manu gestabat, inter brachia misit. Quod dum pro homine leo discerperet, Romanus hunc à tergo totis viribus inter clunium juncturas ense percussit. Qui dissociatis, divisisque cruribus, quia stare non poterat, penitùs cecidit. Leone igitur interfecto, Romanus feminecem affeclam suum solo stratum eminus vidit, quem & vocare voce præcipua cœpit. Sed quum nullum daret omnino responsum, idem Romanus propter eum astitit, pedeque pulsans, surge, inquit, miser. Qui consurgens, præ admiratione, dum leonis immanitatem conspiceret, non habuit ultra spiritum. Stupebant autem omnes de isto Romano hæc audientes. Unde factum est, ut tam pro cæteris, quàm pro præclaro hoc præsenti facinore non multò post à Leone Imperatore tanto donaretur honore, ut omnes naves ipsius essent in manibus, ejusque jussionibus obedirent.

CAPUT VII.

De iis, qui Leoni Imperatori successerunt, & Constantini morte, ac Romani per stratagema, & astum ad Imperium evectione.

LEo denique Græcorum piissimus Imperator, cujus supra fecimus mentionem, corporis humani debitum solvens, viamque carnis universæ ingrediens, Regni sui hæredem Alexandrum fratrem germanum, unicumque filium Constantinum, qui nuncusque superest, & feliciter regnat, parvulum, &, ut Græci ajunt, ἄλαλον, idest mutum, & infantem dereliquit. Quibus, ad tuendum palatium, tutandamque rem privatam, ut istic moris est, eunuchum officio Parachimmenon (1) dedit; Phocam verò Domesticum majorem, hoc est, terrestris Ducem exercitus, fecit. Romanum autem non claro natalium ortu, sed cordis magnanimitate nobilem, navalis exercitus Principem ordinavit. Alexander post modicum defunctus, soli Constantino parvulo Imperium dereliquit. Denique tempore, quo magnus Imperator Leo migravit ad Christum, Phocas præfatus Domesticus terrestri Dux exercitus, contra Simeonem Bulgarorum Regem copias duxerat, eique Constantinopolim venire cupienti non inviriliter repugnabat; Romanus verò, ut non incallidus, audito Imperatorum, hoc est Leonis, atque Alexandri, interitu, haud longè ab urbe collecto classium exercitu, fugit, atque in Insulam parvam juxta Constantinopolim, ita, ut è palatio videri penè posset, ratibus collectis advênit; ad palatium autem minimè transfretavit, laudesque juxta consuetudinem Porphyrogenito minimè decantavit. Quæ res eunucho Parachimmeno, cunctisque Constantinopoleωs Principibus stuporem, timoremque non parvum attulit: internunciis itaque, quid hoc monstri sit, quòd Regem non adierit, laudesque debitas non solverit, sciscitantur. His à Romano respondetur, quòd propriæ vitæ timens palatium declinarit; & adjecit, quòd si Parachimmenos ceteris cum Principibus se non adiret, vitamque jurejurando promitteret, mox se ad Cretensium Saracenorum Regem conferret, Regnumque Argivorum sui auxilii fortitudine debellaret. Quod quàm callidè dixerit, exitus declarabit. Igitur quo præfati sumus Principes terrore compulsi, ignorantes quòd lateret anguis in herba, omnes hunc fiducialiter adeunt, quod mandaverat gratanter cupientes implere. Quos omnes, non malo consilio accepto, projectos in sentinam ligat; sicque securus ad urbem magno cum comitatu festinat, hisque, quos suspectos habuerat, palatium purgat, suæ

parti

(1) fortè παροικώμενον.

A parti parentes ibi collocat : Rectorem, Magiſtros, Patricios, Logotheum, Eparchon, κοιτωνίτας Cubicularios, Protoſpatharios, Spatharios, Spatharocandidatos, παραθαλασσίτας facit : ceteros, ut diximus, abdicat. Qui etiam, ut cœptum opus firmiùs patraret cum Porphyrogeniti Matre, Zoizone nomine, venerea eſt dulcedine junctus. Tota mox civitas coronatur, & Romanus Pater Baſileos appellatur.

CAPUT VIII.

De Phoca altero ex Principibus aulæ: qui, audito, quòd Romanus eſſet ad Imperium evectus, victoriam Bulgaris ſponte conceſſit, cum multa B ſuorum ſtrage fugiens; quocirca ab Romano captus, oculis privatur. De Simeone Bulgarorum Rege ex Monacho: cujus filius Bajanus magica arte homines in lupos vertit. Item de Helena, ſeu Irena, quæ Conſtantino Imperatori nupſit.

CUm Bulgaris præterea pugnanti Phocæ Domeſtico, qui & ipſe Pater Baſileos ardenter fieri cupiebat, in ipſo bello jam de hoſtibus triumphum tenenti, quid à Romano actum ſit nunciatur: qui mox animo conſternatus, nimio dolore compulſus, victoriæ ſignum, quo hoſtes inſequebatur projecit, terga vertit, fugam ſuos inire fecit. Reparant itaque Bulgari Simeonis hortatu animos; & quos priùs adverſo C Marte fugarat, proſpero poſtmodum inſequuntur; tantaque tunc Argivorum ſtrages efficitur, ut longo poſt tempore campus plenus oſſibus videretur. Omni denique cum feſtinatione jam nominatus Phocas Domeſticus Conſtantinopolim redit, palatium ingredi cupit, & arte fieri Pater Baſileos ſatagit. Sed quia conſilii vis expers mole ruit ſua, &, (ut Flaccus dicit) Dii rem temperatam provehunt in majus; à Romano Domeſticus iſte capitur, atque utroque lumine privatur. Bulgaris non nimia vis augetur; iiſque Græcos depopulandi viciſſitudo dupla rependitur. Tunc etenim Simeonem ἡμίαργον ideſt ſemigræcum, eſſe ajebant; eò quòd à pueritia Byzantii Demoſthenis D Rhetoricam, Ariſtoteliſque Syllogiſmos didicerit. Poſt hæc autem, relictis artium ſtudiis, ut ajunt, converſationis ſanctæ habitum ſumpſit: verùm paulò poſt regnandi cupiditate deceptus, ex placida Monaſterii quiete ad ſeculi procellam tranſiit; elegitque potiùs apoſtatam Julianum, quàm Beatiſſimum Petrum cœleſtis Regni clavigerum imitari. Qui duos filios habuit, unum nomine Bajanum, alterum, qui nuncuſque ſupereſt, potenterque Bulgaris principatur, nomine Petrum. Bajanus autem adeò fertur didiciſſe Magicam, ut ex homine fieri lupum, & quamcumque vellet aliam cerneres feram. Romanus præterea eodem, quo E Pater Baſileos conſtitutus eſt anno, filiam ſuam Helenam Imperatori parvulo ſuo Domino Conſtantino Porphyrogenito conjugem dedit. Porphyrogenitum autem non in purpura, ſed in domo, quam Porphyram ſuperiùs diximus nominatam, appello, ut videre eſt libro primo pluribus capitibus. De æde autem ſacra, quam ædificavit, hoc addi poteſt, quòd ipſam νέαν, hoc eſt novam, alii vocant; alii verò ἐννέαν, quod linguâ noſtrâ novennalem ſonat, appellant; eò quòd ibidem horarum Eccleſiaſticarum machina novem pulſata ictibus, ſeu vocibus ſonet.

CAPUT IX.

De oratione Romani ad Principes Romanos, poſtquam Imperator conſtitutus eſt. De humilitate proſapiæ Romani, qui Chriſtophorum filium ſuum iniquè Conſtantino Imperatore filio in Imperii aditione prætulit: quam injuriam Deus morte Chriſtophori ultus eſt. De Conſtantini Porphyrogeniti religione, & exercitatione, paceque cum Bulgaris per Irenam facta.

SEcundo itaque, quo Pater Baſileos conſtitutus eſt, anno, Romanos convocatos ad ſe Principes ita convênit: Romanæ dignitatis ἄρχοντες ideſt Principes, quoniam vobis conſultis non ſolùm inquam pater Baſileos ſum conſtitutus, verumetiam Sanctiſſimi Imperatoris fidelitati γλαυκώπιδος Helenæ, ideſt virides oculos habentis, conjunctione ſociatus: hîc aliquo Imperialis ornatus indicio monſtrari dignum in corpore reor, quod celebratur à populis ex nomine dignitatis. Judicatum denique à populo, communique decretum eſt conſilio, ut quia, tantæ erat dignitatis, & λδκώλενον, filiam ſuam Helenam Imperator ei copularat, rubricatarum pellium caligis, ut iſtic Imperatorum moris eſt, uteretur. Sed ne hoc quidem ſatis ei viſum fuit: Siquidem, poſt unius anni ſynaxin, quum amplioris jam potentiæ eſſet, talibus aggreditur eoſdem Principes ſermonibus: Quoniam communi veſtro judicio definitum eſt Imperialibus me uti caligis περίφαντοι Ηρωες, ideſt nobiliſſimi heroës, veſtræ autoritatis benevolentiâ, quæ contuliſtis, mihimet videntur precioſa, diligentiùs verò conſideranti riſum movere videntur: Illi enim facilè ad riſum turbas illiciunt, qui variis ſeſe depingunt coloribus. Denique riſum non ſolùm aliis, ſed & mihi ipſi movent, dum pedibus Imperatorem, capite communem videor imitari plebem. Namque comœdiæ mimus quiſque melior. Igitur aut coronam præbete, aut caligas, quibus ridiculus populo videar, auferte. Hoc planè dicto, magìs autem qua cunctis præerat poteſtatis autoritate, omnium judicio coronam recepit, & caligarum decorem minimè perdidit. Hujus miretur prudentiam nemo, ſed laudes referat Deo cordis ex intimo, qui erigit eliſos, ſolvit compeditos, cujus in manu calix vini meri plenus mixto inclinans ex hoc in hoc. Is autem humili erat proſapia, ex Armeniorum ſcilicet gente oriundus, neque ſolùm mente concepe rat futurum, ſe Regis in aula eſſe, nedum Imperialia ſceptra tenere, ſed quod Prophetiſſa Anna dicit, Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & ſublevat, ſuſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem, ut ſedeat cum Principibus, & ſolium Gloriæ teneat. Domini enim ſunt cardines terræ, &c. Regi itaque immortali, inviſibili, ſoli Deo honor, & gloria per cuncta ſeculorum ſecula, Amen. Denique Romano Imperatore conſtituto, Chriſtophorum, quem ante Imperii dignitatem habuerat, Imperatorem conſtituit. Poſt Imperii verò ſui ordinationem uxor ejus filium ei peperit nomine Stephanum. Rurſus concepto fœtu alium ei peperit nomine Conſtantinum. Quos omnes Imperatores conſtituens, contra jus, faſque, & ſecum Chriſtophorum primogenitum domino ſuo Imperatori Conſtantino Porphyrogenito præpoſuit: adeò planè, ut procedentes ad publicum, ad Sanctam Sophiam ſcilicet, vel ad ὑλαχέρνας, ſeu ad Sanctos Apoſtolos,

stolos, Romanus cum Christophoro primogenito præcederent: Constantinus Porphyrogenitus, & duo cæteri sequerentur. Quod quam indignè justus Judex pertulerit, ultio subsequens declaravit. Nam post modicum Christophorus defunctus est. Constantinus itaque Porphyrogenitus tum orationi, tum lectionibus vacans, totum se Domino commendabat, opere manuum victum quæritans, sanè τὴν ζωγραφίαν, idest picturam, perpulchrè exercebat. Eodem tempore Simeon cum Bulgaris Argos cœpit vehementer affligere. Quem Romanus, filii sui Christophori filiâ, filio illius Petro, qui nunc usque superest, uxore data, ab incœpto furore compescuit, sibique fœdere placito sociavit. Unde & puella mutato nomine ei Εἰρήνη, idest Pax, est vocata, eo quòd per eam inter Bulgaros, & Græcos pax sit firmissima constituta.

CAPUT X.

De Walberto, & Gezone Papiensibus, qui seditionem contra Hugonem Regem concitaverunt, & de Hugonis concione.

His temporibus Walbertus, & Gezo, prænomine Everhardus, Papiæ præpotentes judices erant. Causa autem potentiæ Walberti hæc erat: Quoniam Cumis, ditissimo in loco, filium suum Petrum Episcopum fecit: Razam verò natam suam Gileberto Comiti Palatii conjugio sociaverat. Ea tamen tempestate uterque defunctus erat. Ticinensis itaque, qui & Papiensis, populus omnis ad hunc convenerat, causasque omnes, & controversias ante eum decidebat. Participatione denique hujus potentiæ memoratus Gezo prænomine Everhardus, quoniam affinitate quadam ei jungebatur, præpotens habebatur: qui nobilitatem suam pravis moribus deturpabat. Fuit enim ambitiosus nimis, cupidus, invidus, seditiosus, juris corruptor, præceptorum Dei immemor. Quod Deus non passus est abire inultum. Et ne diutiùs protraham sermonem, Catilinæ omnino similis, qui sicut Consulem, & Reipublicæ defensorem Marcum Tullium Ciceronem conabatur occidere, ita & hic Regem Hugonem morti molitus est tradere. Quadam enim die, dum nihil mali suspicans Rex Hugo Papiæ cum paucis degeret; hic, seditione facta, voluit super eum irruere: Sed Walberto (qui non tam ferocis animi erat) remorante tardatus est. Nec minùs etiam eos Rex Hugo suis rhetoricis, ac melle dulcioribus eloquiis ab incœpto furore compescuit. Dum enim seditionem super se exortam, atque in domum Walberti congregatam esse cognosceret, hujusmodi omnes per internuncios sermone convênit. Quid est viri fortes, quòd tam subitò, tamque insperatè contra Dominum, immo & Regem vestrum commoti estis? Si quippiam quod displiceat actum est, consolidetur. Neque enim sera emendatio reprehendi potest, præsertim si nulla negligentia prætermissa est. His auditis cuncti animi furorem mitigarunt. Solus Gezo, in qua priùs fuerat protervia manens, operam dabat, ut omnes super Regem irruerent, eumque turpissima morte trucidarent. Verùm disponente Deo affectus ejus pravus effectum habere non potuit. Reversi igitur ad Regem nuncii, prout viderant, & audierant, enarraverunt.

A

CAPUT XI.

De Walberti, & Gezonis captorum suppliciis, prudentia Hugonis, & virtute Samsonis, & fabula Tiresiæ, cur cœci vitales sint; & de Hilduini, & Ratherii Episcoporum ambitione.

Verùm Rex Hugo hæc omnia, quasi pro nihilo mente subdola ducens, Papiâ egressus, longè aliò properare festinat; missisque circumcirca literis, milites suos ad se venire præcepit. Quos inter Samson præpotens Comes advenerat, qui jam dicto Gezoni inimicissimus erat. Is denique, ut Regem vidit, ita B eum convênit: Sollicitum te equidem de rebus urbanis contra te tumultuosè, & molestè his diebus actis intueor; verùm si me audis, mihique obtemperas, suis ipsi capientur laqueis. Alter enim, qui melius consilium dare possit, quàm ego, non facilè potest inveniri; tibi nemo certè meliùs dabit. Unum tamen peto, ut dum capti fuerint meâ operâ, Gezo cum omni sua ὑποστάσει, idest substantia, meis tradatur in manibus. Quem dum dari sibi à Rege audivit, adjecit: Leo Ticinensis Episcopus civitatis Walberto, & Gezoni non habetur amicus: hi sanè quibuscumque possunt ei modis adversantur. Scitis denique moris esse, Regi ab aliis C locis Papiam tendenti cives fortiores extra urbem occurrere. Mandate itaque clam Episcopo, ut dum statuto tempore Papiam veneritis, & ipsi nobis extra urbem obviam venerint, portas civitatis omnes ferari faciat, clavesque sibi ipse retineat, ut dum capere eos cœperimus, nec in urbem confugere, nec ab urbe auxilium possint expectare. Quod & factum est. Nam dum statuto tempore Rex Papiam tenderet, & memorati ei obviam exirent, Episcopus libenter, ut ei imperatum fuerat, fecit. Rex itaque omnes capere, ut Samson consilium dederat, fecit. Confestim igitur Gezo Samsoni traditus, utroque lumine privatur, & lingua, quæ in Regem blasphœmiam dixerat, ei abscinditur. O factum bene, si sicut D cœcus, ita & mutus cunctis extitisset temporibus. Sed ò scelus! Quoniam linguâ abscisâ loquelam non perdidit, secundùm Græcorum fabulas, oculorum privatione vitam sibi protelavit: quæ multis ad perniciem usque in præsentem diem esse non desinit. Fabulam verò, cur cœci plurimùm vivant, secundùm Græcorum ineptiam, his inseramus; quæ talis est: Ζεὺς καὶ Ἥρα &c. hæc est interpretatio: Jupiter & Juno contenderunt de amoribus, uter plures libidines haberet in coitu. Et tunc Tiresiam Euri filium quæsiverunt. Ille enim in utrasque naturas transmutatus erat, quia draconem calcaverat. Hic ergo contra E Junonem pronunciavit: Juno irata cœcavit eum; Jupiter autem donavit ei multos vivere annos, & quæcumque diceret divinando dicere. Sed redeamus ad rem. Gezone, ut prædiximus, membris defœdato, substantia illius diripitur. Cæteri complures custodiæ mancipantur. Walbertus postridie capite truncatur; thesaurus ejus infinitus diripitur. Uxor ejus capitur; & ut thesauros occultos tradat, diversis cruciatibus laniatur. Crevit ex tunc non solùm Papiæ, sed & per omnes Italiæ fines Regis timor. Neque hunc, ut Reges cæteros flocci pendêre, verùm modis omnibus honoravere. Eodem tempore Hilduinus Laudociensis Eccle-

siæ Episcopus, propria Sede expulsus, ad Hugonem Regem, cui affinitatis lineâ jungebatur, (A) in Italiam venit. Qui honorificè ab eo susceptus, Veronensem ei Episcopatum ad stipendii concessit usum. Factum est autem, ut post paululum Lanthbertus Archiepiscopus moreretur, & hic loco ejus Mediolani Episcopus ordinaretur. Venerat autem cum præfato Hilduino Monachus quidam, Ratherius nomine, qui ob religionem, septemq; liberaliū artium peritiam Veronæ Episcopus constituitur: ubi & Milo, de quo supra commemoravimus, Comes habebatur.

CAPUT XII.

(B) *Qualiter Joannes Papa sit captus, custodiæque, in qua moriturus erat, traditus. Qua munitione urbs Roma munitur, & quomodo Hugo per Albericum urbe sit ejectus: quod divinæ dispositioni ascribendum censet, ob peccatum Hugonis Regis.*

Wido interea Tusciæ provinciæ Marchio cum Marozia uxore de Joannis Papæ dejectione cœpit vehementer tractare, atque hoc propter invidiam, quam in Petrum fratrem Papæ habebant: quoniam quidem illum Papa quasi fratrem proprium honorabat. Contigit itaque Petro Romæ degente, Widonem clam multos habuisse milites congregatos. Quumque die quadam Papa cum fratre, paucisque (C) aliis in Lateranensi palatio esset, Widonis, & Maroziæ milites super eos irruentes, Petrum fratrem ipsius ante oculos interfecerunt, eundem verò Papam comprehendentes, custodiæ manciparunt, in qua non multò post defunctus. Ajunt enim, quòd cervical super os ejus posuerint, sicque eum pessimè suffocarint. Quo mortuo ipsum Maroziæ filium nomine Joannem, quem ex Sergio Papa meretrix ipsa genuerat, Papam constituunt. Wido verò non multò post moritur, fraterque ejus Lambertus ipsi Vicarius ordinatur. Marozia verò, scortum impudens nimis, suos nuncios post Widonis mariti sui mortem Hugoni Regi dirigit; eumque invitat ut se adeat, Romamque nobilissimam civitatem sibi assumat. (D) Hoc autem non aliter posse fieri testabatur, nisi eam sibi Rex Hugo uxorem faceret.

Quid Veneris facibus compulsa Marozia sævis?
Conjugis ecce tui spectas tu suavia fratris:
Nubere germanis satagens Herodia binis,
Immemor aspiceris præcepti cœca Joannis,
Qui fratri vetuit fratris violare maritam.
Hæc tibi Moyseos non præstant carmina vatis,
Qui fratri sobolem fratris de nomine jussit
Edere, si primus nequeat sibi gignere natum.
Nostra tuo peperisse viro te sæcula norunt.
Respondens, scio, tu: Nihil hoc Venus ebria curat.
Advenit optatus ceu bos tibi ductus ad aram
Rex Hugo, Romanam potiùs commotus ob urbem.
(E) *Quid juvat ò scelerata virum sic perdere sanctum?*
Crimine dum tanto satagis Regina videri
Amittis magnam Domino tu judice Romam.

Quod rectè esse actum non solùm sensata, verumetiam insensata animadvertunt. In ingressu Romanæ urbis quædam est miri operis, miræque fortitudinis constituta munitio: ante cujus januam pons est pretiosissimus super Tiberim fabricatus, qui primus Romam ingredientibus, atque egredientibus est; nec est alia nisi per eum transeundi via. Hoc tamen nisi consensu munitionem custodientium fieri non potest. Munitio autem ipsa ut cætera desinam, tantæ altitudinis est, ut Ecclesia, quæ in ejus vertice videtur, in honore summi, & cœlestis militiæ Principis Arcangeli Michaëlis fabricata, dicatur Ecclesia Sancti Angeli usque ad cœlos. Rex denique ob munitionis confidentiam, relicto longè exercitu, cum paucis Romam advênit. Qui decenter à Romanis susceptus in prædictam munitionem ad prædictæ Maroziæ meretricis thalamum declinavit. Cujus incesto dum potitus esset concubitu, Romanos quasi jam securus despicere cœpit. Habuerat sanè Marozia filium nomine Albericum, quem ex Alberico Marchione ipsa genuerat. Qui dum matris hortatu Regi Hugoni, vitrico scilicet, aquam funderet, ubi manus ablueret, ab eo pro correctione in faciem cæsus est, eo quòd non moderatè, & prudenter aquam effunderet: is verò ut illatam sibi posset ulcisci injuriam, congregatis in unum Romanis, hujusmodi eos sermone convênit: Romanæ urbis dignitas ad tantam est stultitiam ducta, ut meretricum etiam Imperio pareat. Quid enim fœdius, quidve turpius, quàm ut unius mulieris incestu Romana civitas pereat? Romanorum aliquando servi, scilicet Burgundiones, Romanis imperent? Si meam, privigni scilicet sui, faciem cecîdit, cùm præsertim novus habeatur hospes, quid vobis jam inveteratum facturum creditis? An Burgundionum voracitatem, atque superbiam ignoratis? Ipsam enim nominis saltem etymologiam dispicite: Burgundiones ideo dictos, quoniam dum Romani orbe devicto ex gente hac captivos ducerent multos, constituerunt eis ut extra urbem domos sustollerent, à quibus & paulò post à Romanis ob superbiam expulsi: & quoniam ipsi domorum congregationem, quæ muro non clauditur burgum vocant, Burgundiones, quod est à burgo expulsi, à Romanis appellati sunt. Cæterùm, secundùm naturale nomen, Galli Allobroges nuncupantur. Ego autem πρὸς φρονήσιν idest per sapientiam Burgundiones eos quasi gurguliones appello, vel quòd ob superbiam toto gutture loquantur, vel, quod verius est, quòd edacitati, quæ per gulam exercetur, nimis indulgeant. Nec mora his auditis, Hugonem Regem cuncti deserunt, atque eumdem Albericum sibi Dominum eligunt, & ne spatium quidem milites introducendi suos Rex Hugo haberet, munitionem confestim oppugnant. Liquet divinæ dispensationis esse hoc consilium, ut quod Rex Hugo tam nefando turpiter ceperat scelere, id eum omnimodo obtinere non posse. Tanto quippe est terrore coactus, ut præsertim se ipsum ea ex parte, qua civitatis muro munitio inhærebat, deponens eam desereret, atque ad suos confugeret. Expulsus igitur est Rex Hugo, & cum præfata Marozia Romanæ urbis Monarchiam Albericus tenuit, fratre Joanne suo summi, atque universalis præsulatus sedi præsidente.

CAPUT XIII.

Qualiter, & cur Hugo Rex Lambertum fratrem suum ceperit, & consilio Bosonis eum excœcaverit. Et quòd Rex Hugo jusjurandum à Rodulfo Rege acceperit, & Henricum Regem sibi amicum muneribus effecerit. Et de Danorum subjectione.

Ajunt Bertam, Hugonis Regis Matrem, Adelberto Marchioni viro suo nullum filium peperisse, sed ab aliis mulieribus clam acce-

acceptos simulato partu Widonem, & Lambertum sibi supposuisse; quatenus post mortem Adelberti Bertæ non deessent filii, quorum adjutorio omnem viri sui potentiam possideret. Hoc autem mendacium mihi ideo videtur esse inventum, quatenus incestum suum Rex Hugo tegeret, & infamiæ ὕβριν, idest contumeliam, & vituperium, evaderet; ea tamen, quæ nunc narranda est, cur hoc dictum sit, verisimilior mihi videtur assertio. Lambertus, qui post Widonis fratris sui mortem Tusciæ Marchiam tenebat, vir erat bellicosus, & ad quodlibet facinus audax: quem ob Regnum Italicum Rex Hugo suspectum nimis habebat. Timebat enim, ne Italienses se desererent, & Lambertum Regem constituerent. Boso denique ex eodem patre Regis Hugonis frater, insidiarum huic laqueos paraverat; eo quòd ipse Marchio Tusciæ fieri vehementer ardebat. Consilio igitur hujus, Lamberto Rex Hugo comminando denunciat, ne se fratrem suum ampliùs dicere audeat. Is verò, ut erat animi ferocis, atque indisciplinati, non moderatè, ut debuit, sed effrænatè ita respondit: Ne inficiari Rex possit me fratrem suum esse, nos uno ex corpore eumdem per aditum in lucem prodisse, duello cupio cunctis cernentibus comprobare. Quod Rex ut audivit, juvenem quemdam Teduinum nomine, elegit; qui cum eo hanc ob rem pugnam singularem commisit. Deus autem, qui justus est, & rectum est judicium ejus, in quo non est iniquitas, ut amphibologiam dirumperet, ac veritatem cunctis ostenderet, fecit, ut Teduinus citissimè caderet, & Lambertus victoriam obtineret. Quamobrem Rex Hugo non mediocriter est confusus: consilio autem accepto, eumdem Lambertum tenuit, & custodiæ tradidit. Timuit enim, ne si illum dimitteret, Regnum sibi auferret. Hoc igitur capto, Bosoni fratri suo Tusciam contradidit, & non multò post Lambertum lumine privavit. His temporibus Italienses in Burgundiam ad Rodulfum mittunt, ut adveniat. Quod Hugo Rex ut cognovit, nunciis ad eumdem directis, omnem terram, quam in Gallia ante Regni susceptionem tenuit, Rodulfo dedit; atque ab eo jusjurandum, ne aliquando in Italiam veniret, accepit. Nec minùs etiam Henricum, quem supra memoravimus, Regem fortissimum, multis collatis muneribus amicum sibi effecerat: cujus ex hoc apud Italos nomen maximè tunc clarebat, quòd Danos nulli ante subjectos solus ipse debellaret, ac tributarios faceret. Est enim gens indomita sub septemtrione in Oceano degens; cujus sævitiam multarum sæpe gentium nobilitas luxit. Hi aliquando classibus per Rheni fluminis alveum conscendentes, ferro, & igne cuncta miserè laniarunt. Ipsas insuper nobilissimas civitates, Agrippinam, quæ nunc Colonia vocatur, atque Treveros, non longè à Rheno positas, nonnullasque alias in Regno Lotharii debellantes vi ceperunt; cunctisque ablatis, ea, quæ secum deferre non poterant, combusserunt. Thermas etiam Grani palatii, atque palatia combusserunt. Verùm, his omissis, ad narrandi seriem redeamus.

CAPUT XIV.

De Arnoldo Duce Bajoariorum in Italiam irrumpente, & Hugone illi occurrente, & Bajoariorum strage, & Arnoldi fuga. Et de Verona Hugoni restituta. Et de Ratherio capto, & opere, quod ipse in carcere de se composuit.

ARnoldus Bajoariorum, & Carentanorum Dux, cujus superius fecimus mentionem, quum non multum ab Italia longè distaret, collectis copiis, quatenus Hugoni Regnum auferret, advênit. Qui Tridentinam ea ex parte primam Italiæ Marchiam pertransiens, Veronam usque pervênit. In qua Amilone Comite, atque Ratherio Episcopo libenter, ut qui eum invitarant, suscipitur. Quod Rex Hugo ut audivit, collecto exercitu ei obviam tendit. Quumque eòdem pervenisset, & (1) caballicatas (ut vulgo ajunt) circumcirca dirigeret, Bajoariorum quædam pars non minima de castro vocabulo Gauseningo egrediens, cum Italiensibus pugnare cœpit. À quibus graviter confossa, vix ex ea vel qui hoc ceteris nunciaret, evasit. Qua ex re Arnoldus Dux non parva est confusione repletus. Unde factum est, ut consilio accepto, Milonem Comitem vellet capere: atque Italiâ derelictâ, fecit illum in Bajoariam ducere, quatenus reparato exercitu, quum eo iterum redire posset: quod Milonem non latuit. Qui diversis cogitationibus æstuans, quid ageret penitùs ignorabat. Hugonem Regem planè ut meruerat, adire timebat: cum Arnoldo verò in Bajoariam duci, non solùm mortem, sed infernum putabat. Hac itaque in ambiguitate, quoniam Regem Hugonem, citò misericordiâ noverat inclinari, Arnoldum fugere, & ad eum deliberat tendere. Arnoldus verò quo citiùs potuit, in Bajoariam, est regressus. Munitionem autem, quæ in eadem civitate erat, priùs oppugnans, fratrem Milonis, militesque ejus, qui eam defendere conabantur, secum in Bajoariam duxit. Quo discedente Hugoni Regi mox civitas redditur, & Ratherius ejusdem civitatis Episcopus ab eo captus, Papiæ exilio relegatur. In quo faceta satis urbanitate de exilii sui ærumna librum componere cœpit. Quem si quis legerit, nonnullas ibi hac sub occasione res expolitas inveniet, quæ legentium intellectui, non minùs placere possunt quàm prodesse.

(1) Idest equitatus.

LIUTPRANDI TICINENSIS ECCLESIÆ LEVITÆ HISTORIARUM

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

Pro Procemio quarti libri dicit se deinceps quæ vidit scripturum, quomodo videlicet Hugo Lotharium filium suum Regem constituit, & Romam cum exercitu perrexit, ubi Aldam filiam suam Alberico per dolum despondet, voto tamen non potitur.

HActenus quæ dicta sunt, Sacerdos Sanctissime, sicut à gravissimis, qui ea creverant, viris audivi, exposui: Cæterùm quæ narranda sunt, ut qui interfuerim, explicabo. Ea siquidem tempestate tantus eram, qui Regis Hugonis gratiam vocis mihi dulcedine acquirebam. Is enim euphoniam magnopere diligebat, in qua me coæqualium puerorum nemo vincere poterat. Igitur Hugo Rex dum prosperè sibi cuncta prospiceret, filium suum Lotharium, quem ex Alda uxore sua genuerat, cunctis conniventibus, post se Regem posuit. Quo constituto, qualiter Romam, ex qua ejectus turpiter fuerat, posset acquirere, cogitabat. Collecta itaque multitudine, proficiscitur Romam: cujus quamquam loca, & provincias circumcirca miserè devastaret, eamque ipsam quotidiano impetu impugnaret, ingrediendi eam tamen effectum obtinere non potuit. Sperans denique calliditate sua Albericum posse decipere, ei denunciat, ut filiam suam Aldam, Lotharii Regis nati sui germanam, sibi conjugio tollat; sicque pace habita, ut suus ipsius filius securus permaneat. Albericus igitur, ut vir haud fatuus, filiam ipsius sibi conjugio junxit; Romam autem, quam nimis ardebat, non tradidit, seque ei minimè credidit. Verè tamen Albericum Rex Hugo inescasset, & cepisset, nisi illius hoc cavisset astutia militum, qui eum aliquando pacem cum ipso habere non cupiebant. Si quem enim Rex suorum vellet corripere, ad Albericum mox studuit fugere: à quo ob Regis metum gratanter susceptus Romæ vixerat honoratus.

CAPUT II.

De Saracenis, qui, Fraxineto relicto, Aquas venerunt, ubi commissâ pugnâ, omnes perierunt. Et de prodigioso sanguinis fluxu apud Genuam, quæ eodem anno ab Aphris capta est.

DUm hæc aguntur, Fraxinetum Saraceni inhabitantes, collecta multitudine, Aquas (qui est locus quinquaginta milliariis à Papia A distans) usque pervenerant. Horum πρόβολος, idest prędux, Sagitus, Saracenus pessimus, impiusque extiterat. Deo tamen propitio pugnâ commissâ ταλαίπωρος, ideſt miser, cum omnibus suis interiit. Per idem tempus in Januensi urbe, quæ est in alpibus Cocciis octingentis stadiis à Papia distans, supra Aphricanum Mare constituta, fons sanguinis largissimè fluxit, subsecuturam cunctis patenter ruinam insinuans. Eo quippe anno Pœni cum multitudine classium illo perveniunt, civibusque ignorantibus, civitatem ingrediuntur, cunctos, pueris exceptis, & mulieribus, trucidantes: cunctosque civitatis, & Ecclesiarum Dei thesauros navibus imponentes, in Aphricam sunt reversi.

B

CAPUT III.

De Manassis Arelatensis Episcopi cavillo, & frivola ratione, qua se ad exemplum Divi Petri Episcopatus Sedem mutasse dictitabat. Et de arguta Liuthprandi in eum responsione.

HOc in tempore Manasses Arelatensis civitatis Episcopus, agnitâ Regis Hugonis potentiâ, à cujus ipse sanguine affinitatis lineam traxerat, desertâ comissâ sibi Ecclesiâ, ambitionis spiritu, multas violaturus, immo laceraturus Ecclesias, Italiam petiit. Hugo autem C Rex se regnum securius obtinere sperans, si affinitate sibi conjunctis regni officia largiretur, contra jus, fasque Veronensem, Tridentinam, Mantuanam comendavit illi, seu, quod verius est, in escam dedit Ecclesias. Ac ne his quidem contentus Tridentinam adeptus est Marchiam; quo honore impellente, quum miles esse inciperet, Episcopus esse desinit. Libet autem pater ἅγιε, ideſt sancte, aliquantulum immorarier, suâque ipsius ipsum sententiâ, cur hoc ageret, Deo largiente, propriâ jugulare. Beatus, inquit, Petrus, Antiochœnâ dimissâ Ecclesiâ, ad Romanam urbem, quæ potentiæ magnitudine cunctis tunc nationibus imperabat, postmodum transvolavit: ubi quum, D disponente Deo, sanctam toto Orbe venerandam fundaret Ecclesiam, discipulo suo beato Evangelistæ Marco pristinam Antiochœnam simul comendavit; ita tamen ut Aquilejensem & ipse primò institueret, atque Alexandrinam concitè peteret. Quod ita factum est, neminem eorum, qui actus Apostolicos legerit, nescire cognovimus. Sed ut nobis respondentibus, ò Manasses, verà te super his non sentire cognoscas, ex nominis tui etymologia parentes tuos videntes fuisse intelligis. Manasses quippe obliviosus, seu oblivio domini interpre-

pretatur. Quid enim verius, aut apertius parentes tui hoc nomine vaticinari potuerunt? ita, inquam, es oblitus tui, ut nec hominem quidem te esse reminiscare. Diabolus quippe scripturas novit: & tamen, ut perversus est, perversè eas interpretatur: & quum his utitur, ad perniciem, non ad salutem utitur. Scis ne hunc, cùm tentationum jaculis Dominum, & Redemptorem nostrum Jesum Christum ausu nefario sauciare conaretur, his propheticis malè usum verbis? quoniam Angelis suis mandavit de te, ut in manibus tollant te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum. Hoc sanè ita esse scriptum, ac de eodictum, nullus fidelium ambigit. Sed quàm fraudulenter vera hæc Leviathan ille proferat, ipsius, qui non solùm mortalium, sed & Angelorum sensus exuperat, responsione animadvertere poteris: non tentabis, inquit, Dominum Deum tuum. Vides igitur quòd & tu veris quidem, sed fraudulentis assertionibus uteris, quemadmodum & Apostata Julianus respondisse dicitur Christianis, quos aviditate rapinæ censu proprio defraudavit: nolite, inquit magister vester, possidere aurum, neque argentum. Et illud, facilius est introire camelum per foramen acus, quàm divitem intrare in Regnum Cœlorum. Et item, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Cedo igitur, quid perversius ille, quidve fœtidius te dixisse credendum est? quod enim Petrus ad justitiam tu transfers ad culpam. Credo enim te actus Apostolorum non intellexisse, aut quod credibilius est, minimè legisse. Ibi planè sic scriptum reperies: quoniam fideles vendebant prædia sua, & ponebant precium ante pedes Apostolorum, quibus erant omnia communia, nec quisquam aliquid suum esse dicebat: dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Si igitur quod in humano censu est preciosius, tibique animâ tuâ charius, Petrus aurum, quasi quiddam pestiferum, tangere noluit, qua ratione eum Antiochœnâ desertâ, ad Romanam asseris Ecclesiam transvolasse? Si latras illum, quod omnino falsum est, quæsivisse censum: ego animarum lucrum, & gloriosum comprobo martyrium. Prædictum quippe ipsi à Magistro, immo Creatore, & Redemptore omnium fuerat: quoniam quum esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: quum autem senueris, extendens manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Denique & alio in loco post resurrectionem Petro se, quò iret interroganti, respondisse Dominus dicitur: Romam, iterum crucifigi. Venit igitur Romam Petrus, non ambitione inflammatus, sed martirio animatus, non quærens aurum, sed animarum lucrum. O felicem, immo beatum, si talem te tua conscientia testaretur. Nec inficiari quidem potest te Veronensem Episcopatum vendidisse, quod Petro non cuilibet, sed Apostolo illi nunquam didicimus contigisse. Quare non solùm spirituali, verùm etiam corporali honore sensus alienatione te privatum esse cognovimus. Hæc autem interim dicta ad propositum redeundo sufficiant, quoad, largiente Deo latiùs differere suis in locis, qualiter Mediolanensem usurpaveris cathedram, veniamus.

CAPUT IV.

De Berengario, & ejus uxore, & fratre Anscario. Et de Theobaldo Marchione, qui Græcos à se in prœlio captos castravit. Et de muliere, quæ festivo commento marito virilia servavit.

EO tempore Berengarius ille, cujus tyrannidem nunc luget tota Italia, Eporegiæ civitatis Marchio habebatur. Cui Rex Hugo neptem suam, nomine Willam, quam ex Willa uxore sua Boso Tusciæ provinciæ Marchio Regis frater genuerat, conjugem dedit. Anscarius verò Berengarii frater, quem ex Adelberto Ermegarda Regis Hugonis genuit soror, virium audaciâ, potentiâque clarebat. Theobaldus etiam heros quidam proxima Regi Hugoni affinitate conjunctus, Camerinorum, & Spoletinorum Marchio erat. Hic in auxilium Beneventani Principis contra Græcos, qui eum vehementer oppresserant, abiit. Quibus cùm bellum inferret, victoriâ est potitus. Contigit denique multos Græcorum jam non arva, sed castra obtinentium, hunc cepisse: quibus dum virilia amputaret, talia ϛρατηγῷ, idest qui eis præerat, nunciavit: quoniam quidem viro sancto Imperatori spadonibus nil preciosius esse cognovi, hos studui parvulos sibi verecundè transmittere; plures quamprimum, Deo propitio, transmissurus. Ludibrium autem, immo sapientiam, quam quædam tunc mulier gessit, his inferamus. Dum enim quadam die Græci cum ipsius terræ hominibus extra castrum quoddam ad pugnam adversùs Theobaldum memoratum exirent, nonnulli ab eodem sunt capti: quos cùm eunuchizaret, eosque in castellum dirigeret, mulier quædam mariti succensa amore, ejus pro membris non parum sollicita, sparsis crinibus de castello exiit furibunda: quæ cùm cruentis unguibus ora discerperet, atque ante Theobaldi tentorium clamosis vocibus fleret: quid causæ est, inquit, mulier, quòd tam sonoris vocibus quereris? Quæ, (quia stultitiam simulare loco, prudentia summa est) ita respondit: Novum, inauditumque facinus est, Heroës, ut bellum non repugnantibus mulieribus inferatis: nostrarum nulla ex Amazonum sanguine prosapiam ducit; Minervæ quippe solùm operibus deditæ, armorum penitùs sumus ignaræ. Cui cùm Theobaldus diceret: quis unquam sani capitis heros, præterquam Amazonum temporibus bellum mulieribus intulit? ea respondit: Quod cedo crudelius mulieribus bellum inferre, quidve incomodius his potestis auferre, quàm ut ea viris certetis ὀρχίδια, idest testiculos amputare? in quibus nostri corporis refocillatio, & quod omnium potissimum est nasciture spes extat prolis? Dum enim eos eunuchizatis, non quod illorum, seu quod nostrum est, tollitis. Nunquam armentorum, seu ovium copia, quam mihi ante hos dies abstulistis, vestra me castra adire coëgit. Animalium quæ mihi fecistis dispendia laudo, jacturam hanc tantam, tam crudelem, tam irrecuperabilem, modis omnibus horreo, fugio, nolo. Sancti Dei omnes talem à me avertite pestem. His auditis, nimio sunt omnes cachinno commoti, totiusque in eam populi favor excrevit, ut non solùm virum suum integrum, verùm etiam cuncta, quæ sibi animalia ablata fuerant, recipere mereretur. Quæ cùm, his receptis, abiret, directo, Theobaldus, post eam nuncio, interrogavit, Quid viro suo auferret, si ad pugnam

gnam ampliùs contra se de castello exiret? Oculi, inquit, sunt illi, nares, manus, & pedes. Si hoc egerit, illi, quæ illius sunt, aufe- rat; quæ mea sunt, suæ ancillulæ derelinquat. Verùm quia favorem populi prima sibi locutione adesse per risum, & mariti donum intellexit, hæc postmodum per directum nuncium remandavit.

CAPUT V.

De Bosonis, qui consilio uxoris perfidus extiterat, ab Hugone captivitate, & uxoris ejus Willæ ab Italia ejectione. Et de balteo precioso impudenter à servo in loco pudendo comperto.

PEr idem tempus Regis Hugonis frater Boso, Willa uxore sua cupidissima stimulante, adversùs Regem nova quædam, & perversa molitus est agere, quod Hugonem minimè latuit. Qua ex re captus, custodiæ est continuò traditus. Causa dejectionis ejus hæc fuit. Dum Lamberto, quem supra memoravimus, lumine privato, idem Boso Marchiam Tusciæ obtineret, conjux ejus Willa φιλαργυρία, idest amore pecuniæ, cœpit flagrare, adeò ut totius Tusciæ provinciæ nulla nobilium matronarum quantivis se precii ornamentis excoleret. Hęc quum prolem virilem non haberet, quatuor habuerat natas, Willam, Bertam, Gislam, Richildam. Harum Willa, Berengarii hujus, qui nunc superest, verè marita, hoc effecit, ne genitrix sua omnium mulierum esset nequissima. Ut autem non per longas ambages ejus acta ponamus, uno turpissimo descripto, quæ, & quanta fuerit in cæteris, animadvertere poteris. Vir ejus Boso miræ longitudinis, & latitudinis aureum habebat balteum, qui multarum, & preciosarum splendebat nitore gemmarum. Hunc, cùm Boso caperetur, super omnes gazas ejus diligenter Rex jussit inquiri: sumptisque divitiis, uxorem ejus quasi profanam, & sceleris totius auctricem, turpiter de Regno Italico præcepit expelli, atque in Burgundiam, de qua oriunda fuerat, duci. Verùm quum diligenter omnia perscrutati, balteum non reperirent, cætera nuncii reportantes, ad Hugonem sunt reversi. Tum Rex, revertentes, inquit, phalerarum ejus omnem apparatum, pulvinar etiam, quod equitando premit, evertite. Et si nec ibi quidem balteum poteritis reperire, vestimentis omnibus eam exuite, ne alicubi super se possit occulere: novi enim quàm callida, quàmque sit cupida. Igitur illis redeuntibus, Regisque jussioni parentibus, quum, requisitis omnibus, nil invenissent, vestimentis eam omnibus nudaverunt. Hoc denique tam turpe facinus, atque inauditum, quum, avertentibus oculis proborum, nemo conspiceret, servorum quidam directo obtutu, purpuream secus natium speroidem, idest curvaturam, vidit dependere corrigiam, quam impudenter arripiens, fœditerque trahens è secretiori parte corporis eam secutus balteus est egressus. Servus itaque idem non solùm inverecundus, sed eo ipso facinore turpi hilarior redditus: Ha, ha, he, ait, quàm peritus obstetricandi miles. Rufus puer est natus heræ, quæso ut sit superstes. O me fortunatum, immo omnibus feliciorem, si tales saltem duos uxor mea mihi pareret natos, hos Constantinopolim dirigerem nuncios: quoniam quidem, ut, institoribus narrantibus, agnovi, hujusmodi libenter Imperator suscipit. Talibus præterea Willa confusa

A sermonibus, lacrymis effusis, latentem sub corde cunctis aperit dolorem. Servus autem, ut servorum proprium est, ejus dejectione non solùm non inclinatus, verùm etiam animatus, hæc ad exagerandum doloris vulnus adjecit.

Willa quid insanis? aurum cur condere cœcis
Incipis in membris? proh non audita cupido!
Allecta à furiis, gemmas in corpore condis?
Matribus insolitum tales producere partus:
Hinc tibi nulla decem tulerant fastidia menses
Alma parens tales nobis haud desine fœtus
Edere, qui nati superent te ætate parentem.
Talia cunctanti collum percusserat unus
Impiger, ac verbis illum culparat amaris.

His ita peractis, balteus Regi adducitur, eaque B in Burgundiam destinatur. Verumtamen quæ abscondit, an qui eum inquirere jussit, fœdiùs egerit, mihi quidem videtur amphibolum. Liquet tamen, quòd uterque auri, gemmarumque nimia sit cupidine animatus.

CAPUT VI.

De morte Rodulfi Regis Burgundionum, cujus uxorem Rex Hugo duxit, & filiam filio suo tradidit. Et quomodo ob pellices uxoris uxorem suam despexerit.

BUrgundionum præterea Rex Rodulfus mortem obiit, cujus viduam nomine Bertam, C Rex Hugo, Alda Lotharii Regis filii sui matre defuncta, maritali sibi conjugio sociarat. Sed & filio suo Regi Lothario Rodulfi, & ipsius Bertæ natam nomine Adelheidam, tum formâ onestissimam, tum morum probitate gratiosam conjugem tulit. Quod Græcis omnibus non videtur idoneum, scilicet, ut si Pater, Matrem, cum sint duo unum, uxorem accipiat: filius filiam non sinè reatu valeat sibi conjugio sociare. Hugo denique multarum concubinarum deceptus illecebris, præfatam conjugem suam Bertam maritali non solùm, non cœpit amore diligere. verùm modis omnibus execrari. Quod quam Deus justè punierit, suis in locis ponere non pigebit. Verùm quum nonnullæ essent concubinæ, in tres supra cæteras turpissimo ar- D debat amore: Bezolam vilissimorum Suevorum sanguine cretam, ex qua & natum genuit, nomine Bosonem; quem in Placentina post Widonis obitum Episcopum ordinavit Ecclesiæ: Rozam deinde Walberti superiùs memorati filiam decollati, quæ ei miræ pulchritudinis peperit natam: Tertiam Stephaniam genere Romanam, quæ ei filium peperit nomine Theobaldum, quem postmodum in Ecclesia Mediolanensi Archidiaconum ea ratione constituit, ut, defuncto Archiepiscopo, ejus ipse Vicarius poneretur. Quid autem fuerit, quod effectum Deus habere, hæc non siverit, vita comite, scribendus ordo nudabit. Sed & has tres ob E turpis impudicitiæ facinus, Dearum nominibus, Bezolam videlicet Venerem: Rozam Junonem, ob simultatem, & odium perpetuum; quandoquidem ea secundùm pulchritudinem carnis, hæc speciosior videbatur: Stephanam verò Semelen appellabat. Et quoniam non Rex solus his abutebatur, earum nati ex incertis patribus originem ducunt.

CAPUT

CAPUT VII.

De morte Henrici Regis, & ubi sit sepultus, & de prudentia ejus, qui filium suum Othonem Regem constituit, qui Otho ante Regni susceptionem sororem Regis Anglorum duxerat.

EO in tempore Rex Henricus, in castello, quod est inter Thuringorum, & Saxonum confinia, & dicitur Himeleuna, gravissima valetudine correptus, migravit ad Dominum. Cujus corpus in Saxoniam deportatum, in nobilissimarum, ac Religiosissimarum Monasterio Puellarum, quod in ipsius Regis prædio, vocabulo Quintelingaburch, situm liquet, intra Ecclesiam cum immensa est veneratione repositum. Ubi & venerabilis ejus conjunx, Regnique consors, ex eadem gente nomine Mathildis, ultra omnes, quas viderim, & audierim Matronas, pro delictorum expiatione celebre exequiarum officium, vivamque Deo hostiam offerre non desivit. Hæc ante Regni susceptionem viro suo filium peperit, quem vocavit Othonem. Justum inquam, cujus mundi partes Aquilonaris, & Occidua potentiâ reguntur. sapientiâ pacificantur, religione lætantur, justique judicii severitate terrentur. Post regiam autem dignitatem duos peperit, unum, quem patris nomine vocavit Henricum, facetiâ satis ornatum, consiliis providum, vultus nitore gratiosum, oculorum vigilantiâ placidum: cujus pro recenti funere, non mediocres lacrymas adhuc fundimus. Tertium deinde Brunonem nomine, quem pater sanctus, quoniam Nortmanni Trajectensem destruxerant omnino Ecclesiam, ob ejusdem recuperationem voluit militare. Verùm istorum actus suis in locis latiùs explicemus. Quantæ fuerit prudentiæ, quantæque Rex Henricus scientiæ hinc probari potest, quòd optimum, & potissimum, & religiosissimum natorum suorum Regem constituit. Imminebat enim, Rex prudentissime, obitu tuo totius populi casus, si tantus Regiæ dignitati non subiret Vicarius. Qua ex re in amborum laudem hos pangimus versus:

Ipse, qui quondam superare gentes
Impias bello solitus cruento,
Novimus nunc, Rex, dederis popello
Morte quàm magnas propria ruinas.
Turba certatim viduata caro
Rege jam cesset lacrimare: quando
Alter exurgit similis cluenti
Filius patri, venerandus orbi
Rex Otho: gentis ditione magna
Qui premet, pacemque feret beatam.
Quicquid Henrici periit recessu
Præstitit claro populis hic ortu,
Blandus, & mitis, patiensque Sanctis,
Pestifer duris, rabidusque sævis,
Bella nonnullis tibi sunt gerunda:
Ex quibus nomen referens in astra
Cuncta calcabis pedibus per Orbem,
Quæ premit tardus radians Bootes,
Et quibus nomen dedit Hesper almus:
Lucifer rursus vocitatus idem,
Surgit eoo properans corusco.

Duxerat idem Rex Otho ante regni susceptionem ex Anglorum gente nobilissimam Regis Adelstani fratris filiam sibi uxorem, nomine Otgit: ex qua & filium genuit nomine Liutholfum. Cujus ob recentem jacturam quoties memoriam agimus, lacrymis sinum replemus. O si nunquam natus, aut non tam maturè esset defunctus.

CAPUT VIII.

De Henrico, perversorum consilio, Othoni rebellante, & exclamatione Auctoris in eum.

QUo in tempore Regis ejusdem frater Henricus, quorumdam perversorum instinctu, eidem est nimiùm adversatus. Is enim, qui post creationis suæ mox clarissimam dignitatem creatori suo se similem facere voluit, per auditores suos talibus Henricum contra fratrem, immo Regem, & Dominum, sermonibus instigavit: Rectè ne patrem egisse rere, in Regia tibi dignitate genito, non in eadem genitum proponendo? Planè non discretionis hoc censurâ ponderavit, verùm passionis magnitudine aberravit. Ergo age, neque tibi deerunt copiæ, fratrem dejice, Regnum accipe; sitque tibi regnandi facultas, cui accidit, Deo largiente, & in eadem dignitate nativitas.

Regnandi tibi quid juvenum tam dira cupido
Optime Saxigenum? prohibet Deus.
Haud pater Henricus dedit his: quia sceptra movebat
Astripotens bonus ipse Deus pius;
Quo sinè, nec Regnum capitur, nec tempora sistunt.
Quidquid in Orbe, Deus, geritur, jubet:
Per quem jura Duces cernunt, Regesque triumphant.
Fraternas acies nunc nunc malè
Conflictare cupis, fallax, crudelis, inique,
Impie Leviathan Beemoth paras
Antiquum renovare tua jam fraude duellum.
Crimine pro cuncto pœnas lues;
Hic reprobum numeris culpans quod peccat in ævo
Improbe supplicium referes simul:
Et quæcumque malis debentur flammea cunctis
Vincula, parta tibi misero: neque
Ignicomas erebi justè demersus ad undas,
Perpetuò tecum arsuros trahes
Chrysticolas: quia si qua sacro baptismate loti
Debita post traxere, Dei manet
Gratia, quæ lapsos erexit Sanguine gratis.

CAPUT IX.

De Everhardo, qui Henricum adhuc Regi Othoni fratri suo fidelem cepit, & in Franciam abduxit. Item, qua ratione Everhardus dictus Gilibertum à Regis fidelitate sejunxerit; & quomodo Gilibertus, & Everhardus Henricum carcere emiserint.

TAnti hujus, ac tam perniciosi facinoris illex Everhardus extitit Comes: hujus enim primæ rebellionis tempore Henricus fratri suo Regi, & Domino, prout debuerat, adminicula dederat, nisuque omni adversarios fatigabat. Verùm quia incuria non solùm temporalibus rebus, sed etiam æternis deditis, atque in ipsa internæ contemplationis visione constitutis lapsum nonnunquam parat; & quod (ut Vegetius Renatus in libro rei militaris ait) necessariò amplior securitas gravius solet habere discrimen; Henricum in quodam oppido manentem, incautiùsque se tuentem, prædictus Everhardus, collecta multitudine, obsedit; ac, priusquam ei frater Rex adminiculari posset, expugnavit, secumque illum, & gazam non parvam in propria transportavit. Rex igitur tantum fratris, immo suum, cupiens dedecus vin-

vindicare, præfatum Everhardum, sibique conniventes toto cœpit conamine persequi. Everhardus sanè Gilibertum Lotharingorum Ducem à Regis fidelitate sejunxerat: cujus adjutorio Regi non modicè resistebat. Quamquam idem Gilibertus Regis sororem haberet uxorem; maluit tamen suscipiendi Regni spe animatus Regi obsistere, quàm eum, ut debuerat, contra suos æmulos adjuvare. Sed cùm se Regi nec sic conspicerent posse resistere, non incallido secundùm hominem, sed fatuo secundùm Deum, accepto consilio, hujusmodi verbis Henricum conveniunt: si consiliis nostris te parêre nobis juramento promittis, non solùm quia captus es, te dimittimus, sed, quod majus est, si tamen Rex velis fieri, nostrum te dominum constituimus. Hoc autem non eo dicebant, ut facerent, sed ut ejus auxilio Regem debellarent.

CAPUT X.

Qua calliditate Everhardus Henricum, & Gilibertum in acquirendo Regno decipere voluerit; & quomodo id jactanter conjugi dixerit.

HAbuerat planè Rex nonnullas maximas, & fortissimas copias, & earum Duces, Hermannum scilicet Suevorum Ducem, fratremque ejus Udonem, atque Conradum, cognomine sapientem. Qui quamquam affinitatis lineâ Everhardo jungerentur, maluerunt tamen justè, si necessitas incubuisset, justo cum Rege occumbere, quàm cum consanguineo injustè triumphare. Henricus igitur præmissa jam promissione deceptus, propriis mox collectis copiis, totis viribus ipsos adjuvare, Regemque cœperat debellare. Verùm quia scriptum est, Mentita est iniquitas sibi: libet paululum immorari; & quemadmodum tunc mentita sit iniquitas sibi, explicare. Everhardus haud priùs Gilibertum à Regis fidelitate sejungere valuit, donec Regem eum se facturum esse promisit. Gilibertus autem arte hac Henricum decipere voluit, ut dum suo adjutorio Regem devinceret, ipsum deponeret, sibique Regni solium obtineret. Verùm Everhardus longè aliter disposuerat. Voluit enim Regem posse devincere, Regnoque privare utrosque, sibique usurpare, quemadmodum ex verbis ipsius, quæ, paulò antequam moreretur, uxori suæ dixit, conjicere possumus. Quam dum foveret in sinu, jucundare, inquit, in gremio Comitis brevì lætatura in amplexibus Regis. Quod non ita accidisse, & iniquitatem sibi mentitam esse, tempestas indicat præsens.

CAPUT XI.

De admirabili victoria, quam Rex Otho orando obtinuit, & de Henrico in brachio vulnerato in eo prœlio.

IGitur, ut præfati sumus, hujusmodi Henricus promissione animatus, immo deceptus, collecto exercitu, cum Giliberto pariter, atque Everhardo, Regi præparat bellum. Quos contra Rex properat lætus, non eorum multitudine territus, sed Dei pietate confisus. Sed ut scias, quàm facile est Deo in paucis plures vincere, & quòd quisque in abundantia virtutis suæ non salvabitur, audi antiquum à Domino renovatum miraculum: Regis milites supra Rhenum ad locum vocabulo Bierzuni pervenerant, Rhenique alveum transire cœperant, ignorantes quòd Henricus cum præfatis comitibus tanta vicinitate jam eis esset proximus. Perpaucis denique è navibus egressis, vix equos ascendere, seseque armis induere poterant, quum prænominatorum legiones non nunciantur properantes, sed intuitu ipso cernuntur præsentes. Tali igitur se se mutuo sunt sermone aggressi: Fluminis hujus, ut cernitis, magnitudo socios nostros nobis succurrere, nosque etiam, quamvis volentes redire non sinit; nec clam nobis est, quàm ridiculum nostris præsertim sit nationibus, fortes viros se hostibus tradere, & non resistendo mortem fugere, vitamque sempiternis opprobriis comparare. Quamquam enim evadendi (quæ nunquã hostibus abest) oblata desperatio, & supplicandi opprobrium sempiternum, pugnandi nobis fiduciam præstent; ea tamen est, quæ nos præsertim, veritatis scilicet, & justitiæ causâ pugnare compellit. Si enim terrestris domus nostra resistendo injustitiæ dissolvatur, æternam, non manu factam recipiemus in Cœlis. His itaque dictis accensi hostes inter præcipiti cursu transeunt. Rex denique suorum tantam constantiam non sinè divino instinctu considerans; quoniam fluvio intercedente corporali præsentia subvenire suis non poterat, recordatus populi domini, qui repugnantes sibi Amalecitas orationibus Moysi servi Dei devicerat; protinus de equo descendit, seseque cum omni populo lacrymas fundens ante victoriferos clavos manibus Domini nostri Jesu Christi affixos, suæque lanceæ impositos, in orationem dedit: quantumque justi viri (secundùm justi viri sententiam Jacobi) tunc valeret oratio, res manifesta probavit. Eo namque orante, quum ex suis nullus occumberet, hostes sunt omnes in fugam conversi; nonnullique eorum cur fugerent, penitùs ignorabant, quoniam quidem præ paucitate se se insequentes hostes videre non poterant. Cæsis igitur plurimis, Henricus est vehementer in brachio percussus; & quamquam loricæ triplicis fortitudo ad carnem usque ensis aciem non admitteret, pondere tamen percussionis acerbæ brachium est adeò in livorem conversum, ut nullis medicorum curis ita mederi posset, quin subsequente anno permagnum dolorem sentiret. Unde & paulò post hujus facinoris occasione ipsum fassi sunt hominem exuisse. Sed quia lanceæ ipsius sanctæ memoriam fecimus hîc, qualiter ad eum pervenerit, inseramus.

CAPUT XII.

De lancea Dominica per Henricum inventa, & ad Othonem perlata.

BUrgundionum itaque Rex Rodulfus, qui nonnullis annis Italicis imperavit, lanceam illam à Samsone Comite dono acceperat. Erat enim excepta cæterarum specie lancearum, novo quodammodo opere, novâque elaborata figurâ, habens juxta limbum medium utrobique fenestras. Hæ pro pollicibus perpulcrè duæ acies, usque ad declivum medium lanceæ extenduntur. Hanc igitur Constantini Magni Sanctæ Helenæ filii vivificæ Crucis inventricis fuisse affirmant, quæ media in spina, quam limbum superiùs memoravi, ex clavis, manibus, pedibusque Domini, & Redemptoris Nostri Jesu Christi affixis, Cruces habet. Henricus itaque Rex, ut erat Domini timens, totius-

totiusque religionis amator, audito Rodulfum tam inæstimabile donum habere Cœleste, nunciis directis tentavit, si præmiis aliquibus id posset acquirere, sibique adversùs visibiles, invisibilesque hostes arma invictissima, triumphumque perpetuum præparare. Quod cùm Rex Rodulfus modis omnibus se nunquam facturum ediceret: Rex Henricus quia mollire hunc muneribus non potuit, minis terrere magnopere curavit. Omne quippe Regnum ejus cæde, atque incendiis se depopulaturum esse promisit. Quia verò quod petebatur munus erat, quo Cœlestibus terrea Deus conjunxerat, lapis scilicet angularis faciens utrâque unum, Rodulfi Regis emollivit cor, justoque Regi justa justè petenti cominus dedit. Neque enim pace præsente simultati locus erat. Nam & eo, qui his crucifixus est à Pilato, ad Herodem properante, facti sunt amici in illa die, qui prius inimici erant ad invicem. Quanto autem amore Rex Henricus præfatum inæstimabile donum acceperit, tum in nonnullis rebus, tum in hoc præsertim claruit, quòd non solùm eo donantem se auri, argentique muneribus, verùm etiam Suevorum provinciæ parte non minima honoravit. Deus autem, qui quo quisque quid animo peragat intuetur, non muneris quantitatis, sed bonæ voluntatis inspector, ac retributor, quanta ob prælibatam rem mercede æterno in seculo pium donaverit Regem, indiciis quibusdam hoc etiam in tempore prodidit, dum contra se insurgentes hoc victorifero præeunte signo semper hostes terruit, atque fugavit. Hac igitur occasione, immo Dei voluntate Sanctam Rex Henricus adeptus est romphæam, quam filio, unde in præsentiarum nobis sermo est, decedens cum regno hæreditario dereliquit. Qui quanta donum inestimabile veneratione coluerit, victoria non solùm indicat præsens, verùm etiam divinorum, ut prompturi sumus admiranda largitio munerum. His itaque perterritis, atque fugatis, Rex rediit non tantùm de victoria lætus, quantùm de Divina miseratione magnificus.

CAPUT XIII.

Probat auctoritate Sanctæ Scripturæ, victoriam Othonis non fuisse fortuitam, sed Deo ita disponente, provenisse.

Libet autem paululum immorari, & quòd non fortuitò, sed, Deo disponente, hæc ita acciderint, enarrare. Quod luce nobis clarius constabit, si Domini, ac Salvatoris nostri Jesu Christi apparitionem, quæ post resurrectionem, mulieribus, & discipulis facta est, in medium proferamus. Fidem Petri, dilectionem Joannis supra pectus Domini in cœna recumbentis, Thomas firmiter noverat, eosque ad sepulcrum cucurrisse, nihilque præter linteamina invenisse audierat: Angelorum etiam visiones, qui eum vivere assererent, mulieribus apparuisse cognoverat. Sed esto, fortè mulierum infirmitatem considerans, mulieribus non credebat. Cedò inquam, Sancte Thoma, si duobus discipulis ad castellum Emaus properantibus, quibus non solùm apparuit, sed etiam scripturas, quæ de se erant, aperuit, immo etiam secundùm consuetum morem panem benedixit, & fregit, ac dedit, non credis: omnibus tamen condiscipulis, quibus, januis clausis apparuit, quid fidem non adhibere contendis? meministi ne inquam, eundem Dominum, & A præceptorem tuum, cui te commoriturum promittebas ante passionem, hæc omnia prædixisse? ait namque, ecce ascendimus Hierosolymam, & consumabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellaverint, occident eum: & tertia die resurget. Quur itaque eum dubitas resurrexisse, cùm gentibus traditum, flagellatum, consputum, crucifixum, sicut prædixerat, videas? haud ab re est quod Dominum tuum manibus propriis tractare contendis. Ipse Dominus namque Rex noster, qui operatus est salutem in medio terræ, qui novit omnia, antequam fiant, multos prævidens B hoc errore perituros, ut est misericors, & clemens, infer, ait, digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Confitere Thoma Sancte, & tua dubietate omne nostrum exclude amphibolum. Dominus, inquit, meus, & Deus meus. O ambiguum omni laude dignissimum! O dubium cunctis seculis prædicandum! Si tu non dubitares, ego non tam firmiter crederem. Si mulierum credentium, si condiscipulorum fidem Hæreticis, qui non vero corpore Dominum Jesum Christum resurrexisse latrabant, diceremus, multa nobis argumenta diabolica calliditate opponerent. Sed quum dubitantem Thomam corpus tractasse, vulnerum cicatrices C tetigisse, ac mox, dubitatione remota, Deum, & Dominum exclamasse audiunt: qui priùs erant multisoni, mox ut pisces videntur insoni, cognoscentes quia, & vera caro est, quæ tractari potuit, & Deus, qui janius clausis intravit. Et quod Thomas dubitavit, non fors, sed Dei Omnipotentis dispensatio fuit. Sic itaque, sic, Rex piissime, insperata ob militum paucitatem victoria Divinæ consilium providentiæ fuit, volens mortalibus indicare, quàm carus Deo esset, qui orando tam immensum cum paucis triumphum obtinere promeruit. Fortè enim immo certè & tu priùs ignorabas quàm carus existeres: quod post te cognoscere fecit, quum tantâ victoriâ honoravit. Sancti etenim D viri, quid virtutis habeant, & quanti in conspectu Divini examinis existant, nisi probaverint, ignorant. Quod in facto Abraham filium immolare cupientis, ex verbis Angeli dicentis colligere possumus: ait enim, ne extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam: nunc cognovi quòd timeas Dominum. Idest te ipsum, & posteros cognoscere feci. Noverat enim Dominus etiam antequam filium immolare vellet, quantâ Abraham Patriarca sanctus eum charitate diligeret: sed is, qui diligebat, quàm perfectè diligeret, non novit, donec per dilecti filii immolationem apertissimè cognovit. Possumus & hanc ex beati Petri promissione approbare: Domine, inquit, E tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire. Cui Dominus, dico, ait, tibi Petre, non cantabit in hac nocte gallus, donec ter abneges nosse me. O Sancte Petre, meliùs quàm tu, novit te qui fecit te. Tu profiteris, quemadmodum putas, veram fidem; sed qui, priusquam fiant, omnia novit, ter se negaturum te esse prædixit. Hujus quippe sententiæ non immemor, cùm postmodum te, an se diligeres, interrogaret, magis ipsi credens, quàm tibi, amorem tuum hac temporata responsione declarasti, dicens: Domine tu omnia nosti; tu scis, quia amo te. Conscientiâ quidem meâ plùs diligo te, quàm me, nisi quia te diligendo,

do, diligo me. Utrum autem, ut existimo ita se veritas habeat, ipse quàm ego meliùs nosti, qui me ut essem fecisti, & ut te diligerem amore justissimo inflammasti. Bone itaque Rex, non ob tuam hoc, sed ob infirmorum actum est fidem, qui victoriam non nisi multitudine putant consistere, & humanas res non nisi fortuitò provenire. Scimus enim quia si cum duodecim legionibus transires, ac victoriam obtineres, non eam Domino, sed tibi imputares. Et hæc ratio est, quòd cum paucis orando voluit te Deus vincere, ut & in se sperantes ad amorem sui magis accenderet, & te quantùm diligeret, nescientibus indicaret. Sed, his omissis, ad alia festinemus.

CAPUT XIV.

De eis, qui in Alsatia Othonem Regem fraude Federici Archiepiscopi deseruerunt: & de animoso Othonis ad suos responso.

EST in Alsatiæ partibus castellum Brisecgaune patrio vocabulo nuncupatum, quod & Rhenus in modum insulæ cingens, & naturalis ipsa loci asperitas munit. In hac itaque suorum Everhardus posuerat multitudinem militum: quorum terrore, non solùm sibi magnam partem præfatæ provinciæ vendicabat, verùm etiam circumcirca Regis fideles miserè laniabat. Rex denique bonus, non quæ sua, sed quæ suorum erant considerans, collecto exercitu, in Alsatiam, ut præfatum castrum obsideat, proficiscitur. Cùmque eòdem pervenisset, Frederici, qui cum eo tunc aderat, Moguntiæ sedis Archiepiscopi, exhortatione, Episcoporum quamplurimi, defixis noctu per gyrum amissis tentoriis, cœperunt Regem deserere, clamque ad civitates proprias confugere, Frederico cum eodem subdolè permanente. Quod Regis milites considerantes, hujusmodi Regem sunt aggressi sermone: consule Rex saluti tuæ loca hæc deserens, & Saxoniam petens; nec clam te est, quòd Henricus frater tuus bellum tibi inferre conatur: qui si tam parvas tecum esse copias senserit, ita repentinus irruet, ut nec fugiendi quidem locus sit. Melius est igitur, reparato exercitu, redire, quàm aut mori miserè, aut turpiter fugere. Quibus Rex imperterritus, ut quondam suis Judas cognomento Machabæus, nolite, ait, nolite talia loqui. Et si appropinquavit tempus nostrum, moriamur omnes in virtute, & non inferamus crimen gloriæ nostræ. Melius est enim pro vera justitia mortem subire, quàm, eam fugiendo, turpiter vivere. Denique si illos Dei ordinationi resistentes, auxilium à multitudine sola, & non à Deo sperantes, injustè præliari, mori, & ad irremissibiles erebi pœnas descendere juvat, nihilominus nos immo acriùs pugnare delectet; qui & præliari pro justitia securi, &, si fors carnis universæ acciderit, securiùs possumus mori. Nam pro justitia pugnatores ob copiarum paucitatem ante pugnæ experimentum terga dare, Deo diffidere est. His dictis, non solùm eos à fugæ proposito revocavit, verùm etiam, ut vehementer pugnarent, animavit.

CAPUT XV.

De animoso, & prudenti responso Othonis, quo confutavit impudentiam Comitis Abbatiam in præmium auxilii petentis.

UNum autem, unum, Pater egregie, velim diligenter attendas: quod quum audieris, plus eum animi passiones, quàm hostes vicisse miraberis. Hujusmodi vincere adversarios, permittente Deo, nonnunquam & peccatores possunt; inconcussam autem animi tenere virtutem, prosperis scilicet non extolli, & adversis non frangi, perfectorum solummodo est. Audi igitur in tanta hac fluctuante procella, quo fidei supra petram, qui Christus est, sit ardore fundatus. Comes quidam tunc prædives cum eo erat, cujus multitudo militum Regis aciem condecorabat. Hic itaque videns, quamplurimos ex Regis acie desertores, ac transfugas fieri, non interiorem, sed exteriorem considerans hominem, tacitus hæc secum volvere cœpit: Quidquid à Rege in hac turbatione constituto petiero, sinè dubio, impetrabo; præsertim cum & acre nobis bellum immineat, ac, se ne deseram, timeat. Nunciis itaque directis, Regi supplicat, ut Abbatiam quamdam, Lauresheim dictam, prædiis ditissimam, sibi concedat: cujus possessionibus, quod sibi deerat, militibus suis ministrare prævaleat. Rex autem columbinâ non solùm, sed ut erat viperina calliditate suffarcinatus, non hoc, quid portenderet, minimè advertere potuit; unde & hujusmodi nunciis apologeticum dedit: illi quid super hac re sentiam verbis ipse potiùs explicabo, quàm nunciis. Quod qui hoc direxerat audiens, immensa est affectus animi lętitia, sperans se quod poposcerat impetrasse. Unde & moræ impatiens, Regem adiit, eumque sententiam super hac re promere postulavit. Cui Rex, populo circumstante, obedire, inquit, magis oportet Deo, quàm hominibus. Quis enim sanum sapiens ignorat, te hæc non humilitate petitionis, sed comminationis autoritate dixisse? Scriptum est enim: nolite sanctum dare canibus. Quod quamvis à Doctoribus spiritualiter intelligendum esse prædicetur; ego tamen satis me dare canibus sanctum censeo, si monasteriorum, prædia, quæ à religiosis viris Deo sunt militantibus tradita, tulero, & seculo militantibus dedero; tibi verò tam procaciter injusta petenti, sub testimonio totius populi nec hoc, nec aliud unquam te à me accepturum esse testificor. Si cordi tibi est eum ceteris infidelibus avolare, quantò citiùs, tantò meliùs. His auditis quia facies speculum est mentis, cordis verecundiam vultus rubore nudavit; concitusque Regis ad pedes corruens, se peccasse, se graviter deliquisse confessus est. Perpende itaque, qua constantia Dei athleta non solùm visibiles, verùm etiam invisibiles conterat hostes. Antiquus etenim hostis non ei se nocuisse putavit, dum tot fortissimos Principes contra illum surgere persuasit; fratrem etiam, qui ei regnum auferret, instigavit, quoniam hæc exteriora esse damna cognovit; quin & præfatum comitem ad expetendam sanctorum hæreditatem incitavit, quatenus Rex eo velociùs offensam Dei incurreret, quo servorum Dei stipendia suis injustè militibus traderet. Verùm quia nequivit, nunc quantùm Rex Sanctus obtentationis hujus constantiam Deo pro se pugnante crevit, in medium proferamus.

CA-

CAPUT XVI.

Quomodo Deo pro Othone Rege pugnante, Gilebertus, & Everhardus apud Andernacum sint occisi.

DAvid Sanctus ex persona Domini dicit: si populus meus audisset me, Israël si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam. Quod in Rege hoc Dominum audiente, atque in viis ejus ambulante esse completum, quam prompturus sum, ratio declarabit. Everhardus, atque Gilebertus, audito Rege in Alsatia esse, quoniam neminem, qui eis resisteret, verebantur, per magno collecto exercitu, Rheni alveum ad Andernacum pertranseunt, Regisque fideles circumquaque demoliri procedunt. Udo sanè Hermanni Ducis Suevorum frater, necnon & Conradus cognomento sapiens, quos superiùs Regi diximus esse fideles, ipsius in partibus erant, sed quia eorum copiæ istorum copiis impares extiterant, his occurrere trepidabant, verùm, jubente Deo, non locutionis, sed inspirationis modo, hos cum multis spoliis redeuntes ponè sequuntur. Qumque paululum processissent, quidam eis flens, & ejulans obviam venit Sacerdos. Qui rogatus ab eis quò iret, cur fleret? ab istis, inquit, prædonibus ego venio, qui paupertatis meæ ęrumnam uno, quod solum possederam, jumento ablato dilatarunt. Quod quum præfatus Udo, ac Conradus audirent, an Gilebertum, atque Everhardum viderit examussim sunt sciscitati. Quo respondente, quoniam cum præda, cunctis penè trans Rhenum missis, ipsi soli cum eorum electis militibus (quod nec bene vertat) capiunt cibum, tanta celeritate super eos irruunt, ut si videres, non eos currere, sed diceres transvolare. Quid plura? Everhardus gladiis occiditur, Gilibertus Rheni undis submergitur, quas quoniam exorbere præ multitudine non potuit, anima recedente, defecit. Cæterorum verò nullus aufugit, qui non aut vivus caperetur, aut gladio truncaretur. Vides igitur quemadmodum super Regem tribulantes Dominus manum miserit, quem in viis suis ambulantem cognovit.

CAPUT XVII.

De nuncio qui Othoni cædem Gileberti, & Everhardi nunciavit, quum templum peteret, & de pietate ejus.

DUm hæc aguntur Rex in Alsatia horum inscius, mori potiùs, quàm adversarios fugere est paratus. Accidit itaque, ut quemadmodum ei moris erat, mane primo quoniam Ecclesia longè aberat, super equum consideret, eòque se munitum orationibus iret, dum directis procul oculis, obviare sibi sub nimia celeritate hominem vidit: quem illico nuncium esse intellexit, eo quòd subsecuturam lætitiam quodam præludio hilaritatis ostendit. Hoc igitur indicio, quia secunda eum nunciare, qui aderant, intelligunt, arrectis auribus, ut eum audiant, currunt. Quibus moderata hujus processio capillorum, ac vestium compositio, honesta salutatio annuerat. Vidit Rex populum anhelare, & quòd dicendi moram nuncius faceret, graviter ferre. Age ait, ad quod missus es

A fare, præpostero ordine rem priùs exprime, circumstantium metus adime, eorumque animos gaudio exple: dehinc per longa exorsa, & Rhetorum procemia salutationibus nos demulce. Non qualiter, sed quid dicas præsens tempus expectat. Malumus enim rusticana simplicitate lætari, quàm tulliana eloquentia periclitari. His auditis, Everhardum, atque Gilebertum hominem exutos esse primo impetu nunciavit, volentemque qualiter hoc acciderit prosequi Rex manu compescuit, ac mox de equo descendit, seseque cum lacrymis Deo gratias agens in orationem dedit. Qua expleta surrexit, atque itinere, quò cœperat, Deo se commendaturus ad Ecclesiam tendit.

B

CAPUT XVIII.

Quomodo Otho Rex Bertholdo Bajoariorum Duci amico suo res lætas denunciavit, & nuptias sororis, aut filiæ ejus obtulit: & de Frederici Episcopi inani contra Regem factione.

HOc in tempore Bertholdus Bajoariorum Dux, Arnulfi Ducis frater, vir strenuus, Regis partibus toto favebat conamine. Volens itaque Rex, ut quemadmodum tribulationis præteritæ, ita & lætitiæ præsentis fieret particeps, sequenti die, quanta erga eum Dominus
C beneficia egerit, nunciis directis, aperuit. Cui etiam in augmentum lætitiæ, quoniam conjugali minimè connubio tenebatur, demandavit, ac juramento promittere fecit, ut si sororem suam, scilicet Giliberti uxorem, habere posset, eam illi conjugio copularet: quòd si minùs procederet, ipsius Giliberti ex eadem sorore genitam, quam penès se habuerat, ferè jam nubilem maritali ei conjugio traderet. Quo audito, Bertholdus immenso est gaudio affectus; elegitque nondum nubilem potiùs filiam expectare, quàm matrem, quæ jam nupserat, tollere. Fridericus denique Moguntiacensis Ecclesiæ Archiepiscopus, cujus consilio nonnulli Episcoporum Regem dimiserant, ut, quam occul-
D tè gestabat, infidelitas cunctis pateret, decem ferme diebus ante prænominatorum interitum Regem deseruit, ac Moguntiam concitus venit: in qua nihil moratus, Metensem urbem adiit. Disposuerat enim Regis frater Henricus, redeuntibus Everhardo, atque Giliberto, cum eodem Friderico illic exercitum congregare, sicque Regi in Alsatia degenti bellum maximum præparare. Qumque illò pervenisset nominatus Archiepiscopus, insperatè, & non opportunè ei nuncii occurrerunt, qui jam prælibatos Principes morte intercedente non vivere, dicunt. Is autem animo consternatus, quid faceret, penitùs ignorabat.

E

CAPUT XIX.

De ejusdem Friderici Archiepiscopi captivitate. Et de sorore Henrici prohibente, ne in munitiones quasdam contra Regem se recipiat. Et quomodo Henricus tandem ad misericordiam Regis fratris sui se submiserit.

REx interea Alsatiam deserens, Franciam occupabat. Cujus ob metum, Moguntiæ cives redeuntem Archiepiscopum intra urbis mœnia non suscipiunt: unde factum est, ut non multò post à Regis fidelibus captus, & ante

ante ejus præsentiam adductus, custodiæ sit in Saxoniam traditus: in qua aliquamdiu commoratus, miseratione Regis dignitati pristinæ est restitutus. Henricus denique Regis sui, atque fratris terrore compulsus in castellum Capræmons vocabulo, non solùm ingeniis hominum, verùm naturâ ipsâ munitum, ingredi voluit: quod ejus soror, vidua scilicet Giliberti, prænoscens, non solùm, ne id facere posset, prohibuit, verùm hujusmodi eum sermonibus convênit: Proh! non te te miseriarum mearum tædet, quas interempto Giliberto marito perpetior, ni etiam meis in munitionibus te occludendo Regis iram super regionem, velut aquam effundas? non feram, non sinam, non patiar, non tanta mihi vecordia innata erit, ut ex meis

A incommodis tua compares commoda. His, Henricus, auditis, quum aliud quid faceret, ignoraret, assumptis secum, quorum auxilio juvaretur, quibusdam Episcopis, die quadam nudis pedibus Regis ad pedes, ignorante ipso, pervênit, supplexque misericordiam imploravit. Cui Rex, indignum, inquit, facinus tuum misericordiam non meretur, verùm quia video te humiliatum coram me, non inducam malum super te. Jussit itaque Rex eum ad Palatium suum, quod in Francia, in loco, qui dicitur Inglinheim, constitutum est, proficisci, solertique illum vigilantia custodiri; quoad iræ remota paululum ægritudine, quid super eum faceret, consilio sapientium definiret.



LIUTPRANDI TICINENSIS ECCLESIÆ LEVITÆ

HISTORIARUM

LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

Qualiter Hermannus Suevorum Dux Liuthulfo filio Regis Othonis Idam filiam suam conjugem obtulerit. Et de eclypsi Solis ante victoriam Radamiri in Hispania: & de apparitione Cometæ. Item, qualiter Rex Hugo Romam vexaverit.

FActum est, ut post mortem Everhardi, atque Giliberti, necnon & Henrici fratris Regis inclusionem, concurrentibus undique ad Regem congratulationis causâ proceribus, veniret etiam vir ditissimus Suevorum Dux Hermannus: qui post congratulationis satietatem, talibus est Regem aggressus sermonibus: Non clam Domino meo est, tum prædiorum latitudine, tum pecuniarum immensitate prædivitem me absque liberis esse; nec est præter unam parvulam natam, quæ mearum rerum, me redeunte, hæres existat. Placeat, itaque Domino meo Regi filium suum parvulum Liuthulfum mihi adoptare filium; quatenus unicæ filiæ meæ maritali commercio sociatus, me migrante, mearum fiat hæreditate rerum magnificus. Hoc itaque quia placuit Regi consilium, quod poposcerat, sinè dilatione complevit. Hoc in tempore, ut ipse Pater benenosti, sol magnam, & cunctis terribilem passus est eclypsim sextâ feriâ, horâ diei tertiâ. Qua etiam die Abdaram Rex noster à Radamiro Rege Christianissimo Galitiæ in bello superatus est. Sed & in Italia octo continuis noctibus miræ magnitudinis cometa apparuit, nimiæ proceritatis, igneos ex sese radios fundens, subsecuturam non multò post famem portendens, quæ magnitudine sua miserè vastabat Italiam. Eadem tempestate, Hugone Rege turpiter expulso, Albericus, ut præfati sumus, Romanæ civitatis Monarchiam obtinebat. Quem Rex Hugo quotannis graviter opprimebat gladio, & igne, quæ poterat universa consumens, adeò ut civitates, præter Romam, in qua ipse consederat, omnes auferret. Sed & ipsam sinè dubio tum depopulando, tum cives muneribus corrumpendo conquisivisset, nisi occulta, & justa justi Dei sententia illi prohibuisset.

CAPUT II.

De Berengario, & Anscario fratribus: quorum posterior Marchio Camerinorum, & Spoletinorum ab Hugone constituitur. Item de Sarlio, seu Harlio, quem Rex Hugo contra Anscarium nova molientem miserit: & de Anscarii verbis. Item de bono consilio Wiberti, & malo Archodi Regi dato.

PEr idem tempus Berengarius, atque Anscarius in Italia fratres clarebant, uno quidem patre, Adelberto scilicet Eporegiæ civitatis Marchione, sed non una matre, progeniti. Berengarium namque, uti præfati sumus, Gilla, Berengarii Regis filia; Anscarium autem Ermegarda. Adelberti Tusciæ provinciæ Marchionis, quam ex Berta Regis Hugonis filia habuerat, peperit. Quorum Berengarius consiliis providus, ingenio callidus; Anscarius verò ad quodlibet facinus promptus. Quem & Rex Hugo nimis suspectum habuerat, ne se occideret, ac Regnum sibimet obtineret. Consilio itaque accepto, quia Theobaldus Marchio hominem exierat, Spoletinorum eum, ac Camerinorum constituit Marchionem, quatenus eò securiùs viveret, quò longiùs hunc ad sese esse sequestratum cognosceret. Quò dum profectus esset, uti animi impatiens erat, quicquid ex Rege mali mens ei cogitando suggesserat, rerum signis continuò declarabat. Quod Regem Hugonem minimè latuit. Igitur quod remedium huic ægritudini dare posset excogitans, Sarlionem ad se Burgundionum ex gente progenitum advocat, cui & ait: Camerinorum, ac Spoletinorum hominum non est mihi fides incognita: est enim calamo similis; cui si innisus fuerit homo, perforabit manum suam. Vade itaque, atque acceptâ à me pecuniâ mentes eorum corrumpe, ab Anscarii dilectione eos amove, tibique conjunge. Te nemo est, qui possit facere tum meliùs, tum commodiùs. Habes enim illius Theobaldi nepotis mei defuncti optimi Marchionis uxorem, cujus auxiliis fretus, cunctus ad te veniet populus. Profectus itaque est, & eo annitente, haud secus atque Rex prædixerat, Camerinorum, ac Spoletinorum populus egit. Congregata itaque multitudine, ad eam, in qua Anscarius erat, civitatem properare festinat. Quod cùm audisset Anscarius, antesignanum suum nomine Wibertum talibus adorsus est verbis.

Sarlices in bellis multorum fisus in armis
Pugnaturus adit; cui fortes pectore, & armis
Occursare decet, bellumque inferre cruentum.
Lecta manus juvenum bellis exercita multis,
Post

Post hunc tendentem, quæ me comitata patronum,
Protinus adveniet fulvo decorata metallo.

A His auditis, Wibertus, ut erat vir non audaciâ solùm, verùm etiam scientiâ fretus; Manè, ait, copias pro ut potis es, congregato. Pergrave est enim cum paucis, innumeris occurrere. Sed etsi quibuscum res agitur animadvertis, heroës sunt, haud segniùs, atque nos bello assuefacti. Jam Anscarius Wiberto recta sibi consulenti connivere decreverat, directisque usquequaque nunciis congregare exercitum cupierat, quum Archodus, Burgundionum sanguine ortus, Wibertum sibi consulentem dictis increpabat amaris: Chremeti, inquit, similis es, qui ob Thrasonis metum Thaidi de occludendis ædibus consilium, quo advocatos sibi à foro duceret, dedit: quem quum Thais prohiberet: B Quod cum salute sua, ait, cavere possis, stultum est admittere. Malo ego vos prospicere, quàm ulcisci acceptâ injuriâ. Optimè Wibertus inquit, Thrasonis fecisti memoriam militis, qui priùs ore desæviens, quum ad rem veram ventum esset, Syrisgum in dextro cornu, Simalionem in sinistro constituens, ipse sibi locum post principia elegit. Burgundiones enim garrulos esse, voraces, ac imbelles, nullus, qui eos noverit, ambigit. Sed & quàm fortiter sæpe feceris, quas fugiendo declinasti, cicatrices indicant corporis.

CAPUT III.

C *De prima pugna inter Sarlionem, & Anscarium: in qua Wibertus lethaliter vulneratus est, & Archodus fugit. Item de secundo prælio, in quo Anscarius strenuè pugnans, Hattonem Comitem hasta occidit, ac postmodum de equo per dolum decidens, ab Hostibus occisus est.*

Hujusmodi Anscarius, atque Wibertus excitati dictis, ubi Sarlionem cum multis esse audiunt, quàm mox cum paucis properare contendunt. Sex Sarlio acies habuerat: quarum tres contra Anscarii unam, in qua ipse Anscarius erat, direxerat; ipse verò, fluvio interjecto, D rei spectans eventum, cum tribus remanserat. Verebatur enim quòd nec tanta eum multitudo quiret defendere, si suos in eum Anscarius posset obtutus inducere. Haud mora, bellum incipitur: in quo Archodus, quia fugerat, non videtur. Wibertus morte tenus vulneratur; quoniam quidem mori satius, quàm fugere duxit. His itaque omnibus ab Anscario debellatis, duas in eum iterum Sarlius mittit acies, unâ solummodo secum retentâ. Cùmque Anscarius, quis suorum occumberet, inquirere vellet, non suo tantùm, quàm aliorum sanguine cruentatus Wibertus ei occurrit. Cui & ait: duæ contra nos acies perpulcrè armis instructæ adveniunt; quas te potiùs declinare, E quàm expectare, etiam atque etiam rogo. Archodus, ut ipse bene nosti, pugnæ hujus incensor, qualiter aufugerit vides: ego verò positus in extremis, non cogito jam de pugna, sed misericordem Dominum rogo pro anima, ne mihi imputet, quæ ob dilectionem tui hodie commerui, crimina, multa hominum neci dando corpora. His expletis, expiravit. Collectis itaque Anscarius, quos potuit, duabus phalangis occurrens eas inter furibundus insilit, stragemque innumeram dedit. Comes quidem Hatto nomine duabus illis præerat aciebus; qui hac occasione, & fiducia Anscario occurrit, quoniam confractâ jam lanceâ solam in manu ejus viderat hastam. Quem dum intuitus esset Anscarius; tu ne es, inquit, qui contempto crucis, & sanctorum juramento perjurus in nomine Dei tui me tuum Dominum deseruisti, & ad vulpem Sarlium transfuga, ac desertor abiisti? esse aliquos manes, & subterranea Regna in quibus perjuri puniantur, Cocytum, & Stygio ranas ingurgite nigras, qui usque modò somniasti, re ipsa experiere. Hæc dicens hastam, quam sinè ferro gestabat, per os illius validè jacens, sanguine, cerebroque respersam per occipitium duxit: Enseque abstracto, quoniam multi super se irruerant, dimicare vehementer cœpit. Quumque nullis sibi adminiculantibus, omnium penè hostium solus impetum sustineret, huc illucque discurrens, sonipes, quo insederat, adeò in scrobem cecidit, ut collo supposito, cruribusque, & pedibus sursum erectis, eòusque super Anscarium jaceret donec ab irruentibus hostibus, missilibusque directis occideretur. Quo mortuo, Sarlius Marchiâ securè potitur, & Rex Hugo gaudio immenso afficitur.

CAPUT IV.

De missis ab Hugone Constantinopolim ad Imperatorem pro navibus, & igne græco, contra Saracenos. Item de Berengarii fuga, qui acceperat Regem Hugonem oculis suis insidias parare, & se velle excœcare: & de uxoris ejusdem fuga. Item de imprecationibus auctoris in montes, qui illis pervii fuerunt. Item qualiter Hermannus Dux Berengarium suscepit, & Othoni Regi commendavit.

Dum hæc aguntur, montana, quibus ab Occidua, seu Septentrionali parte cingitur Italia, à Saracenis Fraxinetum inhabitantibus crudelissimè depopulantur. Quamobrem Hugo Rex, consilio accepto, nuncios Constantinopolim dirigit, rogans Imperatorem Romanum, ut naves sibi cum græco igne transmittat, quas Chelandria patrio sermone Græci cognominant. Hoc autem eo fecit, ut dum terrestri itinere ipse ad destruendum tenderet Fraxinetum, eam partem, qua mari munitur, Græci obsiderent navigio, eorumque naves exurerent, ac ne ex Hispania victus eis, aut copiarum subsidia provenirent, diligentissimè providerent. Interea Berengarius memorati frater Anscarii, atque Eporegiæ civitatis Marchio, occultè quædam in Regem cœpit moliri, quod dum Regi compertum foret, simulatâ benevolentiâ, dissimulatâque irâ, dum ad sese veniret, luce eum privare disposuit. Filius verò ejus nomine Lotharius Rex & ipse parvulus, & necessariarum sibi rerum adhuc ignarus, quoniam consiliis his interfuit celare quemadmodum puer haud potuit, verùm destinato ad Berengarium nuncio, quod pater illi suus facere vellet, aperuit. Hoc itaque Berengarius ut audivit, Italiam quàm mox deseruit, ac per montem Jovis in Sueviam ad Hermannum Ducem properavit. Uxorem verò suam Willam per aliam viam ad eandem provinciam venire præcepit. Quæ itinere digressionis suæ per montem avium fœta, partuique vicina, qualiter montes tam asperos, atque invios transire pedibus potuerit, satis nequeo mirari: nisi quia fortunas omnes adversas mihi fuisse certò scio. Sed ô quod sibi decipulam Lotharius præparaverit, futuri ignarus videre non potuit. Dum enim Berengario consuluit, qui Regnum, & vitam

tam auferret, sibimet præparavit. Imprecor itaque mala plurima non Lothario, qui levitate peccavit pueritiæ, idque amarè postmodum pœnituit, verùm montibus illis crudelibus contra insuetum omnibus morem facilè eis iter præbentibus. Itaque libet mihi in eorum contumeliam nunc exclamare.

Improbe mons avium, tali
Neque tu nomine dignus:
Conservas quia nam pestem,
Nunc quam perdere possis.
Invius esse soles etiam,
Cum Sol igneus ardet
Tempore, quo Cererem messor
Curva falce reposcit,
Tempore, quo radiis Phœbi
Cancri sydus adurit.
Pessime nunc es inaudito
Rigidæ tempore brumæ
Pervius: atque utinam possent
Mea nunc vota valere,
Protinus in barathrum vulsus
Aliis montibus isses.
Ecce Berengarium servat,
Sinit, & tramite recto
Mons transire Jovis, mirum
Haud Suetos perdere sanctos,
Et servare malos, vocitant
Heu quos nomine Mauros.
Sanguine, qui gaudent hominum,
Juvat, & vivere rapto.
Quid loquar? ecce Dei cupio
Tete fulmine aduri,
Conscissusque chaos cunctis
Fias tempore cuncto.

Igitur Hermannus Suevorum Dux venientem ad se Berengarium benignè suscepit, eumque cum magno honore ante piissimi Regis præsentiam duxit. Quem quanta Rex devotione susceperit, quantisve muneribus eum donaverit, quantùmque honoraverit, stilus meus se scribere posse diffidit. Verùm quantum poterit designatis, cujus sanctitatis, quantæ humanitatis Rex fuerit, quantæque etiam Berengarius improbitatis extiterit, facilè prudens lector animadvertere poterit.

CAPUT V.

De legatione Hugonis ad Othonem, ut Berengarium non suscipiat: & de pecunia illi frustra oblata. Item de legatione Romani Græcorum Imperatoris, postulantis Nepoti suo Hugonis filiam conjugem.

Rex Hugo auditâ Berengarii fugâ, nuncios suos Regi Othoni direxit, promittens se secundùm voluntatis ejus deliberationem auri, argentique copiam ei daturum, si Berengarium non susciperet, eique adminicula non conferret. Quibus Rex Apologeticum hujusmodi dedit: Berengarius non ob Domini vestri dejectionem, verùm, si potis est, ob reconciliationem, nostram adiit pietatem, si qua in re adminiculari illi penes Dominium vestrum potero. Gazas mihi ab illo promissas non suscipio, verùm illi meas libentissimè tribuo: Berengario verò, seu cuilibet nostræ pietatis clementiam imploranti, subsidium non præbere, summæ dementiæ est. Perpende itaque, quanta

A eum Rex pius charitate dilexerit, qui promissum non solùm non accipere, sed propriam pro illo voluit dare pecuniam. Dum hæc aguntur, Constantinopolitanus Imperator cum Regis Hugonis nunciis suos dirigit, mandans naves, & omnia, quæ desideraret se ei daturum, si Nepoti suo filiam suam conjugem daret. Constantinum autem Leonis Imperatoris, non ipsius Romani filium, dico. Tres enim cum Romano hoc imperabant simul, ejus videlicet duo filii, Stephanus, atque Constantinus, & Constantinus Leonis Imperatoris filius. Rex itaque Hugo, audita hac legatione, directis iterum nunciis, Romano denunciat, se legitimam ex conjugio natam non habere: Sed si ex concu-

B binarum filiabus vellet, egregiam ei formâ posse prestare. Et quoniam Græci in geneseos nobilitate, non quæ mater, sed quis pater fuerit, inquirunt; Imperator Romanus naves continuò cum græco igne præparavit, munera maxima misit, atque, ut illam Nepoti suo conjungeret, mandavit. Quoniam meus vitricus, vir gravitate ornatus, plenus sapientiæ, Regis Hugonis fuerat nuncius; pigrum non sit mihi inserere quod eum de Imperatoris sapientia, & humanitate, & qualiter Russios vicerit, audivi sæpius dicere.

CAPUT VI.

C *De Nortmannis Russis: & de pugna navali Romani cum Ingero Rege Russorum, seu Nortmannorum, quem mirabiliter vicit, injiciendo ignem.*

Gens quædam est sub Aquilonis parte constituta, quam à qualitate corporis Græci vocant Russos, nos verò à positione loci vocamus Nordmannos. Lingua quippe Tutonum *Nord* aquilo, *man* autem mas, seu vir dicitur: unde & Nordmannos Aquilonares homines dicere possumus. Hujus denique gentis Rex Inger vo-

D cabulo erat, qui collectis mille, & eò amplius navibus Constantinopolim venit. Quod Romanus Imperator ut audivit, quoniam navalem exercitum suum directum contra Saracenos, & ad insularum custodiam habuit, æstuare cœpit cogitationibus. Quumque cogitationibus non paucas insomnes noctes duceret, & Inger cuncta mari vicina diriperet; nunciatum est Romano XV. semifracta se habere Chelandria, quæ populus ob vetustatem sola reliquerat. Quod ut audivit τὰς ναυπηγὰς hoc est navium fabricatores ad se venire præcepit, quibus ait: properantes sinè dilatione ea, quæ remanserunt Chelandria præparate. Sed & argumentum non solùm in prora quo ignis projicitur, ve-

E rùm etiam in puppi, insuper in utriusque lateribus ponite. Compositis itaque, secundùm jussionem suam Chelandriis, sapientissimos in eis viros collocat, atque, ut Regi Ingero occurrant, denunciat. Profecti denique, cùm in Pelago eos impositas Rex Inger aspiceret, exercitui suo præcepit, ut viros illos caperet, & non occideret. Denique miserator, & misericors Dominus, qui se colentes, se deprecantes, se adorantes, non solùm protegere, verùm etiam victoriâ voluit honorare, ventis tunc placidum reddidit Mare. Secus enim ob ignis emissionem Græcis erat incõmodum. Igitur in Russorum medio positi ignem circumcirca

circa projiciunt. Quod dum Russi conspiciunt è navibus confestim se se in mare projiciunt, eliguntque potiùs aquis submergi, quàm igni cremari. Alii tunc loricis, & galeis onerati, nunquam visuri ima pelagi petunt: nonnulli verò natantes inter ipsos maris fluctus uruntur, nullusque die illa evasit, qui fugâ sese ad terram non liberavit. Russorum etenim naves ob parvitatem sui ubi aquæ minimum est transeunt, quod Græcorum Chelandria ob profunditatem sui facere nequeunt. Ingenti Inger confusione postmodum ad propria est reversus. Græci verò victoriâ potiti, vivos secum multos ducentes, Constantinopolim regressi sunt læti. Quos omnes Romanus in præsentia Hugonis nuncii, vitrici scilicet mei, decollari præcepit.

CAPUT VII.

Ut Hugo Fraxinetum tendens, Græcos eò cum navibus miserit: qui quum Fraxinetum destruere potuerit, noluit, sed cum Saracenis fœdus icit.

Rex itaque Hugo, congregato exercitu, classibus per Tyrrhenum mare directis ad Fraxinetum, terrestri ipse eò itinere pergit. Quò dum Græci pervenirent, igne projecto, Saracenorum naves mox omnes exurunt. Sed & Rex Fraxinetus ingressus, Saracenos omnes in Montem Maurum fugere compulit: in quo eos circumsedendo capere posset, si res hæc, quam prompturus sum, non impediret. Rex Hugo Berengarium, ne collectis, & ex Suevia, & ex Francia copiis super se irrueret, sibique Regnum auferret, maximè timuit. Unde, non bono consilio accepto, ad propria Græcos mox remisit: ipseque cum Saracenis hac ratione iniit fœdus, ut in montibus, qui Sueviam, atque Italiam dividunt, starent: ut si fortè Berengarius exercitum per eos ducere vellet, transire eum omni modo prohiberent. Eo verò loco constituti quàm multorum Christianorum ad Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli limina transeuntium sanguinem fuderint, ille scit solus numerum, qui eorum nomina tenet scripta in libro viventium. Perquam iniquè tibi Rex Hugo Regnum defendere conaris. Herodes, ne terreno Regno privaretur, innocentes multos occîdit: tu ut obtineas, nocentes, & morte dignos dimittis: atque utinam ea ratione nocentes illi viverent tunc, ne postmodum innocentes interimerent. Puto, seu quod verius est, credo, te non legisse, immo nec audivisse, qualiter iram Domini incurrerit Rex Israël Achab, dum Regem Syriæ morte dignum fœderatum dimitteret Benadab. Unus enim de filiis Prophetarum dixit ad Achab: hæc dicit Dominus, quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus. Quod & factum est: verùm quantum tibi in hac re obfueris, stilus noster suis in locis opportuniùs enarrabit.

CAPUT VIII.

De Amedeo Berengarii milite astuto, qui explorator in Italiam venit: Et de Hungaris ab Hugone in Hispaniam ablegatis.

Tempore, quo Berengarius ab Italia fugit, quemdam secum Amedeum nomine militem duxit apprime nobilem, &, ut postmodum claruit, non Ulisse calliditate, ac temeritate inferiorem. Fortissimus Rex Otho, quum nonnullis impeditus rebus, tum quotannis ab Hugone Rege muneribus immensis delinitus, Berengario copias parare non posset, ipse, quem præfatus sum, Amedeus Berengarium ita convênit: Nec clam te est, inquit, domine, quòd invisum se Imperio duro Rex Hugo cunctis Italicis effecerit, præsertim quum & concubinarum filiis, ac Burgundionibus dignitates sit largitus; nec ullus invenitur Italicus, qui non aut expulsus, aut dignitatibus omnino sit privatus, & quòd in Regem non aliquid moliuntur, hæc causa est, quoniam quidem, quem sibi constituant Principem, non habent. Si itaque nostrûm aliquis, mutato habitu, ne agnosceretur, eò tenderet, eorumque voluntatem inquireret, consilium proculdubio nobis bonum exsculperet. Cui Berengarius. Te, inquit, tum commodiùs, tum nemo potest facere meliùs. Igitur Amedeus, mutato habitu, cum pauperibus, qui orationis gratiâ Romam tendunt, Romam quasi profecturus, Italiam petiit, Principes convênit; & quid unusquisque cordi haberet, inquisivit: neque enim eodem se omnibus habitu ostendebat. Nunc niger aliis, subniveus aliis, maculosus aliis videbatur. Verùm fama, malum, quo non aliud velocius ullum mobilitate viget, eum in Italia esse auribus Regis indicavit. Quem dum diligenter juberet inquiri, ipse prolixam, & pulcherrimam barbam pice adeò defœdavit, capillos subaureos nigredine immutavit, faciem deturpavit, debilem finxit, adeò ut inter pauperes Regis in præsentia comedentes se Regi nudum ostenderet, & vestem ab eo, qua indueretur, acciperet; & quidquid Rex de Berengario, & ipso loqueretur, audiret. Hoc denique modo, cunctis diligentissimè perscrutatis, non eodem modo, quo venerat cum oratoribus est regressus. Præceperat enim Rex clausarum custodibus, ne quempiam transire permitterent, nisi priùs quis esset diligenti investigatione inquirerent. Quod Amedeus audiens, per invia quędam, & aspera nulli custodita pertransiit, atque ad Berengarium cum ea, qua voluit legatione pervênit. Hoc in tempore Rex Hugo, datis decem nummorum modiis, pacem cum Hungaris fecit: quos ab Italia, acceptis obsidibus, expulit, atque in Hispaniam, dato eis præduce, direxit. Quòd verò & ad Hispaniam, & ad civitatem ipsam, in qua Rex morabatur, Cordubam non venerint, hæc causa fuit; quoniam triduo per inaquosam, & asperam viam ducti, quum timerent se siti perituros, præduce sibi ab Hugone concesso morte tenus vulnerato, celeriori cursu reversi sunt.

CA-

CAPUT IX.

De Berta Hugonis ex concubina filia Constantinopolim missa nuptum Romano juniori. De fortitudine palatii Constantinopolitani: & qualiter Stephanus, & Constantinus filii Romani patrem suum è palatio, & Imperio ejecerint.

HAc etiam eadem tempestate idem Rex Hugo Bertam filiam suam, quam ex meretrice Bezola ipse genuerat, per Sigefredum, venerabilem Parmensis Ecclesiæ Antistitem, Constantinopolim direxit, Romano parvulo, Constantini Porphyrogeniti filio, copulandam conjugio. Tenebatque summum Imperium Romanus major, ejusque filii duo Constantinus, & Stephanus: quibus post Romanum præstabat Constantinus Leonis Imperatoris filius: cujus parvulus ex Helena Romani majoris filia natus, jam nominatam Bertam, quam, mutato nomine, Græci Eudoxiam dixerant, uxorem duxerat. His itaque quatuor imperantibus, Stephanus, atque Constantinus fratres, ignorante Constantino Leonis Imperatoris filio, adversùs Romanum patrem suum, quædam dolosa machinabantur. Tædebat enim eos patris severitate opposita quæcumque vellent facere non licere: unde, & malo mox accepto consilio, quatenus patrem dejicerent, pertractabant. Constantinopolitanum palatium non pulchritudine solùm, verùm etiam fortitudine omnibus, quas unquam viderim, munitionibus præstat: quod etiam jugi militum stipatione non minima observatur. Moris itaque est, hoc post matutinum diluculum mox omnibus patêre; post tertiam verò diei horam, emissis omnibus dato signo, quod est *Mis*, usque in horam nonam, cunctis aditum prohibere. In hoc igitur Romanus aureo triclinio, quæ præstantior est pars, potentissimè degens, cæteras partes palatii, genero Constantino, filiisque suis Stephano, & Constantino distribuerat. Hi denique duo, ut prædiximus, non ferentes patris justam severitatem, in cubiculis suis multis copiis congregatis, diem constituerunt, quando patrem dejicere, solique ipsi possent regnare. Quumque dies adveniret optata, cunctis de palatio juxta morem egressis, Stephanus, & Constantinus facta congressione, super patrem irruunt, eumque de palatio, omnibus ignorantibus, deponunt, & ad vicinam insulam, in qua Cœnobitarum multitudo philosophabatur, tonso ei, ut moris est, capite, ad philosophandum transmittunt. Fit quammox multirumiger Constantinopoli sonitus, Romanum quidem ejectum; Constantinum verò ejus generum alii interfectum clamitabant. Nec mora, totius populi ad palatium fit concursus. Romanus quasi Imperator abusivus non requiritur; verùm, an superfit Constantinus, ab omnibus percontatur. Quum seditio inquisitionis non modica fieret pro Constantino, rogantibus Stephano, & Constantino; ex ea parte, qua Zucanistrii magnitudo portenditur, Constantinus per cancellos crines solutus caput exposuit, suaque ostensione populi mox tumultum sedavit, ac in propria quemque repedare coëgit. Quod factum gravem duobus fratribus ingessit dolorem. Quid profuit, inquiunt quòd, abdicato patre, alium, qui non pater est, Dominum sustinemus? Tolerabilius enim, decentiusque paternam, quàm exteram pateremur dominationem. Quid illud, ajunt, quòd in hujus auxilium non solùm propriæ, sed exteræ venere nationes? Sigefridus quippe Episcopus, Regis Hugonis nuncius, assumptis secum suæ linguæ nationibus, à Melvatinis, Romanis, Cajetánis, nobis ad interitum, huic præsidio fuit.

CAPUT X.

De eisdem Stephano, & Constantino, qui Constantinum Leonis filium conati sunt ejicere: à quo, & ipsi sunt capti fraude Diabolini; atque in Monasterium apud patrem, qui eos lepidè redarguit, missi.

HIs dictis, armatorum manibus cubicula pro parte complent. Quibus Diabolinus præfuit, qui & eorum animorum incensor, & post paululum proditor extitit. Constantinum denique libris incumbentem ita convênit: quæ tibi incommoda, & à Stephano, & à Constantino fratribus, immo inimicis tuis, præparentur, isthæc, quæ in te vetus permanet religio, ignorat. Si enim infortunia tibi parata cognosceres, quatenus posses vivere, cogitares. Uxoris tuæ fratres Stephanus, & Constantinus, armatorum manibus congregatis, atque in cubiculis jam conclusis, te non ut patrem de palatio expellere, verùm hîc cogitant interficere. Occasio autem tui interitus hæc erit: Cœnatum post triduum Constantinus, & Stephanus invitabunt, cùmque sessionis tuæ medium excellentiæ tuæ, quatenus moris est, obtinere tentabis, percusso mox scuto inclusi de cubiculo exilient, tuamque fuso sanguine vitam finient. Fidem autem si relatis exposcis, usque in præsentiarum affirmo argumentis; quoniam conclusorum tibi personas rimis ostendo, deinde, quod saluti solennius est tuæ, ostiorum tibi claves trado. His auditis Constantinus; age, infit, ut conjuratorum prodidisti perfidiam, quatenus devincam hanc, exprime sententiam. Non enim tam mihi salus mea chara, quàm pietas erit in referenda gratia jocunda. Cui Diabolinus; non enim, inquit, clam te est Macedones tum tibi devotos, tum bello duros existere: mittito itaque, ac cubilia propria, Stephano, & Constantino ignorantibus, eis suffarcinato. Cùmque designata dies convivii advenerit, atque ob sessionis fastum, si tumultus irrepserit, dato signo, ut præfatus sum, percusso scilicet clypeo, quum illorum manus armatorum præsidio eis esse non poterit, tui mox ex improviso prosiliant, eosque tantò commodiùs, quantò insperatiùs capiant; atque ad vicinum Monasterium, ad quod patrem suum, socerum tuum, miserant, tonsis, ut moris est, capitibus, philosophatum transmittant. Divinæ siquidem rectitudo, justitiæ tuum negotium secundabit, cujus recompensatio, ne in patrem peccarent, illos non terruit, & te ne offenderes, custodivit. Quod justo Dei judicio ita accidisse, non solùm Europa, sed & Asia nunc cantat, & Africa. Designato etenim die, dum, simulata pace, Constantinum hunc, & Stephanus, & Constantinus fratres ad convivium invitarent, & ob sessionis fastum tumultus insurgeret, percusso, ut dictum est, scuto, Macedones ex insperato proruunt, duosque fratres Stephanum, & Constantinum, quàm mox comprehensos capite tonsos ad vicinam insulam, ad quam patrem suum ablegarant, philosophatum mittunt.

CAPUT XI.

De Romani in filios irrisione, & oratione, ac prece, quam contra eos egit, gratias agens Deo, quòd impietatis pœnas darent: & quomodo filii ejus custodiæ addicti fuerint.

QUorum pater Basileus Romanus adventum ut audivit, gratiarum actiones Deo exhibuit, eisque extra Monasterii fores læta facie obvians: Festivum, inquit, tempus, quod humilitatem nostram Imperium vestrum visitare coëgit. Charitas puto, quæ me de palatio expulit, filiationem vestram non ibi diu permanere permisit. O factum bene, quod me pridem præmisistis. Confratres enim mei, & commilitones mei, supernæ Philosophiæ incumbentes, qualiter Imperatores susciperent, ignorarent, si non me jam dudum Imperialibus institutis tritum haberent. Parata jam frigidior occiduis aqua decocta pruinis, dulces adsunt fabæ, lachana, porrique recentes. Non hîc marinæ deliciæ morbos, sed crebra potiùs jejunia creant. Turbam verò hanc tantam, tam sumptuosa modicitas nostra non recipit, vestrum solummodo Imperium suscipit, quod, ne paternam deserat senectutem, advenit. Romano hæc, & hujusmodi perstringente, Stephanus, & Constantinus filii pudibundo contuentes lumine terram, quàm invitè Monasterium peterent, non est percontari necesse, sed credere. Expansis itaque post hæc manibus ad altare, Romanus ante crepidinem fusus, hujusmodi cum lacrymis Deo preces effudit:

Christe Pater, cum quo Pater est, & Spiritus unum
Jure Patris Verbum, per quod Pater omnia mundo
Ostendit secreta poli, seu mystica pandens
Respice figmentum propria bonitate creatum:
Ne patiare precor, me Dæmonis arte perire.
Sanguine quem sacro voluisti reddere vitæ.
Da Deus ut mundi pompas calcare superbas
Jam valeam, sistatque procul corruptor iniquus,
Cui labor est animas semper fœdare beatas.
Imperium libuit cùm sceptra tuli; haud placet: ergo
Gratia sit tibi, dignatus quòd pellere iniquos,
Imperii teneant solum ne fortè paternam.

His ita gestis, Stephanus, atque Constantinus custodia jugi observantur, patre ea quæ acciderant æquanimiter perferente. Ajunt enim hunc, & sub attestatione confirmant, dum à fratribus lentis ob purgationem culparetur, respondisse, quòd luculentiùs regnaret qui servorum Dei humilitatibus deserviret, quàm qui potentibus mundi peccatoribus imperaret.

CAPUT XII.

De adventu Berengarii desiderati in Italiam, & cur Manasses Arelatensis ejus partibus favit. Et de Milone, ac aliis qui, deserto Hugone, ad Berengarium transfugerunt, & Berengarii in Regnum restitutione.

DEsideratus interea Berengarius, ex Suevorum partibus, paucis ipsum comitantibus, à Suevia per venustam vallem Italiam petiit; applicuitque castra secus munitionem vocabulo Formicariam, quæ à Manasse, ut jam prædiximus, sedis Arelatensis Archiepiscopo, tuncque Tridentinæ, Veronensis, atque Mantuanæ sedium invasore, Adelhardi ejus clerici erat vigiliæ commendata. Quumque Be- A rengarius nullius machinamenti apparatu, nulliusque belli impetu hanc se capere posse conspiceret, Manassis ambitionem, & κενοδοξίαν, idest vanam gloriam, cognoscens, Adelhardum ad se venire coëgit; cui & ait; Si munitionem hanc potestati meæ tradideris, Dominumque tuum Manassen ad adjutorium meum inflectere potueris, illum in cathedram promoveo Mediolani Archiepiscopatus; te verò Cumani Episcopatus dignitate post acceptam Regni potestatem donabo. Et ut promittenti mihi fidem admittas, quod verbis spondeo juramentis affirmo. Hæc dum Manassi ab Adelhardo narrantur, tum ille munitionem non solùm Berengario dari jussit, verùm etiam Italos omnes in ejus auxilium invitavit. B Fama igitur malum, quo non aliud velocius nullum mobilitate viget, Berengarii adventum quammox omnibus nunciavit. Cœperunt mox nonnulli, Hugone deserto, adhærere Berengario. Horum Milo præpotens primus, qui dum Hugoni suspectus, appositis clam custodibus, observaretur, simulans se non intelligere custodiri, ferme cœnam usque ad noctis protraxit medium; Quumque omnes tum vino, tum somno aggravati corpora quieti traderent, solo se eo. qui portaverat clypeum, comitante, Veronam percitus pervênit, directisque nunciis Berengarium excivit, quem & in Verona, quo Hugoni firmiùs resisteret, suscepit. Sanè nulla hunc infidelitas ab Hugone divisit; verùm illata ipsi ab eodem C nonnulla incommoda, quæ jam diu sustinere non potuit. Prosequitur hunc Wido præsul Mutinensis Ecclesiæ, non injuriâ lacessitus, sed maximâ illâ abbatiâ Nonantulâ, quam & tunc aquisivit, animatus. Qui Hugonem non solùm deseruit, verùm etiam multorum multitudinem secum abstulit. Quod Hugo ut audivit, congregatis copiis ad ejus castrum (1) Niveolam venit; idque viriliter, sed inutiliter oppugnavit. Quod quàm mendacii alienum sit, sententia subsequens declarabit. Nam dum eòdem loco degeret, Berengarius ab Harderico Archiepiscopo accitus, Veronam deseruit, ac Mediolanum concitus venit. Cœperunt interea omnes Italiæ primates omine non bono Hugonem deserere, & egenti Berengario adhærere; D egentem autem non nihil possidentem, sed cui nunquam quidquam satis est, ajo. Quoniam improbi, & avari, qui incertas, atque in casu positas possessiones habent, & plùs semper appetunt, (nec eorum quisquam adhuc sibi sufficiens inventus est, cui quod haberet esset satìs,) non modò non copiosi divites, sed etiam pauperes, & inopes existimandi sunt. Soli enim sunt divites, & fructuosas, ac sempiternas possessiones possidentes, qui suis rebus contenti, satis esse putant quod est. Non esse cupidum, vera pecunia est; non esse (2) emaem, vectigal est. Fateamur ergo, uter est ditior, cui deest, an cui superat? qui eget, an qui abundat? cui E possessio quo est major, eo plus requirit ad se tuendum, an qui se suis viribus sustinet? Contentum etenim suis rebus esse, maximæ sunt, certissimæque divitiæ. Verùm de hoc nunc id dictum esse sufficiat. Ad Berengarium stili initium redeat; cujus in adventum aureum omnes sæculum promittebant, & felicia, quæ talem extulerant, tempora clamitabant.

CA-

(1) alias *Vineolam*.

(2) *edacem*.

CAPUT XIII.

Quomodo Rex Hugo Lotharium filium suum, Mediolanum misit ad concitandam miserationem Italorum. De Berengarii astutia. De Joseph Brixiano Episcopo, & de Waldonis Episcopi iniquitate.

EO namque Mediolani degente, ac Italicas dignitates sibi adhærentibus dispensante, Rex Hugo Lotharium filium suum non ad Berengarium solùm, verùm ad totius populi præsentiam dirigit, petens, quia se eis non morigerum abdicaverunt, filium, qui nil in eos deliquerat, saltem pro amore Dei suscipiant, ac voluntatibus eorum morigerum reddant. Lothario denique Mediolanum petente, Rex Hugo Papiâ omni cum pecunia egressus, Italiam deserere, atque in Burgundiam ire cogitavit. Sed res ista eum retinuit; quoniam dum misericordiâ inclinati, Lotharium in Ecclesia Beatorum Confessoris & Martyrum Ambrosii, Gervasii, & Protasii ante Crucem prostratum erigerent, & Regem sibi constituerent, quamprimùm ad Hugonem dirigunt nuncium, per quem illum iterum super se regnare promittunt. Hoc planè consilium, immo deceptionem, non omnes, sed Berengarius, (ut erat calliditate suffarcinatus) adinvênit, non quo hos regnasse disponeret, sed, uti post claruit, ne Hugo discederet, atque immensâ pecuniâ, quam habebat, Burgundionum, atque aliarum gentium super se populos invitaret. Hoc in tempore Joseph quidam moribus senex, diebus juvenis, civitatis Brixianæ clarebat Episcopus: quem Berengarius, ut erat tyrannus vehemens, ob morum probitatem Episcopatu privavit, ejusque loco Antonium, qui nunc usque superest, nullo consilio habito, nulla Episcoporum deliberatione constituit. Sed & Cumis tunc non Adhelhardum, ut juraverat, verùm ob Mediolanensis Episcopi amorem, Waldonem quendam ordinavit. Quod quàm bene fecerit subditorum depopulatio, vitium incisio, arborum decorticatio, multorum oculorum excussio, simultatis sæpissima repetitio, tum signis, tum gemitibus narrant. Adhelhardum autem Regiensi præfecit Ecclesiæ.

CAPUT XIV.

Cur Berengarius Placentinum, & Papiensem Episcopos dimiserit: & cur Liutprandum auctorem hujus operis, parentes sui Berengario commendarunt, factusque sit ejusdem à secretis. Item quomodo Hugo desperans de victoria, cum omni pecunia in Provinciam aufugerit; & quomodo ad eum Raimundus Aquitanorum Princeps venerit eidem militaturus. Et de Hugonis obitu.

BOsonem verò Hugonis Regis spurium Placentinæ Sedis, & Liutefredum Papiensis Ecclesiæ expellere Episcopos cogitavit: verùm intercedente pretio, ob Dei amorem eos se dimisisse simulavit. Quàm immensum tunc Italis gaudium. Alterum David venisse latrabant; sed & magno Carolo hunc cœca mente præferebant. Quamquam enim iteratò Reges Hugonem, atque Lotharium Italici susciperent: Berengarium tamen nomine solùm Marchionem, potestate verò Regem; illos vocabulo Reges, actu autem neque pro Comitibus habebant. Quid plura? Tanta hac Berengarii fama, humanitate, liberalitate parentes acciti mei ei ad serviendum me tradunt. Cui etiam immensis oblatis muneribus secretorum ejus conscium, ac epistolarum constituunt signatorem. Cui cùm fideliter longo tempore deservirem, hac me, quam prosecuturus sum suis in locis, mercede donavit. Verùm hæc retributio penè me ad desperationem usque pertraheret, si in re consimili consocios plurimos non excederet. De isto enim pulcrè dictum accipimus. Pennæ struthionis similes sunt pennis accipitris, & herodii: cùm tempus advenerit in altum alas erigit, deridet equitem, & ascensorem ejus. Hic enim superstitibus Hugone, & Lothario magnus, voraxque struthio, non bonus, sed bono similis est visus. Episcopis autem decedentibus, & ad Regni fastigia omnibus illum promoventibus, quantùm alas erexerit, quantisque diludiis nos omnes irriserit, non tam verbis, quàm suspiriis, ac gemitibus narro. Sed his omissis ad narrandi seriem redeamus. Rex Hugo cùm divinam animadversionem declinare, ac Berengario præesse non posset, relicto Lothario, & simulata pace, Berengarii fidei tradito, in Provinciam omni cum pecunia properavit. Quo audito Raimundus Aquitanorum Princeps eum adiit, & pro minis mille se in militem dedit, fidemque ei juramento servaturum affirmavit: etiam congregatis copiis Italiam ingressurum, ac Berengarium debellaturum esse promisit. Quod quanto nos omnes cachinno affecerit, gentis illius vilitas palàm facit: quæ etsi præsidio esse posset, ad effectum tamen haudquaquam perduceret. Quoniam quidem vocante Domino Hugo Rex brevî est viam universæ carnis ingressus, Bertæ nepti suæ, Bosonis Arelatensis Comitis viduæ pecuniâ derelictâ. Quam etiam brevi spatio intercedente memoratus Raimundus impudentissimæ gentis Princeps impurior, sibi maritam effecerat: cujus non solùm concubitu, verùm etiam osculo, indignum elegantes formarum inspectores eum esse confirmant.

CAPUT XV.

De uxore Berengarii accusata crimine incesti, & quomodo sit purgata. Item de pecunia, quam Berengarius causâ Hungarorum pauperibus, & Ecclesiis Dei extorsit.

HUjus hoc in tempore soror, Berengarii scilicet uxor Willa passa est crimen incesti, quod ita verum esse non solùm aulici, vel cubicularii, verùm aucupes, & cupedinarii clamant. Habuit etiam ea presbyterulum capellanum nomine Dominicum, staturâ brevem, colore fuligineum, rusticum, setigerum, indocilem, agrestem, barbarum, durum, villosum, petulcum, insanum, rebellem, iniquum, cujus magisterio duas Willa commendarat natas, Gislam scilicet, atque Gerbertam, ut eas literarum scientiâ epotaret. Occasione itaque puellarum, quas presbyter Dominicus hirsutus, illotus, facetè docebat, Mater ei propitiaverat, & visa ingrata, ac tenax, hinc existeret larga. Sententia tamen veritatis, quæ ait, nihil opertum, quod non reveletur, & occultum, quod non in publicum veniat, diu ignorare homines passa non est. Nam quum nocte quadam, Berengario absente, ad cubile Dominicum more solito hirsutus idem vellet accedere, canis hunc morsu vehementi laniavit. Consurgentes deni-

que qui in domo erant, quum eum comprehenderent, & quò iret interrogarent, apologeticum istud anticipando Domina dedit ad mulieres nostras ibat perditus. Sperans itaque presbyterulus sibi levius fore, si teneret sententiam dominæ suæ, ita est, inquit, cœpit itaque domina vitæ ejus insidiari, preciumque promittere, si esset qui vitam ei auferret. Sed quum timerent omnes Deum, & mors ejus differretur, pervênit ad Berengarium sermo. Willa verò cœpit aruspices, maleficosque inquirere, quo eorum carminibus juvaretur. Utrum autem horum carminibus, an Berengarii adjuta sit mollitie, nescio: adeò mens ejus est inclinata, ut sponte maritali submitteret ora capistro. Presbyterulus itaque quia ad Dominæ assſeclas adhinnivit, virilibus amputatis, dimittitur. Domina verò magìs à Berengario diligitur. Dixerunt autem qui eum eunuchizaverunt, quòd meritò illum domina amaret, quem Priapea arma portare constaret. Per idem tempus Taxis Hungarorum Rex magno cum exercitu in Italiam venit, cui Berengarius non ex propria pecunia, sed ex Ecclesiarum, ac pauperum collectione decem modios nummorum dedit. Fecit autem hoc, non ut populi curam haberet, sed ut hac occasione magnam pecuniam congregaret. Quod & fecit. In omni enim ætate utriusque sexus, tamque ablactatus, quàm lactens, pro se nummum dedit: quibus æs commiscens, ex paucis decem modios fecit, cæteram verò partem, & quicquid ex Ecclesiis tulit, sibi retinuit.


Lud. De Letang fecit Mediol. 1722.

LIUT-

LIUTPRANDI TICINENSIS ECCLESIÆ LEVITÆ HISTORIARUM
LIBER SEXTUS.

PRÆFATIO.

TEmporis instantis qualitas tragœdum me potiùs, quàm historiographum quæreret, nisi pararet Dominus in conspectu meo mensam adversùs eos, qui tribulant me. Explicare enim non possum, quot peregrè profectus quatiar incommoditatibus, juvatque hominem exteriorem potiùs lugere, quàm scribere. Interior verò Apostolicis confirmatus institutis, in hujusmodi tribulationibus gloriatur, sciens quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem: spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Pareat itaque interiori exterior, suaque infortunia non solùm non exhorreat, verùm in his potiùs conquiescat: dumque scribendo operam dans fortunæ rota hos extolli, illos deprimi dixerit, præsentem incommoditatem minùs sentiet, ejusque mutabilitati congaudens, deteriora, quod fieri nequit, nisi mors, aut membrorum debilitatio intercedat, jam non metuat, sed fortunata semper expectet. Instantia enim si maturaverit, salutem, quæ deest, afferret; infortunatum, quod adest, expellet. Scribat itaque, & superioribus veris hæc quæ sequuntur vera adjungat.

CAPUT PRIMUM.

De Oratore à Constantino Imperatore ad Berengarium misso cum literis, quibus illi Lotharii custodiam commendabat, Oratoremque ab eo petebat: quem, ut sinè sumptu mitteret, Liutprandum impensis vitrici sui misit.

REge Hugone Provinciæ in partibus defuncto, Berengarii nomen celebre apud nonnullas, præsertim apud Græcas, extitit nationes, is enim Italicis omnibus principabatur virtute, Rex verò Lotharius solo nomine. Constantinus itaque, qui, dejectis Romano, filiisque ejus, Constantinopoleos regebat Imperium, audito Berengarium potentiâ præstare Lothario, per Andream, qui ab offitio Comes curiæ dicebatur, literas Berengario dirigit: in quibus continebatur vehementer se Berengarii nuncium velle videre; cujus in reditu cognosceret, quanta eum charitate diligeret. Scripsit etiam & commendatitias literas eidem pro Lothario, ut fidelis ei esset administrator, cui Deo largiente, extiterat gubernator. Constantinus namque solicitudinem non parvam Lotharii pro salute habebat, religiosè ob amo-

A rem nurus suæ cogitans, quæ Lotharii soror extiterat. Berengarius itaque calliditate suffarcinatus, cogitans quem potissimum mitteret, cui nil impensæ ob itineris longinquitatem præberet, vitricum meum, cujus tunc sub cura degebam, conveniens; quanti, inquit, esset privignum tuum græcas literas non ignorare? cui cùm diceret: utinam divitiarum mearum ea gratia partem mediam distributam haberem; non necesse, inquit, habes, neque centesimam impartiri. Constantinopolitanus Imperator literis, ut meum ad se nuncium dirigam, orat. Quod tum ob animi constantiam nemo meliùs, tum ob dicendi copiam nemo commodiùs facere potest. Quid dicam quàm facilè doctri- B nas ebibet græcas, qui tam puerilibus in annis epotavit latinas? hac spe quammox vitricus animatus impensas omnes distribuit; meque magnis cum muneribus Constantinopolim direxit.

CAPUT II.

Quo tempore Liutprandus tanquam Orator Berengarii Constantinopolim venerit, Papiâ egressus; & de mirabili Imperatoris domo, quæ Magnaura, aut potiùs Megaula, aut Megaron dicta est, & susceptione nunciorum, & miris ibidem ostensis in arbore, & solio Imperatoris.

C DIe quippe Kalendarum Augustarum Papiâ exiens, per Eridani alveum triduo Venetias veni: ubi & Salomonem comitem Græcorum, nuncium κοιτωνίτην eunuchum reperi ab Hispania, & Saxonia regressum, Constantinopolim versùs tendere cupientem, secumque ducentem domini nostri tunc Regis, nunc Imperatoris, magnis cum muneribus nuncium, Liutfredum scilicet Maguntinum institorem dignissimum. Octavo autem Kalendarum Septembris die Venetiis egressi, decimo quinto Kalendarum Octobris Constantinopolim venimus: ubi quàm inaudito, miroque modo simus excepti, scribere non pigebit. Est Constantinopoli domus palatio contigua miræ magnitudi- D nis, ac pulcritudinis, quæ à Græcis ρ loco λ positâ (1) Megaura, quasi magna aura, pro aula, dicitur. Hanc itaque Constantinus, tum ob Hispanorum nuncios, qui tunc noviter eò venerant, tum ob me, & Liuthefredum hoc modo parari jussit. Ærea, sed deaurata quædam arbor ante Imperatoris oculos stabat; cujus ramos itidem æreæ diversi generis, deaurata que volucres replebant, quæ secundùm species suas diversarum avium voces emittebant. In primis verò solium hujusmodi erat arte compositum,

ut

(1) alias μέγαρον.

ut in momento humile, excelsius modò, quàm mox videretur sublime. Sed sedile, quod erat immensæ magnitudinis, incertum utrum cerei, an lignei, verùm auro tecti leonis quasi custodiebant. In hac igitur duorum eunuchorum humeris incumbens ante Imperatoris præsentiam sum deductus. Cùmque in adventu meo leones rugitum emitterent, aves secundùm species suas perstreperent, nullo sum terrore, nulla admiratione commotus; quoniam quidem ex his omnibus eos, qui bene noverant, fueram percontatus. Tertiò itaque Imperatorem pronus adorans, caput sustuli: & quem priùs moderatâ mensurâ à terra elevatum sedere vidi, mox aliis indutum vestibus penes domus laquear sedere prospexi. Quod qualiter fieret cogitare non potui, nisi fortè eo sit subvectus ergalio, quo torcularium arbores subvehuntur. Per se autem tunc nihil locutus; quoniam & si vellet, & intercapedo maxima indecorum faceret, de vita Berengarii, & sospitate per logothetam est percontatus. Cui cùm consequenter respondissem, interprete sum innuente egressus, & in datum mihi hospitium mox receptus.

CAPUT III.

Quæ dona Liutprandus propriis impensis, licèt nomine Berengarii Imperatori Constantino obtulerit: & quæ ab Imperatore vicissim munera susceperit, & in domum Imperatoriam, quæ decaënnea cubita dicuntur admissus miranda dona, ac poma viderit.

SEd nec hæc pigeat memorare, quid tunc pro Berengario egerim, scilicet ut agnoscatur, quanta eum charitate dilexerim, & cujusmodi recompensationem pro bene gestis acceperim. Hispanorum nuncii, & nominatus Liuthfredus domini nostri tunc Regis Othonis nuncius, magna ex eorum parte dominorum munera Imperatori Constantino detulerant. Ego Berengarii ex parte nihil præter epistolam, & hanc mendacio plenam detuleram. Æstuabat itaque non parum hac pro verecundia animus, & quid super hac re faceret, cogitabat attentus. Æstuanti autem mihi, & nimiùm fluctuanti, meus animus suggessit, quatenus dona, quæ Imperatori mea ex parte detuleram, Berengarii ex parte conferrem, parvumque munus prout possem verbis ornarem. Obtuli autem loricas optimus IX., scuta optima cum bullis deauratis VII., cuppas argenteas deauratas duas, enses, lanceas, verua, mancipia, quatuor carsamatia, Imperatori nominatis omnibus preciosiora. Carsamatium autem Græci vocant, amputatis virilibus, & virga puerum eunuchum: quos Verdunenses mercatores ob immensum lucrum facere solent, & in Hispaniam ducere. His itaque gestis, Imperator me post triduum ad palatium vocari præcepit, proprioque mecum ore loquutus, ad convivium invitavit, postque convivium magno me, meosque asseclas munere donavit. Verùm quia narrandi se occasio intulit, qualis ejus mensa festis præcipuè diebus, qualesque ad mensam ludi celebrentur, bonum opinor non silere, sed scribere. Est domus juxta Hippodromum, Aquilonem versùs, miræ & altitudinis, & pulcritudinis, quæ decaënnea cubita vocatur. Quod nomen non ab re, sed ex apparentibus causis sortita est: δέκα enim, Græcè latinè decem ἐννέα novem: cubita aut à cubando inclinata, vel curvata possumus dicere. Hoc

A autem ideo, quoniam quidem XIX. mensæ in ea quæ secundùm carnem est Domini Nostri Jesu Christi nativitate apponuntur. In quibus Imperator pariter & convivæ non sedendo, ut cæteris diebus, sed recumbendo epulantur: quibus in diebus non argentis, sed tantùm aureis vasis ministratur. Post cibum autem aureis vasis tribus sunt poma delata, quæ ob immensum pondus non hominum manibus, sed purpurâ tectis vehiculis sunt allata. Apponuntur autem duo hoc modo: in mensa per foramina laquearis tres sunt funes pellibus deauratis tecti, cum annulis aureis depositi, qui ansis, quæ in scutulis prominent positi, adjuvantibus inferiùs quatuor, aut eo ampliùs hominibus, per vertibile, quod supra laquearium est B ergalium in mensam subvehuntur, eodemque modo deponuntur. Ludos denique, quos ibi perspexerim, quia nimis longum est scribere, prætermitto: unum solummodo ob admirationem hîc inserere non pigebit.

CAPUT IV.

De mirabili spectaculo ligni in fronte portati, & puerorum super ipsum ludentium, & de familiari Imperatoris cum Liutprando super ea re disquisitione.

C VEnit quidam vigintiquatuor & eò ampliùs pedum longitudinis lignum sinè manuum adminiculis in fronte gerens, quod cubitum à summitate inferiùs, bicubitum transversum in fronte habuerat. Adducti sunt autem duo pueri nudi, sed campestrati, idest succintoria habentes, qui per lignum ascendentes, ita fervaverunt immobile, ac si radicitus terræ esset affixum. Denique post unius descensum alter, qui remanserat, eodemque solas luserat, ampliori me admiratione attonitum reddidit. Quoquo modo enim quoadusque luserant, lignum, per quod ascenderant, gubernabant. Unus verò, qui in ligni summitate remansit, quia ita se æqualiter ponderavit, ut & luserit, ac sanus descenderit, ita me stupidum reddidit, ut ipsum etiam Imperatorem mea admiratio non D lateret. Unde & accersito interprete, quid mihi cæteris mirabilius videretur sciscitatus est: impuerne, qui se adeò moderatè rexerat: ut immobile esset lignum: an is qui ipsum in fronte tam argumentosè tenuerat, ut puerorum netamque pondus, neque ludus illud vel modicum flecteret. Quumque me ignorare, quid mihi θαυμαστότερον, idest mirabilius videretur, edicerem, magno inflatus cachinno se similiter nescire respondit.

CAPUT V.

E *De erogatione numismatum, & aliorum donorum pro veteri Imperatoris Græci more ante diem palmarum in Magistratus, & clientes Imperatorios.*

SEd nec hoc silentio prætereundum esse arbitror, quid novi, mirique aliud ibidem perspexerim. In ea, quæ est ante Βαϊοφόρον, quod nos palmarum ramos dicimus, hebdomade tam in militibus, quàm in diversis constitutis officiis numismatum aureorum erogationem, prout cujusque meretur officium, Imperator facit. Cui erogationi, quia me interesse voluit, me venire præcepit. Fuit autem hujusmodi: erat apposita decem cubitorum longitudinis, ac

ac quatuor latitudinis mensa, quæ numismata loculis congregata, prout cuique dabatur, numeris extrinsecus in loculis scriptis retinebat. Ingrediebantur denique ad Imperatorem, non confusè, sed ordinatim, secundùm vocantis vocem, quæ scripta virorum nomina secundùm officii dignitatem recitabat. Quorum primus vocatus est rector domus, cui non in manibus, sed in humeris posita sunt numismata cum Scaramangis quatuor. Post quem ὁ domesticoſtos Ascalonas, & ὁ de Longaristis Ploas, sunt vocati: quorum alter militibus, navigantibus præerat alter. Hi itaque paris numeri, quia dignitas par erat, numismata, & Scaramanga suscipientes, præ multitudine non jam in humeris portaverunt, sed adjuvantibus aliis, post se cum labore traxerunt. Post hos admissi sunt magistri numero XXIV. quibus erogatæ sunt numismatum aureorum libræ, unicuique secundùm eundem numerum vigintiquatuor cum Scaramangis duobus. Patriciorum deinde ordo hos ponè est sequutus, & duodecim numismatum libris cum Scaramanga una donatus. Qui sicut nec Patriciorum, ita nec librarum, nisi quòd unicuique dabatur, numerum nescio. Turba post hos immensa vocatur, protospathariorum, spathariorum, candidatorum, & id genus clientum.

Finis de rebus visis in Græcia; quibus quia, & alias superaddere proposuerat, novum de rebus Ottonis Augusti exorsus est librum, quem tamen ob brevitatem superiori addidimus.

CAPUT VI.

De Ottone primo Imperatore, & legatis ad eum missis, & qualiter Ecclesiam Romanam, ac totam Italiam Tyrannis liberavit, Imperiique unctionem, & insignia cum juramento Joannis Papæ non diu in fide permansuri accepit. De Romanorum, de dicti Papæ sacrilegiis, incestis, stupris, & aliis flagitiis querimonia: & Papæ ficta promissione de emendanda vita: & acri Imperatoris in eum recriminatione, & ejus, hoc est Papæ, obstinatione, qui Adelbertum recepit: de utriusque ejectione, & Synodo Romæ celebrata.

Regnantibus, immo sævientibus in Italiam, & ut veriùs fateamur, tyrannidem exercentibus, Berengario, atque Adelberto, Joannes summus Pontifex, & universalis Papa, cujus tunc Ecclesia supradictorum Berengarii, atque Adelberti sævitiam erat experta, legatos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Joannem videlicet Cardinalem Diaconum, & Azonem scriniarum serenissimo, atque piissimò tunc Regi, nunc Augusto Cæsari Othoni destinavit, suppliciter literis, & Regum signis orans, quatenus pro Dei amore, Sanctorumque Apostolorum Petri, & Pauli, quos delictorum suorum cuperet esse remissores, se, sibique commissam Sanctam Romanam Ecclesiam ex suorum faucibus liberaret, ac saluti, & libertati pristinæ restitueret. Hæc dum Romani legati conqueruntur, vir venerabilis Walbertus, Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus, semivivus ex prædictorum rabie Berengarii, atque Adelberti liberatus, superiùs memorati Othonis potentiam adiit, indicans se non posse pati Berengarii, Adelbertique, necnon Willæ sævitiam, quæ Manassen Arelatensem Episcopum contra jus, fasque Mediolanensis Ecclesiæ sedi præfecerat. Ajebat sanè hanc Ecclesiæ suæ calamitatem, quæ quòd se, suosque capere oporteret, inter-

A ciperet. Sed Waldo Cumanus Episcopus hunc ponè est secutus, non disparem à Berengario, atque Adelberto, & Willa, quam Walbertum, contumeliam se esse perpessum clamitans. Venerant & nonnulli alterius ordinis ex Italia viri, quos inter illustris Marchio Otbertus, cum Apostolicis cucurrerat nunciis, à Sanctissimo Othone, tunc Rege, ut dixi, nunc Augusto Cæsare, consilium, auxiliumque expetens. Horum itaque Rex piissimus lacrymosis questibus inclinatus, non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, cogitans, filium suum sibi cognominem contra morem puerilibus in annis Regem constitutum in Saxonia dereliquit: ipse, collectis copiis, in Italiam percitus venit. Qui tantò Be-

B rengarium, atque Adelbertum celeriùs Regno expulit, quantò evidentiùs constat, quòd commilitones Petrum, & Paulum Sanctissimos Apostolos habuit. Bonus itaque Rex dispersa colligens, & confracta consolidans, quod cuique proprium fuit restituit. Dehinc Romam similia facturus adiit, ubi miro ornatu, miroque apparatu susceptus, ab eodem Summo Pontifice, & universali Papa Joanne unctionem suscepit Imperii, cui non solùm propria restituit, verumetiam ingentibus gemmarum, auri, & argenti muneribus ipsum honoravit. Jusjurandum verò ab eodem Papa Joanne supra preciosissimum Corpus Petri, atque omnibus civitatis proceribus, se nunquam Berengario, atque

C Adelberto auxiliaturum, accepit. Post hæc in patriam properanter repedavit. Interea præfatus Papa juramenti, & promissionis oblitus, quam fecerat Sancto Imperatori, ad Adelbertum, ut se adeat, mittit, juramento ei affirmans, se illum contra Sanctissimi Imperatoris potentiam adjuturum. Adeò enim eundem Adelbertum Ecclesiarum Dei, ejusdemque Papæ Joannis persequutorem Imperator Sanctus terruerat, ut omnem Italiam deserens, Fraxinetum adiret, seque Saracenorum fidei commendaret. Imperator autem justus, qui cur Adelbertum Joannes Papa, quem priùs vehementi odio insequebatur, nunc diligeret, satis mirari non potuit, accersitis quibusdam familiaribus,

D an hoc verum esset, Romam dirigit percontatum. Quumque illò iidem nuncii pervenissent, hujusmodi non à quibuslibet, aut paucis, sed ab omnibus Romanis civibus responsa suscipiunt. Non dispar videtur ratio, cur Joannes Papa Sanctissimum Imperatorem suum scilicet ex Adelberti manibus liberatorem, & Diabolus oderit Creatorem. Imperator, quemadmodum re ipsa experti sumus, ea, quæ Dei sunt sapit, operatur, diligit, Ecclesiastica, & secularia negotia armis tutatur, moribus ornat, legibus emendat: Joannes Papa his omnibus adversatur. Non clam est populo, quod fatemur. Testis est Rainera sui ipsius militis vidua, quam cœco captus igne multis præfectam urbibus, Sacro-

E sanctis Beati Petri donavit aureis crucibus, atque calicibus. Testis est Stephana ejus amica, quæ in effusione, quod ex eo conceperat recens hominem exivit. Quod si cuncta taceant, Lateranense palatium Sanctorum quondam hospitium, nunc prostibulum meretricum, non silebit amicam conjugem Stephanæ patris concubinæ sororem. Testis omnium gentium, præterquam Romanorum, absentia mulierum, quæ sanctorum Apostolorum limina orandi gratiâ timent visere, quum nonnullas ante dies paucos hunc audierint conjugatas, viduas, virgines vi oppressisse. Testes sunt sanctæ Apostolorum Ecclesiæ, quæ non stillatim pluviam, sed totum

intrin-

intrinsecus supra ipsa etiam sacrosancta altaria imbrem admittunt. Quanta nos terrore tigna afficiunt, quum divinam opem eòdem deposcimus? mors in tectis regnat, quæ nos orare multa volentes impedit, atque domum domini mox linquere cogit. Testes sunt non solùm juncearum curatura, sed & quotidianarum formarum mulieres. Cui eædem sunt, & filicem pedibus quæ conterunt atrum, & quæ magnorum subvehuntur adjutorio jumentorum. Atque hoc rei est, quòd tanta ei cum Imperatore sancto discordia est, lupis, & agnis quanta sortitò obtigit. Illi hoc ut impunè liceat, Adelbertum sibi tutorem & defensorem parat. Hæc dum à redeuntibus nunciis Imperator audiret, puer, inquit, est, facilè bonorum immutabitur exemplo virorum. Spero eum objurgatione honesta, suasione liberali, facilè ex illis se se emersurum malis, dicemusque tunc cum Propheta: hæc est immutatio dexteræ excelsi. Et adjecit: quòd priùs rerum ordo deposcit, Berengarium in Feretrato monte resistentem propulsemus, dein paterna abdicatione dominum Papam conveniamus: si non voluntate, verecundia saltem in virum perfectum se se mutet. Sicque forsitan devictus bene consuescere, studebitis desuescere. His expletis, Papiæ navim conscendit, ac per Eridani alveum Ravennam usque pervênit: indeque progrediens montem Feretratum, quod oppidum sancti Leonis dicitur, in quo Berengarius, & Willa erat, obsedit. Quò & præfatus Papa Leonem venerabilem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tunc protoscriniarium, nunc in eadem sede beati Petri Apostolorum Vicarium, necnon & Demetrium optimatem Romanorum illustrissimum sancto Imperatori nuncios dirigit, mandans haud mirum esse, si hactenus juventutis igne devictus, quid puerile gesserit. Jam tempus instare, quum alieno cuperet vivere more. Mandavit etiam dolosè, quòd quendam Leonem Episcopum, & Joannem Diaconum Cardinalem suos infideles suscepisset, & quòd sanctus Imperator promissionis suæ fidem violaret, dum eos, qui eò loci manebant, juramento non ipsi, sed sibi astringeret. Quibus Imperator: pro correctione, inquit, ac morum immutatione quam promittit, gratias ago: de promissis verò fidem mutare, cujus me arguit, an verùm sit, ipsi perpendite: Omnem terram sancti Petri, quæ nostræ potestati subjecta est, Ecclesiæ promisimus reddere: atque id rei est, quòd ex hac munitione Berengarium cum omni familia pellere laboramus. Quo enim pacto terram hanc ei reddere possumus, si non priùs eam ex violentorum manibus ereptam potestati nostræ subdamus? Leonem Episcopum, & Joannem Cardinalem Diaconum suos infideles, quos nos suscepisse accusat, his temporibus non vidimus, nedum suscepimus: Constantinopolim Domino Papa eos ad injuriam nostram proficiscentes dirigente, Capuæ sunt, ut audivimus, capti. Quibuscum etiam Saleccum natione Bulgarum, educatione Hungarum, Domini Papæ familiarissimum, & Zachæum virum reprobatum, divinarum, atque humanarum inscium literarum, à Domino Papa Episcopum noviter consecratum, & Hungaris ad prædicandum, ut super nos irruant, destinatum, eodem captos esse loco audivimus. Hæc Dominum Papam nullis narrantibus fecisse crederemus, nisi literæ fidem admitterent, quæ plumbo signatæ ejus nominis characteres monstrant. His expletis, Landohardum à Saxonia

A Numendensem, & Liutprandum ab Italia Cremonensem Episcopos cum præfatis nunciis Romam dirigit, Domino Papæ se inculpabilem esse satisfacturum. Quorum etiam militibus hoc Imperator justus imposuit, ut si secus Dominus Papa non crederet, duello verum esse approbarent. Præfati igitur Landohardus, & Liutprandus Episcopi Romam ante Domini Papæ præsentiam venientes, tanto sunt in honore suscepti, ut non eos lateret, quanto sanctum Imperatorem tædio fastidiret. Ordinatim tamen, prout eis injunctum fuerat, enarrantes, non juramento, non duello satisfactionem Papa recipere voluit, sed in eadem, qua fuerat duritia permansit. Subdolè tamen
B post dies octo Joannem Episcopum Narniensem, & Benedictum Cardinalem Diaconum cum istis domino Imperatori destinavit, putans hunc suis posse deludere versutiis, cui nimis est verba dare difficile. Ante quorum reditum Adelbertus, invitante Papa, à Fraxineto rediens, Centumcellas advênit, deinde Romam profectus, non ut debuit, repudiatus, sed à Papa honorificè est susceptus. Hæc dum aguntur Phœbi radiis grave cancri sydus inæstuans Imperatorem Romanis arcibus propellebat. Sed quum virginale sydus gratam rediens temperiem ferret, collectis copiis, clam Romanis invitantibus, Romam advênit. Quid clam dixerim, quum major Romanorum pars
C optimatum, sancti Pauli castellum invaserit, sanctumque Imperatorem obsidibus etiam datis, invitaverit? Quid multis morer? juxta urbem Imperator castrametatus est. Româ Papa simul, atque Adelbertus aufugiunt. Cives verò sanctum Imperatorem cum suis omnibus in urbem suscipiunt, fidelitatemque promittunt: hæc addentes, & firmiter jurantes, nunquam se Papam electuros, aut ordinaturos præter consensum, atque electionem domini Imperatoris Othonis Cæsaris Augusti, filiique ipsius Regis Othonis. Post triduum rogantibus tam Romanis Episcopis, quàm plebe, magnus in Sancti Petri Ecclesia fit conventus, sederuntque cum Imperatore Archiepiscopi: ab Italia pro
D Egelfrido Aquilejensi Patriarcha, quem in eadem urbe languor repentè, ut fit, ortus arripuerat, Rodulfus Diaconus, Walbertus Mediolanensis, Petrus Ravennas: à Saxonia, Adeltac Archiepiscopus, & Landohardus Episcopus Numendensis: à Francia, Otgerius Episcopus Spirensis, Bubtus Parmensis: ab Italia Liutprandus Cremonensis, Hermenaldus Regensis: à Tuscia, Conradus Lucensis, Everarius Aricensis, Pisanus Senensis, Florentius Pestruensis, Petrus Camerinensis, Spoletinus Romanus, Gregorius Albanensis, Spoletinus, Sico Hostiensis, Benedictus Portuensis, Lucidus Canensis, Theophylactus Prænestinus, Wido Silvæcandidæ, Leo Velitriensis, Sico Blebensis, Stephanus Serensis, Joannes Nepesinus, Joannes Tiburtinus,
E Joannes Forojuliensis, Romanus Ferentinensis, Joannes Normensis, Joannes Berulensis, Martinus Sutrinus, Joannes Narniensis, Joannes Sapiniensis, Joannes Gallacensis, Phalarensis, Alaterensis, Ortanus, Joannes Anagniensis, Trebensis, Salibatinus, Tarraconensis, Stephanus Cardinalis Archipresbyter titulo Balbinæ. Dominicus Titulo Anastasiæ, Petrus titulo Damasi, Theophylactus titulo Chrysogoni, Joannes titulo Equitii, Joannes titulo Susannæ, Petrus titulo Pammachii, Adrianus titulo Calixti, Joannes titulo Cæciliæ, Adrianus titulo Luciniæ, Benedictus titulo Sixti, titulo quatuor Coronato-

natorum, Stephanus titulo Sabinæ, Benedictus Cardinalis Archidiaconus, Joannes Diaconus, Bonofilius Diaconus, Cardinalis Primicerius, Georgius Secundicerius, Stephanus adminiculator, Andreas Arcarius, Sergius Primicerius defensorum, Joannes Sacellarius, Stephanus, Theophylactus, Adrianus, Stephanus, Benedictus, Azo, Adrianus, Romanus, Leo, Benedictus. Item Leo, & Leo Scriniarii, Leo Primicerius Scholæ cantorum, Benedictus Subdiaconus, & Oblationarius, Azo, Benedictus, Demetrius, Joannes, Amicus, Sergius, Benedictus, Urso, Joannes, Benedictus Subdiaconus, Subpulmentarius, & Stephanus Archiacoluthus, cum omnibus Acoluthis, & Regionariis. Ex Primatibus Romanæ civitatis, Stephanus filius Joannis Superista, Demetrius Meliosi, Crescentius Caballi Marmorei, Joannes cognomento Nuzina, Stephanus de Muza, Theodorus de Rusina, Joannes de Primicerio, Leo de Camirzuli, Ricardus, Petrus de Canaparia, Benedictus cum Bulgamino filio suo ex plebe, Petrus, qui & Imperiola est dictus, astitit cum omni Romanorum militia.

CAPUT VII.

Quæ acta sint in Concilio contra Joannem Romanum Pontificem, in quem moderato animo, & maturo consilio processit Otho: & quæ illi flagitia objecta sint à congregatis in Concilio, enormia certè, & vix credibilia etiam in sicario, aut pagano.

HIs itaque residentibus, silentiumque summum tenentibus, ita Sanctus est Imperator exorsus: Quoniam decorum esset tam claro, Sanctoque Dominum Papam Joannem interesse Concilio, cur tantum declinaverit cœtum, vos, ò Sancti Patres, consulimus, quibus communis labor ecclesiasticus, ac commune negotium existit. Tunc Romani Pontifices, & Cardinales Presbyteri, ac Diaconi cum universa plebe dixerunt: Miramur sanctissimam prudentiam vestram nos hoc velle percontari, quod nec Ibericos, nec Babylonicos, nec Indicos incolas latet. Non hic jam de illis est, qui veniunt in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces: ita apertè sævit, ita apertè diabolica pertractat negotia, ut nihil circuitionis utatur. Imperator respondit: justum nobis videtur, ut accusationes nominatim exprimantur, deinde, quod agendum est, communi consilio pertractetur. Tunc consurgens Petrus Cardinalis Presbyter, se vidisse illum Missam celebrasse, & non communicasse testatus est. Joannes Episcopus Narniensis, & Joannes Cardinalis Diaconus, se vidisse illum Diaconum ordinasse in equorum stabulo non certis temporibus sunt professi. Benedictus cum cæteris Condiaconis, & Presbyteris dixit se scire, quòd ordinationes Episcoporum precio faceret, & quòd annorum decem Episcopum in Tudertina civitate ordinaret. De Sacrilegio non esse necesse percontari dixit; quia plùs videndo, quàm audiendo scire potuissemus. De adulterio dixerunt, quòd oculis non viderant, sed pro certo scirent, viduam Ranierii, & Stephanam Patris concubinam, & Annam viduam cum nepte sua abusum esse, & sanctum palatium lupanar, & prostibulum fecisse; venationem dixerunt publicè exercuisse; Benedictum spiritualem patrem suum lumine privasse, & mox mortuum esse, Joannem Cardinalem Subdiaconum, virilibus amputatis, occidisse, incendia fecisse, ense accinctum, galeâ, & loricâ indutum fuisse testati sunt. Diaboli in amorem vinum bibisse omnes tam Clerici, quàm Laici, acclamarunt. In ludo aleæ, Jovis, Veneris, cæterorumque dæmonum auxilium poposcisse dixerunt. Matutinas, & Canonicas horas eum non celebrasse, nec signo Crucis se munivisse professi sunt. His auditis, Imperator, quia Romani ejus loquelam propriam, idest Saxonicam intelligere nequibant, Liudbrando Cremonensi Episcopo præcepit, ut latino sermone hæc Romanis omnibus, quæ sequuntur exprimeret. Surgens itaque, sic cœpit:

CAPUT VIII.

De Imperatoris Othonis matura in Joannem Pontificem Maximum consultatione per interpretem facta: & de Patrum contra eum attestatione, etiam cum sui anathematizatione, si minùs vera dicerent, deque consilio inito, ut in persona citetur ad sui purgationem.

PErsæpe contigit, & nobis expertis credimus, ut in dignitatibus constituti invidorum infamiâ maculentur; displicet bonus malis, quemadmodum & malus bonis. Atque hoc rei est, quòd hanc in Papam accusationem, quam modò Benedictus Cardinalis Diaconus legit, & vobiscum fecit, amphibolam retinemus, incerti, utrum è Zelo justitiæ, an impietatis livore proruperit. Unde mihi indigno secundùm concessæ dignitatis auctoritatem, omnes obtestor per Deum, quem fallere, & si vult, nemo potest, Sanctamque ejus Genitricem Intemeratam Virginem Mariam, perque preciosissimum Apostolorum Principis corpus, in cujus hæc recitantur Ecclesia, ut nulla in Dominum Papam jaculentur convicia, quæ non sint ab ipso patrata, atque à viris probatissimis visa. Tunc Episcopi, Diaconi, Clerus, & cunctus Romanorum populus, quasi vir unus dixerunt: Si non & quæ per Benedictum Diaconum lecta sunt, hisque turpiora, & ampliora Joannes Papa indigna commisit facinora, non nos à peccatorum vinculis absolvat Apostolorum Princeps Beatus Petrus, qui verbo Cœlum indignis claudit, justis aperit. Simus anathematis vinculo innodati, atque in die novissima in sinistra parte positi cum eis, qui dixerunt Domino Deo: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quòd si fidem nobis non adhibetis, exercitui Domini Imperatoris saltem debetis credere, cui ante quinque dies ense accinctus, clypeo, galeâ, loricâ indutus occurrit: Solus Tiberis, qui interfluxit, ne sic ornatus ab exercitu caperetur, impedivit. Mox Sanctus Imperator dixit: Tot sunt hujus rei testes, quot sunt nostro in exercitu bellatores. Sancta Synodus dixit: Si placet Sancto Imperatori, mittantur literæ Domno Papæ, ut adveniat, seque ex his omnibus purget. Tunc eidem sunt literæ destinatæ.

CAPUT IX.

Diploma, sive exemplum literarum Imperatoriarum auctoritate Concilii ad Joannem Papam missarum: quibus vitia à Concilio illi objecta summatim recitantur; cum humili obsecratione, ut ad se purgandum in Concilium venire non recuset.

SUmmo Pontifici, & Universali Papæ Domno Joanni, Otho divinæ respectu clementiæ Imperator Augustus, cum Archiepiscopis Liguriæ, Tusciæ, Saxoniæ, Franciæ, in Domino S. Romam ob servitium Dei venientes, dum filios vestros Romanos, scilicet Episcopos, Cardinales, Presbyteros, Diaconos, & universam plebem de vestra absentia percontaremur, & quid causæ esset, quòd nos Ecclesiæ vestræ, vestrique defensores videre noluissetis, talia de vobis, tamque obscœna protulerunt, ut, si de Histrionibus dicerentur, vobis verecundiam ingererent. Quæ ne magnitudinem vestram omnia lateant, quædam vobis sub brevitate describimus, quoniam si cuncta nominatim exprimere cuperemus, dies nobis non sufficeret unus. Noveritis, itaque, non à paucis, sed ab omnibus tam vestri, quàm alterius ordinis, vos homicidii, perjurii, sacrilegii, & ex propria cognatione, atque ex duabus sororibus, incesti crimine esse accusatos. Dicunt & aliud auditu ipso horridum, Diaboli vos in amorem vinum bibisse; in ludo aleæ, Jovis, Veneris, cæterorumque Dæmonum auxilium poposcisse. Oramus itaque Paternitatem vestram obnixè, venire, atque ex his omnibus vos purgare non dissimuletis. Si fortè vim temerariæ multitudinis formidatis, juramento vobis affirmamus, nihil fieri præter sanctorum Canonum sanctionem. Data VIII. Idus Nov.

CAPUT X.

De Joannis Papæ apologetico, idest responso, ut Auctor accipit, cùm apologiam potiùs dicat, qua excomunicatos pronunciat, si ad novi Pontificis electionem processerint. Et de rescripto Patrum in Concilio ad eundem Papam; quod verbis sacris fulcitur.

HAnc epistolam quum legisset, hujusmodi apologeticum rescripsit: Joannes Episcopus servus servorum Dei omnibus Episcopis: Nos audivimus dicere, quòd vos vultis alium Papam facere: si hæc facitis, excomunico vos de Deo omnipotente, ut non habeatis licentiam ullum ordinare, & Missam celebrare. Quum hæc epistola in sancta Synodo legeretur, advenerunt qui priùs defuerant Religiosi à Lotharingia, Henricus Treverensis Archiepiscopus: ab Æmilia, & Liguria, Wido Muziensis, Gezo Tertonensis, Sigulfus Placentinus: quorum consilio Domno Papæ ita rescribunt: Summo Pontifici, & Universali Papæ Domno Joanni Otho divinæ respectu clementiæ Imperator Augustus, sed & sancta Synodus Romæ ob servitium Dei congregata in Domino, salutem. Præterita Synodo, quæ celebrata est octavo Idus Novembris, literas vobis direximus, in quibus accusatorum vestrorum verba, atque accusationis causæ continebantur. Rogavimus etiam eisdem literis magnitudinem vestram, quemadmodum justum est. A vobis, non quales temporis qualitas, sed inconsultorum vanitas exposcit hominum, literas accepimus. Non veniendi ad Synodum rationabilis esse excusatio debuit: sed & præsentes Magnitudinis vestræ debuerunt nuncii interesse, qui aut ægritudinis, aut certè difficultatis causâ satisfacerent, sanctam vos Synodum declinasse. Est & aliud vestris in literis scriptum, quod non Episcopum, sed puerilem ineptiam scribere deceret. Excomunicastis enim omnes, ut non habeamus licentiam canendi Missas, ordinandique Ecclesiasticas dispositiones, si alium Romanæ Sedi constitueremus Episcopum. Ita enim scriptum erat: Non habeatis licentiam ullum ordinare. Nunc usque putavimus, immo credimus, duo negativa unum facere dedicativum, nisi vestra Auctoritas priscorum sententias infirmaret Auctorum. Nos B verò intentioni vestræ, non verbis, respondeamus. Si ad Synodum venire, & objecta purgare non differtis, Auctoritati vestræ proculdubio obediemus: sed si, quod absit, venire, & objecta vobis capitalia crimina purgare dissimulatis, quum præsertim vos venire nil impediat, non maris navigatio, non corporis ægritudo, non itineris longitudo; tunc excomunicationem vestram parvi pendemus, eam potiùs in vos retorquebimus; quoniam quidem justè facere possumus. Judas Domini nostri Jesu Christi proditor, immo venditor cum ceteris priùs ligandi, atque solvendi potestatem à Magistro in hæc verba acceperat: Amen dico vo- C bis, quæcumque ligaveritis super terram &c. Quamdiu enim bonus inter discipulos fuit, ligare, atque solvere valuit; postquam verò cupiditatis veneno homicida factus, Vitam occidere voluit, quem postea ligatum solvere, atque solutum ligare potuit, nisi seipsum, quem infelicissimo laqueo strangulavit? Data decimo Kalendas Decembris, & Missa per Adrianum Cardinalem Presbyterum, & Benedictum Cardinalem Diaconum. Qui quum ad Tiberim pervenissent, eum non invenerunt; pharetratus enim in campestria jam abierat. Nec quisquam erat, qui his, ubi ipse esset, indicare posset. Quumque eum invenire non possent, cum eisdem literis ad sanctam Synodum, quæ tunc D tertiò est habita, sunt reversi. Mox Imperator ait: Expectavimus adventum ejus, ut præsente eo quod nobis egerit quereremur; verùm quoniam eum non affuturum certò scimus, quàm perfidè nobiscum egerit, ut diligenter agnoscetis, etiam atque etiam flagitamus. Notum itaque vobis facimus Archiepiscopis, Presbyteris, Diaconis, reliquoque Clero, nec non & Comitibus, Judicibus, omnique plebi, quòd idem Joannes Papa oppressus à Berengario, atque Adelberto rebellibus nostris, misit nobis in Saxoniam nuncios, rogans ut pro amore Dei in Italiam veniremus. Et Ecclesiam Sancti Petri, ac seipsum ex faucibus eorum liberaremus. Nos verò, adjuvante Deo, quantum fecerimus, non E est necesse dicere, ut inpræsentiarum videtis. Ereptus verò meâ operâ ex eorum manibus, & honori debito restitutus, oblitus juramenti, & fidelitatis, quam mihi supra Corpus Sancti Petri promisit, eumdem Adelbertum Romam venire fecit, & contra me defendit, seditiones fecit, & videntibus nostris militibus, Dux belli factus loricâ, & galeâ est indutus. Quid super hoc Sancta Synodus decernat, edicat. Ad hæc Romani Pontifices, reliquusque Clerus, & cunctus populus dixerunt: Inauditum vulnus inaudito est cauterio exurendum. Si corruptis moribus sibi soli, & non cunctis obesset, quoquo modo tolerandus esset. Quot priùs casti hujus

hujus facti sunt imitatione incesti? Quot probi hujus exemplo conversationis sunt reprobi? Petimus itaque magnitudinem Imperii vestri, monstrum illud nulla virtute redemptum à vitiis, à Sancta Romana Ecclesia pelli, aliumque loco ejus constitui, qui nobis exemplo bonæ conversationis præesse valeat, & prodesse sibi; rectè vivat, ac bene vivendi nobis exemplum præbeat. Tunc Imperator; Placet, inquit, quod dicitis, nihilque gratius nobis, quàm ut talis, qui huic sanctæ, & universali sedi præponatur, inveniri possit.

CAPUT XI.

De Leonis Prothoscriniarii in Summum Pontificem electione, & Joannis depositi largitione, qua Romanos in cædem Imperatoris, & novi Papæ sollicitavit; sed Imperatore vincente, frustra conati sunt. Leonis tamen indulgentiâ obsidibus remissis, quum Imperator abesset, meretricularum illecebris Populus Romanus rursus Joannem recipit, qui in Leonis asseclas mirè sævit, donec à Diabolo enectus est. Post quem Romani Benedictum Papam declarant; sed Leoni sedes redditur, Benedicto exulante.

His dictis, omnes una voce dixerunt, Leonem Venerabilem, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Protoscriniarium, virum approbatum, ad summum Sacerdotii gradum, nobis in Pastorem eligimus, ut sit Summus, & Universalis Papa Romanæ Ecclesiæ, reprobato, ob improbos mores, Joanne apostata. Quum hoc omnes tertiò dixissent, annuente Imperatore nominatum Leonem ad Lateranense palatium, secundùm consuetudinem cum laudibus ducunt, & certo tempore in Ecclesia Sancti Petri ad Summum Sacerdotium sancta consecratione attollunt, & fideles se ei affuturos jurejurando promittunt. His ita gestis, sperans sanctissimus Imperator cum paucis Romæ se degere posse, ne consumeretur Romanus populus ob multitudinem exercitus, multis ut redirent licentiam dedit. Quumque hoc Joannes, qui dejectus est, Papa cognosceret, non ignorans quàm facilè Romanorum mentes pecuniâ posset corrumpere, clam Romam mittit nuncios. Beati Petri, omniumque Ecclesiarum pecuniam repromittentes, si super pium Imperatorem, & Domnum Leonem Papam irruerent, eosque impiissimè trucidarent. Quid multis morer? Romani quammox exercitus paucitate confisi, immo decepti, & pecuniæ promissione animati, buccina concrepante, super Imperatorem, ut eum occidant, festinare contendunt. Quibus Imperator super pontem Tiberis, quem Romani plaustris impeditum habebant, occurrit. Cujus fortes milites assuefacti bello, pectore, & armis intrepidi, eos inter prosiliunt, & quasi accipitres avium multitudinem, nullo resistente, proterunt. Non latibula, non corbes, non concava ligna, non cryptæ sordium receptacula, fugientibus tutelæ esse possunt. Occiduntur itaque, &, ut assolet contingere viris fugientibus, passim à tergo vulnerantur. Quis tunc Romanorum cladis hujus superstes fieret, si non Imperator Sanctus misericordiâ, quæ eis nulla debebatur, inclinatus, suos adhuc interficere sitientes, retraheret, & revocaret? Itaque, devictis omnibus, atque iis, qui supererant, obsidibus acceptis, Venerabilis Papa Leo pedibus Imperatoris provolutus orat, ut Romanis obsides reddat, seque eorum fidei com-

A mendet. Rogatu denique Venerabilis Papæ Leonis Imperator Sanctus, Romanis obsides reddit, non incertus, quod prosecuturus sum, incepturos. Igitur Romanorum fidei eumdem Papam, quemadmodum lupis agnum committit. Deinde Româ exiens, Camerinum, Spoletumque versùs, ubi Adelbertum esse audierat, properavit. Interea mulieres, quibuscum Joannes, qui dictus est Papa, voluntatis suæ ludibrium exercebat, non ignobiles, & plures concitaverunt Romanos, ut Leonem Summum, & Universalem Papam à Deo, & ipsis electum, perderent, & Joannem in Urbem susciperent. Quod cùm fecissent, Deo miserante, ex eorum manibus est Venerabilis Papa Leo liberatus,
B paucisque ipsum concomitantibus, ad piissimi Imperatoris misericordiam est profectus. Imperator denique Sanctus tantum dedecus ægrè ferens, tum ex Domni Papæ Leonis dejectione, tum ex Joanne Cardinali Diacono, & Azone Protoscriniario; quorum alterum manu dextera, alterum linguâ, duobus digitis, naribusque abscissis, Joannes abdicatus defœdaverat; reparato exercitu, Romam redire disposuit. Priusquam tamen Sancti Imperatoris copiæ essent congregatæ, volens cunctis sæculis innotescere Dominus, quam justè esset Joannes Papa à suis Episcopis, & omni plebe repudiatus, quàmque postmodum injustè receptus, quadam nocte extra Romam, dum se
C cum cujusdam viri uxore oblectaret, in temporibus adeò à Diabolo est percussus, ut intra dierum octo spatium eodem sit vulnere mortuus. Sed Eucharistiæ viaticum, ipsius instinctu, qui eum percusserat, non percepit; quemadmodum à suis cognatis, & familiaribus, qui præsentes erant, persæpe sub attestatione audivimus. Quo mortuo, Romani omnes juramenti, quod sancto Imperatori promiserant, immemores, Benedictum Cardinalem Diaconum Papam constituunt; insuper & juramento numquam se eum dimissuros, sed eum contra Imperatoris potentiam defensuros promittunt. Quo audito, Imperator Urbem vallavit, neminem, qui non membris truncaretur exire per-
D misit; machinis, & fame usque adeò afflixit, donec, Romanis nolentibus Urbem reciperet, Leonem virum venerabilem debitæ Sedi restitueret, ac Benedictum summæ Sedis invasorem ejus præsentiæ præsentaret. Residentibus itaque Domno Leone summo, & universali Papa in Ecclesia Lateranensi, necnon & Imperatore Sanctissimo Othone, & Episcopis Romanis, Italicis, à Lotharingia, & Saxonia, Archiepiscopis, Presbyteris, Diaconis, omnique Romanorum plebe, quorum nomina superiùs ascribuntur, advênit Benedictus Apostolicæ Sedis invasor, eorum, qui se elegerant, manibus adductus, Pontificalibus vestibus indutus. Quem Benedictus Cardinalis Archidiaconus tali est ser-
E mone aggressus: Qua tibi auctoritate, quave lege, ò invasor, hæc Pontificalia indumenta usurpasti, superstite hoc præsente Domino nostro venerabili Papa Leone, quem tu nobiscum, accusato, & reprobato Joanne, ad Apostolicatus culmen elegisti? num inficiari potes, præsenti Domno Imperatori juramento promisisse, numquam te cum cæteris Romanis Papam electurum, aut ordinaturum, absque illius, filiique sui Regis Othonis consensu? Benedictus respondit: Si quid peccavi, miseremini mei. Tunc Imperator effusis lacrymis, quàm misericors esset ostendens, rogavit Synodum, ne Benedicto præjudicium fieret. Si vellet, & pos-

ſet, ad interrogata reſponderet; quòd ſi non poſſet, aut nollet, ac ſe culpabilem redderet, tamen pro timore Dei miſericordiam aliquam inveniret. Quo audito, ad Domni Leonis Papæ pedes, ipſiuſque Imperatoris idem Benedictus concitè procidens, ſe peccaſſe, ſeque ſanctæ Romanæ Sedis invaſorem eſſe acclamavit. Poſt hæc pallium ſibi abſtulit, quod ſimul cum Pontificali ferula, quam manu geſtabat, Domno Papæ Leoni reddidit. Quam ferulam idem Papa fregit, & populo fractam oſtendit. Deinde Be- A nedictum in terra ſedere præcepit: cui caſulam, quam planetam vocant, cum ſtola pariter abſtulit. Poſt autem omnibus Epiſcopis dixit: Benedictum ſanctæ & Apoſtolicæ Sedis Romanæ invaſorem, omni Pontificatus, & Presbyteratus honore privamus; ob eleemoſynam verò Domini Imperatoris Othonis, cujus ſumus operâ in Sedem debitam reſtituti, Diaconatus eum ordinem habere permittimus, & non jam Romæ, ſed in exilium deſtinamus.

Finis eorum quæ de Liutprandi Hiſtoriis extant.

LUDOVICI ANTONII MURATORII

Emendationes nonnullæ ad Liutprandi Historiam adhibendæ.

EXpedita editione Liutprandinæ Historiæ Tom. II. pag. 425. Italic. Rer. tum solum animadverti, nonnulla excurrisse, quæ aliqua aut emendatione, aut nota indigerent, non quod menda sint Mediolanensis Typographi, sed quod Reuberianam editionem religiose nimis sequi & exprimere decretum fuerit. Itaque paucula hæc, quamquam extra chorum, & serius quam par erat, adnotare & adjicere placuit.

Pag. 425. *Ut si quis ex ea vel ramum incideret, mucronis percussione hominem exiret*. Fortasse Liutprandus scripserit *hominem exueret*. Agitur heic de *Fraxineto Oppido*, unde Saraceni Seculo Christi X. tot clades intulere Italiæ. Nullum ejus nunc vestigium; veri tamen verisimile est, situm fuisse in Provincia, atque in Diœcesi Forojuliensi, nunc *Frejus*, *quippe in Italicorum, Provincialiumque confinio*, ut idem Liutprandus testatur.

Pag. 426. *Arnulfus Rex potentissimus, defuncto Carolo pranomine Calvo, Bajoariis &c. principabatur*. Non Carolus *Calvus* Francorum Rex, & Romanorum Imperator, sed Carolus *Crassus* Germaniæ Rex, pariterque Augustus, heic erat memorandus. Siquidem constat, Arnulfum Carolomanni filium, paucis tantummodo ante Crassi mortem mensibus ab eo defecisse, & Procerum Populorumque suffragio habenas Regni arripuisse, hoc est Anno Christi 887. Liutprandum heic, potius quam ejus editores, memoria defecit.

Pag. 429. *Rex Galliæ Carolus, qui cognominatus est Calvus, præsentem moriendo mutavit vitam &c.* Apertius hinc deprehendimus, Liutprandum loquutum fuisse de *Carolo Calvo*: quod mirere, videtur enim prorsus ignorasse Calvi successorem *Carolum Crassum*. Atqui certissimum est, contigisse turbas Vvidonis & Berengarii post *Crassi* mortem Anno tantum 888. quum Carolus Calvus postremo fato jam sublatus fuisset Anno 877.

Ibidem. *Berengarius fugam petiit*. In Synodo pro electione, seu confirmatione Vvidonis in Regem Italiæ, quæ in hoc Tomo nunc primum prodiit, & ego alibi proferam, bis Berengarius ab ejus facie victus fugisse dicitur. Concordem heic habet narrationem Liutprandi. Supra legitur *juxta fluvium Terviam*. Scribendum *Treviam*, sive *Trebiam*, cui flumini illustrem famam jamdudum reperit Hannibalis victoria, & Romani exercitus cædes.

Pag. 432. *Juxta fluvium Sesterionem ad Burgum, in quo Sanctissimi & pretiosi Martyris Dominici corpus positum veneratur*. Restitue *Martyris Domnini*. Nunc ea de causa appellatur *Borgo San Donnino*. Sesterioni fluvio ævo nostro nomen est *Stirone*.

Pag. 435. *Sanctissimi Patris Nostri Syri*. Nempe Episcopi ac Patroni Ticinensis urbis. Atque hinc etiam indicatur, quæ Liutprando Patria fuerit.

Ibidem. *Aquilejam & Veronam pertranseunt munitissimas civitates*. Quis, quæso, Aquilejæ heic locus? Liutprandus ipsemet Lib. III. Cap. II. hæc de illa urbe habet: *Aquileja namque prædives atque olim civitas immensâ, ab impiissimo Hunnorum Rege Attila capitur atque funditus dissipatur, nec ulterius, ut in præsentiarum cernitur, elevatur*. Cur ergo *munitissimam civitatem* Aquilejam Seculo suo appellavit idem Scriptor? Librariorum vitio irrepserit huc Aquileja; & pro ipsa Patavium, aut alia quæpiam civitas restituenda.

Pag. 440. *Marozia ... ex Alberto Marchione Albericum genuit, qui nostro post tempore Romanæ Urbis Principatum usurpavit*. Corruptum esse hunc locum, jampridem monueram Cap. 22. pag. 215. Antiquit. Estens. Albericus Romanorum Princeps patrem habuit alterum *Albericum*, non autem *Albertum* Tusciæ Marchionem, ut ab hac editione decepti censuerunt Florentinius, Pagius, & alii. Idem ipse Liutprandus infra Lib. III. Cap. 12. Librariorum sphalma prodit, scribens: *Habuerat sane Marozia filium nomine Albericum, quem ex Alberico Marchione ipsa genuerat*.

Pag. 448. *Romanos convocatos ad se Principes ita convenit*. Pro *Romanos* scriptum arbitror à Liutprando *Romanus*.

Ibidem. *Filiam suam Helenam Imperator ei copularat*. Significant hæc verba, Helenam quampiam Imperatoris filiam Romano Lacapeno, postea Augusto, nuptam. Gerræ & fabulæ. Helenam quidem filiam *Constantino Porphyrogenito parvulo suo Domino* Romanus ipse conjugem dedit, ut præcedenti Cap. monuit ipsemet Liutprandus; nullam vero Helenam is duxit. Quamobrem pro *Imperator ei* scribe *Imperatori*.

Ibidem. ἐλαχέρνας Ita quoque in editione Reuberiana. At sine dubitatione legendum Βλαχέρνας.

Pag. 461. *Abdaram Rex noster a Radamiro Rege Christianissimo Galitiæ in bello superatus est*. In Præfatione jam animadverti, scribendum heic *Rex vester*: neque enim Hispanicæ genti accensendus Liutprandus.

Ibidem. *Berengarium Gilla, Berengarii Regis filia; Anscarium autem Ermegarda Adelberti Tusciæ provinciæ Marchionis, quam ex Berta Regis Hugonis filia habuerat, peperit*. Non unum heic latet mendum. Vide Lib. II. Cap. 15. ubi hæc recte digesta. Restituendum igitur pro *Gilla*, *Gisla*, seu *Gisela*, aut *Gisla*. Scribe etiam *Ermengarda* pro *Ermegarda*. Liberum quoque tibi sit scribere: *Tusciæ Provinciæ*. Fortasse ita scripserit Liutprandus. Denique pro *Hugonis Regis filia* procul dubio reponendum *Hugonis Regis matre*.

Pag. 463. *Lingua quippe Tutonum*. Restitue *Teutonum*.

Pag. 466. *Quod Hugo ut audivit, congregatis copiis ad ejus Castrum Niveolam venit*. Sermo est de Vvidone Episcopo Mutinense, qui quod a Rege Hugone defecisset, Castrum suum munitissimum *Niveolam* viriliter, sed inutiliter oppugnatum ab ejus armis vidit. Recte adnotatum est ab Editoribus, Castrum hoc *Vineolam* appellari ab aliis. Atque ita scripsisse ipsummet Liutprandum puto, quippe ita scribendum. *Vineola* autem, nunc *Vignola*, Oppidum jacet in agro Mutinensi ad Scultennæ ripam, XI. millibus passuum ab urbe distans Meridiem versus; atque inde agnomen accessit celebri Architectonices restauratori *Jacobo Barroccio* illic nato, ut alios præteream inde egressos, qui sibi ex Literarum cultura famam non vulgarem peperere. Et revera ad Episcopos Mutinenses spectabat olim *Vineola*; Sed ægre ferens Respublica Mutinensis aliquid in agro suo haberi, quod sibi non subesset, pro more temporum illorum Episcopum & Abbates a cura temporalium ditionum liberavit, omniaque eorum Castra sibi regenda sumsit. Hinc Anno Christi *MCCXXVII. Indict. V. die tertio intrante Decembri*, ut habetur in Regesto MSto Communis Mutinæ, emersit controversia inter Episcopum & Commune. Inter cetera sacer Antistes *petebat omnem jurisdictionem tam in causis civilibus, quam criminalibus, & in electione Consulum, sive Potestatis, emancipationibus, tutelis, curationibus, & duellis in Castro Badiani* (nunc *Bazzano*) *Savignani, Vignolæ, Porcilis &c. & eorum Curiis*. Composita est lis, traditis per Commune Episcopo multis commodis, prædiis, molendinis, canalibus, & duobus etiam millibus librarum Imperialium, quibus ille fundos non paucos suæ Mensæ conquisivit, adhuc ejus juri obnoxios. Atque hæc innuisse mihi licuerit in grati animi pignus erga *Vineolam Patriam meam*, cujus saltem nomen, quando alia non possum, oblivioni ereptum, & in editione Liutprandi restitutum velim.

Pag. 471. *Regnantibus, imo sævientibus in Italiam &c.* Quæ hinc ad finem usque Liutprandinæ Historiæ sequuntur, inter Eruditos controversum est, num Liutprando ipsi, an alteri ejus Continuatori sint tribuenda. Ego in posteriorem sententiam pendeo; mihique in ea lacinia deprehendere videor stilum a Liutprandino diversum. Sed liberum sit unicuique hac de re sentire, quod veritati propius arbitrabitur: neque enim vacat mihi in ejusmodi controversiam intimius invadere, uti nec plura dare in Liutprandi Historiam, novamque illius editionem.

LUDOVICI ANTONII MURATORII

Emendationes nonnullæ ad Liutprandi Historiam adhibendæ.

Xstant editione Liutprandinæ Historiæ Tom. II. pag. 425. Italic. rum. tam solum animadverti, nonnulla excurrisse, quæ aliqua aut emendatione, aut nota [illegible] tamen quod monita [illegible] Typographis, sed quod Reuberianam editionem religiose nimis sequi [illegible] exprimere [illegible] tamen fuerit, itaque pancula hæc, quanquam extra chorum, & serius quam par erat, adnotare & adjicere placuit.

Pag. 433. [illegible] Augur hic de Fraxineto Oppido, unde Saraceni Septem [illegible] tot clades intulere Italiæ. Nullum ejus nunc vestigium; veri tamen [illegible] in Provincia, atque in Diœcesi Forojuliensi, nunc Frejus, [illegible] [illegible] confinio, ut idem Liutprandus testatur.

Pag. 436. Arnulfus Rex potentissimus, defuncto Carolo prænomine Calvo. [illegible] Non Carolus Calvus Francorum Rex, & Romanorum Imperator, sed Carolus Crassus Germaniæ Rex, pariterque Augustus, heic erat memorandus. Siquidem constat, Arnulfum Carolomanni filium, paucis tantummodo ante Crassi mortem mensibus ab eo defecisse, & [illegible] suffragio habenas Regni arripuisse, hoc est Anno Christi 887. Liutprandum heic, potius quam ejus editores, memoria defecit.

Pag. 439. Rex Galliæ Carolus, qui cognominatur est Calvus, [illegible] vitam &c. Apertius hinc deprehendimus, Liutprandum loquutum fuisse de Carolo Calvo: quod mirere, videtur enim prorsus ignorasse Calvi successorem Carolum Crassum. Atqui certissimum est, contigisse turbas Widonis & Berengarii post Crassi mortem Anno tantum 888, quum Carolus Calvus postremo [illegible] fuisset Anno 877.

Ibidem. Berengarius fugam petiit. In Synodo pro electione, seu confirmatione Vidonis in Regem Italiæ, quæ in hoc Tomo nunc primum prodiit, & ego alibi protuli, bis Berengarius ab ejus facie victus fugisse dicitur. Concordem heic habet narrationem Liutprandi. Supra legitur juxta [illegible] Scribendum Trebiam, sive Trebiam, cui flumini illustrem famam jamdudum [illegible] Hannibalis victoria, & Romani exercitus cædes.

Pag. 441. Juxta fluvium Sefferionem ad Burgum, in quo Sanctissimi & pretiosi Martyris Domnini corpus [illegible] Reliquæ Martyris Domnini. Nunc ea de causa appellatur Borgo San Donnino. Sefferioni fluvio ævo nostro nomen est Stirone.

Pag. 443. Sanctissimi Patris Nostri Syri. Nempe Episcopi ac Patroni Ticinensis urbis. Atque hinc etiam indicatur, quæ Liutprando Patria fuerit.

Ibidem. Aquilejam & Veronam pertransiens munitissimas civitates. Quis, quæso, Aquilejæ heic locus? Liutprandus ipsemet Lib. III. Cap. II. hæc de illa urbe habet: Aquileja namque, præclara atque olim civitas [illegible], ab impiissimo Hunnorum Rege Attila capitur atque funditus [illegible], nec [illegible], ut in præsentiarum cernitur, elevatur. Cur ergo munitissimam civitatem Aquilejam Seculo suo appellavit idem Scriptor? Librariorum vitio irrepsit hæc Aquileja; ac [illegible] Patavium, aut alia quæpiam civitas restituenda.

Pag. 446. Marozia ... ex Alberto Marchione Albericum genuit, qui nostro post tempore Romanæ Urbis Principatum usurpavit. Corruptum esse hunc locum, [illegible] nonnullam Cap. [illegible] pag. [illegible] Antiquit. Estens. Albericus Romanorum Princeps patrem habuit [illegible], non autem Albertum, [illegible] Marchionem, ut ab hac editione decepti [illegible] Paginis [illegible] Idem ipse Liutprandus infra Lib. III. Cap. [illegible] Librariorum [illegible] prodit, scribens: [illegible] Marozia [illegible] genuerat.

Pag. 448. Romanos [illegible] ad se Principem [illegible] [illegible] Liutprando Romanus.

Ibidem. Filiam suam Helenam Imperator [illegible] [illegible] filiam Romano Lacapeno, postea Augusti, [illegible] Helenam Constantino Porphyrogenito [illegible] Cap. monuit ipsemet Liutprandus, [illegible] Imperatori.

Ibidem. [illegible] Ita quoque in editione Reuberiana. [illegible]

Pag. 452. [illegible] Rex [illegible] ne jam animadverti, [illegible] prandus.

Ibidem. Berengarius [illegible] Marchionis, [illegible] modum. Vide Lib. II. [illegible]

LEGATIO
LIUTPRANDI
CREMONENSIS EPISCOPI
AD
NICEPHORUM PHOCAM
IMPERATOREM CONSTANTINOPOLITANUM
PRO OTTONIBUS AUGUSTIS,
ET ADELHAIDA:

Ad illorum temporum usum, & Græcorum cum fastum, tum insolentiam plusquàm barbaricam intelligendam; jam pridem in lucem edita studio, & opera HENRICI CANISII Noviomagi J. C. & SS. Canonum in Academia Ingostaldiensi Professoris ordinarii.

HENRICI CANISII
AD LECTOREM
PRÆFATIO.

*L*Egationem hanc Liutprandi Cremonensis Episcopi descripsit ex Codice manuscripto Bibliothe-
cæ primariæ ædis Trevirensis R. P. Christophorus Brouverus societatis Jesu Sacerdos, an-
tiquitatis illustrandæ studiosissimus, eamque ad communem illum omnium eruditorum ami-
cum Marcum Velserum VII. virum Augustanum misit, inde huc perlata, nunc tandem post
tot sæcula ex tenebris in publicum exit. Quis Liutprandus hic fuerit, certò affirmare non
ausim. Fuisse Ticinensis Ecclesiæ Levitam, & Diaconum (cujus extant libri sex rerum ab Europæ Im-
peratoribus, & Regibus gestarum) suadent cum alia, tum idem prorsus dicendi genus. Deinde quod opi-
nionem hanc verisimillimam reddit, Liutprandus noster bis se Constantinopoli legationem obiisse asserit;
primam, cùm adhuc Diaconus esset, auctoritate Berengarii, tempore Constantini Græcorum Imperatoris: po-
stea alteram, mandato Ottonis Magni, & filii ejus, & uxoris Adelheidæ ad Nicephorum Phocam, qui
mortuo Romano filio prædicti Constantini, Imperium Constantinopolitanum invaserat. At Liutprandus Ti-
cinensis Diaconus, & Historicus ab eodem Berengario Italiæ tyranno potiùs quàm Rege se Constantinopo-
lim ad Constantinum Imperatorem legati nomine missum testatur lib. VI. Hist. cap. I. & seq. ubi fusè de-
scribit, quomodo à Constantino Constantinopoli exceptus fuerit, & quæ spectacula ibidem viderit. Unde
conjicere licet unum & eundem esse, hunc nostrum, & qui historiam conscripsit: quum & historicus sub
Ottonibus claruerit, & temporis diversitas non obstet. Et forte si Liutprandi libri integri extarent, in-
veniremus non minùs posteriorem sub Ottone legationem, quàm illam priorem sub Berengario; nec dubita-
rem pro certo, & explorato affirmare, nisi ipse Liutprandus scrupolum iniiceret, qui Cap. VI. lib. VI.
mentionem facit Liutprandi Cremonensis Episcopi eumque ait, cum Landoardo Saxone, Episcopo Nume-
densi ab Ottone Magno Romam missum esse ad Joannem Pontificem: & in Concilio Romæ in causa ejus-
dem Joannis celebrato, cùm Otto Romam occupasset, fugato Joanne, & Adelberto, inter Episcopos Ita-
liæ, qui Concilio interfuerunt, numeratur Liutprandus Episcopus Cremonensis, qui & ejusdem Ottonis in
eodem conventu interpres fuit: namque Otto Saxonicâ linguâ loquebatur, hæc Liutprandus Cremonensis
Episcopus latinè reddebat ceteris Episcopis. Adeò, ut vix credibile videatur, Liutprandum Historicum
de se quasi de alio locuturum fuisse, si ipsemet fuisset: cum longè minutiora de se, rebusque à se gestis,
absque ambagibus commemorare soleat.

LEGA-

LEGATIO LIUTPRANDI AD NICEPHORUM PHOCAM.

OTtones Romanorum invictiſſimos Imperatores Auguſtos, glorioſiſſimamque Adelhediem Imperatricem Auguſtam, Liutprandus Sanctæ Cremonenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſemper valere, proſperari, triumphare, anhelat, deſiderat, optat. Quid cauſæ fuerit, quòd priùs literas ſive nuncium meum non ſuſceperitis, ratio ſubſequens declarabit. Pridie nonas Junii Conſtantinopolim venimus, & ad contumeliam veſtram turpiter ſuſcepti, graviter, turpiterque ſumus tractati; palatio quidem ſatis magno, & aperto, quod nec frigus arceret, ſicut nec calorem repelleret, incluſi ſumus: armati milites appoſiti ſunt cuſtodes, qui meis omnibus (1) exitium, cæteris prohiberent ingreſſum. Domus ipſa ſolis nobis incluſis pervia à palatio adeò ſequeſtrata, ut eò nobis non equitantibus, ſed ambulantibus anhelitus truncaretur. Acceſſit ad calamitatem noſtram, quòd Græcorum vinum, ob picis tædæ gypſi commixtionem nobis impotabile fuit. Domus ipſa erat inaquoſa, nec ſitim ſaltem aquâ extinguere quivimus, quam datâ pecuniâ emeremus. Huic magno væ, væ aliquid appoſitum eſt, homo (2) Sciliorum cuſtos, qui quotidianos ſumptus præberet; cui ſimilem ſi requiras, non terra, ſed infernus forſan dabit: is enim quidquid calamitatis, quidquid rapinæ, quidquid diſpendii, quidquid luctus, quidquid miſeriæ excogitare potuit, quaſi torrens inundans, in nos effudit. Nec in centum viginti diebus una ſaltem præteriit, quæ non gemitus nobis præberet, & luctus. Pridie nonas Junii, ut ſuperiùs ſcripſimus, Conſtantinopolim ante portam (3) Caream venimus, & uſque ad undecimam horam cum equis, non modicâ pluviâ, expectavimus. Undecimâ verò horâ non ratus Nicephorus nos dignos eſſe, tam ornatos veſtrâ miſericordiâ equitare, venire juſſit, & uſque in præfatam domum marmoream, inviſam, inaquoſam, patulam ſumus deducti. Octavo autem, id (4) eſt, Sabbato primo dierum Pentecoſtes ante fratris ejus Leonis (5) Coroplati, & Logothetæ præſentiam ſum deductus, ubi de Imperiali veſtro nomine magna ſumus contentione fatigati. Ipſe enim vos, non *Imperatorem*, ideſt βασιλέα ſuâ linguâ, ſed ob indignationem ῥῆγα, ideſt *Regem* noſtrâ vocabat. Cui cùm dicerem, quod ſignificatur idem eſſe, quamvis quod ſignificat diverſum; me, ait, non pacis, ſed contentionis causâ veniſſe, ſicque iratus ſurgens, veſtras literas, verè indignans, non per ſe, ſed per interpretem ſuſcepit, homo ipſe ad perſonam ſatis procerus, falsò hu-

A milis: cui ſi innixus homo fuerit, manum ejus perforabit. Septimo autem id (6) eſt, ipſo videlicet Sancto die Pentecoſtes in domo, quæ dicitur Στεφάνα, ideſt *Coronaria* ante Nicephorum ſum deductus, hominem ſatis monſtruoſum, pygmæum, capite pinguem, atque oculorum parvitate talpinum, barbâ curtâ, latâ, ſpiſſâ, & ſemicanâ fœdatum, cervice digitali turpatum, prolixitate, & denſitate comarum ſatis (7) Jopam, colore Æthiopem, cui per mediam nolis occurrere noctem: ventre extenſum, natibus ſiccum, coxis ad menſuram ipſam brevem longiſſimum, cruribus parvum, calcaneis, pedibuſque æqualem, (8) villino, ſed nimis veternoſo, vel diuturnitate ipſa fœtido,
B & pallido ornamento indutum, Sicyoniis calceamentis calceatum, linguâ procacem, ingenio vulpem, perjurio, ſeu mendacio Ulyſſem. Semper mihi domini mei Imperatores Auguſti, formoſi quantò hinc formoſiores viſi eſtis? ſemper ornati, quantò hinc ornatiores? ſemper potentes, quantò hinc potentiores? ſemper mites, quantò hinc mitiores? ſemper virtutibus pleni, quantò hinc pleniores? ſedebant ad ſiniſtram, non in eadem linea, ſed longè deorſum duo parvuli Imperatores, ejus quondam domini, nunc ſubjecti cujus narrationis initium hoc fuit: Debueramus, immo volueramus te benignè, magnificèque ſuſcipere, ſed domini tui impietas non permittit, qui tam inimica inva-
C ſione Romam ſibi vendicavit, Berengario, & Adelberto contra jus, faſque vitam abſtulit, Romanorum alios gladio, alios ſuſpendio interemit, oculis alios privavit, exilio alios relegavit, & Imperii noſtri inſuper civitates homicidio, aut incendio ſibi ſubdere tentavit: & quia affectus ejus pravus effectum habere non potuit, nunc te malitiæ hujus ſuggeſtorem, atque impulſorem, ſimulata pace, quaſi (9) ἀκοπον ideſt, exploratorem ad nos direxit. Cui inquam ego: Romanam civitatem Dominus meus non vi, aut tyrannicè invaſit, ſed à tyranni, immo tyrannorum jugo liberavit. Nonne effœminati dominabantur ejus? & quod gravius, ſive turpius, nonne meretri-
D ces? Dormiebat, ut puto, tunc poteſtas tua, immo deceſſorum tuorum, qui nomine ſolo, non autem re ipſa Imperatores Romanorum vocantur. Si potentes, ſi Imperatores Romanorum erant, cur Romam in meretricum poteſtate ſinebant? Nonne Sanctiſſimorum Paparum alii ſunt relegati, alii à te afflicti, ut neque quotidianos ſumptus, nec eleemoſynam habere quirent? nonne Adelbertus contumelioſas literas Romano, & Conſtantino deceſſoribus

(1) fortè *exitum*.
(2) aliàs *Sicilìorum*.
(3) fortè *Auream*.
(4) fortè *Idus*.
(5) *Curopalatæ*.
(6) *Idus*.
(7) aliàs *hirtum*.
(8) aliàs *byſſino*.
(9) fortè κατάσκοπον.

bus tuis Imperatoribus, misit: nonne Sanctissimorum Apostolorum Ecclesias rapinis expoliavit: quis ex vobis Imperatoribus zelo Dei ductus tam indignum facinus vendicare, & Sanctam Ecclesiam in statum proprium reformare curavit? neglexistis vos, non neglexit Dominus meus, qui à finibus terræ surgens, Romamque veniens impios abstulit, & Sanctorum Apostolorum Vicariis potestatem, & honorem omnem contradidit. Postmodum verò insurgentes contra se, & Dominum Apostolicum, quasi jurisjurandi violatores sacrilegos, Dominorum suorum Apostolicorum tortores, raptores, secundùm decreta Imperatorum Romanorum Justiniani, Valentiniani, Theodosii, & cæterorum cecîdit, jugulavit, suspendit, & exilio relegavit: quæ si non faceret, impius, injustus, crudelis, tyrannus esset. Palàm est, quòd Berengarius, & Adelbertus sui milites effecti, Regnum Italicum sceptro aureo ex ejus manu susceperunt, & præsentibus servis tuis, qui nunc usque supersunt, & hac in civitate degunt, jurejurando fidem promiserunt. Et quia, suggerente Diabolo, hanc perfidè violarunt, justè illos quasi desertores, sibique rebelles, Regno privavit: quod ita subditis tibi, & postmodum rebellibus faceres. Sed non, ait, Adelberti hoc profitetur miles. Cui inquam: si secus dixerit, meorum aliquis militum, si jubes, cras ita rem esse duello declarabit. Esto, inquit, fecerit hæc, ut ais, justè. Nunc cur Imperii nostri terminos (1) bello, incendioque aggressus sit, expedi. Amici eramus, societatemque indissolubilem, nuptiis interpositis, facere cogitabamus. Terram, inquam, quam Imperii tui esse narras, gens, incola, & lingua, Italici Regni esse declarat. Tenueruntque illam potestativè Langobardi; quam & Ludovicus Langobardorum, seu Francorum Imperator, de manu Saracenorum, multitudine prostrata, liberavit. Sed & Landulphus Beneventanorum, & Capuanorum Princeps septennio potestativè eam sibi subjugavit. Nec à servitutis ejus, seu successorum suorum jugo usque ad præsens exiret, si non immensâ datâ pecuniâ, Romanus Imperator nostri Regis Hugonis amicitiam emeret. Et hæc causa fuit, quòd nepoti suo, & æquivoco Regis nostri, ejusdem Hugonis spuriam conjugio copulavit. Et ut considero, Domino meo non gratiam, sed impotentiam adscribis, quòd post Italiæ; seu Romæ acquisitionem, tot annis eam tibi dimiserit. Societatem verò amicitiæ, quam te parentelâ voluisse facere dicis, fraudem nos, dolumque tenemus: (2) pausanas exigis, quas nec te exigere, neque nos concedere ratio ipsa compellit. Verùm ut fallacia exculpatur, veritas non reticeatur, misit me Dominus meus ad te, ut, si filiam Romani Imperatoris, & (3) Theophanæ Imperatricis, Domino meo, filio suo Ottoni Imperatori Augusto in conjugium tradere volueris, juramento mihi affirmes, & ego pro gratiarum recompensatione hæc, & hæc Dominum meum tibi facturum & observaturum, jurejurando affirmabo. (4) Sed & (5) optimam amicitiæ arabonam fraternitati tuæ nunc Dominus meus contulit, cùm Apuliam omnem potestati subditam, non meo interventu, cujus hoc suggestione malum factum esse dicis. Cujus rei tot sunt testes, quot sunt totius Apuliæ habitatores. Secunda, inquit Nicephorus, hora jam transiit: προέλευσις, idest processio nobis est celebranda. Quod nunc instat, agamus. Contra hæc, cùm opportunum fuerit, respondebimus. Non pigeat me προέλευσιν ipsam describere, & dominos meos audire. Negotiatorum multitudo copiosa, ignobiliumque personarum, ea solemnitate, collecta, ad susceptionem, & laudem Nicephori, à palatio usque ad sanctam Sophiam, quasi pro muris viæ margines tenuit, clypeolis tenuibus satis, & spiculis vilibus dedecorata. Accessit & ad dedecoris hujus augmentum, quòd vulgi ipsius potior pars, ad laudem ipsius, nudis processerat pedibus. Credo sic eos putasse sanctam ipsam potiùs exornare προέλευσιν. Sed & Optimates sui, qui cum ipso per plebejam, & discalceatam multitudinem ipsam transierunt, magnis, & nimia vetustate rimatis tunicis erant induti. Satìs decentiùs quotidiana veste induti procederent. Nullus est cujus atavus hanc novam haberet. Nemo ibi auro, nemo gemmis ornatus erat, nisi ipse solus Nicephorus, quem Imperialia ornamenta ad majorum personas sumpta, & composita, fœdiorem reddiderant. Per salutem vestram, quæ mihi meâ charior extat, una vestrorum preciosa vestis procerum, centum horum, & eò ampliùs preciosior est. Ductus ergo ad προέλευσιν ipsam in eminentiori loco, juxta psaltas, idest cantores, sum constitutus. Cùmque quasi reptans monstrum illud procederet, clamabant adulatores psaltæ: Ecce venit stella matutina, surgit Eöus, reverberat obtutu solis radios: pallida Saracenorum mors, Nicephorus μέδων, idest Princeps. Unde & cantabatur: μέδοντι, idest Principi Nicephoro (6) πολλὰ ἔτη, idest plures anni sint. Gentes hunc adorate, hunc colite, huic tanto colla subdite. Quantò tunc veriùs canerent: Carbo extincte veni μέλλε, anus incessu, silvanus vultu, rustice, lustrivage, capripes, cornute, bimembris, setiger, indocilis, agrestis, barbare, dure, villose, rebellis, Cappadox. Igitur falsidicis illis inflatus næniis sanctam Sophiam ingreditur, dominis suis Imperatoribus se à longè sequentibus, & in pacis osculo ad terram usque adorantibus. Armiger hujus sagittâ calamo immissâ (7) Æram in Ecclesia ponit, quæ prosequitur, quo nimirum tempore imperare cœperit, & sic Æram, qui id non viderunt, intelligunt. Hac eadem die convivam me sibi esse jussit. Non ratus autem me dignum esse cuipiam suorum præponi Procerum, quintusdecimus ab eo absque gausape sedi; meorum nemo comitum non dico solùm mensæ non assedit, sed neque domum, in qua conviva eram, vidit. Qua in cœna temporis satis, & obscœna, ebriorum more, oleo delibutâ, alioque quodam deterrimo piscium liquore aspersâ, multa super potentia vestra, multa super Regnis, & militibus me rogavit. Cui cùm consequenter, & verè responderem: mentiris, ait: domini tui milites equitandi ignari, pedestris pugnæ sunt inscii, scutorum magnitudo, loricarum gravitudo, ensium longitudo, galearumque pondus neutra parte eos pugnare sinit, ac subridens, impedit, inquit, eos & gastrimargia, hoc est ventris ingluvies quorum Deus venter est, quorum audacia, crapula; fortitudo, ebrietas;

(1) Aliàs *terram*.
(2) *Al.* inducias.
(3) *Alii vocant Theophaniam*.
(4) *Hic deest aliquid*.
(5) *Al.* optimum arrhabonem.

(6) Codinus Curopal. lib. De offi. aulæ Constantinop. Ἅμα οὖν τῷ τὸν βασιλέα φανῆναι, οἱ ψάλται αὐτίκα ψάλλουσι τὸ πολυχρόνιον: Simulatque apparet Imperator, cantores statim canunt, Ad multos annos.
(7) *Al.* Aram.

tas; jejunium, dissolutio; pavor, sobrietas. Nec est in mari domino tuo classium numerus. Navigantium fortitudo mihi soli inest, qui eum classibus aggrediar bello maritimas ejus civitates demoliar, & quæ fluminibus sunt vicina, redigam in favillam. Quis, cedo, mihi etiam in terra copiarum paucitate resistere poterit? filius non affuit: uxor non defuit; Saxones, Suevi, Bajoarii, Italici omnes cum eo affuerunt; & cùm civitatulam unam sibi resistentem capere nescirent, immo nequirent, quomodo mihi resistent venienti? quem tot copiæ prosequentur,

Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos,
Quot Cœlum Stellas, quot Mare in flatibus undas.

Cui cùm respondere, & Apologeticum dignum inflatione hac evomere vellem non permisit; sed adjecit quasi ad contumeliam: (1) vos non Romani; sed Langobardi estis. Cui adhuc dicere volenti, & manu, ut tacerem innuenti, commotus inquam: Romulum fratricidam, ex quo & Romani dicti sunt, porniogenitum, hoc est ex adulterio natum chronographiâ innotuit; asylumque sibi fecisse, in quo alieni æris debitores, fugitivos, servos, homicidas, ac pro reatibus suis morte dignos suscepit, multitudinemque quamdam talium sibi adscivit, quos Romanos appellavit: ex qua nobilitate propagati sunt ipsi, quos vos Kosmocratores. idest Imperatores appellatis, quos nos, Longobardi scilicet, Saxones, Franci, Locharingi, Bajoarii, Suevi, Burgundiones tantò dedignamur, ut inimicos nostros commoti, nil aliud contumeliarum, nisi, Romane, dicamus; hoc solo idest Romanorum nomine, quidquid ignobilitatis, quidquid timiditatis, quidquid avaritiæ, quidquid luxuriæ, quidquid mendacii, immo quidquid vitiorum est, comprehendentes. Imbelles verò nos, & equitandi inscios quia dicis si Christianorum peccata promerentur, ut in hac austeritate perdures, quales vos estis, quàmve pugnaces nos simus, bella proxima demonstrabunt. Talibus Nicephorus exacerbatus dictis, manu silentium indixit, mensamque sinè latitudine longam auferri, meque in invisam domum, seu, ut verius fatear, carcerem reverti præcepit. Ubi post biduum cum indignatione, tum æstu, & siti, magno sum languore affectus. sed & assectarum meorum nemo extitit, qui non eodem ebriatus poculo, diem sibi ultimum imminere formidaret. Cur quæso non ægrotarent, quibus erat potus pro optimo vino salsugo; pro culcitra, non fœnum, non stramen, non saltem terra, sed durum marmor, pro cervicali lapis? quibus patula domus, non calorem, non imbrem, non frigus arcebat. Ipsa si vellet salus his circumfusa, ut vulgò loquimur, eos salvare non posset. Proprio ergo, atque meorum debilitatus angore, convocato ad me custode, immo persecutore meo, non precibus solùm, sed pretio obtinui, ut epistolam meam hunc modum continentem Nicephori fratri deferret. Leoni Coroplati, & Logothetæ τοῦ δρόμου Liutprandus Episcopus. Si Imperator Serenissimus petitionem, ob quam veni perficere cogitat, non fatigant me, quas hîc sustineo, passiones: literis solummodo meis & nuncio, ut instruatur Dominus meus, me hîc moram ab re non facere. Quòd si secus res sese habet, navis & hîc Veneticorum, onerariaque proficisci festinat, hanc me ægrotum ingredi sinat, ut si dissolutionis meæ tempus advenerit,

A cadaver meum genitale saltem solum suscipiat. Quas cùm legisset, se post quatriduum me jussit adire. Sederunt cum eo ad disceptationem vestram, secundùm eorum traditionem, sapientissimi viri, Attico pollentes eloquio, Basilius (2) Parakimomenos, Proto à secretis, Protovestiarius, & duo magistri, quorum hoc fuit narrationis initium: quid causæ sit, quare te huc fatigasti, frater, edissere. Quibus cùm parentelæ gratiâ, quæ esset occasio infinitæ pacis, edicerem; inquiunt: inaudita res est, ut Porphyrogeniti, Porphyrogenita, hoc est, in purpura nati filia, in purpura nata, gentibus misceatur, verùm quia tam excellentem rem petitis, si datis quod decet, accipietis quod libet;
B Ravennam scilicet, & Romam cum his omnibus continuatis, quæ ab his sunt usque ad nos. Si verò amicitiam absque parentela desideratis, Romam liberam esse Dominus tuus permittat: Principes autem, Capuanum scilicet, & Beneventanum Sancti nostri Imperii olim servos, nunc rebelles, servituti pristinæ tradat. Quibus, Dominum meum, inquam, potentiores habere Schlavos Petro Bulgarorum Rege, qui Christophori Imperatoris filiam in conjugium duxit etiam ipsi non ignoratis. Sed Christophorus, ajunt, non Porphyrogenitus fuit. Roma verò, inquam, quam vos liberam esse velle perstrepitis cui servit? cui tributa persolvit? Nonne priùs meretricibus serviebat?
C & vobis dormientibus, immo non valentibus, Dominus meus Imperator Augustus à tam turpi servitute liberavit? Constantinus Imperator Augustus, qui hanc ex suo nomine condidit civitatem, Sanctæ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, ut erat Kosmocrator, multa donaria contulit, non in Italia solùm, sed in omnibus penè Occidentalibus Regnis, nec non de Orientalibus, atque Meridianis, Græciâ scilicet, Judeâ, Perside, Mesopotamiâ, Babyloniâ, Ægypto, Libyâ, ut ipsius testantur privilegia, quæ penes nos sunt. Sanè quidquid in Italia, sed in Saxonia, Bajoaria, omnibus Domini mei Regnis est, quod ad Apostolorum Beatorum Ecclesiam respicit, Sanctissimorum Apostolorum Vicario contulit. Et si est, ut Dominus meus ex
D his omnibus civitates, villas, milites, aut familiam obtineat, Deum negavi. Cur Imperator verò non itidem facit, ut ea, quæ suis insunt Regnis, Apostolorum Ecclesiæ reddat, & per laborem, atque munificentiam Domini mei ditem, & liberam, ditiorem ipse, ac liberiorem reddat? Sed hoc, ait Basilius Parakimomenos, faciet, cùm ad nutum suum Roma, & Romana Ecclesia ordinabitur. Tum, homo, inquam, quidam, multam ab alio passus injuriam, his Deum aggressus est verbis: Domine, vindica me de adversario meo. Cui Dominus, faciam, inquit, in die cùm reddam unicuique secundùm opera sua. At ille, Quàm tardè, infit. Tunc omnes, præter fratrem, cachinno
E commoti discrepationem dimiserunt, meque in invisam domum reduci præceperunt, magnâque custodiri cautelâ usque in Sanctorum Apostolorum religiosis cunctis celebrem diem. Qua celebritate me satis ægrotum, nec non & Bulgarorum nuncios, qui pridie venerant, ad Sanctos Apostolos sibi obviare præcepit. Cùmque, post næniarum garrulitatem, & Missarum celebrationem, ad mensam invitaremur, in citeriori mensæ margine, quæ erat sinè latitudine

 lon-

(1) *ex Niceta Choniate, Curopalata, & aliis notum est Græcos nomen Romanorum sibi proprium fecisse. Hinc factum, ut Græcorum hostibus nomen Romanorum tam hostile fuerit: quippe cùm Græci se solos Romanos, reliquos verò Latinos vocarent.*

(2) idest Cubicularius.

longa, Bulgarorum nuncium, Ungarico more tonsum, æneâ catenâ cinctum, & ut mens mihi suggerit, catechumenum, mihi præponit; ad vestram planè, Domini mei Augusti, contumeliam. In vobis contemptus, in vobis spretus, in vobis abjectus. Sed gratias ago Domino Jesu Christo, cui vos servitis omni spiritu vestro, quòd habitus sum pro nomine vestro dignus contumelias pati. Verùm, Domini mei, meam non considerans, sed vestram injuriam, mensam reliqui. Quumque indignans abire vellem, Leo Coroplates, Imperatoris frater, & Proto à secretis Simeon, ponè me sequuntur, hæc latrantes: Cùm Christophori filiam Petrus Bulgarorum Vasileus conjugem duceret, Symphona idest consonantia scripto juramento firmata sunt, ut omnium gentium apostolis, idest nunciis, penes nos Bulgarorum apostoli præponantur, honorentur, diligantur. Bulgarorum ille apostolus, quamquam, ut dicis, & verum est, tonsus, illotus, & catenâ æneâ cinctus sit: Patricius tamen est, cui Episcopum præponere, Francorum præsertim, nefas decernimus, judicamus. Et quoniam te id indignè ferre cognoscimus, non te nunc, ut putas, ad hospitium redire sinimus, sed in diversorio quodam cum Imperatoriis servis cibum gustare compellimus. Quibus ob incomparabilem cordis dolorem, nil respondi, sed quæ jusserant, feci; (1) indignum judicans mensam, qua non dico mihi idest Liutprando Episcopo, sed Bulgarorum nuncius vestro præponitur nuncio. Sed lenivit dolorem meum Imperator Sanctus munere magno, mittens mihi ex delicatissimis cibis suis, hædum pinguem, ex quo ipse comederat, allio, cepe, porris lautè suffarcinatum, garo delibutum; quem vestræ tunc mensæ inesse optavi, ut qui delicias Sancti Imperatoris faustas esse non creditis, saltem his perspectis crederetis. Transactis ergo octo diebus, cùm Bulgari jam abessent, putans me mensam magnifacere suam, in eodem loco me satis ægrotum secum convivare coëgit. Affuit cum pluribus Episcopis & Patriarca: quibus præsentibus, plures mihi quæstiones de scripturis sacris proposuit, quas cum Spiritu Sancto afflante eleganter exposui, novissimè autem ut de vobis ludum haberet, quas Synodos haberemus, rogavit. Cui cùm Nicænam, Chalcedonensem, Ephesinam, Antiochenam, Carthaginensem, Ancyranam, Constantinopolitanam edicerem; Ha ha he, ait, Saxonicam dicere es oblitus: quam si rogas, cur nostri codices non habent, rudem esse, & ad nos nec dum venire posse respondeo. Cui inquam: in quo membro regnat infirmitas, illud est cauterio exurendum: hæreses omnes à vobis emanarunt, penes vos viguerunt: à nobis, idest Occidentalibus hîc sunt jugulatæ, hîc sunt occisæ. Romanam, sive Papiensem Synodum, quamquam essent sæpe, his non connumeramus. Romanus enim Clericus, postmodum universalis Papa Gregorius, quia à vobis appellatus est Dialogus, Eutychium Constantinopolitanum Patriarcham hæreticum ab ejusmodi hæresi liberavit. Ajebat idem Eutychius, nec solùm ajebat, sed etiam docebat, clamabat, scriptitabat, nos in resurrectione non veram, quam hic habemus, sed phantasticam quamdam carnem assumpturos: cujus erroris liber à Gregorio orthodoxè est combustus. Sed Evodius Papiensis Episcopus, propter aliam quamdam hæresim, huc, idest, Constantinopolim, à Romano est Patriarcha directus; quam compressam, in Catholicam, atque Orthodoxam reformavit. Saxonum genus, ex quo Sanctum Lavacrum, & Dei accepit notitiam, nulla est hæresi maculatum, ut ibi Synodus fieret, qua errorem, cùm nullus esset, corrigeret. Rudem quia dicis Saxonibus esse fidem, idipsum & ego affirmo: semper enim apud eos Christi fides rudis est, & non vetus, ubi fidem opera sequuntur. Hîc fides non rudis, sed vetus est, ubi fidem opera non committantur, sed quasi præ vetustate, ut vestis contempta contemnitur. Sed hanc Synodum factam esse in Saxonia certò scio, in qua tractatum est, & firmatum, decentiùs ensibus pugnare, quàm calamis; & priùs mortem obire, quàm hostibus terga dare: quod vel tuus exercitus experitur, in corde meo dixi, & quàm sint pugnaces re ipsa experiatur. Verùm hac eadem die post meridiem, adeò impotentem, & transfiguratum me revertenti ad palatium sibi præcepit occurrere, ut obviantes mihi, quæ priùs in stuporem mentis mulieres versæ, (2) Mana, mana, clamabant; miseriam meam pugnis pectora tunsæ dicerent πιπτεινε καὶ πελαίτωρε cui, Nicephoro scilicet venienti, & vobis absentibus, quid tunc manibus in cœlum erectis optaverim, proveniant utinam. Sed mihi velim credatis, ad risum me non parum illexit. Impatienti enim, atque effræni insidens equo, satis parvus, satis magno, puppam ipsum mens sibi depinxit mea, quam Schlavi vestri equino colligantes pullo matrem præcedentem sequi effrænatè dimittunt. His expletis ad concives, & cohabitatores meos, quinque leones, in prænominatam invisam domum sum deductus; ubi post hebdomadarum spatium trium, nullius, nisi meorum sum colloquio visitatus. Qua ex re Nicephorum nunquam me velle dimittere mens sibi depinxit mea, ac tristitia immodica languorem languori adeò superimposuit, ut vitâ excederem, nisi mihi hanc Dei Genitrix à Creatore, & Filio suo precibus obtineret; quemadmodum non fantastica, sed vera est mihi visione monstratum. His ergo tribus hebdomadibus habuit Nicephorus extra Constantinopolim metastasin, idest stationem, in loco qui dicitur εἰς πηγὰς, idest, ad fontes, eodemque me venire præcepit. Et cùm tamen languidus essem, ut non solùm statio, sed ipsa etiam sessio gravis mihi moræ videretur, discooperto capite, quod malæ valetudini meæ nimis contrarium erat, ante se me stare coëgit; cui & ait: Domini tui Regis Ottonis nuncii, qui præterito te præcesserunt anno, juramento mihi promiserunt, & jurisjurandi literæ inpræsentiarum sunt numquam illum in aliquo nostrum scandalizare Imperium. Vis majus scandalum, quàm quòd se Imperatorem vocat, Imperii nostri themata sibi usurpat? utraque non sunt ferenda; etsi utraque importabilia, istud est non ferendum, immo nec audiendum, quòd se Imperatorem nominat. Sed si confirmas eadem, quæ ipsi fecerunt, fortunatum te, atque locupletem Imperii nostri Majestas citò dimittet. Id autem eo non dixit, ut vos, si mea hoc stultitia faceret, (3) conservatos sperarem, sed voluit habere præ manibus quod in laudem suam, & contumeliam nostram ostenderet futuris temporibus. Cui inquam: nuper Sanctissimus Dominus meus, ut est Sapientissimus, & Spiritu Dei plenus, hæc prænoscens, quæ asseris,

(1) indignam judicans causam.
(2) idest Mater, mater.

(3) fortè servaturos speraret.

ris, ne terminos, quos conſtituit mihi, tranſcenderem ἐντολὼ, ideſt præceptum, conſcripſit, quod & ſigillo ſignavit ſuo, ne ſecus facerem. Scis Domine mi Auguſte, qua id fiducia dixerim? ἐντολὼ iſtud in medium proferatur, & quidquid juſſerit, juramento à me tibi firmetur. Sed præteriti nuncii, præter juſſionem Domini mei promiſerunt, juraverunt, conſcripſerunt, ita eſt, ut Plato ait: Cauſa penes optantem, Deus extra culpam. His expletis ventum eſt ad nobiliſſimos Principes, Capuanum, & Beneventanum, quos ipſe ſervos nominat, & ob quos inteſtinus ipſum agitat dolor. Servos, inquit, meos Dominus tuus in tutelam recipit ſuam, quos ſi non dimiſerit, & in priſtinam ſervitutem redegerit, noſtrâ amicitiâ carebit; ipſi in Imperium noſtrum ut recipiantur, flagitant; ſed recuſat eos noſtrum Imperium, ut cognoſcant, & experiantur, quàm periculoſum ſit ſervos à Dominis declinaſſe, ſervitutem effugere. Et eſt decentius Domino tuo ut mihi eos tradat amicus, quàm mihi dimittat invitus. Experientur planè, vita comite, quid ſit herum fallere, quid ſit ſervitutem deſerere, &, ut puto, ſentiunt nunc quod dico, operantibus hoc noſtris, qui ſunt ultra mare, militibus. Quibus reſpondere me non permiſit, ſed abire cupientem, ad menſam ſuam redire præcepit. Cui pater aſſedit, homo, ut mihi videbatur, natus centum quinquaginta annis. Cui itidem ut filio, Græci in laudibus, immo inventis ſuis, Deus annos ut multiplicet conclamant. Qua in re, quàm ſint Græci ſtulti, quàmve hujus gloriæ amatores, quàmve adulatores, quàm cupidi, hinc colligere poſſumus: optant ſoli non ſola, ſed ſilicernio, quod naturam ipſam non pati certò ſciunt: gaudet & ſilicernium ea ſibi optari, quæ nec Deum facere, nec (1) tibi prodeſſe, ſed obeſſe, etiam ſi faceret novit. Quod queſo Nicephorum gaudere pacis ..... illum, & phoſphorum clamabant. Impotentem, virilem; ſtultum, ſapientem; brevem, magnum; nigrum, album; peccatorem, ſanctum dicere, mihi credite, non laus, ſed contumelia eſt. Et qui aliena magis gaudet ſibi acclamari, quàm propria, avibus omnino eſt ſimilis, quarum intuitum nox illuminat, dies cœcat. Sed redeamus ad rem. Hac in cœna, quod priùs non fecerat (2) voce latina Beati Joannis Chryſoſtomi homiliam in Apoſtolorum Actibus legere juſſit. Poſt cujus lectionis terminum, cùm ad vos redeundi licentiam quærerem, capite ſe ita facturum innuens, recipi me ad concives, & cohabitatores meos leones, perſecutori meo indixit. Quod cùm fieret, non ſum ab eo viſus, uſque in tertium decimum Kalend. Auguſti; ſed diligenter cuſtoditus, ne cujuspiam fruerer ſermone, qui ſuos mihi actus indicaret. Interea Grimizonem Adelberti nuncium ſe adire juſſit, quem cum navali ſuo exercitu redire præcepit. Fuerunt chelandia vigintiquatuor, Ruſſorum naves duæ, Gallicæ duæ: ſi plus miſerit, quas non viderim, neſcio. Veſtrorum, Domini mei Imperatores Auguſti, militum fortitudo non eget, ut adverſariorum impotentia animetur. Quod in his ſepe expertum eſt gentibus, quarum etiam ultimi, & cæterorum comparatione, impotentes Græcam fortitudinem ſtraverunt, tributariam fecerunt. Sicut enim vos non terrerem, ſi for-

A tiſſimos illos, & Alexandro Macedoni ſimiles prædicarem; ſic & vos inſtigo, cùm impotentiam eorum, quæ vera eſt, narro. Mihi credatis velim, & credetis ſcio, omnem ipſum exercitum, (3) quadringentis veſtris, ſi foſſa, murive non impediant, poſſe (4) occidere, cui exercitui, ut puto, ad contumeliam veſtram, hominem quamdam, ſed quamdam eo dixi, quia mas eſſe deſiit, mulier fieri nequit, præpoſuit. Adelbertus octo millia loricatorum ſe habere Nicephoro mandavit, quibus cum Argivo adminiculante exercitu, vos fugare, aut ſternere dicit; rogavitque æmulum veſtrum ut pecunia illi mitteretur, quia illos avidiùs ad pugnam inſtigaret. Sed
B nunc, domini mei, accipite inſidias Danaûm, & crimine ab uno diſcite omnes: Nicephorus mancipio illi, cui collectitium, atque conductitium commendavit exercitum, pecuniam ſatis magnam hac ratione dedit, ut, ſi Adelbertus cum ſeptem millibus loricatorum, & eo ampliùs, ſicut mandavit, ſe adierit, tunc donativum eis illud diſtribuat. Cona frater ſuus cum ipſo, & Argolico exercitu vos impugnet, Adelbertus verò Bareis diligenter cuſtodiatur, donec potitus victoriâ frater redeat. Quòd ſi veniens tot hominum millia non duxerit, ut capiatur, vinciatur, vobiſque eò venientibus tradatur; inſuper & pecunia, quæ ei debebatur, veſtras in manus conferatur, edixit. O bella-
C torem, ò fidelem! prodere cupit (5) cui defenſorem parat; defenſorem parat, quem perdere cupit: in neutro fides, in utroque infidelitas: fecit, quo non eguit, eguit quod non fecerat. Sed eſto, fecerit, ut Græcos decuit, nos ad propoſitum redeamus. Quartodecimo Kalendas Auguſti collectitium ipſum navalem exercitum, me ab inviſa domo ſpectante, dimiſit. Decimotertio autem, quo die leves Græci raptionem Eliæ Prophetæ ad cœlos ludis ſcenicis celebrant, me ſe adire præcepit; cui & ait: Imperium noſtrum, copias in Aſſyrios ducere cogitat non ſuper Chriſticolas, quemadmodum dominus tuus: præterito quippe anno idipſum facere volui, ſed audito, quòd domi-
D nus tuus Imperii noſtri terram invadere vellet, dimiſſis Aſſyriis, illum versùs habenas retorſimus: obviavitque nobis in Macedonia Dominicus Venedicus nuncius ſuus, qui multo labore, & ſudore nos, ut reverteremur, deluſit, jurejurando nobis affirmans, numquam dominum tuum eſſe id cogitaturum nedum facturum; revertere ergo (quod cùm audiſſem tacitus Deo gratias dixi) & hæc, atque hæc tuo domino nunciato: ſi me compotem fecerit, ipſe redito. Cui jubeat, inquam ſanctiſſimum (6) Imperatorem tuum me in Italiam citò advolare, certa ratione, quod dominus meus, quæ vult Imperium tuum, compleat, & lætus ego ad te redeam. Quod qua mente dixerim, nec ipſum, proh dolor, latuit. Nam ſubridens, ſimul ca-
E pite innuit, meque contra tenus ſe adorantem, atque abeuntem extra, foris manere, atque ad cœnam allio, & cepa benè olentem, oleo, & garo ſordidam venire præcepit, magniſque die illa effeci precibus, ut munus meum, quod ſæpe aſpernatus erat, dignaretur accipere. Reſidentibus itaque nobis ad menſam ſinè latitudine longam (7) pallingi latitudine rectam, longitudine ſeminudam, ex Francis, quo nomine tam

(1) fortè *ſibi*.
(2) aliàs *voscelatus*, ex quo corrigo *voce elata*.
(3) fortè *à quadringentis veſtris*.
(4) *occidi*.
(5) aliàs *qui*.
(6) fortè *Imperium*.
(7) aliàs *ſaii*, vel *palmi*.

tam Latinos, quàm Teutones comprehendit, ludum habuit: rogavitque me, ut quo in loco Episcopatus mei civitas esset, quove nomine frueretur, edicerem. Cui Cremonâ, inquam, Eridano fluviorum Italiæ Regi satis vicinâ; & quia Imperium tuum chelandia eò mittere properat, prosit mihi te vidisse, prosit agnovisse, da pacem loco, ut per te saltem possit subsistere, qui tibi non potest resistere. Sed vafer ille hæc εἰρωνικως me dixisse cognovit, submissoque vultu se ita facturum promisit, juravitque mihi per sancti sui virtutem Imperii, nil me mali passurum, sed prosperè suis cum chelandriis usque in Anconitanum portum citò perventurum; & mihi id tunso digitis pectore juravit. Verùm quàm impiè pejeraverit, animadvertite. Hæc acta, hæc dicta sunt decimotertio Kalendas Augusti, secundâ feriâ, quo ex die usque in nonum stipendiorum nihil ab eo recepi, cùm tanta esset Constantinopoli fames, ut vigintiquinque assedas meos, & quatuor custodes Græcos tribus aureis unâ cœnâ nequirem reficere. Quartâ feriâ ipsius hebdomadæ Nicephorus Constantinopolim egreditur, in Assyrios profecturus. Quintâ feriâ frater suus me accersivit, quem ita convênit. Sancto Imperatore præmisso, domi hodie dispositionis ejusdem causâ substiti; nunc si te sanctum Imperatorem visendi desiderium obtinet, & si quidquam, quod nec dum prodideris habes, edissere. Cui inquam: Nec sanctum Imperatorem videndi, nec rei novæ narrandæ habeo causam, unum hoc peto, secundùm sancti Imperii promissionem, ut chelandiis in Anconitanum portum usque deducar. Quo audito (ut sunt Græci per caput alterius semper jurare parati) per Imperatorium caput, per vitam propriam, per liberos, quos Deus ita, ut verum dixit, conservet, se id completurum jurare cœpit. Cui cùm quando? dicerem; mox discedente, inquit, Imperatore: Delongaris enim, sub cujus manu navium est omnis potestas, recedente sancto Imperatore, curam tui aget. Hac spe ludificatus, lætus ab eo recessi. Post sequentem verò diem, sabbato scilicet, in Umbriam, qui est locus decem & octo milliaribus Constantinopoli distans, Nicephorus me accersiri jubet, cui & ait: Putabam te quidem virum magnum, & honestum eâ gratiâ huc venisse, ut completa omnimodo voluntate mea, perpetuam inter me, & dominum tuum constitueres amicitiam. Et quoniam ob cordis tui duritiem id facere nolis, unum saltem, quod facere justa ratione possis, efficito; scilicet dominum tuum Principibus Capuano, & Beneventano servis meis, quos oppugnare dispono, nullum consilium collaturum. Sua qui non largitur, nostra saltem dimittat. Nova res est, quod eorum patres, & avi nostro Imperio tributa dederunt: at id istos brevi tempore facturos Imperii nostri exercitus laborabit. Cui inquam: Principes isti apprime nobiles, & domini mei sunt milites; qui si senserint exercitum tuum super eos irruere, eis copias mittet, quibuscum tuos conterere, & duo illa themata, quæ ultra mare habes, tibi prævalebunt auferre. Tunc bufonis in modum tumefactus, & commotus, Discede, inquit. Per me, per qui me talem genuere parentes, faciam, ut aliud dominus tuus, quàm desertores servos defendere cogitet. Cùmque abirem, jussit interpreti, me sibi convivam fieri: accitisque eorumdem Principum fratre, & Byzantio Barisiano, magnas in vos, gentemque latinam, & Teutonicam contumelias evomere jussit. Verùm cùm à sordida cœna ipse discederem, nunciis interpositis, clam mihi mandaverunt, & juraverunt, se quæ latraverant non sponte, sed Imperatore volente, & comminante, dixisse. Sed & idem Nicephorus in eadem cœna me interrogavit, si vos perivolia, idest brolia vel si perivoliis onagros, vel cætera animalia haberetis. Cui cùm vos brolia, & in broliis animalia, onagris exceptis, habere affirmarem: ducam te, inquit, in nostrum perivolium, cujus magnitudinem, & onagros, idest silvestres asinos, te vidisse miraberis. Ductus itaque in perivolium satis magnum, montuosum, fructuosum, minimè amœnum, cùm pileatus equitarem, meque Caroplates à longe prospiceret, filio celeriter directo, mihi mandavit, fas non esse quempiam, ubi Imperator esset, pileatum, sed teristratum incedere. Cui mulieres, inquam, nostræ tiaratæ, & teristratæ, viri equitant pileati. Nec decet vos compellere patrium me hîc mutare morem: cùm vestros nos adeuntes, patrium morem tenere finamus: manicati enim, fasciati, (1) fibulati, criniti, talari tunica induti penes nos equitant, incedunt, mensæ assident, &, quod nostris omnibus nimis turpe videtur, ipsi soli capite operto Imperatores nostros deosculantur. Quod non ampliùs fieri Deus permittat, tacitus dixi. Revertere ergo, inquit: quod cùm facerem, occurrunt mihi commisti capreis, quos ipsi dicunt, onagri. Sed quæso quales onagri? quales sunt Cremonæ domestici. Color idem, forma eadem, auriti itidem, vocales similiter cum rudere incipiunt, magnitudo non dispar, velocitas una, dulces lupis æquè, quos cùm viderem coëquitanti Græco inquam: hujusmodi numquam in Saxonia vidi. Si, inquit, Dominus tuus Sancto Imperatori morigeratus fuerit multos illi hujusmodi dabit, eritque illi non parva gloria, cùm ipse possidebit, quod nemo dominorum decessorum suorum vidit. Sed mihi credite Domini mei Augusti, confrater, & Coëpiscopus meus Dominus Antonius potest non inferiores dare, ut commercia testantur quæ fiunt Cremonæ: atque ipsi non onagri, sed domestici; non vacui, sed onerati procedunt. Sed cùm ea superiùs scripta verba idem Nicephoro nunciasset, transmissis mihi duabus capreis, ut abirem licentiam dedit. In crastinum autem Syriam versùs profectus. Sed cur exercitum nunc in Assyrios duxerit, quæso advertite. Habent Græci, & Saraceni libros, quos ὁράσεις, sive visiones Danielis vocant; ego autem Sibyllinos: in quibus scriptum reperitur, quot annis Imperator quisque vivat: quæ sint futura, eo imperitante, tempora, pax, an simultas, secundæ Saracenorum res, an adversæ. Legitur itaque, hujus Nicephori temporibus Assyrios Græcis non posse resistere, huncque septennio tantùm vivere: post cujus obitum Imperatorem isto deteriorem (sed timeo quòd inveniri non possit) & magis imbellem debere surgere: cujus temporibus prævalere debent adeò Assyrii, ut in Chalcedoniam usque, quæ distat Constantinopoli haud longè, potestativè cuncta debeant obtinere. Considerant enim utrique tempora, una eademque re Græci animati insequuntur, Saraceni desperati non resistunt: tempus expectantes, cùm & ipsi insequantur, Græci (2) iterum

(1) Aliàs *vitolati*.

(2) Aliàs *interim non resistant*.

ictum non resistunt. Sed Hippolytus quidam Siciliensis Episcopus eadem scripsit, & de Imperio vestro, & gente nostra, nostram nunc dico omnem, quæ sub vestro Imperio est, gentem: atque utinam verum sit, quod de præsentibus scripsit iste temporibus. Cetera, ut scripsit, sunt usque huc completa, quemadmodum per ipsos, qui horum librorum scientiam habent, audivi: & ex multis ejus dictis unum id proferamus in medium. Ait enim nunc completum iri scripturam, quæ dicit: Λέων καὶ σκύμνος ὁμοδιώξουσιν ὄναγρον Græcè ita, latinum autem sic: Leo, & Catulus, simul exterminabunt onagrum, cujus interpretatio secundùm Græcos: leo, idest Romanorum, sive Græcorum Imperator, & catulus Francorum scilicet Rex, simul his præsentibus temporibus exterminabunt onagrum, idest Saracenorum Regem Africanum. Quæ interpretatio eo mihi vera non videtur, quoniam Leo, & Catulus, quamvis disparis magnitudinis, unius tamen sunt naturæ, & speciei, seu moris: atque, ut mihi mea scientia suggerit, si leo Græcorum Imperator, inconveniens est ut catulus sit Francorum Rex: quamvis enim utrique homines sint, sicut leo, & catulus uterque animalia; distant tamen moribus tantum, non dico solùm quantum species speciebus, sed quantum sensibilia insensibilibus. Catulus à leone nil nisi tempore distat, forma eadem, rabies una, rugitus idem. Græcorum Rex crinitus, tunicatus, manicatus, teristratus, mendax, dolosus, immisericors, vulpinus, superbus, falsò humilis, parcus, cupidus, allio, cepe, & porris vescens, balnea bibens: Francorum Rex contra pulchrè tonsus, à muliebri vestitu veste diversus, pileatus, verax, nil doli habens, satis ubi competit misericors, severus ubi oportet: semper verè humilis, nunquam parcus, non allio, cepis, porris vescens, ut possit animalibus eo parcere, quatenus non manducatis, sed venundatis pecuniam congreget. Audistis differentiam, nolite hanc interpretationem suscipere: aut enim futura est, aut hæc vera non est: impossibile est enim, ut Nicephorus, sicut ipsi mentiuntur, sit Leo, & Otto sit Catulus, qui simul exterminent aliquem. Ante enim pererratis amborum finibus, exul, aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim, quàm Nicephorus, & Otto amicitiâ coëant, & fœdera jungant. Audistis Græcorum, audite nunc Liutprandi Cremonensis Episcopi interpretationem: dico autem, & non solùm dico, sed affirmo, si scriptura hæc præsentibus est implenda temporibus, Leo, & Catulus, pater, & filius, Otto, & Otto in nullo dispares, tempore distantes tantùm, simul hoc præsenti tempore exterminabunt onagrum, idest silvestrem asinum Nicephorum: qui non incongruè silvestri asino comparatur, ob vanam, & inanem gloriam, incestumque Dominæ, & Commatris suæ conjugium. Si onager iste nunc à leone, & catulo nostro Ottone, & Ottone, patre scilicet, & filio, Augustis Romanorum Imperatoribus exterminatus non fuerit, nec quod Hippolytus scripsit verum erit: Græcorum enim illa superior abjicienda interpretatio est. Sed, ò JESU bone, Deus æterne, Verbum Patris, qui nobis indignis loqueris non voce, sed inspiratione, nullam aliam interpretationem, quàm meam in hac sententia velis. Jube ut leo, & catulus isti hunc exterminent, & humilient onagrum corpore, quatenus in se

A reversus, dominisque suis Basilio, & Constantino Imperatoribus subditus, in die Domini spiritus sit salvus. Sed Astronomi hoc idem de vobis, & Nicephoro prænunciant. Res, inquam, mira. Cum quodam sum locutus Astronomo, qui vestram, Domini mei Augusti, æquivocique vestri Augusti, formam, mores, ut sunt, verè dixit; cunctaque mea præterita, quasi præsentia dixit. Nec præteriit quisquam amicorum, vel inimicorum, de quibus mens mihi suggessit ut interrogarem, cujus habitum, formam, & mores non diceret. Quidquid calamitatis mihi hoc in itinere accidit, futurum esse prædixit. Sit mendacium (1) omen, quod dixit; unum, quæso, solummodo sit verum,

B quod vos esse facturos Nicephoro prædixit, fiat utinam, utinam fiat, & tum nil me mali passum esse intelligam. Scribit etiam præfatus Hippolytus, Græcos non debere Saracenos, sed Francos conterere: qua lectione Saraceni animati, ante triennium cum Manuele Patricio, Nicephori nepote, juxta Scyllam, & Charybdim in mari Siculo, bellum parant; cujus immensas copias cùm prostravissent, ipsum comprehenderunt, capiteque (2) truncum suspenderunt: cujus socium, & commilitonem cùm caperent, qui neutrius erat generis, occidere sunt dedignati, sed vinctum, ac longâ custodiâ maceratum tanti vendiderunt, quanti nec ullum hujusmodi mortales sani capitis emerent. Nec

C infirmiori animo, eadem confirmati lectione, haud multò post Magistro Exarchontæ occurrunt, quem dum in fugam verterent, ejus copias omnibus modis contriverunt. Est & aliud, quod nunc Nicephorum compulit copias in Assyrios ducere: Argorum enim omnem regionem, instans tempus, Deo jubente, eò usque fames attrivit, ut neque tritici duo Papienses sextarii aureo comparentur, hocque ubi ubertas quasi regnat. Hanc pestem, muribus cooperantibus, ità dilatavit, ut messionis tempore, quidquid ubique terrarum annonæ erat, minimo dato pretio, possessoribus ejulantibus, congregarit. Quod cùm juxta Mesopotamiam faceret, ubi frugum copia muribus absentibus cre-

D verat, arenæ maris multitudini annonæ multitudinem coæquavit. Igitur cùm vili hoc commercio turpiter fames ubi desæviret, octaginta millia mortalium, obtentu militiæ secum congregavit, quibus per continuum mensem, quod uno emerat aureo, duobus vendidit. Hæ sunt, domine mi, res, quæ Nicephorum copias in Assyrios nunc ducere compulerunt. Sed quales, quæso, copias? Verè, inquam, non homines, sed hominibus similes: quibus lingua tantum procax, sed frigida bello dextera. Non inspicit in his Nicephorus qualitatem, sed solam quantitatem: quod quàm periculosum illi sit, tum serò pœnitebit eum, cùm imbelles plurimi, multitudine animati, à nostris perpaucis bella

E scientibus, immo sitientibus conterentur. Cùm obsideritis Bareas, trecenti tantummodo Ungari juxta Thessalonicam quingentos Græcos comprehenderunt, & in Ungariam duxerunt. Quæ res, quia prosperè successit, compulit ducentos Ungariorum haud longè Constantinopoli in Macedonia similiter facere: ex quibus, cùm incautè per angustam redirent viam, quadraginta sunt capti; quos nunc Nicephorus de custodia eductos, preciosissimisque vestibus ornatos, patronos sibi, & defensores paravit, secum in Assyrios ducens. Verùm qualis sit ejus exercitus,

(1) fortè *omne*.

(2) fortè *truncatum*.

tus, hinc poteſtis conjicere, quoniam qui cæteris præſtant, Venetici ſunt, & Amalphitani. Nunc, his omiſſis, quid mihi acciderit animadvertite. Sexto Kalend. Auguſti extra Conſtantinopolim in Umbria à Nicephoro licentiam accepi ad vos redeunti: cùmque Conſtantinopolim venirem, Chriſtophorus Patricius Eunuchus, qui Nicephori vicem eòdem gerit, mihi mandavit, non poſſe me tunc recedere, quia Saraceni tunc occupaverunt mare, & Ungarii terram: expectandum mihi eſſe, donec ipſi diſcederent: ſed utrumque. proh dolor, fuit mendacium. Tunc appoſiti ſunt cuſtodes, qui mihi, & meis à domo mea exitum prohiberent. Latinæ linguæ pauperes, qui me eleemoſynarum gratiâ adierunt, comprehendentes ceciderunt, B cuſtodię tradiderunt: Græcolonon meum, ideſt, Græcæ linguæ gnarum, non permittebant egredi, ſaltem ut ſumptus emeret, ſed cocum ſolùm Græcæ linguæ ignarum: qui non ſignorum ſignis, ſed digitorum, ſeu capitis nutibus cum venditore emptor loquebatur; tantique nummis emebat quatuor, quanti Græcolonus obſonium uno. Et cùm amicorum quidam aromata, panes, vinum, poma mitteret; ſolo cuncta fundentes, nuncios colaphis ſatis oneratos dimiſerunt. Et niſi divina pietas paraſſet in conſpectu meo menſam adversùs eos, qui tribulant me, una mihi parata mors foret accepta. Sed qui permiſit tentari, dedit tunc miſericorditer pati. Hujuſcemodi me periculum ſecundo Nonarum Junii uſque ad ſextum Nonas Octobris, C Conſtantinopoli diebus ſcilicet centum viginti maceravit. Verùm ut augerentur calamitates meæ, in Aſſumptione ſanctæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ, meo omine non bono venerunt Domini Apoſtolici, & univerſalis Papæ Joannis nuncii cum literis, quibus rogabant Nicephorum Imperatorem Græcorum, ut parentelam, firmamque amicitiam faceret cum dilecto, ſpiritualique filio ſuo Ottone Romanorum Imperatore Auguſto. Quæ vox, quæ inſcriptio ſecundùm Græcos peccatrix, & temeraria, quomodo latorem non occiderit; cur priuſquam læderetur, non oppreſſerit, qui in aliis rebus ſæpe videor ſpermologus, & multiſonus, D in hac, ut piſcis, videor inſonus. Objurgabant Græci mare, imprecabantur æquori, plùs juſto mirantes, cur peccatum illud portare potuerit, cur fretum dehiſcens navim non obſorbuerit. Imperatorem, inquiunt, univerſalem Romanorum, Auguſtum, magnum, ſolùm Nicephorum ſcripſiſſe Græcorum, hominem quemdam barbarum, pauperem Romanorum non piguit. O cœlum, ò terra, ò mare! Sed quid, inquiunt, faciemus hominibus iſtis ſceleratis, criminoſis. Pauperes ſunt, & ſi eos occidimus, manus noſtras ſanguine vili polluimus pannoſi ſunt, ſervi ſunt ruſtici ſunt; ſi eos flagellamus non ipſos, ſed nos dedecoramus, qui nec Romanâ ſcuticâ deauratâ, nec hujuſmodi E ſunt crucibus digni. O utinam alter Epiſcopus, alter Marchio eſſet: culeis enim ſuti poſt acerbos virgarum ictus, poſt barbæ, ſeu capillorum diſtractionem, in mare demergerentur. Sed ſerventur, inquiunt, & quouſque ſanctiſſimus Imperator Romanorum Nicephorus hæc reſciſcat mala, gravi cuſtodia macerentur. Dum hæc reſciſcerem, felices eos, quoniam pauperes; me infelicem, quia divitem, judicavi. Cùm domi eſſem, mea me voluntas pauperem excuſabat; Conſtantinopoli verò poſitus, Crœſi me habere divitias timor ipſe dicebat. Semper mihi pauperies gravis, tunc viſa eſt

A levis, tunc accepta, tunc amplectenda. Amplectenda utique, quæ ſuos perimi, ſubjectos ſibi flagellari non patitur. Et quia hæc paupertas Conſtantinopoli ſolùm ſuos ita defendit, eòdem ſit ſolummodo diligenda. Igitur, Apoſtolicis nunciis in carcerem traditis, publicana illa epiſtola Nicephoro in Meſopotamiam mittitur; unde uſque ad quintum Idus Septembris non eſt reverſus qui afferret apologeticum nuncium. Qua die cùm rediret, & me lateret, poſt biduum, decimooctavo ſcilicet Kalend: Octobris, precibus, muneribuſque effeci, ut vivificum, atque ſalutiferum adorarem lignum: ubi tanto in tumultu populi clam cuſtodibus quidam me adierunt, qui mentem meam lugubrem, furtivis ſermonibus hilarem reddiderunt. Decimoquinto autem Kal. Octobris, mortis, vitæque medius, ad palatium ſum convocatus. Cùmque ad Chriſtophori Patricii Eunuchi præſentiam venirem, benignè me ſuſcipiens, mihi cum tribus aliis aſſurrexit: quorum hujuſmodi fuit narrationis initium: Oſtendunt pallor in ore ſedens, macies in corpore toto, crinitum caput, prolixa contra morem barba, immenſum cordi tuo ineſſe dolorem, eo quòd redeundi ad Dominum tuum terminus eſt dilatatus. Verùm ne Sancto Imperatori, neve nobis ſuccenſeas, oramus. Reddimus autem tarditatis tuæ cauſam. Papa Romanus (ſi tamen Papa eſt vocandus, qui Alberici filio apoſtatæ, adultero, ſacrilego, communicavit, comminiſtravit) literas noſtro Sanctiſſimo Imperatori ſe dignas, illoque indignas miſit, Græcorum illum, & non Romanorum Imperatorem vocans: quod tui domini conſilio actum non eſt ἀμφίσβητον. Quod, inquam mecum, verbum audio? perii: haud dubium eſt, quin in prætorium rectâ proficiſcar viâ. Sed Papa, audi, ajunt, omnium hominum ſtolidior, ſcimus dicere vis, noſque id profitemur. At ego non id ajo. Audi ergo: ſed Papa fatuus, inſulſus, ignorat Conſtantinum Sanctum Imperialia ſceptra huc tranſvexiſſe, Senatum omnem, cunctamque Romanam militiam. Romæ verò vilia mancipia, piſcatores ſcilicet, cupediarios, aucupes, nothos, plebejos, ſervos tantummodo dimiſiſſe. Numquam ille hoc niſi tui ſuggeſtione ſcriberet Regis: quod quàm periculoſum ambobus fuerit, niſi reſipuerint, proxima tempora declarabunt. Sed Papa, inquam, ſimplicitate clarus, ad laudem hoc Imperatoris, non ad contumeliam ſcribere putavit. Conſtantinum Romanum Imperatorem cum Romana militia huc veniſſe, ac civitatem iſtam ſuo ex nomine condidiſſe certò ſcimus; ſed quia linguam, mores, veſteſque mutaſtis, putavit Sanctiſſimus Papa ita vobis diſplicere Romanorum nomen, ſicut & veſtem; quod in futuris vita comite, oſtendetur epiſtolis; quarum ſuperſcriptio hæc erit: Joannes Papa Romanus Nicephoro, Conſtantino, Baſilio, magnis Romanorum Imperatoribus, atque Auguſtis, quod quia nam dixerim, quæſo, advertite. Nicephorus perjurio, atque adulterio Regni apicem eſt adeptus; & quoniam Chriſtianorum omnium ſalus ad Romani Papæ pertinet ſolicitudinem, mittat Nicephoro Dominus Papa epiſtolam ſepulcris omnino ſimilem, quæ foris ſunt dealbata, intus plena ſunt oſſibus mortuorum: imbata, intus plena ſunt oſſibus mortuorum: improperet illi intrinſecùs, qualiter perjurio, & adulterio acceperit ſuper Dominos ſuos monarchiam, invitet eum ad Synodum, &, ſi non venerit, anathemate feriat. Si ſuperſcriptio hujuſmodi non fuerit, nec ad ipſum uſque feretur. Nunc ad propoſitum redeamus. Superſcrip-

scriptam ex superscriptione promissionem à me memorati Principes cùm audissent, nil inesse doli putantes, Grates tibi persolvimus, ajunt, ò Episcope: decet enim sapientiam tuam tantis mediatricem intercedere rebus, solus es ex Francis, quem nunc diligamus; sed cùm depravata, te hortante, correxerint, & ipsi diligentur: tuque iterum ad nos cùm veneris, non indonatus abibis. Coronâ aureâ, sceptroque cùm huc ultra rediero, me Nicephorus donabit, tacitus dixi. Sed hic, inquiunt: vult Dominus tuus Sanctissimus cum Imperatore firmare amicitiam foedere nuptiarum? Cùm huc venirem, voluit, inquam; sed quia me diu hìc morante literas non recepit σφάλμα, idest vitium à vobis, meque captum putat, & vinctum, æstuatque animus ejus totus, ut Leænæ, catulis raptis, donec vindictam justa faciat acerbitate, & nuptias abhorreat, atque iram in vos evomat. Si ceperit, inquiunt, non dicimus Italiam, sed nec ipsa capiet eum, in qua ortus est, pauper, & gunnata, idest pellicea Saxonia, pecuniâ, qua pollemus, omnes nationes super ipsum invitabimus, & quasi (1) Keramicum, idest, vas fictile, quod confractum reformari nequit, confringemus. Et quoniam te in decorem suum quædam pallia emisse putamus, ut in medium proferantur, edicimus, quæ sunt vobis digna, plumbeâ notentur bullâ, vobisque sinantur, quæ verò κωλυόμενα, idest nationibus omnibus, præ nobis Romanis, prohibita, pretio reddito, auferantur. Quod cùm fieret, quinque mihi pretiosissimas purpuras abstulerunt: indignos vos, omnesque Italos, Saxones, Francos, (2) Bagoarios, Suevos, immo cunctas nationes hujusmodi veste ornatos incedere indicantes. Quod quàm indecorum, quàmque contumeliosum sit, molles, effoeminatos, manicatos, tiaratos, teristratos, mendaces, (3) neutros, desides, purpuratos incedere; heroas verò, viros scilicet fortes, scientes bellum, fidei, charitatisque plenos, Deo subditos, virtutibus plenos non: quid est, si non hæc contumelia est? Sed ubi est, inquam, Imperatorius sermo? ubi Imperialis promissio? cùm enim illi valedicerem, rogávi, ut in Ecclesiæ honorem quantivis pretii me permitteret pallia emere. Qui ait, qualia vis & quanta? ποιότητα καὶ ποσότητα, idest, qualitatem, & quantitatem ponens differentiam planè non posuit, ut diceret, his, & illis exceptis. Testis est Leo Coroplates frater ejus; testis est & interpres Evodisius, Joannes, Romanus; testis sum ipse, qui, quod Imperator diceret, etiam si interpres abesset, intellexi sed κωλυόμενα idest, prohibita sunt hæc, inquiunt. Et cùm, quæ asseris, Imperator diceret, de talibus saltem, ut somniares, non potuit cogitare: ut enim divitiis, sapientia; ita & ceteris nationibus præstare veste debemus: ut quibus est singularis in virtutibus gratia, sit singularis & in pulcritudine vestis: Haud quaquam singularis, inquam, hæc vestis fieri potest cùm penes nos obolariæ mulieres, & mandrogeruntes his utantur. Unde, inquiunt, vobis? A Veneticis, & Amalphitanis institoribus, inquam, qui nostris ex victualibus, hæc ferendo nobis, vitam nutriunt suam. Sed non ampliùs hoc facient. ajunt. Scrutabuntur planè, & si quid hujusmodi inventum fuerit, verberibus cæsus, crine tonsus poenas dabit. Temporibus, inquam, beatæ memoriæ

A Constantini Imperatoris huc veneram, non Episcopus, sed Diaconus; nec ab Imperatore, aut Rege, sed à Berengario Marchione missus, & multò plura, ac pretiosiora pallia emi: quæ neque scrutata, nec à Græcis visa, nec plumbo sunt signata. Nunc, Deo miserante, Episcopus, & à Magnificis Imperatoribus Ottone, & Ottone, patre, & filio missus, tantò inhonestior, ut Veneticorum more pallia mea notentur, & quæ quantivis pretii videntur, auferantur, cùm in Ecclesiæ mihi commissæ usus ferantur. Non tædet vos contumeliarum mearum, immo dominorum meorum, in quibus contemnor? quòd sum custodiæ traditus, quòd fame, sitique cruciatus, quòd non ad ipsos redirem hucusque

B retentus, nisi etiam, ad cumulum dedecoris eorum propriis expolier rebus? auferte saltem, (quæ sunt empta; dimittite) quæ sunt dono ab amicis donata. Constantinus, inquiunt, Imperator, homo lenis, in palatio manens perpetuò, hujusmodi rebus amicas sibi nationes effecerat: Nicephorus verò Basileus homo ταχύχειρ idest, militiæ deditus, palatium, ceu pestem abhorret; & vocatur à nobis prope simultatis amator, atque argumentosus, qui non pretio sibi gentes amicas, sed terrore, & gladio sibi subditas facit. Atque ut cognoscas, quanti dominos tuos Reges habeamus, quæ data sunt coloris hujusmodi, & quæ empta, viâ eâdem ad nos revertentur. His dictis, atque completis

C χρυσοβούλλιον, idest epistolam auro scriptam, & signatam mihi dederunt, vobis deferendam; sed non vobis dignam, ut mens credit mea. Tulerunt autem & alias literas argento signatas, atque dixerunt: Papam vestrum Imperiales recipere literas, indignum esse dijudicamus. Mittit autem illi Coroplates, Imperatoris frater, non per suos pauperes nuncios, sed per te epistolam se satìs dignam, ut, nisi resipuerit, funditus se periisse cognoverit. Hanc cùm accepissem, vale mihi dicentes, dimiserunt, oscula præbentes satìs jucunda, satìs amabilia. Sed dum recederem, legationem mihi non me, sed illis satìs dirigunt dignam, scilicet quòd mihi soli, meisque equos darent. Sarcinis nullum:

D sicque nimis, ut res poscebat. turbatus, διασώστῃ idest ductori meo, quinquaginta aureorum res precio dedi. Et cùm non haberem, quod pro malefactis Nicephoro tunc redderem, hos in pariete invisæ domus meæ, & in mensa lignea versiculos scripsi:

Argolicùm non tuta fides: procul esto Latine.
Credere, nec mentem verbis adhibere memento.
Vincere dum possit, quàm sanctè pejerat Argos!
Marmore quæ vario magnis patet alta fenestris
Hæc inaquosa domus, concluso pervia soli,
Frigora suscipiens, æstum nec sæva repellens.
Præsul ab Ausonia Liutprandus in urbe Cremona
Constantinopolim pacis profectus amore
Quattuor æstivis concludor mensibus istic:
E *Induperator enim (4) Bareas conscenderat Otto,*
Cæde simul, flammisque sibi loca subdere tentans,
Sed precibus remeat Romanas victor ad urbes
Inde meis. Nurum promisit Græcia mendax,
Quæ nec nata foret, nec me venisse doleret,
Nec rabiem Nicephore tuam perpendere quirem,
Privignam prohibes, qui nato jungere herili.
Imminet ecce dies furiis cùm pulsus acerbis,
Ni Deus avertat, toto Mars sæviet orbe,
Crimine, paxque tuo cunctis optanda silebit.

His conscriptis versibus sexto nonas Octobris horâ

(1) κεραμιδ.
(2) alias *Bajoarios*.

(3) *Eunuchos intelligit*.
(4) fortè *Barim*, sive *Barium*.

horâ decimâ, ex illa quondam opulentissima, & florentissima, nunc famelica, perjura, mendace, dolosa, rapace, cupida, avara, cenodoxa civitate cum diasoste meo linter egressus, diebus quadraginta & novem, asinando, ambulando, equitando, jejunando, sitiendo, suspirando, flendo, gemendo Naupactum veni, quæ est Nicopoleos civitas: in qua diasostes meus me deserens duabus parvis impositum navibus duobus me mandatoribus, qui Hydruntem me per mare conducerent, commendavit. Verùm cùm entolin, idest, præceptum jus captionis à Græcorum Principibus non haberent, ubi ubi spernebantur: nec jam nos ab ipsis, sed ipsi à nobis alebantur. Quam sepe illud Terentianum mecum stomachabar. Tutore opus est, quos defensores paras. Igitur nonis Kalend. Decemb. Naupactum egressus, biduo ad (1) Offidarim fluvium usque perveni, (2) ut meis comitibus non in naviculis, quæ eos capere non poterant, residentibus, sed secus litus pergentibus. Positi itaque in Offidaro flumine, Patras alio maris in litore decem & octo milliaribus distare prospeximus: quem Apostolicæ passionis locum, quia Constantinopolim ascendendo visitavimus, adoravimus: nunc eum visitare, & adorare (confiteor peccatum meum) distulimus. Fecit hoc, Domini mei Augusti, revertendi ad vos, & videndi ineffabile desiderium; & ni hoc solum esset, perpetuò, ut puto, perierim. Pugnavit contra me insensatum Auster mare flatibus ab imis turbans sedibus. Quumque hoc continuis diebus, ac noctibus faceret, pridie Kalend. Decembris, ipso scilicet passionis die, intellexi meo mihi hoc accidisse delicto. Sola vexatio intellectum dedit auditui. Fames quippe nos vehementer oppresserat. Terræ incolæ ut nostra nobis auferrent, interficere nos cogitabant; mare ne effugeremus, fluctibus æstuabat. Tum conversus ad Ecclesiam, quam videbam, flens, & ejulans inquam: Sancte Andrea Apostole, compiscatoris, confratris, & coapostoli tui Simonis Petri sum servus. Passionis tuæ locum non abhorrui, nec superbiâ declinavi: urit me domum redeundi Augustalis visio, Augustalis amor. Si te ad indignationem commovit peccatum meum, eliciat ad misericordiam meorum meritum Augustorum. Non habes, fratri quod conferas; confer diligentibus fratrem Augustis, inhærendo ei, qui omnia novit. Nosti tu quanto labore, & sudore, quantisque vigiliis, & impensis Romanam fratris tui Petri Apostoli Ecclesiam, ex impiorum manibus ereptam ditaverint, honoraverint, exaltaverint, & in statum proprium reformaverint. Si mea me præcipitant opera, ipsorum saltem liberent merita: quosque vult prædictus, fide, & sanguine frater tuus Apostolorum Princeps Apostolus Petrus, in aliis rebus gaudere, & prosperari, in hac, idest, in me, quem ipsi direxerant, minimè contristari. Non est, Domini mei Augusti Imperatores, verum dico, non est adulatio hæc, nec consuo nunc pulvillos sub cubito manus; res, inquam, vera est: post biduum vestris meritis tanta est fretum tranquillitate sedatum, ut, cùm nautæ à nobis aufugerent, ipsi Leucaten usque navigaremus, milliaribus scilicet centum & quadraginta nihil discriminis, aut tristitiæ patientes, nisi parum in faucibus fluminis Acheloi; ubi discurrentes velociter fluctus ejus maris unda reverberat. Quid ergo, præpotentes Augusti, retribuetis Domino pro omnibus, quæ retribuit in me vobis? dicam quid. Hoc Deus vult, hoc petit; & quamvis sinè vobis hoc facere possit, vult tamen hujus rei esse hypurgos, idest, ministros: ipse enim quod ei offeratur dat; custodit quod exigat, ut possit coronare quod præstat. Advertite igitur quæso. Nicephorus cùm omnibus Ecclesiis homo sit impius, livore, quo in vos abundat, Constantinopolitano Patriarchæ præcepit, ut Hydruntinam Ecclesiam in Archiepiscopatus honorem dilatet, nec permittat in omni Apulia, seu Calabria Latinè ampliùs, sed Græcè Divina Mysteria celebrari. Mercatores dicit fuisse præteritos Papas, & Spiritum Sanctum vendidisse, quo vivificantur, & reguntur omnia, qui replet Orbem terrarum, qui scientiam habet vocis, qui est cum Deo Patre, & Filio ejus Jesu Christo coæternus, & consubstantialiter, sinè initio, sinè fine, permanens verus, qui pretio non æstimatur, sed à mundis corde tanti emitur, quanti habetur. Scripsit itaque Polyeuctus Constantinopolitanus Patriarcha privilegium Hydruntino Episcopo, quatenus sua auctoritate habeat licentiam Episcopos consecrandi in Acirentila, Turcico, Gravina, Maceria, Tricario, qui ad consecrationem Domini Apostolici pertinere videntur. Sed quid hoc memorem, cùm ipsa Constantinopolitana Ecclesia nostræ sanctæ Catholicæ, atque Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ meritò sit subjecta? Scimus, immo videmus Constantinopolitanum Episcopum pallio non uti, nisi sancti Patris nostri permissu. Verùm cùm impiissimus Albericus, quem non stillatim cupiditas, sed velut torrens impleverat, Romanam civitatem sibi usurparet, dominumque Apostolicum, quasi servum proprium in conclavi teneret; Romanus Imperator filium suum Theophylactum eunuchum, Patriarcham constituit: cùmque eum Alberici cupiditas non lateret, missis ei muneribus satis magnis, effecit, ut ex Papæ nomine Theophylacto Patriarchæ literæ mitterentur: (3) qua auctoritate cum ipse, tum successores ejus absque Paparum permissu palliis uterentur. Ex quo turpi commercio vituperandus mos inolevit, ut non solùm Patriarchæ, sed etiam Episcopi totius Græciæ palliis utantur. Quod quàm absurdum sit, censore opus non est. Est ergo meum consilium, sanctam fieri Synodum, & ad eamdem vocari Polyeuctum, quòd si venire, & σφάλματα sua, idest, vitia superiùs scripta, canonicè emendare noluerit; quod sanctissimi Canones decreverint, fiat. Vos interim, præpotentes Augusti, ut cœpistis, laborate: efficite, ut, si nolit vobis Nicephorus, quem canonicè arguere disponimus, obedire, audiat vos, quorum copiis non audet cadaverosus occurrerre. Hoc, inquam est, quod nos Apostoli Domini, & commilitones nostri facere volunt. Non est à Græcis Romanus vilis tenendus locus, quia recessit inde Imperator Constantinus; verùm eò magis colendus, venerandus, adorandus, quia venerunt illuc Apostoli doctores Sancti Petrus, & Paulus. Ac de his satis me scripsisse sufficiat, donec Deo largiente, Sanctissimorumque Apostolorum orationibus, ex Græcorum ereptus manibus, vos adeam. Et tunc non tædeat dicere quod hìc nunc piguit scribere; nunc ad propositum redeamus. Octavo Idus Decembris Leucatem venimus, ubi ab Episcopo ipsius loci

(1) alias *Ophidarin*.
(2) *locus imperfectus*.

(3) fortè *quarum*.

A loci Eunucho, ficut & ubique ab aliis, inhumaniffimè fufcepti, & tractati fumus. In omni Græcia, veritatem dico, non mentior, non reperi hofpitales Epifcopos. Divites funt, pauperes funt: divites aureis, quibus plena luditur arca: pauperes miniftris, feu utenfilibus. Soli menfulæ affident nudæ, (1) paximacium fibi apponentes, balneaque tunc vitro permodico non bibentes fed forbillantes. Ipfi vendunt, ipfi emunt; oftia ipfi claudunt, ipfi aperiunt; ipfi dapiferi, ipfi agatones, ipfi capones; fed, ha, caupones volui fcribere; verùm res ipfa, quæ vera eft, veritatem etiam nolentem compulit fcribere: dicimus enim, quia capones funt, ideft, eunuchi, quod canonicum non
B eft: funt & caupones, ideft, tabernarii, quod contra Canones eft: quorum.

Incipit, & claudit cœnam lactuca tenacem,
Claudere quæ cœnas lactuca folebat avorum.

Felices eos, fi paupertatem Chrifti hæc imitaretur, pauperes judicarem. Facit hoc afper nummus, & auri facra fames. Verùm parcat illis Deus. Hoc eo illos puto facere, quoniam eorum Ecclefiæ funt tributariæ. Leucarenfis mihi juravit Epifcopus, quotannis Ecclefiam fuam debere Nicephoro aureos centum perfolvere, fimiliter & ceteras plus, minufve, fecundùm vires fuas. Quod quàm iniquam fit, Sanctiffimi Patris noftri Jofeph acta demonftrant; quia cùm Ægyptum totam famis tem-
C pore tributariam Pharaonis faceret, Sacerdotum terram à tributo liberam effe permifit. Igitur decimonono Kal. decembris Leucatem exeuntes, ipfique, quoniam, ut fuperiùs fcripfimus, nautæ effugerant, navigantes, decimo quinto ad Coriphus pervenimus, ubi ante navis egreffionem occurrit nobis ftrategos quidam Michaël nomine, Cherfionitis à loco fcilicet Cherfona: homo ipfe canus capite, facie hilaris, fermone bonus, rifu femper jucundus, fed, ut poft patuit, mente diabolus: quod & Deus apertis mihi monftravit indiciis, fi mea tunc mens hoc potuiffet conjicere; mox enim, ut pacem, quam corde non ferebat, mihi ofculo dedit, tota Coriphus magna fcilicet infula
D tremuit: nec folùm femel, fed ter eadem die pertremuit. Poftque triduum autem, decimoquinto fcilicet Kalend. Decembris, dum in menfa pofitus panem comederem, qui ampliabat fuper me calcaneum fuum, verecundatus fol facinus tam indignum lucis fuæ radios abfcondit, & (2) eclipfin paffus, Michaëlem illum terruit fed non immutavit. Dicam ergo, quid illi causâ amicitiæ fecerim, quidnam ab eo pro recompenfatione perceperim. Dum Conftantinopolim afcenderem, illud veftrum preciofiffimum fcutum miro opere deauratum, & fabricatum, quod mihi Domini mei Augufti dediftis, ceteris cum muneribus, ut amicis meis Græcis darem, filio ipfius contuli. Nunc Conftantinopolim rediens patrem pallio donavi preciofiffimo; pro quibus omnibus gratias diftribuit ejufmodi. Scripfit Nicephorus, ut quacumque hora fe adirem, abfque mora chelandio impofitum Leoni Kitonitæ dirigeret; quod ipfe non fecit: verùm diebus viginti me retentum non fuis, fed propriis me ftipendiis aluit, donec à præfato Leone Kitonita nuncius venit, qui illum cur me moraretur, objurgavit. Verùm cùm objurgationes meas, lamenta, & fufpiria mea ferre non poffet, receffit, meque homini tam iniquo, & peffimo commendavit, ut fumptus faltem me emere non permitteret, donec à me cortinam, libræ argenti pretio dignam, acciperet: & quum poft viginti dies inde difcederem, nuncius ipfe, cui cortinam dederam, nauclero juffit, ut poft acroteria, ideft, promontorium quoddam, me pofitum fame perire permitteret. Hoc autem eo fecit, quoniam ne purpuras haberem abfconditas, mea pallia regyravit: ex quibus dum unum vellet accipere, non accepit. O Michaëles, Michaëles, ubi vos tot fimul, talefque reperi! cuftos meus ille Conftantinopolitanus Michaëli fuo rivali me commendavit, malus peffimo, peffimus iniquo. Michaël vocatus eft & diafoftes meus, homo quidem fimplex; cuis fancta fimplicitas tantùm mihi pene nocuit, quantùm & iftorum perverfitas. Sed ab his parvulis Michaëlibus impegi in te Michaëlem magnum, femieremitam, femimonachum. Dico, & verum dico; non proderit tibi balneum, quo te affiduè potas in amore Beati Joannis Præcurforis. Qui enim fictè Deum quærunt, numquam invenire merentur .... (3)



(1) ideft *panem nauticum*. (2) *fuiffe hoc anno folis eclipfin 22. Decembris Curopolates teftatur*.
(3) cetera defunt in M. S.

ANNALES
REGUM FRANCORUM
A TEMPORE,
QUO
CAROLO MARTELLO
DEFUNCTO,
CARLOMANNUS, ET PIPPINUS

Fratres Regnum adepti sunt, usque ad annum Christi DCCCLXXXII.

Ex Codice vetustissimo Monasterii S. Bertini, cujus exemplar curâ Rev. P. Heriberti Rosvveidi Societ. JESU descriptum est, & à Joanne Bolando ejusdem Societ. Antuerpiâ transmissum.

Accessit Appendix alterius Scriptoris ab Anno DCCCLXXXIII., usque ad DCCCC., quam post Annales Fuldenses ex Marquardo Frehero edidit Andreas Du-Chesne Tomo II. Historiæ Francorum.

IN ANNALES BERTINIANOS.

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

LAngobardorum Regnum anno 774. ad Francos, debellato & sublato e vivis Desiderio Rege, transiit, nempe ad Carolum Magnum potentissimum ac celeberrimum Principem. In eum quoque translata est anno 800. Imperialis Dignitas, ita ut Italia fere tota sub ejus ditione sederet. Pari potestate ejusdem Caroli posteri Regnum Italicum moderati subinde sunt, Ludovicus Pius, Lotharius, Ludovicus II., Carolus Calvus, Carlomannus, & Carolus Crassus, quibus dominantibus & sanctae leges, & diuturna tranquillitas, si quid perspicere possumus in tenebrosa illa tempora, satis felicem, aut satis certe tolerandam effecerunt regionis hujus fortunam. Verum quid Franci Reges heic gesserint, nescio quo fato, ex Italicis nemo eorum temporum aequalis justa aliqua Historia descripsit. Nonnulla quidem Agnellus, Anastasius Bibliothecarius, & Herchempertus adnotata reliquerunt; at non ea orationis serie, ut eruditioni nostrae sat esse possint. Itaque temporum illorum Historiam apud nostros admodum jejunam supplere aliqua ex parte visum est mihi, implorato ab exteris Scriptoribus praesidio. En ergo *Annales Bertinianos*, ubi cernere est, ad Italicae Historiae continuationem, qualis Francorum Regum ordo, & quae potiora fuerint eorum gesta, brevi narratione collecta. Ex diversis autem simulque vetustis Francorum Annalibus, quos Du-Chesnius in unum congessit ac edidit, cur Bertinianos ego delegerim, si quis percontetur, responsum hoc habeat. Prae ceteris nobilissimi, qui Laureshamenses appellantur, & Eginhardum Auctorem praeferunt, aut saltem sub ejus nomine circumferuntur, consistunt in anno 829. ideoque minorem annorum curriculum complectuntur, quam nostra res exigat. Fuldenses, Metenses, ac Reginonis brevibus expediunt, quae ad Italiam spectant. Bertiniani ergo praeferendi mihi visi sunt, tum quod iisdem fere verbis omnia continent, quae in Eghinhardi Annalibus leguntur, tum etiam quod fusius reliquis per complures annos Italicorum negotia commemorant.

Quis eorum Auctor fuerit, incertum adhuc. Nam ideo *Bertiniani* appellati, quod ex vetustissimo Codice MSto Monasterii Sithiensis, sive S. Bertini apud Morinos in Gallia descripti fuere. An autem eorum Auctor censeri possit Prudentius Trecensis Episcopus, quaerebat olim Clarissimus Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad ann. 862. num. XCVIII. quippe quod Hincmarus Remensis Archiepiscopus in Epistola ad Egilonem nonnulla adferat ex Prudentii, ut fertur, Annalibus, quae totidem verbis in Bertinianis occurrunt. Simul tamen monet idem Mabillonius, sibi potius videri, Annalistam Bertinianum haec desumpsisse e Prudentii Libris; & quum is eodem stilo ac ingenio annis amplius viginti ab obitu Prudentii suam Historiam produxerit, imo & ipsum Prudentium arguat, quod Gothescalco haeretico pridem infensus, postea patronus fuerit, consequens est, minime tribui Prudentio posse ejusmodi Annales. Eos ergo ab Heriberto Rosvveido Soc. Jesu descriptos Johannes Bollandus ejusdem Societatis ad Andream, sive Franciscum Du-Chesnium misit, qui Tom. III. Francicorum Scriptorum pag. 150. evulgavit. A Rosvveido primum editos, ut Mabillonius innuere videtur, affirmare ego non ausim, etenim Du-Chesnius exemplar descriptum ad se missum tantummodo monet. Ceterum Du-Chesnius ipse *optimos* duxit hosce Annales, ac proinde lubentius & ego ad rem nostram iis sum usus. Exordium Annalibus Bertinianis fit ab anno Christi 741. finis vero 882. Quum vero Marquardus Freherus Annalibus Fuldensibus a se editis, iisque iterum recusis ipse Du-Chesnius Tom. II. Franc. Scriptor. pag. 575. continuationem adtexuerint, ab alio Auctore pariter antiquo & Anonymo factam ad annum usque 900. ubi quaedam pauca habentur, quibus Italicae eorum temporum Historiae aliquantulum lucis adfertur, & illam utile duxi heic dare. Ita enim, ni fallor, continuato itinere quisque progredi poterit ad cognoscendam veteris Italiae fortunam, donec abundantibus Historicis nostratibus non amplius exterorum luce indigebimus.

DU-CHESNE MONITUM.

PRior pars horum Annalium, (qui in MS. Codice ſubjiciuntur Appendici ad Gregorii Turonenſis Hiſtoriam, & Portiuncula De Geſtis Regum Francorum inſcribuntur,) hoc eſt ab anno Chriſti DCCXLI. uſque ad annum DCCCXIV. eadem ferè eſt cum Annalibus illis plebejis Rerum Francicarum, qui Tomo II. editi ſunt pag. 24. Sequentia verò ab anno DCCCXIV. uſque ad DCCCXXX. conveniunt etiam cum iis, quæ in Eghinardi Annalibus habentur eodem Tomo II. Sed res potiſſimùm, quæ ab initio regni Caroli Calvi, uſque ad annum DCCCLXXXII. hìc referuntur, pauci alii Scriptores attigerunt: uno Aimoini Continuatore excepto, qui aliquot Libri V. Capita, ſcilicet à XXI. Cap. uſque ad XLI. indè deſumpſit. Cæterùm Annales iſti optimi ſunt, poſſuntque appellari BERTINIANI, ac eo nomine opponi Fuldenſibus, ſive Moguntinis, quorum Auctor Calvo Francorum Regi ad calumniam uſque iniquus extitit, utpote qui eos Fuldæ, ſeu ut alii volunt, Moguntiæ, ſub ditione LUDOVICI Regis Germaniæ ſcripſiſſe videtur.



ANNALES BERTINIANI.

PIPPINUS.

741. Arolus denique Major Domus defunctus est, quando Carlomannus, & Pippinus Majores Domus duxerunt exercitum contra Hunoldū Ducem Aquitaniorum, & ceperunt castrum, quod vocatur Lucas.

742. Et in ipso itinere diviserunt Regnum Francorum inter se in loco, qui dicitur Vetus-Pictavis. Eodemque anno Carlomannus Alemanniam vastavit.

743. Tunc Carlomannus, & Pippinus contra Odilonem Ducem Bajoariorum inierunt pugnam, & Carlomannus per se in Saxoniam ambulabat in eodem anno, & cepit castrum, quod dicitur *Ohseburg* per placitum, & Theodericum Saxonem placitando conquisivit.

744. Iterum Carlomannus, & Pippinus perrexerunt in Saxoniam, & captus est Theodericus Saxo altera vice.

745. Tunc Carlomannus confessus est Pippino germano suo, quod decrevisset seculum relinquere. Et in eodem anno nullum fecerunt exercitum, sed præparaverunt uterque, Carlomannus ad iter suum, & Pippinus quomodo germanum suum honorificè direxisset cum muneribus.

746. Tunc Carlomannus Romam perrexit, ibique se totondit, & in Sirapti monte Monasterium ædificavit in honorem Sancti Silvestri. Ibique aliquod tempus moram faciens, & inde ad Sanctum Benedictum in Cassinum, usque pervenit, ibique Monachus effectus est.

747. Grifo scilicet fugit in Saxoniam, & Pippinus iter faciens per Thoringiam, Saxo- A niam intravit usque ad fluvium *Missaha*, in loco, qui dicitur *Schahaningi*. Et Grifo collectam fecit cum Saxonibus supra fluvium Abarro, in loco qui dicitur *Ordum*.

748. Grifo de Saxonia iter peragens fugiendo in Bajoariam, usque Palatium, ipsum Ducatum sibi subjugavit. Hiltrudem cum Tassilone conquisivit. Svidger ad eum venit in solatio supradicti Grifonis. Hæc audiens Pippinus, iter illic arripiens cum exercitu suo, suprà nominatos totos sibi subjugavit. Grifonem secum adduxit, similiter & Lantfridum. Tassilonem verò in Ducatu Bajoariorum collocavit per suum beneficium. Grifonem erga partibus Niustriæ misit, & dedit ei XII. Comitatus. Inde iterum Grifo fugiens Vascoviam petiit.

B 749. (1) (Pippinus conjugem duxit Bertradam cognomine Bertam, Cariberti Laudunensis Comitis filiam.) Burchardus Witzeburgensis Episcopus, & Folradus Capellanus, missi fuerunt ad Zachariam Papam, interrogando de Regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes Regalem potestatem; Si benè fuisset, an non. Et Zacharias Papa mandavit Pippino, ut meliùs esset illum Regem vocari, qui potestatem haberet, quàm illum qui sine Regali potestate manebat, ut non conturbaretur ordo. Per auctoritatem ergo Apostolicam jussit Pippinum Regem fieri.

750. Pippinus secundùm morem Francorum C electus est ad Regem, & unctus per manum Sanctæ memoriæ Archiepiscopi Bonifacii, & elevatus à Francis in Regno, in Svessionis civitate. Hildericus verò, qui falsò Rex vocabatur, tonsoratus est, & in Sithiu Monasterium missus. (Pippinus monente Sancto Bonifacio quibusdam Episcopatibus vel medietates, vel tertias rerum, (2) promittens in postmodum omnia restituere.)

753. Pippinus Rex in Saxonia iter fecit, & Hildegarius Episcopus occisus est à Saxonibus in castro, quod dicitur *Luberg*. Et tamen Pippinus Rex victor extitit, & pervênit, usque ad locum qui dicitur *Rimie*. Et dum reversus est de

(1) *His inclusa notis hic, & in sequentibus, ab aliis Annalibus absunt.*

(2) *Deest, abstulit, vel quid simile.*

de ipso itinere, nunciatum est ei, quòd Grifo, qui in Wasconiam fugit, germanus ejus occisus fuisset. Eodemque anno Stephanus Papa venit in Franciam, adjutorium, & solatium quærendo pro justitiis Sancti Petri. Similiter & Carlomannus Monachus, & germanus supradicti Pippini Regis, per jussionem Abbatis sui in Franciam venit, quasi ad conturbandam petitionem Apostolicam.

754. Supradictus verò Apostolicus Stephanus confirmavit Pippinum unctione Sancta in Regem, & cum eo inunxit duos filios ejus, domnum Carolum, & Carlomannum, in Regibus, anno Domini DCCLIV. VI. Kal Augusti. Et domnus Bonefacius Archiepiscopus in Frisia nuncians Verbum Domini, & prædicando, Martyr Christi effectus est.

755. Pippinus Rex per Apostolicam invitationem in Italiam iter peragens, justitiam Beati Petri Apostoli quærendo. Haistulfus Langobardorum Rex supradictam justitiam vetando, clusas Langobardorum petiit, obviam Pippino Regi, & Francis venit. Et inierunt bellum, & Domino auxiliante, Beatoque Petro Apostolo intercedente, Pippinus Rex cum Francis victor extitit. Eodemque anno Stephanus Papa ductus est ad Sanctam Sedem per Missos Domini Pippini Regis, & Fulradus, & reliqui, qui cum eis erant. Incluso verò Haistulfo Rege in Papia civitate justitiam Sancti Petri pollicitus est facere. Unde Rex Pippinus obsides decem receptos, & cùm Sacramenta firmata essent reversus est in Franciam. Carolomannus Monachus Viennâ civitate remansit unà cum Bertrada Regina infirmus, languebatque dies multos, & sic obiit in pace.

756. Dum ergo prospexisset Pippinus Rex ab Haistulfo Langobardorum Rege ea non esse vera, quæ antea promiserat de justitiis Sancti Petri, iterum iter peragens in Italiam, Papiam obsedit, Haistulfum inclusit, magis, magisque de justitiis Sancti Petri confirmavit, ut stabiles permanerent, quod antea promiserat. Et insuper Ravennam, cum Pentapoli, & omni Exarchatu conquisivit, & Sancto Petro tradidit. Et dum reversus esset Pippinus Rex, cupiebat supradictus Haistulfus nefandus Rex mentiri quæ antea pollicitus fuerat, obsides indulgere, Sacramenta irrumpere. Quadam die venationem fecit, & percussus Dei judicio vitam finivit. Et quomodo & qualiter missus est Desiderius Rex in Regno, postea dicemus.

757. Misit Constantinus Imperator Regi Pippino cum aliis donis organum, qui in Franciam usque pervênit Et Rex Pippinus tenuit Placitum suum in Compendio cum Francis. Ibique Tassilo vênit Dux Bajoariorum, in vassatico se commendans per manus: Sacramenta juravit multa, & innumerabilia, reliquiis Sanctorum Martyrum manus imponens: & fidelitatem promisit Regi Pippino, & supradictis filiis ejus domno Carolo & Carlomanno, sicut vassus recta mente, & firma devotione per justitiam domino suo esse deberet. Sic confirmavit supradictus Tassilo supra corpus Sancti Dionysii, Rustici, & Eleutherii, necnon & Sancti Germani, seu Sancti Martini: ut omnibus diebus vitæ suæ sic conservaret, sicut Sacramentis promiserat. Sic & ejus homines majores natu, qui erant cum eo, firmaverunt, sicut dictum est, in locis superiùs nominatis, & in aliis multis. (Eodem anno celebravit Natalem Domini in Corbonaco, & Pascha, & immutavit se numerus annorum Domini in DCCLVIII.)

758. **Pippinus Rex in Saxoniam ibat**, & firmitates Saxonum per virtutem introivit, in loco qui dicitur *Sitnia*, & multæ strages factæ sunt in populo Saxonum. Et tunc polliciti sunt contra Pippinum, omnes voluntates ejus faciendum, & honores in Placito suo præsentandum, usque in equos trecentos per singulos annos. Et immutavit se numerus annorum Domini in DCCLIX.

759. Natus est Pippino Regi filius, cui supradictus Rex nomen suum imposuit, ut Pippinus vocaretur, sicut & pater ejus. Qui vixit annos duos, in tertio mortuus est. Eodem anno celebravit Natalem Domini in *Longlare*, & Pascha in Jopila. Et immutavit se numerus annorum Domini in DCCLX.

760. Tunc Pippinus Rex cernens Waifarium Ducem Aquitaniorum minimè consentire justitias Ecclesiarum partibus, quæ erant in Francia, consilium fecit cum Francis, ut iter ageret supradictas justitias quærendo in Aquitania. Et pervênit usque in locum, qui dicitur *Tedoad*. Et cùm vidisset Waifarius, misit Missos suos, Aurbertum, & Dadinum, & Adalgarium: & dedit obsides iterum Regi Pippino, ut omnia redderet quicquid supradictus Rex quærebat in causis Ecclesiasticis. Et celebravit Natalem Domini in Carisiaco, & Pascha anno Domini DCCLXI.

761. Waifarius Dux Aquitaniorum minimè cogitans de obsidibus, vel de Sacramentis suis, quasi in vindictam super Pippinum Regem exercitum misit, qui ad Cavallonum civitatem venerunt. Dum & supradictus Rex Synodum suam teneret in villa, quæ dicitur Dura, nunciatum est ei, quòd Waifarius in omnibus mentitus est. Tunc Rex iterum illuc cum exercitu pergens, & ejus filius primogenitus nomine Carolus cum eo, multa castella cepit, quorum nomina sunt Burbonnis, Cantela, Clarmontis. Ista per pugnam cepit. Et in Alverno alia multa castella cepit per placitum, quæ se subdiderunt in ejus dominio. Et pervênit usque Lemovicas, vastando & desertando supradictam Provinciam propter negligentias Waifarii Ducis. Et celebravit Natalem Domini, & Pascha in Carisiaco villa, anno Domini DCCLXII.

762. Tertio in Aquitaniam Pippinus Rex iter faciens, cepit civitatem Bituricam, & castrum quod dicitur *Toarcis*. Et celebravit Natalem Domini in Gentiliaco villa, & Pascha similiter. Et immutavit se numerus annorum Domini in DCCLXIII.

763. Pippinus Rex habuit Placitum suum in Nivernis. Et quartum iter faciens in Aquitaniam, ibi Tassilo Dux Bajoariorum postposuit Sacramenta, & omnia quæ promiserat: & per malum ingenium se inde seduxit. Omnia benefacta, quæ Pippinus Rex avunculus ejus ei fecit, postposuit: per ingenia fraudulenta se subtrahendo, Bajoariam petiit, & nusquam ampliùs faciem supradicti Regis videre voluit. Rex Pippinus iter peragendo per Aquitaniam, usque ad Cadurciam pervênit, Aquitaniam vastando. Et revertendo per Lemovicas in Franciam reversus est. Et facta est hyems valida. Et tenuit Rex Pippinus Natalem Domini in villa, quæ dicitur *Longlar*, & Pascha similiter. Et in numeris mutatus est annus Domini in DCCLXIV.

764. Tunc Rex Pippinus habuit Placitum suum ad Wormatiam, & nullum iter aliud fecit, nisi in Franciam resedit, causamque pertrectabat inter Waifarium & Tassilonem. Et cele-

celebravit Natalem Domini, & Pascha in Parisiaco villa anno Domini DCCLXV.

765. Post hæc Rex Pippinus Placitum suum habuit ad Attiniacum, & nullum fecit aliud iter. Et celebravit Natalem Domini in Aquis, & Pascha similiter. Et immutavit se numerus annorum Domini in DCCLXVI.

766. Tunc Pippinus Rex perrexit, iter faciens in Aquitaniam; & Placitum suum habuit in Aurelianis civitate, & restauravit Argentomum castrum, quod antea Waifarius destruxit. Supradictus Rex castrum nominatum reædificavit, ibique Francos misit ad Aquitaniam continendam. Similiter & in Bituricas Francorum scaram collocavit. Et celebravit Natalem Domini in Salmonciacum, & Pascha in Gentiliaco anno Domini DCCLXVII.

767. Tunc habuit domnus Rex Pippinus in supradicta villa Synodum magnum inter Romanos & Græcos de Sancta Trinitate, vel de Sanctorum imaginibus. Et postea perrexit, iter agens in partibus Aquitaniæ per Narbonam. Tolosam cepit, Albiensem similiter, necnon & Gavuldanum. Et sanus reversus est in patriam. Et celebravit Pascha in Vienna civitate. Et in eodem anno mense Augusto iterum perrexit partibus Aquitaniæ Bituricam usque venit. Ibi Synodum fecit cum omnibus Francis solito more in campo. Et indè tunc pergens, usque ad Garondam pervênit. Multas roccas & speluncas conquisivit: castrum Scoraliam, Torinnam, Petrociam. Et reversus est Bituricam. Ibique nunciatum est de obitu Pauli Papæ. Et ibi celebravit Natalem Dñi anno DCCLXVIII.

768. Domnus Pippinus Rex iter faciens, Remistagnum cepit, ad Sanctones civitatem usque pervênit: & ibi capta matre Waifarii, & sorore ejus, & nepti ejus, usque ad Garondam indè perrexit in loco qui dicitur *Montis*. Ibi Herouvicus veniens cum illa alia sorore Waifarii Ducis. Et indè sanus reversus, Pascha celebravit in castro quod dicitur *Sels*. Iterum iter assumens cum domna Bertradane Regina, ad Sanctones civitatem pervênit. Ibique domnam Bertradam Reginam cum familia dimisit, & partibus Petragorico perrexit: & interempto Waifario, cum triumpho victoriæ ad Sanctones reversus est. Ibique moram faciens aliquot dies, ægrotare cœpit. In partibus Turonorum revertendo perrexit, orationem ad Sanctum Martinum fecit, ad Sanctum Dionysium usque pervênit, ibique diem obiens finivit VIII. Kalendas Octobris.

CAROLUS MAGNUS.

Domnus verò Carolus & Carolomannus elevati sunt in Regnum. Et domnus Carolus VIII. Idus Octobris in Novioma civitate, Carolomannus in Suessionis civitate similiter. Et celebravit prædictus gloriosus domnus Carolus Rex Natalem Domini in villa quæ dicitur Aquis, & Pascha in Rodoma civitate. Et immutavit se numerus annorum in DCCLXIX.

769. Domnus Carolus gloriosus Rex iter peragens partibus Aquitaniæ, eo quòd Hunoldus voluit rebellare totam Wasconiam, etiam & Aquitaniam. Et cum paucis Francis, auxiliante Domino, dissipavit iniqua consilia supradicti Hunoldi. Et in ipso itinere jungens se supradictus magnus Rex cum germano suo Carolomanno, in loco qui dicitur *Duasdives*. Indè verò Carolomannus se revertendo Franciam iter arripuit. Domnusque Carolus benignissimus Rex ivit ad Equolesmam civitatem, & indè sumpsit plures Francos, cum omni utensilio, & præparamenta eorum. Et ibat super fluvium Dordoniam, & ædificavit ibi castrum, quod dicitur Fronciacus. Et indè Missos suos mittens post Hunoldum, & uxorem ejus, ad Luponem Wasconem: dum & ibi moram fecisset unà cum Francis, adductus est supradictus Hunoldus unà cum uxore sua. Et castro præparato, & Hunoldo recepto, reversus est in Franciam. Et celebravit Natalem Domini in villa, quæ dicitur Duria, & Pascha in Leodico vico publico anno Domini DCCLXX.

770. Tunc domnus Carolus Rex habuit Synodum in Warmatiam civitatem. Et Carolomannus & Berta Regina jungentes se ad Salona. Et in eodem anno perrexit domna Berta Regina per Bajoariam partibus Italiæ. Et Domnus Carolus Rex celebravit Natalem Domini in Moguntiam, & Pascha in Harestallio. Et immutavit se numerus annorum Domini in DCCLXXI.

771. Item domnus Carolus Rex Synodum habuit ad Valentianas. Et eodem anno Carolomannus Rex defunctus est in villa, quæ dicitur Salmonciacus, II. Nonas Decembris. Carolus verò Rex venit ad Corbanacum villam. Ibique venientes Willarius Archiepiscopus, & Fulradus Capellanus, cum aliis Episcopis, & Sacerdotibus, Warinus, & Adalardus Comites, cum aliis Primatibus, qui fuerunt Carolomanni. Uxor verò Carolomanni cum aliquibus paucis Francis partibus Italiæ perrexerunt. Gloriosus verò Rex Carolus celebravit Natalem Domini in villa, quæ dicitur Attiniacus, & Pascha in Haristallio villa anno Domini DCCLXXII.

772. Tunc Carolus Rex mitissimus Synodum tenuit ad Wormatiam, & indè perrexit partibus Saxoniæ. Prima vice castrum Heresburgum cepit, ad *Ermensul* usque pervênit, & ipsum fanum destruxit, & aurum vel argentum, quod ibi reperit, abstulit. Et fuit siccitas magna, ita ut aqua deficeret in supradicto loco, ubi Ermensul stabat. Et dum voluisset Rex ibi duos aut tres stare dies, fanum ipsum ad perdestruendum, & aquam non haberent: tunc subito divina largiente gratia, media die cuncto exercitu quiescente, in quodam torrente omnibus hominibus ignorantibus aquæ sunt effusæ largissimæ, ita ut cunctus exercitus sufficienter haberet. Tunc super Wiseram fluvium venit Carolus Rex, & ibi cum Saxonibus placitum habuit: & recepit obsides, & reversus est in Franciam. Et celebravit Natalem Domini, & Pascha in Haristallio, & in numeris mutatus est annus Domini DCCLXXIII.

773. Tunc Domnus Carolus Rex perrexit ad hyemandum in villa, quæ dicitur Theodone villa. Ibique veniens Missus domni Adriani Apostolici nomine Petrus per mare usque ad Massiliam, & indè terreno gressu usque domnum Carolum Regem pervênit: invitans scilicet gloriosum Regem unà cum Francis pro Dei servitio, & justitia S. Petri, seu Solatio Ecclesiæ, super Desiderium Regem, & Longobardos. Et ideò maritimè venit, quia viæ clausæ fuerunt Romanis à Langobardis. At domnus Rex Carolus consiliavit unà cum Francis, quid perageret. Et sumpto consilio ut ita fieret, sicut Missus Apostolici per verbum domni Adriani Papæ postulavit. Tunc Synodum Rex Carolus tenuit generaliter cum Francis apud Jenuam civitatem, ibique exercitum dividens perrexit ipse per Montem-Cenisium, & misit Bernardum avunculum suum per Montem-Jovem, cum aliis ejus fidelibus. Et tunc ambo exerci-

tis ad Sclusas se conjungentes, Desiderius ipse obviam domno Carolo venit. Tunc Carolus Rex unà cum Francis castrametatus est ad easdem Sclusas, mittens scaram suam per montanis. Hoc sentiens Desiderius Rex, Sclusas reliquit. Supradictus verò Carolus unà cum Francis auxiliante Deo, & intercedente Beato Petro Apostolo, sine læsione, vel aliqua turbatione Sclusas apertas, Italiam introivit ipse, & omnes fideles sui, & Papiam civitatem usque pervênit. Et dum propter defensionem sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ eodem anno invitante Summo Pontifice perrexisset; dimissâ Marcâ contra Saxones, nullam omninò fœderationem suscepit. Ipsi verò Saxones exierunt cum magno exercitu super confinia Francorum, & pervenerunt usque ad castrum: quod nominatur *Buriaburg*. Attamen ipsi confiniales de hac causa solliciti, cùm hoc cernerent, castellum sunt ingressi. Dum igitur ipsa Saxonum gens cœpisset sæviens domos forinsecus incendio cremare, venerunt ad quandam Basilicam in loco, qui dicitur *Fredislar*, quem sanctæ memoriæ Bonifacius novissimus Martyr consecravit, atque per spiritum prophetiæ prædixit, quòd numquam incendio cremaretur. Cœperunt autem iidem præfati Saxones cum nimia intentione adversùs eandem certare Basilicam, quemadmodum eam per quodlibet ingenium igne cremare potuissent. Dum hæc agerentur, apparuerunt quibusdam Christianis, qui erant in castello, similiter & quibusdam paganis, qui in ipso aderant exercitu, duo juvenes in albis, qui ipsam Basilicam ab igne protegebant. Et propterea ibidem non potuerunt neque interiùs neque exteriùs ignem accendere, nec aliquod damnum inferre eidem Basilicæ. Sed nutu divinæ majestatis pavore perterriti in fugam conversi sunt nemine persequente. Inventus est autem unus postea ex iisdem Saxonibus mortuus juxta ipsam Basilicam, genibus curvis adclinus super pedes, habens ignem & ligna in manibus, velut ore flando eandem Basilicam igni tradere voluisset. Desiderio igitur incluso, ipsam civitatem Rex obsedit, ibique in ipsa castra domnus Carolus Rex Natalem Domini celebravit, & Pascha in Roma. Et immutavit se numerus annorum Domini in DCCLXXIV.

774. Revertens ergo Carolus Rex à Roma, iterum ad Papiam pervênit, & ipsam civitatem cepit cum Desiderio Rege, & uxore, & filia, vel cum omni thesauro ejus Palatii. Ibique venientes omnes Langobardi de cunctis civitatibus Italiæ, subdiderunt se in dominio domni gloriosi Regis Caroli & Francorum. Adalgisus verò filius Regis Desiderii fugâ lapsus mare introivit, & Constantinopolim perrexit. Tunc Rex Carolus ipsâ Italiâ sibi subjugatâ, & ordinatâ custodiâ Francorum in Papia civitate, dimittens cum uxore & reliquis Francis, Deo adjuvante, cum magno triumpho Franciam reversus est. Et dum pervenisset in loco, qui dicitur Ingelhaim, mittens quatuor scaras in Saxoniam. At illi tres pugnas cum Saxonibus inierunt, & auxiliante Deo victores extiterunt. Quarta verò scara non habuit pugnam, sed cum præda magna inlæsi iterum reversi sunt ad propria. Et celebravit gloriosus Rex Natalem Domini, & Pascha in Carisiaco villa, anno DCCLXXV.

775. Tunc pius atque præclarus Carolus Rex Synodum habuit in villa, quæ dicitur Duria. Et indè iter peragens partibus Saxoniæ Sigiburgum castrum cepit, Heresburgum reædificavit. Super Wiseram fluvium venit, in loco qui dicitur *Brunisberg*. Et ibi præparabant Saxones bellum, volentes ripam supradicti amnis defendere. Auxiliante Domino, & Francis decertantibus, fugientibus Saxonibus, Franci ambas ripas obtinuerunt, & multi Saxones ibi occisi sunt. At Carolus Rex dividens exercitum suum, sumpsit secum quos voluit, & perrexit usque Obacrum fluvium. Ibi omnes Austreleudi Saxones venientes cum Mansione, (1) dederunt obsides juxta quod placuit Regi, & juraverunt se fideles esse supradicto Regi. Indè revertens Rex venerunt Angrarii in pago, qui dicitur *Bucki*, unà cum Brunone, vel reliquis Optimatibus eorum, & dederunt ibi obsides sicut Austrasii. Et indè revertente præfato Rege, invenit aliam partem de suo exercitu super fluvium Wisera, continentes ripam, quam jussi fuerant. Saxones enim cum ipsis pugnam fecerunt in loco, qui dicitur *Lidbah*, & Franci Deo volente victoriam habuerunt, & plures ex ipsis Saxonibus occiderunt. Hoc audiente Domno Carolo Rege, iterum super Saxones cum exercitu irruens, non minorem stragem ex eis fecit, & prædam ultra conquisivit super Westfalaos, & obsides dederunt, sicut & illi alii Saxones. Ergo obsidibus receptis, & præda multa assumpta, & strage Saxonum peracta, Domnus Carolus Rex ad propria reversus est auxiliante Domino in Franciam. Dehinc audiens, quòd Rotgaudus Langobardus fraudaret fidem suam, & omnia sacramenta rumpens voluit Italiam rebellare. Tunc illis in partibus cum aliquibus Francis Carolus Rex iter peragens, celebravit Natalem Domini in villa, quæ dicitur *Scaldistat*, anno Domini Nostri Jesu Christi DCCLXXVI.

776. Rex itaque Carolus Italiam ingressus est, partibus Forojulensium pergens. Rotgaudus occisus est, Carolusque ad Taruvisium civitatem Pascha celebravit, & captas civitates Forojulensem, & Taruvisium, cum reliquis civitatibus, quæ rebellatæ fuerant: & disposuit eas per omnes Francos, & iterum cum prosperitate, & victoria reversus est in Franciam. Tunc nuncius veniens, dixit Saxones rebellatos, & omnes obsides suos tultos, & sacramenta rupta, & Heresburgum castrum, per mala ingenia, & iniquo placito suadentibus exinde exire Francos. Sic Heresburgo à Francis derelicto, muros, & opera Saxones destruxerunt, & indè pergentes voluerunt de Sigisburgo castello similiter facere. Dum enim per placita eos, qui infra ipsum castrum custodes erant, inludere non potuissent, sicut alios jam seduxerant, cœperunt pugnas, & machinas præparare, qualiter per virtutem illam potuissent capere. Sed Deo volente petrariæ, quas paraverunt, plus illis damnum fecerunt, quàm illis, qui infra castrum residebant. Cùm enim vidissent quòd eis non proficeret, præparaverunt etiam clidas ad debellandum per virtutem ipsum castellum. Sed Dei virtus, sicut justum est, superavit illorum virtutem, Quodam ergo die cùm bellum præparassent adversùm Christianos, qui in ipso castro residebant, apparuit manifestè gloria Dei supra Domum Ecclesiæ, quæ erat infra ipsum castrum: videntibus multis tam à foris, quàm etiam & deintus, ex quibus multi manent, usque adhuc. Et dicunt vidisse se instar duorum scutorum colore rubeo flammantes, & agitantes

(1) Al. *Hessione*.

tantes supra Ecclesiam. Et cùm hoc vidissent signum pagani, qui à foris erant, statim confusi sunt, & magno timore perterriti cœperunt fugere ad castra. Et omnis multitudo eorum in pavore concussi, fugam arripientes, alii ab aliis se invicem interficiebant. Qui enim retro propter pavorem aliquem respiciebant, infigebant lanceas eorum, quos in humeris portabant, in corpora antecedentium. Et alii diversis ictibus inter se sunt perpessi, & divina ultione judicati. Quantum enim tunc super eos Dei virtus propter salutem Christianorum operata est, nullus narrare valet. Attamen quantùm illi plus pavore perterriti fuerunt, tantò magis Christiani confortati Omnipotentem Deum laudaverunt, qui dignatus est suam manifestare potentiam super servos suos. Auxiliante Domino, Francis viriliter repugnantibus, nihil prævaluerunt. Et indè fugam arripientes Saxones, persecuti sunt eos Franci, interficientes illos, usque ad flumen Lippiam: & castro salvato, cum victoria reversi sunt. Et cùm pervenisset domnus Carolus Rex Wormatiam, omnes istas causas audiens, conjunxit Synodum ad eandem civitatem. Et ibi Placitum publicum tenens, consilio facto cum Dei adjutorio sub celeritate, & nimia festinatione Saxonum casas, seu firmitates subitò introivit. Tunc Saxones omnes perterriti ad locum, ubi Lippia consurgit, venientes ex omni parte, reddiderunt patriam per wadimoniam omnem in manibus eorum, & dixerunt se esse Christianos, & se sub ditione domni Caroli Regis, & Francorum subdiderunt. Et tunc Rex unà cum Francis reædificavit denuò Heresburgum castrum, aliudque castrum super Lippiam. Et ibi venientes Saxones unà cum uxoribus, & infantibus, innumerabilis multitudo baptizati sunt, & obsides, quantos jam supradictus Rex ab eis quæsivit, dederunt. Perfectis ergo supradictis castellis, & dispositis per Francos scaras residentes, & ipsas custodientes, reversus est Carolus Rex in Franciam. Et celebravit Natalem Domini in Heristallio, & Pascha in villa, quæ dicitur Niumaga. Et immutavit se numerus annorum Domini in DCCLXXVII.

777. Tunc domnus Carolus Rex Synodum publicam habuit ad *Padarbrunna* prima vice, ibique convenientes omnes Franci, & ex omni parte Saxoniæ undique Saxones convenerunt: excepto quòd Windochinus rebellis extitit cum paucis aliis, & in partibus Normanniæ confugium fecit unà cum sociis suis. Etiam ad eundum Placitum venerunt Sarraceni de partibus Hispaniæ. Hi sunt, Ibinalarabi, & filius Dejuzefi, qui & Latinè Joseph nominatur, similiter & gener ejus. Ibique multitudo Saxonum baptizati sunt, & secundùm morem illorum omnem ingenuitatem & alodum manibus dulgtum fecerunt, si ampliùs mutassent, secundùm malam consuetudinem eorum, nisi conservassent in omnibus Christianitatem, vel fidelitatem supradicti Caroli Regis, & filiorum ejus, vel Francorum. Et celebravit Natalem Domini in villa, quæ dicitur Dociacum, & Pascha in Aquitania in villa Cassinoillo, anno Domini nostri Jesu Christi DCCLXXVIII.

778. Ergo domnus Carolus Rex iter peragens partibus Hispaniæ per duas vias: unam per Pampilonam, per quam ipse Rex perrexit usque Cæsaraugustam. Ibique venientes de partibus Burgundiæ, & Austrasiæ, vel Bajoariæ, seu Provinciæ, & Septimaniæ, & pars Langobardorum, conjungentes se ad supradictam civitatem, ex utraque parte exercitus ibi obsides re-

A **ceptos de Ibinalarabi, & de Abutauro, & de multis Sarracenis, Pampilonâ destructâ**, Hispanos, & Wascones subjugatos, etiam & Nabarros, reversus est in Francia. Quod cùm audissent Saxones, quòd domnus Rex & Franci tam longè fuissent in partibus Hispaniæ, persuasionem supradicti Widechinni, vel sociorum ejus, secundùm malam consuetudinem iterum rebellati sunt. Et nunciatum est hoc Carolo Regi in Autisiodorum civitatem. Tunc Rex mittens scaram Franciscam, ut sub velocitate festinaret ad resistendos supradictos Saxones. Sed illi rebelles ad Rhenum usque Duitium pervenerunt. Tunc prædantes secus Rhenum, & multas malitias facientes, Ecclesias Dei incendentes, cum
B Sanctemonialibus, & quod fastidium generat numerandi. Tum subitò audientes de reversione Caroli Regis, & de scara ejus, quam illis obviam misit, Saxones dimisso Rheno reversi sunt per Lingonem in partibus Saxoniæ. At scaræ Francorum perrexerunt obviam eis, & cautè observantes eorum vestigium, consecuti sunt eos super fluvium, cujus vocabulum est Adarnach, in loco qui dicitur *Libesi*. Ibi pugnâ incœptâ, & benè finitâ, auxiliante Domino Franci victores extiterunt, & multitudo Saxonum ibi occisi sunt, fugientesque cum magna contumelia reversi sunt Saxoniam. Et celebravit clementissimus Rex Natalem in villa Haristallio dicta, & Pascha similiter. Et immutatus
C est numerus annorum Domini in DCCLXXIX.

779. Tunc domnus Rex Carolus iter peragens partibus Niustriæ, pervênit usque in villa, quæ dicitur Compendio. Et tunc iterum revertendo partibus Austriæ, obtulit se Hilderbrandus Dux Spolitanus cum multis muneribus in præsentiam supradicti Regis, in villa, quæ vocatur Wirciniacum, fuitque Synodus in villa nuncupante Duria. Peracto itinere partibus Saxoniæ, ad Lippeam transitur Rhenus fluvius. Sed Saxones voluerunt resistere ei in loco, qui dicitur *Bocholz*. Auxiliante Domino, non prævaluerunt, sed abindè fugientes reliquerunt omnes firmitates eorum, & Francis aperta est via. Et introëuntes in Wastfalaos, conquisierunt eos
D omnes. Reliqui, qui ultra Wisoram fuerunt, cùm se junxisset domnus Carolus Rex ad locum, qui dicitur *Medofulli*, ibi dederunt obsides: & deindè Sacramenta firmantes, reversus est gloriosus Rex in Franciam. Et celebravit Natalem Domini, & Pascha in Warmaciam civitatem anno Domini DCCLXXX.

780. Gloriosus item Carolus Rex iter peragens ad disponendam Saxoniam, ad Heresburgum castrum pervênit, & indè ad locum ubi Lippia consurgit. Ibique Synodum tenuit. Indèque perrexit partibus Albiæ fluvii, & in ipso itinere omnes Bardongavenses, & multi de Nortleudis baptizati sunt in loco, qui dicitur *Orhaim* ultra Obacrum fluvium. Et pervênit
E usque ad fluvium supradictum, ubi ora confluit in Albia. Ibique cuncta disponens tam Saxoniam quàm & Sclavos, reversus est præclarus Rex in Franciam. Tunc sumpto consilio, ut iter perageret orationis causâ in partibus Romę, unà cum uxore sua domna Hildegarde Regina, celebravit Natalem Domini in Papia civitate. Et immutavit se numerus annorum Domini in DCCLXXXI.

781. Supradictum verò iter peragens, celebravit Pascha in Roma. Et ibi baptizatus est domnus Pippinus filius supradicti Caroli Regis ab Adriano Papa, qui & ipse eum de sacro fonte suscepit. Et duo filii Caroli Regis uncti sunt

sunt in Reges à supradicto Pontifice. Hi sunt, domnus Pippinus, & domnus Hludovicus, Reges. Pippinus in Italiam Rex, & Hludovicus Rex subrogatur in Aquitania. Et indè revertente domno Carolo Rege, Mediolanis civitate pervênit. Ibique baptizata est filia ejus domna Gisola ab Archiepiscopo nomine Thoma, qui & ipse eam à sacro baptismo manibus suscepit. Et abindè est reversus in Franciam. Tunc missi sunt duo Missi Apostolici supradicti, hi sunt Formonsus, & Damasus Episcopi, ad Tassilonem Ducem, unà cum Missis Regis Caroli, hi sunt Riculfus Diaconus, & Eberhardus Magister Pincernarum: ad commonendum, & contestandum, ut reminisceret priscorum Sacramentorum suorum; & ut non aliter faceret, nisi sicut jurejurando jamdudum promiserat ad partem domni Pippini Regis, & domni Caroli Regis Francorum. Consensit itaque Tassilo Dux Bajoariorum ea ratione, ut sumptos obsides à domno Carolo, tunc ad ejus veniret præsentiam. Quod & Rex domnus Carolus non renuit. Tunc supradictus Dux venit in præsentiam piissimi Regis in Wormaciam civitatem, ibique renovans Sacramenta, XII. obsides electos dedit ut omnia observaret, quidquid Pippino Regi jurejurando promiserat in causa supradicti domni Caroli Regis, vel fidelium suorum. Qui & ipsi obsides recepti sunt in Carisiaco villa sub manus Imberti Episcopi. Sed non diu præfatus Dux Tassilo promissiones quas fecerat conservavit. Celebravit ergo Rex Natalem Domini, & Pascha in supradicta villa Carisiaco, anno Domini DCCLXXXII.

782. Tunc domnus Carolus Rex iter peragens, Rhenum pertransiens ad Coloniam Synodum tenuit, ubi Lippia consurgit. Ibique omnes Saxones venientes: excepto Windechindo rebelle. Convenerunt etiam illuc Nortmanni missi Sigefridi Regis, idest Almptam cum sociis suis. Similiter & Avari illuc convenerunt missi à Cagano, & Jugurto. Ibique peracto Placito, reversus est domnus Carolus Rex in Franciam. Et cùm reversus esset Rex, statim iterum Saxones solito more rebellati sunt. Suadente Widekindo, & ignorante hoc domno Carolo Rege, misit Missos suos Adhalgisum & Gailonem, atque Woradum, ut moverunt exercitum Francorum & Saxonum super Sclavos paucos, qui rebelles fuerant. Supra nominati autem Missi in via audientes quòd Saxones rebellati fuissent, conjungentes supradictam scaram, irruerunt super Saxones, & nullum mandatum fecerunt exinde domno Carolo Regi. Et commiserunt bellum cum Saxonibus, & fortiter pugnantes, & multos Saxones interimentes, victores extiterunt Franci: Et ceciderunt ibi duo ex ipsis Missis, Adhalgisus, & Gailo, in monte, qui dicitur *Suntdal*. Hoc audiens Carolus Rex, unà cum Francis, quos sub celeritate conjungere potuit, illuc perrexit, & pervênit usque ad locum ubi Alara confluit in Wisoram. Tunc omnes Saxones iterum convenientes, subdiderunt se sub potestate supradicti Regis, & reddiderunt omnes malefactores illos, qui idipsum rebellium maximè terminaverunt, ad occidendum IV. M. D. quod & ita factum est, excepto WideKindo, qui fugâ lapsus est partibus Nortmanniæ. Hæc omnia peracta, reversus est præfatus Rex in Franciam. Et celebravit Natalem Domini, & Pascha in villa, quæ dicitur Theodone villa. Et immutavit se numerus annorum Domini in DCCLXXXIII.

783. Eodem anno obiit domna ac bonis meritis Hildegardis Regina pridie Kal. Maji, quod in die evênit tunc in tempore vigiliæ Ascensionis Domini. Et Rex Carolus iter fecit partibus Saxoniæ, eò quòd Saxones iterum rebelles fuissent. Et cum paucis Francis ad Theodmalli pervênit. Ibi Saxones se præparaverunt ad pugnam in campo. Quo viriliter Rex & Franci solito more super eos irruentes, Saxones terga verterunt, & Domino adjuvante Franci victores extiterunt. Ceciditque ibi maxima multitudo Saxonum, ita ut pauci per fugam vix evasissent. Et indè cum victoria venit supradictus Rex ad Padarbrunnam. Ibique coadunans exercitum suum, perrexit ubi iterum Saxones se conjunxerant ad fluvium, cujus vocabulum est Hassa. Ibi iterum pugnâ initâ, non minor numerus Saxonum ibi cecidit, & auxiliante Domino Franci victores extiterunt. Indè iter peragens domnus Rex, Wiseram fluvium transiit, ad Albiam fluvium usque pervênit, & indè reversus est in Franciam. In eodem anno obiit bonæ memoriæ domna Berta Regina IV. Idus Julii. Et cùm Wormatiam venisset domnus Carolus Rex sociavit sibi in matrimonium domnam Fastradanem Reginam. Et celebravit Natalem Domini, & Pascha in villa, quæ dicitur Haristallio anno Domini DCCLXXXIV.

784. Et tunc iterum rebellati sunt Saxones solito more, & pars cum eis aliqua Fresonum. Igitur Carolus Rex iter peragens, Rhenum transiit ad Lippiam, & ingressus est Saxoniam circuiendo, & vastando, usquequo pervênit ad Hucului. Ibique consilio inito, eo quòd nimiùm inundationes aquarum fuissent, ut per Thoringiam de Orientale parte introiret super Westfalaos, filiumque suum domnum Carolum dimitteret cum una scara contra Westfalaos, quod & ita factum est. Domnus Rex Carolus perrexit per Thoringiam usque ad fluvium Albiam, & indè ad Stangford, & indè ad Scaningi. Ibique conventione facta, reversus est in Franciam. Westfalai verò voluerunt se congregare ad Lippiam. Quo audito Carolus filius domni Regis Caroli obviam eis accessit cum scara sua, quæ cum eo dimissa erat in pago, qui dicitur Dragini, & inierunt bellum. Et auxiliante Domino, Carolus minor victor extitit unà cum Francis. Interfectisque multis Saxonibus, volente Deo inlæsus remeavit ad genitorem suum in Wormaciam civitatem. Ibique inito consilio cum Francis, ut iterum hiemis tempore iter faceret in Saxoniam, quod & ita factum est. Et celebravit Natalem Domini juxta *Hidrioburg*, in pago Waisagawi, super fluvium Ambra, in villa Luichidi, anno Domini DCCLXXXV.

785. Post hæc Rex Carolus supradictum iter peragens, usque ad Rimie pervênit super fluvium Visera, ubi confluit Waharna. Et propter nimiam inundationem aquarum indè reversus est Heresburgum. Uxorem suam domnam Fastradanem Reginam, unà cum filiis & filiabus suis, ad se venire jussit. Ibi tota hieme residens, Pascha excellentissimus Rex ibidem celebravit. Et dum ibidem resideret, multoties scaras misit, & post per semetipsum iter peregit. Saxones, qui rebelles fuerunt, deprædavit, castra cepit, & loca eorum munita intervênit, viasque mundavit. Et dum tempus congruum venisset, Synodum publicam tenuit ad Padarbrunnam. Et indè iter pergens, vias apertas faciens, nemine contradicente per totam Saxoniam, quòcumque voluit. Et tunc in Bardin-

dingawi venit. Ibique mittens post Widochin-
dum, & Albionem , utrosque ad se conduxit ,
& firmavit ut non se substraherent , nisi in
Franciam ad eum pervenissent . Petentibus ve-
rò eis , ut obsides acciperent quòd inlæsi ad
eum pervenire potuissent. Sique & factum est.
Tunc Dominus Carolus Rex reversus in Fran-
ciam , misit ad supradictos Widochindum, &
Albionem obsides per Missum suum Amalluvi-
num . Quos cùm recepissent , illos secum de-
ducentes , conjunxerunt se ad Attiniacum vil-
lam ad domnum Regem Carolum . Et ibi bap-
tizati sunt supranominati Widochindus, & Al-
bio , cum sociis eorum . Et tunc tota Saxonia
subjugata est . Et in eadem villa celebravit
gloriosus Rex Natalem Domini , & Pascha si-
militer, anno Domini DCCLXXXVI.
786. Tunc domnus Carolus Rex misit exer-
citum suum partibus Britanniæ, unà cum Mis-
so suo Audulfo Sinescalco, & ibi multos Brit-
tones conquisierunt , unà cum castellis, & fir-
mitatibus Brittonum . Prævaluerunt Franci, &
cum victoria Domino volente reversi sunt . Et
Capitaneos eorum in Synodum præsentabant
supradicto Carolo in Wormatiam . Tunc præ-
clarus Rex prospiciens se ex omni parte, Deo
largiente, pacem habere, sumpsit consilium ,
orationis causâ ad limina Beatorum Apostolo-
rum iter peragendi , & causas Italicas dispo-
nendi, & cum Missis Imperatoris Placitum ha-
bendi de convenientiis eorum, quod & ita fa-
ctum est . Et celebravit gloriosus Rex Nata-
lem Domini in Florentia civitate. Et immutatus
est numerus annorum Dom. in DCCLXXXVII.
787. Igitur domnus Carolus Rex in supra-
dicto itinere iter peragens Romam venit, &
valde honorificè à domno Apostolico Adriano
receptus est : & aliquot dies ibi moratus est
cum domno Apostolico. Et Arigis Dux Bene-
ventanus misit Rumoldùm filium suum cum
magnis muneribus postulare de adventu jam
dicti domni Regis, ut in Benevento non introis-
set, & omnes voluntates præfati domni Regis
adimplere cupiebat . Sed hoc Apostolicus mi-
nimè credebat, neque Optimates Francorum .
Et consilium fecerunt cum supranominato dom-
no Carolo Rege, ut partibus Beneventanis cau-
sas firmando advenisset. Quod ita factum est .
Et dum Capuam venisset Rex, Aregisus Dux
reliquit Beneventum civitatem, & in Salernum
se reclusit. Et timore perterritus, non fuit au-
sus per semetipsum faciem domni Regis Caroli
videre . Sed mittens missos , & ambos filios
suos proferens, idest Rumoldum, quem dom-
nus Carolus secum habebat, & Grimaldum ,
quem prædictus Aregisus secum retinebat : &
offerens multa munera, & alios obsides, ut pe-
titionem ejus Rex annueret. Tunc domnus, ac
gloriosus Rex prospexit unà cum Sacerdotibus,
vel ceteris Optimatibus suis, ut non terra de-
leretur illa, & Episcopia, vel Monasteria non
desertarentur. Elegit namque XII. obsides, &
tertiumdecimum filium supradicti Ducis nomine
Grimaldum . Et acceptis muneribus juraverunt
omnes Beneventani, tam supradictus Dux, quàm
& Rumoldus. Et reversus est sępenominatissimus
Rex, & celebravit Pascha cum domno Aposto-
lico in Roma . Ibique venientes Missi Tassilo-
nis Ducis, hi sunt, Arnus Episcopus , & Hen-
ricus Abba , & petierunt domnum Apostoli-
cum, ut pacem terminaret inter domnum Ca-
rolum Regem , & Tassilonem Ducem. Unde,
& Domnus Apostolicus multùm se interponens,
postulando jam sæpe dicto Regi. Tunc domnus
A Rex Carolus , respondit Apostolico, hoc se
voluisse, & per multa tempora jam quæsisse,
sed minimè invenire potuisse . Præcepit ergo
Rex id statim fieri , voluitque in præsentia
domni Apostolici cum ipsis Missis pacem firma-
re. Sed renuentibus supradictis Missis, dicendo
quòd non ausi fuissent de eorum parte ullam
firmitatem facere . Apostolicus verò cum co-
gnovisset de instabilitate, vel mendacio eorum,
statim supra dictum Ducem eorum , vel suis
consentaneis anathema posuit : Si ipse sacra-
menta, quæ promiserat domno Pippino Regi,
itemque domno Carolo Regi, non adimpleret.
Obtestans supradictos Missos , ut contestarent
Tassilonem , non aliter facere , nisi in omnibus
B obediens fieret domno Regi Carolo , & filiis
ejus, ac genti Francorum : ne fortè sanguinis
effusio proveniret , vel læsio terræ illius . At
ipse Dux Tassilo si verbis domni Apostolici mi-
nimè obedire voluisset , tunc domnus Rex Ca-
rolus, & suus exercitus, absoluti essent ab omni
periculo peccati, & quicquid in ipsa terra fa-
ctum eveniret in incendiis , aut in homicidiis,
vel in qualicumque malitia, ut hoc super Tas-
silonem , & ejus consentaneos eveniret : dom-
nusque Carolus Rex , ac Franci , innoxii ab
omni illa culpa exindè permanerent . His ver-
bis expletis , Missi Tassilonis absoluti sunt.
Tunc in invicem sibi domnus Apostolicus , at-
que gloriosus Rex Carolus valedicentes , bene-
C dictione assumpta, oratione peracta, Franciam
jamdictus Rex reversus est . Pervênitque ad
conjugem suam domnam Fastradanem Reginam
in civitate Wormatia . Et ibi ad invicem gau-
dentes , & lætificantes , ac Dei misericordiam
collaudantes . Synodum namque congregavit
Rex Carolus ad eandem civitatem . Et Sacer-
dotibus suis, aliisque optimatibus suis nunciavit
omnia , qualiter in illo itinere cuncta perage-
bantur. Et cùm explanasset omnia de Tassilone
sicut actum erat , tunc prospiciens idem Rex
ut Missos ad eum mitteret, mandaretque Tas-
siloni, ut omnia adimplere festinaret secundùm
jussionem Apostolici, vel sicut justitia erat : eo
quòd sub jurejurando promissum habebat , ut
D in omnibus obediens, & fidelis fieret, & domno
Carolo Regi, & filiis ejus , vel Francis . Jus-
sitque per Missos ut ad ejus veniret præsen-
tiam, quod renuit, & venire contempsit. Tunc
domnus Rex Carolus, unà cum Francis videns
justitiam suam , iter cœpit peragere partibus
Bajoariæ cum exercitu suo . Ipseque venit in
loco , qui *Lechefele* vocatur, super civitatem
Augustam. Jussitque alium exercitum fieri, idest
Franci , Austrasii , Thoringi , Saxones , &
conjungere se super Danubium fluvium , in lo-
co, qui dicitur *Faringa* . Et tertium exercitum
jussit fieri partibus Italiæ , ubi Pippinus Rex
cum suo exercitu , usque ad Trianto partibus
Italiæ veniret, ipseque ibi remaneret, & exer-
E citum suum pleniter extenderet , usque ad
Bauzanum . Tunc prospiciens se Tassilo ex
omni parte esse circumdatum , & videns quòd
omnes Bajoarii plus essent fideles domno Regi
Carolo , quàm ei , & cognovisset oportere
magìs justitiam consentire , quàm contrarium
esse : undique constrictus Tassilo venit per se-
metipsum , tradens se in manus domni Regis
Caroli in Vassaticum, & reddens Ducatum sibi
commissum à domno Pippino Rege. Et recre-
didit se in omnibus peccasse, & malè egisse ,
denuò renovans sacramenta. Et dedit XII. obsi-
des , & decimumtertium filium suum Theodo-
nem. Receptis verò Rex obsidibus, vel sacra-
men-

mentis, reversus est in Franciam. Et celebravit Natalem Domini, & Pascha in Villa, quæ dicitur Ingelhaim, & immutavit se numerus annorum Domini in DCCLXXXVIII.

788. Dehinc piissimus Rex Carolus congregavit Synodum ad jamdictam villam Ingelhaim. Ibique veniens Tassilo per jussionem domni Regis, sicut & ceteri ejus vassalli. Et cœperunt fideliores Bajoariorum dicere, quòd Tassilo fidem suam salvam non haberet, sed fraudolens appareret, postquam filium suum dedit cum aliis obsidibus, & post Sacramenta fefellit, suadente uxore sua Liudbergane. Quod & Tassilo denegare non potuit, & confessus est se ad Avaros transmisisse vassos supradicti Regis, ut ad se cohortando venirent, & se super vita Regis consiliasse: & quòd homines suos juberet, quando jurare deberent, ut aliter in mente retinerent, & sub dolo jurarent. Et confessus est se etiam dixisse, quòd si sex filios haberet, se velle illos omnes magìs perdere, antequam placita sic manerent, vel stabile permitteret sicut juratum habuit: & quòd diceret se velle meliùs mori, quàm ita vivere. Et hæc omnia probantes Franci, & Bajoarii, Langobardi, & Saxones, vel omnes Provinciales, qui ad eandem Synodum congregati fuerunt. Reminiscentesque priorum malorum ejus, & quomodo domnum Pippinum Regem in exercitum dereliquisset, & ibi quod Teodiscâ linguâ *Harisliz* dicitur, visi sunt judicasse se eundem Tassilonem ad mortem. Sed dum omnes una voce acclamarent, capitalem eum ferre sententiam, jamdictus domnus Carolus piissimus Rex motus misericordiâ ob amorem Dei, & quia consanguineus ejus erat, contenuit ad ipsis Dei, ac suis fidelibus, ut non moriretur. Interrogatus prædictus Tassilo à clementissimo Rege, quid agere voluisset; postulavit ille, ut licentiam ei daret sibi tonsurandi, & in Monasterium introëundi, & pro tantis peccatis pœnitentiam agendi, & ut suam salvaret animam. Similiter & filius ejus Theodo dijudicatus est, & tonsuratus, & in Monasterio missus. Et pauci Bajoarii, qui in adversitate domni Regis perdurare volebant, missi sunt in exilio. Eodem quoque anno commissum est bellum inter Græcos, & Langobardos, idest Duce Spolitano nomine Hildebrando, seu Duce Grimaldo, quem domnus Rex Carolus posuerat Ducem super Beneventanos. Misitque Rex Winegisum unà cùm paucis Francis, ut provideret omnia, quæ illi in pugna gessissent. Et auxiliante Domino victoria est facta à Francis, seu à Langobardis. Alia item pugna commissa est inter Francos, & Avaros in loco qui dicitur . . . . . . Opitulante autem Domino victoriam obtinuerunt Franci, & Avari cum contumelia reversi sunt, fugâ lapsi. Tertia verò pugna commissa est inter Bajoarios, & Avaros in campo Ibosæ. Et misit ibi dominus Carolus Grahamannum, & Audacrum, cum aliquibus Francis. Et Domino auxiliante, victoria fuit Francorum, seu Bajoariorum. Et ista omnia supradictus Dux Tassilo, seu malivola uxor ejus Liutberga Deo odibilis per fraudem consiliaverunt, & peregerunt. Quarta pugna fuit commissa ab Avaris, qui voluerunt vindictam peragere contra Bajoarios. Et ibi similiter fuerunt Missi domni Regis Caroli, & Domino protegente victoria Christianorum aderat. Avari verò fugâ lapsi, multa strages ibidem facta est occidendo, aliique in Danubio fluvio vitam necando emiserunt. Post hæc omnia domnus Rex Carolus per semetipsum ad Regnesburg pervênit, & ibi fines, vel marcas Bajoariorum dispofuit quomodo salvas Domino protegente contra jamdictos Avaros potuisset servare. Indè verò reversus celebravit Natalem Domini, & Pascha in Aquis Palatio, anno Domini DCCLXXXIX.

(789. Hoc verò anno, ut computatum est depositio fuit domini Tilpini Episcopi III. Non. Septembris.) Inde iter permotum partibus Sclavaniæ, quorum vocabulum est *Wilze*, Domino adjuvante: unà cum consilio Francorum & Saxonum gloriosus Rex perrexit Rhenum. Ad Coloniam transiens per Saxoniam usque ad Albiam fluvium venit, ibique duos pontes construxit. Quorum uno ex utroque capite castellum ex ligno, & terra ædificavit. Exinde promotus in ante, Domino largiente, supradictos Sclavos sub suo dominio conlocavit. Et fuerunt cum eo in eodem exercitu Franci, & Saxones. Frisiones autem navigio per Abola fluvium cum quibusdam Francis ad eum conjunxerunt. Fuerunt etiam Sclavi cum eo, quorum vocabula sunt hæc, Suburbi, necnon & Abotriti, quorum Princeps fuit Wizzan. Ibique obsides receptos, & sacramenta quamplurima, Domino perducente Franciam venit. Et celebravit Natalem Domini, & Pascha in Wormatia civitate anno Domini DCCXC.

790. In sequenti verò anno nullum fecit iter. Sed ibi in jam dicta civitate iterum Natalem Domini, & Pascha celebravit. Et immutatus est numerus annorum Domini in DCCXCI.

791. Inde autem itinere permoto partibus Bajoariæ perrexit ad Regnesburg. Ibi exercitum suum conjunxit. Ibique consilio peracto cum Francis, Saxonibus, Fresionibus, disposuerunt propter nimiam malitiam, & intolerabilem, quam fecerant Avari contra Sanctam Ecclesiam, vel populum Christianum, unde justitias per Missos impetrare non valuerunt, iter peragendi, cum Dei adjutorio partibus jam dictis Avarorum perrexerunt. Ad Anisam verò fluvium properantes, constituerunt Letanias facere per triduum: Missarumque sollemnia celebrantes, Dei solatium postulaverunt pro salute exercitus, & adjutorio Domini, & pro victoria, & vindicta super Avaros. Supradictus verò Princeps de Australi parte per Danubium iter peragens, Saxones autem cum quibusdam Francis, & pluribus Fresionum, de Aquilonari parte Danubii similiter iter peragentes, ubi ad locum pervenerunt, quo Avari firmitates suas habuerunt præparatas, de Australi verò parte Danubii ad *Comeoberg*. De alia verò parte super ripam in loco, qui dicitur Campus, quia sic nominatur fluvius ille, qui ibi confluit in Danubio. Avari verò cùm vidissent utrumque exercitum ripas continentes, & navigia per medium fluvium venientes, à Domino terrore concutiuntur, derelinquentes loca munita, firmitatesque eorum, vel machinationes dimiserunt, fugâ lapsi, Domino ducente populo suo, utrumque exercitum sinè læsione introduxit supradictus Rex. Sicque iter peregerunt usque ad fluvium, cujus vocabulum est *Raba*. Et exinde utriusque exercitus de ambabus ripis ad propria reversi sunt magnificantes Dominum de tanta victoria. Et celebravit Rex Carolus Natalem Domini in Regnesburg, & Pascha similiter, anno Domini nostri Jesu Christi DCCXCII.

792. Hic pervênit hæresis Feliciana primitus audita, & in Regnesburg primò condemnata est. Quem Engelbertus in præsentia Adriani Apo-

Apostolici adduxit, & confessione facta, suam hæresim iterum abdicavit. Eodem anno nullum iter exercitale factum est. Pons super navigia flumina transeuntia factus est, anchoris, & funibus ita cohærens, ut jungi, & dissolvi posset. Ibi Natalem Domini, & Pascha celebravit Carolus Rex. Et immutavit se numerus ann. Domini in DCCXCIII.

793. Rex Autumnali tempore de Regnesburg iter navigio faciens, usque ad fossatum magnum inter Alcmana, & Radantia pervênit. Ibique Missi Apostolici cum magnis muneribus præsentati sunt. Ibi & Missus nunciavit ei, Saxones iterum fidem suam fefellisse. Tunc Rex inde per Radantia in *Mobin* navaliter pergens, Natalem Domini celebravit ad Sanctum Killianum in *Wirsinburg* anno Domini DCCXCIV.

794. Pascha verò celebravit in Franconofurt, & ibi congregata est Synodus magna Episcoporum Galliarum, Germanorum, Italorum in præsentia jam fati Principis, & Missorum Domini Adriani Apostolici, quorum nomina hæc sunt: Theophylactus, & Stephanus Episcopi. Ibi tertiò condemnata est hæresis Feliciana. Quam damnationem per auctoritatem Sanctorum Patrum in Libro conscripserunt, quem Librum omnes Sacerdotes manibus propriis subscripserunt. Ibi obiit domna Fastrada Regina, & in Sancto Albano honorificè sepulta est. Pseudosynodus Græcorum, quam falsò septimam vocitant, quam pro adorandis imaginibus fecerunt, rejecta est ab ipsis Sanctis Pontificibus. Inde motus est exercitus partibus Saxoniæ per duas turmas. In unam fuit ipse domnus Carolus Rex magnus, & cum alia misit filium suum domnum Carolum nobilissimum per Coloniam. Saxones autem congregantes se in campo, qui dicitur *Sinistfelt*, præparantes se quasi ad pugnam: Cùm verò audissent se ex duabus partibus esse circumdatos dissipavit Deus consilia eorum, & quamvis fraudulenter, tamen se Christianos, & fideles domno Regi fore promiserunt. Rex inde ad Palatium, quod Aquis vocatur, rediit, ibique Natalem Domini, & Pascha celebravit anno Domini DCCXCV.

795. Inde etiam Rex venit ad locum, qui dicitur *Cuffinstang*, in suburbium Maguntiacensis urbis, & ibi tenuit Placitum suum. Audiens autem, quòd Saxones more solito promissionem suam, quam de habenda Christianitate, & fide Regis tenenda, fecerant, irritam fecissent, cum exercitu in Saxoniam ingressus est, & usque ad fluvium Albiam pervênit, ad locum qui dicitur *Hiliuni*, in quo tunc Wizzin Abodritorum Rex à Saxonibus occisus est. Ibi etiam venerunt Missi Tudun, qui in Gente, & Regno Avarorum magnam potestatem habebant. Qui dixerunt, quòd idem Tudun cum terra, & populo suo se Regi dedere vellet, & ejus ordinatione Christianam fidem suscipere vellet. Rex verò afflictis magna ex parte Saxonibus, eorumque terrâ vastatâ, acceptis eorum obsidibus, in Gallias rediit, & in Palatio, qui vocatur Aquis Natalem Domini, & Pascha celebravit, anno Domini DCCXCVI.

796. Adrianus Papa obiit, & Leo mox in ejus locum successit: misitque Legatos cum muneribus ad Regem, claves etiam Confessionis Sancti Petri, & vexillum Romanæ urbis eidem direxit. Sed & Heiricus Dux Forjulensis missis hominibus suis cum Wonomiro Sclavo in Pannonias directo, Hringum Gentis Avarorum longis retro temporibus quietum civili bello fatigatis inter se Principibus spoliavit. Chagan, sive Jugurt intestina clade abdictis, & à suis occisis, thesaurum priscorum Regum multa seculorum prolixitate collectum domno Regi Carolo ad Aquis Palatium misit. Quo accepto, peractis Deo largitori omnium bonorum gratiarum actionibus, idem vir prudentissimus, & largissimus, atque Dei dispensator, magnam indè partem Romæ ad Limina Apostolorum misit per Ingilbertum dilectum Abbatem suum. Porrò reliquam partem Optimatibus, Clericis, sive Monachis, cæterisque fidelibus suis largitus est. In eodem anno Tudun secundùm pollicitationem suam cum magna parte Avarorum ad Regem venit, & se cum populo suo, & patria Regi dedit. Ipseque, & populus baptizatus est, & honorificè muneribus donati redierunt. Rex verò collectis exercitibus suis Saxoniam ingressus est, filium suum Pippinum Regem Italiæ in Pannonias cum exercitu misit. Cujus legationes ad Regem in eadem Saxonia venerunt. Una, quæ dixit occurrisse ei Cagan cum cæteris Optimatibus, quem sibi Avares post interfectionem priorum constituerunt. Altera, quæ dixit Pippinum cum exercitu in Hringo sedere. Domnus verò Carolus peragratâ Saxoniâ, cum integro exercitu in Gallias se recepit, & in Aquis Palatio filium suum Pippinum è Pannonia redeuntem, & partem thesauri, quæ remanserat producentem, lætus aspexit, atque ibidem Natalem Domini, ac Pascha celebravit anno Domini nostri DCCXCVII.

797. Barzinona civitas Hispaniæ, quæ jampridem à nobis desciverat, per Zatum Præfectum ipsius nobis est reddita. Nam ipse in Palatium veniens, semetipsum domno Regi cum civitate commendavit. Expeditione facta in Saxoniam, & usque ad Oceanum, trans omnes paludes, & invia loca transitum est, & Rex de *Haduloa* regressus (hoc enim loco nomen, ubi Oceanus Saxoniam adluit) tota Saxonum Gente in deditione per obsides accepta, trans Rhenum in Gallias reversus est. Et in Aquis Palatio Abdellam Sarracenum filium Ibimaure Regis, qui à fratre Regno expulsus in Mauritania exulabat, ipso semetipsum commendante suscepit. Illuc & Legatus Nicetæ, qui tunc Siciliam regebat, nomine Theoctistus, venit, Imperatoris Epistolam portans. Quem magnificè suscipiens, post paucos dies absolvit. Et Novembrio mense mediante ad hibernandum cum exercitu Saxoniam intravit, positisque castris apud Wiseram fluvium, locum castrorum *Haristelli* vocari jussit. Illuc Legati Gentis Avarorum cum muneribus magnis venerunt. Inde Abdellam Sarracenum cum filio suo Hludovico in Hispanias reverti fecit, & filium suum Pippinum ad Italiam misit. Ipse ad disponendam Saxoniam totum hiemis tempus impendens, Natalem Domini ibi, & Pascha celebravit anno Domini DCCXCVIII.

798. Venit etiam & Legatus Hadefonsi Regis Galleciæ, & Asturiæ nomine Froja, papilionem miræ pulchritudinis præsentans. In ipso tempore Paschæ Nortliudi trans Albim sedentes, seditione commota Legatos Regios, qui tunc ad justitias faciendas apud Regem conversabantur, comprehendunt, & quosdam ex eis statim trucidantes, cęteros ad redimendum reservant. Ex quibus aliqui effugerunt, cęteri verò redempti sunt. At Rex collecto exercitu, de Haristellio ad locum, qui Minda dicitur, perrexit, & facto consilio inde in desertores arma corripuit, & totam inter Albiam, & Wisoram Saxoniam populandam peragravit. Nortliudi autem

A autem contra Sigconem Ducem Abodritorum, & Eborisum Legatum nostrum commisso prœlio, acie victi sunt. Cæsa sunt ex eis in loco prœlii quatuor millia, cæterique fugerunt. Ex eis autem multi, qui evaserunt de conditione tractaverunt. Accepitque Rex obsides ex eis, quos perfidissimos primores Saxonum consignabant. Indè Carolus Rex in Franciam reversus est, & Aquisgranum Palatium pergens, Legationem Græcorum à Constantinopoli missam suscepit. Erant enim Legati Michaël Patricius quondam Phrigiæ, & Theophorus Presbyter, Epistolam Herenæ Imperatricis ferentes. Nam filius ejus Constantinus Imperator anno superiori à suis comprehensus, & excœcatus est.
B Hæc tamen Legatio tantùm de pace fuit. Quos cùm absolvisset, absolvit etiam cum eis & Sisinnium fratrem Tarasii Constantinopolitani Episcopi jamdudum in Italia prœlio captum. Hoc anno Sydus, quod dicitur Martis, à superioris anni Julio usque ad hujus anni Julium nusquam in toto cœlo videri potuit. Insulæ Baleares à Mauris, & Sarracenis deprædatæ sunt. Hadefonsus Rex Galliciæ, & Asturiæ prædatâ Olysiponâ ultima Hispaniæ civitate, insignia victoriæ suæ loricas, mulos, captivosque Mauros domno Regi Carolo per Legatos suos Frojam, & Basiliscum hiemis tempore misit. Celebravit quoque Rex Natalem Domini, & Pascha in hoc Palatio anno Domini DCCXCIX.

C 799. Romani quoque Leonem Papam in Litania majore captum excœcaverunt, linguamque ejusdem truncaverunt. Qui in custodia missus nocte per murum evasit, & ad Legatos domni Regis, qui tunc apud Basilicam S. Petri erant, Wirundum scilicet Abbatem, & Winegisum Ducem Spolitanum, veniens, Spoletum est deductus. Domnus Carolus Rex ad Saxoniam profectus, Rhenum ad Lippeam transivit, & in loco, qui vocatur *Paderbronno* positis castris consedit. Et indè diviso exercitu, Carolum filium suum cum medietate ad colloquium Sclavorum, & ad recipiendos, qui de Nortliudis venerant Saxones in *Bardegavi* direxit. Ipse altera medietate secum retenta, eodem in loco Pontificem Leonem summo cum honore suscepit.
D Ibique reditum Caroli filii sui expectans, Leonem Pontificem simili quo susceptus est honore dimisit. Qui statim Romam profectus est, & Rex Aquisgrani Palatium suum reversus est. In eadem expeditione Legatus Michaëlis Siciliæ Præfecti nomine Danihel ad domnum Regem venit, atque inde iterum cum magno honore dimissus est. Eodem anno Gens Avarorum à fide, quam promiserat, defecit, & Hericus Dux Forojuliensis post tot prosperè gestas res juxta Tarsaticam Liburniæ civitatem insidiis oppidanorum oppressus est, & Geroldus Comes Bajoariæ Præfectus commisso contra Avares prœlio cecidit.
E Insulæ Baleares, quæ à Mauris, & Sarracenis anno priore deprædatæ sunt, postulato, atque accepto à nostris auxilio, nobis se dediderunt, & cum Dei adjutorio à nostris à prædonum incursione defensi sunt. Signa quoque Maurorum in pugna sublata, & domno Regi præsentata sunt. Wido Comes, qui in Marca Britanniæ præsidebat, unà cum sociis Comitibus Britanniam ingressus, totamque perlustrans, in deditionem accepit: & Regi de Saxonia reverso arma Ducum, qui se dediderant, inscriptis singulorum nominibus præsentavit. Nam his se, & terram, & populum unusquisque illorum tradidit, & tota Britanniarum Provincia, quod numquam antea à Francis fuerat, à Francis subjugata est. Eodem anno Monachus quidam de Hierosolymis veniens, benedictionem, & reliquias de sepulcro Domini, quas Patriarcha Hierosolymitanus domno Regi miserat, detulit. Azan Præfectus civitatis, quæ dicitur Osca, claves urbis per Legatum suum cum muneribus Regi transmisit. Celebravitque Natalem Domini in eodem Palatio anno Domini DCCC.

800. Rex absolutum Hierosolymitanum Monachum reverti fecit, mittens cum eo Zachariam Presbyterum de Palatio suo, qui donaria ejus per illa sancta loca deferret. Ipse mense Martio medio Aquisgrani Palatio digrediens, litus Oceani Gallici perlustravit, & in ipso mari, quod pyratis infestum erat, classem instituit, præsidia disposuit, Pascha in Centulo apud Sanctum Ricarium celebravit. Indeque iterum per litus Oceani Rotomagum civitatem profectus est. Ibique Sequana amne transmisso Turonis ad Sanctum Martinum orationis causâ pervênit, moratus ibi dies aliquot propter adversam domnæ Luidgardæ conjugis valetudinem, quæ ibidem defuncta, atque humata est. Obiit autem die II. Non. Jun. Inde per Aurelianos, ac Parisios regressus, Aquasgrani reversus est. Et II. Non. Jul. insolito more aspera pruina erat, & VII. Idus Jul. similiter. Sed nihil incomoditatis fructibus attulit. Et mense Augusto inchoante Mogunciacum veniens, iter in Italiam conduxit, atque inde profectus, cum exercitu Ravennam venit. Ibique ordinata in Beneventanos expeditione, post septem dierum inducias Romam iter convertit, & exercitum cum Pippino filio in Beneventanorum terras prædatum ire jussit. Romam verò cùm venisset, occurrit ei pridie Leo Papa, & Romani cum eo apud Nomentum, duodecimo ab Urbe lapide, & summa eum humilitate, summoque honore suscepit. Prandensque cum illo in loco prædicto, statim eum ad Urbem præcessit, & in crastinum in gradibus Basilicæ Beati Petri Apostoli stans, missis obviam Romanæ urbis vexillis, ordinatis etiam, atque dispositis per congrua loca tam peregrinorum, quàm civium turmis, qui venienti laudes dicerent; ipse cum Clero, & Episcopis Regem equo descendentem, gradusque ascendentem suscepit. Dataque oratione, in Basilicam Beati Petri Apostoli introduxit, psallentibus cunctis. Facta sunt autem hæc sub die VIII. Kal. Decembris. Post septem verò dies Rex concione vocata, cur Romam venisset omnibus patefecit, & exinde quotidie ad quæ venerat facienda operam dedit. Inter quæ vel maximum, vel difficillimum erat, quod primum inchoatum est, de discutiendis quæ Pontifici objecta sunt criminibus. Qui tamen, postquam nullus probator criminum esse voluit, coram omni populo in Basilica Beati Petri Apostoli Evangelium portans ambonem conscendit. Invocatoque Sanctæ Trinitatis nomine, jurejurando se ab objectis criminibus purgavit. Eadem die Zacharias cum duobus Monachis, uno de monte Oliveti, altero de Sancto Saba, de Oriente reversus Romam venit, quos Patriarcha Hierosolymitanus cum Zacharia ad Regem misit. Qui benedictionis causâ claves sepulcri Dominici, ac loci Calvariæ, claves etiam & civitatis, & montis, cum vexillo detulerunt. Quos Rex benignè suscipiens, aliquot dies secum detinuit, & Aprili mense remuneratos absolvit. Celebravitque Natalem Domini Romæ. Et immutavit se nume-

numerus annorum Domini in DCCCI.

801. Ipsa die, Sacratissima Natalis Domini cùm Rex ad Missam ante confessionem beati Petri Apostoli ab oratione surgeret, Leo Papa coronam capiti ejus imposuit, & à cuncto Romanorum populo adclamatum est, Karolo Augusto à Deo coronato, magno, & pacifico Imperatori Romanorum vita, & victoria. Et post laudes ab Apostolico more antiquorum Principum adoratus est, atque ablato Patricii nomine Imperator, & Augustus appellatus est. Post paucos autem dies jussit eos, qui Pontificem anno superiore deposuerunt, exhiberi; & habita de eis quæstione secundùm legem Romanorum, ut majestatis rei capitis occisione damnati sunt. Pro quibus tamen Papa pio affectu apud Imperatorem intercessit. Nam & vita, & membrorum integritas eis concessa est. Cæterùm pro facinoris magnitudine exilio deputati sunt. Hujus factionis fuere principes Paschalis Nomenculator, & Campulus Sacellarius, & multi alii Romanæ urbis habitatores nobiles, qui simul omnes eâdem sententiâ damnati sunt. Ordinatis deinde Rex Romanæ urbis, & Apostolici, totiusque Italiæ, non tantùm publicis, sed etiam Ecclesiasticis, & privatis rebus, (nam tota hieme non aliud fecit Imperator) missaque iterum in Beneventanos expeditione cum Pippino filio suo, ipse post Pascha à Roma digressus Spoletium venit. Ibi dum esset II. Kal. Maji horâ noctis secundâ terræmotus maximus factus est, quo tota Italia graviter concussa est. Quo motu tectum Basilicæ Beati Pauli Apostoli magna ex parte cum suis trabibus decidit; & in quibusdam locis urbes, & montes ruerunt. Eodem anno loca quædam circa Rhenum fluvium in Gallia, & in Germania tremuerunt. Pestilentia propter mollitiam hiberni temporis facta est. Imperator de Spoletio Ravennam veniens, aliquot dies ibi moratus, Papiam perrexit. Ibique nunciatur ei Legatos Aaron Ammiralmunim Regis Persarum portum Pisas intrasse. Quibus obviam mittens inter Vercellis, & Eporejam, eos sibi fecit præsentari. Unus enim ex eis erat Persa de Oriente, Legatus Regis Persarum (nam duo fuerant. Alter Sarracenus de Africa, Legatus Amirati Abraham, qui in confinio Africæ in Fossato præsidebat. Qui Isaac Judæum, quem Imperator ante quadriennium ad Regem Persarum cum Lantfrido, & Sigimundo miserat, reversum cum magnis muneribus nunciaverunt. Nam Lantfridus, ac Sigimundus ambo defuncti erant. Tum ille misit Erkenbaldum Notarium in Liguriam ad classem parandum, qua elefans, & ea, quæ cum eo deferebantur, subveherentur. Ipse verò, celebrato die Natalis Sancti Joannis Baptistæ apud Eporejam, Alpes transgressus, in Galliam reversus est. Ipsa æstate capta est Barcinona civitas Hispaniæ jam biennio obsessa. Zatun Præfectus ejus, & alii complures Sarraceni sunt comprehensi. Et in Italia Theate civitas similiter capta, & incensa est; ejusque Præfectus Roselmus comprehensus est, & castella, quæ ad ipsam civitatem pertinebant, in deditionem accepta sunt. Zatun, & Roselmus in una die ad præsentiam Imperatoris deducti, & exilio damnati sunt. Ipsius anni mense Octobrio Isaac Judæus de Africa cum elefanto regressus portum Veneris intravit. Et quia propter nives Alpes transire non potuit, in Vercellis hiemavit. Imperator Aquisgrani Palatio Natalem Domini celebravit anno Domini DCCCII.

802. Herena Imperatrix de Constantinopoli

A misit Legatum nomine Leonem Spatarium, de pace confirmanda inter Francos, & Græcos. Et Imperator propter hoc ipsum vicissim absoluto illo, misit Jesse Episcopum Ambianensem, & Helingaudum Comitem, Constantinopolim, ut pacem cum ea statuerent. Celebratumque est Pascha Aquisgrani Palatio. Ipsius anni mense Julio XIII. Kal. Augusti venit Isaac cum elefanto, & cæteris muneribus, quæ à Rege Persarum missa sunt, & Aquisgrani omnia Imperatori detulit. Nomen elefanti erat Abulabaz. Ortona civitas in Italia in deditione est accepta. Luceria quoque frequenti obsidione fatigata Regis in deditionem venit, præsidiumque nostrorum in ea est positum. Imperator

B æstatis tempore in Arduenna venatibus operam dedit, & misso Saxonum exercitu trans-Albianos Saxones vastavit. Grimoaldus Beneventanorum Dux in Luceria Winigisum Comitem Spoletii, qui præsidio præerat, adversa valetudine fatigatum obsedit, & in deditionem accepit, captumque honorificè habuit, & celebravit Natalem Domini Aquisgrani anno Domini DCCCIII.

803. Hoc enim hieme circa ipsum Palatium, & finitimas regiones terræmotus factus, & mortalitas subsecuta est. Winigisus à Grimoaldo redditus, & Missi domni Imperatoris de Constantinopoli reversi sunt, & venerunt cum eis Legati Nicefori Imperatoris, qui tunc

C Rempublicam regebat (nam Herenam post adventum Legationis Franciæ deposuerunt) quorum nomina fuerunt, Michaël Episcopus, Petrus Abbas, & Calistus Candidatus. Qui venerunt ad Imperatorem in Germania super fluvium Sala, in loco qui dicitur *Saltz*, & pactum faciendæ pacis in scripto fecerunt. Exindè dimissi, cum Epistola Imperatoris Romam regressi, atque Constantinopolim reversi sunt. Imperator autem in Bajoariam profectus, dispositis Pannoniarum causis, Decembrio mense Aquasgrani reversus est. Ibique Natalem Domini celebravit. Et immutavit se numerus annorum Domini in DCCCIV.

804. Imperator Aquisgrani hiemavit. Æstate

D autem in Saxonia ducto exercitu, omnes, qui trans Albiam, & *Wimhuodi* habitabant Saxones, cum mulieribus, & infantibus transtulit in Franciam; & pagos trans-Albianos Abodritis dedit. Eodem tempore Godofridus Rex Danorum venit cum classe sua, nec non & omni equitatu Regni sui ad locum, qui dicitur *Liesthorp*, in confinio Regni sui, & Saxoniæ. Promisit enim se ad conloquium Imperatoris venturum. Sed consilio suorum territus, propiùs non accessit, sed quicquid voluit per Legatos mandavit. Nam Imperator super Albiam fluvium sedebat in loco, qui dicitur *Holdunsten*. Et missa ad Godofredum Legatione pro profugis reddendis, mense Septembrio Coloniam

E venit. Dimissoque exercitu, primò Aquisgrani, deinde Arduennam petit, & venationibus ludens Aquasgrani reversus est. Medio Novembrio adlatum est ei, quòd Leo Papa Natalem Domini cum eo celebrare vellet, ubicumque hoc contingere potuisset. Quem statim, misso ad Sanctum Mauritium Carlo filio suo, honorificè suscipere jussit. Ipse obviam ei Remorum civitate profectus est. Ibique susceptum primò Carisiacum villam, ubi Natalem Domini celebravit, deindè Aquasgrani perduxit, & donatum magnis muneribus per Bajoariam ire volentem, deduci fecit usque Ravennam. Causa adventus ejus hæc erat. Perlatum est ad Impera-

peratorem, æstate præterita Christi Sanguinem in Mantua civitate fuisse repertum. Propter hoc misit ad Papam, petens ut hujus veritatem inquireret. Qui accepta occasione exeundi, primò in Longobardiam quasi pro inquisitione prædicta profectus est. Indeque arrepto itinere, subitò ad Imperatorem usque pervênit. Mansitque apud illum dies VIII. & sic Romam repedavit anno Domini DCCCV.

805. Non multum post Capcanus Princeps Hunnorum propter necessitatem populi sui Imperatorem adiit, postulans sibi locum dari ad habitandum inter Sabariam, & Carnantum, quia propter infestationem Sclavorum in pristinis sedibus esse non poterat. Quem Imperator benignè suscepit. Erat enim Capcanus jam factus Christianus, vocabaturque Theodorus. Et Rex precibus ejus annuens, donatum muneribus redire permisit. Qui rediens ad populum suum, pauco tempore transacto diem obiit. Et misit Caganus unum de Optimatibus suis ad Regem, petens sibi honorem antiquum dare, quem Capcanus habere solebat apud Hunnos. Cujus precibus Imperator assensum præbuit, & summam totius Regni juxta priscum eorum ritum Caganum habere præcepit. Eodem anno misit exercitum suum cum filio suo Carolo in terram Sclavorum, qui vocantur *Behemi*. Qui omnem illorum patriam depopulatus, Ducem illorum nomine Lechonem occîdit. Et indè regressus, in Wasego silva ad Imperatorem venit in loco, qui dicitur *Camp*. Imperator verò Julio mense de Aquisgrani profectus Theodonis villam, atque per Mettis transiens Wasegum petiit. Ibique venationi operam dans, post reversionem exercitus ad Rumerici castellum profectus, ibique aliquantum temporis moratus, ad hiemandum in Theodonis villa Palatio suo consedit. Venerunt autem ad eum ibi ambo filii ejus Pippinus, & Hludovicus. Celebravitque ibi Natalem Domini anno DCCCVI.

806. Statim post Natalem Domini venerunt Willeric, & Beatus Duces Venetiæ, necnon & Paulus Dux Jaderæ, atque Donatus ejusdem civitatis Episcopus Legati Dalmatarum ad præsentiam domini Imperatoris cum magnis donis. Et facta est ordinatio ab Imperatore de Ducibus, & populis tam Venetiæ, quàm Dalmatiæ. Illisque absolutis, conventum habuit Imperator cum primoribus, & Optimatibus Francorum de pace constituenda, & conservanda inter filios suos, & divisione Regni facienda in tres partes: ut sciret unusquisque illorum, quam partem tueri, & regere debuisset, si superstes illi eveniret. De hac partitione est Testamentum factum, & jurejurando ab Optimatibus Francorum confirmatum, & constitutiones pacis conservandæ causâ factæ. Atque hæc omnia literis mandata sunt, & Leoni Papæ, ut his manu sua subscriberet per Heinardum missa; quibus Pontifex lectis, & assensum præbuit, & propria manu subscripsit. Imperator dimisso utroque filio in Regnum eis deputatum, Pippino scilicet, & Hluduico de Villæ Theodonis Palatio per Mosellam, & Rhenum secundâ aquâ Noviomagum navigavit. Ibique Sanctum Quadragesimale Jejunium, & Sacratissimæ Paschæ festivitatem celebravit. Exindè post non multos dies Aquisgrani veniens, Carolum filium suum in terram Sclavorum, qui dicuntur *Sorabi*, qui sedent super Albiam fluvium, cum exercitu misit. In qua expeditione Miliduoh Sclavorum Dux interfectus est, duoque castella ab exercitu ædificata: unum super ripam fluminis Salæ,

A alterum juxta fluvium Albiam. Sclavisque pacatis, Carolus cum exercitu regressus, in loco, qui dicitur *Silli* super ripam Mosæ fluminis ad Imperatorem venit. Missa est & manus de Bajoaria, & Alemania, atque Burgundia sicut anno superiore, in terram Behemim, vastataque terræ non minima portione, absque ullo gravi incommodo regressa est. Eodem anno in Corsicam insulam contra Mauros, qui eam vastabant, classis de Italia à Pippino missa est, quorum adventum Mauri non expectantes, abscesserunt. Unus tamen nostrorum Audamarus Comes civitatis Genuæ imprudenter contra eos dimicans occisus est. In Hispania verò Navarri, & Pampilonenses, qui superioribus annis ad Sarracenos defecerant, in fidem recepti sunt. Classis à

B Niciforo Imperatore, cui Niceta Patricius præerat, ad recuperandam Dalmatiam mittitur. Et Legati, qui dudum ante IV. ferè annos ad Regem Persarum missi sunt, per ipsas Græcarum navium stationes transvecti, ad Taravisiani portus receptaculum, nullo adversariorum sentiente, regressi sunt. Imperator verò celebravit Natalem Domini Aquisgrani Palatio anno Domini DCCCVII.

807. Anno superiore IV. Nonas Septembris fuit eclypsis Lunæ. Tunc Sol stabat in XVI. parte Virginis. Luna autem stetit in XVI. parte Piscium. Hoc autem anno pridie Kalendas Februarii fuit Luna XVII. quando stella

C Jovis quasi per eam transire visa est. Et III. Idus Februarii fuit eclypsis Solis media die, stante utroque sydere in XXV. parte Aquarii. Iterum IV. Kalendas Martii fuit eclypsis Lunæ, & apparuerunt acies eadem nocte miræ magnitudinis. Nam & stella Mercurii XVI. Kalendas Aprilis visa est in Sole quasi parva macula, nigra tamen paululum superiùs medio centro ejusdem syderis, qui & à nobis VIII. dies conspiciebatur. Sed quando primùm intravit, vel exivit, nubibus impedientibus minimè adnotare potuimus. Iterum mense Augusto XI. Kalendas Septembris eclypsis Lunæ facta est horâ noctis tertiâ, Sole posito in quinta parte Virginis, & Luna in quinta parte Piscium. Sicque ab anni superioris Septembrio, usque ad

D anni præsentis Septembrium, ter Luna obscurata est, & Sol semel. Rodbertus missus Imperatoris, qui de Oriente revertebatur, defunctus est, & Legatus Regis Persarum nomine Abdella, cum Monachis de Jerusalem, qui Legatione Thomæ Patriarchæ fungebantur, quorum nomina fuere Georgius, & Felix. (Hic Georgius erat Abba in monte Oliveti, cui patria erat Germania, proprioque nomine est vocitatus Egilbaldus) Hi ad Imperatorem pervenerunt, munera deferentes, quæ prædictus Rex Imperatori miserat, idest papilionem, & tentoria atrii vario colore facta, miræ magnitudinis, & pulchritudinis. Erant enim omnia bissina, tam tentoria, quàm funes eorum diversis

E tincta coloribus. Fuerunt præterea munera præfati Regis pallia sirica multa, & pretiosa, & odores, atque unguenta, & balsama: nec non & orologium ex auricalco arte mechanica mirificè compositum. In quo XII. horarum cursus ad clepsydram vertebatur, cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & casu suo subjectum sibi cymbalum tinnire faciebant. Additis in eodem ejusdem numeri equitibus, qui per XII. fenestras completis horis exiebant, & impulsu egressionis suæ totidem fenestras, quæ priùs erant apertæ, claudebant. Nec non & alia multa erant in ipso horo-

horologio; quæ nunc enumerare longum est. Fuerunt præterea inter prædicta munera candelabra duo ex auricalco miræ magnitudinis, & proceritatis. Quæ omnia Aquis palatio ad Imperatorem delata sunt. Imperator autem Legatum, & Monachos per aliquantum tempus secum detinens, in Italiam direxit, atque ibi eos tempus navigationis expectare jussit. Eodemque anno Burchardum Comitem stabuli sui cum classe misit in Corsicam: ut eam à Mauris, qui superioribus annis illuc prædatum venire consueverant, defenderet. Qui juxta consuetudinem suam de Hispania egressi, primò Sardiniam adpulsi sunt. Ibique cum Sardis prœlio commisso, & multis suorum amissis, (nam tria millia ibi cecidisse perhibentur) in Corsicam recto cursu supervenerunt. Ibique iterum in quodam portu ejusdem Insulæ cum classe, cui Burchardus præerat, prœlio decertaverunt. victique, ac fugati sunt, amissis XIII. navibus, & plurimis suorum interfectis. At eo illo anno in omnibus locis fortunâ adversâ fatigati sunt, ut ipsi hoc sibi accidisse testarentur, pro eo quòd anno superiore contra justitiam de Palataria insula sexaginta Monachos asportatos in Hispaniam vendiderunt. Qui Monachi per liberalitatem Imperatoris iterum in sua loca reversi sunt. Niceta Patricius, qui cum classe Constantinopolitana sedebat in Venetia, pace facta cum Pippino Rege, & induciis usque ad mensem Augustum constitutis, statione soluta Constantinopolim regressus est. Hoc anno Imperator Pascha, & Natalem Domini Aquis celebravit anno Domini DCCCVIII. & mutatus est numerus annorum.

808. Hiems mollissima, ac pestilens fuit in illo tempore vere inchoante. Imperator Noviomagum profectus, transacto ibi quadragesimali jejunio, celebrato etiam Sancto Pascha, iterum Aquis reversus est. Et quia nunciabatur Godefridum Regem Danorum in Abodritos cum exercitu trajecisse, Carolum filium tuum ad Albiam cum valida Francorum, & Saxonum manu misit, jubens vesano Regi resistere, si Saxoniæ terminos aggredi temptaret. Sed ille stativis per dies aliquot in littore habitis, expugnatis etiam, & manu captis aliquot Sclavorum Castellis, cum magno copiarum suarum detrimento reversus est. Nam licèt Drasconem Ducem Abodritorum popularium fidei diffidentem loco pepulisset, & Godelaidum alium Ducem dolo captum patibulo suspendisset, Abodritorumque duas partes sibi vectigales fecisset: optimos tamen militum suorum, & manu promptissimos amisit, & cum eis filium fratris sui nomine Reinaldum, qui in oppugnatione cujusdam oppidi cum plurimis Danorum primoribus est interfectus. Filius autem Imperatoris Carolus in Albiam pontem junxit, & exercitum cui præerat in Linones, & Smeldingos, qui & ipsi ad Godefridum Regem defecerant, quanta potuit celeritate transposuit. Populatisque circumquaque eorum agris, transito iterum flumine, cum incolumi exercitu in Saxoniam se recepit. Erant cum Godelfrido in expeditione prædicta Sclavi, qui dicuntur *Wilzi*. Qui propter antiquas amicitias, quas cum Abodritis habere solebant, sponte se copiis ejus conjunxerunt. Ipso quoque in Regnum suum revertente cum præda, quam in Abodritis capere potuerunt, & ipsi domum regressi sunt. Godefridus verò priusquam reverteretur, destructo emporio, quod in Oceani littore constitutum linguâ Danorum *Reric* dicebatur, & magnam Regno illius commoditatem vectigalium persolutione præstabat; translatisque inde negociatoribus soluta classe ad portum, qui *Liesthorp* dicitur, cum universo exercitu venit. Ibique per aliquot dies moratus, limitem Regni sui, qui Saxoniam respicit, vallo munire constituit. Eo modo, ut ab Orientalis maris sinu, quem illi *Ostarsaltz* dicunt, usque ad Occidentalem Oceanum, totam Egidoræ fluminis ripam Aquilonarem, munimentum prætexeret. Unâ tantùm portâ dimissâ, per quam carra, & equites emitti, & recipi potuissent. Diviso itaque opere inter Duces copiarum, domum reversus est. Interea Rex Nordamhumbrorum de Britannia Insula nomine Heardulf Regno, & patria pulsus, ad Imperatorem, dum adhuc Neumago moraretur, venit, & patefacto adventus sui negocio Romam proficiscitur. Româque rediens, per Legatos Romani Pontificis, & Imperatoris, in Regnum suum reducitur. Præerat tunc temporis Ecclesiæ Romanæ Leo tertius, cujus Legatus ad Britanniam directus est Addulfus Diaconus de ipsa Britannia natione Saxo, & cum eo ab Imperatore missi Abbates duo, & Hruotfridus Notarius, & Nantharius de Cœnobio Sancti Bertini. Imperator verò ædificatis per suos Legatos super Albiam fluvium duobus castellis, præsidioque in eis contra Sclavorum incursiones disposito, Aquisgrani hiemavit, & Natalem Domini, & Sanctum Pascha ibidem celebravit anno Domini DCCCIX.

809. Classis de Constantinopoli missa primò Dalmatiam, deinde Venetiam appulit. Cùmque ibi hiemaret, pars ejus Comiandum (1) insulam accessit, commissoque prœlio contra præsidium, quod in ea dispositum erat, victa, atque fugata Venetiam recessit. Dux autem, qui classi præerat, nomine Paulus, cùm de pace inter Francos, & Græcos constituenda, quasi sibi hoc esset injunctum, apud domnum Pippinum Italiæ Regem agere molitur Wilherano, & Beato Venetiæ Ducibus omnes inchoatus ejus impedientibus, atque ipsi etiam insidias parantibus, cognita illorum fraude discessit. At in Occiduis partibus domnus Hludoicus Rex cum exercitu Hispaniam ingressus, Dertosam civitatem in ripa Hiberi fluminis sitam obsedit. Consumptoque in expugnatione illius aliquanto tempore, postquam eam tam citò capi non posse vidit, dimissa obsidione cum incolumi exercitu in Aquitaniam se recepit. Postquam Hardulfus Rex Mordanhumbrorum reductus est in Regnum suum, & Legati Imperatoris, atque Pontificis reversi sunt, unus ex eis Addulfus Diaconus à piratis captus est, cæteris sinè periculo trajicientibus, ductusque ab eis in Britanniam, à quodam Cenulfi Regis homine redemptus est, Romamque reversus. In Tuscia Populonium civitas maritima à Græcis, qui Oroboitæ vocantur, deprædata est. Mauri quoque de Hispania Corsicam ingressi, in ipso Sancto Paschali Sabbato civitatem quandam diripuerunt, & præter Episcopum ac paucos senes, atque infirmos, nihil in ea reliquerunt. Interea Godefridus Rex Danorum per negotiatores quosdam, quos damnavit, dum audisset quòd Imperator ei fuisset iratus, eo quòd in Abdoritos anno superiore duxisset exercitum, & suas ultus esset injurias, addens velle se purgare dixit ab eo quod ei objiciebatur fœderis inruptionem ab illo primitus fuisse inchoa-

(1) *alias* Comiaclum.

choatam. Petebat etiam ut conventus Comitum Imperatoris, atque suorum juxta terminos Regni sui trans Albiam fieret. In quo res invicem gestæ proferri, & emendatione digna inter partes emendari potuissent. Non abnuit Imperator, conloquiumque trans Albiam factum cum primoribus Danorum in loco, qui dicitur *Melac*. Multisque hinc, & inde prolatis, enumeratisque rebus, negotio penitus infecto discessum est. Trasco verò Dux Abodritorum, postquam filium suum postulanti Godefrido obsidem dederat, collecta popularium manu, & auxilio à Saxonibus accepto, vicinos suos Wulzos adgressus, agros eorum ferro, & igni vastat. Regressusque domum cum ingenti præda, accepto iterum à Saxonibus validiori auxilio, Smeldingorum maximam civitatem expugnat. Atque his successibus omnes, qui ab eo defecerant ad suam societatem reverti coëgit. His ita gestis, Imperator de Arduenna Aquas reversus mense Novembrio Concilium habuit de processione Spiritus Sancti. Quam quæstionem Joannes quidam Monachus Hierosolymis primò commovit. Cujus definiendæ causâ Berenharius Episcopus Wormacensis, & Adalardus Abbas Monasterii Corbejæ Romam ad Leonem Papam missi sunt. Agitatum est etiam in eodem Concilio de statu Ecclesiarum, & conversatione eorum, qui in eis Deo servire dicuntur. Nec tamen aliquid diffinitum est, propter rerum, ut videbatur, magnitudinem. Imperator autem cùm ei multa de superbia & jactantia Regis Danorum nunciarentur, statuit trans Albiam fluvium civitatem ædificare, Francorumque in ea ponere præsidium. Cùmque ad hoc per Galliam, atque Germaniam homines congregasset, armisque, ac cæteris ad usum necessariis rebus instructos per Fresiam ad locum destinatum ducere jussisset, Trasco Dux Abodritorum in emporio Reric ab hominibus Godefridi per dolum interfectus est. Sed Imperator, postquam locus civitati constituendæ fuerat exploratus, Egbertum Comitem huic negocio exequendo præficiens, Albiam trajicere, & locum jussit occupare. Est autem locus super ripam Sturiæ fluminis vocabulo *Essesfelt* Hic occupatus est ab Egberto, & Comitibus Saxonicis circa Idus Martias, & muniri cœpit. Aureolus Comes, qui in commertio Hispaniæ, atque Galliæ trans Pirineum contra Oscam, & Cesaraugustam ressidebat, defunctus est. Et Amoroz Præfectus Cesaraugustæ, atque Oscæ ministerium ejus invasit, & in castellis ejus præsidia disposuit. Missaque legatione ad Imperatorem, sese cum omnibus, quæ habebat in deditionem illi velle venire promisit. Eo anno eclypsis Lunæ contigit VII. Kal. Januarii.

810. Anno Domini DCCCX. Amoroz Cesaraugustæ Præfectus, postquam Imperatoris Legati ad eum pervenerunt, petiit ut colloquium fieret inter ipsum, & Hispanici limitis Custodes, promittens se in eo conloquio cum suis hominibus Imperatoris in deditionem esse venturum. Quod licèt Imperator, ut fieret annuisset, multis intervenientibus causis remansit infectum. Mauri de tota Hispania maxima classe comparata primò Sardiniam, deinde Corsicam appulerunt; nulloque in ea invento præsidio insulam penè totam subigerunt. Interea Pippinus Rex perfidiâ Ducum Veneticorum incitatus, Venetiam bello terrâ, marique jussit appetere. Subjectâque Venetiâ, ac Ducibus ejus in ditionem acceptis, eandem classem ad Dalmatiæ litora vastanda misit. Sed cùm Paulus Zephalinæ Præfectus cum Orientali classe ad auxilium Dalmatis ferendum adventaret, Regia classis ad propria revertitur. Hruothrud filia Imperatoris, quæ erat major natu, VIII. Idus Jun. obiit. Imperator verò Aquisgrani adhuc degens, & contra Godefridum Regem expeditionem meditans, nuncium accepit classem CC. navium de Nortmannia Fresiam appulisse, totasque Fresiaco litori adjacentes insulas esse vastatas. Jamque exercitum illum in continenti esse, ternaque proelia cum Fresionibus commisisse, Danosque victores tributum victis imposuisse, & vectigalis nomine C. libras argenti à Fresionibus jam esse solutas, & Regem Godefridum domi esse. Et revera ita erat. Qui nuncius adeò Imperatorem concitavit, ut missis in omnes circumquaque regiones ad congregandum exercitum suum nunciis, ipseque sine mora exiens, primò quidem eis occurrere, deinde transmisso Rheno flumine in loco, qui Lippia vocatur, copias, quæ nondum convenerant, statuit operiri. Ubi dum aliquot dies moraretur, elefans ille, quem ei Aaron Rex Sarracenorum miserat, subita morte periit. Congregatis tandem copiis, quanta posuit celeritate ad Alaram fluvium contendit, castrisque juxta confluentem ejus, quo Wiseræ flumini conjungitnr, positis, minarum Godefridi Regis prestolatur eventum. Nam Rex ille vanissima spe victoriæ inflatus, acie se cum Imperatore congredi velle jactabat. Sed dum Imperator memorato loco stativa haberet, diversarum rerum nuncii ad eum venerunt. Hoc est classem, quæ Fresiam vastabat, domum regressam, & Godefridum Regem à quodam suo satellite interfectum, Castellumque vocabulo *Hobbuoki* Albiæ flumini appositum, in quo Odo Imperatoris Legatus, & Orientalium Saxonum erat præsidium, à Wulzis captum, & Pippinum filium ejus Regem Italiæ VIII. Id. Jul. de corpore migrasse. Duas quoque Legationes de diversis Terrarum partibus, unam de Constantinopoli, alteram de Corduba, pacem facere cupientes adventare narratur. Quibus ille acceptis, dispositâ pro temporis conditione Saxoniâ, domum revertitur. Tanta fuit in ea expeditione boum pestilentia, ut penè nullus tanto exercitui superesset, quin omnes ad unum perirent. Et non solùm ibi, sed etiam per omnes Imperatori subjectas Provincias illius generis animalium mortalitas immanissima grassata est. Imperator Aquasgrani veniens mense Octobris, memoratas Legationes audivit, pacemque cum Niciforo Imperatore, & cum Abulaz Rege Hispaniæ fecit. Nam Niciforo Venetiam reddidit, & Haimricum Comitem olim à Sarracenis captum; Abulaz remittente, recepit. Eo anno Sol, & Luna bis defecerunt, Sol VII. Id. Jun. & II. Kal. Decembris, Luna verò XI. Kal. Jul. & XVIII. Kal. Januarii. Corsica insula iterum à Mauris vastata est. Amoroz ab Abdiraman filio Abulaz de Cesaraugusta expulsus, & Oscam intrare compulsus est. Godefrido Danorum Rege mortuo, Hemmingus filius fratris ejus in Regnum successit, ac pacem cum Imperatore fecit anno Domini Nostri Jesu Christi DCCCXI.

811. Tunc Imperator absoluto, atque dimisso Arsafio Spatario, (hoc erat nomen Legato Nicifori Imperatoris) ejusdem pacis confirmandæ gratiâ ab Imperatore Legati Constantinopolim mittuntur. Haido Basilensis Episcopus, & Hugo Comes Turonicus, & Agio Langobardus de Foro-Julii, & cum eis Leo quidam Spatarius natione Siculus, & Willeric Dux Veneticorum. Quo-

Quorum alter ante annos X. Romæ ad Imperatorem, cùm ibi esset, de Sicilia profugiit, & redire volens patriam remittitur. Alter propter perfidiam honore spoliatus, Constantinopolim ad Dominum suum duci jubetur. Condicta ergo inter Imperatorem, & Hemmingum Danorum Regem pax, propter hiemis asperitatem, quæ inter partes commeandi viam claudebat, in armis tantùm jurata servatur: donec redeunte veris tempore, & apertis viis, quæ immanitate frigoris clausæ fuerant, congredientibus ex utraque parte utriusque Gentis, Francorum scilicet, & Danorum, XII. primoribus super fluvium Egidoram, datis vicissim secundùm ritum, ac morem suum sacramentis, pax confirmatur. Primores autem de parte Francorum hi fuere, Walach Comes filius Bernardi, Burchardus Comes, Hunrocus Comes, Vodo Comes, Meinhardus Comes, Bernardus Comes, Egbertus Comes, Theodericus Comes, Abo Comes, Osdach Comes, Wicman Comes. De parte verò Danorum in primis fratres Hemmingi, Hacuvin, & Acgandeo. Deinde cæteri honorabiles inter suos viri, Offrid cognomento Turdimulo, & Warsten, & Suomi, & Wirm, & alius Osttrid filius Eiligen, & Offrid desconatue, & Hebbin, & Aduvin. Imperator verò cum Hemmingo pace firmata, & Palatio generali secundùm consuetudines Aquis habito, in tres partes Regni sui totidem exercitus misit. Unum trans Albiam in Linones, qui & ipsos vastavit, & castellum *Hochbuoki* superiori anno à Wulzis destructum in ripa Albiæ fluminis restauravit. Alterum in Pannonias, ad controversias Hunnorum, & Sclavorum finiendas. Tertium in Brittones, ad eorum perfidiam puniendam. Qui omnes rebus prosperè gestis, incolumes regressi sunt. Ipse tamen interea propter classem, quam anno superiore fieri imperavit, videndam, ad Bononiam civitatem maritimam, ubi eædem naves congregatæ erant, accessit. Farumque ibi ad navigantium cursus dirigendos antiquitus constitutum restauravit, & in summitate ejus nocturnum ignem accendit. Inde ad Scaldim fluvium veniens, in loco, qui vocatur *Grand*, naves ad eandem classem ædificatas aspexit. Et circa medium Novembrem Aquis venit. Obviaverunt ei venienti Legati Hemmingi Regis, Haccuin, & Hebbin, munera Regis, & verba pacifica deferentes. Fuerunt etiam Aquis adventum ejus expectantes qui de Pannonia venerunt Canzaucus Princeps Avarorum, & Tudun, & alii primores, ac Duces Sclavorum circa Danubium habitantium: qui à Ducibus copiarum, quæ in Pannoniam missæ fuerant, ad præsentiam Principis missi venerunt. Interea Carolus Domini Imperatoris filius, qui major natu erat, II. Non. Decembris diem obiit. Et Imperator Aquis hiemavit anno Domini nostri DCCCXII.

812. Non multò post Hemmingus Danorum Rex defunctus nunciatur. Cui cùm Sigifridus nepos Godefridi Regis, & Anulo nepos Herioldi, & ipsius Regis, succedere voluissent, neque inter eos uter regnare deberet convenire potuisset: comparatis copiis, & commisso prœlio, ambo moriuntur. Pars tamen Anulonis adeptâ victoriâ, fratres ejus Hairoldum, & Ragenfredum Reges sibi constituit. Quam pars victa necessariò secuta, eosdem sibi regnare non abnuit. In eo prœlio X. millia DCCCCXL. viri cecidisse narrantur. Niciforus Imperator post multas, ac insignes victorias in Mœsia provincia, commisso cum Bulgaris prœlio moritur.

A Et Michaël ejus gener Imperator factus, Legatos Domini Imperatoris Karoli, qui ad Niciforum missi fuerunt in Constantinopoli suscepit, & absolvit. Cum quibus & Legatos suos direxit, Michaëlem scilicet Episcopum, & Arsatium, atque Theognostum Protospatarios. & per eos pacem à Niciforo incœptam confirmavit. Nam Aquisgrani, ubi ad Imperatorem venerunt, scriptum pacti ab eo in Ecclesia suscipientes, more suo, idest Græcâ linguâ, laudes ei dixerunt, Imperatorem eum, & Basileum appellantes. Qui revertendo Romam venientes, in Basilica Sancti Petri Apostoli eundem pacti, seu fœderis libellum à Leone Papa denuò susceperunt. Quibus dimissis Imperator generali

B Conventu Aquis sollemniter habito, Bernardum filium Pippini nepotem suum in Italiam misit, & propter famam classis, quæ de Africa & de Hispania ad vastandam Italiam ventura dicebatur, Walonem filium Bernardi patruelis sui cum illo esse jussit, quoadusque rerum eventus securitatem nostris adferret. Hæc classis partim in Corsicam, partim in Sardiniam venit. Et ea quidem pars, quæ ad Sardiniam est delata, penè tota deleta est. Classis etiam Nortmannorum Hiberniam Scotorum insula adgressa, commissòque cum Scotis prœlio, parte non modica Nortmannorum interfecta, turpiter fugiendo domum reversa est. Item pax cum Abulaz Rege Sarracenorum facta. item cum Duce Beneven-

C tanorum Grimoaldo, & tributi nomine XXV. millia solidorum auri à Beneventanis soluta. Expeditio facta ad Wulzos, & ab eis obsides accepti. Hairoldus, & Raginfridus Reges Danorum, missa ad Imperatorem Legatione pacem petunt, & fratrem suum Hemmingum sibi remitti rogant. Hoc anno Id. Maji post meridiem eclypsis Solis fuit.

813. Anno Domini DCCCXIII. Imperator Aquisgrani hiemavit. & incipiente verni tempore Amalharium Treverensem Episcopum, & Petrum Abbatem Monasterii Nonantulas, propter pacem cum Michaële Imperatore confirmandam Constantinopolim misit. Ac deinde habito generali Conventu, evocatum ad se apud

D Aquisgrani filium suum Hludovicum Aquitaniæ Regem, coronam illi imposuit, & Imperialis nominis sibi consortem fecit, Bernardumque nepotem suum, filium Pippini filii sui, Italiæ præfecit, & Regem appellari jussit. Concilia quoque jussu ejus super statu Ecclesiarum corrigendo per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt. Quorum unum Moguntiaco, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Caballone, quintum Arelati congregatum est, & constitutionum, quæ in singulis factæ sunt collatio coram Imperatore in illo Conventu habita. Quas qui nosse voluerit, in supradictis quinque civitatibus invenire poterit. quanquam & in archivio Palatii exemplaria illarum habeantur.

E Missi sunt de hoc Conventu quidam Francorum, & Saxonum primores trans Albim fluvium ad confinia Noturmannorum, qui pacem cum eis secundùm petitionem Regum illorum facerent, & fratrem eorum redderent. Quibus cùm pari numero (nam XVI. erant) de primatibus Danorum in loco deputato occurrissent, juramentis utrimque factis, pax confirmata, & Regnum, & frater eis redditus est. qui tamen eo tempore domi non erat, sed ad Westaërvoldan cum exercitu profecti. Quæ Regio ultima Regni eorum inter Septentrionem, & Occidentem sita, contra Aquilonem Britanniæ summitatem respicit. Cujus Principes, ac populus

pulus eis subjici recusabant. Quibus perdomitis cùm revertissent, & fratrem ab Imperatore missum recepissent, filii Godefridi Regis, & ex primoribus Danorum non pauci, qui jamdudum relictâ patriâ apud Suessiones (1) exulabant, comparatis undecumque copiis bellum eis intulerunt, & confluentibus ad se passim ex omni Danorum terra popularium turmis, commisso cum eis prœlio, etiam Regno eos non multo labore pepulerunt. Mauris de Corsica cum multa præda ad Hispaniam redeuntibus, Hermeingarius Comes Emporitanus in Majorica insidias posuit, & VIII. naves eorum cepit. In quibus quingentos, & eo ampliùs Corsos captivos invênit. Hoc Mauri vindicare volentes, Centumcellas Tusciæ civitatem, & Niceam Provinciæ Narbonensis vastaverunt. Sardiniam quoque aggressi, commissoque cum Sardis prœlio, pulsi ac victi, & multis suorum amissis recesserunt. (2) At Michaël Imperator Bulgaros bello appetens, haud prosperis successibus utitur, ac proindè domum reversus, deposito diademate Monachus efficitur. In cujus locum Leo Bardæ Patricii filius Imperator constituitur. Crumas Rex Bulgarorum, qui Niciforum Imperatorem ante duos annos interfecit, & Michaëlem de Mesia fugavit, secundis rebus elatus cum exercitu usque ad ipsam Constantinopolim accessit, & juxta portam civitatis castra posuit. Quem mœnibus urbis obequitantem Leo Imperator eruptione facta incautum excepit, & vulneratum fugiendo sibi consulere, ac patriam turpiter redire Crumam coëgit.

DCCCXIV.

LUDOVICUS PIUS.

814. Anno Domini DCCCXIV. domnus Carolus Imperator dum Aquisgrani hiemaret anno ætatis circiter LXXI. Regni autem XLVII. subactæque Italiæ XLVIII. ex quo verò Augustus & Imperator est appellatus annis XIV. V. Kal. Februarii rebus humanis excessit. Cujus rei nuncium cùm Hludoicus filius ejus in Aquitania apud Theoduadum villam, ubi & ipse tunc hiemabat, plurimis deferentibus accepisset, tricesimo postquàm id acciderat die Aquisgrani venit, summoque omnium Francorum consensu, ac favore patri successit. Et ad sumpti Regni administrationem curâ conversâ, primò Legationes Gentium, quæ ad patrem venerant, auditas absolvit. Alias deinde simili modo ad patrem quidem missas, ad se verò venientes absolvit. Inter quas præcipua erat Legatio de Constantinopoli directa. Nam Leo Imperator, qui Michaëli successerat, dimisso Amalhario Episcopo, & Petro Abbate, qui ad Michaëlem quidem missi, ad se tamen venerunt, Legatos suos Christophorum Spatarium, & Gregorium Diaconem ad domnum Carolum, & per eos descriptionem, & confirmationem pacti, ac fœderis misit. Quibus susceptis, atque dimissis, domnus Rex Hludoicus Legatos suos Nordbertum Regiensem Episcopum, & Ricoinum Pictavinum Comitem ad Leonem Imperatorem ob renovandam secum amicitiam, & prædictum pactum confirmandum direxit. Habito quoque Aquisgrani populi sui Conventu, ad justitias faciendas, & oppressiones populorum relevandas, Legatos in omnes Regni sui partes dimisit, & Bernardum Regem Italiæ nepotem suum ad se evocatum muneribus donatum in Regnum remisit. Cum Grimoaldo Beneventanorum Duce pactum fecit, atque firmavit, eo modo quo & pater: scilicet ut Beneventani tributum singulis annis septem millia solidorum darent. Tunc duos ex filiis suis Lotharium in Bajoariam, Pippinum in Aquitaniam misit. Harioldus, & Ragenfridus Reges Danorum, qui superiori anno à filiis Godefridi victi, & Regno pulsi fuerunt, reparatis viribus iterum eis bellum intulerunt. In quo conflictu & Ragenfridus, & unus de filiis Godefridi, qui major natu erat, interfectus est. Quo facto, Harioldus rebus suis diffidens, ad Imperatorem venit, & se in manus illius commendavit. Quem ille susceptum in Saxoniam ire, & opportunum tempus jussit expectare, quo ei sicut petierat auxilium ferre potuisset.

DCCCXV.

815. Anno Domini DCCCXV. jussum est ut Saxones, & Abodriti ad hanc expeditionem præpararentur. Attentatumq; in illa hieme duabus vicibus si Albiam transire potuissent. Sed mutatione subita aëris emolliti, glacie fluminis resoluta, negocium remansit imperfectum: donec tandem hieme transacta circa medium ferè Majum mensem opportunum proficisci tempus arrisit. Tunc omnes Saxonici Comites, omnesque Abodritorum copiæ, cum Legato Imperatoris Baldrico, sicut jussum erat, ad auxilium Harioldo deferendum trans Heidoram fluvium in terram Normannorum vocabulo *Sinleudi* perveniunt: & indè profecti, septimo tandem die in loco, qui dicitur...... in litore Oceani castra ponunt. Ibique stativis triduò habitis cum filio Godefridi, qui contra eos magnis copiis, & ducentarum navium classe comparata, in insula quadam tribus millibus à continenti separata residebant, cùm eis congredi non auderent, vastatis circumquaque vicinis pagis, & acceptis popularium obsidibus quadraginta, ad Imperatorem in Saxoniam reversi sunt. Ipse enim tunc temporis in loco, qui dicitur *Paderbrunna* generalem populi sui Conventum habebat, ibique ad eum omnes Orientalium Sclavorum primores, & Legati venerunt. Sed antequam illuc veniret, id est cùm adhuc domi esset, adlatum est ei quosdam de primoribus Romanorum ad interficiendum Leonem Papam in ipsa urbe Roma conspirasse: ac deinde cùm hujus causæ indicium ad Pontificem esset delatum, omnes illius factionis auctores illius jussu fuisse trucidatos. Quod cùm molestè ferret, tamen ordinatis tunc Sclavorum, & Hairoldi rebus, ipsoque in Saxoniam dimisso cùm ad *Franconoford* Palatio venisset, Bernhardum Regem Italiæ nepotem suum, qui & ipse cum eo in Saxonia fuerat, ad cognoscendum quod nuntiabatur Romam mittit. Is cùm Romam venisset ægritudine decubuit. Res tamen quas compererat per Geroldum Comitem, qui ad hoc ei Legatus fuerat datus, Imperatori mandavit. Quem Legati Pontificis, Joannes Episcopus Sylvæ Candidæ, Theodorus Nomenclator, & Sergius Dux subsecuti, de his, quæ Domino suo objiciebantur per omnia Imperatori satisfecerunt. Legati Sardorum de Carali civitate dona ferentes venerunt. Pax, quæ cum Abulaz Rege Sarracenorum facta, & per triennium servata erat, velut inutilis rupta, & contra eum iterum bellum susceptum est. Nordbertus Episcopus, & Ricoinus Comes, de Constantinopolim reversi, descriptionem pacti, quam Leo Imperator eis dederat, detulerunt. Qui inter cætera terræmotum gravissimum mense

(1) Alias Sveones.
(2) *Huc usque ex Annalibus plebejis Tom. II. Quæ sequuntur ex Eginhardi itidem Annalibus sumpta sunt.* Du-Chesne.

se Augusto per continuos quinque dies sibi contigisse retulerunt, quo & ipsius ædificia quamplurima cecidisse, & aliarum civitatum populos ruinis oppressos esse testati sunt. Sed & in Galliis Sanctonis civitatis Aquitaniæ mense Septembrio dicitur tremuisse. Rhenus fluvius Alpinis imbribus auctus ultra solitum exundavit. Romani cùm Leonem Papam ægritudine decubuisse viderent, collecta manu omnia prædia, quæ idem Pontifex in singularum civitatum territoriis noviter construxit, primò diripiunt, deinde igne immisso concremant. Tum Romam adire statuunt, & quæ sibi erepta querebantur violenter auferre. Quo comperto, Bernardus Rex missa manu per Winegisum Ducem Spolitanum, & seditionem illam sedavit, eosque ab incœpto desistere fecit, & quæ gesta erant per Legatos suos Imperatori mandavit.

DCCCXVI.

816. Anno ab Incarnat. Domini DCCCXVI. hieme transacto Saxones, & Orientales Franci expeditionem in Sorabos Sclavos, qui dicto audientes non erant, facere ausi, imperata strenuè compleverunt, contumeliamque, & audaciam cum magno labore compresserunt. Nam una Civitate expugnata, quidquid in ea Gente rebelle videbatur, subjectione promissa conquievit. Vascones, qui trans Garonnam, & circa Pyreneum montem habitant, propter sublatum Ducem suum nomine Sigewinum, quem Imperator ob nimiam ejus insolentiam, ac morum pravitatem indè sustulerat, solita levitate commoti, conjuratione facta, omnimoda defectione desciverunt. Sed duabus expeditionibus ita sunt edomiti, ut tarda eis deditio, & pacis impetratio videretur.

Interea domnus Leo Papa anno Pontificatus sui XXI. circiter VIII Kal. Julii de corpore migravit, Stephanusque Diaconus in locum ejus electus, atque ordinatus est. Nondumque duobus post consecrationem suam exactis mensibus, quàm maximis poterat itineribus ad Imperatorem venire contendit: missis interim duobus Legatis, qui quasi pro sua consecratione Imperatori suggererent. Quod ubi Imperator audivit, Remis ei statuit occurrere. Missisque obviam his, qui eum pro illo deducerent, adventum ejus præveniens, cum magno eum ibidem honore suscepit. Qui statim Imperatori adventus sui causam insinuans, celebratis ex more Missarum solemniis, eum diadematis impositione coronavit. Multis deinde inter eos muneribus, & datis, & acceptis, conviviisque opiparè celebratis, & amicitiâ vicissim firmissimo robore constitutâ, aliisque utilitatibus S. Dei Ecclesiæ pro temporis opportunitate dispositis, Pontifex Romam, Imperator Compendium Palatium petiit. Ubi cùm moraretur, Legatos Abodritorum, & de Hispania Legatos Abdirahman filii Abulaz Regis ad se missos suscepit. Completisque ibi viginti, vel eo ampliùs diebus, Aquisgrani ad hiemandum profectus est.

DCCCXVII.

817. Anno ab Incarnat. Domini DCCCXVII. Legati Abdirahman filii Abulaz Regis Sarracenorum de Cęsaraugusta missi pacis petendæ gratiâ venerunt, & Compendio ab Imperatore auditi Aquisgrani eum præcedere jussi sunt. Quò cùm pervenissent, Legatum Leonis Imperatoris de Constantinopolim pro Dalmatinorum causa missum Niciforum nomine suscepit. Quem etiam, quia Cadolah, ad quem illorum confinum cura pertinebat, non aderat, & tamen brevi venturus putabatur, adventum illius jussit operiri. Quo veniente, ratio inter quia res ad plurimos & eum, & Legatum Imperatoris de quæstionibus, quas idem detulit, habita est. Et Romanos, & Sclavos pertinebat, neque finè illorum præsentia finiri posse videbatur, illò discernenda differtur: missusque ad hoc cum Cadolane, & prædicto Legato in Dalmatiam Albgarius Unrochi nepos. Legati etiam Abdirahman, cùm tribus mensibus detenti essent, & jam de reditu desperare cœpissent, remissi sunt. Filii quoque Godefridi Regis Danorum propter assiduam Herioldi infestationem missa ad Imperatorem Legatione, pacem petunt, eamque à se servandam pollicentur. Sed cùm hæc simulata magis, quàm veracia viderentur, velut inania neglecta sunt, & auxilium est contra eos Herioldo datum. Luna nonas Februarii horâ noctis secundâ defecit, & Cometes in signo Sagittarii apparuit. Interea Stephanus Papa tertio postquam Romam venerat mense, sed nondum exacto, circiter VIII. Kal. Februarii, diem obiit. Cui Paschalis successor electus, post completam solemniter ordinationem suam, & munera, & excusatoriam Imperatori misit epistolam, in qua sibi non solùm nolenti, sed etiam renitenti, Pontificatus honorem velut impactum asseverat. Missa tamen Legatione alia pactum, quod cum præcessoribus suis factum erat, etiam secum fieri, & firmari rogavit. Hanc Legationem Theodorus Nomenculator ei detulit, & ea, quæ petierat, impetravit. Feriâ quintâ, qua Cœna Domini celebratur, cùm Imperator ab Ecclesia peracto sacro officio remearet, lignea porticus, per quam incedebat, cùm ex fragili materia esset ædificata, & tunc tam marcida, & putrefacta, ut quæ contignationem, & tabulatum sustinebant transtra pondus aliquod ferre non possent, incedentem desuper Imperatorem subitâ ruinâ cum viginti & eo ampliùs hominibus, qui eum ambiebant, ad terram usque deposuit. Qui casus cùm plerosque ex his, qui simul deciderant, graviter adfecisset, illa tamen nil aliud læsionis intulit, præter quòd capulo gladii, quo accinctus erat, imi pectoris pars sinistra contusa est, & auris dextera in parte posteriore vulnerata. Femur quoque dextrum cujusdam ligni pondere juxta inguina collisum. Sed instantiâ Medicorum, qui curam adhibebant, summa celeritate convaluit. Nam vigesima postquam id acciderat die Noviomagum profectus venatu se exercebat. Unde reversus generalem populo suo Conventum Aquisgrani more solito habuit, in quo filium suum primogenitum Hlotarium coronavit, & nominis, atque Imperii sui socium sibi constituit. Cæteros Reges appellatos, unum Aquitaniæ, alterum Bajoariæ præfecit. Conventu peracto, cùm Vosegi saltum venandi gratiâ peteret, obvios habuit Legatos Leonis Imperatoris. Quos cùm in Ingelahaim Palatio juxta Moguntiacum civitatem audisset, ac Legationem eorum non aliam esse, nisi quam Niciforus ejusdem Imperatoris Legatus maximè attulerat, comperisset, celeriter absolutos dimisit, & quò tendebat proficiscitur. Nunciataque defectione Abodritorum, & Sclaomiri Comitis; tantùm, qui juxta Albim in præsidio residere solebant, ut terminos sibi commissos tuerentur, per Legatum mandavit. Causa defectionis erat, quòd Regiam potestatem, quam Sclaomir eatenus post mortem Trasconis solus super Abodritos tenebat, cum Ceadrago filio Trasconis partiri jubebatur. Quæ res illum tam

tam graviter exacerbavit, ut adfirmaret se nunquam posthac Albim fluvium transiturum, neque ad Palatium venturum. Statim missa transmare Legatione junxit amicitias cum filiis Godefridi, & ut exercitus in Saxoniam trans-Albianam mitteretur impetravit. Nam & classis eorum per Albiam usque ad *Eselsfeld* castellum venit, quæ totam Sturiæ fluminis ripam devastavit. Ecluomi custos Normannici limitis pedestres copias ducens, simul cum Abodritis terreno itinere ad ipsum castellum accessit. Quibus cùm nostri fortiter restitissent, ommissa castelli oppugnatione discesserunt. Interea cùm Imperator venatione peracta, de Vogeso Aquisgrani reverteretur, nunciatum est ei Bernardum nepotem suum Italiæ Regem quorumdam parvorum hominum consilio tyrannidem meditatum. Jam omnes aditus, quibus in Italiam intratur, idest Clusas, impositis firmasse præsidiis, atque omnes Italiæ civitates in illius verba jurasse. Quod ex parte verum, ex parte falsum erat. Ad quos motus comprimendos, cùm ex tota Gallia, atque Germania congregato cum celeritate magno exercitu Imperator Italiam intrare festinasset, Bernardus rebus suis diffidens, maximè quòd se à suis quotidie deseri videbat, armis depositis apud Caballonem Imperatori se tradidit. Quem cæteri secuti, non solùm armis depositis se dediderunt, verùm ultro, & ad primam interrogationem omnia uti gesta erant apparuerunt. Hujus conspirationis Principes fuere Eggideo inter amicos Regis primus, & Rheinardus Camerarius ejus, & Reinarius Meinarii Comitis filius, cujus maternus avus Hardradus olim in Germania cum multis ex ea Provincia nobilibus contra Carolum Imperatorem conjuravit. Erant præterea & alii multi præclari, & nobiles viri, qui in eodem scelere deprehensi sunt: inter quos aliqui Episcopi, Anselmus Mediolanensis, & Theodolfus Aurelianensis.

DCCCXVIII.

818. Anno ab Incarnat. Domini DCCCXVIII. detecta fraude, & conjuratione patefacta, ac seditiosis omnibus in potestatem suam redactis, Imperator Aquisgrani revertitur. Transactoque Quadragesimali Jejunio, paucis post Sanctum Pascha diebus conjurationis auctores, qui superiùs nominati sunt, simul & Regem, judicio Francorum capitali sententia condemnatos, luminibus tantùm jussit orbari, Episcopos Synodali decreto depositos Monasteriis mancipari; cæterosque, prout quisque vel nocentior, vel innocentior apparebat, vel exilio deputari, vel detondi, atque in Monasteriis conversari. His ita dispositis, ipse cum maximo exercitu Britanniam aggressus, generalem Conventum Venedis habuit. Inde memoratam Provinciam ingressus, captis rebellium munitionibus, Britanniam totam in sua potestate redegit. Nam postquam Mormanus, qui in ea præter solitum Brittonibus morem Regiam sibi vendicaverat potestatem, ab exercitu Imperatoris occisus est, nullus Britto inveniebatur qui resisteret, aut qui imperata facere, aut qui obsides, qui jubebantur, dare renueret. Qua expeditione completa, cùm Imperator dimisso exercitu Andegavos civitatem esset reversus, Ermingardis Regina conjux ejus, quam proficiscens ibi ægrotantem dimiserat, duobus diebus postquam ipse ad eam venit, morbo invalescente, V. Nonas Octobris decessit. Eclypsis Solis contigit VIII. Idus Julii. Imperator per Rotomagum, & per Ambianos, & Cammaracum Aquisgrani ad hi-

A bernandum reversus, cùm Heristallium venisset, obvios habuit Legatos Sigonis Ducis Beneventanorum dona deferentes, eumque de nece Grimoldi Ducis antecessoris sui excusantes. Erant ibi & aliarum Nationum Legati, Abodritorum videlicet, ac Bornæ Ducis Guduscanorum, & Timonitianorum, qui nuper à Bulgarorum societate desciverant, & ad nostros fines se contulerant: simul & Liudewiti Ducis Pannoniæ inferioris, qui res novas moliens, Cadolaum Comitem, & Marcæ Forojuliensis Præfectum crudelitatis, atque insolentiæ accusare conabatur. Quibus ibi auditis, atque dimissis, Imperator Aquisgrani ad hiemandum profectus est.

B DCCCXIX.

819. Anno ab Incarnat. Domini DCCCXIX. Sclaomir Abodritorum Rex, ob cujus perfidiam ulciscendam exercitus Saxonum, & Orientalium Francorum eodem anno trans Albiam missus fuerat, per Præfectos Saxonici limitis, & Legatos Imperatoris, qui exercitui præerant, Aquisgrani adductus est. Quem cùm primores populi sui, qui simul jussi venerunt, multis criminibus accusarent, & ille rationabili defensione objecta sibi refellere non valeret, exilio condemnatus est, & Regnum Ceadrago Trasconis filio datum est. Simili modo & Lupus Centulli Wasco, qui cum Berengario Tolosæ, & Warino Arvernico Comite eodem anno prœlio conflixit, in quo & fratrem Garsandum singularis C amentiæ hominem amisit, & ipse nisi sibi fugiendo consuleret prope interitum fuit, cùm in conspectu Imperatoris venisset, ac de perfidia, cujus à Comitibus immanè accusabatur, se purgare non potuisset, & ipse temporali est deportatus exilio. Conventus Aquisgrani post Natalem Domini habitus in quo multa de statu Ecclesiarum, & Monasteriorum tractata, atque ordinata, legibus etiam & Capitula quædam pernecessaria, quia deerant, conscripta, atque addita sunt. Quo peracto, Imperator inspectis plerisque Nobilium filiabus, Welpi Comitis filiam nomine Judith duxit uxorem. Itemque conventus mense Julio apud Ingelhaim Palatium habitus. Exercitus de Italia in Pan- D noniam propter Liudewiti rebellionem missus, qui rebus prosperè gestis, infecto penè negotio regressus est: & Liudewitus superbiâ elatus Legatos quasi pacem petendo ad Imperatorem misit, conditiones quasdam præponens, ad quarum Concessionem ea, quæ juberentur, se facturum pollicebatur. Quas cùm Imperator non reciperet, aliasque ei per suos Legatos præponeret, permanendum sibi inchoatâ perfidiâ velut optimum judicans, missis circumquaque Legatis, vicinas juxta se Gentes ad bellum sollicitare curavit. Timonitianorum quoque populum, qui dimissa Bulgarorum societate ad Imperatorem venire, ac ditioni ejus se permittere gestiebat, ne hoc efficeret ita intercepit, ac falsis E persuasionibus illexit, ut ommisso quod facere cogitabat, perfidiæ illius socius, & adjutor existeret. Exercitu verò de Pannonia reverso, Cudolach Dux Forojuliensis febre correptus in ipsa Marca decessit. Cui cùm Baldricus esset subrogatus, & in Carantanorum Regionem, quæ ad ipsius curam pertinebat, fuisset ingressus, obviam habuit Liudewiti exercitum: quem juxta Dravum fluvium iter agentem parva manu aggressus, pluribus interfectis, & avertit, & de illa Provincia fugavit. Borna verò Dux Dalmatiæ cum magnis copiis ad Conlapium fluvium Liudewito ad se veniente occurrens, in prima con-

congressione à Guduscanis deseritur. Auxilio tamen Prætorianorum suorum protectus. Periit in eo prœlio Dragumosus socer Liudewiti, qui in exordio defectionis relicto genero, Bornæ se conjunxerat. Guduscani domum reversi iterum à Borna subiguntur. At Liudewitus occasionem nactus, cum valida manu Decembrio Mense Dalmatiam ingressus, terrâ, & igni cuncta devastat. Cui cùm Borna se penitùs imparem conspiceret, omnia sua castellis inclusit, & ipse cum delecta manu nunc à tergo, nunc à latere insistens, Liudewiti copias & noctu, & interdiu quàcumque poterat laceravit, neque eum in sua Provincia impunè versari permisit. Ad extremum gravi damno adfectum regione sua coëgit excedere, tribus hominum millibus de exercitu illius interfectis, & trecentis, vel eo ampliùs caballis captis, præter sarcinas, & spolia diversi generis direpta. Quæ qualiter gesta fuerint per Legatos suos Imperatori nunciare curavit. At in partibus Occiduis Pippinus Imperatoris filius jussu patris Wasconiam cum exercitu ingressus, sublatis ex ea seditiosis, totam eam Provinciam ita pacavit, ut nullus in ea rebellis, aut inobediens remansisse videretur. Harioldus quoque jussu Imperatoris ad Naves suas per Abodritos reductus, in patriam quasi Regnum ibi accepturus navigavit. Cui se duo ex filiis Godefridi, quasi unà cum eo Regnum habituri, sociasse dicuntur: aliis duobus patriâ expulsis. Sed hoc dolo factum putatur. Imperator Conventu dimisso, primo Cruciniacum, deinde Bingiam veniens, secundam aquam confluentem usque per Rhenum navigavit. Venatorio quoque exercitio more solenni ibidem exacto, Aquisgrani ad hiemandum revertitur.

DCCCXX.

820. Anno ab Incarnatione Dom. DCCCXX. mense Januario Conventus ibi habitus, in quo de Liudewiti defectione deliberatum est, ut tres exercitus simul ex tribus partibus ad devastandam ejus regionem, atque ipsius audaciam coërcendam mitterentur. Borna quoque primùm per Legatos, deinde ipse veniens, quid sibi facto opus esse videretur suggessit. In eo conventu Bera Comes Barcinonæ, qui jamdiu fraudis, & infidelitatis à vicinis suis insimulabatur, cum accusatore suo equestri pugna confligere conatus, vincitur. Cùmque ut reus majestatis capitali sententia damnaretur, parsum est ei misericordiâ Imperatoris, & Rotomagum exilio deportatus est. Transacta hieme ut primum herba pabulum jumentis præbere potuit, tres illi exercitus contra Liudewitum mittuntur: quorum unus de Italia per Alpes Noricas, alter per Carantanorum provinciam, tertius per Bajoariam, & Pannoniam superiorem intravit. Et duo quidem, idest dexter, ac sinister, tardiùs ingressi sunt, eo quòd unus Alpium transitu, hostium manu resistente, prohibebatur: alter etiam longitudine itineris, & Dravo flumine, quod trajiciendum erat, impediebatur. Medius autem, qui per Carantanos intrabat, quamvis in tribus locis ei resisteretur, feliciore usus fortuna, ter hoste superato, Dravo etiam transmisso, celeriùs ad destinata loca pervênit. Contra hæc Liudewitus nihil molitus, munitione tantùm castelli, quod in arduo monte construxerat, se, suosque continuit, & nec belli, nec pacis vel per se metipsum, vel per Legatos ullum cum eis sermonem habuisse dicitur. Exercitus verò postquam in unum convenerunt, totam penè regionem ferro, & igni devastantes, haud ullo gravi damno accepto, domum reversi sunt. Is tamen qui per Pannoniam interfecit superiorem, in transitu Dravi fluminis ex locorum, & aquarum insalubritate soluti ventris incommodo graviter affectus est, & pars ejus non modica hoc morbo consumpta est. Hîc tres exercitus de Saxonia, & Orientali Francia, & Alemannia, Bajoria quoque, atque Italia, congregati sunt. Quibus domum reversis, Carniolenses, qui circa Savum fluvium habitant, & Forojuliensibus penè contigui sunt, Baldrico se dediderunt. Idem & pars ea Carantanorum, quæ ad Liudewiti partes à nobis defecerat, facere curavit. Fœdus inter nos, & Abulaz Regem Hispaniæ constitutum, & neutri parti satis proficuum, consultò ruptum, bellumque adversùs eum susceptum est. In Italico mari octo naves negotiatorum de Sardinia Italiam revertentium à pyratis captæ, ac dimersæ sunt. De Nortmannia verò tredecim pyraticæ naves egressæ, primò in Flandrensi littore prædari molientes ab his, qui in præsidio erant, repulsæ sunt: ubi tamen ab eis propter custodum incuriam aliquot casæ viles incensæ, & parvus pecoris numerus abactus est. In ostio Sequanæ similia tentantes, resistentibus sibi littoris custodibus, quinque suorum interfectis, inritæ recesserunt. Tandem in Aquitanico littore prosperis usæ successibus, vico quodam, qui vocatur Burnad integrum depopulato, cum ingenti præda ad propria reversi sunt. Hoc anno propter juges pluvias, & aërem nimio humore resolutum, magna incommoda contigerunt. Nam & hominum, & boum pestilentia tam immanè, latèque grassata est, ut vix ulla pars totius Regni Francorum ab hac peste immunis, atque intacta posset inveniri. Frumenta quoque, & legumina imbrium assiduitate corrupta, vel colligi non poterant, vel collecta computrescebant. Vinum etiam, cujus parvus proventus eodem anno fuit, propter caloris inopiam acerbum, & insuave fiebat. In quibusdam verò locis de inundatione fluminum, aquis in plano stagnantibus, autumnalis satio ita impedita est, ut penitùs nihil frugum ante verni temperiem seminaretur. Luna defecit VIII. Kal. Decembris, horâ noctis secundâ. Imperator post actum Carisiaci Conventum, autumnalemque venationem ex more completam, Aquisgrani reversus est.

DCCCXXI.

821. Anno ab Incarnatione Dñi DCCCXXI. Conventus mense Februario Aquis habitus, & in eo de bello Liudewitico tractatum, ac tres exercitus ordinati, qui futura æstate perfidorum per vices agros vastarent. Simili modo de Marca Hispanica constitutum, & hoc illius limitis Præfectis imperatum est. Iterumque Conventus mense Majo Noviomagi habendus condictus est, Comitesque, qui illuc venirent, deputati. Eo anno domnus Imperator post festi Paschalis expletionem per Mosam navigavit. Ibi constitutam annis superioribus, atque conscriptam inter filios suos Regni participationem recensuit, ac juramentis Optimatum, qui tunc adesse poterant, confirmavit. Susceptisque ibidem Paschalis Romani Pontificis Legatis, Petro videlicet Centumcellensi Episcopo, & Leone Nomenclatore, eisdemque celeriter absolutis, Comitibus etiam, qui aderant, ad expeditionem Pannonicam destinatis, ipse paululum ibi remoratus, Aquisgrani reversus est. Et post paucos dies per Arduennam iter faciens,

ciens, Treviris, ac Metis venit. Indeque Rumerici castellum petens, reliquum æstivi caloris, & autumni dimidium exercitatione venatoria in Vosci saltu, atque secretis exegit. Interea Dux Borna Dalmatiæ, atque Liburniæ defunctus est, & petente populo, atque Imperatore consentiente, nepos illius nomine Ladusclao successor ei constitutus est. Adlatum est & de morte Leonis Constantinopolitani Imperatoris, quòd conspiratione quorumdam Optimatum suorum, & præcipuè Michaëlis Comitis Domesticorum, in ipso Palatio sit interemptus. Qui suffragio civium, & Prætorianorum militum studio, infulas Imperii suscepisse dicitur. Fortunatus Patriarcha Gradensis cùm à quodam Presbytero suo nomine Tiberio apud Imperatotem fuisset accusatus, quòd Liudewitum ad perseverandum in perfidia, qua cœperat, hortaretur, eumque ad castella sua munienda artifices, & murarios mittendo juvaret, & ob hoc ad Palatium ire juberetur: primò velut jussionem impleturus in Histriam profectus est. Indè simulato reditu ad Gradum civitatem, nullo suorum, præter eos cum quibus hoc suspicaverat, suspicante, nactus occasionem clam navigavit. Veniensque Jaderiam Dalmatiæ civitatem, Joanni Præfecto Provinciæ illius fugæ suæ causas aperuit. Qui eum statim navi impositum Constantinopolim misit. Medio mense Octobrio Conventus generalis apud Theodonis-villam magnâ populi Francorum frequentiâ celebratur: in quo domnus Lotharius primogenitus domni Imperatoris Hludoici Ermingardam Hugonis Comitis filiam duxit uxorem. Illuc etiam legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Theodorus Primicerius, ac Florus Superista, cum magnis venêre muneribus. Adfuerunt & Comites in eodem Conventu jam de Pannonia regressi, qui depopulata desertorum, & Liudewito adhærentium universa regione, cùm nullus pugnandi copiam fecisset, domum regressi sunt. Eminuit in hoc Placito piissimi Imperatoris misericordia singularis, quam ostendit super eos, qui cum Bernardo nepote suo in Italia contra caput, ac Regnum suum conjuraverunt. Quibus ibi ad præsentiam venire jussis, non solùm vitam, & membra concessit, verùm etiam possessiones judicio Legis in fiscum redactas magna liberalitate restituit. Adalhardum quoque de Aquitania, ubi exulabat evocatum, Corbejæ Monasterio, ut priùs fuerat, Abbatem, ac Rectorem esse jussit. Cum quo & Bernardum fratrem ejus reconciliatum eidem Monasterio reddidit. Completisque his, quæ ob Regni utilitatem inchoaverat, & sacramento, quod apud Noviomagum pars Optimatum juraverat, generaliter consummato, ipse Aquisgrani revertitur. Filium autem Hlotharium post nuptias ritu solemni celebratas ad hiemandum Wormatiam misit. De parte Danorum omnia quieta eo anno fuerunt, & Harioldus à filiis Godefridi in societatem Regni receptus. Quæ res tranquillum inter eos hujus temporis statum fecisse putatur. Sed quia Ceadragus Abodritorum Princeps perfidiæ, & cujusdam cum filiis Godefridi factæ societatis notabatur, Sclaomir avunculus ejus in patriam remittitur. Qui cùm in Saxoniam venisset, ægritudine decubuit, præceptoque Baptismi Sacramento defunctus est.

Autumnalis satio jugitate pluviarum in quibusdam locis impedita est. Cui hiems in tantum prolixa successit, & aspera, ut non solùm minores rivi, ac mediocres fluvii, verùm ipsi maximi, ac famosissimi amnes, Rhenus videlicet, ac Danubius, Albisque, ac Sequana, cæteraque per Galliam, atque Germaniam Oceanum petentia flumina, adeò solida glacie stringerentur, ut tricenis, vel eo ampliùs diebus plaustra huc, atque illuc commeantia velut pontibus juncta sustinerent. Cujus resolutio non modicum villis juxta Rheni fluenta constitutis damnum intulit.

DCCCXXII.

822. Anno ab Incarnat. Domini DCCCXXII. in regione Thoringorum quodam in loco juxta fluvium cespis longitudine pedum quinquagenûm, latitudine quatuordenûm, altitudine sexquipedali, de terra sinè manibus & præcisus, & sublatus est. Et ab eo loco, in quo sumptus est, viginti quinque pedum spatio distans inventus est. Item in parte Orientali Saxoniæ, quæ Soraborum finibus contigua est, in quodam deserto loco juxta lacum, qui dicitur *Arnseo* in modum aggeris terra intumuit, & limitem unius leugæ longitudine porrectum sub unius noctis spacio absque humani operis molimine ad instar vallis subrexit. Winegisus Dux Spolitanus jam senio confectus, habitu seculari deposito, Monasticæ conversationi se mancipavit. At non multò post tactus corporis infirmitate, decessit. In cujus locum Suppo Brixiæ civitatis Comes constitutus est. Domnus Imperator consilio cum Episcopis, & Optimatibus suis habito, fratribus suis, quos invitos tonderi jussit, reconciliatus est: & tam de hoc facto, quàm de his, quæ erga Bernardum filium fratris sui Pippini, nec non & his, quæ circa Adalhardum Abbatem, & fratrem ejus Walachum gesta sunt, publicam confessionem fecit, & pœnitentiam egit. Quod tamen in eo Conventu, quem eodem anno mense Augusto Attiniaci habuit, in præsentia totius populi sui peregit. In quo quidquid similium rerum, vel à se, vel à patre suo factarum invenire potuit, summa devotione emendare curavit.

Exercitus de Italia propter Liudewiticum bellum conficiendum in Pannoniam missus est. Ad cujus adventum Liudewitus, Scissia civitate relicta, ad Sorabos, quæ Natio magnam Dalmatiæ partem obtinere dicitur, fugiendo se contulit: & uno ex Ducibus eorum, à quo receptus est, per dolum interfecto, civitatem ejus in suam redegit ditionem. Missis tamen ad exercitum Imperatoris Legatis suis ad ejus præsentiam se velle venire promisit. Saxones interea jussu Imperatoris castellum quoddam trans Albiam, in loco, cui *Delbende* nomen ædificavit: dupulsis ex eo Sclavis, qui illum priùs occupaverant, præsidiumque Saxonum in eo impositum contra incursiones illorum. Comites Marcæ Hispanicæ trans Icorum fluvium in Hispaniam profecti, vastatis agris, & incensis compluribus villis, & captâ non modicâ prædâ, regressi sunt. Simili modo post æquinoctium autumnale à Comitibus Marcæ Britannicæ in possessionem cujusdam Brittonis, qui tum rebellis extiterat, nomine Wihomarchus, expeditio facta, & omnia ferro, & igni vastata sunt. Peracto Conventu, quod Attiniaci habebatur, domnus Imperator venandi gratiâ Arduennam petiit. Hlotharium verò filium suum in Italiam misit, cum quo Walaum Monachum propinquum suum, fratrem videlicet Adalhardi Abbatis, & Gerungum Hostiariorum Magistrum unà direxit: quorum consilio, & in re familiari, & in negotiis ad Regni commoda pertinentibus uteretur. Pippinum autem in Aquitaniam ire præcepit, quem

quem tamen priùs filiam Theotberti Comitis Matricensis in conjugium fecit accipere, & post nuptias celebratas ad Occiduas partes proficisci. Ipse verò peracta autumnali venatione, trans Rhenum ab hiemandum in loco, qui *Franconofurd* appellatur, profectus est. Ibique generali Conventu congregato, necessaria quæque, & ad utilitatem Orientalium partium Regni sui pertinentia, more solemni cum Optimatibus, quos ad hoc evocare jusserat, tractare curavit. In quo Conventu Orientalium omnium Sclavorum, idest Abodritorum, Soraborum, Wulzorum, Behemorum, Marvanorum, Predenecentorum, & in Pannonia residentium Abarorum Legationes cum muneribus ad se directas audivit. Fuerunt in eo Conventu, & Legationes de Normannia, tam de parte Harioldi, quàm de filiis Godefridi. Quibus omnibus auditis, ac dimissis, ipse in eodem loco constructis ab hoc opere novo ædificiis, sicut dispositum fuerat, hiemavit.

DCCCXXIII.

823. Anno ab Incarnat. Domini DCCCXXIII. mense Majo Conventus in eodem loco habitus, in quo non universi Franciæ primores, sed de Orientali Francia, atque Saxonia, Bajoaria, Alemania, atque Alemaniæ contermina Burgundia, & regionibus Rheno adjacentibus adesse jussi sunt. In quo inter cæteras Barbarorum Legationes, quæ vel jussæ, vel sua sponte venerunt, duo fratres videlicet Wulzorum controversiam inter se de Rheno habentes, ad præsentiam Imperatoris venerunt: quorum nomina sunt, Melegastus, & Celeadragus. Erant iidem filii Liudi Regis Wilzorum, qui licèt cum fratribus suis Regnum divisum teneret, tamen propter quòd major natu erat, ad eum totius Regni summa pertinebat. Qui ubi commisso cum Orientalibus Abodritis prœlio interisset, populus Wilzorum filium ejus Melegastum, qui major natu erat Regem sibi constituit. Sed cùm is secundùm ritum Gentis commissum sibi Regnum parum dignè administraret, illo abjecto, juniori fratri Regium honorem deferunt. Quam ob causam ambo ad præsentiam Imperatoris venerunt. Quos cùm audisset, & Gentis voluntatem proniorem in junioris fratris honorem agnovisset, statuit ut is delatam sibi à populo suo potestatem haberet. Ambos tamen muneribus donatos, & sacramento firmatos in patriam remisit. Accusatus est in eodem Placito apud Imperatorem Ceadragus Abodritorum Princeps, quòd se erga partem Francorum parum fideliter ageret, & ad Imperatoris præsentiam jam diu venire dissimulasset. Propter quod ad eum Legati directi sunt, cum quibus ille iterum quosdam ex primoribus Gentis suæ ad Imperatorem misit, perque illorum verba promisit, se ad proximum hiemis tempus ad illius præsentiam esse venturum. Hlotharius verò cùm secundùm patris jussionem in Italia justitias faceret, etiam se ad revertendum de Italia pararet; rogante Paschale Papa Romam venit, & honorificè ab illo susceptus, in Sancto Paschali die apud Sanctum Petrum, & Regni coronam, & Imperatoris, atque Augusti nomen accepit. Inde Papiam regressus, mense Junio ad Imperatorem venit. Qui cùm Imperatori de justitiis in Italia à se partim factis, partim inchoatis, fecisset indicium; missus est in Italiam Adalhardus Comes Palatii, jussumque ut Mauringum Brixiæ Comitem secum assumeret, & inchoatas justitias perficere curaret. Drogonem fratrem ejus sub canonica vita degentem Metensi

A Ecclesiæ, Clero ejusdem urbis consentiente, atque eligente, Rectorem constituit, eumque ad Pontificatus gradum censuit promoveri. In eodem Conventu tempus, & locus alterius Conventus habendi condictus est: Novembris videlicet mensis, & Compendium Palatium. Peractoque Placito, & dimissis primoribus, cùm Imperator jam inde digredi statuisset, adlatum est ei de interitu Liudewiti, quòd relictis Sorabis, cùm Dalmatiam ad Liudemhuslum avunculum Bornæ Ducis pervenisset, & aliquantum temporis cum eo moratus fuisset, dolo ipsius esset interfectus. Nunciatum est etiam Theodorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Primicerium, & Leonem Nomenclatorem generum ejus in Patriarchio Lateranensi primò

B excœcatos, ac deinde fuisse decollatos. Et hoc eis ob hoc contigisse, quòd se in omnibus fideliter erga partes Hlotharii juvenis Imperatoris agerent. Erant & qui dicerent vel jussu, vel consilio Paschalis Pontificis rem fuisse perpetratam. Ad quod explorandum, ac diligenter investigandum missi sunt Adelongus Abbas Monasterii Sancti Vedasti, & Hunfridus Comes Curiensis. Sed antequam illi fuissent profecti, venerunt Legati Paschalis Pontificis, Joannes Episcopus Sylvæ Candidæ, & Benedictus Archidiaconus Sanctæ Sedis Apostolicæ: rogantes Imperatorem, ut illam infamiam à Pontifice auferret, qua ille in memoratorum hominum

C necem consensisse credebatur. Quibus cum ille juxta quod ratio postulabat respondisset, eosque dimisisset, prædictos Legatos suos ad investigandam rei veritatem, sicut priùs disposuit, Romam ire præcepit. Ipse verò reliquum tempus in pago Warmacense, ac deinde in Ardvenna transiens, peracta autumnali venatione ad Kalendas Novembris, sicut condixerat, Compendium venit. Legati Romam venientes, rei gestæ rectitudinem assequi non potuerunt: quia Paschalis Pontifex, & se ab hujus facti communione cum magno Episcoporum numero jurejurando purificavit, & interfectores prædictorum hominum, quia de familia Sancti Petri erant, summopere defendens, mortuos velut

D majestatis reos condemnans, jure cæsos pronunciavit. Atque ob hoc cum prædictis, qui ad eum missi fuerant, Legatis, Joannem Sylvæ Candidæ Episcopum, Sergium Bibliothecarium, Quirinum quoque Subdiaconum, ac Leonem Magistrum militum ad Imperatorem misit. Qui cùm tam per illos, quàm per suos Legatos de Sacramento Pontificis, & excusatione reorum comperisset: nihil sibi ultra in hoc negotio faciendum ratus, memoratum Joannem Episcopum, & socios ejus ad Pontificem, dato conveniente responso, remisit. Ceadragus Abodritorum Princeps pollicitationibus adhibens fidem, cum quibusdam primoribus populi sui Compendium venit, dilatique per tot annos adventus sui rationem coram Imperatore non

E improbabiliter reddidit. Qui licèt in quibusdam causis culpabilis appareret, tamen propter merita parentum suorum, non solùm impunitus, verùm muneribus donatus, ad Regem redire permissus est. Venerat & Harioldus de Nortmannia, auxilium petens contra filios Godefridi, qui eum patriâ pellere nitebantur. Ob cujus causam diligentiùs explorandam, ad eosdem Godefridi filios Theotarius, & Ruotmundus Comites missi fuerunt: qui & causam filiorum Godefridi, & statum totius Regni Nortmannorum diligenter explorantes, adventum Harioldi præcesserunt, & Imperatori om-

nia, quæ in illis partibus comperire potuerunt, patefecerunt. Cum quibus & Ebo Remorum Archiepiscopus, qui consilio Imperatoris, & auctoritate Romani Pontificis, prædicandi gratiâ ad terminos Danorum accesserat, æstate præterita multos ex eis ad fidem venientes baptizaverat, regressus est.

A

Hoc anno prodigia quædam extitisse narrantur, in quibus præcipua fuerunt. In Aquinsi Palatio terræmotus, & in territorio Tullensi juxta villam Comerciacum puella quædam annorum duodecim ab omni cibo per decem menses abstinens. Et in Saxonia, in pago qui vocatur *Firisaz* viginti tres villæ cœlesti igne concrematæ, & fulgura sereno atque interdiu de cœlo cadentia. (Et in territorio Cometense Italicæ civitatis, in vico Grabadona, in Ecclesia Sancti Joannis Baptistæ imago Sanctæ Mariæ puerum Jesum gremio continens, ac Magorum munera offerentium in absida ejusdem Ecclesiæ depicta, & ob nimiam vetustatem obscurata, & penè abolita, tanta claritate per duorum dierum spacia effulsit, ut omnem splendorem novæ picturæ suæ vetustatis pulchritudine cernentibus penitùs vincere videretur. Magorum tamen imagines propter munera, quæ offerebant minimè claritas illa irradiavit) Et in multis regionibus fruges grandinis vastatione deletæ, atque in quibusdam locis simul cum ipsa grandine veri lapides, atque ingentis ponderis decidere visi. Domus quoque de cœlo tactæ, hominesque, ac cetera animalia passim fluminum ictu præter solitum crebrò exanimata dicuntur. Sequuta est ingens pestilentia, atque hominum mortalitas, quæ per totam Franciam immaniter usquequaque grassata est, & innumeram hominum multitudinem diversi sexus, & ætatis gravissimè sæviendo consumpsit.

B

C

DCCCXXIV.

824 Anno ab Incarnat. Domini DCCCXXIV. Rex Bulgarorum non velut pacis faciendæ gratiâ, Legatos ad Imperatorem misit. Quos ille cùm audisset, ac literas, quæ allatæ fuerant, legisset, rei novitate non immeritò permotus, ad explorandam diligentiùs insolitæ, & nunquam priùs in Franciam venientis Legationis causam, Machemum (1) quendam de Bajoaria cum ipsis Legatis ad memoratum Bulgarorum Regem direxit. Hiems aspera, valdèque prolixa facta est, quæ non solùm cætera animalia, verùm etiam homines quosdam immanitate frigoris extinxit. Luna defecit III. Non. Martii, horâ noctis secundâ. Suppo Dux Spolitanus decessisse nunciatur. Interea Legati Romani Pontificis Romam regressi, eundem valida infirmitate detentum, ac morti proximum invenerunt. Qui etiam paucis post adventum illorum exactis diebus vitâ decessit. In cujus locum cùm duo per contentionem populi fuissent electi, Eugenius tamen Archipresbyter tituli Sanctæ Sabinæ vincente Nobilium parte subrogatus, atque ordinatus est. Cujus rei nuncium cùm Quirinus Subdiaconus, unus ex his qui priore Legatione fungebantur, ad Imperatorem detulisset, Conventu circiter VIII. Kal. Julii pronunciato, atque Compendio habito, ipse ad Britannicam expeditionem per se faciendam animo intento, Hlotharium filium Imperii socium Romam mittere decrevit, ut vice sua functus ea, quæ rerum necessitas flagitare videbatur, cum novo Pontifice, populoque Romano statueret, atque firmaret. Et ille quidem ad hæc exequenda post medium Augustum in Italiam profectus est. Imperator verò iter, quod in Britanniam paraverat, propter famem, quæ adhuc prævalida erat, usque ad initium Autumni adgredi distulit. Tum demum adunatis undique omnibus copiis, Redonas civitatem terminis Britanniæ contiguam venit: & inde diviso in tres partes exercitu, duabusque partibus filiis suis Pippino, & Hludoico traditis, tertiâque secum retentâ, Britanniam ingressus, totam ferro, & igni vastavit. Consumptisque in hac expeditione quadraginta, vel eo amplius diebus, acceptis quos perfido Brittonum populo imperaverat obsidibus, Rodtomagum civitatem, ubi conjugem se operire jusserat, ad XV. Kalendas Decembris reversus est. Nam & illuc Legatos Michaëlis Imperatoris, qui ad eum mittebantur, sibi occurrere jussit. Cum quibus & Fortunatus Patriarcha Veneticorum regressus, ad ejus venit præsentiam. Sed Legati Imperatoris literas, & munera deferentes, pro Fortunato nihil locuti sunt. Inter cætera tamen ad Legationem suam pertinentia, quædam de imaginum veneratione protulerunt, propter quæ se Romam ire, atque Apostolicæ Sedis Præsulem consulere debere dixerunt. Quos cùm, Legatione eorum audita, ac responso reddito, absolveret, Romam ut se velle dicebant ducere jussit. Fortunatum etiam de causa fugæ ipsius percunctatus, ad examinandum eum Romano Pontifici direxit. Ipse Aquisgrani ubi hiemare statuerat profectus est. Quò cùm venisset, & ibi Natalem Domini celebrasset, allatum est ei quòd Legati Regis Bulgarorum essent in Bajoaria. Quibus obviàm mittens, ipsos quidem usque ad tempus congruum ibidem fecit operiri. Cæterùm Legatos Abodritorum, qui vulgò Prædenecenti vocantur, & contermini Bulgaris Daciam Danubio adjacentem incolunt, qui & ipse advenare nunciabatur, illico venire permisit. Qui cùm de Bulgarorum iniqua infestatione quererentur, & contra eos auxilium sibi ferri deposcerent, domum ire, atque iterum ad tempus Bulgarorum Legatis constitutum redire jussi sunt. Suppone apud Spoletium sicut dictum erat defuncto, eundem Ducatum Adhalhardus Comes Palatii, qui junior vocabatur, accepit. Qui cùm vix quinque menses eodem honore potiretur, correptus febre decessit. Cui cùm Moringus Brixiæ Comes successor esset electus, nuncio honoris sibi deputati accepto decubuit, & paucis interpositis diebus vitam finivit. Eblus, & Asinarius Comites cum copiis Vasconum ad Pampilonam missi, cùm peracto jam sibi injuncto negotio reverterentur, in ipso Pyrenæi jugo perfidiâ Montanorum in insidias deducti, ac circumventi, capti sunt, & copiæ, quas secum habuere, penè usque ad internecionem delelatæ. Et Eblus quidem Cordubam missus, Asinarius verò misericordiâ eorum, qui eum ceperant, quasi consanguineus eorum esset, domum redire permissus est. Hlotharius verò juxta patris mandatum Romam profectus, ab Eugenio Pontifice honorificè suscipitur. Cui cùm injuncta sibi patefaceret, statum populi Romani jamdudum quorumdam Præsulum perversitate depravatum, memorati Pontificis, benivola defensione ita correxit, ut omnes, qui de rerum suarum direptione graviter fuerant desolati, de receptione bonorum suorum, quæ per illius adventum Deo donante provenerat, magnificè sint consolati.

D

E

Hoc anno paucis ante Solstitium æstivale die-

(1) al. Machelinum.

diebus in Territorio Augustodunense, aëre in tempestatem subita mutatione converso, ingens fragmentum ex glacie simul cum grandine decidisse narratur; cujus longitudo, quindecim, latitudo septem, crassitudo duos pedes habuisse dicitur.

DCCCXXV.

825. Anno ab Incarnat. Domini DCCCXXV. Sacro Paschali festo solemniter Aquisgrani celebrato, arridente etiam verna temperie, Imperator venandi gratiâ Noviomagum profectus, Legatos Bulgarorum circa medium Majum Aquisgrani venire præcepit. Nam tunc illò reverti statuit, habiturus ibi Conventum, quem de Britannia regressus, eo se tempore ibidem habere velle Optimatibus indicaverat. Quò cùm peracta venatione fuisset reversus, Bulgaricam Legationem audivit; Erat enim de terminis, ac finibus inter Bulgaros, ac Francos constituendis. Affuerunt in eodem penè omnes Britanniæ primores, inter quos, & Wihomarcus, qui perfidiâ suâ totam Britanniam conturbaverat, & obstinatione stultissima ad memoratam expeditionem clam faciendam Imperatoris animum provocaverat. Tandem saniore usus consilio, ad fidem Imperatoris, ut ipse dicebat, venire non dubitavit. Cui cùm Imperator, & ignosceret, & muneribus donatum unà cum cæteris Gentis suæ primoribus domum remeare permitteret, promissam fidem, ut priùs consueverat, gentilitiâ perfidiâ commutavit, ac vicinos suos incendiis, & direptionibus in quantum potuit infestare non cessavit: donec ab hominibus Landberti Comitis in domo propria circumventus, atque interfectus est. Imperator verò, audita Bulgarorum Legatione, per eosdem, qui ad eum missi fuerant, Legatos, Regi eorum missis literis prout videbatur respondit. Dimissoque Conventu, in Vogesum ad Rumerici montem venandi gratiâ profectus, filium suum Hlotharium ex Italia regressum, ibique ad se venientem suscepit: ac peracta venatione Aquisgrani rediens, generalem populi sui Conventum more solemni, mense Augusto habuit. In quo Conventu inter cæteras Legationes, quę de diversis partibus venerunt, etiam & filiorum Godefridi de Nortmannia Legatos audivit: ac pacem, quam iidem sibi dari petebant, cum eis in Marca eorum mense Octobrio confirmari jussit. Completisque omnibus negotiis, quæ ad illius Conventus rationem pertinere videbantur, Noviomagum cum filio majore secessit. Minorem verò filium suum Hludovicum in Bajoariam direxit. Ipse autem autumnali venatione completa, circa hiemis initium Aquisgrani reversus est.

In Territorio Tullense juxta Comerciacum villam puella quædam annorum circiter duodecim, post Sacram Communionem, quam in Pascha de Sacerdotis manu sumendo perceperat, primò pane, deinde omnibus cibis, & potibus abstinendo, intantum jejunasse perhibetur, ut nulla penitùs corporalia alimenta suscipiens, sinè omni victus desiderio plenum triennium compleverit. Cœpit autem jejunare anno Incarnationis Dominicæ DCCCXXIII. sicut in ipsius anni descriptione superiùs annotatum est. Et hoc anno, idest DCCCXXV. circa Novembris mensis initium peracto jejunio, escam sumere, ac more cæterorum mortalium manducando vivere cœpit.

DCCCXXVI.

826. Anno ab Incarnat. Domini DCCCXXVI. Cùm Regi Bulgarorum Legati sui quid egerint renunciassent, iterum eum, quem primò miserat ad Imperatorem, cum literis remisit: rogans ut sinè interpositione orarum, vel terminorum definitio fieret: vel si hoc non placeret, suos quisque terminos sinè pacis fœdere tueretur. Cui Imperator, quia fama erat Bulgarorum Regem à suo quodam Optimate, aut Regno pulsum, aut interfectum, respondere distulit. Illoque expectare jusso propter famæ certitudinem comperiendam, Bertricum Palatii Comitem ad Baldricum & Geroldum Comites, & Avarici limitis Custodes, in Carantanorum provinciam misit. Qui cùm reversus nihil certi super his, quæ fama vulgaverat reportasset, Imperator Legatum ad se vocatum sinè literis remeare fecit. Interea Pippinus Rex filius Imperatoris, ut jussus erat, cum suis Optimatibus, & Hispanici limitis Custodibus, circa Kalendas Februarias Aquisgrani (nam ibi tunc Imperator hiemaverat) venit cum quibus ubi de tuendis contra Sarracenos Occidentalium partium finibus esset tractatum, atque dispositum, Pippinus in Aquitaniam regressus æstatem in deputatum sibi locum transegit. Imperator verò medio mense Majo Aquis egressus circa Kalendas Junii, ad Ingelenhaim venit. Habitoque ibi Conventu non modico, multas, & ex diversis Terrarum partibus missas Legationes audivit, & absolvit. Inter quas præcipua, cæterisque præeminens erat Legatio sanctæ Sedis Apostolicæ, Romanæ videlicet Ecclesiæ, qua fungebatur Leo Centumcellensis Episcopus, & Theofilactus Nomenclator, & de partibus transmarinis Dominicus Abba de Monte Oliveti. Legati quoque filiorum Godefridi Regis Danorum, pacis, ac fœderis causâ directi: & de Sclavorum regionibus quidam Abodritorum Primores Ceadragum Ducem suum accusantes. Accusabatur & Tunglo unus de Soraborum Primoribus, quòd & ipse dicto audiens non esset. Quorum utrique denunciatum est, quòd si medio Octobrio ad Imperatoris generalem Conventum venire distulisset, condignas perfidiæ suæ pœnas esse daturum. Venerunt & ex Britonum primoribus, quos illius limitis Custodes adducere voluerunt. Eodem tempore Herioldus cum uxore, & magna Danorum multitudine veniens Moguntiacum, apud Sanctum Albanum cum his, quos secum adduxit, baptizatus est, multisque muneribus ab Imperatore donatus, per Frisiam, qua venerat via reversus est. In qua Provincia unus Comitatus, qui *Riustri* vocatur, eidem datus est, ut in eum se cum rebus suis, si necessitas exigeret, recipere potuisset. Baldricus verò, & Geroldus Comites, ac Pannonici limitis Præfecti in eodem Conventu affuerunt, & adhuc de motu Bulgarorum adversùm nos nihil se sentire posse testati sunt. Venit cum Baldrico Presbyter quidam de Venetia Georgius nomine, qui se organum facere posse asserebat. Quem Imperator Aquisgrani cum Tanculfo Sacellario misit, & ut ei omnia ad id instrumentum efficiendum necessaria præberentur imperavit. Condictoque, ac pronunciato ad medium Octobrium generali Conventu, cæteris omnibus more solemni absolutis, ipse trans Rhenum ad villam, quæ *Salz* vocatur, cum suo comitatu profectus est. Ibi ad eum Legati Neapolitanorum venerunt, atque inde accepto responso ad sua regressi sunt. Ibi ad ejus notitiam perlatum est de fuga, ac perfidia Aizonis, quomodo fraudulenter Ausonam ingressus, & à populo illo, quem dolo deceperat, receptus, vel Torotam civitatem

tem destruxit: castella ejusdem regionis, quæ firmiora videbantur, comminuit, missoque ad Abdiraman Regem Sarracenorum fratre suo, auxilium, quod petebat jussu ejusdem Regis contra nos accepit. Sed Imperator, licèt hujus rei nuncium graviter ferret, nihil tamen inconsultè gerendum judicans, Consiliariorum suorum adventum statuit operiri. Transactaque autumnali venatione circa Kalendas Octobris per Mœnum fluvium usque ad *Franconosfurd* secundâ aquâ navigavit. Inde ad Ingelenhaim medio Octobrio veniens, generalem ibi, ut condictum erat, populi sui Conventum habuit, in quo & Ceadragum Abodritorum Ducem, necnon & Tuncglonem, qui apud eum perfidiæ accusabantur, audivit. Et Tuncglonem quidem, accepto ab eo filio ejus obside, domum redire permisit. Ceadragum verò, cæteris Abodritis dimissis, secum retinuit: missisque ad populum Abodritorum Legatis, si eum sibi vulgus regnare vellet, perquirere jussit. Ipse autem Aquisgrani, ubi hiemare constituerat, profectus est. Cùmque Legati, quos ad Abodritos miserat, reversi nunciassent variam illius Gentis pro Regno suo recipiendo sententiam, meliores tamen, ac præstantiores quosque de illius receptione concordare, acceptis ab eo, quos imperavit obsidibus, in Regnum suum eum fecit restitui. Dum hæc aguntur, Hilduinus Abbas Monasterii Sancti Dionysii Martyris Romam mittens, annuente precibus ejus Eugenio Sanctæ Sedis Apostolicæ tunc Præsule, ossa Beatissimi Sebastiani Martyris accepit, & ea apud Suessonam civitatem in Basilica S. Medardi collocavit. Ubi, dum adhuc inhumata in loculo, in quo ablata fuerant, juxta tumulum Sancti Medardi jacêrent, tanta prodigiorum, ac signorum multitudo claruit, tanta virtutum vis in omni genere sanitatum per divinam gratiam in nomine ejusdem Beatissimi Martyris enitivit, ut à nullo mortalium eorumdem miraculorum, aut numerus comprehendi, aut varietas verbis valeat enunciari. Quorum quædam tanti stuporis esse narrantur, ut humanæ imbecillitatis fidem excederent, nisi certum esset Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, pro quo idem Beatissimus Martyr passus esse dignoscitur, omnia, quæ vult, facere posse per Divinam Omnipotentiam, in qua illi omnis creatura in cœlo, & in terra subjecta est.

DCCCXXVII.

827. Anno ab Incarnat. Dom. DCCCXXVII. Imperator Elizacharum Presbyterum, & Abbatem, & cum eo Hildibrandum atque Donatum Comites ad motus Hispanicæ Marcæ componendos misit. Ante quorum adventum Aizo Sarracenorum auxilio fretus, multa ejusdem limitis Custodibus adversa intulit, eosque assiduis incursionibus in tantum fatigavit, ut quidam illorum, relictis, quæ tueri debebant castellis, recederent. Defecit ad eum & filius Berani nomine Wilemundus, nec non & alii complures novarum rerum gentilitia levitate cupidi: junctique Sarracenis, ac Mauris, Ceritaniam, & Vallensem rapinis, atque incendiis quotidie infestabant. Cumque ad sedandos, ac mitigandos Gothorum, atque Hispanorum in illis finibus habitantium animos Helisachar Abbas cùm aliis ab Imperatore missis multa, & propriâ industria, & sociorum consilio prudenter administrasset, Bernardus quoque Barcinonæ Comes Aizonis insidiis, & eorum, qui ad eum defecerant calliditati, ac fraudulentis machinationibus pertinacissimè resisteret, atque
A eorum temerarios conatus irritos efficeret, exercitus à Rege Sarracenorum Abdiraman ad auxilium Aizoni ferendum missus, Cæsaraugustam venisse nunciatur. Supra quem Abumarnam Regis propinquus Dux constitutus, ex persuasionibus Aizonis haud dubiam sibi victoriam pollicebatur. Contra quem Imperator filium suum Pippinum Aquitaniæ Regem cum immodicis Francorum copiis mittens, Regni sui terminos tueri præcepit. Quod ita factum esset, nisi Ducum desidiâ, quos Francorum exercitui præfecerat, tardiùs quàm rerum necessitas postulabat, is, quem ducebant ad Marcam venisset exercitus. Quæ tarditas intantum noxia fuit, ut Abumaruan vastatis Barcino-
B nensium, ac Gerundensium agris, villisque incensis, cunctis etiam, quæ extra urbes invenerat direptis, cum incolumi exercitu Cæsaraugustam se priùs reciperet, quàm à nostro exercitu vel videri potuisset. Hujus cladis præsagia credita sunt visæ multoties in cœlo acies, & ille terribilis nocturnæ coruscationis in aëre discursus. Imperator autem duobus Conventibus habitis, uno apud Niumagam propter falsas Horici filii Godifridi Regis Danorum pollicitationes, quibus se illò ad Imperatoris præsentiam venturum promiserat: altero apud Compendium, in quo & annualia dona suscepit, & his, qui ad Marcam Hispanicam mittendi erant, quid, vel qualiter agere deberent im-
C peravit. Ipse autem Compendium, & Carisiacum, cæteraque his vicina Palatia usque ad hiberni temporis initium conversatus est. Interea Reges Danorum, filii videlicet Godefridi, Herioldum de Consortio Regni ejicientes, Normannorum finibus excedere compulerunt. Bulgari quoque Sclavos in Pannonia sedentes, misso per Dravum navali exercitu, ferro, & igni vastaverunt; & expulsis eorum Ducibus, Bulgaros super eos Rectores constituerunt. Eugenius Papa mense Augusto decessit. In cujus locum Valentinus Diaconus à Romanis electus, & ordinatus, vix unum mensem in Pontificatu complevit. Quo defuncto, Gregorius Presbyter tituli Sancti Marcelli electus, sed non priùs
D ordinatus est, quàm Legatus Imperatoris Romam venit, & electionem populi, qualis esset examinavit. Legati Michaëlis Imperatoris de Constantinopoli ad Imperatorem quasi propter fœdus confirmandum missi, septembrio mense Compendium venerunt. Quos ille benignè receptos & audivit, & absolvit. Corpora Beatissimorum Christi Martyrum Marcellini, & Petri de Roma sublata, & Octobrio mense in Franciam translata, & ibi multis signis, atque virtutibus clarificata sunt.

DCCCXXVIII.

828. Anno ab Incarnat. Domini DCCCXXVIII. Conventus Aquisgrani mense Februario factus est, in quo cùm de multis aliis causis, tum præcipuè de his, quæ in Marca Hispanica contige-
E runt, ratio habita: & Legati, qui exercitui præerant, culpabiles inventi, & juxta merita sua honorum ammissione mulctati sunt. Similiter & Baldricus Dux Forojulensis, cùm propter ejus ignaviam Bulgarorum exercitus terminos Pannoniæ superioris impunè vastasset, honoribus, quos habebat privatus, & Marca, quam solus tenebat inter quatuor Comites divisa est. Halitgarius Cameracensis Episcopus, & Hansfridus Abba Monasterii Nonantulæ, Constantinopolim missi, & à Michaële Imperatore, sicut ipsi inde reversi retulerunt, honorificè suscepti sunt. Imperator Junio mense

ad

ad Ingulhaim villam venit, ibique per aliquot dies Placitum habuit. In quo cùm de filiis suis Hlothario, & Pippino cum exercitu ad Marcam Hispanicam mittendis consilium iniisset, & id quomodo fieret ordinasset, Missos etiam Romani Pontificis, Quintinum Primicerium, ac Theofilactum Nomenclatorem, qui ad eum illò venerant, audita illorum legatione dimisisset, ad villam Franconofurd profectus est. Ibique aliquamdiu moratus Wormatiam venit, atque indè Theodonis-villam perrexit. De quo loco Hlotharium filium suum cum magnis Francorum copiis ad Hispanicam Marcam direxit. Qui cùm Lugdunum venisset, consedit; nuncium operiens, qui de Sarracenorum adventu facerent certiorem. In qua expectatione cum Pippino fratre colloquitur. Et comperto quòd Sarraceni ad Marcam venire, aut timerent, aut nollent, redeunte in Aquitaniam fratre, ipse ad patrem Aquisgrani revertitur. Interea cùm in confinibus Nortmannorum tam de fœdere inter illos, & Francos confirmando, quàm de Herioldi rebus tractandum esset, & ad hoc totius penè Saxoniæ Comites simul cum Marchionibus illò convenissent, Herioldus rerum gerendarum nimis cupidus, condictam, & per obsides firmatam pacem, incensis, ac direptis aliquot Nortmannorum villulis irrupit. Quod audientes filii Godefridi, contractis subitò copiis ad Marcam veniunt, & nostros in ripa Eidoræ fluminis sedentes, ac nihil tale opinantes, transito flumine adorti, castris exuunt: eisque in fugam actis, cuncta diripiunt, ac se cum omnibus copiis suis in sua castra recipiunt. Deinde inito consilio, ut ultionem hujus facti prævenirent, missa Legatione ad Imperatorem, quàm inviti, & quanta necessitate coacti id fecerint, exposuerunt. Se tamen ad satisfactionem esse paratos, & hoc in Imperatoris esse arbitrio, qualiter ita fieret emendatum, ut de re inter partes pax firma maneret. Bonifacius Comes, cui tutela Corsicæ insulæ tunc erat commissa, assumto secum fratre Berchario, necnon & aliis quibusdam Comitibus de Tuscia, Corsica, atque Sardinia, parva classe circumvectus, cùm nullum in mari pyratam invenisset, in Africam trajecit: & inter Uticam, atque Cartaginem ingressus, innumeram incolarum multitudinem subitò congregatam offendit, cum qua & prœlium conseruit, & quinquies, vel eo ampliùs fusam, fugatamque profligavit, magnaque Afrorum multitudine prostrata, aliquantis etiam sociorum suorum per temeritatem amissis, in naves suas se recepit, atque hoc facto ingentem Afris timorem incussit. Luna Kalend. Julii primo diluculo in occasu suo defecta est. Similiter & in VIII. Kalend. Januarii, idest in Natalem Domini, media nocte obscurata est. (Ferunt in regione Wasconia trans Garumnam fluvium, in pago Aginense annonam pluere de cœlo similem frumento, sed paululum breviore, ac rotunda grana habere: de qua domno Imperatori adlatum est ad Aquis Palatium) Imperator circa Missam Sancti Martini Aquisgrani ad hiemandum venit. Ibique positus totum hiberni temporis spacium in diversis Conventibus ob necessaria Regni negotia congregatis impendit.

DCCCXXIX.

829. Anno ab Incarnat. Domini DCCCXXIX. post exactum hiemem in ipso Sancto Quadragesimali Jejunio, paucis ante Sanctum Pascha diebus, Aquisgrani terræmotus noctu factus, ventusque tam vehemens coortus, ut non solùm humiliores domos, verumetiam ipsam Sanctæ Dei Genitricis Basilicam, quam Capellam vocant, tegulis plumbeis tectam, non modica denudaret parte. Imperator verò in diversis occupationibus, usque ad Kalend. Julias Aquisgrani moratus, tandem ad generalem Conventum Wormatiæ habendum cum Comitatu suo mense Augusto statuit proficisci. Sed priusquam inde promoveret, nuncium accepit, Nortmannos velle trans Albiam Saxoniæ regionem invadere, atque exercitum eorum, qui hoc facturus esset, nostris finibus appropinquare. Quo nuncio commotus, misit in omnes Franciæ partes, & jussit ut cum summa festinatione tota populi sui generalitas post se in Saxoniam venisset: indicans simul velle se apud Novesium medio circiter Julio Rhenum transire. Sed ubi vana esse comperit quæ de Nortmannis fama disperserat, sicut dispositum priùs habebat, medio mense Augusto Wormatiam venit. Ibique habito generali Conventu, & oblata sibi annua dona solemni more suscepit, & Legationes plurimas, quæ tam de Roma, & Benevento, quàm de aliis longinquis terris ad eum venerant, audivit, atque absolvit. Hlotharium quoque filium suum finito Conventu in Italiam direxit, ac Bernardum Comitem Barcinonæ, qui eatenus in Marca Hispaniæ præsidebat, Camerarium in Palatio constituit. Aliis etiam causis, quæ ad illius Placiti completionem pertinere videbantur, congruo modo dispositis, atque completis, populoque ad sua ire dimisso, ipse ad autumnalis venationis exercitium Franconofordo villam profectus est. Qua transacta, ad hiemandum Aquisgrani reversus est, ubi ad Missam Sancti Martini, ac festivitatem Beati Andreæ Apostoli, necnon & ipsum Sacrosanctum Dominicæ Nativitatis diem cum magna lætitia, & exultatione celebravit.

DCCCXXX.

830. Anno ab Incarnatione Dñi DCCCXXX. Conventus ibidem factus est, in quo statuit cum universis Francis hostiliter in partes Britanniæ proficisci, maximèque hoc persuadente Bernardo Camerario. Et non multò post Aquis exivit, idest IV. feriâ, quæ dicitur caput Jejunii, valde pedum ægritudine laboriosus, statuit per maritima loca illuc properare, domna Imperatrice in Aquis dimissa. Quod iter omnis populus molestè ferens propter difficultatem itineris, eum illuc sequi noluerunt. Nam aliqui ex primoribus murmurationem populi cognoscentes, convocaverunt illum, ut eum à fide, quam domno Imperatori promissam habebant, averterent. Ideoque omnis populus, qui in Britanniam ire debebat, ad Parisium se conjunxit: necnon Hlotharium de Italia, & Pippinum de Aquitania hostiliter adversùm patrem venire, ut illum de Regno ejicerent, & novercam suam perderent, ac Bernardum interficerent, compulerunt. Quod præfatus Bernardus sentiens, fugâ lapsus Barcinonam pervênit. Cùmque domno Imperatori illorum consilium denunciatum esset, continuò obviam illis ad Compendium perrexit. Ibique veniens Pippinus cum multitudine populi, consensu Hlotharii omnem potestatem Regiam, uxoremque ejus tulerunt, ac velantes eam miserunt Pictavis ad Monasterium Sanctæ Radegundis. Cujus etiam fratres Conradum videlicet, atque Rodulphum tonsurantes, per Monasteria retruserunt. Post Octavas autem Paschæ Hlotharius de Italia perveniens, Placitum illic habuit, & He-

Herebertum fratrem Bernardi excoecari jussit, aliquosque fideles domni Imperatoris in custodiam misit. His omnibus ita peractis, alium Conventum domnus Imperator cum filio suo Hlothario circa Kalendas Octobris Noviomago condixit, ubi Saxones, & Orientales Franci convenire potuissent. Nam illuc ex utraque parte, scilicet domni Imperatoris, & Hlotharii, multorum congregatus est exercitus. Ibique domnus Imperator recuperato Imperio, jussit auctores illius facti, quorum fraus detecta, & conspiratio patefacta erat, propter illorum controversiam in custodiam mitti usque ad aliud Placitum, quod Aquisgrani erat habiturus. Verùm ab omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, ac cæteris Francis, judicatum est, ut conjux ejus, quæ injustè, & sinè lege, ac judicio ei ablata fuerat, ad memoratum condictum Placitum reduceretur: & si quislibet aliquot crimen illi objicere vellet, aut se legibus defenderet, aut judicium Francorum subiret. Et inde domnus Imperator ad hyemandum Aquis properavit anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXI.

DCCCXXXI.

831 Nam circa Kalendas Februarii, sicut condictum fuerat generale Placitum habuit, eosque, qui anno superiori propter seditionem priùs in Compendio, & postea in Niumago domnum Imperatorem offenderant, venire jussit: ut illorum causa discuteretur, & dijudicaretur Primùmque à filiis ejus, ac deinde à cuncto qui aderat populo judicatum est, ut capitalem subirent sententiam. Tunc domnus Imperator solita pietate vitam, & membra illis indulsit, ipsosque per diversa loca ad custodiendum commendavit. Hlotharius verò, propter quòd magis illis consenserat, quàm debuisset, genitoris pium commovit animum. Ad quod Placitum domna Imperatrix, sicut jussum fuerat, veniens, & in conspectu domni Imperatoris, ac filiorum ejus assistens, de cunctis se objicientibus purificare velle ajebat. Percunctatusque est populus, si quislibet in eam aliquod crimen objicere vellet; cùmque nullus inventus esset, qui quodlibet illi malum inferret, purificavit se secundùm judicium Francorum de omnibus quibus accusata fuerat. Peractoque Placito Hlotharium in Italiam, Pippinum in Aquitaniam, Hludoicum in Bajoariam ire permisit. Ipse autem circa Kalendas Maji ad Ingulehem veniens, Hlotharium illic ad se venientem honorificè suscepit. Hi quoque, qui in exilium missi fuerant, adducti, & absoluti, gratiamque domni Imperatoris adepti sunt. Tertium verò generale Placitum in Theodonis-villa habuit, ibique ad eum Legati Amiralmummin inde perfidè venientes, pacem petiverunt, qua mox impetrata, reversi sunt. Necnon Missi Danorum eadem exorantes venerunt, & fœdere firmato ad propria repedarunt. Multæque Legationes Sclavorum ad eum venientes, auditæ, dispositæ, & absolutæ sunt. Bernardus Comes adveniens, de quibus accusatus fuerat domno Imperatori, filiisque suis jurejurando satisfecit. Filii quoque ejus, qui adfuerant, ad sua remearunt. Pippinum inibi diutiùs expectans, plures ad eum Legatos direxit, ut veniret. Qui se venturum promisit, & venire distulit. Ipse verò ad hyemandum post Missam Sancti Martini Aquis venit. Ibi Pippinus paucis diebus ante Natalem Domini ad eum venit. Quem domnus Imperator, propter inobedientiam illius, non tam benignè suscepit, quàm antea solitus fuerat.

DCCCXXXII.

832. Anno ab Incarnat. Dom. DCCCXXXII. Indignatus Pippinus, quòd à patre non fuerat honorificè susceptus, inito consilio, in vigilia Innocentium, primâ noctis horâ cum paucis suorum fugâ lapsus est, & sub omni festinatione Aquitaniam petiit. At domnus Imperator graviter inde commotus est, nunquam æstimans filio suo talia debere contingere, aut patris præsentiam fugere. Tunc igitur convocatis undique Consiliariis, habitoque cum eis consilio, quid de his agendum esset, statutum est ut suum generale Placitum in Aurelianis civitate habendum denunciaretur: illucque Hlotharium de Italia, Ludovicum verò ad Aquis venire, pariterque cum patre ad condictum Placitum pergere, quibus ita consideratis, & ubique ad hoc adnunciandum Legatis directis, subitò perventum est ad aures piissimi Imperatoris, Ludovicum cum omnibus Bajoariis liberis, & servis, & Sclavis, quos ad se vocare poterat, Alemaniam, quæ fratri suo Carolo à patre jamdudum data fuerat, ingredi velle, eamque vastare, & diripere, ac suo Regno adunare, cunctumque populum Regni illius ei fidelitatem promittere: & his peractis, in Franciam cum ipso exercitu hostiliter venire, & de Regno patris sui quanto plurimum potuisset invadere, sibique subjicere. Cùmque hoc compertum esset, statim domnus Imperator mutato Placito, omnes Francos Occidentales, & Australes, nec non & Saxones obviam sibi XIV. Kalend. Maji Maguntiam venire præcepit. Hoc audientes omnes alacriter ad domnum Imperatorem venire festinaverunt, ei in omnibus auxilium præbere cupientes. Quo etiam tempore eclypsis Lunæ XIV. Kal. Maji post Solis occasum facta est. Domnus Imperator cùm Maguntiam venit, ubi & ad Placitum, quod eis constituerat omnis populus occurrit, mox in crastinum cum valida Francorum, & Saxonum manu Rheno, & Moin fluminibus transitis, circa Tiburim (1) villam castrametatus est. Ludoicus verò filius ejus juxta Wormatiam in villa, quæ vocatur Langbardheim (2) cum suo exercitu residebat, vanis pollicitationibus spem suam habens intentam, quia hoc illi à suis promissum est, nec non ab aliis, qui cum eo erant Comitibus, & vassallis domni Imperatoris, & Caroli: ut omnes Australes Franci, & Saxones ei auxilium ferre deberent. Et hoc maximè Mathfridus dolosè meditatus, & machinatus est, cui domnus Imperator anno priore cùm ad mortem dijudicatus fuerat, vitam, & membra, & hæreditatem habere concessit. Cùmque Ludoicus patrem suum cum tanta fidelium copia Rhenum transisse cognovit, minorata est ejus audacia, & expetitæ injustæ potentiæ spes ablata est. Nec mora cum suis hominibus Bajoariam per eandem viam, qua venerat, festinanter reversus est, plurimique eorum, qui cum illo erant ad domnum Imperatorem regressi sunt. Audiens domnus Imperator subitaneam ejus reversionem, perrexit ad locum, de quo ille redierat, ibique plurima devastata invênit, quæ omnia adversa, sicut ei mos est, patienter tulit: & lento gradu non filium persequendo cum omni exercitu in Alemaniam perrexit, pervênitque ad *Augustburg* super Lech. Ibique filium suum, qui

(1) *al.* Triburim.

(2) *al.* Langardhim.

qui taliter seductus fuerat ad se venire fecit, ac solita pietate quæ contra se facta fuerant omnia illi indulsit. Qui tamen jurejurando promisit ne ultra talia perpetraret, neque aliis ad hoc consentiret. Peracto itaque Placito, filium suum cum pace Bajoariam redire permisit, & exercitu dimisso ipse per Austriam ad Salz venit: ibique illi domna Imperatrix obviam occurrit. Qui unà navali itinere Moguntiam venerunt, ubi & Lotharius patri occurrit, ubi etiam denuò annunciatum est Placitum generale Kalendas Septembris Aurelianis habendum, ibique unumquemque hostem liberè advenire. Cùmque illuc pervênit dona annualia more solito suscipiens, mox inde ad Lemodicas festinavit. Tunc filium suum Pippinum ad se vocans, inter cætera increpavit eum, cur de ejus præsentia sinè licentia aufugisset. Paternoque illum affectu corripere cupiens in Franciam ire præcepit: ut in loco, quo eum esse injunxit, moram faceret quousque sua emendatione patris animum mitigaret. Ille verò se facturum simulans, & de incœpto itinere regrediens, paternam jussionem implere contempsit: domno Imperatore per alias partes Aquitaniæ in Franciam revertente. Dumque hoc illi nunciatum esset, non tam citò in Franciam venit sicut dispositum habuerat: sed propter hoc aliquantis diebus illis in partibus moras faciens, tandem ante Natalem Domini Cinomannis pervênit anno DCCCXXXIII.

DCCCXXXIII.

833. Nam ibi celebratis sanctis diebus, recto itinere Aquis pervênit, ubi non multis diebus demoranti, nunciatum est illi, quòd iterum filii sui adunati pariter in illum insurgere, & cum multa copia hostium inruere vellent. Qui consilio inito Wormatiam ante initium Quadragesimæ pervênit, ibique peractis illis diebus, Sanctæ Paschæ, & Pentecostes festivitates celebravit: convocatoque exercitu, obviam illis ire disposuit, ut si eos verbis pacificis ab hac audacia avertere nequivisset, armis, ne Christianum populum læderent, compesceret. Denique filii ejus cœptum peragere cupientes, in pago Helisaciæ in loco, qui dicitur *Rotfelth*, idest *rubeus campus*, juxta Columb, qui deinceps Campus-mentitus vocatur, se conjunxerunt: idest Lotharius de Italia Gregorium Apostolicum secum adducens, Pippinus de Aquitania, & Ludoicus de Bajoaria, cum plurima hominum multitudine. Quibus cùm domnus Imperator occurrisset, nullatenus eos ab eadem pertinacia compescere potuit; sed pravis persuasionibus, & falsis promissionibus populum, qui cum domno Imperatore venerat, deceperunt, ita ut omnes illum dimitterent. Drogo verò frater Imperatoris, & Modoinus, ac Wiliricus, atque præfatus Aldricus Episcopi, cum nonnullis Episcopis aliis, Abbatibus, Comitibus, ac reliquis suis fidelibus, cum illo remanseruut. Nam aliqui ex illis, in quos eorum ira maximè sæviebat, abscesserunt, & in locis amicorum, ac fidelium se contulerunt. Ablataque illi conjuge, & in Italiam apud civitatem Tartonam in exilium directa, Lotharius arrepta potestate regia Apostolicum Romam, Pippinum in Aquitaniam, & Ludoicum in Bajoariam redire permisit. Ipse verò patrem secum sub custodia per Mettis usque ad Suessionis civitatem perducens, illic eum Monasterio Sancti Medardi in eadem custodia reliquit: & filium ejus Carolum ei auferens, ad Monasterium Promiæ transmisit. Unde patrem nimiùm contristavit. Deinde condictum Placitum Kalendas Octobris Lotharius in Compendio habuit. Ibique Episcopi, Abbates, Comites, & universus populus convenientes, dona annualia ei præsentaverunt, fidelitatemque promiserunt. Nam illuc quoque Legati ex Constantinopoli, qui ad patrem fuerant destinati, ad Lotharium pervenerunt, eique epistolas, & munera detulerunt. In quo Conventu multa in domnum Imperatorem crimina confixerunt. Inter quos Ebo Remorum Episcopus falsarum objectionum incentor extiterat. Et tamdiu illum vexaverunt, quousque arma deponere, habitumque mutare cogentes, liminibus Ecclesiæ pepulerunt: ita ut nullus loqui cum eo auderet, nisi illi, qui ad hoc fuerant deputati. Postea verò metuentes, ne ab ipso loco à quibusdam suis fidelibus eriperetur, ipse Lotharius ad idem Monasterium veniens, patrem illo nolente secum adduxit, atque in Compendio sub eadem excommunicatione retinuit. Tunc peracto Placito, Lotharius ad hiemandum Aquis properavit, & patrem suum, ire sub prædicta custodia fecit, ac vigiliâ Sancti Andreæ Aquis pervênit. Post paucos autem dies accidit, ut ob quasdam causas Lotharius, & Ludoicus Mogontiâ colloquium haberent. Ubi Ludoicus fratrem suum Lotharium obnixè deprecatus est, ut patri illorum mitior fieret, nec tam strictâ custodiâ illum teneret. Quod illo renuente, Ludoicus tristis abscessit, deinceps cum suis meditans qualiter patrem suum ab eadem custodia eriperet. Lotharius autem paucis diebus ante Natale Domini Aquis pervênit anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXIV.

DCCCXXXIV.

834. Et domnus quidem Imperator in Aquis servabatur, nihilque humanum erga illum fiebat: sed multò crudeliùs adversarii ejus in illum sæviebant, die noctuque satagentes, tantis afflictionibus illius animum emollire, ut spontè seculum reliquisset, & se in Monasterium contulisset. At ille numquam se facturum ajebat, quamdiu de se nullam potestatem haberet, aliquod votum. Verùm cùm Ludoicus comperisset, quòd nihil ejus petitio apud germanum prævaleret, ut mitiùs apud patrem egisset, misit Legatos ad fratrem suum Pippinum, eique innotuit omnia, quæ erga patrem gesta fuerant: deprecans illum, ut reminiscens paterni amoris, ac reverentiæ, unà cum illo patrem de illa tribulatione eriperet. At ille statim convocavit exercitum Aquitanorum, & Ultra-Sequanensium, Ludoicus Bajoarios, Austrasios, Saxones, Alemanos, nec non & Francos, qui citra Carbonariam consistebant: cum quibus etiam ad Aquis properare cœperunt. Cùmque hoc Lotharius cognovisset, de Aquis abscessit, & patrem suum usque ad Parisius sub memorata custodia deduxit, ibique jam Pippinum cum exercitu reperit Sequanæ insolita exuberatione transire prohibitum. Nam nimiùm cæterorum quoque fluminum inundatio, & ultra alveos insueta progressio multis non parvum intulit impedimentum. Verùm cùm firmiter cognovisset, Ludoicum etiam cum tanta populi multitudine in easdem partes properare, inde perterritus, in eodem loco patre dimisso, primo Kalendarum Martiarum die cum suis aufûgit. Illo abscedente venerunt Episcopi, qui præsentes aderant, & in Ecclesia S. Dionysii domnum Imperatorem reconciliaverunt, & Regalibus vestibus, armisque induerunt. Deinde filii ejus Pippinus, & Ludoicus cum cæte-

cæteris fidelibus ad eum venientes, paterno animo gaudenter suscepti sunt: & plurimas illis à cuncto populo gratias egit, quòd tam alacriter illi auxilium præbere studuissent. Habitoque cum illis Placito, Pippinum, & reliquum populum domum redire permisit, Ludoicum autem secum usque ad Aquis venire fecit. Et peractis festis diebus, convocavit suos Consiliarios, atque Optimates, qui in circuitu erant, & cum eis tractare studuit qualiter filium suum Lothariū ad se vocare potuisset. Et missis Legatis in unamquamque partem Regni sui, ut de sua liberatione populo adnunciarent, & admonerent ut fidelitatem, quam ei promiserant adimplere studerent, & quidquid contra illum deliquerant ob amorem Dei illis indulsisset. Lotharius verò cùm de Parisio proficisceretur in Provinciæ urbem Viennam pervênit, ibique commorans multa incommoda illarum partium hominibus intulit. Domnus autem Imperator ut eum illic esse comperit, misit Legatos, qui ei nunciarent, quòd omnia, quæ contra patrem egerat, illi concessisset, & ut cum pace ad eum reverteretur. Quod spernens, venire distulit, sed in eadem pertinacia perduravit. Factum est autem, cùm sentirent qui fideles erant domno Imperatori in Italia, Ratholdus videlicet Episcopus, Bonifacius Comes, Pippinus consanguineus Imperatoris, aliique quamplures, quòd conjugem ejus quidam inimicorum morti tradere vellent, miserunt sub omni celeritate qui illam eriperent, ereptamque, usque ad præsentiam domni Imperatoris in Aquis incolumem perduxerunt. Eo etiam tempore in expeditione, quæ contra Lantbertum, & Matfridum, aliosque Lotharii complices, directa fuerant, interfecti sunt Odo, & Wilhelmus frater ejus, ac Fulbertus Comites, & Theoto Monasterii Sancti Martini Abbas, & alii quamplures. Interim etiam classis de Danis veniens in Frisiam, aliquam partem ex illa devastavit, & inde per vetus Trajectum ad emporium, quod vocatur Dorestadus, venientes, omnia diripuerunt: homines autem quosdam occiderunt, quosdam captivatos abduxerunt, partemque ejus igni cremaverunt. Lotharius verò cum suis Cavillonem veniens, eam expugnavit, ignique succendit, & Comites, qui ibi aderant, comprehendit, ex quibus tres interfecit. Alios autem secum inde sub custodia duxit, ac sororem Bernardi Sanctimonialem in cupa positam in Ararim fluvium demergi fecit, & deinde Aurelianis venit. Quibus domnus Imperator auditis, convocavit exercitum Lingonis medio mense Augusto, ibique annualia dona suscipiens, continuò ad liberandum populum contra invasores Regni iter per Tricassinorum, & Carnotum, ac Dunensium regiones juxta Blisum castellum unà cum filio suo Ludoico pervênit, illicque castrametatus est. Ibi etiam Pippinus filius ejus cum exercitu in auxilium patri occurrit. Nam Lotharius haud procul in castris residens cum suis, minitabatur quod tamen minimè efficere potuit. Tunc domnus Imperator solitâ clementiâ motus, misit ad illum ut pacificè ad se veniret quia universa, quæ contra illum dicta habuerat, ei, suisque omnibus concederet. Et Lothario quidem Italiam, sicut tempore domni Karoli Pippinus germanus domni Imperatoris habuerat, concessit. Cæteris verò etiam vitam, membra, hæreditatem, & multis beneficia perdonavit. Quem pater ad se cum suis venientem fortiter juramento constrinxit, ne talia facere, aut alicui sentire in postmodum tam ipse, quàm sui deberent. Quibus confirmatis, eum in Italiam regredi fecit cum his, qui eum sequi maluerunt. Ipse verò circa Aurelianis perveniens, Pippino, & Ludoico, cunctoque exercitui redeundi licentiam tribuit: & per Parisius ad Attiniacum veniens, ibi Placitum cum suis Consiliariis circa Missam Sancti Martini habuit. Ibique negotiis Regni dispositis, ad Theodonis-Villam ad hiemandum profectus est.

DCCCXXXV.

835. Anno ab Incarnat. Domini DCCCXXXV. Dominicæ Nativitatis festum hilariter à Drogone fratre suo, & Metensis urbis Episcopo decentissimè susceptus, in eadem civitate celebravit. Ibique festis peractis diebus ad suum Palatium in Theodonis-villam reversus est. In quo etiam circa Sanctæ Mariæ Purificationem Conventum generalem habuit omnium penè totius Imperii sui Episcoporum, & Abbatum, tam Canonicorum, quàm Regularium. In quo inter cætera Ecclesiasticæ instituta disciplinæ summoperè ventilatum est, quòd annis prioribus idem religiosissimus Imperator malivolorum, Deoque adversantium tergiversatione immeritò depositus paterno, hęreditarioque Regno, & honore, & regio nomine fuerat. Tandemque ab omnibus concorditer, atque unanimiter inventum, atque firmatum, ut illorum factionibus divino auxilio cassatis, ipse avito restitutus honori, decorique regio meritò reformatus, deinceps fidelissimâ, firmissimâque obedientiâ, & subjectione Imperator, & Dominus ab omnibus haberetur. Quam inventionis, suæque confirmationis seriem, & unusquisque proprio scripto comprehendit, propriæque manus scriptione roboravit. Pleniùs autem, & copiosiùs communi cunctorum descriptione in unum corpus in modum libelli comprehensa totius rei patratio qualiter acta, ventilata, inventa, & omnium subscriptione denuò, dignèque fuerit roborata, devotissimâ sincerissimâque benevolentiâ, & tantis Patribus auctoritate dignissima, cunctorum notitiæ manifestissimum facere non distulerunt. Nam venientes in memoratam urbem in Basilica Beati Stephani protomartyris, Missarumque celebratione peracta, & universis, qui aderant rei ordine publicè patefacto, Coronam insigne Imperii à Sacrosancto altario sublevatam sacri, ac reverendi Antistites ejus capiti cum maximo omnium gaudio propriis manibus restituerunt. Sed & Ebo Remorum pridem Archiepiscopus, qui ejusdem factionis velut signifer fuerat, conscenso eminentiori loco in eadem Ecclesia, libera voce coram omnibus professus est, eundem Augustum injustè depositum, & omnia, quæ adversùs eum patrata fuerant, iniquè, & contra totius tramitem æquitatis fuisse machinata: & tunc meritò justè, dignèque proprio Imperii solio reformatum. Quibus solemniter transactis, ad sæpedictum Palatium regressi sunt. Ibique Ebo in plenaria Synodo capitale crimen confessus, seque tanto, idest Episcopali ministerio indignum proclamans, propriaque scriptione confirmans se se omnium consensu, atque judicio ab eodem ministerio reddidit alienum. His, & aliis Regni utilitatibus jure dispositis, omnibusque ad propria absolutis, ipse Imperator sanctum Quadragesimæ tempus in eodem Palatio, sacrosanctam festivitatem Paschæ in sæpedicta urbe apud memoratum Drogonem Archiepiscopum celebravit. Ac deinde ad Placitum suum generale, quod in Stremiaco prope

pe Lugdunum civitatem se habiturum indixerat, profectus est. Quo in mense Junio habito, & donis annualibus receptis, dispositisque Markis Hispaniæ, Septimaniæ, sive Provinciæ ad Aquisgrani reversus est. Verùm dum in eodem Placito moratur, Nordmanni secunda irruptione Dorestadum irruentes vastaverunt, atque hostiliter deprædati sunt. Imperator autem graviter ferens, Aquis perveniens, disposita omni maritima custodia, Arduenâ autumnalem venationem exercuit, ac deinde Aquisgrani ad hiemandum rediit anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXVI.

DCCCXXXVI.

836. Ubi Natalis Domini festivitate celebrata, Missos iterum ad Lotharium direxit, monentes eum reverentiæ, ac obedientiæ paternæ, pacisque illi concordiam multipliciter inculcantes. Ad quod manifestiùs agnoscendum, jussum est ut suos, quibus maximè fidebat, Legatos ad patrem dirigeret, cum quibus tractari de suo honore, atque salute posset: & qui paternam erga illum voluntatem audire, sibique fideliter nunciare valerent. Qui patris jussionibus non usquequaque refragans, mense Majo in Villa Theodonis ad Imperatoris præsentiam direxit Walonem Abbatem. cum quibus (1) de adventu ejus tractatum est, ac nostra ex parte firmatum, ut incolumis unà cum suis ad patris veniret præsentiam, & deinceps redire potuisset. Sed & à suis similiter sacramento promissum est ei, ad genitoris sui præsentiam statuto Placito absque dilatione venturum. Quibus absolutis, ipse circa Rumerici montem diebus aliquot venatione patrata, tandem mense Septembri ad indictum Placitum Wormatiam venit. In quo cùm dona annualia more solito reciperet, ac Lotharium operiretur, nunciatus est febri correptus nullatenus advenire posse. Ad quem directis denuò Hugone Abbate, & Adalgario Comite, de infirmitate, ac recuperatione ejus, & voluntate inposterum veniendi quæsitum est, nec non de restitutione rerum Ecclesiis Dei in Francia constitutis, quæ in Italia sitæ à suis pro libitu fuerant usurpatæ. Verùm & de Episcopis, atque Comitibus, qui dudum cum Augusta fideli devotione de Italia venerant, ut eis & sedes propriæ, & Comitatus, ac beneficia, seu res propriæ redderentur. Ad hæc Lotharius per Missos suos oppositis quibusdam conditionibus, non in omnibus se assentiri posse mandavit. Eodem tempore Nordmanni Dorestatum, & Frisiam rursum depopulati sunt. Sed & Horich (2) Rex Danorum per Legatos suos in eodem Placito amicitiæ, atque obedientiæ conditiones mandans, se nullatenus eorum importunitatibus assensum præbuisse testatus, de suorum ad Imperatorem Missorum interfectione conquestus est, qui dudum circa Coloniam Agrippinam quorumdam præsumtione necati fuerant. Quorum necem etiam Imperator, missis ad hoc solum Legatis, justissimè ultus est. Peracta autumnali venatione in Franconofurd Palatio, ad Aquisgrani reversus est, ubi etiam Missi ejusdem Horich venerunt quærentes summam eorum, quos ipse captos ex his interfici fecerat, qui in nostros fines talia jamdudum moliti sunt. Azenarius quoque citerioris Wasconiæ Comes, qui ante aliquot annos à Pippino desciverat, horribili morte interiit: fraterque illius Sancio-Sanci eandem regionem negante Pippino occupavit.

(1) quo.
(2) *al.* Rhoric.

A Tunc etiam Walo Abba, cujus consiliis Lotharius plurimum utebatur, in Italia obiit.

DCCCXXXVII.

837. Imperator autem post Natalitiæ celebritatis solemnia, Purificatione Beatæ semper Virginis Mariæ Episcoporum Conventum in Aquis habuit, in quo de Sanctis Dei Ecclesiis plurimum tractatum est, & quid cuique ordine proprio conveniret patefactum, atque descriptum est. Epistola etiam ab eodem venerabilium Episcoporum Conventu ad Pippinum directa est, qua eum salutis suæ magnopere monuerunt, & insuper ut memor moris progenitorum suorum, præcipuè piissimi genitoris sui, res Ecclesiarum Dei pridem à suis invasas, at-
B que direptas integritati earum restitueret: ne tali etiam occasione divinam contra se iracundiam ardentiùs incitaret. Qui tantorum Patrum assensus consilio cuncta restituit, ac singulis Ecclesiis easdem rescriptionibus annulo suo roboratis propriè resignavit. Igitur Imperator disposità Frisiæ, maritimâque custodiâ, mense Majo ad Theodonis-villam veniens, & annualia dona recipiens, iter suum Romam, defensionis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, atque orationis gratiâ, indixit: directis interim ad Lotharium Legatis, monentibus ut eum paternâ reverentiâ susciperet, atque itineris apparatum decenter, opportunèque procuraret. Ea tempestate Nordmanni irruptione solita Frisiam inruentes, in
C insula, que Walacria dicitur, nostros imparatos aggressi, multos trucidaverunt, plures deprædati sunt. Et aliquamdiu inibi commorantes, censu prout libuit exacto, ad Dorestadum eâdem furiâ pervenerunt, & tributa similiter exegerunt. Quibus Imperator auditis, prætermisso memorato itinere, ad Noviomagum castrum vicinum Dorestado properare non distulit. Cujus adventu Nordmanni audito, continuò recesserunt. Imperator verò generali Conventu habito, publicè cum his quæstionem habuit, quos Principes ad eandem custodiam delegaverat. Qua discussione patuit, partim impossibilitate, partim quorumdam inobedientiâ eos inimicis non potuisse resistere. Unde & ad com-
D primendam Fresionum inobedientiam, strenui Abbates, ac Comites directi sunt, & ut deinceps illorum incursionibus faciliùs obsisti queat, classis quaqueversus diligentiùs parari jussa est. Lotharius autem Clusas in Alpibus muris firmissimis artari præcepit. Et Lantbertus fautorum Lotharii maximus, & Hugo socer illius defunctus est. Interea Brittones quadam insolentia moti, rebellari conati sunt. Quorum motus Imperator directa expeditione citò compressit, redditâque nostris terrâ, & datis obsidibus, fideles sese polliciti sunt permansuros. Post hæc adveniente, atque annuente Ludoico, & Missis Pippini, omnique populo, qui præsentes in Aquis Palatio adesse jussi fuerant, de-
E dit filio suo Carolo maximam Belgarum partem, idest à mari per fines Saxoniæ usque ad fines Ribuariorum Comitatus Moilla, Ettraham, (3) Melant, Mosagao. Deinde verò quidquid inter Mosam, & Sequanam usque ad Burgundiam, unà cum Viridunense consistit, & de Burgundia Tullensem, Odornensem, Blesinsem, Pertinsem, utrosque Barrenses, Brionensem, Tricassinum, Altiodrensem, Senonicum, Wastinensem, Milidunensem, Stampensem, Castrisem, Parisiacum. Et deinde per Sequanam usque in mare Oceanum, & per idem mare

(3) & Traham.

mare usque ad Frisiam: omnes videlicet Episcopatus, Abbatias, Comitatus, fiscos, & omnia intra prædictos fines consistentia, cum omnibus ad se pertinentibus in quacumque Regione consistunt. Sicque jubente Imperatore, in sui præsentia Episcopi, Abbates, Comites, & Vassalli Dominici in memoratis locis beneficia habentes, Carolo se commendaverunt, & fidelitatem sacramento firmaverunt.

DCCCXXXVIII.

838. Post hæc peractis sacræ Nativitatis, Apparitionis, atque Oblationis Dominicæ solemnitatibus, inchoatisque Quadragesimæ jejuniis, Imperatori sermo innotuit Lodoicum fratris Lotharii intra Alpium septa colloquium expetisse. Quod quia se inscio, inconsultoque præsumpserat, ægrè tulit: directisque quàm celerrimè quaquaversùm cursoribus, generaliter fideles accersit, properèque undique adcurrentibus filiorum suspectum colloquium patefacit: & si ita necessitas postulet, ad resistendum paratissimos monet. Quo Ludoicus cognito, Octavarum Sanctæ Paschæ ebdomadâ jubente patre advênit: subtiliterque discussus, tandem sacramento cum sibi maximè credulis nihil fidelitati patris, atque honori adversum illo colloquio meditatum firmavit. Sicque remisso ad propria, ut mense Majo Imperatori in Noviomago occurreret injunctum est. Nam illò juxta condictum Imperator progredi disponebat, quatenus suâ præsentiâ damnum, quod annis præteritis pyratarum importunitate, nostrorumque desidia contigerat, vitaretur. Habitoque Conventu fidelium, copiosus circa maritima apparatus distributus est. Inter quæ Danorum pyratæ patriâ egresi, ortoque subitò maritimorum fluctuum turbine, vix paucissimis evadentibus obmersi sunt. Lodoicus autem patris præsentiæ secundùm quod jussum fuerat sese offerre non distulit, habitaque secus quàm opportuerat conflictatione verborum, quidquid ultra, citraque Rhenum paterni juris usurpaverat recipiente patre amisit: Helisatiam videlicet, Saxoniam, Thoringiam, Austriam, atque Alamaniam. Interim Sarracenorum pyraticæ classes Massiliam Provinciæ irruentes, abductis Sanctimonialibus, quarum illic non modica congregatio degebat, omnibus & cunctis masculini sexus Clericis, & Laicis, vastataque urbe, thesauros quoque Ecclesiarum Christi secum universaliter asportarunt. Igitur Imperator ad Placitum suum generale, sicut condixerat, mediante Augusto in Carisiaco pervênit. Quò Pippino paternis obsequiis assistente, atque favente, fratri Carolo tunc cingulo insignito pars Niustriæ ad præsens data est, Ducatus videlicet Cenomannicus, omnisque occiduæ Galliæ ora intra Legerim, & Sequanam constituta. Absolutoque Conventu, ipse orationis gratiâ Parisius, Sanctorumque Martyrum Basilicas curavit invisere. Directoque Carolo in partes Cenomannicus, ipse in verno, Compendio, cæterisque circumjacentibus locis venationi congruis stativa habuit, atque invitante Hugone fratre, & Beati Quintini Martyris Monasterii Abbate, ejusdem Martyris festivitate honorificè, alacriterque celebrata, Attiniacum perveniens, Carolum redeuntem suscepit. Ubi etiam Missi Horich venientes, pyratarum in nostros fines dudum irruentium maximos à se ob Imperatoris fidelitatem captos, atque interfici jussos retulerunt, petentes insuper sibi dari Frisianos, atque Abodritos. Cujus petitio quantò Imperatori indecens, sive incongrua visa est, tantò viliùs spreta, & pro nihilo ducta est. Verùm pridem Imperatore in verno venationem exercente, Adalgarius, & Egilo Comes ad Abodritos, & Wilzos à fide deficientes dudum directi, reversi sunt; adductis secum obsidibus, Imperatori deinceps subditos fore nunciantes. Imperator verò cœptum peragens iter, ad Franconofurd hiemandi gratiâ profectus est. Eclipsin Luna quintadecima medio noctis Nonas Decembris passa est. Pippinus filius Imperatoris Rex Aquitaniæ Idus Decembris defunctus est, relictis duobus filiis, Pippino, & Carolo. Proficiscenti igitur Imperatori nunciatus est Ludoicus filius ejus Franconofurd hostilibus vallatus agminibus insedisse, sibique non solùm ejusdem Palatii sessionem ad hiemandum, verùm etiam Rheni fluminis moliri transitum inhibere. Quo Imperator nuncio haud mediocriter motus, quaquaversùm fideles acciri decernit. At ipse, ut cœperat, Maguntiam pervênit anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXIX.

DCCCXXXIX.

839. Ubi Nativitatis, atque Apparitionis Dominicæ festivitatibus emensis, directis celerrimè fidelibus, ad pacis concordiam Ludoicum hortatus est. Sed nequaquam valuit revocare, quin insuper consistenti Maguntiæ Imperatori ipse ex adverso in castella ultra Rhenum posita pertinaciter, atque hostiliter immorans, transitu fluminis cohibebat. Imperator autem sanguinem communis populi fundi admodum metuens, ad loca alia transpositioni opportuna divertere nullatenus dedignatus est. In quibus omnibus econtra ripis insistentem, & transfretare conantibus obsistentem filium conspicatus. Eratque videre miseriam hàc pio patre, illac impio filio digredientibus; Qua necessitate Imperator compulsus Maguntiam repedat, fideliumque hinc inde properè confluentium ob asperitatem hiemis incommoditatem diutiùs non ferens, tribus fermè infra memoratam urbem millibus, Rheno transposito, Saxones obvios suscepit. Ludoicus verò comperto patris eatenus sibi inopinato transpositu, deficientibus, quos ex Austrasiis, Thoringiis, atque Alemanis illexerat, secumque adduxerat, concitus aufugit: Norejamque, quæ nunc Bajoaria dicitur, Regnum videlicet sibi olim à patre traditum, revertitur. Imperator paternæ pietatis non immemor filium persequi supersedit, receptisque, qui ab illo ad Imperatoris clementiam fugerant, ac Sacramento firmatis, & insuper discordiarum incentoribus, fautoribusque pro merito criminum partim rebus, partim exilio damnatis, Franconofurd pervênit. Ubi aliquod diebus perendinans, Marcas, populosque Germanicos disponere, suæque fidei arctiùs subjugare non distulit: ac deinde in partes Alemaniæ tempore Quadragesimæ ad villam regiam, quæ Bodoma dicitur, properavit. Integrea lacrimabile, nimiumque cunctis Catholicis Ecclesiæ filiis ingemiscendum fama perferente innotuit. Bodo Diaconus Alemanica Gente progenitus, & ab ipsis penè cunabilis in Christiana Religione Palatinis eruditionibus, divinis, humanisque literis aliquatenus imbutus, qui anno præcedente Romam orationis gratiâ properandi licentiam ab Augustis poposcerat, multisque donariis muneratus impetraverat, humani generis hoste pellectus, relicta Christianitate ad Judaismum sese convertit: & primùm quidem consilio proditionis, atque perditionis suæ cum Judæis inito, quos secum adduxerat paganis vendendos callidè machinari non timuit. Quibus

bus distractis, uno tantummodo secum, qui nepos ejus ferebatur, retento, abnegata (quod lacrimabiter dicimus) Christi fide sese Judæum professus est. Sicque circumcisus, capillisque, ac barbâ crescentibus, & mutato, potiùsque usurpato Eleazari nomine, accinctus etiam cingulo militari, cujusdam Judæi filiam sibi matrimonio copulavit: coacto memorato nepote suo similiter ad Judaismum translato. Tandemque cum Judæis miserrima cupiditate devinctus, Cæsaraugustam urbem Hispaniæ mediante Augusto mense ingressus est: Quod quantum Augustis, cunctisque Christianæ fidei gratiâ redemptis luctuosum extiterit, difficultas, qua Imperatori id facilè credendum persuaderi non potuit, patenter omnibus indicavit. Præterea die septimo Kalen. Januarii, die videlicet passionis Beati Stephani Protomartyris, tanta inundatio contra morem maritimorum æstuum per totam penè Frisiam occupavit, ut aggeribus arenarum illic copiosis, quos *Dunos* vocitant, ferè coæquaretur: & omnia quæcumque involuerat tam homines, quàm animalia cætera, & domos absumpserit. Quorum numerus diligentissimè comprehensus, duorum millium quadrigentorum triginta septem relatus est. Acies quoque in cœlo igneas, colorumque aliorum mense Februarii; sed & stellas igneos crines emittentes crebrò videri contigit. Verùm post Sanctum Pascha Imperatori in Francia repedanti Rex Anglorum Legatos misit, postulans per Franciam pergendi Romam orationis gratiâ transitum sibi ab Imperatore tribui, monens etiam curam subjectorum sibi erga animarum salutem sollicitiùs impendendam, quoniam visio cuidam apud illos ostensa, non minimùm animos eorum terruerat. Cujus seriem visionis Imperatori mittere studuit, habentem hunc modum.

Visio cujusdam religiosi Presbyteri de terra Anglorum, quæ post Natalem Domini ei rapto à corpore ostensa est. Quadam nocte cùm idem religiosus Presbyter dormiret, quidam homo ad eum venit, præcipiens illi, ut eum sequeretur. Tunc ille surgens, secutus est eum. Ductor verò illius duxit eum ad terram sibi ignotam, ubi varia, & mira ædificia constructa vidit. Inter quæ Ecclesia facta erat, in quam ille ductor ejus introivit, ibidemque plurimos pueros legentes vidit. Cùmque ductorem suum interrogaret, an inquirere auderet, quinam pueri essent: respondit ei, Interroga quod vis, & libenter tibi indicabo. Et cùm ad illos appropinquaret, ut videret quod legerent, perspexit libros eorum non solùm nigris literis verùm etiam sanguineis esse descriptos: ita videlicet ut una linea nigris esset literis descripta, & altera sanguineis. Cùmque interrogassem, cur libri illi sanguineis literis descripti essent,
„ respondit ductor meus. Lineæ sanguineæ,
„ quas in istis libris conspicis, diversa hominum Christianorum peccata sunt: quia ea,
„ quæ in libris divinis illis præcepta, & jussa sunt, minimè facere, & adimplere volunt.
„ Pueri verò isti, qui hîc quasi legendo discurrunt, animæ sunt Sanctorum, quæ quotidie
„ pro Christianorum peccatis, & facinoribus deplorant, & pro illis intercedunt, ut tandem aliquando ad pœnitentiam convertantur. Et nisi istæ animæ Sanctorum tam incessanter cum fletu ad Deum clamarent, jam
„ aliquatenus finis tantorum malorum in Christiano populo esset. Recordaris quia anno
„ præsente fruges non solùm in terra, verùm
„ etiam in arboribus, & vitibus abundanter

A „ ostensæ sunt, sed propter peccata hominum
„ maxima pars illarum periit, quæ ad usum,
„ atque utilitatem humanam non pervênit.
„ Quòd si citò homines Christiani de variis vitiis, & facinoribus eorum non egerint pœnitentiam, & diem Dominicum meliùs, &
„ honorabiliùs observarint, citò super eos maximum, & intolerabile periculum veniet.
„ Videlicet tribus diebus, & noctibus super
„ terram illorum nebula spississima expandetur, & statim homines pagani cum immensa
„ multitudine navium super illos venient, &
„ maximam partem populi, & terræ Christianorum cum omnibus, quæ possident igne,
„ ferroque devastabunt. Sed tamen, si adhuc

B „ veram pœnitentiam agere volunt, & peccata illorum juxta præceptum Domini jejunio,
„ & oratione, atque elemosynis emendare studuerunt, tunc has pœnas, & pericula per
„ intercessionem Sanctorum evadere poterunt.

Venerunt etiam Legati Græcorum à Theophilo Imperatore directi, Theodosius videlicet Calcedonensis Metropolitanus Episcopus, & Theophanius Spatharius, ferentes cum donis Imperatore dignis epistolam. Quos Imperator quintodecimo Kalendas Junii in Ingulenheim honorificè suscepit. Quorum Legatio super confirmatione pacti, & pacis, atque perpetuæ inter utrumque Imperatorem, eique subditos amicitiæ, & caritatis agebat, nec non de victo-

C riis, quas adversùs exteras bellando gentes cœlitus fuerat assecutus, gratificatio, & in Domino exultatio ferebatur. In quibus Imperatorem, sibique subjectos amicabiliter datori victoriarum omnium gratias referre poposcit. Misit etiam cum eis quosdam, qui se, idest gentem suam Rhos vocari dicebant. Quos Rex illorum Chacanus vocabulo ad se amicitiæ, sicut asserebant, causâ direxerat. Petens per memoratam epistolam, quatenus benignitate Imperatoris redeundi facultatem, atque auxilium per Imperium suum totum habere possent: quoniam itinera, per quæ ad illum Constantinopolim venerant, inter barbaras, & nimiæ feritatis Gentes immanissimas habuerant, quibus eos,

D ne fortè periculum inciderent, redire noluit. Quorum adventus causam Imperator diligentiùs investigans, comperit eos Gentis esse Sueonum, exploratores potiùs Regni illius, nostrique, quàm amicitiæ petitores ratus, penès se eo usque retinendos judicavit, quoad veraciter inveniri posset, utrum fideliter eò, necne pervenerint. Idque Theophilo per memoratos Legatos suos, atque epistolam intimare non distulit, & quòd eos illius amore libenter susceperit, ac si fideles invenirentur, & facultas absque illorum periculo in patriam remeandi daretur, cum auxilio remittendos: sin aliàs unà cum Missis nostris ad ejus præsentiam dirigendos, ut quid de talibus fieri deberet, ipse decernendo efficeret.

E Quibus peractis Imperator urbem Vangionum juxta condictum tertio Kalendas Junii pervênit, ibi susceptis quibusnam, quos adhuc specialiter properare jusserat fidelibus, Lotharium filium suum ab Italia venientem paterno suscipere affectu minimè renuit. Quo palàm omnibus ad genitoris vestigia suppliciter procidente, & præteritorum excessuum veniam humiliter postulante, Imperator misericordiâ, qua incorporaliter semper viguit flexus, quidquid in eum præcedentibus annis ipse, suique deliquerant, paterna benignitate concessit. Ita tamen si deinceps nihil adversùs eum pravis machinationibus molirentur. Suorum quoque complures

plures non solùm proprietatibus, verùm etiam beneficiariis donavit honoribus. Insuperque descriptione Regni sui æqualibus penè partibus discreta, optionem illi, quam eorum mallet offerre non dedignatus est. Cujus divisionis formula ita se habuit. Quarum altera Regnum Italiæ, partemque Burgundiæ, idest
Vallem Augustanam,
Comitatum Vallissiorum,
Comitatum Waldensem usque ad mare Rhodani, ac deinde Orientalem, atque Aquilonalem Rhodani partem usque ad Comitatum Lugdunensem,
Comitatum Sucdingium,
Comitatum Wirascorum,
Comitatum Portisiorum,
Comitatum Suentisiorum,
Comitatum Calmontensium,
Ducatum Mosellicorum,
Comitatum Arduennensium,
Comitatum Condorusto, inde per cursum Mosæ usque in mare,
Ducatum Ribuariorum, Wormazfelda, Sperohgouvi,
Ducatum Helisatiæ,
Ducatum Alemanniæ, Curiam,
Ducatum Austrasiorum, cum Sunalafelda, & Norogo Uviechessi,
Ducatum Toringubæ cum archis suis,
Regnum Saxoniæ cum archis suis,
Ducatum Fresiæ usque Mosam,
Comitatum Hamarlant,
Comitatum Batavorum,
Comitatum Testrabenticum, Dorestado.
Alteram partem Burgondiæ, idest
Comitatum Genavensem,
Comitatum Lugdunensem,
Comitatum Cavallonensem,
Comitatum Amaus,
Comitatum Hatoariorum,
Comitatum Lingonicum,
Comitatum Tullensium,

Et sic per decursum Mosæ usque in mare, & inter Mosam & Sequanam, & inter Sequanam & Ligerim, cum Marcha Britannica. Aquitaniam, & Wasconiam cum Marchis ad pertinentibus, Septimaniam cum Marchis suis, & Provinciam habuit. Quò Superiorem potiùs eligente, Imperator Carolo filio suo inferiorem contulit, ea conditione ut viventi fideliter obsequentes, eo decedente memoratis portionibus potirentur. Sacramentisque multifariam à Lothario susceptis, eum in Italiam redire permisit. Imperator autem indicto generali Placito Kalendas Septembris erga Cavallonem, Legatos ad Ludoicum direxit, præcipiens ut fines Bajoariæ nullatenus egredi nisi sese jubente præsumeret, idque sacramento firmare juberet. Sin aliàs, circa initia Septembris ad Augustburg hostiliter sibi occursurum minimè dubitaret. Descriptis itaque, atque destinatis, qui secum Bajoariam, si necessitas compelleret, quique cum filio Carolo Cavallonem contra motus Aquitanicos, quibus cum Pippino Pippini filio quidam Aquitannorum nuper ab Imperatore desecerant, compescendos, etiam cum Saxonibus adversùs Danorum, Sclavorumque, qui ferebantur incursus, occurrerent: Ipse in Cruciniaco castro sese venationibus alacriter exercendo, Missorum in Bajoariam directorum reditum statuit operiri. Qui reversi, Missis Ludoici ad Imperatoris usque præsentiam comitantibus, nunciaverunt paternis eum jussionibus non admodum obviasse: sed ea se pariturum condi-

A tione spopondisse, si sacramenti firmitas, quam quærebat, ab Imperatoris fidelibus sibi etiam fieret. Verùm quia tunc contigit defuisse Primates, per quos eandem firmitatem fieri deposcebat, illius fidei Imperator, atque supplicibus promissionibus potiùs committendum delegit, quousque è partibus Aquitanicis adeptâ divinitus victoriâ rediens, mandatis perseverantem benignè susciperet, secus verò molientem pro viribus insequi non tardaret. Sed & ipso petente, necessit * quibusdam propter motus illius nuper in se separatis, verùm proprietate multatis, ut sua cuique restituerentur, eo dumtaxat pacto, si fidem inviolabiliter Imperatori servare studerent, & nullam penitùs B Regni, fideliumque sollicitationem quoquo modo, aut tergiversationem machinarentur. Directis interim ad hoc specialiter Missis, qui ab his hujusmodi firmitatem Sacramento susciperent, dispositis quoque Saxonum adversùs Soraborum, & Wltzorum incursiones, qui nuper quasdam ipsius Marchæ Saxoniæ villas incendio cremaverant, & Austrasiorum, Toringorumque contra Abodritorum, & qui dicuntur *Lino*, defectiones, expeditionibus, ipse per Arduennam venatu sese delectabiliter exercens, cæteros totius Regni sui fideles circa Kalendas Septembris Cavallonem, ut condixerat, sibi obvios adesse præcepit. Quidam etiam pyratæ in quamdam Frisiæ partem irruentes, non parum C incommodi nostris finibus intulerunt. Direxit & Oricus Missos ad Imperatorem, quendam videlicet cujus consiliis præ cunctis fidere, & omnia agere videbatur, & cum eo nepotem suum, munera gentilitia deferentes, pacis, amicitiæque arctiùs, stabilisque gratiâ confirmandæ. Quibus hilariter susceptis, atque muneratis, quia propter quædam incommoda super Frisionibus querebantur, Duces strenui destinati sunt, qui tempore constituto illis de omnibus justitiam adimplerent. Imperator autem Cavallone receptis fidelibus, in Aquitaniam exercitum omnem convertit: pariterque tertio ferme ab urbe Arvernorum milliario castra ponens, Aquitanos obvios habuit, quos filio suo sacramenti interpositione firmavit, & Augustam quidem D cum filio ad Pictavos sese præcedere decrevit. Ipse verò ad castrum, quod vulgò Cartilatum dicitur, contendit, quoniam eò quidam complicum Pippinum consistere ferebantur. Quod castrum nihil quidem manu artifici additum naturali, tantùm rupe editum, hinc inde præcipitio vallium muniebatur: præter orientalem dumtaxat partem, qua parvo admodum intervallo continenti dirimitur. In quo tamen consistentes obsidione ad deditionem coëgit, eisque consuetissima pietate vitam, membra, & hæreditatem concessit. Inde in partes Torennæ, quò infideles ejus delitescere, frustraque resistere moliebantur, abitum divertit. Verùm his in E diversa vagantibus, sparsimque quaqua versùm fugitantibus, Imperatoris exercitus continua autumni serenitate, solisque inclementiâ, non parum incommoditatis expertus est. Nam febre maxima ex parte correptus, partim occubuit, partim difficillima regressione reversus est. Qua Imperator necessitate compulsus, & asperitate hiemis imminentis detentus, absoluto reliquo exercitu ad Pictavos in hiberna concessit. Saxones interea contra Sarabos, qui *Colodici* vocantur, apud Kefigesburch dimicantes, cœlestibus auxiliis fulti victoriam adepti sunt, Regeque ipsorum Cimusclo interfecto, eandem urbem, & undecim castella ceperunt: receptis etiam

etiam sacramentis à Rege inter eosdem tumultus repente creato, insuper obsidibus multam Terræ indixerunt. Sed & Legati Imperatoris ad Corich pacis gratiâ directi, receptis sacramentis indissolubilem pepigerunt.

DCCCXL.

840. Imperator autem Nativitatis, atque Apparitionis Dominicæ festum, sed & Beatæ Mariæ semper Virginis Purificationem in urbe Pictavorum celebrans, motus Aquitanicos componere satagebat. Cùm interim propinquante Quadragesimali observatione, sinistrum quippiam illi nunciatum est: Ludoicum videlicet filium suum consuetâ jamdudum insolentiâ usque ad Rhenum Regni gubernaculum usurpare. Quo admodum nuncio motus, relictis Augusta, & filio Carolo cum non pauca parte exercitus in urbe memorata, ipse ad Aquis Palatium veniens, Resurrectione Dominica inibi celebrata, Germaniam transposito Rheno ingreditur. Fugatoque filio, & paganorum, exterarumque Gentium adminicula, etiam sui præsentiâ, compluribus datis muneribus expetente, eum ulteriùs persequi destitit. Eclypsis Solis III. nonas Maji ante nonam diei horam multis in locis à plurimis visa est. Imperator verò à persequendo filio rediens, correptus morbo in insula Rheni infra Maguntiam ad prospectum Ingulenheim Palatii sita XII. Kal. Julii defunctus est.

Lotharius, comperto genitoris obitu ab Italia Gallias ingressus, jura naturæ transgressus, Imperatorio elatus nomine, in utrumque fratrem Ludoicum videlicet, & Carolum, hostiliter armatur, & nunc hunc, nunc illum prœlio impetit: sed utrumque minùs prosperè secundùm suam dumtaxat insolentiam. Patrato negotio, quibusdam conditionibus usque ad tempus ab utroque discessit: nec tamen contra eos, seu clam, seu manifestè pravitatem suæ cupiditatis, atque crudelitatis destitit machinari.

DCCCXLI.

CAROLUS CALVUS

841. Hludowicus autem, & Carolus, alter ultra, alter citra Rhenum, partim vi, partim minis, partim honoribus, partim quibusdam conditionibus omnes partium suarum sibi vel subdunt, vel conciliant. Et Lotharius quidem diebus Quadragesimæ Maguntiam usque adversùs Hludowicum procinctum ducit: sed obsistente ipso à transitu fluminis diu abstinetur. Verùm astu quodam, atque perfidiâ populi Hludowico inhærentes, Lothario transeunte, Huludowicus Bajoariam petivit. Carolum quoque à Sequanæ transitu Lotharii multiplex populus nititur inhibere. Qui tamen virili prudentia, prudentique virtute transposito flumine, omnes in fugam bis, terque coëgit. Lotharius auditâ suorum fugâ, Carolique adventu, iterum Rhenum transponit: dispositisque adversùs Hludowicum custodiis, obviam Carolo proficiscitur. Hludowicus in Lotharii adversùs se dispositas turmas irruens, magnaque ex parte internecioni donans, cæteros in fugam egit: ac deinde Carolo fratri opem laturus, properare festinat. Interea pyratæ Danorum ab Oceano Euripo devecti Rotumam irruentes, rapinis, ferro, ignique baccantes, urbem, Monachos, reliquumque vulgum & cædibus, & captivitate pessumdederunt: & omnia Monasteria, seu quæcumque loca flumini Sequanæ adhærentia, aut depopulati sunt, aut multis acceptis pecuniis territa relinquunt. Hludowico denique A propinquante, Carolus frater summo desiderio, atque amore obvius venit, pariterque conjuncti sicut fraterna caritate, ita etiam castrorum metatione, convivii etiam, consiliorumque unitate, apud fratrem Lotharium super paucis, & unanimitatis, totius quoque populi, & Regni gubernatione, celeberrimis Legationibus satisagunt. Qui tamen sæpissimis eos Legatis, & juramentis ludens, tandem recepto ab Aquitania Pippino Pippini dudum defuncti fratris filio in pago Altiodorensi, in loco, qui dicitur Fontanidus, utrumque fratrem Regni portionibus hostili apparatu privare contendit. Cùmque ad pacis, fraternitatisque concordiam minimè revocari posset, obviis fratribus septimo Kal. B Julii die Sabbato manè interceptus, multis utrimque cadentibus, compluribus profligatis, turpiter victus aufugit. Palantium autem cædes passim agitabatur, donec Hludowicus, & Carolus pietate ferventes, ab eorum interfectione cessandum decreverunt. Quinetiam longiùs à castris obtentu Christianitatis fugientes persequi desierunt, Episcopisque mandatum, ut die crastina, qua ejusdem rei gratiâ in loco eodem stativa habuerunt, mortuorum cadavera, prout corporis opportunitas sineret, sepulturæ mandarent. In quo prœlio Georgius Ravennatis Episcopus à Gregorio Romano Pontifice ad Lotharium, fratresque ejus pacis gratiâ directus, sed à Lothario detentus, neque ad fratres venire permissus, cap- C tus est, & cum honore ad propria remissus. Lotharius terga vertens, & Aquisgrani perveniens, Saxones, cæterosque confines restaurandi prœlii gratiâ sibi conciliare studet: intantum ut Saxonibus, qui *Stellinga* appellantur, quorum multiplicior numerus in eorum gente habetur, optionem cujuscumque legis, vel antiquorum Saxonum consuetudinis, utram earum mallent, concesserit. Qui semper ad mala proclives, magis ritum paganorum imitari, quàm Christianæ fidei Sacramenta tenere delegerunt. Herioldo, qui cum cæteris Danorum maritimis incommoda tanta sui causâ ad patris injuriam invexerat, Gaula * Crusalia, quæ vicina loco, hujus meriti gratiâ in beneficium contulit. Di- D gnum sanè omni detestatione facinus, ut qui mala Christianis intulerant, iidem Christianorum terris, & populis, Christique Ecclesiis præferrentur: ut persecutores fidei Christianæ domini Christianorum existerent, & dæmonum cultoribus Christiani populi deservirent. Hludowicus partim terroribus, partim gratiâ, Saxonum quidem complures, Austrasiorum, Toringorum, atque Alemanorum, suæ omnes subjugat ditioni. Carolus dispositis quantùm opportunitas sivit Aquitanicis partibus, per Cenomannos, Parisios, atque Bellovagos, Franciam permeans, Hasbanienses adit, sibique plus amore, quàm timore conciliat.

Lotharius Rheni amne transposito, Hludo- E wicum bello impetere moliens, cogitatuum suorum frustratus, in Carolum subitò vertitur; ratus eum longiùs à fratre Hludowico separatum, aggressum, faciliùs evincendum. Carolus Lotitiam Parisiorum regressus, transito Sequana flumine, Lotharii molitionibus diu obsistit. Lotharius transpositione fluvii prohibitus, superiores ipsius expetens partes, per Mauripensem (1) pagum Senones penetrat, unde & Cenomannos nullo negotio adiens, cuncta rapinis, incendiis, stupris, sacrilegiis, sacramentisque adeò injuriat, ut ne ab ipsis adytis temperaret. Nam quoscumque salvandi gratiâ repositos, vel in

(1) Hauripensem.

in Ecclesiis, vel in earum gazophylaciis thesauros, etiam Sacerdotibus, & cæterorum Ordinum Clericis juramento devinctis, reperire potuit, auferre non distulit. Ipsas quoque Sanctimoniales divinis cultibus deditas fœminas in sui sacramenta coëgit. Carolus apud Parisius diutiùs diversatus, urbem Catalaunis, Dominicæ Nativitatis festum ibi celebraturus, advênit.

DCCCXLII.

842. Inde Trecas adiens, per Alsensem pagum, & Tullum civitatem Vosegi saltu transposito, penès Argentoratum urbem fratri Hludowico conjungitur. Lotharius nulla penitùs sua, suorumve utilitate, inferiores Galliæ partes tantopere populatus, erga Parisiorum Loticiam fluvium Sequanæ transiens Aquasgrani rediit: fratrumque conjunctionem audiens, ægrè tulit. Hludowicus, & Carolus, quo sibi firmiùs populos utrique subditos necterent, sacramento sese alterutro devinxerunt. Fideles quoque populi partis utriusque pari se juramento constrinxerunt: ut uter eorumdem fratrum adversùs alterum sinistri quippiam moliretur relicto prorsus auctore dissidii, omnes sese ad servatorem fraternitatis, amicitiæque converterent. Quibus patratis, ad Lotharium pacis gratiâ dirigunt. Qui, Legatis eorum à sua præsentia, atque conloquio inhibitis, ad obsistendum fratribus se, suosque hostiliter præparat. Quo Hisentiaco palatio à Mosella flumine octo fermè millibus constructo, & ejusdem transeundi facultatem dispositis custodiis denegante: Hludowicus navali, Carolus equestri apparatu, castrum confluentes perveniunt, ibique Mosellam transire inchoantibus, omnes Lotharii excubiæ velociter aufugerunt. Lotharius inopinato fratrum adventu territus, cessit, sublatisque cunctis ab Aquisgrani palatio, tam Sanctæ Mariæ, quàm Regalibus thesauris, disco etiam miræ magnitudinis, ac pulchritudinis argenteo, in quo & orbis totius descriptio, & astrorum consideratio, & varius Planetarum discursus, divisis ad invicem spaciis, signis eminentioribus sculpta radiabant, particulatim præsciso, suisque distributo, à quibus tamen, quamvis tali mercede conductis, per contubernia turmatim deferebatur; per Catalaunis fugiens, apud Trecas Paschali solemnitate peracta, Lugdunum petiit. Hludowicus penes Coloniam Agrippinam, Carolus in Heristallio palatio, eandem festivitatem celebrantes, homines ipsarum partium ad sese refugientes suscipiunt, fratrem persequi desistentes. Quibus multipliciter receptis, fratris abitum gradu tardiusculo insequuntur: quia apud fratres super pacis fœdere licèt invitus satagens, Legatos quibus plurimum nitebatur dirigit. Electo ad hoc negotium Matasconis urbis vicinio, illuc utrimque coitur, & utriusque partis castra Arare fluvio dirimente, in quandam insulam ejusdem fluminis ad commune colloquium, aspectumque coëunt. Ubi veniâ de præteritis perperam gestis vicissim postulatâ, atque acceptâ, sacramentum quoque alter alteri veræ pacis, fraternitatisque juraverunt, & de Regni totius æquis portionibus diligentiùs faciendis, Kalendis Octobribus in urbe Mediomatricorum Metis vocabulo decreverunt. Ea tempestate Normannorum classis in emporio, quod Quentovicus dicitur, repentino sub lucem adventu, deprædationibus, captivitate, & nece sexus utriusque hominum adeò debaccati sunt, ut nihil in eo præter ædificia precio redempta relinquerent. Maurorum etiam pyratæ per Rhodanum prope Arelatum delati, cuncta passim deprædati impunè, oneratis navibus regressi sunt. Carolus autem à Matascone Aquitaniam ingressus, atque pervagatus, ad memoratum Placiti locum, & tempus venire non distulit. Lotharius apud Augustam Treverorum Legatos Græcorum suscipit, eisque absolutis, ejusdem Placiti tempore, palatio, quod Theodonis villa dicitur, resedit.

Hludowicus peragrata omni Saxonia * cunctos sibi eatenus obsistentes sui, atque terrore ita perdomuit, ut comprehensis omnibus auctoribus tantæ impietatis, qui & Christianam fidem penè reliquerant, & sibi, suisque fidelibus tantopere obstiterant CXL. capitis amputatione plecteret, XIV. patibulo penderet, innumeros membrorum præcisione debiles redderet, nullumque sibi ullatenus refragantem relinqueret. Interea Beneventanis inter se dissidentibus, Sarraceni ab Africa ab eis invitati, primò quidem auxiliatores, postmodum verò violenti insecutores, plurimas civitatum vi obtinent. Carolus mense Octobri ab urbe Mediomatricorum Vangium profectus, Hlodowico fratri conjungitur. Quibus inibi diutiùs immorantibus, & missis alternatim ad Lotharium intercurrentibus, ac de Regni portionibus multùm, diuque consultantibus, tandem inventum est, ut Missi trecitini * per universum suæ ditionis Regnum deligerentur, quorum industriâ diligentior descriptio fieret, cujus serie trium fratrum æquissima Regnorum divisio irrefragabiliter statuto tempore patraretur. Quibus destinatis, Hludowicus Germaniam repedat, Lotharius medioximus Regni Francorum immoratur. Carolus Carisiacum palatium veniens, Ermendrud neptem Adalardi Comitis uxorem ducit, atque Augustam Viromandorum, ad memoriam videlicet Beati Quintini Martyris, Nativitatis Domini, & Apparitionis festum celebraturus proficiscitur. Inter hæc terræmotus in inferioribus Galliæ factus est.

DCCCXLIII.

843. Lotharius, & Hludowicus intra fines Regnorum suorum sese cohibentes, pacificè degunt. Carolus Aquitaniam pervagatur. Quo illic constituto. Nomenogius Britto, & Lantbertus, qui nuper ab ejus fidelitate defecerant, Rainaldum Namnetorum Ducem interficiunt, complures capiunt. Emergentibus igitur hinc inde tot, tantisque incessabiliter malis, vastante passim cuncta raptore, coacti sunt per multa totius Galliæ loca homines terræ mixtam paucitatem farinæ, atque in panis speciem redactam comedere. Eratque lacrimabile, immo execrabile nimium facinus, cùm jumenta raptorum pabulis abundarent, & homines ipsius terrenæ admixtionis crustulis indigerent. Pyratæ Nordmannorum urbem Nannetum adgressi, interfectis Episcopo, & multis Clericorum, atque Laicorum, sexusque promiscui, deprædata civitate inferioris Aquitaniæ partes depopulari adoriuntur. Ad postremum insulam quamdam ingressi, convectis à continenti domibus, hiemare, velut perpetuis sedibus, statuerunt. Carolus ad condictum fratribus obvians, penes Virodunum conjungitur, ubi distributis portionibus, Hludowicus ultra Rhenum omnia, citra Rhenum verò Nemetum, Vangium, & Moguntiam civitates, pagosque sortitus est. Lotharius inter Rhenum, & Scaldem in mare decurrentem, & rursus per Camaracensem, Hainnaum, Loëmsem, Castritium, & eos Comitatus, qui Mosæ citra contigui habentur, usque

usque ad Ararem Rhodano influentem, & per deflexum Rhodani in mare, cum Comitatibus similiter sibi utrimque adhærentibus. Cætera usque ad Hispaniam Carolo cesserunt. Factisque sacramentis, tandem altrinsecus est discessum. Ea tempestate concordantibus ad invicem Beneventanis, Dei auxilio de illis partibus Sarraceni expulsi sunt.

DCCCXLIV.

844. Hiems mollissima, usque ad Kalendas Februarii quadam temperie modificata. Bernardus Comes Marcæ Hispanicæ jamdudum grandia moliens, summisque inhians, majestatis reus, Francorum judicio, jussu Caroli in Aquitania capitalem sententiam subiit. Gregorius Romanæ Ecclesiæ Pontifex decessit. Cui Sergius succedens in eadem Sede substituitur. Quo in Sede Apostolica ordinato, Lotharius filium suum Hludowicum Romam cum Drogone Mediomatricorum Episcopo dirigit, acturos ne deinceps decedente Apostolico quisquam illic præter sui jussionem, Missorumque suorum præsentiam, ordinetur Antistes. Qui Romam venientes, honorificè suscepti sunt. Peractoque negotio, Hludowicum Pontifex Romanus unctione in Regem consecratum cingulo decoravit. Drogonem verò Episcopum sui Vicarium Galliarum, Germaniarumque partibus designavit. Siginulfus Beneventanorum Dux ad Lotharium cum suis omnibus sui deditionem faciens, centum millium aureorum mulctâ sese ipsi fecit obnoxium. Quibus Beneventani, qui pridem aliàs versi fuerant, compertis, ad eundem Siginulfum sese convertentes, Sarracenorum reliquias à suis finibus expellere moliuntur. Landbertus cum Britonibus quosdam Caroli Markionum Meduanæ ponte interceptos perimit. Pippinus, Pippini quondam Regis filius, exercitu ex Francia ad Carolum Tolosam civitatem obsidione vallantem properari in pago Ecolesimo occurrens, ita brevì, & absque suorum casu profligavit, ut primoribus interfectis cæteros fugam etiam ante congressum ineuntes, vix paucis evadentibus, aut caperet, aut spoliatos, sacramentoque adstrictos ad propria redire permitteret. Qua inopinata congressione Hugo Presbyter, & Abbas filius Caroli Magni quondam Imperatoris, & frater Hludowici itidem Imperatoris, patruusque Lotharii, Lodoici, & Caroli Regum, necnon Richboto Abbas, & ipse Consobrinus Regum, nepos videlicet Caroli Imperatoris ex filia: Eckardus quoque, & Ravanus Comites, cum aliis pluribus interfecti. Capti verò Ebroinus. Pictavorum Episcopus, Ragenarius Somarobricæ Ambianorum Episcopus, & Lupus Abbas, ac filii Eckardi Comitis duo: item Lokardius, (1) Guntardus, & Richuinus Comites: Engilwinus etiam, aliique non pauci nobilium. Nomenogius Britto eadem tempestate fines sibi, suisque antecessoribus distributos insolenter egrediens, Cenomannos usque cuncta longè, lateque populando, ignibus etiam plurima cremando, pervênit. Ubi audita Nordmannorum in fines ejus irruptione, redire compulsus est.

Hludowicus Rex Germanorum populos Sclavorum, & terras aggressus, quosdam in deditionem cepit, quosdam interfecit: omnes penè illarum partium Regulos sibi aut vi, aut gratiâ subegit. Normanni Britanniam Insulam ea quàm maximè parte, quam Angli-Saxones incolunt, bello impetentes, triduò pugnando victores ef-

(1) Leutbarius.

fecti, prædas, rapinas, neces passim facientes, terrâ pro libitu potiuntur. Interea fratrum, idest Lotharii, Hludowici, & Caroli, alternatim fraterno affectu Legatis multifariam discurrentibus, mense Octobri iidem penes Theodonis-villam conveniunt. Habitoque diebus aliquot amicabili, pernecessarioque conloquio inter se, fraternitatis, & caritatis jura inposterum non violanda confirmant. Omnes quoque discordiarum fatores cauturos sollicitiùs, execraturosque, & statum Ecclesiarum imminentibus necessitatibus fœdissimè rebus dilaceratum, ac personis minus congruis, idest laicis, vulgò contraditum redintegraturos sese promittunt. Unde ad Pippinum, Landbertum, atque Nomenogium pacis gratiâ Missos pariter destinant, ut fratri Carolo, ut obedientes fideles de cætero permansuri, occurrere non differant. Sin aliàs, eis tempore opportuno viriliter conglobati, eorum infidelitatibus ulciscendis se interminando profecturos pronunciant.

Nortmanni per Garrondam Tolosam usque proficiscentes, prædas passim, impunèque perficiunt; unde regressi quidam, Galliciamque adgressi, partim balistariorum occursu, partim tempestate maris intercepti dispereunt. Sed & quidam eorum ulteriores Hispaniæ partes adorsi, diu, acriterque cum Sarracenis dimicantes, tandem victi resiliunt.

DCCCXLV.

845. Hiems asperrima. Nordmannorum naves centum viginti mense Martio per Sequanam hinc & abinde cuncta vastantes, Loticiam Parisiorum nullo penitus obsistente pervadunt. Quibus cùm Carolus occurrere moliretur, sed prævalere suos nullatenus posse prospiceret; quibusdam pactionibus, & munere septem millium librarum eis exhibito, à progrediendo compescuit, ac redire persuasit. Fulcradus Comes, & cæteri Provinciales ab Lothario deficiunt, sibique potestatem totius Provinciæ usurpant. Nortmannorum Rex Oricus sexcentas naves per Albim fluvium in Germaniam adversùs Hludowicum direxit. Quibus Saxones occurrentes, commisso prœlio Domini Nostri Jesu Christi auxilio victores efficiuntur. Unde digressi, Sclavorum quandam impetunt, & capiunt civitatem. Fames valida Galliæ interiora consumit, adeò ut multa hominum millia eadem invalescente absumpta sint.

Carolus agrum Floriacum, in quo Sancti Benedicti Monasterium consistit, duodecim ab Aurelianorum urbe leugis, veniens, Pippinum Pippini filium suscipit, & receptis ab eo sacramentis fidelitatis, quatenus ita deinceps ei fidelis sicut nepos patruo existeret, & in quibuscumque necessitatibus ipsi pro viribus auxilium ferret, totius Aquitaniæ dominatum sibi permisit, præter Pictavos, Sanctonas, & Ecolimenses. Unde & omnes Aquitanici, qui eatenus cum Carolo fuerant, ad eundem Pippinum continuò sui conversionem efficere studuerunt.

Beneventani cum Sarracenis, veteri discordia recrudescente, denuò dissident. Nortmanni alveo Sequanæ remenso maria repetunt, cuncta maris loca finitima diripiunt, vastant, atque incendiis concremant. Sed licèt peccatis nostris divinæ bonitatis æquitas nimiùm offensa, taliter Christianorum Terras, & Regna attriverit: ne tamen etiam Pagani improvidentiæ, aut certè impotentiæ Dominum Omnipotentissimum, ac providentissimum impunè diutiùs insimularent,

cùm

cùm à quodam Monasterio Sithdiu nomine direpto, incensoque, oneratis navibus repedarent, ita divino judicio, vel tenebris cœcati, & insaniâ sunt perculsi, ut vix perpauci evaderent, qui Dei Omnipotentis iter cæteris nunciarent. Unde, ut fertur, commotus animo Rex Oricus, ad Hludowicum Regem Germanorum Legatos pacis gratiâ destinat; captivitatem (1) absolvere, thesaurosque paratus pro viribus restituere. Lotharius Provinciam ingressus, Bretotiam (2) suæ potestati recuperat. Dani, qui anno præterito Aquitaniam vastaverant, remeantes Sanctonas invadunt, confligentes superant, quietisque sedibus immorantur. Karolus Britanniam Galliæ cum paucis minùs cautè aggressus, deficientibus suis rebus sinistrâ fortunâ universis, Cenomannos festinatò revertitur, reparatoque exercitu eandem parat impetere.

DCCCXLVI.

846. Pyratæ Danorum Fresiam adeuntes, recepto pro libitu censu, pugnando quoque victores effecti, totâ penè provinciâ potiuntur. Ventus Aquilo per totam hiemem usque ad ipsa ferè Maji mensis initia, acerrimè segetibus, & vineis incumbit. Luporum incursio inferiorum Galliæ partium homines audentissimè devorat. Sed in partibus Aquitaniæ in modum exercitus usque ad trecentos fermè conglobati, & per viam facto agmine gradientes, volentibusque resistere, fortiter, unanimiterque contrastare feruntur. Carolus apud villam Sancti Remigii Sparnacum nomine contra morem Conventum populi sui generalem mense Junio habuit. In quo Episcoporum Regni sui pernecessaria admonitio de causis Ecclesiasticis ita flocci pensa est, ut vix unquam reverentia Pontificalis Christianorum duntaxat temporibus sic posthabita legatur. Quadam die Juniorem * cum equa coiens repertus judicio Francorum vivus incendio crematur. Inde partes Britanniæ Carolus cum exercitu petens, pacem cum Nomenogio Duce Britonum, intervenientibus hinc & abinde sacramentis, paciscitur. Hujus anni mense Majo tanta apud Altiodorum civitatem inundatio pluviarum fluxit, ut parietes penetrans, ipsas etiam cupas plenas vini in fluvium Icaunam retulerit: sed & quod est mirabilius, quandam vineam cum terra, vitibus, & arboribus omnibus, in nullo disruptam, ita ut erat, solidam à parte Icaunæ fluminis in alteram ejusdem fluvii partem transposuerit, ac si in eodem agro naturaliter fuerit.

Mense Augusto Sarraceni, Maurique Tiberi Romam aggressi, Basilicam Beati Petri Apostolorum Principis devastantes, ablatis cum ipso altari, quod tumbæ memorati Apostolorum Principis superpositum fuerat, omnibus ornamentis, atque thesauris, quendam montem centum ab urbe millibus munitissimum occupant. Quos quidam dudum Hlotharii minus religiosè adorsi, atque deleti sunt. Pars autem hostium Ecclesiam Beati Pauli Apostoli adiens, à Campaniensibus oppressa, prorsus interfecta est. Hludowicus Rex Germanorum adversùs Sclavos profectus, tam intestino suorum conflictu, quàm hostium victoriâ conterritus, reversus est. Hlodoicus Hlotharii filius Rex Italiæ, cum Sarracenis pugnans, victus vix Romam pervênit.

DCCCXLVII.

847. Legati Abdirhaman Regis Sarracenorum à Corduba Hispaniæ ad Carolum pacis petendæ, fœderisque firmandi gratiâ veniunt, quos apud Remorum Durocortorum decenter & suscepit, & absolvit. Bodo, qui ante annos aliquot Christiana veritate derelicta ad Judæorum perfidiam concesserat, in tantum mali profecit, ut in omnes Christianos Hispaniæ degentes, tam Regis, quàm gentis Sarracenorum animos concitare statuerit, quatenus aut relicta Christianæ fidei Religione ad Judæorum insaniam, Sarracenorumve dementiam se converterent, aut certè omnes interficerentur. Super quo omnium illius Regni Christianorum petitio ad Carolum Regem, Regnique sui Episcopos, cæterosque nostræ Fidei ordines lacrimabiliter missa est, ut memoratus Apostata reposceretur, ne diutiùs Christianis illic versantibus aut impedimento, aut neci foret.

Dani partem inferioris Galliæ, quam Britones incolunt, adeuntes, ter cum eisdem bellantes superant. Nomenogiusque victus cum suis fugit. Dein Legatos muneribus à suis eos sedibus amovit.

Sergius Romanus Pontifex VI. Kal. Februarii defungitur, & Leo in ejus locum eligitur. Sarraceni oneratis thesaurorum multitudine, quos ex Basilica beati Petri Apostoli asportarant, navibus, redire conati, cùm inter navigandum Deo, & Domino nostro Jesu Christo, ejusque Apostolis ore pestifero derogarent, orto repentè inevitabili turbine, conlisis in se navibus, omnes pereunt. Quædam thesaurorum in finibus defunctorum, quos mare littoribus rejecerat, inventa, ad beati Petri Apostoli memoriam revehuntur. Scotti à Normannis per annos plurimos impetiti, tributarii efficiuntur: Insulis circumquaque positis nullo resistente potiti, immorantes.

Hlotharius, Hlodowicus, & Carolus, Legatos ad Oric Danorum Regem destinant, mandantes ut suos Christianorum infestationibus cohiberet, sin aliàs, bello se impetendum nullatenus dubitaret.

Ea tempestate Mauri, & Sarraceni Beneventum invadunt, & usque ad Romana confinia populantur. Dani Aquitaniam maritimam impetunt, & prædantur, urbemque Burdegalam diu oppugnant. Alii quoque Danorum emporium, quod Dorastadum dicitur, & Insulam Bataram occupant, atque obtinent. Hlodowici Germanorum Regis exercitus adversùs Sclavos prosperè dimicant, ita ut quod ante annum amiserat reciperet.

DCCCXLVIII.

848. Sclavi in Regnum Hlodowici hostiliter irruentes, ab eo in Christi nomine superantur. Carolus Normannorum Burdegalam oppugnantium partem aggressus, viriliter superat. Exercitus Hlotharii contra Sarracenos Beneventum obtinentes dimicans victor efficitur. Dani Burdegalam Aquitaniæ Judæis prodentibus captam, depopulatamque incendunt. Aquitani desidiâ, inertiâque Pippini coacti, Carolum petunt, atque in urbe Aurelianorum penè omnes nobiliores cum Episcopis, & Abbatibus in Regem eligunt, sacroque chrismate delibutum, & benedictione Episcopali solemniter consecrant. Pyratæ Græcorum Massiliam Provinciæ nullo obsistente vastantes, impunè recedunt. Nortmanni Metallum vicum populantes, incendio tradunt. Scotti super Normannos irruentes, auxilio Domini nostri Jesu Christi victores eos à suis finibus propellunt. Unde & Rex Scottorum

(1) *Captivos.*

(2) *ferè totam.*

rum ad Carolum pacis, & amicitiæ gratiâ Legatos cum muneribus mittit, viam sibi petendi Romam concedi deposcens. Mauri denuò Beneventum invadunt.

Guilhelmus filius Bernardi Impurium, (1) & Barcinonam dolo magis, quàm vi capit.

DCCCXLIX.

849. Hlotharius, & Carolus sanioribus usi consiliis, in pacem, germanamque concordiam redeunt. Apud Galliam XIII. Kal. Martii nocte sequenti, Clericis nocturnas preces Domino solventibus, terræmotus validè, sed nullâ quorumlibet ædificiorum ruinâ factus est. Godescalcus Gallus quidam Monasterii Orbacensis, parœciæ Suessionicæ Monachus & Presbyter, scientiâ tumidus, quibusdam superstitionibus deditus, Italiam specie religionis aggressus, inde turpiter ejectus, Dalmatiam, Pannoniam, Noreiamque adorsus, quædam nostræ saluti valde contraria, præcipuè sub nomine prædestinationis, pestiferis dictis, & scriptis adstruens, in præsentia Hludowici Germanorum Regis Episcopali Concilio detectus, atque convictus, tandem ad diœceseos suæ urbem metropolim Remorum Durocortorum nomine, cui Ingmarus vir venerabilis præsidet, redire compellitur: quatenus illic dignum suæ perfidiæ. (2) Strenuissimus cultor Carolus advocato Sanctorum memoratæ diœceseos Episcoporum Conventu, suis aspectibus præsentari decrevit. Quò perductus, publicè flagellatus, librosque suarum adsertionum igni cremare compulsus est. Hlodowicus, & Carolus germana caritate convenientes, tanto fraterni amoris vinculo devincti patuerunt, ut alter alteri baculus publicè tribuendo, Regnum, uxores, & liberos superstiti commendaret.

Carolus Aquitaniam aggreditur. Nomenogius Britto consuetâ perfidiâ Andegavis, & vicina eis circumquaque loca invadit. Nortmanni Petrocorium Aquitaniæ civitatem populantes incendunt, atque impunè ad naves remeant. Mauri, & Sarraceni Lunam Italiæ civitatem adprædantes, nullo obsistente maritima omnia usque ad Provinciam devastant. Karolus filius Pippini relicto Hlothario fratrem suum Pippinum in Aquitania vagantem adire cupiens à fidelibus Caroli Regis comprehensus est, & ad ejus præsentiam perductus. Qui meritò perfidiæ in eundem patruum suum, & patrem ex fonte sacro, sententiam quidem capitalem meruerat. Sed clementiæ respectu servatus est. Unde & mense Junio apud urbem Carnutum Carolo Rege Conventum habente, post Missarum solemnia ambonem Ecclesiæ conscendens, innotuit omnibus voce propria se ob divinæ servitutis amorem Clericum nullo cogente velle fieri. Ibique ab Episcopis, qui præsentes aderant, benedictus, & ad Clericum tonsus est. Hludowicus Rex Germanorum ægrotans exercitum suum in Sclavos dirigit. Qui turpiter profligatus, quid dispendii sibi absentia Ducis intulerit, cadendo, fugiendoque expertus est. Carolus Aquitaniam ingressus, penè omnes, Christo sibi propitio, conciliando, subjugat. Marcam quoque Hispanicam pro libitu disponit. Nomenogius Britto consuetâ sibi insolentiâ bacchatus est.

DCCCL.

850. Guilhelmus Bernardi filius in Marca Hispanica Aledramnum, & Isembardum Comites dolo capit. Sed ipse dolosiùs captus, &

(1) *Empurium*.

A apud Barcinonem interfectus est. Mauri usque ad Arelatum, nullo obsistente, cuncta devastant. Sed cùm redirent, vento contrario rejecti, & interfecti sunt. Lotharius filium suum Ludoicum Romam mittit. Qui à Leone Papa honorificè susceptus, & in Imperatorem unctus est. Orich Rex Nortmannorum, impugnantibus se se duobus nepotibus suis, bello impetitur. Quibus partitione Regni pacatis, Rorich nepos Herioldi, qui nuper à Lothario defecerat, assumptis Nortmannorum exercitibus, cum multitudine navium, Fresiam, & Batavum Insulam, aliaque vicina loca per Rhenum, & Vahalem devastat. Quem Lotharius cùm comprimere nequiret, in fidem recepit, eique Dorestadum,
B & alios Comitatus largitur. Cæterorum verò pars Menapios, Tarvisios, aliosque maritimos deprædantur: pars Britanniam Insulam, Anglosque impetentes, ab eis auxilio Domini nostri Jesu Christi superantur.

DCCCLI.

851. Nomenogius Britto moritur. Hlotharius, Hludowicus, & Carolus apud Marsnam Palatium conveniunt. Ubi etiam fraternè paucis diebus morati, hæc communi Procerum suorum consilio, atque consensu decernunt, propriorumque nominum monogrammatibus confirmant.

„ Cap. I. Ut omnium præteritorum malo-
„ rum, & contrarietatum, & supplantationum,
C „ ac malarum machinationum, seu nocimento-
„ rum in invicem actorum abolitio ita inter
„ nos fiat, & à nostris cordibus penitùs avel-
„ latur, cum omni malitia, & rancore, ut nec
„ in memoriam ad retributionem mali, vel
„ contrarietatis, vel improperii, de cætero
„ exindè quiddam fiat.

„ Cap. II. Ut tanta inter nos Domino coo-
„ perante veræ caritatis benignitas abhinc sem-
„ per maneat de corde puro, & conscientia
„ bona, & fide non ficta, sinè dolo, & simu-
„ latione, ut nemo suo pari suum Regnum,
„ aut suos fideles, vel quod ad salutem, &
„ prosperitatem, ac honorem regium pertinet,
„ discupiat, aut forconsiliet, aut per occultos
D „ susurrones libenter composita mendacia, seu
„ detractiones acceptet.

„ Cap. III. Unusquisque fideliter suum pa-
„ rem, ubicumque necessitas ei fuerit, & ipse
„ posuerit, aut per se aut per filium, aut per
„ fideles suos, & consilio, & auxilio adjuvet:
„ ut Regnum, fideles, prosperitatem, atque
„ honorem regium debitè valeat obtinere, &
„ veraciter unusquisque erga alterum certatim
„ demonstret, quia in fratris sui adversitate, si
„ evenerit, fraterno modo contristatur, & in
„ prosperitate illius lætatur: & talem fidem,
„ sicut inter nos modò abhinc in antea conver-
„ saturos confirmatum habemus, sic unusquis-
„ que infantibus fratris sui, si obierit, qui su-
E „ perfuerit conservabit.

„ Cap. IV. Et quia per vagos, & irreveren-
„ tes homines pax, & tranquillitas Regni per-
„ turbari solet, volumus ut ad quemcumque
„ nostrorum talis venerit, & his, quæ egit,
„ rationem, & justitiam subterfugere velit,
„ nemo ex nobis illum ad aliud recipiat, vel
„ retineat, nisi ut ad rectam rationem, & de-
„ bitam emendationem perducatur. Et si ra-
„ tionem rectam subterfugerit, omnes in com-
„ mune, in cujus Regnum venerit, illum per-
„ sequamur, donec aut ad rationem perduca-

 „ tur,

(2) *desunt aliqua*.

„ tur, aut de Regno deleatur.
„ Cap. V. Similiter & de eo agendum est, „ qui pro aliquo capitali, & publico crimine „ à quolibet Episcopo corripitur, vel excom- „ municationis crimen faciens, Regnum, & „ Regis regimen mutat, ne debitam pœniten- „ tiam suscipiat, aut susceptam legitimè pera- „ gat, interdum etiam incestam propinquam „ suam, aut Sanctimonialem, vel raptam, sive „ adulteram, quam illic ei non licebat habere, „ fugiens secum duxit. Hic talis, cùm Episco- „ pus, ad cujus curam pertinebat, nobis notum „ fecerit, diligenter perquiratur, ne morandi, „ vel latendi locum in Regno alicujus nostrûm „ inveniat, & Dei, ac nostros fideles suo mor- „ bo inficiat. Sed à nobis, vel à ministris Rei- „ publicæ constringatur, ut & simul cum dia- „ bolica præda, quam secum duxit ad Episco- „ pum suum redeat, & de commisso crimine „ publico, debitam pœnitentiam suscipiat, aut „ susceptam legitimè peragere compellatur.

„ Cap. VI. Ut nostri fideles unusquisque in „ ordine, & statu veraciter sint de nobis secu- „ ri, quia nullum ab hinc in ante contra Le- „ gem, & justitiam, auctoritatem, ac justam „ rationem, aut damnabimus, aut dehonorabi- „ mus, aut opprimemus, vel indebitis machi- „ nationibus affligemus, & illorum, scilicet ve- „ raciter nobis fidelium communi consilio, se- „ cundùm Dei voluntatem, & commune salva- „ mentum, ad restitutionem Sanctæ Dei Eccle- „ siæ, & statum Regni, & ad honorem Re- „ gum, atque pacem populi commissi nobis „ pertinenti assensum præbebimus in hoc, ut „ illi non solùm non sint nobis contradicentes, „ & resistentes ad ista exequenda; verùm etiam „ sic sint nobis fideles, & obedientes, ac veri „ adjutores, ac cooperatores vero consilio, & „ sincero auxilio ad ista peragenda, quæ præ- „ misimus, sicut per rectum unusquisque in „ suo ordine, & statu suo Principi, & Seniori „ esse debet.

„ Cap. VII. Ut sic simul conjuncti, & nos „ fratres ad invicem, & nos cum fidelibus no- „ stris, & fideles nostri nobiscum, & omnes „ simul cum Deo nos reconjungamus, & ut „ nobis sit propitius, illi pro devoto munere „ offeramus, ut unusquisque omnium nostrûm „ absque sua propria excusatione, aut justifica- „ tione, recognoscamus. In quibus aut singu- „ latim, aut communiter contra illius manda- „ ta, & decreta suorum fecimus, aut consen- „ simus in ordine Ecclesiastico, & statu Re- „ gni, & per singula, in medium illa produ- „ camus, & nemo nostrûm suo aut amico, aut „ propinquo, vel considerato, immo nec sibi „ ipsi seculariter parcat, ut spiritaliter, & sa- „ lubriter parcere possit. Quin sicut præmisi- „ mus in præcedenti capitulo, vero consilio, „ & sincero auxilio illa in commune certatim „ emendare totis viribus procuremus, quan- „ tocius rationabiliter poterimus.

„ Cap. VIII. Et si aliquis ex subditis in quo- „ cumque ordine, & statu de hac convenientia „ exierit, aut se retraxerit, vel huic communi „ decreto contradixerit, seniores cum veraci- „ ter fidelibus suis, hæc secundùm Dei volun- „ tatem, & Legem, ac justam rationem, velit „ nolit ille, qui divino consilio, & decreto, „ & huic convenientiæ resistens, & contradi- „ cens fuerit, exequantur. Et si aliquis de se- „ nioribus de hac convenientia exierit, aut se „ retraxerit, cùm plures seniorum nostrorum „ fideles, & Regnorum Primores convenerint

A „ in unum, eos, qui hæc observaverint Senio- „ rum consilio, & Episcoporum judicio, ac „ communi consensu, qualiter de eo, qui de- „ bitè admonitus incorrigibilis perseveraverit „ agendum sit, favente Domino decernemus. „ Et ut obnixiùs supradicta Capitula à nobis „ auxiliante Domino inviolabiliter observen- „ tur, & nos illa observaturos certiùs credatis, „ manibus propriis subterfirmavimus.

Post hæc pyratæ Danorum Fresiam, & Batavos populantur. Sed & usque ad Monasterium Sancti Bavonis, quod Gant dicunt, debacchantes, idem Monasterium incendunt. Venientesque urbem Rotumum usque ad Belvacum pedestri gradu perveniunt. Qua incensa cùm redirent, à nostris intercepti, & aliqua ex parte
B profligati sunt. Respogius filius Nomenogii ad Carolum veniens, in urbe Andegavorum datis manibus suscipitur, & tam regalibus indumentis, quàm paternæ potestatis ditione donatur: additis insuper ei Redonibus, Namnetis, & Ratense.

Sarraceni Beneventum, & alias civitates quieta statione possident. Ludovicus Rex Sclavos penè omnes populatur, & suæ subjugat ditioni. Leo Apostolicus Sarracenorum inruptiones metuens, Ecclesiam Beati Petri hinc inde muro communiens, eundem murum usque ad civitatem perducit, Romanæque urbi contiguum efficit.

C DCCCLII.

852. Normanni CCLII. navibus Fresiam adeunt, acceptisque multis, prout ipsi statuerunt, ad alia divertunt. Mauri Barcinoniam Judæis prodentibus capiunt, interfectisque penè omnibus Christianis, & urbe vastata, impunè redeunt: Carolus fratrem Lotharium ad sui conloquium invitans, apud Augustam Viromandorum, quæ Beati Quintini Martyris corpore insignitur, fraternè suscipit, honorificè afficit, germanè tractat, regaliter munerat, redeuntemque benignè deducit.

Landbertus, & Guarnarius fratres, pars vel maxima discordiarum, alter dolo, alter judicio interficiuntur. Salomon Britto Carolo fidelis efficitur, tertiaque Britanniæ parte donatur Sancius Comes Vasconiæ Pippinum Pippini filium
D capit, & usque ad præsentiam Caroli servat. Quem Carolus captum in Franciam ducit, ac post conloquium Lotharii in Monasterio Sancti Medardi apud Suessiones tonderi jubet. Ludowicus Lotharii filius Beneventum adiens, Baitam civitatem oppugnat, interruptoque muro, pessimis usus consiliis à cœpto resilit. Nam dicentibus Consiliariis suis, magnam illic partem esse thesaurorum, qua penitùs fraudaretur, si passim omnibus intrandi copia daretur, in castra sese recipit, prohibitis omnibus ab irruptione urbis. Quibus recedentibus, Mauri ita nocte muri interrupta trabibus muniunt, ut venientem in crastinum hostem nullatenus formi-
E dent. Proindè incassum tanto labore deducto, Ludoicus cum exercitu suo ad propria remeat. Abdirham Rex Sarracenorum in Hispania consistentium Cordubæ moritur, Regnumque ejus filius ipsius adsequitur. Godefridus Herioldi Dani filius, qui quondam sub Imperatore Ludowico Maguntiaci fuerat baptizatus, à Lothario deficiens ad suos se confert. Unde conrogata manu valida Fresiam cum multitudine adgreditur. Deinde vicina Scaldis fluminis ad postremum ingreditur. Quò occurrentibus Lothario, & Carolo, cum omni suo exercitu utramque ripam ejusdem fluminis obsident.

DCCCLIII.

DCCCLIII.

853. In qua obsidione Dominicæ Nativitatis festivitatem celebrant. Sed nolentibus qui ex parte Caroli erant inire bellum, absque utilitate recessum est. Carolus eundem Godefridum quibusdam pactionibus sibi conciliat. Cæteri Danorum usque ad mensem Martium inibi absque ulla formidine resident, cuncta eo furiosiùs, quo liberiùs diripiunt, cremant, atque captivant. Lothariusque filiam Caroli à sacro fonte suscipit, & paucos post dies ad sua remeare contendit. Dani mense Julio, relicta Sequana Ligerim adeuntes, Nannetim urbem, & Monasterium Sancti Florentii, ac vicina loca populantur. Carolus mense Aprili Synodum Episcoporum juxta urbem Suessionum in Monasterium Sancti Medardi adgregans, duos Presbyteros Monachos ejusdem Monasterii ipse Synodo præsidens, Episcopis judicantibus degradari fecit, eo quòd Pippinum furari, & cum eo in Aquitaniam fugere disposuissent. Ingmarus Remorum Episcopus omnes Ecclesiæ suæ Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, quoscumque Ebo post depositionem suam ordinaverat, Synodo judicante deposuit. Pippinus Carolo sacramentum fidelitatis jurat, & insuper habitum Monachi suscipit, Regulæque observationem more Monachi solito promittit. Carolus inde ad Carisiacum veniens cum quibusdam Episcopis, & Abbatibus Monasticis, quatuor Capitula edidit, & propria subscriptione roboravit. Quorum primum est, A Deo neminem prædestinatum ad pœnam, unamque esse Dei prædestinationem, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem justitiæ. Secundum, Liberum arbitrium, quod in primo ordine perdimus, nobis præveniente, & adjuvante Christi gratia, redditum. Tertium, Velle Deum generaliter omnes homines salvos fieri, licèt non omnes salventur. Quartum, Christi sanguinem pro omnibus fusum, licèt non omnes passionis mysterio redimantur.

Aquitani penè omnes à Carolo recedunt, atque ad Ludowicum Regem Germaniæ Legatos suæ deditionis cum obsidibus mittunt. Idem Ludowicus pro quibusdam conditionibus tempore perturbationum inter se, & Carolum factis, adversùs Carolum acriter permovetur. Gunedes contra Ludoicum solitis sibi perfidiis mentiuntur.

Lotharius Imperator, defunctâ ante biennium Ermengardâ Christianissimâ Reginâ, duas sibi ancillas ex villa Regia copulavit, ex quarum altera Doda vocabulo filium genuerat, quem Karolomannum vocari jubet. Aliique filii ejus similiter adulteriis inserviunt. Pyratæ Danorum à Namnetibus superiora petentes, mense Novembri, VI. videlicet Idus, urbem Turonum impunè adeunt, atque incendunt, cum Ecclesia Sancti Martini, & cæteris adjacentibus locis. Sed quia evidenti certitudine hoc præscitum fuerat, corpus Beati Martini ad Cormaricum Monasterium ejus Ecclesiæ, ac inde ad civitatem Aurelianorum transportaverunt.

Bulgari sociatis sibi Sclavis, &, ut fertur, à nostris muneribus invitati, adversùs Ludowicum Germaniæ Regem acriter permoventur. Sed Domino pugnante vincuntur. Græci verò non minùs contra Ludowicum filium Lotharii Regem Italiæ concitantur, propter filiam Imperatoris Constantinopolitani ab eo desponsatam, sed ad ejus nuptias venire differentem. Romani quoque artati Sarracenorum, Maurorumque incursionibus, ob sui defensionem omnino neglectam apud Imperatorem Lotharium conqueruntur.

DCCCLIV.

854. Carolus super fratris sui Ludoici fide suspectus, ad Lotharium in vico Leutico venit, ubi diu de comuni amicitia, atque indissolubili tractantes, tandem coram omnibus, qui aderant, identidem super Sancta jurando, vicissim firmaverunt, commendatis alternatim filiis, Proceribus, & Regnis. Interea Ludoicus adolescens filius Lodoici Regis Germanorum ab Aquitanis à patre expetitur, Ligerim transit, & ab eis, à quibus fuerat postulatus, suscipitur. Carolus profectionem in Aquitaniam tempore Quadragesimæ celebrat, in qua usque Paschalem festivitatem demoratur: ejusque populus prædis, incendiis, hominumque captivitatibus totum suum laborem impendit, nec ab ipsis Ecclesiis, & altaribus Dei suam cupiditatem, & audaciam cohibet.

Lotharius fratrem suum Lodoicum super Rhenum de fraternitate erga Carolum alloquitur. Sed priùs acriter sese mordentes, tandem ad concordiam redeunt, pacisque nomine fœderantur. Unde non modicè Carolus sollicitus, ab Aquitania, nullo peracto negotio, repedans, fratrem Lotharium ad Palatium suum Attiniacum invitat. Quò convenientes quod dudum pepigerant firmaverunt.

Dani in Ligere consistentes usque ad Blisium castrum veniunt, ipsumque incendunt: volentes indè Aurelianis pervenire, eadem patraturi. Præparantibus verò adversùs eos navigia, & bellatores, Episcopo Aurelianensium Agio, & Carnutum Burdiardo (1), ab intentione desistunt, & inferiora Ligeris repetunt.

Alii quoque pyratæ Danorum Fresiam Saxoniæ adjacentem populantur. Lotharius, & Carolus Legatos ad fratrem Lodoicum pro pacis concordia, & ut filium suum ab Aquitania revocet, mittunt. Carolus iterum Aquitaniam adit. Pippinus Pippini filius, qui in Monasterio Sancti Medardi tonsus habitum Monachi susceperat, & juramentum permansionis fecerat, Aquitaniam ingreditur, parsque maxima populi terræ ad eum convolat. Karlus Rex, Pippini causâ posthabitâ, Lodowicum nepotem ab Aquitania fugatum ad patrem in Germaniam redire compellit. Karlus Pippini frater jam Diaconus ordinatus à Corbejensi Monasterio recedit. Karlus Rex Karlomannum filium suum tonsurâ Ecclesiasticâ dedicat. Dani intestino inter se prœlio dimicantes, adeò tridui concertatione obstinatissima bacchati sunt, ut Orico Rege, & cæteris cum eo interfectis Regibus, penè omnis nobilitas interierit. Pyratæ Nordmannorum Ligere insistentes, denuo civitatem Andegavorum incendio concremant.

DCCCLV.

855. Lotharius totam Fresiam filio suo Lothario donat. Unde Roric, & Godefridus patriam, idest Daniam, repedant, spe potestatis Regiæ nanciscendæ. Lotharius infirmatur, qua de re occasio data est Ludoico, & Carolo fratribus, ad concordiam redeundi.

Nordmanni Burdegalam Aquitaniæ civitatem invadunt, & hâc, illacque pro libitu pervagantur. Karlus Aquitanis petentibus Karlum filium suum Regem designatum attribuit. Karlus

(1) *Burchardo*.

lus etiam Edilwlfum Regem Anglorum Saxonum Romam properantem honorificè suscipit, omni regio habitu donat, & usque ad Regni sui terminos cum obsequiis Rege dignis deduci facit. Lotharius adversùs Karlum occasione suspectæ fidei queritur. Multa Catholicæ fidei contraria in Regno Karli, ipso quoque nonnescio, concitantur.

Mense Augusto Leo Apostolicæ Sedis Antistes defunctus est, eique Benedictus successit.

Eodem mense duæ Stellæ majoris, & minoris quantitatis visæ sunt à parte Occidentis Orientem versùs incedere, & hoc per decem vices adeò alternatim, ut majore permanente, minor aliquoties nullatenus appareret. Lotharius Imperator morbo correptus, vitamque desperans, Monasterium Promeæ in Arduenna constitutum adiit, seculoque, & Regno penitus abrenuncians tonsus est, vitam, habitumque Monachi humiliter sumens. Dispositoque inter filios, qui secum morabantur Regno, ita ut Lotharius cognomen ejus Franciam, Karlus verò Provinciam obtineret, intra sex dies vitâ decessit, IV. Kalendarum Octobrium, atque in eodem Monasterio sepulturam, ut desideraverat, consecutus est.

Aquitani urbem Lemovicum mediante Octobri mense convenientes, Karlum puerum filium Karli Regem generaliter constituunt, unctoque per Pontificem Coronam Regni imponunt, Sceptrumque attribuunt. Nortmanni Ligerim ingressi, relictis navibus pedestri itinere urbem Pictavorum adire moliuntur. Sed occurrentibus Aquitanis adeò profligati sunt, ut ultra trecentos pauci evaserint. Roric, & Godefridus nequaquam arridentibus sibi successibus Dorestado se continent, & parte maxima Fresiæ potiuntur. Ludoicus Rex Germanorum crebris Sclavorum defectionibus agitatur.

DCCCLVI.

856. Hiems asperrima, & sicca, pestilentia valida, qua magna pars hominum absumitur. Ludoicus Rex Italiæ filius Lotharii super portione Regni paterni in Francia apud patruos suos Ludowicum, & Karlum conquiritur: Italiam largitate avi Ludoici Imperatoris se asserens assecutum. Aquitani Karlum puerum, quem nuper Regem constituerant, spernentes, Pippinum ex Monacho, qui de Monasterio Sancti Medardi aufugerat, eductum custodiâ Regem simulant.

Karlus Rex cum Respogio Britonum paciscens, filiam ejus filio suo Ludoico despondet, dato illi Ducatu Cenomannico, usque ad viam, quæ à Lotitia Parisiorum Cæsaredunum Turonum ducit. Proceres quondam Lotharii filium ejus Lotharium Regem Franciæ (1) etiam sacra ratione constituunt. Pyratæ Danorum XIV. Kalend Maji civitatem Aurelianis adeunt, prædantur, & impunè revertuntur. Comites penè omnes ex Regno Karli Regis cum Aquitanis adversùs eum conjurant, invitantes Ludoicum Regem Germanorum ad suum consilium perficiendum. Quo diutiùs in expeditione Sclavorum detento, ubi & magnam partem sui exercitus amisit, isti moras illius non ferentes, Karlo Regi reconciliantur.

Exaqui Spreto Pippino, Karlum puerum filium Karli Regis, quem antea pepulerant, recipiunt, & in Aquitaniam reducunt. Iterum pyratæ Danorum alii mediante Augusto Sequanam ingrediuntur, & vastatis, direptisque ex utraque fluminis parte civitatibus, etiam procul positis Monasteriis, atque villis, locum, qui dicitur Fossa-Givaldi, Sequanæ contiguum, stationique munitissimum deligunt, ubi hiemem quieti transigunt. Edilvulf Rex Occidentalium Anglorum Româ rediens Judith filiam Karli Regis mense Julio desponsatam Cal. Octobribus in Vermaria Palatio in matrimonium accipit, & eam Ingmaro Durocortori Remorum Episcopo benedicente, imposito capiti ejus diademate, Reginæ nomine insignit. Quod sibi, suæque genti eatenus fuerat insuetum. Patratoque regiis apparatibus utrimque, atque muneribus matrimonio, cum ea Britanniam Regni sui ditionem navigio repetit. Ludoicus Imperator Italiæ, & Lotharius frater ejus Rex Franciæ, cum Karlo puero germano suo, apud Urbam conveniunt. Ubi adeò pro Regni paterni portionibus dissident, ut penè armis inter sese decernant. Karlo tamen fratri suo Provinciam, & Ducatum Lugdunensem juxta paternam dispositionem distribuunt, eripientibus eum à fratre Lothario Optimatibus, qui illum moliebatur in Clericum tonsurare. Sarraceni de Benevento Neapolim fraude adeuntes vastant, diripiunt, & funditus evertunt.

DCCCLVII.

857. Pyratæ Danorum V. Kalendas Januarias Loticiam Parisiorum invadunt, atque incendio tradunt. Hi verò, qui apud inferiora Ligeris morabantur, Turones, & omnia circumquaque loca usque ad Blisum castrum deprædantur. Aquitanorum aliqui persuasione occultè conspirantium Francorum quorumdam in Karlum à Karlo admodum puero deficientes, Pippino sociantur.

Karlus Rex, & Lotharius nepos ejus sacramentis vicissim exhibitis fœderantur. Similiter Ludoicus Rex Germaniæ, & Ludoicus Imperator Italiæ. Pippinus Danorum pyratis sociatur, Pictavorum civitatem devastat, & multa alia Aquitaniæ loca depopulat. Lotharius concubinis abutens, uxorem suam Reginam abjicit.

In urbe Colonia Agrippina Gunthario Episcopo adstante in Ecclesia Beati Petri, nubes densissima desuper crebris fulminibus incubat, cùm subitò fulgor in modum ignis per subgrundia ejusdem Ecclesiæ intrans, unum Sacerdotem, & unum Diaconum, unumque ex laicis interficit, ac terræ abditis reconditur.

In Augusta etiam Trevirorum Teotgaudo Episcopo cum Clero, & populo celebrante, nubes teterrima superincumbens, tonitruis, fulminibusque Ecclesiam territans, turrem campanarum sonantium comminuit, tantaque tenebrositate Ecclesiam implevit, ut vix alterutrum sese cognoscere valerent, visusque est canis nimiæ enormitatis in circuitu altaris discurrere, subitò terræ hiatu.

Dani Sequanæ insistentes cuncta liberè vastant, Luthetiamque Parisiorum adgressi, Basilicam Beati Petri, & Sanctæ Genovefæ incendunt, & cæteras omnes, præter domum Sancti Stephani, & Ecclesiam Sancti Vincentii, atque Germani, præterque Ecclesiam Sancti Dionysii. Pro quibus, tantummodò ne incenderentur, multa solidorum summa soluta est. Alii Danorum emporium, quod Dorstatum dicitur, vi capiunt, totamque Batavorum insulam, & cætera loca contermina diripiunt. Respogius Dux Britonum à Salomone, & Almaro Britonibus diu contra se dissidentibus interimitur.

(1) *mediæ scilicet, idest Lotharingiæ.*

tur. Quidam procerum Karli Regis Aquitanis sociati, multas prædas, pluraque incommoda perpetrant. Frotbaldus Episcopus Carnotum, insistentibus sibi Danis, in eadem civitate pedibus fugiens, fluviumque Auduram natatu petens, aquis interceptis moritur.

DCCCLVIII.

858. Quando ipse Karolus intravit in insulam Sequanæ dictam Oscellum, ubi magnum sustinuit periculum, sicut à multis tunc fuit cognitum, & quando frater suus Ludoicus super illum venit cum omni hostili apparatu. Sed largiente misericordia Dei cum honore non recessit. Dominicæ Nativitatis festo noctu, & interdiu Moguntiæ validus, & celeberrimus terræmotus efficitur, quem etiam valida hominum mortalitas insequitur.

In territorio...... mare quandam arborem radicitus evulsam, & Gallicanis Provinciis ante ignotam ejecit, carentem foliis, sed loco frondium habentem ramusculos similitudine herbæ partim latæ, sed longioris: loco verò foliorum quædam triangula specie, colore autem unguium humanorum, vel oscium piscium, quæ in eis tenuia sunt, & hæc ita summitati earumdem herbarum inhærentia, ac si extrinsecus adposita viderentur: more eorum, qui ex diversis metallis in ornamentis cingulorum, vel hominum, vel equestrium falerarum extrinsecus adfigi solent.

In pago Senonico, in Ecclesia Sanctæ Porcariæ, die Dominico, celebrante Missas Presbytero, lupus subitò introiens, plebemque assistentem discurrendo perturbans, tandem inter fœminas identidem faciens, disparuit.

Edilwf Rex Occidentalium Saxonum moritur, relictam ejus Judith Reginam Adalboldus filius ejus uxorem ducit. Berno Dux partis pyratarum Sequanæ insistentium ad Karlum Regem in Vermeria palatio venit, ejusque se manibus dedens. fidelitatem statim jurat. Pars altera eorumdem pyratarum Ludoicum Abbatem Monasterii Sancti Dionysii, cum fratre ipsius Guazieno capiunt, eisque redemptionis suæ gravissimam multam imponunt, ob quam multi thesaurorum Ecclesiarum Dei ex Regno Karli ipso jubente exhausti sunt. Sed his minimè sufficientibus, ab eodem Rege, & omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, cæterisque viris potentibus, multa ad suppletionem prædictæ summæ certatim conlata sunt. Comites verò Karli Regis cum Britonibus juncti, deficientes à Karlo, filium ejus Ludoicum, ejusque sequaces, à partibus Cenomannicis deterritum Sequanam transire, atque ad patrem refugere compellunt. Lotharius Rex cum fratre suo Karolo Provinciæ Rege amicitiam firmat, datis ei duobus Episcopatibus ex Regno suo portionibus, idest, Bilsio, & Tarantasia. Similiter Karlus eidem fratri suo Lothario Regnum suum ea conditione tradidit, ut si antequam uxorem acciperet, & filios generaret, ab hac vita decederet, ei Lotharius jure hæreditario succederet.

Mense Majo in vico Leudico, in quo corpus Sancti Landberti quiescit, tanta subitò pluviarum inundatio effusa est, ut domos, & muros lapideos, seu quæcumque ædificia, cum hominibus, & omnibus quæcumque illic invênit, usque ad ipsam Ecclesiam memoriæ S. Landberti violenta irruptione in Mosam fluvium præcipitaverit.

Dani Saxoniam adgrediuntur, sed repelluntur, Benedictus Romanus Pontifex moritur. Nicolaus præsentiâ magis, ac favore Ludoici Regis, & procerum ejus, quàm Cleri electione substituitur. Lotharius Rex, cogentibus suis, uxorem, quam abjecerat, recepit, nec tamen ad thorum admittit, sed custodiæ tradit.

Karlus Rex insulam Sequanæ vocabulo Oscellum, Danos in ea commorantes obsessurus, mense Julio adgreditur. Ubi ad eum Karolus puer filius ejus ab Aquitania pervênit. Cum quo Pippinum jam laicum suscipit, & ei Comitatus, ac Monasteria in Aquitania tribuit. Lotharius etiam Rex, ad eandem insulam mense Augusto properat, avunculo adjutorium conlaturus. Ubi usque IX. Kalendas Octobris absque profectu obsidionis demorantes, tandem ad propria remeant. Interim Comites ex Regno Karoli Regis Ludoicum Germanorum Regem, quem per quinque annos invitaverant, adducunt. Qui Kalendas Septembris Ponteonem Regiam villam adveniens, per Catalaunos, & Cupedenses Ajedincum Senonum pervênit. Inde Aurelianensem pagum adiens, receptis ab Aquitania, & Niustria, atque Britonibus, qui ad eum se venturos spoponderant, eâdem penè viâ usque ad Cupedenses remeat. Quibus Karolus Rex compertis per Catalaunos usque ad Breonam villam festinus graditur. Ubi concurrentibus ad eum Burgundiæ Primoribus, Ludoicum insequentem præstolatur. Sed intercurrentibus nunciis, cùm nulla pacis compositio fieret, tertio tandem die, idest pridie Idus Novémbris, præparatis hinc inde aciebus, videns Karlus se à suis deseri, recessit, & partes Burgundiæ petiit. Ludoicus verò receptis his, qui à Karlo defecerant, Augustam Tricorum adit, ibique distribuens invitatoribus suis Comitatus, Monasteria, Villas Regias, atque proprietates, ad Attiniacum palatium revertitur. Quò Lotharius Rex ei occurrit, & confirmatis inter se pactionibus ad sua repedat. Ludoicus verò per Durocortorum Remorum, & Laudunensem pagum, ad Augustam Veromandorum, in Cœnobio videlicet S. Quintini Martyris, Dominicæ Nativitatis festum celebraturus ingreditur. Interea quidam Monachus ex Monasterio S. Vincentii Martyris, vel S. Germani Confessoris, à Corduba civitate Hispaniæ rediens, corpora Beatorum Martyrum Georgii Diaconi, & Aurelii, caputque Nataliæ secum detulit, atque in villa Acmanto in loculis servanda collocavit.

DCCCLIX.

859. Dani loca ultra Scaldem populantur, Vulgus promiscuum inter Sequanam & Ligerim inter se conjurans adversùs Danos in Sequana consistentes fortiter resistit. Sed quia incautè suscepta est eorum conjuratio, à potentioribus nostris facilè interficiuntur. Karlus Rex recuperatis viribus fratrem suum Ludoicum nec opinantem adgreditur, & de Regni sui finibus pellit. Lotharius Rex ad Karlum patruum suum festinat, & die Domenico initii Quadragesimæ in Arcas Palatio publicè sacramentis vicissim per seipsos datis sese iterum confirmant. Karlus quædam Monasteria, quæ antea Clerici habere solebant, laicis distribuit. Pyratæ Danorum longo maris circuitu, inter Hispanias videlicet, & Africam navigantes, Rhodanum ingrediuntur: depopulatisque quibusdam civitatibus, ac Monasteriis, in Insula, quæ Camarias dicitur, se disponunt. Karlus Rex per diversa loca Conventus Episcoporum agit. Sed quarto à Tullo Leucorum milliario in villa Saponarias cum Lothario, & Karlo nepotibus suis Regibus Synodo Episcoporum adsistens, libellum accu-

accusationis adversus Guanilonem Agedinci Senonum Metropolitanum Episcopum porrigit. Quæ tamen actio propter absentiam ejusdem Guanilonis Episcopi dilata est. Inde ad colloquium fratris sui Ludoici Regis in Insula Rheni inter Autunacum, & Confluentes properat. Cujus colloquii effectus differtur usque ad VIII. Kalendas Novembris apud Basiliam civitatem. Quò Ludoico adveniente, Karlus propter Lotharii absentiam ab itinere cœpto revertitur. Aquitani ad Karlum puerum omnes penè convertuntur. Pippinus Rotberto Comiti, & Britonibus sociatur.

Acies in cœlo mense Augusto, Septembri, & Octobri, nocturno tempore visuntur, ita ut diurna claritas ab Oriente usque in Septentrionem continuè fulserit, & columnæ sanguineæ ex ea discurrentes processerint. Dani noviter advenientes Monasterium Sancti Walarici, & Samarobricam Ambianorum civitatem, aliaque circumquaque loca rapinis, & incendiis vastant. Alii quoque eorum Insulam Rheni Patavum simili furore invadunt. Hi verò, qui in Sequana morantur, Noviomum civitatem noctu adgressi, Immonem Episcopum cum aliis nobilibus tam Clericis, quàm laicis capiunt, vastataque civitate secum abducunt, atque in itinere interficiunt. Qui etiam ante duos menses Ermenfridum Beluagorum in quadam villa interfecerant. Sed & anno præterito Blatfridum Bajocassium Episcopum necaverant.

Ossa Beatorum Martyrum Dionysii, Rustici, & Eleutherii, metu eorumdem Danorum in pagum Mauripensem, in villam sui juris Novientum devecta sunt, atque XI. Kal. Octobris in locis diligenter conlocata.

Lotharius fratri suo Ludoico Italorum Regi quandam Regni sui portionem attribuit: ea videlicet, quæ ultra Juram montem habebat, videst Genuam, Lausonnam, & Sedunum civitates, cum Episcopatibus, Monasteriis, & Comitatibus: præter Hospitale, quod est in monte Jovis, & Pippincensem Comitatum.

Guanilo Episcopus Senonum absque audientia Episcoporum Karlo Regi reconciliatur.

Nicolaus Pontifex Romanus de gratia Dei, & libero arbitrio, de veritate geminæ prædestinationis, & Sanguine Christi, ut pro credentibus omnibus fusus sit, fideliter confirmat, & Catholicè decernit.

DCCCLX.

860. Hiems diutina, & continuis nivibus, ac gelu dira, à mense videlicet Novembri usque ad Aprilem. Lotharius Reginam suam Teutbergam irrevocabili odio habitam, * ut ipsa coram Episcopis confiteretur, fratrem suum Hucbertum sibi sodomitico scelere commixtum. Unde & pœnitentiæ continuò addicta est, atque in Monasterium retrusa. Karlus Rex inani Danorum in Somna consistentium pollicitatione pellectus, exactionem de thesauris Ecclesiarum, & omnibus mansis, ac negotiatoribus etiam paupertinis, ita ut etiam domus eorum, & omnia utensilia adpreciarentur, & inde statutus census exigeretur, fieri jubet. Nam iidem Dani promiserant, ut si eis tria millia librarum argenti pondere examinato tribueret, se adversùs eos Danos, qui in Sequana versabantur, ituros, eosque inde aut expulsuros, aut interfecturos.

Pridie nonas Aprilis nocte sequenti, novâ videlicet Lunâ jam inchoatâ, fertur quædam obscuritas corniculata eodem scemate, quo Luna splendebat, per medium ejusdem Lunæ apparuisse, ita ut hinc inde luceret, sed in medio obscuraretur. Similiter dicitur VIII. Idus Aprilis Sol ortus quandam in medio sui orbe tenebrositatem passus: qua ad inferiora ejus delabente, mox alia à superioribus ei ingruerit, ejusque orbem usque ad infima similiter percurrerit; & hoc Lunâ X.

Dani in Somna consistentes, cùm eis non daretur supradictus census, receptis obsidibus ad Anglosaxones navigant. A quibus profligati, atque repulsi alias partes petunt. Hi verò Dani, qui in Rhodano morabantur, usque ad Valentiam civitatem vastando perveniunt. Unde direptis quæ circà erant omnibus, revertentes, ad Insulam, in qua sedes posuerant, redeunt.

Ludoicus, Karlus, & Lotharius, Reges, Kal. Junias apud castrum, quod Confluentes vocatur, conveniunt: ibique de pace inter se diu tractantes, tandem concordiam, atque amicitiam ipsi per se juramento firmant. Ludoicus Imperator Italiæ suorum factione impetitur, & ipse contra eos, ac contra Beneventanos rapinis, atque incendiis desævit.

Dani, qui in Rhodano fuerant, Italiam petunt, & Pisas civitatem, aliasque capiunt, deprædantur, atque devastant. Lotharius Rex metuens avunculum suum Karlum, Ludoico Regi Germaniæ sociatur, atque ob eandem societatem partem Regni sui, idest Helizatiam, tradit. Uxor Lotharii timens odium viri sui, atque insidias, ad fratrem suum Hucbertum in Regno Karli aufugit.

Karlus Rex Monasterium Sancti Martini filio suo Ludoico largitur.

DCCCLXI.

861. Dani mense Januario Lutetiam Parisiorum, & Ecclesiam Sancti Vincentii Martyris, & Sancti Germani Confessoris incendio tradunt. Negotiatores quoque per Sequanam navigio sursùm versùs fugientes insequuntur, & capiunt. Alii quoque Danorum pyratæ Tarvanensem pagum adeunt, & devastant.

Quarto Kalendas Aprilis Luna post horam noctis octavam tota in nigredinem vertitur. Karlus Rex filium suum Lotharium claudum in Monasterio Sancti Joannis Clericum fieri jubet.

Galindo cognomento Prudentius, Tricassinæ civitatis Episcopus, natione Hispanus, adpri mè literis eruditus, qui ante aliquot annos Gotescalco Prædestinatiano restiterat, post felle commotus contra quosdam Episcopos secum hæretico resistentes, ipsius hæresis defensor acerrimus: indeque non modica inter se diversa, & fidei adversa scriptitans, moritur. Sicque licèt diutino languore fatigaretur, ut vivendi, ita & scribendi finem fecit.

Carolomannus Ludoici Germaniæ Regis filius cum Resticio Winidorum Regulo fœderatur, à patre deficit, & Resticii auxilio magnam sibi partem usque ad Hin fluvium paterni Regni præsumit. Hludowicus Socerum Karolomanni filii sui Arnustum honoribus privat, & nepotes ipsius à Regno suo expellit. Qui cum Adalardo Irmintrudis Reginæ avunculo, suo autem propinquo, quem Hlotharius patrui sui Hludoici factione insequebatur, Karlum adeunt, à quo benignè suscipiuntur, & honoribus consolantur. Sed & penè omnes, qui nuper à Karolo ad Ludoicum defecerant, ad Karolum revertuntur, & ab eo familiaritate, & honoribus redonantur.

Dani, qui pridem Morinum civitatem incenderant, de Anglis revertentes Duce Welando, cum

cum ducentis, & eo ampliùs navibus per Sequanam ascendunt, & castellum in Insula, quæ Oscellus dicitur, à Nortmannis constructum, & eosdem Nortmannos obsident. Ad quorum obsidentium videlicet locarium quinquemillia libras argenti, cum animalium, atque annonæ summa non modica, de Regno suo, ne deprædaretur, exigi Karolus præcepit, & Sequanam transiens Meidunum super Ligerim adit, Rodbertum cum placitis honoribus recipit. Qua occasione Guntfridus, & Gozfridus, quorum consilio Karolus præfatum Rodbertum receperat, cum suis complicibus, gentilitia mobilitate, & insolita consuetudine à Karolo ad Salomonem Brittonum Ducem deficiunt. Interea Danorum pars altera cum sexaginta navibus per Sequanam in fluvium Tellas ascendunt, indeque ad obsidentes castellum perveniunt, & eorum societate junguntur. Obsessi autem famis inediâ, & miseriâ omni squallore compulsi, sex mille libras inter aurum, & argentum obsidentibus donant, eisque sociantur, & sic per Sequanam, usque ad mare descendunt. Quos imminens hiems ingredi mare prohibuit. Unde se per singulos portus ab ipso loco Parisius, usque secundum suas sodalitates dividunt. Welandus autem per Sequanam, usque ad castrum Milidunum cum sociis suis ascendit. Castellani verò cum Welando filio Fossatis Monasterium occupant, Hincmarus Durocortori Remorum Archiepiscopus Synodo Comprovinciali apud Martyrium Sanctorum Crispini, & Crispiniani, secus civitatem Suessionis Rothardum ipsius urbis Episcopum regulis Ecclesiasticis obedire nolentem Episcopali privat communione secundùm decreta Canonum, donec obediat.

Karolus dimisso filio suo Ludoico sub Adalardi Irmintrudis Reginæ avunculi bajulatione ad custodiam Regni, contra Nortmannos à quibusdam invitatus, quasi Regnum Provinciæ adepturus, quoniam Karolus Lotharii quondam Imperatoris filius inutilis, atque inconveniens Regio honori, & nomini ferebatur, cum uxore Burgundiam usque ad civitatem Matescentium peragrat. Ubi rebus parum prosperè gestis, & deprædationibus plurimis populo terræ ingestis, Pontigonem Palatium redit, ibique missaticum ex parte Ludoici fratris sui, & Lotharii nepotis sui, ab Adventio Mettensium civitatis Episcopo, & Leutardo Comite delatum audit, eosque absolvit, & diem Natalis Dominicæ festivè, ut moris est, celebrat.

DCCCLXII.

862. Karolus per Regni civitatem Suessionis venit, ubi non incerto nuncio comperit, quia filia ejus Judith, relicta scilicet Edelboldi Regis Anglorum (quæ possessionibus venditis, quas in Anglorum Regno obtinuerat, ad patrem rediit, & in Silvanectis civitatem debito Reginæ honore sub tuitione paterna, & Regia, atque Episcopali custodia servabatur, donec si se continere non posset, secundùm Apostolum, scilicet competenter, ac legaliter, nuberet) Balduinum Comitem, ipso lenocinante, & fratre suo Ludoico consentiente, mutato habitu est secuta. Sed & quia Ludoicus filius ejus à præfatis Guntfrido, & Gozfrido sollicitatus, relictis fidelibus patris, cum paucis noctu aufugit, & transfuga ad se sollicitantes pervênit. Unde Rex Karolus Episcopos, & cæteros Regni sui Primores consulens, post mundanæ legis judicium, canonicum in jamdictum Balduinum, & Judith, quæ cum fure cucurrit, & adulteri portionem se fecit, secundùm edicta Beati Gregorii, ut si quis viduam in uxorem furatus fuerit, & consentientes ei, anathema sint, depromi sententiam ab Episcopis petiit. Abbatiam quoque Sancti Martini, quam inconsultè præscripto filio suo Ludoico donaverat, non satis consultè Hucberto Clerico conjugato donavit. Indeque Silvanectum perrexit. Ubi dum moraretur, expectans ut ad eum populus conveniret, quatenus aciebus dispositis ex utrisque suis ripis, singulæ aquæ, Isara scilicet, Matrona, & Sequana, custodirentur, ne Nortmanni in prædam ire valerent: nuncium accepit, quia Danorum electi de his, qui in Fossatis resederant, cum parvis navibus Meldensium civitatem adirent. Ipse autem cum eis, quos secum habuit, illò pergere maturavit. Et quoniam pontibus à Nortmannis destructis, & navibus occupatis, eos adire non poterat, necessario usus consilio, pontem ad Insulam secus Trejectum reficit, & Nortmannis descendendi aditum intercludit. Scaras nihilominus ex utraque ripa Matronæ ad custodiam deputat. Qua de re Nortmanni valde constricti obsides electos, & Carolo missos, eâ conditione donant, ut omnes captivos, quos ceperant postquam Matronam intraverant, sinè mora aliqua redderent, & aut cum aliis Nortmannis constituto die Placiti à Sequana recedentes, mare peterent: aut si alii cum eis redire non vellent, unà cum exercitu Caroli retractantes ire bello appeterent. Sicque datis decem obsidibus sunt ad suos redire permissi. Et post viginti circiter dies ipse Welandus ad Carolum veniens illi se commendavit, & sacramenta cum eis, quos secum habuit, statim præbuit. Indeque ad naves regressus; cum omni Danorum navigio usque ad Gemeticum, ubi illorum naves statuerunt reficere, & vernale æquinoctium expectare, descendit. Refectis navibus, Dani mare petentes per plures classes se dividunt, & prout cuique visum est in diversa velificant. Major autem pars Britannos, qui Salomone Duce habitant in Niustria, petit. Quibus & illi junguntur, qui in Hispania fuerant. De quibus Rodbertus duodecim naves, quas Salomon in contrarietatem ejus locario jure conduxerat, in fluvio Ligeri capit: omnesque qui in illo fuere navigio, interfecit, præter paucos, qui fugâ lapsi delituerunt. Rodbertus autem Salomonem sustinere non valens, cum præfatis Nortmannis, qui de Sequana exierunt, antequam illos Salomon sibi adversùs eum adsciscceret, datis utrimque obsidibus, in sex millibus argenti contra eundem Salomonem convênit. Welandus, cum uxore, & filiis ad Carolum venit, & Christianus cum suis efficitur.

Carolomannus Ludoici Regis Germaniæ filius, concessa sibi à patre Regni portione, quam pridem invaserat, & dato sacramento, ne ampliùs inde sinè patris voluntate invaderet cum patre pacificatur. Ludoicus denique filius Caroli Regis, consilio Gunfridi, atque Gozfridi Salomonem adit, validam Britonum manum obtinet, & cum eis Rodbertum patris fidelem impetit: Andegavum, & alios, quos adire potuit pagos, cæde, igni, deprædatione devastat. Rodbertus siquidem Britones redeuntes cum maxima deprædatione aggreditur, & plusquam ducentos Britonum Primores occidit, & prædam excutit. Quem iterum Ludoicus bello quærit, in fugam ab eo vertitur, & dispersis sociis vix evasit.

Carolus Rex Aquitanorum Caroli Regis filius, necdum quindecim annos complens, persuasione Stephani relictam Humberti Comitis sinè vo-

voluntate, & conscientia patris in conjugem ducit. Sed & sepæfactus Ludoicus frater ipsius Caroli è vestigio in ipso Quadragesimæ sanctæ initio filiam Harduini quondam Comitis, sororem scilicet Odonis sui multùm complaciti, sibi conjugem copulat. Carolus horum pater omnes Primores Regni sui ad locum, qui Pistis dicitur, ubi ex una parte Andella, & ex altera Audura, Sequanam influunt, circa Junii Kalendas cum multis operariis, & carris conveni- re facit, & Sequanâ munitiones construens, ascendendi, vel descendendi navibus propter Nortmannos aditum intercludit. Ipse cum uxore super Ligerim, in loco, qui Maidunus dicitur, datis per suos sacramentis, cum Carolo filio loquitur: & eo quasi subitò, sed voce submissâ & animo contumaci, erecto, in Aquitaniam remeante, ipse ad Pistis, quò Placitum simul & Synodum ante condixerat, redit, & inter operandum de Sanctæ Ecclesiæ, ac Regni negociis cum fidelibus suis tractat. Ubi Rothadus Suessorum Episcopus, homo singularis amentiæ, in Synodo provinciali regulariter Episcoporum communione privatus, cum sua se contumacia quatuor Provinciarum Concilio præsentavit. Quem fraternus Conventus ne deponeretur penitus, sub appellatione Sedis Apostolicæ servare disposuit. Sed isdem post ejusdem Concilii judicium inde appellaverat, expetens *, constitutis XII. ab eadem Synodo judicii exequendi Judicibus, novus Pharao propter sui cordis duritiam, & vetera secula repræsentans, homo mutatus in beluam propter designatos excessus gestorum * Siriæ continentur, quoniam corrigi noluit, in suburbio Suessorum civitatis deponitur. Interea contigit miraculum in civitate Morinensi. Nam cujusdam civis ipsius urbis mancipium mane in die Assumptionis Sanctæ Mariæ vestitum lineum, quod *Camisium* vulgo vocatur, levigare incipiens, ut illud Dominus suus ad Missam procedens paratum portare quivisset, ad primum initium, quo levigam imprimens traxit, vestimentum sanguineum est effectum. Sicque quotiens idem mancipium levigam traxit, sanguis est subsecutus: usquequo vestimentum illud totum rejacenti sanguine est infectum. Quod vestimentum Hunfridus ipsius civitatis Episcopus ad se fecit deferri, & in eadem Ecclesia ad testimonium servari. Et quoniam eadem festivitas ab incolis Parochiæ illius non feriabatur, & celebrari, & feriari debito honore ab omnibus eandem solemnitatem præcepit.

Ludoicus, qui à patre dudum defecerat, ad eum redit, & veniam ab eo, sed & ab Episcopis, pro suis excessibus postulans, patri de cetero fore fidelem districtissimis sacramentis se obligat. Cui pater Comitatum Meldensem, & Abbatiam S. Crispini donans, cum uxore de Niustria ad se venire præcepit. Hunfrido super quem Varengaudus in fidelitatem miserat, petentibus suis fidelibus ne confligat bello, concessit, ipsumque & Varengaudum pacificat.

Ludoicus Rex Germaniæ Lotharium nepotem suum apud Moguntiam accersiens, petit ut cum eo contra Winedos, qui appellantur adversùs * Regulum, cum apparatu hostili pergat. Qui se primum iturum promisit, post verò à promissione sua defecit. Ludoicus autem, relicto in patria filio Carolo, quoniam nuper uxorem, Ercangarii Comitis filiam, duxerat, Ludoicum filium suum secum ducens aggreditur Winedos. Unde amissis quibusdam primoribus, & nihil prosperè gestis, sub obtentu obsidum ad Franconofurd Palatium super Mœnum fluvium. * Dani magnam Regni ejus partem cæde, & igni vastantes prædantur. Sed & hostes antea illis populis inexperti, qui Ungari vocantur, Regnum ejusdem populantur.

Lotharius Waldradam concubinam, maleficis, ut ferebatur, artibus dementatus, & ipsius pellicis, pro qua uxorem suam Theotbergam abjecerat, cœco amore illectus, faventibus sibi Luitfrido avunculo suo, & Vultario, qui vel ob hoc maximè illi erant familiares, quod nefas est dictu, quibusdam etiam Regni sui Episcopis consentientibus, coronat, & quasi in conjugem, & Reginam sibi amicis dolentibus, atque contradicentibus, copulat.

Hincmarus Remorum Episcopus veniente Carolo Rege in eandem civitatem, accitis Comprovincialibus suis Episcopis, Matrem Ecclesiam ipsius Provinciæ in honore Sanctæ Mariæ, sicut & antiqua fuerat sacrata, venerabiliter dedicat.

Ludoicus Rex Germaniæ, directis Missis blandiloquis ad fratrem suum Carolum, obviam sibi in Territorium Tullensem venire petit. Et quia Carolus cum Lothario ante alloqui noluit, quàm fratri suo causas diceret, quæ ei in Lothario displicebant, non mediocri querela inde sermonibus est conflictum. Tandem Carolus, cum Episcopis, qui secum erant Ludoico, & Episcopis, qui erant cum eo, scripto capitulatim ostendit, pro quibus Lothario communicare nolebat, nisi profiteretur, quòd inde aut certam redderet rationem, aut secundùm auctoritatem dignam ostenderet emendationem. Postquam professionem sub hac convenientia Carolus, & Episcopi, qui cum eo erant in communionem Lotharium receperunt, & scriptas, ac Consiliariis recitatas adnunciationes, quas de illorum Conventu debuerunt populo nunciare, usi consilio præcipuè Ludoicus, & Lotharius Chuonradi sui Consiliarii, Caroli autem avunculi, qui superciliosa, sed frivola, & nec sibi adeò, nec pluribus proficua more sueta scientia nitebatur, ne innotescerentur populo causæ, quas Carolus Lothario reputabat, penitùs rejecerunt. Verùm Carolus contra eorum vota omnibus pleniter notum fecit, quia pro uxore contra Evangelicam, & Apostolicam auctoritatem relicta, altera ducta est: & quia uxori Bosonis, & Balduino, qui filiam ejus furatus fuerat in uxorem, excommunicatis communicaverunt, Lothario ante prædictam professionem communicare nolebat. Sicque condicentes Placitum sui Conventus in futuro mense Octobrio in confinio Mosomagensis, & Vonzensis Comitatus, ab invicem secesserunt. Ludoicus ad reconciliandum, vel ad resistendum filio suo Carlomanno, qui auxiliante Refeccio (1) Winidorum Regulo contra patrem rebellaverat, Bajoariam petiit. Carolus de Tullensi Territorio per Pontigonem, inde secus litora Matronæ fluminis Carisiacum revertitur. Ibique Dominici Natalis diem reverentissimè celebrat.

DCCCLXIII.

863. Dani mense Januario per Rhenum versùs Coloniam navigio ascendunt, & depopulato emporio, quod Dorestatus dicitur, sed & villam Nonmodocam, * ad quam Frisii confugerant, occisis multis Frisiorum negociatoribus, & capta non modica populi multitudine, usque ad

(1) Lege. Resticio.

ad quandam insulam secus castellum Novesium perveniunt. Quibus Lotharius ex una parte Rheni cum suis, & Saxones ex alia parte aggrediuntur, & usque circa Kalendas Aprilis consident. Unde iidem Dani consilio Rorici sicut accesserant, & recedunt.

Carolus Lotharii Imperatoris filius, & Rex Provinciæ, diu epeleutica infirmitate vexatus moritur. Ludoicus frater ejus Italiæ vocatus Imperator Provinciam venit, & quos potuit ipsius Regni Primores sibi conciliavit. Hoc audito Lotharius illuc pergit, & mediantibus inter eos domesticis, & amicis illorum, Placitum, quo simul redeant, & de ipso Regno apud se tractent, Ludoicus Italiam, Hlotharius in Regnum suum revertitur.

Carolus Rex Cinomannis civitatem adit, indeque usque ad Monasterium, quod Interamnis dicitur, procedit. Ubi Salomon Dux Britonum, cum Primoribus suæ Gentis illi obviam venit, seque illi commendat, & fidelitatem jurat, omnesque Primores Britanniæ jurare facit, & censum illius terræ secundùm antiquam consuetudinem illi exsolvit. Cui Carolus ob fidelitatis suæ meritum partem terræ, quæ Inter-duas aquas dicitur, & Abbatiam Sancti Albini in beneficium donat. Gozfridum, & Roricum, atque Heriveum, cæterosque, qui ab eo nuper, sicut & sæpe, defecerant, recipit, & cum indulgentia honoribus donat. Indeque Cenomannis revertitur, & Pascha Domini celebrat.

Hunfridus Gothiæ Marchio sinè conscientia Caroli Regis, factione solito more Tolosanorum, qui Comitibus suis eandem civitatem supplantare sunt soliti, Tolosam Reimundo subripit, & sibi usurpat, Carolus Rex de partibus trans-Sequanis regrediens, Luthardum Papiæ Episcopum de parte Ludoici Imperatoris Italiæ, & Gebahardum Spirensem Episcopum de parte Ludoici fratris sui Regis Germaniæ, & Nantharium Comitem de parte Lotharii nepotis sui, accipit pro pace petentes: quam idem Carolus semper servare voluit, quantum infestatio contrariorum sibi permisit. Sed & alium Missum fratris sui Ludoici nomine Blitgarium accipit petentem ut Carolomannum filium ejus à Restitio Winido desertum, & à se fugatum, si ad illum venerit, non recipiat. Quem non longo post tempore deceptum, atque desertum à suis, sub conditione sacramenti pater suus Ludoicus recepit, & secum in libera custodia tenuit.

Carolus Missos domni Apostolici Nicolai, Raduoldum scilicet Portuensem Episcopum, & Johannem Ficoclensem Episcopum, satis honorificè Suessionis in Monasterio Sancti Medardi recipit. Quos aliquamdiu secum retinuit, & concessâ Balduino, qui ad limina Apostolorum confugium fecerat, indulgentiâ, pro cujus obtentu venerant, cum epistolis ad Apostolicam Sedem redire, muneratos absolvit. Iidem autem Apostolicæ Sedis Legati Mettis adeunt, Synodum habituri ex delegatione Apostolica circa medium mensem Junium pro divortio, quod inter Lotharium, & uxorem suam Theotbergam acciderat, & pro superinductione concubinæ Waldradæ, quam contra leges Ecclesiasticas, & mundanas in uxorem sibi asciverat. In qua Synodo præfati Missi corrupti muneribus, epistolas domni Apostolici occultantes, nihil de his, quæ sibi commendata fuerunt, secundùm sacram auctoritatem egerunt. Ut autem aliquid viderentur egisse Guntharium Coloniensem Archiepiscopum, & Theutgardum Treverensem

A æquè Archiepiscopum, cum veniis, quas in eadem Synodo subscripserunt Episcopi, Romam ire jusserunt, ut judicio domni Apostolici ipsa causa diffiniretur. Domnus Apostolicus, quæ acta fuerant plenè cognoscens, & Rodoaldum similiter cupiditate in Constantinopoli cum Zacharia socio suo Episcopo nuper corruptum damnare volens, Synodum convocavit. Quod sentiens Rodoaldus, noctu fugâ lapsus disparuit. Guntharius verò, & Theutgaudus Romam pervenientes, primùm in Synodo, & postea Ecclesia Sancti Petri, sicut habetur in subditis, ab Apostolico sunt damnati.

B „ Nicolaus Episcopus Servus servorum Dei, „ reverentissimis, & sanctissimis Confratribus „ nostris, Hincmaro Remensi, & Waniloni Rothomagensi, seu omnibus Confratribus nostris „ Archiepiscopis, & Episcopis in Regno Caroli gloriosi Regis consistentibus. Scelus, „ quod Lotharius Rex, si tamen Rex veraciter dici possit, qui nullo salubri regimine „ corporis appetitus refrenat, sed lubrica enervatione magis ipsius illicitis motibus cedit, „ in duabus fœminis, Theotberga scilicet, & „ Waldrada commisit, omnibus manifestum est. „ Sed & dudum Episcopos Theotgaudum, & „ Guntharium in tali facto eum habuisse auctores, atque factores, penè totus nobis orbis undique ad limina, seu Sedem confluens „ Apostolicam referebat: absentibus quoque id

C „ ipsum nostro scribentibus Apostolatui. Quod „ nos tantò credere renuimus, quantò de Episcopis tale quid audire nullatenus sperabamus. Donec ipsi Romam tempore Concilii „ venientes, coram nobis, & Sancta Synodo „ tales inventi sunt, quales fuerant à multis „ sæpissimè prædicati. Ita ut scriptura, quam „ suis stipulaverant manibus, quamque volebant ut nostro roboraremus chirographo, caperentur, & dum muscipulam innocentibus „ opponere satagerent, insidiis suis illaqueati „ sint. Sicque completum est, Deo auctore, „ quod in Proverbiis legitur: *Frustra jacitur* „ *rete ante oculos pennatorum*. Siquidem ipsi „ obligati sunt, & ceciderunt. Nos verò, qui

D „ in hoc flagitium falsò cecidisse dicebamur, faciente Domino, cum justitiæ propugnatoribus resurreximus, & erecti sumus. Igitur „ decernente nobiscum Sancta Synodo, in præsentia depositi, & ab officio sacerdotali excommunicati, atque à regimine Episcopatus „ alienati indubitanter existunt. Unde vestra „ fraternitas Canonum normam custodiens, & „ decretorum sanctiones observans, caveat ne „ hos, quos abjecimus, recipere in Sacerdotum „ catalogo præsumat. Depositionis autem sententia, quam in prædictos Theotgaudum, & „ Guntharium protulimus, cum cæteris capitulis, quæ Sancto Concilio nobiscum sanciente promulgavimus, inferiùs annexa monstrabitur.

E „ Cap. I. *De Synodo in Mettensium urbe à* „ *Theotgaudo, & Gunthario Archiepiscopis congregata penitùs abolenda*.

„ Synodum, quæ nuper, idest sub piissimo „ Imperatore Ludoico per Indictionem undecimam, mense Junio in Mettensium urbe ab „ Episcopis, qui nostrum prævenerant judicium, collecta est, quique Apostolicæ Sedis instituta temerè violarunt, ex tunc & „ nunc, & in æternum judicamus esse cassatam, „ & cum Ephesino latrocinio reputatam, Apostolica auctoritate in perpetuum sancimus „ esse damnandam, nec vocari Synodum, sed „ tan-

„ tanquam adulteris faventem prostibulum appellari decernimus.

„ Cap. II. *Depositio Theotgaudi, & Guntharii Archiepiscoporum.*

„ Theotgaudum Trevirensem Primatem Belgicæ Provinciæ, & Guntharium Agrippinæ Coloniæ Episcopos, nunc coram nobis, & sancta Synodo sub gestorum insinuatione, qualiter causam Lotharii Regis, & duarum mulierum ejus Theotbergæ scilicet, & Waldradæ, recognoverint, & judicaverint, scriptum super hoc propriis roboratum manibus offerentes, nihilque se plus, vel minùs, aut aliter egisse, ore proprio multis coram positis affirmantes, & sententiam, quam à Sede Apostolica in Ingildrudem uxorem Bozonis sanctissimus frater noster Mediolanensis Archiepiscopus Tado, & cæteri Coëpiscopi nostri petiverant emittendam, & nos divino succensi zelo sub anathematis obtestatione canonicè protuleramus, publicè viva voce se violasse confitentes, in quibus omnibus invenimus eos Apostolicas, atque Canonicas Sanctiones in pluribus excessisse, & æquitatis normam nequiter temerasse, omni judicamus Sacerdotii officio manere penitus alienos: Spiritus Sancti judicio, & Beati Petri per nos auctoritate, omni Episcopatus exutos regimine consistere diffinientes. Quòd si juxta præcedentem consuetudinem tanquam Episcopi ausi fuerint aliquid de sacro ministerio contingere, nullo modo liceat eis, nec in alia Synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis: sed & communicantes eis omnes abici de Ecclesia, & maximè si, postea quàm didicerant adversùs memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentaverunt.

„ Cap. III. Cæteri autem Episcopi, qui complices horum, Theotgaudi scilicet, & Guntharii, vel sectatores esse feruntur, si cum his conjuncti seditiones, conjurationes, vel conspirationes fecerint, vel si à capite, idest à Sede Petri, illis hærendo dissenserint, pari cum eis damnatione teneantur obstricti. Quòd si cum Sede Apostolica, unde eos principium Episcopatus sumpsisse manifestum est, sapere de cætero per semetipsos, vel missis ad nos Legatis cum scriptis suis se professi extiterint, noverint sibi à nobis veniam non negandam: ne amissionem honorum suorum pro retroactis præsumptionibus, aut subscriptionibus, quas in profanis fecerunt gestis, per nos ullo modo formidandam.

„ Cap. IV. Ingildrudem filiam quondam Mactifredi Comitis, quæ Bozone proprio viro relicto ecce jam per septem circiter annos hâc, atque illac vagabunda discurrit, nuper cum factoribus suis regulariter anathematizavimus, sed propter contumaces eam iteratò anathematis duximus vinculis innodandam. Sit igitur à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, uno, & vero Deo, & ab omnibus Sanctis Patribus, & ab universa Sancta Dei Catholica, & Apostolica Ecclesia, & à nobis penitus anathema, cum omnibus complicibus, communicatoribus, atque auxiliatoribus suis. Ita ut, sicut jam decernimus, si quis ei communicare, vel favere in aliquo præsumpserit, siquidem Clericus fuerit, eodem vinculo constrictus officium Clericatus amittat. Monachi verò, & Laici, si inobedientes decreto præsenti fuerint, similiter anathematizentur. Sanè si eadem mulier ad virum suum reversa fuerit, vel Apostolicam B. Petri Sedem Romam properans accesserit, veniam ei post dignam satisfactionem proculdubiò non denegabimus. Verùm tamen sub priori vinculo anathematis, quo illam priùs, & nunc obligavimus, interim constricta permaneat. Si quis autem eidem Ingeldrudi ad Apostolicam B. Petri Sedem Romam specialiter properanti, vel occurrenti, nescius communicaverit, aut sciens opem inveniendo præstiterit, nullo pro hoc vinculo teneatur annexus.

„ Cap. V. *De sententiis, atque interdictis Sedis Apostolicæ.*

„ Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro Catholica fide, pro Ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum, à Sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

Carolus VIII. Kalend. Novembris Synodum in Vermeria Palatio habuit, ibique Abbatiam Sancti Carilephi super Rotbertum Episcopum Cinnomannicæ urbis, qui eam per Apostolicam commendationem juri sui Episcopatus mancipatam tenere volebat, legaliter evindicavit: & Rothadum nuper depositum, sicut domnus Papa ei mandaverat, cum suis, & Episcoporum literis, atque Vicariis Romam misit Judith filiam suam per deprecationem domni Apostolici ad pacem, & Legatum Mahomet Regis Sarracenorum, cum magnis, & multis muneribus, ac literis de pace, & fœdere amicali loquentibus, solemni more suscepit. Quem cum honore, & debito salvamento, ac subsidio necessario in Silvanectis civitate opportunum tempus, quo remitti honorificè ad Regem suum posset operiri disposuit. Indeque cum valida manu ad recipiendum virtute filium suum Carolum, si aliter nollet venire, hostiliter versùs Aquitaniam pergit, & ad Autisiodorum civitatem usque pervenit. Ibique filiam suam Judith, sicut domnus Apostolicus eum petierat, consilio fidelium suorum Balduino, quem sequuta fuerat, legaliter conjugio sociari permisit. Inde Nivernum civitatem perrexit ubi filium suum Carolum ad se venientem recepit, & sibi fidelitatem, & debitam subjectionem promitti sacramento præcepit, & omnes Primores Aquitaniæ iterum sibi jurare fecit. Duo quoque Nortmanni, qui nuper cum Welando Christianitatem dolo, ut tunc dicebatur, & post claruit, postulantes, de navibus exierunt, super eum infidelitatem miserunt. Quorum unus secundùm gentis suæ morem cum eo negante armis coram Rege contendens, illum in certamine interfecit. Interea tristi nuncio comperit, quòd Nortmanni Pictavis venerant, & sub redemptione civitate servata, Ecclesiam S. Hilarii magni Confessoris incenderint. Natale autem Domini in eodem loco secus Nivernum civitatem, ubi filium suum receperat, celebravit.

DCCCLXIV.

864. Carolus Aquitanos hostiliter contra Nortmannos, qui Ecclesiam Sancti Hilarii incenderunt, disposito exercitu ire præcipiens, filium, & æquivocum suum Carolum secum ducens, Compendium rediit. Missos suos ad recipiendas civitates, & Castella in Gothiam misit. Nortmanni Arvernum civitatem petunt, ubi Stephanum Hugonis filium cum paucis suorum interfectum, impunè ad suas naves redeunt. Pippinus Pippini filius ex Monacho laicus, & apo-

apostata factus se Northmannis conjungit, & ritum eorum servat. Carolus juvenis, quem pater nuper ab Aquitania receptum Compendium secum duxerat, noctu rediens de venatione in Sylva Cotia, jocari cum aliis juvenibus, & coævis suis putans, operante diabolo, ab Albuino juvene in capite spatha percutitur penè usque ad cerebrum, quæ plaga à tempore sinistro usque ad malum dextræ maxillæ pervênit.

Lotharius Lotharii filius de omni Regno suo quatuor denarios ex omni manso colligens, summam denariorum cum multa pensione farinæ, atque pecorum, necnon vini, ac siceræ, Rodulfo Nortmanno Heiroldi filio, ac suis locarii nomine tribuit.

Ludoicus Imperator Italiæ nominatus, incentore Gunthario ad suam injuriam referens, quoniam Legatos sui fratris Lotharii per ipsius fiduciam, & interventionem Romam directos Apostolicus, ut supra monstravimus, degradavit: seque ipsum furore non capiens, comitantibus secum eisdem Legatis Theutgaudo, atque Gunthario, cum conjuge, Romam ea intentione pergit, quatenus aut Papa Romanus eosdem restitueret Episcopos, aut hoc facere non volenti noxiè quodammodo manum mitteret. Quod audiens Apostolicus, cum Litaniis generale jejunium sibi, & Romanis indixit, ut Deus Apostolorum suffragiis præfato Imperatori mentem bonam, & reverentiam erga divinum cultum, & Apostolicæ Sedis auctoritatem donaret. Imperatore autem perveniente Romam, & secus Basilicam B. Petri degente, Clerus, & populus Romanus cum crucibus, & Letaniis jejunium celebrantes, beati Petri memoriam adeunt, & ab hominibus Imperatoris, cùm gradus ante Basilicam beati Petri cœperunt ascendere, in terram prostrati, & variis ictibus flagellati, & crucibus, ac vexillis confractis, qui evadere potuerunt fugati sunt. In quo tumultu, & Crux mirabilis, & veneranda à Sanctæ memoriæ Helena decentissimè fabricata, in qua lignum mirificæ Crucis posuit, & Sancto Petro munere maximo contulit, confracta, & in lutum projecta est. Unde à quibusdam, ut fertur, Anglorum gentis hominibus collecta, & custodibus reddita est. Quæ flagitia ut Apostolicus in Lateranensi Palatio degens comperit, & paulò post illum capiendum non incerto nuncio didicit, latenter navem intravit, & per Tyberim ad Ecclesiam Sancti Petri se contulit: ubi duobus diebus, ac noctibus, sinè cibo, ac potu mansit. Interea homo, cujus præsumptione præfata Crux veneranda confracta fuerat, moritur, & Imperator febre corripitur. Quapropter conjugem ad Apostolicum mittit, cujus fidei jussione Apostolicus ad Imperatorem venit, & habita mutua sermocinatione, sicut inter eos convênit, Apostolicus Romam ad Lateranense Palatium rediit. Tunc Imperator Guntharium, & Theutgaudum degradatos, ut secum venerant Franciam redire præcepit. Tunc Guntharius hæc diabolica Capitula, & hactenus inaudita quæ cum hac præfatione, quando Romam, ut præmisimus, in Ludoici obsequio rediit, Episcopis Regni Lotharii misit per Hilduinum fratrem suum Clericum, adjunctis ei suis hominibus, Apostolico misit: dans illi in mandatis, ut si Apostolicus illa nollet recipere, super corpus Beati Petri ea jactaret.

„ Sanctis, ac venerandis Fratribus, & Coëpiscopis, Guntharius, atque Theotgaudus in Domino salutem. Rogamus suppliciter carissimam fraternitatem vestram, ut nobis pro vobis assiduè orantibus, sanctarum precum solatia instanter impendatis, & ne turbemini, neque terreamini pro his, quæ fama fortè de nobis, ac vobis sinistriùs nunciat. Confidimus de Domini nostri clementissima bonitate, quia neque in Regem nostrum, neque in nos, opitulante Deo inimicorum prævalebunt insidiæ, neque gaudebunt de nobis adversarii nostri. Nam quamvis domnus Nicolaus, qui dicitur Papa, & qui se Apostolum inter Apostolos adnumerat, totiusque mundi Imperatorem se facit ad illorum instinctum, & votum, quibus conspiratus favere dinoscitur, nos damnare voluisset: tamen modis omnibus Christo propitio suæ insaniæ renitentes invênit, & quidquid inde fecit non mediocriter illum postmodum pœnituit. Misimus vobis hæc subscripta Capitula, quibus cognoscatis nostram adversùs præfatum Pontificem querimoniam. Nos autem egressi à Roma, longiùsque recedentes, iterum ad Romam revocati sumus. Quò nos incipientes reverti, has vobis literulas scripsimus, ut non miremini quòd longiores agimus moras. Dominum Regem nostrum tam per vos ipsos, quàm per vestros Missos, & literas sæpiùs visitate, & confortate, eique quoscumque potestis amicos, & fideles conciliate: maximè Hludovicum Regem admonendo semper invitate, & cum illo de communi utilitate diligenter inquirite, quoniam in pace eorum Regum erit pax nostra. Æquo animo estote, & tranquillo corde, domini fratres, quia Deo volente talia vobis nunciare speramus, in quibus absque errore poteritis advertere spiritum Domini docentem quid, & quomodo agere debeatis. Tantùm omnibus præfatum Regem commonere modis curate, ut inter varias suggestiones ita maneat immobilis, donec & ipse rerum causas cognoscat. Cæterum, desiderantissimi fratres, necessarium vobis est, & laude dignum, ut promissam Regi nostro fidem coram Deo, & hominibus inviolabiliter conservemus. Deus omnipotens vos in suo sancto servitio conservare dignetur.

„ Cap. I. Audi domne Papa Nicolaë, Patres, & Fratres Coëpiscopi nostri ad te nos direxerunt, & nos spontè venimus consulere videlicet tuum Magisterium super his, quæ pariter, prout nobis visum fuit, & adjicientibus, & approbantibus notum esse potuit, judicavimus, auctoritates, rationesque, quas secuti fuimus, scriptis ostendentes: ut tua sapientia, perscrutatis omnibus, quid inde sentiret, & quid vellet, nobis demonstraret. Et si illud meliùs tua Sanctitas inveniret, ut nos instrueres, & doceres hoc humiliter postulamus: parati quidquid rectiùs, & probabiliter insinuares, unà cum Confratribus nostris sanis acquiescere documentis.

„ Cap. II. Sed nos per tres hebdomadas tuum expectantes responsum, nihil certitudinis, nihilque doctrinæ nobis expressisti, sed tantùm quodam die in publico dixisti, nos excusabiles apparere, & innocentes juxta nostri adsertionem libelli.

„ Cap. III. Ad ultimum nos evocati ad tuam præsentiam deducti sumus, nihil adversitatis suspicantes. Ibique obseratis ostiis, conspiratione more latrocinali facta, & ex Clericis, & laicis turbâ collectâ, & permixtâ, nos opprimere inter tantos violenter studuisti, atque sinè Synodo, & canonico examine,

„ ne, nullo accusante, nullo testificante, nullaque disputationis districtione dirimente, vel auctoritatum probatione convincente, absque nostri oris confessione, absentibus aliis Metropolitanis, & Diocesanis Coëpiscopis, & Confratribus nostris extra omnium omnino consensum, tuo solius arbitrio ex tyranico furore damnare nosmet voluisti.

„ Cap. IV. Sed tuam maledictam sententiam à paterna benignitate alienam, à fraterna charitate extraneam, adversùm nos injustè, & irrationabiliter contra leges Canonicas prolatam, nequaquam recipimus: immo omni cœtu fraterno, quasi maledictum frustra prolatum contemnimus, atque abjicimus. Te ipsum quoque, damnatis & anathematizatis, sacramque Religionem abjicientibus, ac contemnentibus faventem, & communicantem, in nostram communionem, nostrumque consortium recipere nolumus: contenti totius Ecclesiæ communione, & fraterna societate, quam tu arroganter te superexaltans despicis, teque ab ea elationis tumore indignum faciens, sequestras.

„ Cap. V. Igitur ex tuæ levitatis temeritate propriâ tibimet sententiâ anathematis pestem inflixisti, exclamans. *Qui Apostolica præcepta non servat, anathema sit*, quæ tu multipliciter violare, & violasse dinosceris, divinas simul leges, & sacros Canones, quantum in te est, evacuans, prædecessorum tuorum Pontificum Romanorum vestigia sequi nolens.

„ Cap. VI. Nunc ergo quia fraudolentiam, & calliditatem tuam experti sumus, non quasi ad illatam nobis contumeliam provocati sumus: sed contra tuam iniquitatem zelo accensi, nec nostræ vilitatis personam attendentes, sed omnem nostri Ordinis universitatem, cui vim inferre conaris præ oculis habentes.

„ Cap. VII. Quid nostræ specialis propositionis summa fuerit, in paucis replicamus. Lex divina, & canonica aptissimè probat, etiam venerandæ seculi leges adstipulantur, quòd nulli licet ingenuam virginem alicui viro tradere in concubinatum, maximè si illa puella nunquam illicitæ adsentire voluit copulæ, & quia suo viro parentum consensu, fide, affectu, ac dilectione conjugali sociata est, uxor profecto, non concubina habenda sit.

Apostolicus autem præcognitus hæc recipere noluit.

Suprascriptus autem Hilduinus armatus cum hominibus Guntharii, Ecclesiam Beati Petri Apostoli sinè ulla reverentia intrans, diabolicum Scriptum, sicut suus frater Guntharius ei præceperat, si Apostolicus illud nollet recipere, super corpus Beati Petri jactare voluit, & à custodibus prohibitus, eosdem custodes cum fustibus tam ipse, quàm & sui complices verberare cœperunt, adeò ut unus ibidem occisus fuerit. Tunc ipsum scriptum super corpus Beati Petri jactavit, seque isdem, & qui cum eo venerunt, evaginatis gladiis protegentes de Ecclesia exierunt, & ad Guntharium peracto lugendo negocio redierunt. Imperator post paucos dies patratis à comitatu suo multis deprædationibus, & mansionum destructionibus, ac Sanctimonialium, cæterarumque fœminarum constuprationibus, atque hominum cædibus, necnon & Ecclesiarum infractionibus, Româ exiens Ravennam venit, ibique Pascha Dominicum cum tali, sicut meruit, Dei, & Apostolorum gratia celebravit. Guntharius autem in ipsa cœna Domini Coloniam veniens, Missas celebrare, & sacrum chrisma conficere, ut homo sinè Deo præsumpsit. Theotgaudus verò à ministerio, sicut ei fuerat præceptum se reverenter abstinuit. Cæteris denique Episcopis apud Lotharium id satagentibus, Episcopatum à Gunthario Lotharius tulit, & suo tantùm consilio Hugoni Conradi Caroli Regis avunculi, & materteræ suæ filio tonsurâ Clerico, & ordinatione tantumodò Subdiacono, moribus autem, & vitâ à fideli laico discrepanti, donavit. Unde motus Guntharius quidquid de thesauro Ecclesiastico in eadem civitate fuit residuum auferens, Romam iterum, ut omnia Lotharii, & sua figmenta de Theotberga, & Waldrada Apostolico ex ordine pandat, regreditur. Sed & Episcopi Regni Lotharii Legatos suos cum libellis pœnitentiæ, & professionibus canonicis, quoniam ab Evangelica veritate, & Apostolica auctoritate, sacrisque regulis in causa Theutbergæ, ac Waldradæ non mediocriter deviaverant, ad Apostolicum dirigunt. Lotharius verò, Ratoldo Argentoratensis urbis Episcopo cum scriptis falsa more suo de sua excusatione, & voluntaria correctione loquentibus præmisso ad Apostolicum, ipse per Guldulphi-villam, & Romerici montem obviam fratri suo ad locum, qui Urba dicitur, vadit. Carolus cum epistolis per Roldbertum Cinomannicæ urbis Episcopum Romam, sicut Apostolicus jusserat, Rothardum dirigit. Sed & Episcopi Regni ejus vicarios suos cum Synodicis literis de causa ipsius Rothadi ad Apostolicam Sedem mittunt, quibus Ludoicus transitum denegat. Ipsi autem Legati tam Regis, quàm Episcoporum, impossibilitatis suæ causas Romam veniendi clanculò Papæ cognitas faciunt. Rothadus cognita infirmitate Vesoncio cæteris patriam repedantibus remanet, & post aliorum regressum per Curiam, suffragantibus sibi Lotharii, & Ludoici Germaniæ Regis fautoribus, Ludoicum Imperatorem Italiæ adiit, quatenus ipsius solatio Romam valeat pervenire. Missi Regis Caroli parum, pro quibus missi fuerant, utilitatis agentes, à negocio revertuntur, & Huntfrido dimisso, Tolosâ. ac Gotiâ per Provinciam in partes Italiæ transeunte, iterum alios Missos ad recipiendas civitates, & castella Carolus ad Tolosam, & in Gotiam mittit. Hludoicus Rex Germaniæ hostiliter obviam Bulgarorum Cagano nomine, qui Christianum se fieri velle promiserat, pergit: inde ad componendam Winidorum Marcam, si se prosperari viderit, perrecturus. Normanni, qui cum plurimo navigio in Flandris appulerunt, resistentibus sibi pagensibus, per Rhenum ascendunt, & vicina Regnorum Lotharii, ac Hludowici ex utraque ripa ipsius fluminis vastant. Carolus Kalendas Junii in loco, qui Pistis dicitur, generale Placitum habet, in quo annua dona, sed & censum de Britannia à Salomone Britannorum Duce sibi directum more prædecessorum suorum, quinquaginta scilicet libras argenti, recipit: & firmitates in Sequana, ne Normanni per eundem fluvium possint ascendere, ibidem fieri jubet. Capitula etiam ad triginta & septem consilio fidelium suorum, more prædecessorum, ac progenitorum suorum Regum constituit, & ut legalia per omne Regnum suum observari præcepit.

Pippinus Apostata à Normannorum collegio ab Aquitanis ingenio capitur, & in eodem Placito præsentatur, & à Regni Primoribus ut patriæ,

triæ, & Christianitatis proditor, & demum generaliter ab omnibus ad mortem dijudicatur, & in Silvanectis artissimâ custodiâ religatur. Bernardus Bernardi quondam tyranni carne, & moribus filius, licentiâ Regis acceptâ, de eodem Placito quasi ad honores suos perrecturus, super noctem armata manu regreditur, & in sylva se occulens, ut quidam dicebant, Regem, qui patrem suum Francorum judicio occidi jusserat, & ut quidam dicebant, Rodbertum, & Ramnulfum Regis fideles maliciis occidere, locum, & horam expectat. Quod Regi innotuit, & mittens qui eum caperent, & ad præsentiam illius adducerent, fugâ sibi consuluit. Unde judicio suorum fidelium honores, quos ei dederat Rex, recepit, & Rodberto fideli suo donavit.

Egfridus, qui transactis temporibus cum Stephano filium, & æquivocum Regis ab obedientia paterna subtraxerat, à Rodberto capitur, & Regi in eodem Placito præsentatur. Cui Rex deprecatione ipsius Rodberti, cæterorumque suorum fidelium quod in eum commiserat, perdonavit: & sacramento firmatum, ac suâ gratiâ muneratum inlæsum abire permisit. Carolus à loco, qui Pistis dicitur, revertens intrat Compendium circa Kalendas Julii, Missum Mahometh Regis Sarracenorum, qui ante hyemem ad se venerat, muneratum cum plurimis, & maximis donis per suos Missos ad eundem Regem satis honorificè remittit. Carolomannus filius Hludowici Regis Germaniæ, qui in libera custodia cum patre suo morabatur, simulans se venatum ire, à patre fugâ labitur, & Marcas sibi à genitore ablatas cum consensu Marchionum, qui eum tradiderant, reoccupat. Quem pater e vestigio insequens, sub firmitatum conditionem ad se venire facit, & ei honores donat. Indeque revertens versùs Palacium Franconoford, in quodam broilo cervum venans de caballo cadit, & costis læsus in vicino Monasterio jacet, filiumque suum Ludoicum ad prædictum Palatium ubi uxor ejus erat, præmittit: ipseque in brevi convalescens subsequitur.

Nicolaus Papa denuo epistolas per omnes Archiepiscopos, & Episcopos Galliarum, Germaniarum, & Belgicæ provinciæ mittit pro confirmatione depositionis Theutgaudi Treverorum, & Guntharii Coloniensis Archiepiscoporum. Sed & aliis Episcopis, qui ex Regno Lotharii in divorcio Theutbergæ, & superinductione concubinæ Waldradæ consenserunt, & ad eum cum professione sua miserunt epistolas suas, indulgentiam largiendo, sicut in scripto superiùs continente promiserat, dedit. Synodum Romæ convocat circa Kalendas Novembris, indicans se in ea eorumdem olim Archiepiscoporum depositionem denuo confirmaturum, & tractaturum de causa Lothari, & Ignatii Constantinopolitani Episcopi præcedenti anno depositi. In cujus loco quidam laicus attonsus, & mox Episcopus est ordinatus. Ad quam Synodum prædicti Theutgaudus, & Guntharius spunte perrexerunt, putantes Ludoici Imperatoris interventu ab Apostolico posse restitui.

Hludoicus Italiæ Imperator nominatus à cervo, quem in rugitu positum sagittare voluit, gravissimè vulneratur. A Nicolao Romanæ Sedis Pontifice per Arsenium Apocrisiarium petitur, ut eidem Papæ Legatos suos liceat pro quibusdam causis Ecclesiasticis ad Carolum mittere. Sed credens, quia non sincera intentione adversùs eum velit in Franciam Missos suos dirigere, contradicit.

Hugbertus Clericus conjugatus, & Abbas Monasterii Sancti Martini, qui Sancti Mauricii Abbatiam, & alios honores Ludoici Imperatoris Italiæ contra voluntatem ipsius tenebat ab hominibus ejus occiditur: & Theotberga soror ejus abjecta Lotharii ad fidem Caroli venit. Cui Carolus Avenniacum Monasterium donat, & Abbatiam Sancti Martini Ingeluvino Diacono Palatii sui committit. Rodbertus Comes Andegavensis rediens, duos cuneos de Nortmannis, qui in Ligeri fluvio residebant, unum quidem exceptis paucis evadentibus interfecit, & altero majore retro superveniente vulneratur. Unde paucis suorum amissis, sibi secessu consuluit, & post paucos dies convaluit.

DCCCLXV.

865. Carolus Rex Nativitatem Domini in Carisiaco Palatio celebrat. Vernum villam veniens, circa medium Fabruarium mensem fratrem suum Ludoicum in villa Tusciæ cum filiis venientem satis honorificè suscepit: ibique cum omnibus illorum fidelibus consideratis, Missaticum per Episcopos, Altfridum videlicet, & Erchanratum, Lothario nepoti suo transmittunt: mandantes, ut quia sæpe dicebat se Romam iturum, priùs secundùm domni Apostolici, & eorum hortamentum emendaret quod contra leges divinas, & humanas commiserat in Ecclesia, quàm sua temeritate scandalizaverat, & tunc ordinato Regno suo, si vellet, pro indulgentia petenda, & obtinenda ad Apostolorum limina properaret. Lotharius verò putans, quòd sibi Regnum subripere, & inter se vellent dividere, Luitfridum avunculum suum ad fratrem, & Italiæ Imperatorem transmittit, petens illum apud Apostolicum obtinere, quatenus pro eo patruus suus Epistolas mitteret: ut pacem servantes, de Regno suo nullum ei impedimentum faceret, quod & Ludoicus Imperator obtinuit.

Interea Nortmanni residentes in Ligeri, cum maximo impetu faciente, divino judicio secundo ventu per eundem fluvium usque ad Monasterium Sancti Benedicti quod Floriacus dicitur, navigant, & idem Monasterium incendunt, & in redeundo Aurelianis civitatem, & Monasteria ibidem circumcirca consistenti igne cremant, præter Ecclesiam Sanctæ Crucis, quam flamma, cùm inde multum laboratum à Nortmannis fuerit, vorare non potuit. Sicque per amnis alveum descendentes, & vicina quæque depopulantes, ad stationem suam reversi sunt. De Tusiaco Ludoicus Bajoariam pergens Carolomanno filio sibi familiariter reconciliato Marcas, quas ab eo tulerat, reddidit, & ad Franconoford Palatium rediit. Carolus autem per Attiniacum ad Silviacum veniens, ibidem sacrum Quadragesima, & Pascha Domini celebrat, & Bernardum ex quodam Bernardo, & filia Rorigonis Comitis natum in Gothiam mittens, partem ipsius Marciæ illi committit. Et sic demum Vernum villam veniens, Episcopos, ac cęteros Aquitaniæ Primores ibidem obvius suscepit. Ad quorum multam petitionem filium suum Carolum necdum bene spassatum in Aquitaniam cum Regio nomine, ac potestate redire permittit.

Nicolaus Papa Arsenium Ortensem Episcopum, & Consiliarium suum cum Epistolis ad Hludowicum, & Carolum fratres, sed & ad Episcopos, ac Primores Regnorum illorum, ea, quæ Lotharius per fratrem petierat, continentes,

tes, non cum Apostolica mansuetudine, & solita honorabilitate, sicut Episcopi Romani Reges consueverant in suis Epistolis honorare: sed cum malitiosa interminatione transmittit. Isdem autem Arsenius per Curiam, & Alemaniam ad Hludowicum Germaniæ Regem in Franconoford Palatium veniens, Epistolas Apostolici ei tradidit, & inde in Gundulfi villam ad Hlotharium venit. Cui & Episcopis, ac Primoribus Regni sui, Epistolas Papæ dedit continentes, quia nisi uxorem suam Theotbergam reciperet, & Waldradam abjiceret, renunciante sibi Arsenio, illum ab omni Christianorum societate debuisset rejicere: quem in pluribus Epistolis has præcedentibus excommunicatum, & à consortio Christianorum ejectum multotiens prædicaverat. Et sic de Lothario ad Carolum circa medium Julium mensem in Attiniacum Palatium Arsenius veniens, uniformes sicuti Ludoico, & Lothario Regibus, Epistolas suas satis honorificè tradidit, & Rothadum canonicè à quinque Provinciarum Episcopis dejectum, & à Nicolao Papa non regulariter, sed potentialiter restitutum, secum reducens, Carolo præsentavit. Et cùm Sacri Canones dicant, ut si Episcopus à gradu dejectus ab Episcopis Provinciæ ad Episcopum Romanum confugerit, scribat Romanus Episcopus finitimæ, & propinquæ Provinciæ Episcopis, ut ipsi omnino diligenter causam inquirant, & juxta fidem veritatis diffiniant. Eodem die ipsam Theotbergam Reginam Arsenius Episcopus, & Legatus Apostolicæ Sedis cum prænominatis omnibus Archiepiscopis in manibus Lotharii Regis reddiderunt, atque dederunt, non solùm sub eadem obtestatione, ut suprà, verumetiam sub adjuratione, & excommunicatione, ut si, in omnibus, ut superiùs legitur, non observaverit, atque impleverit, non solùm in præsenti vita, sed etiam in æterno Dei terribili judicio, cum Beato Petro Principe Apostolorum redditurum rationem, & ab ipso æternaliter in eodem judicio damnandum, & igne perpetuo concremandum.

Interea Lotharius Missos suos ad Carolum dirigit, volens, & petens ut mutua firmitate inter eos amicitiâ fœderarentur. Quod & Irmentrude Regina interveniente obtinuit, & veniens in Attiniacum, amicabiliter, & honorificè à Carolo est susceptus, & fœdere postulato receptus. Quò & Arsenius rediens, Epistolam Nicolai Papæ plenam terribilibus, & à modestia Sedis Apostolicæ antea inauditis maledictionibus, detulit super eos qui ante hos annos eidem Arsenio multam thesauri summam prædantes abstulerant, nisi satisfaciendo quæ tulerant ei reddere procurarent. Et relectâ eâdem Epistolâ, sed & altera de Ingiltrudis excommunicatione, quæ virum suum Bozonem reliquerat, & cum quodam adultero in Lotharii Regnum aufugerat: ac recepta sub defensione Caroli villa, quę Vendopera dicebatur, quam piæ memoriæ Ludoicus Imperator Sancto Petro tradiderat, & Wido quidam Comes per plures annos tenuerat: Arsenius Episcopus imperratis apud Carolum pro quibus ad eum venerat, ad Gundulfi villam cum Lothario, quò Thotberga eum præcesserat, pergit. Ibi quoque per aliquot dies morans propter Vualdradam, quæ illuc ad eum deduci, & ab eo in Italiam deduci debebat, Lothario, & Theotberga Regio cultu paratis, & coronatis in die Assumptionis Sanctæ Mariæ Missas celebrat: & inde cum præsata Vualdrada versùs Urbam, quò dicebatur Hludowicus Italiæ Imperator obviam Lothario venturus, pergit. Inde per Alemanniam, & Bajoariam, pro recipiendis patrimoniis Ecclesiæ Sancti Petri in eisdem Regionibus conjacentibus, Romam redit. Carolus ab Attiniaco contra Nortmannos, qui cum navibus quinquaginta in Sequanam venerant, hostiliter pergit. In quo itinere custodum negligentiâ tres coronas optimas, & armillas nobilissimas, & quæque alia preciosa perdidit: & post non paucos dies omnia reinvenit, exceptis paucis gemmis, quæ tumultuaria direptione amissæ fuerant. Nortmanni verò residentes in Ligeri liberè Pictavum civitatem pedestri ordine pergunt, eandemque civitatem incendunt, & impunè ad naves suas reveniunt. Rotbertus autem de eisdem Nortmannis, qui sedebant in Ligeri, ampliùs quàm quingentos sinè damno suorum occidens, vexilla, & arma Nortmannica Carolo mittit. Carolus autem perveniens usque ad locum, qui dicitur Pistis, ubi immorabantur Nortmanni, fideli suorum consilio pontes super Isaram, & Matronam refici curat, in locis, quæ dicuntur Alvernis, & Carenton: quoniam ab incolis, qui ex antiquo ipsos pontes fecerant, propter infestationem Nortmannorum refici non valebant. Ab eis ergo, qui ex longinquioribus partibus ad operandum deputati erant, ut perficerent firmitates in Sequana, ea conditione refici jubet propter imminentem necessitatem ipsos pontes, ne unquam per ventura tempora inde qui nunc eosdem pontes refecerint, in operando ad hoc opus dispendium patiantur. Et deputatis custodibus, qui utrasque ripas custodirent, ad Odriacam villam medio mense Septembrio venandi gratiâ pergit. Ipsi autem Nortmanni, quoniam adhuc citra Sequanam custodes non venerant, ex se circiter ducentos Parisius mittunt. Ubi quod quæsierant vinum non invenientes, ad suos, qui eos miserant, sinè indemnitate sui reveniunt. Indeque ampliùs quàm quingenti ultra Sequanam usque ad Carnotum prædatum ire disponentes, à custodibus ripæ ipsius fluminis impetuntur: & quibusdam suorum amissis, quibusdam etiam vulneratis, ad naves regrediuntur.

Carolus Ludoicum filium suum in Neustriam dirigit, nec reddito, nec interdicto sibi nomine Regio: Sed tantùm Comitatum Andegavensem, & Abbatiam Majoris-Monasterii, & quasdam villas illi donavit. Rotberto, qui Marchio in Andegavo fuerat, cum aliis honoribus, quos habebat, Comitatum Autissiodorensem, & Comitatum Nivernensem donavit. Hludowicus Germanorum Rex hostem suam contra Vvinedos directam, & prosperè agentem recepit. Cujus filius & æquivocus contra patris voluntatem filiam Adalardi despondit, unde satis animum patris offendit. Carolus obviam fratri suo Hludowico, ejus conloquio fruiturus, Coloniam pergit, & in talia conlocutionum suarum verba patrem, & filium de jam dicta præsumptione pacificat, ea conditione ut iam ultra Adalardi filiæ non copuletur. Hludowicus ad Wormatiam, & Carolus ad Carisiacum revertitur. Cui nunciatur in via, quia Nortmanni XIII. Kalendas Novembris Monasterium Sancti Dionysii intraverunt. Ubi viginti circiter diebus immorantes, & quotidiè prædam exinde ad suas naves ducentes, post multam deprædationem sinè contradictione cujusquam ad castra sua non longè ab eodem Monasterio sunt reversi. Interea Nortmanni residentes in Ligeri, commixti cum Britonibus, Cinomannis civitatem pe-

petunt, & impunè deprædantes eam, ad suas naves revertuntur. Aquitani confligentes cum Nortmannis, qui in Carento Sigefrido Duce resident, quadringentos circiter ex eis occiderunt; cæteri autem fugientes ad naves suas redierunt.

Carolus Missos suos, quos præcedenti anno Cordubam ad Mahomet direxerat, cum multis donis, camelis videlicet lecta, & papiliones gestantibus, cum diversi generis pannis, & multis odoramentis, in Compendio recipit. Inde ad Rosiacum villam veniens, Adalardo, cui custodiam contra Nortmannos commiserat, sed & suis propinquis Hugoni, & Berengario, quia nihil utilitatis contra Nortmannos egerant, collatos honores tollit, & per diversos eosdem honores disponit. Nortmanni, qui præfatum Monasterium deprædati sunt, vario modo infirmantur, & quidam in rabiem versi, quidam autem scabie correpti, quidam intestina cum aqualiculo per anum emittentes, moriuntur. Carolus dimissis custodibus contra eosdem Nortmannos, Silvanectis revertitur, Nativitatis Dominicæ solemnia celebraturus. Ubi ei Lotharius filius suus, & Abbas Monasterii Sancti Germani mortuus nunciatur.

DCCCLXVI.

866. IV. Kalendas Januarii de Nortmannis in Ligeri residentibus, quædam pars prædatum exiens in Neustriam, Gauzfridum, & Heriveum, atque Rorigum, Comites congredientes offendit. In qua congressione Rorigus frater Gauzfridi occubuit, & quamplurimis Nortmanni suorum amissis, fugiendo ad naves reveniunt.

Rodulfus Caroli Regis avunculus passione colica moritur: Nortmanni per alveum Sequanæ ascendentes, usque ad castrum Milidunum, & scaræ Karoli ex utraque parte ipsius fluminis pergunt: & egressis eisdem Nortmannis à navibus super scaram, quæ major, & fortior videbatur, cujus præfecti erant Rodbertus, & Odo, sinè conflictu eam in fugam mittunt, & onustis prædâ navibus ad suos redeunt. Karolus cum eisdem Nortmannis in quatuor millium libris argenti ad pensam eorum paciscitur, & indicta per Regnum suum conlatione ad idem exsolvendum tributum, de unoquoque manso ingenuili exiguntur sex denarii, & de servili tres, & de accola unus, & de duobus hospitiis unus denarius, & decima de omnibus, quæ negotiatores videbantur habere, sed & à Presbyteris secundùm quod unusquisque habuit vectigal exigitur, & heribanni de omnibus Francis accipiuntur. Inde de unoquoque manso tam ingenuili, quàm & servili unus denarius sumitur: & demum per duas vices juxta quod unusquisque Regni Primorum de honoribus habuit conjectum tam in argento, quàm & in vino ad pensum, quod ipsis Nortmannis pactum fuerat, persolvendum contulit. Præterea quoque & mancipia à Nortmannis prædata, quæ post pactum ab eis fugerant, aut reddita, aut secundùm eorum placitum redempta fuerunt, & si aliquis de Nortmannis occisus fuit, quæsitum precium pro eo est exsolutum. Ludoicus Italiæ Imperator unà cum uxore sua Ingelberga in Beneventum contra Sarracenos movit. Hlotharius interventu, ut quidam autumant, Hludowici Imperatoris, & fratris sui, Episcopium Coloniense ab Hugone receptum Hilduino fratri Guntharii sub provisionis obtentu committit. Sed revera dispositio illius, excepto Episcopali ministerio, penes Guntharium manet. Ipsaque Metropolis, sed & Ecclesia Treverensis diutino tempore contra sacras regulas, cum magno, & multorum periculo Pastore vacant. Carolus Rodberto Comiti Abbatiam Sancti Martini ab Engilwino ablatam, donat: & ejus consilio honores, qui ultra Sequanam erant, per illius complices dividit. Comitatum quoque Augustidunensem à Bernardo filio Bernardi super Rodbertum occupatum Ludoico filio suo, ipsius Rodberti consilio ad eum ditandum committit.

Nortmanni mense Julio ab insula secus Monasterium Sancti Dionysii movent, & descendentes per Sequanam usque ad locum sibi aptum ad reficiendas suas, & novas faciendas naves, perveniunt, ibique quod eis persolvendum erat exspectant. Carolus hostiliter ad locum, qui dicitur Pistis, cum operariis, & carris ad perficienda opera, ne iterum Nortmanni sursum ascendere valeant, pergit. Hludowicus Germaniæ Rex contra quosdam suorum in Marca adversùs Winidos rebellionem molientes hostem movit; quam præcedens in brevi, rebellantes sinè conflictu domat, & hostem nondum penè promotum domi residere mandavit.

Nortmanni mense Julio mare intrant, & pars quædam ex ipsis aliquandiu in pago Italiæ resedit, & libitibus suis, excepta publica Lotharii conjunctione perfruitur. Carolus ad villam Abbatiæ Sancti Quintini, quæ Orti-vineas dicitur, cum uxore obviam Lothario pergit, & pro quibusdam convenientiis, ut dicebatur, firmitatibus inter se factis, Abbatiam Sancti Vedasti donante sibi Lothario suscipit. Carolus mense Augusto Suessionis civitatem adit, & Synodo à Papa Nicolao convocatę consîdet. Ubi secundùm prædicti Apostolici commendationem, quæstione dirempta de Vulfado, & Collegis ejus ab Ebone quondam Remorum Archiepiscopo post depositionem suam ordinatis, quoniam regulæ sacræ non poterant apertè convelli, pro sui reverentia, & quorumdam respectu, & Rege, ac quibusdam pro Vulfado nimiùm satagentibus, scisma, & scandalum aliter vitari non potuit, inventum est, ut quia Synodi Episcoporum quinque Provinciarum regularis definitio ex præfatorum dejectione, Benedicti Papæ, & Nicolai subscriptionibus fuerat confirmata, secundùm indulgentiam Nicenæ Synodi, de his, quos damnatus ordinavit Meletius, & juxta traditionem Africani Concilii de Donatistis, in gradibus reciperentur: si tamen Nicolao Papæ placeret suam immutare, quam confirmavit sententiam. Indeque Synodus congregata per Egilonem Senensem Archiepiscopum, cum aliis, pro quibus perrexerat, præscripta conditione Nicolao Papæ literas mittens, sinè Sacerdotum discordia est soluta. Et licèt juxta Innocentii decreta, quod de hujusmodi necessitas temporis quondam repperit, cessante necessitate debuisset utique cessare pariter quod urgebat, quia alius est ordo legitimus alia usurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit, quoniam nil aliud. Sed hoc summopere querebatur, ut quocumque modo Vulfadus fieri posset Episcopus, tolerabiliùs quibusdam est visum propter vitandam seditionem hanc necessitatem, quæ nunc, sicut & tunc urgebat, iterum in medium devocaret: ac si consilio Jacobi, & seniorum Hierusalem, etiam post legis abolitionem circumciso Timotheo cum Paulo legis cerimonias exercere, quàm tumultus in Ecclesia, & in potestate regia concitare. His ita dispositis, Carolus jam dicto Vulfado Bituricen-

ricensem Metropolim, nuper defuncto Rodulfo Archiepiscopo, ante causæ diffinitionem arbitratu suo committit. Sed antequam iidem Episcopi ab ipsa recederent urbe, Carolus eos petit, ut uxorem suam Hirmintrudem in Reginam sacrarent, quod & ipso attestante in Basilica Sancti Medardi fecerunt, & unà cum eo illi Coronam imposuerunt. De quo loco idem Rex cum Regina Attiniacum Palatium obviam Lothario adit: Quò Theutbergam nomine tantùm Reginam Hlotharii, quæ Romam pergendi licentiam habuit, revocant: & Missaticum communiter ordinantes, Carolus per Egilonem Senensem Archiepiscopum, & Hlotharius per Adonem Viennensem Archiepiscopum, ac per Waltarium suum à Secretis domesticum, Papæ Nicolao quæ sibi visa sunt secretiùs mandant.

Post hæc Carolus ad consignandam Bituricensem Metropolim Vulfado filium suum Carolomannum Abbatem Monasterii Sancti Medardi transmittit. Quò pervenientes post solutam, ut præmissum est, Synodum, atque post Literas ex eadem Synodo per Egilonem Archiepiscopum Nicolao Papæ directas, statim in mense Septembrio à quibusdam Episcopis legibus Ecclesiasticis minùs necessariò peritis, factione prædicti Vulfadi emendicatis, & minis à Carolomanno ex autoritate patris sui flexis, contra omnes leges Ecclesiasticas sæpefactus Vulfadus pro ordinatione Episcopali maledictione indutus est sicut vestimento. Cujus exordinator potiùs, quàm ordinator Aldo Lemovicensis Episcopus, in ipsa ordinatione febre correptus, in brevi moritur.

Caroli filius nomine Carolus, & Aquitanorum Rex plagâ, quam in capite ante aliquot annos acceperat, cerebro commoto, diutiùs epelemtica passione vexatus, III Kalendas Octobris in quadam villa secus Bosentiacas moritur, & à Carolomanno fratre suo, atque à Vulfado in Ecclesia Sancti Sulpitii apud Biturigum sepelitur.

Carolus Wilhelmum sobrinum suum, Odonis quondam Comitis Aurelianensis filium, à quibusdam suorum in Burgundia captum, quasi contra Rempublicam agentem, secus Silvanectum civitatem decollari fecit.

Nortmanni commixti Britonibus circiter quadringenti de Ligeri cum caballis egressi, Cinomannis civitatem adeunt. Qua deprædata, in regressu suo usque ad locum, qui dicitur Brieserta, veniunt: ubi Rotbertum, & Ramnulfum, Godtfridum quoque, & Heriveum Comites, cum valida manu armatorum, si Deus cum eis esset, offendunt. Et conserto prœlio Rotbertus occiditur, Ramnulfus plagatus, cujus vulnere postea mortuus est, fugatur: & Heriveo vulnerato, & aliis quibusdam occisis, cæteri ad sua quique discedunt. Et quoniam Ramnulfus, & Rodbertus de præcedentium se vindicta, qui contra suum ordinem alter Abbatiam Sancti Hilarii, alter Abbatiam Sancti Martini præsumpserat, castigari noluerunt, in se ultionem experiri meruerunt. Hludowicus Hludowici Germaniæ Regis filius consilio Warnarii, ac cæterorum à quibus pater ejus propter infidelitatem suam honores tulit, rixam contra patrem suum movit, concitato Restitio Winido, ut usque ad Bajoariam prædatum veniat, quatenus in illis partibus occupato patre, vel ejus fidelibus, ipse liberiùs quod cœpit prosequi posset. Sed Karolomanno, cui pater ipsam Marcham dederat satagente, Restitius intra sua se cohibet. Hludowicus autem senior in talibus experientiâ prudens, concitè ad Palatium, quod Franconoford dicitur, properat: & datis mutuò dextris, eundem filium suum ad se venire facit, ipsæque dexteræ usque V. Kalendas Novembris manere invicem promittunt. Sicque Hludowicus ad confirmandam Marcham suam contra Restitium velociter repedat, reversurus octavo die ante Missam Sancti Martini obviam fratri suo Karolo, & nepoti suo Lothario secus civitatem Mettensium. Quò Carolus hostiliter cum tali hoste confecta maximè de Episcopis, sicut tunc conjectare potuit, se perrecturum suis denuncians, Hugoni Clerico avunculi sui Chonradi filio Comitatum Andegavensem cum Abbatia Sancti Martini, & cum aliis etiam Abbatiis donat, eumque in Neustriam loco Rotberti dirigit. De Abbatia Sancti Vedasti, sicut & pridem de Abbatia Sancti Quintini fecerat, caput cum electioribus villis sibi retinens, cætera quæque per quoscumque suos, non cum tanto illorum profectu, quàm cum animæ suæ detrimento, dividit. Sicque hostiliter quod denunciaverat conficiens, per Remorum civitatem Metensium partes cum sua uxore aggreditur, & usque ad Viridunum pervênit. Ibique obvios fratris sui Hludowici Missos habuit, nunciantes quia non erat ei necesse ad suum * pro quacumque necessitate cum hoste ire, quoniam suum filium sicut ipse disposuit receptum habebat, & seditionem, quæ contra eum commota fuit usquequaque sedatam. Et illi tunc non erat commodum obviam illi usque ad Mettis venire, quoniam pro quibusdam Regni sui necessitatibus in Bajowariam festinabat. Carolus autem residens in Viriduno, per viginti circiter dies eandem civitatem, atque illius vicina hostili more deprædans, præstolatus est adventum Lotharii, qui apud Treverim cum sui Regni Episcopis satagebat, ut iterum Theotberga se falso crimine insimularet, & velamentum reciperet quod obtinere non potuit. Tandem Carolus per viam qua perrexerat, deprædantibus suis loca, per quæ redierunt, iterum Romanam civitatem adit, indeque Compendium venit, ubi Nativitatem Domini celebravit.

Rex Bulgarorum, qui præcedente anno Deo inspirante, & signis, atque afflictionibus in populo sui Regni monente, Christianus fieri meditatus fuerat, sacrum baptisma suscepit. Quod Proceres sui molestè ferentes, concitaverunt populum adversùs eum, ut illum interficerent. Quotquot igitur fuerunt intra decem Comitatus, adunaverunt se circa Palatium ejus. Ille verò, invocato Christi nomine, cum quadraginta tantùm octo hominibus, qui erga Christianam devotionem ferventes sibi remanserant, profectus est contra omnem illam multitudinem: & mox ut portas civitatis exiit, apparuerunt eis, & his, qui cum eo erant, septem Clerici, & unusquisque eorum tenebat cereum ardentem in manu sua, sicque præcedebant Regem, & illos, qui cum eo erant. Eis verò, qui contra eum insurrexerant, visum erat, quòd magna villa ardens super eos caderet, & equi eorum, qui cum Rege erant, sicut contrariis videbatur, erecti incedebant, & cum anterioribus pedibus eos percutiebant. Tantusque timor eos apprehendit, ut nec ad fugiendum, nec ad defendendum se præpararent, sed prostrati solo se movere nequibant. Rex autem ex Proceribus, qui populum maximè adversùs eum incitaverunt, interfecit numero quinquaginta duos. Reliquum autem populum inlæsum abire permisit, & mittens ad Hlu-

Hludowicum Regem Germaniæ, qui ei fœdere pacis conjunctus erat, Episcopum, & Presbyteros postulavit, & ab eo Missos cum debita veneratione suscepit. Ludoicus autem ad Carolum fratrem suum mittens, in ministerium Clericorum apud fratrem suum vasa sacrata, sacrasque vestes, ac libros petiit. Unde Carolus ab Episcopis Regni sui non parvam summam accipiens, ei ad dirigendum Regi Bulgarorum Rex filium suum, & plures ex proceribus Regni sui Romam direxit: & arma, quibus indutus fuerat, quando in Christi nomine de suis adversariis triumphavit, cum aliis donis Sancto Petro transmisit, & plures quæstiones de sacramentis fidei consulendo, Nicolao Papæ direxit, & Episcopos, atque Presbiteros mitti ab eo sibi poposcit, quod & obtinuit. Hludowicus verò Italiæ Imperator hoc audiens, ad Nicolaum Papam misit, jubens ut arma, & alia, quæ Rex Bulgarorum Sancto Petro miserat, ei dirigeret. De quibus quædam Nicolaus Papa per Arsenium ei consistenti in partibus Beneventanis transmisit, & de quibusdam excusationem mandavit.

DCCCLXVII.

867. Anno Domini DCCCLXVII. Hludowicus Abbas Monasterii Sancti Dionysii, & nepos Caroli Imperatoris ex filia majore natu Rotrude V. Idus Januarii obiit: & Carolus Rex Abbatiam ipsius Monasterii sibi retinuit. Causas Monasterii, & conlaborationem per Præpositum, & Decanum, atque Thesaurarium, militiæ quoque curam per Majorem-Domus sua commendatione geri disponens. Et circa mediam Quadragesimam super Ligerim fluvium ad villam, quæ Bellus-Pauliacus dicitur, perrexit: ubi Primores Aquitaniorum sibi obviam accersivit, & filium suum Ludoicum, ordinatis illi ministerialibus de Palatio suo, eisdem Aquitanis Regem præfecit. Inde reversus, Pascha Domini in Monasterio Sancti Dionysii celebravit. Deinde pergens Mettis ad conloquium fratris sui Hludowici Regis Germaniæ, XIII. Kalendas Junii obvium habuit in Palatio Salmuntiaco Egilonem Sennensem Archiepiscopum, cum Epistolis Nicolai Papæ de restitutione Clericorum Remensis Ecclesiæ, Wlfadi scilicet, & Collegarum ejus. Pro quibus valde satagens, ut in suis habeantur gradibus restituti, multa Hincmaro Remorum Archiepiscopo imposuit in eisdem Epistolis, quæ non esse vera manifesta ratione constabant. Attulit etiam præfatus Archiepiscopus eidem domno Carolo Epistolas prædicti Papæ ad Lotharium, & Episcopos Regni ejus, de causa uxorum illius, Theotbergæ videlicet, atque Waldradæ eandem Waldradam mitti Romam præcipiens. Quas Carolus Lothario obviam sibi ad Attiniacum Palatium venienti ex parte ipsius Apostolici dedit. Indeque ad conloquium fratris sui perrexit, & ab eo revertens, per Lotharium in saltu Arduennæ consistentem rediit. Et generaliter per omne Regnum suum hoste denunciata, Placitum suum Kalend. Augusti in Carnutum civitate condixit in Brittaniam super Salomonem Ducem Brittonum perrecturus. Interea Missis intercurrentibus eo usque pacisœndæ pacis est perducta conditio, ut à Carolo datis obsidibus, Paswithen gener Salomonis, cujus consilio plurimùm utitur, ad Carolum in Compendium circa præfatas Kalendas Augusti veniat, & quod tunc ibi inventum, & confirmatum utrimque fuerit, teneatur. Populus autem in hostem denunciatus interim paratus domi resideat, usquequo, si necesse fuerit, & Rex demandaverit, VIII. Kalendas Septembris Carnutum hostiliter veniat. Hludowicus Rex Germaniæ Hludowicum filium suum cum Saxonibus, & Toringis adversùs Abodritos hostiliter dirigit, & reliquum populum Regni sui paratum esse præcipit, quatenus mox ut ipse jusserit præparati, movere hostiliter possint.

Lotharius suspectum habens Carolum ad Ludoicum revertentem, à Mettis civitate versùs Franconofurd pergit, & cum eo pridem sibi satis adverso se pacificat, filioque suo de Waldrada Hugoni Ducatum Elizatium donat, eumque Hludowico commendat, ac cæterum Regnum suum, quasi Romam perrecturus, & Waldradam præmissurus, committit. Inde revertens, hostem ad patriæ defensionem per Regnum suum indicit, quasi contra Nortmannos: putans Rorigum, quem incolæ, qui Conkingi novo nomine dicuntur, à Fresia expulerant, cum auxiliatoribus Danis reverti. Carolus datis obsidibus Paswithen Salomonis Legatum Kalend. Augusti in Compendio suscipit, & ei, Vicario scilicet Salomonis, Comitatum Constantini cum omnibus fiscis, Villis regiis, & Abbatiis in eodem Comitatu consistentibus, ac rebus ubicumque ad se pertinentibus, excepto Episcopatu, donat, & Sacramento Primorum suorum confirmat: & ex parte Salomonis à præfato ipsius Vicario fidelitatis, & pacis, atque præstandi adjutorium contra inimicos suos, sacramentum ea conditione suscipit, ut Salomon, & filius ejus, cum his, quæ antea habebat, hoc donum etiam habeant, & Carolo, ac filio ejus fideles existant. Quo patrato negocio. Carolus Synodum apud Trecas, VIII. Kalend. Novembris auctoritate Nicolai Papæ indicit, & causâ venandi, ac expendendi autumnale tempus, in Abbatia Sancti Vedasti, & in Audriaca villa, ac circumcirca morandi, disponit.

(1) Synodus Provinciarum, Remensis, Rothomagensis, Turonensis, Sennonum, Burdegalensium, atque Bituricensium, apud Trecas VIII. Kalend. Novembris convênit. Ubi quidam Episcopi, ut assolet, gratiâ Regis Caroli Wlfado faventes, quædam contra veritatem. ac Canonum Sacram auctoritatem adversùs Hincmarum moliri cœperunt. Sed isdem Hincmarus eorum molitionibus ratione, & auctoritate obvians, plurimorum sententia prævalente, rerum gestarum ordinem, de quibus agebatur, communi consensu Epistolâ scriptum per Actardum Venerabilem Namnetensem Episcopum Papæ Nicolao, Episcopi, qui convenerant, transmiserunt. Cujus Epistolæ tenor idem extitit, qui fuit in Epistola Hincmari Remorum Episcopi, quam per Clericos suos sub peregrinorum habitu propter contrariorum vitandas insidias præcedente Julio mense Romam miserat. Epistolam autem in præscripta Synodo factam, & Archiepiscoporum, qui convenerant, sigillis signatam, Actardus perferendam suscipiens, cum quibusdam Episcopis ad Carolum, sicut ipse præceperat, rediit. Carolus autem immemor fidelitatis, atque laborum, quos pro ejus honore, & Regni obtentu, sæpesatus Hincmarus per plures annos subjerat, eandem Epistolam sibi ab Actardo dari exegit, & Archiepiscoporum sigilla confringens, gesta Synodi relegit. Et quia sicut voluerat in eadem Synodo Hinc-

(1) *Ad verbum hæc in Frodoardo Lib. III. Hist. Eccles. Rem. Cap. XVII. qui illa hinc desumpsit.*

Hincmarus non extitit confutatus, Epistolam suo nomine ad Nicolaum Papam dictari in contrarietatem Hincmari fecit, quam & bullâ sui nominis sigillavit, & cum Epistola Synodali per ipsum Actardum Romam direxit. Præfati autem Hincmari Clerici in mense Augusto Romam venientes, Nicolaum Papam jam valde infirmatum, & in contentione, quam contra Græcorum Imperatores Michaëlem, & Basilium, sed & contra Orientales Episcopos habebat, magnopere laborantem invenerunt. Quapropter usque ad mensem Octobrium ibidem sunt immorati. Nicolaus verò Papa gratanter suscipiens quæ Hincmarus scripserat, ei de omnibus sibi satisfactum esse rescripsit. Sed & alteram Epistolam eidem, & cæteris Archiepiscopis, & Episcopis in Regno Caroli constitutis transmisit, innotescens præfatos Græcorum Imperatores, sed & Orientales Episcopos calumniari Sanctam Romanam Ecclesiam, immo omnem Ecclesiam, quæ Latinâ utitur linguâ, quia jejunamus in Sabbatis. Quod Spiritum Sanctum ex Patre, Filioque procedere dicimus. Quia Presbyteros sortiri conjuges prohibemus. Dicentes ipsi Græci, quòd Chrisma ex aqua fluminis Latini conficiamus. Reprehendentes nos Latinos, quòd octo hebdomadibus à casei, & ovorum esu more suo non cessamus. Dicentes etiam quòd in Pascha more Judæorum super altare pariter cum Dominico corpore Agnum benedicamus, & offeramus. Succensentes etiam nos, quia Clerici apud nos barbas suas radunt. Dicentes, quia Diaconus non suscepto Presbyteratus officio apud nos Episcopus ordinatur. De quibus omnibus per singulas Provincias à Metropolitanis cum eorum Coëpiscopis sibi rescribi præcepit, alloquens eundem Hincmarum in Epistolæ fine hoc modo. Tua, „ inquit, frater Hincmare, charitas cùm hanc „ Epistolam legerit, mox ut etiam ad Archie„ piscopos, qui in Regno filii nostri Caroli „ gloriosi Regis consistunt, deferatur summo„ pere agere studeat: & ut de his singuli in „ diocesibus propriis, unà cum suffraganeis suis, „ in cujuscumque Regno sint constituti, con„ venienter tractare, & nobis quæ repererint „ suggerere curent, eos incitare non negli„ gant. Ita ut eorum omnium, quæ præsentis „ Epistolæ nostræ circumstantiæ continent, tu „ & strenuus executor illic existas, & apud „ nos verax, & prudens Scriptorum tuorum „ seriei relator inveniaris. Data X. Kal. No„ vembris, Indictione I. Quam Epistolam Hincmarus Idus Decembrias primæ Indictionis suscipiens, in Corbonaco Palatio consistenti Regi Carolo cum pluribus Episcopis relegit, & per alios Archiepiscopos, sicut in mandato acceperat, dirigere studuit. Nicolaus Papa Idus proximè præcedentis mensis Decembris obiit. Cui successit Adrianus Papa electione Clericorum, & consensu Ludoici Imperatoris, in Pontificatu. Quem Actardus Romam veniens cum suprà scriptis Epistolis, in Apostolica Sede jam ordinatum invênit. (1) Arsenius autem magnæ calliditatis, & nimiæ cupiditatis homo, spe falsa seducens Theutgaudum, & Guntharium, de restitutione ipsorum, ut ab eis exenia acciperet, Romam venire fecit. Qui diutius ibi manentes, penè omnes suos amiserunt. Tandem autem Theutgaudus ibidem mortuus est, & Gunthárius vix corporis mortem evasit.

Lotharius Theutbertam uxorem suam Romam misit, ut seipsam criminaretur, quatenus ab ejus conjugio separari valeret. Sed Adrianus Papa, atque Romani talibus næniis non credentes, jussa est ad virum suum reverti.

Carolus consensu fratris sui Ludoici quosdam Episcopos ad Autissiodorum in futuris Kalendis Februarii convenire præcepit, ut de causa Lotharii quædam tractarent. Carolus denique, quoniam ab Acfrido Abbatiam S. Hilarii cum aliis plurimis honorabilibus beneficiis habente, sicut quidam dixerunt, exenia non modica suscipiens, Comitatum Bituricum sinè præsentia illius, vel culpæ alicujus reputatione, à Gerardo Comite abstulit, & præfato Acfrido dedit. Sed isdem Acfridus super Gerardum eundem Comitatum evindicare non valuit. Quapropter Carolus per civitatem Remorum transiens, Trecas venit, indeque Autissiodorum adiit, ubi Nativitatem Domini celebravit.

DCCCLXVIII.

868. Anno DCCCLXVIII. Carolus ab Autissiodoro, super Ligerim fluvium ad villam, quæ Bellus-Pauliacus dicitur, pervênit. Interea homines Gerardi Comitis Acfridum in quadam villa bello conveniunt. Et quia de casa firmissima Acfridus exire noluit, in qua se recluserat igne ipsi casæ admoto Acfridum ex ipsa expellunt, & truncato illi capite corpus in ignem rejiciunt. Tunc Carolus quasi ad hoc vindicandum flagitium pagum Bituricum adiit, in quo tanta mala, & in Ecclesiarum confractione, & in pauperum oppressione, atque in omnium flagitiorum commissione, atque terræ devastatione, commissa sunt, ut dici ore non possint, sicut multorum millium hominum fame mortuorum pro ipsa depopulatione attestatio demonstravit. Vindicta autem in Gerardum, & ejus Comites non solùm ulla non extitit, verùm nec ipsi de pago Biturico à quoquam expulsi sunt. Ablatis denique à Rotberti filio his, quæ post mortem patris de honoribus ipsius ei concesserat, & per alios divisis, sed & à filiis Ramnulfi tultis paternis honoribus, & datâ Sancti Hilarii Abbatiâ, quàm isdem habuit, Frotario Burdegalensium Archiepiscopo Caput Jejunii ante Sanctum Quadragesima ad Monasterium Sancti Dionisii rediit, & inde Silvanectis perrexit. Nortmanni verò per Ligerim ascendentes, Aurelianis perveniunt, & acceptâ prædâ impunè ad suum diversiorium redeunt. Carolus verò Sabbato ante Palmas ad Monasterium Sancti Dionisii rediit, ibique Pascha celebravit. Et inde antequam Silvacum adiret, secunda die Rogationum Adventio Metensium Episcopo, & Grimlando Lotharii Cancellario deferentibus Epistolas Adriani Papæ, accepit unam sibi directam, in qua isdem Apostolicus præcepit, ut Regno Hludowici Imperatoris, ac Regno Lotharii nullam molestiam ingerat. Alteram autem Epistolam de absolutione Waldradæ ad Episcopos Regni ipsius Caroli detulerunt, similes dicentes Missas Episcopis Regni Hludowici, atque Hlotharii. Absolutio autem ipsius Waldradæ ea conditione est facta, ut Hlothario nullo pacto cohæreat. Silvacum autem Carolus perveniens, Actradum Namnetensem Episcopum Româ venientem suscepit, sibi deferentem Epistolas, quarum unâ responsum reddidit de his, quæ Nicolao in contrarietate Hincmari mandavit: inter cætera ei inculcans ut de cætero, ac perpetuo talis inutilis quæstio sopita maneret. Alteram autem Epistolam Hinc-

(1) *Hac usque Flodoardus.*

Hincmaro detulit, laudibus, & fidelitatis directionibus repletam, & ut ejus vice in istis partibus de Lothario fungeretur. Tertiam autem Archiepiscopis, aliisque Episcopis Cisalpinis detulit, ut quia isdem Actardus pro Paganorum infestatione, & Brittonum oppressione in sua civitate manere non poterat, si locus eveniret, etiam de Metropoli isdem Actardus in vacante civitate Pastore, auctoritate Apostolica ab Episcopis Provinciæ ipsius incardinetur.

Quartâ autem feriâ post initium Quadragesimæ factione Arsenii filius ejus Eleutherius filiam Adriani Papæ ab alio desponsatam dolo decepit, & rapuit, sibique conjunxit. Unde idem Papa nimium est contristatus. Arsenius ad Ludoicum Imperatorem pergens in Beneventum, infirmitate corripitur, & thesaurum suum in manus Ingelbergæ Imperatricis committens, &, ut dicebatur, cum dæmonibus confabulans, sine communione abiit in locum suum. Quo mortuo Adrianus Papa apud Imperatorem Missos obtinuit, qui præfatum Eleutherium secundùm leges Romanas judicarent. Isdem verò Eleutherius consilio, ut fertur fratris sui Anastasii, quem Bibliothecarium Romanæ Ecclesiæ in exordio ordinationis suæ Adrianus constituerat, Stephaniam uxorem ipsius Pontificis, & ejus filiam, quam sibi rapuit, interfecit, & isdem Eleutherius à Missis Imperatoris occisus est. Adrianus verò Papa congregans Synodum, supradictum Anastasium hoc modo, sicut subsequitur, post damnationes in eum latas, iterum condemnavit.

Hæc in imagine in dextra parte scripta sunt.

„ Imperantibus Dominis nostris Imperatoribus Lothario, & Ludoico Augustis, mensis Decembris die decima sexta, Indictione XIV.

Excommunicatio, quam fecit Leo Episcopus de Anastasio Presbytero, & postea Adrianus.

„ Leo Episcopus servus servorum Dei. Anastasius Presbyter Cardinis nostri, quem in titulo Beati Marcelli ordinavimus, quique secedens ab eo ad alienas parochias absque nostra Pontificali scientia demigratus est, quem per Missos, & Literas nostras vocavimus, & pro quo dominos Imperatores supplicati per Missos nostros, ut eum ad suam parochiam redire juberent: qui nunc illuc latitando in ipsa demigratione per biennium moratus est, & ad duo vocatus Concilia nostra minimè venit, sed neque inventus est; quia, ut prædiximus, veluti ovis errans extraneis regionibus suadente diabolo occultè inhabitat. Secundum Canonica instituta ex Dei omnipotentis, & Beati Petri Apostoli nostraque simul Apostolica auctoritate, ab hodie sit communione privatus, donec ipse meæ speciali præsentiæ in Canonico judicio fuerit præsentatus; & si non venerit, nunquam communicet. Post Romanum Pontificem in hac excommunicatione consenserunt Archiepiscopus Ravennatis, & Mediolanensis, aliique numero LXXV.

Hæc in imagine in sinistra parte scripta sunt.

„ Leo Episcopus servus servorum Dei. Omnibus Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & universis Clericis, cunctoque populo Christiano. Quòd bene, ac pleniter vobiscum simus, carissimi fratres, scitis. Nunc iterum pro cautela, & memoria temporum futurorum, dilectioni vestræ, cognitum esse volumus quomodo instigante, ac suadente diabolo Anastasius Presbyter Cardinis nostri, quem nos in titulo Beati Marcelli ordinavimus, contra statuta Patrum Provinciam, Ecclesiamque deserens, ecce jam per quinquennium tempus in alienas Parochias, velut ovis errans discurrit: quem etiam auctoritate suffulti canonica Apostolicis Literis per tertiam, quartamque vicem vocavimus. At ubi redire distulit, duo pro eo Episcoporum Concilia congregavimus, quorum Conventu cùm ejus non potuissemus videre, vel habere specialem præsentiam, communi eum decreto sancta communione privavimus: volentes siquidem suam per hujus excommunicationis censuram ad gremium sanctæ, à qua discesserat, matris Ecclesiæ personam reducere. Sed Apostolica monita, sanctique Concilii, pro nihilo ducens, erroris irretitus caligine, redire nullatenus voluit. Proinde sicut Ravennâ nobis degentibus, de eo in Ecclesia B. Vitalis Martyris mense Majo die XXIX. Indictione I., ore proprio, nunc iterum in Ecclesia Beati Petri Apostoli mense Junio, die XIX. Indictione superiùs annotata similiter promulgavimus, sit ille à Sanctis Patribus, & à nobis anathema, & omnes, qui ei sive in electione, quod absit, aut Pontificatus honore adjutorium præstare, vel solatium quodcumque voluerint, simili anathemate subjaceant.

Post Romanum Pontificem in hoc anathemate consenserunt Joannes Archiepiscopus Ravennatis, Nottingus, & Sigilfredus Episcopi domni Imperatoris, & sex Episcopi ad prædictum Archiepiscopum pertinentes, quorum notitiam non recolimus, & alii tam ex Romana urbe, quàm ex aliis numero LVI. absque Presbyteris, & Diaconibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Super valvas argenteas hæc scripta sunt.

„ In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Incipit Sancta, ac veneranda Synodus, quæ per Domini gratiam, & ejus Divinum consilium, congregata est in Ecclesia Beati Petri Apostoli, anno scilicet Pontificatus Sanctissimi, ac coangelici, & universalis quarti Papæ Leonis septimo, atque invictissimorum Lotharii, ac Ludowici Imperatorum anno Imperii quadragesimo * secundo, mense Decembri, die octavo, Indictione II. In hac siquidem Sancta, ac venerabili Synodo, Domini solatiante gratia nobiliter celebrata, post diversas Episcoporum, Sacerdotumque, vel Clericorum, atque omnium Christianorum pias, ac salutiferas admonitiones, & exhortationes, depositus est justè, atque canonicè Anastasius Presbyter tituli Sancti Marcelli, eo quòd contra auctoritatem canonicam propriam parochiam deseruisset per annos scilicet quinque, & in aliena ad usque hodie demoratur. Et neque vocatus, neque excommunicatus, & ad ultimum anathematizatus, sicut de eo in hac Synodo veridica pictura demonstrat, ad congregata duo pro eo Episcoporum Concilia venire noluit. Ideo tam à Summo Pontifice, quàmque ab universis Episcopis tunc Synodo præsidentibus, videlicet numero LXVII. ob suam stultam audaciam meritò, ut prædiximus, est depositus, & sacerdotali honore privatus, anno denique, mense, ac die, atque Indictione, ut supra.

Hucusque Leo Pontifex scribi jussit.

Post mortem verò jam dicti Leonis dignæ memoriæ Præsulis, ipse anathematizatus, atque depositus Anastasius, seculari potentia rediens ab abditis, quibus sicut fur latitaverat, locis, dia-

diabolica fraude seductus, inretitusque caligine, latronum more, hanc, quam non debuerat introire, Ecclesiam invasit, velut ethnicus, atque barbarus, ad perditionem suæ animæ, atque periculum, hujus venerandæ Synodi cum suis nequissimis consentaneis, atque sequacibus picturam destruxit, imaque dejecit. Quam Beatissimus Papa Benedictus, atque egregius restauravit, & lucifluis coloribus decoravit.

„ Adrianus Episcopus servus servorum Dei. „ Omni Dei Ecclesiæ notum est quid Anastasius tempore prædecessorum nostrorum Pontificum gesserit, sed & qualiter ab eis de illo sanctæ recordationis Leo, & Benedictus eximii Præsules instituerint, palàm est cunctis. Quorum unus eum deposuit, excommunicavit, & anathematizavit: alter verò sacerdotalibus expolians vestimentis, inter laicos in communione recepit. Decessor itaque noster Sanctissimus Papa Nicolaus eum postea, si fideliter erga Sanctam Romanam Ecclesiam incederet, in gremio pari modo recepisset Ecclesiæ. Sed infidelitas ejus nunc intantum apparuit, ut post deprædationem Patriarchii nostri, ablationemque Synodalium Scripturarum, quas tam super se, quàm super hujusmodi, à Sanctissimis Præsulibus diversis temporibus decretas repperat, institutionem quoque venerandæ Synodi ab ipsis Sanctis Pontificibus factam, atque sub interpositione anathematis retractam violari nobis subripiendo fecerit, & homines ad seminandum inter piissimos Principes, & Ecclesiam Dei discordias, per muros hujus civitatis more furis exire coëgerit, quemdamque Adalgrimum ad Ecclesiam confugium facientem, oculis, & lingua privari suggesserit. Modò verò sicut multi vestrûm mecum à quodam Presbytero consanguineo ejus nomine Adone audistis, & aliis modis nobis revelatum est: beneficiorum quoque nostrorum immemor, hominem ad Eleutherium misit, exhortans homicidia perpetrari, quæ, sicut scitis, proh dolor! facta sunt. Et ideo pro his omnibus, & pro aliis multis, quibus Ecclesiam Domini perculit, atque læsit; quam etiam subdolis machinationibus hactenus tundere non desistit, auctoritate Dei Omnipotentis, omniumque Sanctorum Patrum, ac venerandorum Conciliorum, prædictorumque Pontificum, simul & judicii nostri sententiâ sancimus, illum eundem Anastasium esse tenendum, quemadmodum de eo iidem domni Pontifices Leo, & Benedictus solemniter, & Synodicè statuerunt, nihil in ejus anathemate, vel causa penitùs adjungentes, vel minuentes, nisi ut omni communione Ecclesiastica privatus existat, donec de omnibus, quibus impetitur nobis coram Synodo rationem ponat, & qui cum eo in locutione, cibo, vel potu communicaverit, pari excommunicatione cum eo teneatur annexus: quia pro eo quòd altiora se petens, quod sibi totiens interdictum fuerat temerè usurpavit, ac vetitum locum conscendit, satis nostra Ecclesia murmuravit, & murmurat. Sanè si vel ab urbe Roma quantisper discesserit, vel Sacerdotium, vel Clericalem aliquem Ordinem, sive ministerium quodlibet repetere, aut recipere præsumpserit, qua contra statuta præfatorum Præsulum, contraque jusjurandum, quod pollicitus est, numquam se ab Urbe plus XL. millibus abscessurum, Sacerdotium, vel gradum Clericalis esse ministerii petiturum, facere videbitur, cum omnibus fautoribus, consentaneis, & sequacibus suis, anathemate perhenni subjaceat. Prolata in conspectu totius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ante hunc eundem Anastasium apud Sanctam Praxedem positum, anno Pontificatus domni Adriani Summi Pontificis, & universalis Papæ I. per IV. Idus Octobris, Indictione II.

Lotharius suspectum habens Carolum, ad Ludoicum se iterum contulit, & obtinuit ut sacramentum illi fieri ex sua parte faceret, quatenus in nullo nocumento illi foret, si in conjugem Waldradam acciperet. Sicque ad Palatium Attiniacum ad conloquium Caroli venit, ibique Placitum accepit, ut post futuras Kalendas Octobris simul iterum loquerentur. Carolus autem per Curtes regias in pago Laudonensi consistentes pergens, Hincmarum Laudonensem Episcopum, nullo Episcopo suæ Provinciæ conscio, jussit ut ad causas suas, idest ad seculare judicium, Advocatum suum daret, pro eo quòd beneficia quibusdam suis hominibus abstulit. Isdem autem Episcopus se reclamans, quòd relicto Ecclesiastico judicio non auderet seculare adire judicium, sicut ei jussum fuerat, ad locum nominatum secularis judicii non venit, sed causas suæ impossibilitatis Regi mandavit. Rex autem Carolus jubens inde quasdam judicare, etiam infames personas, quia personam præfatus Episcopus non misit, qui juraret quòd illuc venire non posset, & quoniam Advocatum suum de se in judicio seculari non dedit, prædictarum personarum judicio quidquid isdem Episcopus de rebus, & facultatibus Ecclesiasticis in usibus Episcopii specialiter habebat, proscriptum est: Sicque idem Rex ad Pistas medio mense Augusto veniens, annua dona sua ibidem accepit, & castellum mensurans, pedituras singulis ex suo Regno dedit.

Hincmarus autem Remorum Archiepiscopus Hincmarum Episcopum Laudunensem secum ducens, apud Pistas cum aliis Episcopis, scriptis, & verbis Regem adiit, ostendens quantum præjuditium, & Episcopalis autoritas, & universalis Ecclesia in tali facto patiebatur. Et obtinuit, ut revestito Episcopo quibus fuerat spoliatus, sicut sacræ leges præcipiunt, in Provincia, ubi hæc causa judicanda erat, electorum Judicum judicio, & si necesse foret post hoc Synodali terminaretur examine. Sed & eodem Placito Rex Markiones, Bernardum scilicet Tholosæ, & iterum Bernardum Gothiæ, itemque Bernardum alium suscepit. Missum etiam Salomonis Brittonum Ducis ibi obviam habuit per quem Salomon illi mandavit, ut aut ipse pergeret ad expugnandos Nortmannos, qui residebant in Ligeri, quia isdem Salomon cum valida manu Brittonum paratus erat illos aggredi tantùm ut adjutorium ex parte Caroli haberet. Ad quem idem Rex præmittens Engelramnum Camerarium, & Hostiariorum Magistrum, atque à secretis Consiliarium suum, cum corona auro & gemmis ornata, sed & cum omni paramento Regio cultu exculto, Carolomannum filium suum Diaconum, & Abbatem cum scara è vestigio, sicut Salomon ei mandaverat, misit; & indè Audriacam villam gratiâ venandi perrexit; scara, quæ cum Carolomanno à Carolo Rege trans Sequanam missa, terram quidem vastavit, sed nullius utilitatis effectum ex Nortmannis ad quos resistendum missa fuerat, faciens, jubente Rege Carolo rediit, & sic unusquisque ad sua perrexit. Pictaven-

venses autem vota facientes Deo, & Sancto Hilario, tertiò eosdem Nortmannos fuere aggressi, quorum plures occiderunt, cæteros verò in fugam miserunt: & de omni præda, excepta voluntaria oblatione, decimam Sancto Hilario contulerunt. Carolus Rex Kalendas Decembris Carisiacum veniens, quosdam Primores tam ex Episcopis, quàm ex aliis Regni sui, obviam sibi accersivit: & commotus contra Hincmarum Laudonensem Episcopum, quia Romam sinè illius conscientia miserat, & Epistolas, pro quibus non convenerat, obtinuerat. Eidem verò Episcopo contumaciter sibi resistenti valde infensus erat. Unde isdem Episcopus sinè illius licentia cùm sæpe ab eo evocatus fuerat, & ad illum venire distulisset, ad Sedem suam perrexit, & ampliùs quàm Episcopalis gravitas postulat, eundem Regem contra se excitavit. Carolus autem Compendium veniens, ibidem Nativitatem Domini celebravit.

DCCCLXIX.

869. Et quoniam isdem Episcopus etiam per alios Episcopos evocatus, ut ad illum veniret, jussionem illius implere detrectavit, scaram ex quamplurimis Comitibus Regni sui confectam Laudunum misit, ut ipsum Episcopum ad eum violenter perducerent. Isdem autem Episcopus cum Clericis suis juxta Altare resedit, & quibusdam Episcopis satagentibus, actum est ut ipsi, qui missi fuerant, de Ecclesia eum non extraherent; sed sinè illo ad Carolum redierunt, omnesque homines ipsius Episcopii liberos sibi sacramenta fieri fecit. Carolus autem valde commotus, Synodum omnium Episcoporum Regni sui VIII. Kalend. Maji secundæ Indictionis apud Vermeriam condixit, quò eundem Hincmarum Episcopum vocari præcepit. Ipse autem ad Conadam vicum nimis incongruenter, & pro qualitate temporis, & pro nimietate famis, perrexit: ubi quosdam Aquitanos obvios habuit. Sed Markiones tres, videlicet Bernardos, quos sibi occurrere putavit, non habens obvios, non sinè sollicitudine, & sinè utilitatis effectu, ad Silvanectum rediit. Indeque quartâ feriâ ante initium Quadragesimæ ad Monasterium S. Dionysii perrexit, ibique Sanctum Quadragesimæ Jejunium exegit, & Pascha Domini celebravit; & castellum in gyro ipsius Monasterii ex ligno, & lapide conficere cœpit. Et antequam ad Conadam pergeret, per omne Regnum suum Literas misit ut Episcopi, Abbates, & Abbatissæ, breves de honoribus suis, quanta mansa quisque haberet, futuras Kalendas Maji deferre curarent. Vassalli autem Dominici Comitum beneficia, & Comites vassallorum beneficia inbreviarent, & prædicto Placito ædium breves inde deferrent: & de centum mansis unum haistaldum, & de mille mansis unum carrum cum duobus bobus, cum aliis exeniis, quæ Regnum illius admodum gravant, ad Pistas mitti præcepit: quatenus ipsi haistaldi castellum, quod ibidem ex ligno, & lapide fieri præcepit, excolerent, & custodirent. Lotharius mittens ad eum, sed ad Ludoicum, petiit ut in suo Regno nullum impedimentum ei facerent, donec ipse Româ rediret. A' Carolo autem nullam firmitatem accepit. Sed à Ludoico, sicut dicitur, firmitatem inde suscipiens, Romam perrexit, locuturus priùs cum Ludoico fratre suo Imperatore: ut tunc, si posset, per eum apud Adrianum Papam obtineret, quatenus Theutbergam reiceret, & Waldradam resumeret. Ipsamque Theutbergam post se Romam ire præcepit. Sed ut dicebatur, Ludoicus Imperator ab obsessione Sarracenorum pro fratris sui petitione non debuisset discedere, cui ampliùs, quàm ducentas naves Rex Græcorum in auxilium contra eosdem Sarracenos festinatò mittebat. Lotharius iter, quod tempore inconvenienti, scilicet mense Junio, causâ uxorum suarum in parte Romæ cœperat, contendens perficere, usque Ravennam venit, ubi Missos fratris sui obvios habuit, per quos ei contradixit, ut nec in antea procederet, nec diutiùs in eodem Regno immoraretur, sed ad suum Regnum rediret, & tempore commodo, & opportuno loco simul convenirent, & de quibus vellet cum eo satageret. Lotharius autem Romam rediens à latere ad suum fratrem in Beneventum usque pervênit, & apud eum per Engelbergam multis petitionibus, & muneribus, atque inconvenientiis * obtinuit, ut ipsa Engelberga cum eo usque ad Monasterium S. Benedicti, quod in Monte Cassino situm est, rediret. Quò etiam Adrianum Papam eidem Engelbergæ, & sibi ex jussione Imperatoris venire fecit, & apud eum, datis illi multis muneribus, per ipsam Engelbergam obtinuit, ut idem Papa illi Missam cantaverit, & sacram communionem hac convenientia ei donaverit. Si postquam Nicolaus Papa Waldradam excommunicavit, nullum cum ea contubernium, vel carnis copulæ mercimonium, quin nec conloquium quoddam habuerit. Ipse autem infelix more Judæ simulatâ bonâ conscientiâ, & impudenti fronte, eandem sacram communionem sub hac conventione accipere non pertimuit, nec recusavit. Sed & sui fautores cum eo ab ipso Papa percepere communionem. Inter quos & Guntharius auctor, & incentor hujus publici adulterii, communionem inter laicos ab eodem Adriano Papa accepit, data illi priùs coram omnibus professione, quæ ita habetur.

„ Profiteor ego Guntharius coram Deo, & „ Sanctis ejus vobis domino meo Adriano Summo Pontifici, & universali Papæ, ac venerandis tibi subditis Episcopis, reliquoque „ Conventu, quoniam judicium depositionis in „ me à domino Nicolao canonicè datum non „ reprehendo, sed humiliter porto. Unde nec „ ulteriùs sacrum ministerium contingere præsumo, nisi per misericordiam mihi subvenire „ volueritis. Nec aliquando contra Sanctam „ Romanam Ecclesiam, aut ejus Pontificem „ aliquod scandalum, vel quidquam adversi „ movere volo: sed devotum me eidem Sanctæ Matri Ecclesiæ, ejusque Præsuli exhibere, atque obedientem permanere protestor. „ Ego Guntharius huic professioni à me factæ „ manu propria subscripsi. Data Kalendas Julii, Indictione II. in Ecclesia Sancti Salvatoris, quæ est in Monasterio S. Benedicti in „ Cassino.

Accipiens autem isdem Papa à Gunthario consistente inter laicos hanc professionem, relectam inter laicos ab ipso publicè coram omnibus, dixit illi. Et ego tibi concedo laicam communionem, ea conditione, ut ita quamdiu vixeris observes, sicut modò professus fuisti.

Engelberga denique redeunte ad suum Imperatorem, Adrianus Papa Romam reversus est. Quem è vestigio Lotharius est prosecutus.

Et Adriano Papa Romam ingrediente, Lotharius ad Ecclesiam Beati Petri venit, ubi nullum Clericum obvium habuit: sed tantùm ipse usque ad sepulcrum S. Petri cum suis pervênit; indeque solarium secus Ecclesiam Beati

Petri

A Petri mansionem habiturus intravit, quem nec etiam scopâ mundatum invênit. Putavitque in crastina, subsequente videlicet Dominica, (nam Sabbato ad Basilicam S. Petri pervênit) sibi cantari debere missam. Sed à præfato Pontifice hoc obtinere non potuit; inde secundâ feriâ Romam ingrediens, in Palatio Lateranensi cum ipso Apostolico prandidit, & datis ei muneribus in vasis aureis, & argenteis, obtinuit ut ei ipse Pontifex leenam, & palmam, ac ferulam daret, sicut & fecit. Quæ munera ita ipse, & sui interpretati sunt, videlicet ut per leenam de Waldrada revestiretur, per palmam victorem se in his, quæ cœperat, demonstraret, per ferulam Episcopos suæ voluntati resistentes obsistendo distringeret. Sed aliter ab eodem Papa, & Romanis fuere disposita. Nam idem Pontifex Formosum Episcopum, & alium etiam cum eo Episcopum, in has Galliarum partes mittendos disposuit: ut cum pluralitate Episcoporum de his, quæ Lotharius petebat tractarent, & illi Kalend. Martii quæ inventa forent in Synodo, renunciarent, quam Romæ in ipsis Kalendis Martii denunciavit. Quò etiam quatuor Episcopos ex Regno Ludoici Regis Germaniæ cum ipsius Legatis, & quosdam Episcopos ex Regno Lotharii, cum Epistolis suis hac conditione venire præcepit, ut quæ in Synodo vel gerenda forent, in personis aliorum confirmarent, tam ex Occidentalibus partibus, quàm ex Orientalibus. Unde Missos suos, quos nuper Constantinopolim pro contentione, quam Orientales cum Nicolao. Papa habebant, miserat, tunc venturos sperabat.

B C Lotharius verò Româ lætus promovens, usque Lucam civitatem venit, ubi febre corripitur: & grassante clade in suos, quos in oculos suos coacervatim mori conspiciebat, sed judicium Dei intelligere nolens, usque Placentiam VIII. Idus Augusti pervênit. Ibique Dominica die superdiurnans, circa horam nonam inopinatè exanimis penè effectus est, & obmutuit, atque in crastina hora diei secunda moritur: & à paucis suorum, qui à clade remanserant, in quodam Monasteriolo secus ipsam civitatem terræ mandatur. Quod Carolus apud Silvanectis civitatem degens (ubi tam ipse, quàm & uxor sua thesauros, quos in quibuscumque rebus habuerant, per loca sancta in suam eleemosynam dispensantes, à Pistis reversi, Domino, de cujus manu illos acceperant, reddiderunt) non incerto comperiens nuncio, ab ipsa civitate movens, Attiniacum venit. Ubi à quibusdam Episcopis, sed & ab aliquibus Primoribus Regni quondam Lotharii Missos directos suscepit, ut ibi resideret, & in Regnum, quod Lotharii fuerat non intraret, donec frater suus Ludoicus Rex Germaniæ ab expeditione hostili de Winedis, cum quibus præsenti, & præterito anno sæpè cominus sui congredientes, aut nihil, aut parum utilitatis egerunt, sed damnum maximum retulerunt, reverteretur. Petierunt ergo, ut in Palatio Ingiliheim residens ad eum Missos suos dirigeret, & ei mandaret ubi, & quando simul convenirent, & de Regni ipsius divisione tractarent. Plures autem saniori consilio illi mandaverunt, ut quantociùs commodè posset usque Mettis properare satageret, & ipsi tam in itinere, quàm in ipsam civitatem ei occurrere maturarent. Quorum consilium Carolus acceptabilius, & salubrius esse intelligens juxta eorum suggestionem agere festinavit. Veniens ergo usque Viridunum, plurimos de eodem Regno, sed & Hatonem ipsius civitatis Episcopum, & Arnulphum Tullensis urbis Episcopum sibi se commendantes suscepit. Indeque Mettis Nonas Septembris veniens, Adventium ipsius civitatis Præsulem, & Franconem Tungrensem Episcopum, cum multis aliis in sua commendatione suscepit. Sicque V. Idus ipsius mensis ab Episcopis, qui adfuerunt, coëuntibus omnibus, in Basilica Beati Stephani hæc, quæ sequuntur denunciata, & gesta fuere hoc modo.

„ 869. Anno Incarnat. Domini DCCCLXIX.
„ Indictione secunda, V. Idus Septembris, „ Mettis civitate in Ecclesia S. Stephani Martyris hæc, quæ sequuntur Capitula Adventius „ Episcopus ipsius civitatis coram Rege, & „ Episcopis, qui adfuerunt publicè populo „ scripto, & verbis denuntiavit.

„ Vos scitis, & multis in plurimis Regnis „ est cognitum, quantos, & quales eventus „ tempore Senioris nostri, quem hactenus habuimus, pro causis notissimis communiter „ sustinuimus: & quanto dolore, quantaque „ angustia de illius infausta morte nuper cordibus perculsi sumus. Undè unicum refugium, & singulare, ac salubre consilium, „ Rege, & Principe nostro destituti, ac desolati, nobis omnibus esse consideravimus, ut „ jejuniis, & orationibus ad eum nos converteremus, qui est adjutor in opportunitatibus, „ in tribulatione, & cujus est consilium, cujusque est Regnum, ut scriptum est, *cui voluerit dabit illud*: & in cujus manu sunt corda „ Regum, & facit unanimes habitare in domo, solvens medium parietem, & faciens „ utraque unum. Deprecantes ipsius misericordiam, ut daret nobis Regem, ac Principem „ secundùm cor suum, qui in judicio, & justitia nos in omni ordine, & protectione regeret, salvaret, atque defenderet juxta voluntatem ejus, & corda omnium nostrûm unanimiter ad eum declinaret, atque uniret. „ Quem ipse ad salutem, & profectum nostrum præscitum, & electum, atque prædestinatum habebat secundùm misericordiam „ suam.

„ Quia denique voluntatem Dei, qui voluntatem timentium se facit, & deprecationes „ eorum exaudit, in concordi unanimitate nostra videmus, hunc Regni hujus hæredem „ esse legitimum; cui nos sponte commisimus, „ Dominum videlicet, & præsentem Regem, „ ac Principem nostrum Carolum ut nobis præsit, & prosit: videtur nobis, si placet vobis, „ ut sicut post illius verba vobis manifestabimus, signo certissimo demonstremus; quia „ illum à Deo electum, & nobis datum Principem credimus, & ut eidem largitori Deo „ ex suis beneficiis non simus ingrati, sed gratiarum actiones illi referentes oremus, quatenus & eum nobis ad salutem, & defensionem Sanctæ suæ Ecclesiæ, & ad auxilium, „ atque profectum omnium nostrûm cum salute, & pace, atque tranquilitate, nobis conservet diutiùs, & nos fideli devotione illi obsequentes, atque optata salvatione fruentes „ sub illius administratione in suo gubernet „ servitio.

„ Et si illi placet, dignum ipsi, & necessarium nobis esse videtur, ut ex ejus ore audiamus, quod à Christianissimo Rege fideli, „ & unanimi in servitio illius populo unicuique in ordine suo convenit audire, ac devota „ mente suscipere.

D E Post hæc Carolus Rex hæc, quæ sequuntur per se in eadem Ecclesia cunctis, qui ad fuerunt

,, runt deuunciavit , dicens : Quia sicut isti
A ,, venerabiles Episcopi unius ex ipsis voce di-
,, xerunt , & certis indiciis ex vestra unanimi-
,, tate monstraverunt, & vos acclamatis, me
,, Dei electione ad vestram salvationem , &
,, protectionem , ac regimen, atque guberna-
,, tionem huc advenisse : sciatis me honorem ,
,, & cultum Dei , atque Sanctarum Ecclesia-
,, rum , Domino adjuvante , conservare , &
,, unumquemque vestrûm secundùm sui ordinis
,, dignitatem, & personam, juxta meum scire,
,, & posse honorare, & salvare, & honoratum,
,, & salvatum tenere velle : & unicuique in
,, suo ordine secundùm sibi competentes leges
,, tam Ecclesiasticas, quàm mundanas, legem,
,, & justitiam conservare, in hoc ut honor re-
B ,, gius , & potestas , ac debita obedientia , at-
,, que adjutorium ad Regnum mihi à Deo da-
,, tum continendum , & defensandum, ab uno-
,, quoque vestrûm secundùm suum ordinem ,
,, & dignitatem , atque possibilitatem , mihi
,, exhibeatur, sicut vestri antecessores fideliter,
,, justè , & rationabiliter meis antecessoribus
,, exhibuerunt. Et post hæc Hincmarus Re-
,, morum Episcopus hæc , quæ sequentur Ca-
,, pitula, jubente, ac postulante Adventio ipsius
,, Episcopo civitatis, & cæteris Episcopis Tre-
,, verorum Provinciæ , Hattone scilicet Eccle-
,, siæ Viridunensis Episcopo , & Arnulfo Tul-
,, lensis civitatis Episcopo , cohærentibus Pro-
C ,, vinciæ Remorum Episcopis, coram reliquis
,, Episcopis, & Rege, cunctisque, qui adfue-
,, runt in eadem Ecclesia, publicè denunciavit.
,, Ne alicui fortè videatur incongruè , ac
,, præsumptuosè me , ac Provinciæ nostræ ve-
,, nerabiles Episcopos facere , quoniam de al-
,, tera Provincia ordinationi , & causis hujus
,, Provinciæ nos immiscemus, sciat nos contra
,, Canones Sacros non agere, quoniam Remen-
,, sis , & Treverensis Ecclesiæ in hac regione
,, Belgica, cum sibi commissis Ecclesiis, soro-
,, res , & comprovinciales habentur , sicut au-
,, ctoritas Ecclesiastica, & antiquissima demon-
,, strat consuetudo . Ac per hoc unanimi con-
,, sensu & Synodalia judicia exercere , & quæ
D ,, à Sanctis Patribus constituta sunt , debent
,, concorditer custodire : hac privilegii condi-
,, tione servata , ut qui prior de Remensi , &
,, Treverensi Episcopo fuerit ordinatus , prior
,, etiam habeatur . Et lex divinitus inspirata
,, præcipit, dicens: *Si transieris per messem ami-*
,, *ci tui , colligens spicas , manu confricabis ad*
,, *manducandum . Falcem autem non mittas , vel*
,, *falce non metas*. Messis est populus , ut Do-
,, minus demonstrat in Evangelio, dicens: *Mes-*
,, *sis quidem multa est , operarii autem pauci . Ro-*
,, *gate ergo Dominum messis, ut mittat operarios*
,, *in messem suam* . Quia vos pro vestris Epi-
,, scopis debetis orare , vobis digna possimus
,, loqui . Messis autem amici est populus in
E ,, Provincia alteri Metropolitano commissa .
,, Unde vos hortando quasi manum operis con-
,, fricando, ad Dei voluntatem , & vestram in
,, corpus unitatis Ecclesiæ valemus , & debe-
,, mus trajicere . In parrochianos autem Pro-
,, vinciarum aliis Metropolitanis commissarum
,, falcem judicii non mittimus , quia nec est
,, unde , nec nostrum esse consideremus . Est
,, & alia causa, quia isti venerabiles domni, &
,, fratres nostri Provinciæ istius Episcopi non
,, habentes Metropolitanum Episcopum , exi-
,, guitatem nostram sic in suis, sicut in specia-

,, libus nostris causis, nos fraterna charitate ju-
,, bent, & commonent agere. Est ita domni fra-
,, tres ? Et responderunt ipsi Episcopi: Ita est.
,, Præter ea, quæ domnus Episcopus, & fra-
,, ter noster Adventius vobis ex sua , & cæte-
,, rorum suorum , ac nostrorum fratrum , & ve-
,, nerabilium Episcoporum voce dixit , in hoc
,, etiam animadvertere potestis , voluntatem
,, Dei esse, ut præsens domnus, & Rex noster,
,, qui in parte , quam hactenus tenet , & te-
,, nuit, & nobis , Ecclesiisque nostris , & po-
,, pulo sibi commisso, utiliter præest, ac præ-
,, fuit , & salubriter prodest , & profuit , inde
,, ad hunc locum Domino ducente pervenerit,
,, quod etiam vos ejus inspiratione confluxistis
,, & ipsi vos sponte commendastis , cujus in-
,, structione animata omnia in arca Noë signi-
,, ficantia Ecclesiæ unitatem , nullo cogente
,, convenerunt . Quia sanctæ memoriæ pater
,, suus domnus Ludoicus pius Imperator Au-
,, gustus , ex progenie Ludoici Regis Franco-
,, rum inclyti per Beati Remigii Apostolicam,
,, & Catholicam prædicationem cum integra
,, Gente conversi , & cum tribus Francorum
,, millibus , exceptis parvulis , & mulieribus,
,, vigiliâ Sancti Paschæ in Remensi Metropoli
,, baptizati, & cœlitus sumpto chrismate unde
,, adhuc habemus, peruncti, & in Regem sa-
,, crati, exortus per Beatum Arnulfum, è cujus
,, carne idem Ludoicus pius Augustus origi-
,, nem duxit carnis , & à Stephano Papa Ro-
,, mano ante Sanctæ Dei Genitricis, & semper
,, Virginis Mariæ altare Remi in Imperatorem
,, est coronatus , & demum factione quorum-
,, dam terreno Imperio destitutus , in prædi-
,, ctam Regni partem unanimitate Episcopo-
,, rum , & fidelis populi ante sepulchrum San-
,, cti Dionysii eximii Martyris Ecclesiæ Sanctæ
,, est redditus, & in hac domo ante hoc altare
,, Prothomartyris Stephani, cujus nomen inter-
,, pretatum resonat, *coronatus*, per Dei Sacer-
,, dotes acclamatione fidelis populi, sicut vidi-
,, mus qui adfuimus , coronâ Regni est , Im-
,, perioque restitutus. Et quia in Historiis Sa-
,, cris legimus , Reges , quando Regna obti-
,, nuerunt , singulorum Regnorum sibi diade-
,, mata imposuerunt : non incongruum videtur
,, venerabilibus Episcopis si vestræ unanimitati
,, placet, ut in obtentum Regni, unde vos ad
,, illum convenistis , & vos ei commendastis,
,, Sacerdotali ministerio ante hoc altare coro-
,, netur , & sacra unctione Deo consecretur.
,, Quòd si vobis placet, propriis vocibus con-
,, sonate. Et in hoc conclamantibus omnibus,
,, dixit idem Episcopus : agamus ergo unani-
,, miter Domino gratias , decantantes , *Te*
,, *Deum laudamus* : Et post hæc ab Episcopis
cum benedictione Sacerdotali est idem Rex co-
ronatus. Indeque Florinkengas veniens , quæ
ordinanda sibi visa sunt, ordinavit. Indeque in
saltum Arduennæ autumnali venatione exerci-
tandum se contulit. Ludoicus autem frater ejus
pacem sub quadam conditione apud Vvinidos
obtinere procuravit. Ad quam confirmandam
filios suos cum Marchionibus terræ ipsius dire-
xerat, ipseque infirmus in Ragenisburg civitate
remansit. Et mittens Missos suos ad Carolum,
mandavit illi de firmitatibus, quæ inter eos fa-
ctæ fuerunt , sed & de portione Regni quon-
dam Lotharii , unde Carolus illi congruam re-
sponsionem mandavit.

(1) Cap. XXII. Interea Basilius, quem Mi-

(1) *In Aimoini supplemento.*

chaël Græcorum Imperator sibi in sortem Imperii asciverat, eundem Michaëlem dolo interfecit, & Imperium sibi ascivit. Qui Patricium suum ad Bairam cum CCCC. navibus miserat, ut & Ludoico contra Sarracenos ferret suffragium, & filiam ipsius Ludoici à se desponsatam de eodem Ludoico susciperet, & illi in conjugio sibi copulandam duceret. Sed quadam occasione interveniente displicuit Ludoico dare filiam suam Patricio. Unde idem Patricius molestus Corinthum rediit, & revertente Ludoico ab obsidione Sarracenorum de partibus Beneventanis, iidem Sarraceni de Barra egredientes, & hostem Ludoici post tergum sequentes, plusquam duo millia caballorum ipsius hostis prædati sunt, & cum eisdem caballis duos ex se ipsis ordinantes cuneos, ad Ecclesiam Sancti Michaëlis in Monte Gargano perrexerunt: & Clericos ejusdem Ecclesiæ, multosque alios, qui ad orationem illuc convenerant, deprædantes, cum multa spolia ad sua redierunt. Quod factum valde Imperatorem, atque Apostolicum, sed & Romanos turbavit.

Cap. XXIII. Ludowicus Ludowici Regis Germaniç filius cum Saxonibus contra Winidos, qui in Regionibus Saxonum sunt, bellum committens cum multa strage hominum ex utraque parte quoquo modo victoriam est adeptus. Indeque reversus, Rotlandus Arelatensis Archiepiscopus Abbatiam Sancti Cæsarii apud Ludovicum Imperatorem, & Engelbergam non vacua manu adeptus in insula Camaria nimis undecumque ditissima, in qua res ipsius Abbatiæ plurimæ conjacent, & in qua portum Sarraceni habere solebant, castellum opere tumultuario de sola terra ædificans, audito Sarracenorum adventu, in illud satis inconsultè intravit. & appulentibus ad ipsum castellum Sarracenis, ampliùs quam CCC. suorum interfectis, ab eisdem Sarracenis est captus, & in eorum nave deductus est, ac religatus. Unde CL libris argenti, & CL. mantellis & CL spatis, & CL. mancipiis, præter illa, quæ in placito data sunt, ad redemptionem ejus concessa sunt.

Interea idem Episcopus in navibus moritur XIII. Kalend. Octobris. Sarraceni autem ingeniosè accelerantes, de redemprione illius quasi non possent ibi ampliùs immorari, si illum vellent recipere, redemptores illius redemptionem pro eo dare accelerarent, edicunt. Quod & factum est. Et Sarraceni suscepta omni redemptione, miserunt eundem Episcopum sedere in cathedra indutum vestimentis Sacerdotalibus, cum quibus captus fuerat: & velut pro honore deportaverunt eum in terra à navibus. Redemptores autem illius volentes cum eo colloqui, & congratulari ei, invenerunt eum mortuum. Quem cum maximo luctu exportantes sepelierunt eum X. Kalendas Octobris in sepulcro, quod sibi ipse paraverat.

Salomon Dux Brittonum pacem cum Nortmannis in Ligeri residentibus fecit, & vinum partis suæ de Pago Andegavensi cum Brittonibus suis collegit. Hugo Abba, & Gauzfridus cum trans-Sequanis confligentes cum Nortmannis in Ligeri residentibus, LX. circiter inde interfecerunt. Et capientes quemdam apostatam Monachum qui relicta Christianitate se Nortmannis contulerat, & nimis Christianis infestus erat, decollari fecerunt. Carolus verò civitates trans Sequanam ab incolis firmari rogavit, Cinomannis scilicet, ac Turonis, ut præsidio contra Nortmannos populis esse possent. Nortmanni autem hoc audientes, multam summam argenti, frumenti quoque, & vini, ac animalium, ab incolis terræ ipsius quæsierunt, ut cum eis pacem facerent.

Cap. XXIV. Carolus in villa Duciaco VII. Idus Octobris certò comperiens obisse Hirmentrudem uxorem suam II. Non. Octobris in Monasterio Sancti Dionysii, ubi & sepulta est, exequente Bosone filio Buvini quondam Comitis hoc missaticum apud matrem, & materteram suam Theutbergam Lotharii Regis relictam, sororem ipsius Bosonis nomine Richildem mox sibi adduci fecit, & in concubinam accepit. Qua de re eidem Bosoni Abbatiam Sancti Mauritii cum aliis honoribus dedit: & ipse Aquis Palatium eandem concubinam secum ducens festinare acceleravit: quatenus ibi residuos illius partis homines, qui Lotharii fuerant, sicut ei mandaverant, in sua ditione susciperet. Denuntians se abinde Palatium, quod Gundulfi-villa dicitur, in Missa Sancti Martini venturum, ut de Provincia, & de superioribus partibus Burgundiæ ad se venturos suscipiat. Veniens autem Aquis, nullum obtinuit quem ante non habuit, & inde, ut denunciaverat, ad Gundulfi villam pervenit. Ubi Missos Adriani Papæ Paulum, & Leonem Episcopos suscepit, cum Epistolis missis sibi, & Præsulibus, ac Regni Primoribus in his Galliarum partium regionibus consistentibus. In quibus continebatur ut Regnum quondam Regis Lotharii, quod Ludovico Imperatori spiritali filio ejus hæreditario jure debetur, & quod ad eum post mortem ipsius Lotharii rediit, vel homines in eo degentes, mortalium nullus invaderet, nullus commoveret, nullus ad se conaretur inflectere. Quòd si quis præsumeret, non solùm per suæ auctoritatis ministerium infirmaretur, verùm etiam vinculis anathematis obligatus, nomine Christianitatis privatus cum diabolo locaretur. Et si quis de Episcopis tam nefariæ temeritatis auctorem, vel tacendo fugeret, vel non resistendo consentiret, non jam Pastoris, sed mercenarii nomine se nosset fore censendum. Et quia jam non pertineret ad eum de ovibus, non pertineret consequenter de pastoralibus dignitatibus. Cum quibus Episcopis, & Missus Ludovici Imperatoris venit nomine Boderadus, de his nihilominus satagens. Carolus autem absolutis Apostolici, & Imperatoris Missis deceptus vanis suasionibus falsorum Missorum, qui ei suggerebant, quòd frater suus Ludovicus vicinus morti foret, iter in Elisiacas partes arripuit, ut Hugonem Luitfridi filium, & Bernardum Bernardi filium obtineret, sicut & fecit. Indeque Aquis veniens, ibidem Nativitatem Domini celebravit.

DCCCLXX.

870. Inde ad Rorici Nortmanni colloquium apud Noviomagum Palatium perrexit, quem sibi fœdere copulavit. Et in die festivitatis Septuagesimæ prædictam concubinam suam Richildem desponsatam, atque dotatam in conjugem sumpsit, & insperatè à fratre suo Ludovico Germaniæ Rege sibi nunciantes Missos accepit: ut si quantociùs Aquis non egrederetur, & Regnum quondam Lotharii penitùs non desereret, idemque Regnum, sicut Lotharii homines tempore obitus ejus habebant, eis tenêre pacificè non concederet, sinè ulla retractatione illum bello appeteret. Unde inter eos Missis discurrentibus, eo usque causa perducta est, ut inter utrumque hujusmodi sacramenta fierent.

„ Sic promitto ex parte Senioris mei ill. „ quòd

„ quòd Senior meus ill. fratri suo ill. Regi ta-
„ lem portionem de Regno Lotharii Regis
„ consentit habere, qualem aut ipsi justiorem,
„ & æquiorem, aut communiter fideles eorum
„ inter se invenerint: nec eum in ipsa portio-
„ ne, vel in Regno, quod antea tenuit, per
„ aliquam fraudem, vel subreptionem decipiet,
„ aut forsconciliabit: si frater suus ill. eandem
„ firmitatem, & fidelitatem, quam ex parte
„ Senioris mei ill. habeo promissam, frater
„ suus ill. Seniori meo ex sua parte quamdiu
„ vixerit inviolabiliter servet. Et hac infirma firmitate patratâ, Carolus Aquis egrediens, uno itinere Compendium venit: ubi & duodecim Missos fratris sui Ludowici pro divisione Regni accepit, qui superciliosè tam de sanitate corporis Ludowici, quàm de prosperitate, (quia Restitium Winidum sibi diutino tempore infestissimum tam dolo, quàm bello captum vicerat) elati, minùs debito sacramenta inter eos facta duxere servanda. Quæ divisio multifariè, multisque modis hinc, & illinc agitata, & per diversos Missos alterutrum directa, ad hunc finem ex Caroli mandato pervênit, ut in illud Regnum, quod inter eos secundùm sacramenta præstita dividendum erat, pacificè convenirent: & sicut illi cum consensu, & unanimitate communium fidelium ipsorum invenirent, secundùm sacramenta inter eos præstita illud Regnum dividerent. Interea postquam de multis causis impetitus, præcipuè autem de subjectione Regiæ potestatis, & inobedientia erga suum Archiepiscopum, Hincmarus Laudunensis Episcopus, ut se ab impetitis expediret, in Synodo Episcoporum X. Provinciarum libellum propria manu subscriptum porrexit hæc continentem.

„ Ego Hincmarus Ecclesiæ Laudunensis Epi-
„ scopus amodò, & deinceps domno Seniori
„ meo Carolo Regi fidelis, & obediens ero se-
„ cundùm ministerium meum, sicut homo suo
„ Seniori, & Episcopus quilibet suo Regi esse
„ debet: ac privilegio Hincmari Metropolita-
„ ni Provinciæ Remorum Ecclesiæ secundùm
„ Sacros Canones, & decreta Sedis Apostoli-
„ cæ promulgata pro scire, & posse me obe-
„ dire velle profiteor.

Carolomannus etiam Caroli Regis filius, & plurimorum Monasteriorum Pater reputatus, quoniam insidias infideliter erga patrem suum moliebatur, Abbatiis privatus in Silvanectensi civitate est custodiæ mancipatus.

Carolus Missos suos, Odonem scilicet Belgivagorum Episcopum, & Odonem, atque Harduinum Comites, ad fratrem suum Ludoicum ad Franconofurt dirigens, petiit ut ad Regnum Lotharii dividendum simul convenirent. Ipseque Pontigonem petens, ibi Missos fratris sui accepit, nunciantes illi ut ad Heristallium pergeret, & frater suus Ludoicus ad Marsnam venturus foret: & in meditullio eorumdem locorum Kalendas Augusti colloquerentur, & unusquisque eorum quatuor Episcopos, & decem Consiliarios, & inter ministeriales, & Vassallos XXX. tantummodò ad idem colloquium ducerent. Quò Ludovicus dum pergeret, ad *Flamereshem* in Pago Ribuario venit, & de quodam solario vetustate confecto sub lignis cecidit, & aliquantulum naufragatus in brevi convaluit, indeque Aquisgrani pervênit. Et discurrentibus inter utrosque fratres, & Reges Missis, tandem V. Calendas Augusti ad locum colloquii convenerunt, & hoc modo Regnum Lotharii inter se diviserunt. Et hæc est divisio, quam sibi Ludoicus accepit.

A Coloniam, Treveris, Utrecht, Stratburg, Basulam, Abbatiam Sivestre, Berch, Niu Monasterium, Castellum, Indam, Sancti Maximini, Ephterniacum, Horream, Sancti Gangulfi, Faverniacum, Pollemniacum, Luxojum, Luteram, Balmam, Offonis-villam, Mejeni Monasterium, Sancti Deodati, Bodonis-Monasterium, Stivagium, Romerici-montem, Morbach, Sancti Gregorii, Mauri-Monasterium, Eboreshem, Homowa, Masonis-Monasterium, Hombroch, Sancti Stapni, Stratburch, Erenstem, Sancti Ursi in Salodoro, Grandivallem, Altam-petram, Lustenam, Vallem-Clusæ, Castellum Carnones, Heribodeshem, Abbatiam de Aquis, Hoënchirche, Augstchirche, Commentestebant, Batua, Hattuarias, Masiau supterior de ista parte, item Masiau superior, quod de illa parte
B est, Liugas, quod de ista parte est, districtum Aquense, districtum Trectis. In Ripuarias Comitatus V. Megenensium, Bedagowa, Nitachowa, Sarachowa subterior, Blesitchowa, Selme, Albethowa, Suentisium, Calmontis, Sarachowa superior, Odornense quod Bernardus habuit, Solocense, Basiniacum, Esischowe, Warasch, Scudingum, Emaus, Basalclowa. In Elisiatio Comitatus II. de Frisia duas partes, de Regno, quod Lotharius habuit. Super istam divisionem propter pacis, & charitatis custodiam superaddimus istam adjectionem. Civitatem Mettis cum Abbatia Sancti Petri, & Sancti Martini, & Comitatu Mosensi, cum omni-
C bus villis in eo consistentibus tam dominicatis, quàm & Vassallorum. De Arduenna sicut flumen Urta surgit inter Bisanc, & Tumbas, ac decurrit in Mosam, & sicut rectâ viâ pergit in Bedensi, secundùm quod communes nostri Missi rectiùs invenerint. Excepto, quod de Condrusto est ad partem Orientis trans Urtam, & Abbatias Prumiam, & Stabolau, & omnibus villis dominicatis, & Vassallorum.

Et hæc est divisio, quam Carolus de eodem Regno sibi accepit. Lugdunum, Vesontium, Vienna, Tungris, Tullum, Viridunum Cameracum, Vivarias, Uceriam, Montem-Falconis, Sancti Michaëlis, Gillini Monasterium Sanctæ
D Mariæ in Bisantione, Sancti Martini in eodem loco, Sancti Augentii, Sancti Marcelli, Sancti Laurentii Leudensi, Sennonem Abbatiam Niellam, Molburium, Laubias, Sancti Gaugerici, Sancti Salvii, Crispinno, Fossas, Marilias, Hunulfcurt, Sancti Servatii, Maalinas, Ledi, Sunniacum, Antonium, Condatum, Mesrebecchi, Tidivinni, Lutosa, Calmontis, Sanctæ Mariæ in Deomant, Echa, Andana, Wasloi, Altum-montem, Comitatus Texandrum. In Bracbanto Comitatus quatuor, Camatensem, Hainoum, Lomensem. In Hasbanio Comitatus quatuor, Masau superior de ista parte Mosæ, Masau subterior de illa parte, Liugas quod de ista parte est Mosæ, & pertinet ad Veosatum,
E Scarponinse, Viridunense, Dulmense, Arlon, Waurense. Comitatus II. Mosminse, Castricium, Condrust, de Arduenna sicut flumen Urta surgit inter Bislanc, & Tumbas, ac decurrit ex hac parte in Mosam: & sicut rectâ viâ ex hac parte Occidentis pergit in Bedensi, secundùm quod Missi nostri rectiùs invenerint. Tullense, aliud Odornense, quod Tetmarus habuit, Barrense; Portense, Salmoringum, Lugdunense, Viennense, Vivarias, Uccericium. De Frisia tertiam partem. Et in crastina, scilicet IV. Idus ejusdem mensis, simul convenerunt, & valefacientes se mutuò ab invicem discesserunt, Ludowicus videlicet Aquis re-

rediens, & Carolus Liptinis uxorem suam obviam sibi venire jubens partem ipsius Regni, quam accepit, sicut placuit sibi, divisit. Indeque per Monasterium Sancti Quintini ad Silvacum, & inde per Carisiacum Compendium veniens, autumnalem venationem in Cotiæ saltu exercuit.

Cap. XXVI. Ludoicus læsionem contusionis, quam ex supra dicto casu de solario perpessus fuerat, minùs necessario curari à Medicis sustinens, computrescentem carnem ab eisdem Medicis secari fecit. Unde & longiori, quàm speraverat tempore in Aquis decubuit, ubi & penè desperatus vix mortem evasit. Ibique Apostolici Adriani Missos Joannem, & Petrum Cardinales Episcopos, itemque Joannem Ecclesiæ Romanæ Presbyterum, sed & Missos Ludoici Imperatoris, Wibodum scilicet Episcopum, & Bernardum Comitem suscepit: sibi denunciantes ut de Regno Lotharii nepotis sui, quod fratri suo Lodoico Imperatori debebatur, non præsumeret. Et in brevi absolutos ad fratrem suum Carolum eos direxit, & ipse mox ut aliquantulum convaluit, ad Reginsburg pergens, Restitium Winidorum Regulum à Carolomanno per dolum nepotis ipsius Restitii captum, & aliquandiu in custodia detentum, post judicium mortis excœcari, & in Monasterium mitti præcepit, suosque filios Hludowicum, & Carolum ad se venire præcepit. Qui sentientes satagente matre inclinatiorem esse voluntatem patris erga Carolomannum, quàm erga se, ad illum venire detrectaverunt. Ludoicus ad Placitum suum, quod in Franconofurd condixerat, ante Quadragesimæ initium venit: & satagentibus Legatis inter eum, & filios suos, utrinque factæ sunt firmitates, ut usque futurum Majum mensem & ipsi ex parte patris securi manere possent, & illi vastationem Regni, quam incœperant dimitterent, & pacificè usque ad idem Placitum degerent. Et hoc ita patrato negotio, Ludoicus ad Reginsburg rediit.

Cap. XXVII. Carolus peracta autumnali venatione, ad Monasterium Sancti Dionisii, festivitatem ipsius Sancti celebraturus perrexit. Ubi ipsa die inter Missarum solemnia præfatos Apostolici Missos cum Epistolis ad se, & ad Episcopos Regni sui directos, terribiliter sibi Regnum quondam Lotharii, quod fratri suo Imperatori debebatur, interdicentibus, molestè suscepit. Et deprecantibus eisdem Missis cum aliquantis fidelibus suis, Carolomannum filium à custodia ex Silvanectis civitate absolvit, & secum manere præcepit. Ipsos autem Missos Domni Apostolici, & Imperatoris usque Remis deduci fecit. Et undique plurimos fidelium suorum illic convenire faciens, & per octo dies ibidem immorans, eosdem Missos absolvit. Postea Legatos suos, Ansegisilum videlicet Presbyterum, Monasterii Sancti Michaëlis Abbatem, & Lotharium laicum, cum Epistolis ad Domnum Apostolicum, sed & pannum ad altare Sancti Petri de vestimentis suis aureis compositum, cum duabus coronis aureis, & gemmis ornatis misit, & ipse usque ad Lugdunum pervênit. Unde Carolus noctu à patre aufugiens, in Belgicam provinciam venit, & congregatis secum pluribus satellitibus, ac filiis Belial tantam crudelitatem, & devastationem secundùm operationem Sathanæ exercuit, ut credi non possit nisi ab ipsis, qui eandem depopulationem viderunt, atque sustinuerunt. Quod Carolus nimiùm ægrè tulit. Non tamen iter suum deseruit, sed Viennam, in qua Berta uxor Gerardi erat, obsessurus, quantociùs adiit. Nam Gerardus in altero morabatur castello. In qua obsidione circumjacentes regiones nimis fuere vastatæ. Carolus autem ingeniosè cogitans, magnam partem eorum, qui in Vienna erant sibi conciliavit. Quod sentiens Berta, post Gerardum direxit. Qui veniens, Carolo civitatem dedit, in qua idem Rex vigiliâ Nativitatis Domini intrans Nativitatem Domini celebravit.

DCCCLXXI.

871. Carolus Viennâ in potestate sua susceptâ, à Gerardo sibi obsides dari pro aliis castellis suis Missis tradendis coëgit, & tribus navibus Gerardo datis per Rhodanum cum sua uxore Berta, & mobilibus suis à Vienna permisit abscedere, & ipsam Viennam Bosoni fratri uxori suæ commisit. Ipseque per Autissiodorum, & Senones ad Monasterium Sancti Dionysii quantociùs, prout potuit, venire maturavit. Quod audiens Carolomannus, cum suis complicibus ad Mosomum perrexit, & ipsum castellum cum villis circumjacentibus devastavit. Unde quatuor Missos suos fictè ad patrem suum direxit, mandans quòd sinè honoribus ad illum fidei suæ credens veniret, & Deo, & illi de quibus commiserat satisfacere vellet. Tantùm ut de his, qui cum eo erant, misericorditer tractaret, qualiter salvi esse valerent. Non tamen à malè cœpto vel aliquantulum destitit. Carolus autem Rex ad eundem filium suum Carolomannum cum duobus illius Missis, (nam alios duos secum retinuit) Gauzlinum Abbatem, & Balduinum Comitem ipsius Carolomanni sororium misit: mandans illi convenientiam, qua ad eum securè posset venire si vellet. Ipse autem Carolomannus dolo se simulans ad patrem suum venturum, alios Missos impossibilia quærentes ad eum direxit, & ipse in partes Tullenses perrexit. Carolus autem judicium quærens de talibus, qui filium suum, scilicet Diaconum, & Ecclesiæ sanctæ ministrum, à se Domino traditum furati fuerunt, & tanta, ac talia flagitia, atque facinora, & depopulationes in Regno suo fecerunt. Post judicium verò mortis omnia, quæ illorum erant infiscari præcepit, & ordinatis scaris, quæ eundem Carolomannum cum suis complicibus de Regno propellerent, judicium Episcopale de illis expetiit. Et quoniam Apostolus præcipit cum hujusmodi nec cibum sumere, eosdem Episcopi, in quorum parochiis tanta mala commiserant, secundùm sacros Canones communione privarunt, sicut in Epistolis continetur, quas inde juxta sacras regulas ad alios Episcopos transmiserunt. De Carolomanno autem, quia diœcesios Sennensis erat Diaconus, & post præstita per duas vices sacramenta, de quibus perjurus erat, sicut pater ejus publica denunciatione omnibus, qui adfuerant intimare curavit, & tantam rebellionem, & infidelitatem contra illum, tantaque flagitia in Regno suo commiserat, judicium Episcoporum ipsius Provinciæ expetendum decrevit. Deinde Carolus ad Monasterium Sancti Dionysii imminente Quadragesimali tempore, usque ad sanctum Pascha ibidem immoraturus, regreditur: ubi & Pascha Domini celebravit.

(1) Karolomannus insequente se à patre post eum scarâ directâ, Jurum transiit, & sicut in Bel-

(1) *Quæ sequuntur in supplemento Aimoini desunt.*

Belgicis, & Gallicis regionibus egerat, mala cœpta exequi non emisit. Hincmarus Laudunensis nomine tantùm Episcopus, homo insolentiæ singularis contra Evangelicam veritatem, & Apostolicam, atque Ecclesiasticam auctoritatem, contra Regem rebellans, & in vicinos, ac sibi commissos tam Clericos, quàm laicos sinè ulla reverentia sæviens, & Metropolitano suo se inde regulariter commonenti obedire contemnens, adeò & Regem suum, & Archiepiscopum suum, atque Episcopos totius Regni erga se commovit, ut Rex Synodum in mense Augusto apud Duciacum condiceret: quatenus de illius pravitatibus regulare ibi agitarentur judicium. Ipse autem Rex Carolus petentibus nepotibus suis, Ludovici fratris sui filiis, Ludovico, & Carolo, per Viridunum obviam eis locuturus cum illis perrexit, & inde ad Synodum in Duciaco rediit.

Interea Hugo Abba Monasterii Sancti Martini, & Gozfridus cum cæteris trans-Sequanis, incautè adeuntes insulam Ligeris, in qua Nortmanni firmitatem suam habebant, cum maximo damno, & multorum occisione vix evaserunt. Hincmarus verò tandem cum multa superbia in Synodum venit, in qua à Rege Carolo secundùm regulas Ecclesiasticas porrecta petitione de causis certissimis regulariter accusatus, atque convictus, depositionis judicium regulare suscepit, sicut in gestis continetur ipsius Synodi: quas eadem Synodus per Actardum venerabilem Episcopum, qui eidem Synodo interfuit ad Apostolicam Sedem direxit. Prædicti quoque nepotes Regis in Duciacum venerunt ad eum, petentes ut eos cum patre suo pacificaret. Sed & Missi Ludovici fratris sui ad eum venerunt, postulantes ut obviam illi secus Trejectum municipium ad colloquium illius veniret, sicut & fecit: ducens secum Missos nepotum suorum, qui ea, quæ petierunt apud patrem suum ex illorum voce narrarent. Ubi etiam Missos Carolomanni filii sui, interveniente Ludovico fratre suo, Carolus Rex audivit, & sicut antea sub conditione suæ correctionis eum redire ad se invitavit, quæ invitatio nihil profecit. In quo aliquandiu colloquio Ludovicus, & Carolus immorantes aut parum, aut nihil profecerunt. Sicque ab invicem in capite mensis Septembris separati, quisque ad sua repedare curavit. Ludovicus scilicet ad Rainisburg perrexit, quia maximum damnum à nepote Resticii, qui Principatum Winidorum post eum susceperat, habuit: in tantum ut Markiones cum plurima turba suorum perdiderit, & terram, quam in præteritis annis obtinuerat perniciosè amiserit. Carolus autem per Liptinas versùs Audriacam villam venandi gratiâ repedavit. In quo itinere Missos ab Italia plurimorum suscepit, qui eum invitabant Italiam ire: quoniam nepos suus Ludovicus in Benevento civitate cum uxore, & filia à Beneventanis occisus foret. Qui per Reitium civitatem pergens, usque Vesontionem urbem pervênit. Karolomannus verò audiens patrem suum post se ire, suadentibus suis ad illum conficta humilitate pervênit. Quem pater quidem recepit, & secum manere præcepit, usque dum ad suos fideles in Belgicam veniret, & eorum consilio inveniret qualiter eum honorare debuisset. Sed & Ludoicus Rex Germaniæ audiens præfatum nepotem suum Ludovicum Imperatorem mortuum, filium suum Carolum in terram, quam ultra Jurum habebat, direxit: ut quos posset sacramento ad ejus fidelitatem constringeret, sicut & fecit. Dum autem Carolus in Vesontio moraretur, Missi sui, quos in Italiam præmiserat, nunciaverunt ei, quòd ipse Imperator Ludovicus viveret, & sanus corpore esset: Nam Adalgisus cum aliis Beneventanis adversùs ipsum Imperatorem conspiravit, quoniam idem Imperator factione uxoris suæ eum in perpetuum exilium deducere disponebat. Et cùm idem Adalgisus noctu super ipsum Imperatorem irruere disposuisset, isdem cum uxore sua, & cum eis, quos secum habebat, quandam turrem valdè altam munitissimam ascendit, & ibi per tres dies cum suis se defendit. Tandem Episcopus ipsius civitatis obtinuit apud Beneventanos, ut acceptis ab eodem Imperatore sacramentis, illum vivum, & sanum abscedere permitterent. Juravit autem ipse, & uxor ejus, & filia ejus, ac omnes sui, quos secum habebat, quia numquam, vel nusquam pro eadem causa ullam vindictam, aut per se, aut per quemcumque, de ipsa causa erga se perpetrata requireret, & numquam cum hoste in Beneventanam terram intraret. Sicque egressus per Spoletium versùs Ravennam iter arripuit, mandans Apostolico Adriano, ut obviam illi in transitu itineris sui veniret, quatenus de ipso sacramento illum, & suos absolveret. Interea Landbertus cum alio Landberto sentientes sibi reputari ab Imperatore de his, quę in eum facta fuerant, ab eo discesserunt, & in partes Beneventi, quia præfatus Adalgisus eis conjunctus erat, perrexerunt. Quos idem Imperator insequens, uxorem suam Ravennam, ubi Placitum suum tenere disposuerat, direxit, & Primores Regni Italici ad eam venire mandavit: ut de his, quæ præceperat, tractarent, donec ipse ab expeditione illa rediret. Sed quia Landbertos, quos insecutus fuerat consequi non poterat, reverti Imperator quò disposuerat studuit. Carolus autem audiens occasionem, qua putabatur Ludovicus Imperator occisus, & quia vivus erat, à Vesontio recto itinere per Pontigonem, & indè per Attiniacum usque ad Silvacum venit: quò Placitum cum suis Consiliariis habuit, & eorum consilio Carolomannum iterum Silvanectis custodiæ mancipavit, & ejus complices sacramento suæ fidelitatis per singulos Comitatus constringi præcepit. Sicque accipientibus senioratum quemcumque vellent de suis fidelibus, & in pace vivere volentibus, in Regno suo habitare permisit. Deinde à Silvaco Compendium venit, ibique Nativitatem Domini celebravit anno Domini DCCCLXXII.

DCCCLXXII.

872. Compendio denique movens XIII. Kalendas Februarii iter arripuit ad Monasterium locuturus cum Rorico, & Rodulpho Nortmannis, rediturus in initio Quadragesimæ iterum ad Compendium. Et Sabbato ante Palmas ad Monasterium Sancti Dionysii veniens, ibi Pascha Domini celebravit.

(1) Post Pascha obviam Ingelbergæ Imperatrici, sicut & per suos Missos mandaverat, ad Sanctum Mauritium perrexit. Sed incerto comperiens nuncio eandem Ingelbergam apud Trientum cum Ludoico Rege Germaniæ in mense Majo locuturam, à condicto deflexit itinere, & ad Silvacum venit. Ibique Adalardus ex parte Hludowici fratris sui veniens petiit, ut cum eodem fratre suo Hludowico locuturus secus Tre-

(1) *Iterū sequentia hinc ab Aimoini continuatore desumpta sunt.*

Trejectum veniret, cum idem Hludowicus ad Renisburg post emissam hostem cum Carolomanno filio suo adversus Winidos Aquis redieret. Carolus autem filio suo Hludowico Bosonem fratrem uxoris ejus Camerarium, & Hostiariorum Magistrum constituens, cui & honores Gerardi Comitis Bituricensis dedit cum Bernardo, itemque cum alio Bernardo Markione in Aquitaniam misit, & dispositionem ipsius Regni ei commisit. Bernardo autem Tholosæ Comiti post præstita sacramenta Carcasonem, & Rhedas concedens, ad Tholosam remisit.

Cap. XXVIII. Prædictus autem Hludowicus Rex Germaniæ filios suos Hludowicum, & Carolum ad se vocans, ut eos cum Carolomanno pacificaret, dolosè illis jurare fecit. Sed & iidem filii sui, & homines eorum dolosè nihilominus Hludowico sacramenta præbuerunt. Et volens idem Hludovvicus pater, ut ipsi filii sui cum fratre illorum Carolomanno advesùs Winidos pergerent, obtinere non potuit. Unde hostem quàm magnum potuit cum Carolomanno direxit, & ipse, ut prædictum est, apud Trientum cum Ingelberga loquens, partem Regni Lotharii, quam contra Carolum accepit, neglectis sacramentis inter eos pactis, sine consensu, ac conscientia hominum quondam Lotharii, qui se illi commendaverunt, clam reddidit. Unde utrimque sacramenta prioribus sacramentis, quæ cum fratre suo pepigerat, diversa, & adversa inter eos sunt facta. Quibus patratis, Ingelberga Missum suum ad Carolum direxit, mandans illi sicut priùs, ut ad Sanctum Mauricium illi occurreret. Carolus verò compertis his, quæ inter eum, & fratrem suum acta fuerunt, noluit illuc ire: sed nuncios suos ad eam direxit, qui nihil certi ab ea ei renunciaverunt.

Adrianus Papa secundùm quod Nicolaus decessor ejus disposuerat, Missos suos, Donatum scilicet Ostiensem Episcopum, & Stephanum Nepesinum Episcopum, & Marinum Diaconum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad Basilium Imperatorem, & ad filios ejus Constantinum, & Leonem Augustos, Constantinopolim direxit. Cum quibus & Anastasius Bibliothecarius Romanæ Sedis, utriusque linguæ Græcæ, & Latinæ peritus, perrexit. Et Synodo congregata, quam octavam universalem Synodum illuc convenientes appellaverunt, exortum scisma de Ignatii depositione, & Focii ordinatione sedaverunt: Focium anathematisantes, & Ignatium restituentes. In qua Synodo de imaginibus adorandis aliter, quàm orthodoxi Doctores antea diffinierant, & pro favore Romani Pontificis, qui eorum votis de imaginibus adorandis annuit, & quædam contra antiquos Canones, sed & contra suam ipsam Synodum constituerunt, sicut qui eandem Synodum legerit patenter inveniet.

Hludowicus autem Imperator vigiliâ Pentecosten Romam venit, & in crastinum coronatus ab Adriano Papa, post celebrata Missarum solemnia, unà cum eo ad Lateranense Palatium cum pompa equitando coronatus perrexit. Et hoste collecta, Româ iterum in partes Beneventanas perrexit. Et quia Primores Italiæ Ingelbergam propter suam insolentiam habentes exosam, in loco illius filiam Winigisi Imperatori substituentes, obtinuerunt apud eundem Imperatorem, ut Missum suum ad Ingelbergam mitteret: quatenus in Italiam degeret, & post illum non pergeret, sed eum in Italia reversurum expectaret. Ipsa autem non obaudiens illud mandatum, post eum ire maturavit, & Wibodum Episcopum ad Carolum quasi amicitiæ gratiâ misit: putans nescire Carolum quæ inter illam, & Hludowicum Regem Germaniæ facta fuere. Wibodus autem ad pontem Liudi ad Carolum venit. Nam illuc pro quibusdam in Burgundia causis componendis perrexerat. Ubi ei nunciatur ab hominibus Bernardi filii Bernardi, Bernardus, qui Vitellus cognominabatur occisus: & ejus honores prædicto Bernardo sunt dati. Carolus autem à Burgundia ad Gondulphi-villam, Placitum ibi antea condictum habiturus, Kalendas Septembris revertitur. Ubi aliquantisper immoratus, & quæ sibi visa fuere dispositis, venandi gratiâ Arduennam petiit. Et Octobrio mense navigio per Mosam usque Trejectum veniens, cum Rorico, & Rodulpho Nortmannis, qui obviam ei navigio venerant, locutus, Roricum sibi fidelem benignè suscepit, & Rodulfum infidelia machinantem, & superflua expetentem, inanem remisit, & contra ipsius insidias fideles suos ad munitionem paravit. Indeque per Attiniacum itinere equestri revertens, Nativitatem Domini in Monasterio Sancti Medardi celebravit.

Adrianus Papa moritur, & Joannes Archidiaconus Romanæ Ecclesiæ XIX. Kalendas Januarii in locum ejus substituitur.

DCCCLXXIII.

Cap. XXIX. 873. Quia ergo multi erant in Regno Caroli, qui expectabant ut per Carolomannum adhuc rediviva mala agerentur in Sancta Dei Ecclesia, & in aliis Regnis, de quibus regio ministerio cum consilio fidelium suorum, secundùm morem prædecessorum, ac progenitorum suorum, leges pacis Ecclesiæ, & Regni soliditati congruas promulgavit, & ab omnibus observari decrevit. Jubet ergo convocari Episcopos Regni sui apud Silvanectis civitatem, in qua idem Carolomannus morabatur: quatenus sacros Canones, à quibus nulla, ut Leo dicit, aut negligentia, aut præsumptione licet eis discedere, Episcopale ministerium de illo exequerentur. Sicuti & fecerunt, deponentes illum secundùm sacras regulas ab omni gradu Ecclesiastico, laicali sibi communione servata. Quod cùm factum fuisset, antiquus, & callidus adversarius illum, & suos complices ad argumentum aliud excitavit: videlicet quia liberiùs ad nomen, & potentiam regiam conscendere posset, & quia ordinem Ecclesiasticum non haberet, & quia Episcoporum judicio Ecclesiasticum gradum amisit, etiam tonsuram Ecclesiasticam licentiùs amittere posset. Unde post depositionem ejus, complices illius ardentiùs cœperunt se ei iterum reconjungere, & aliòs, quos volebant in societatem suam abducere: quatenus mox ut locum invenire possent, illum à custodia, in qua servabatur, educerent, & sibi Regem constituerent. Quapropter necesse fuit etiam illa, de quibus ab Episcopis judicatus non fuerat, in medium revocare, & secundùm sacrarum legum decreta pro admissis suis judicio mortis addictum, mitiori sententia, ut locum, & spatium pœnitendi haberet, & graviora admittendi facultatem sicut meditabatur non haberet, luminibus acclamatione cunctorum, qui adfuerunt, orbari: quatenus perniciosa spes pacem odientium de illo frustrata foret, & Ecclesia Dei, ac Christianitas in Regno ejus, cum infestatione paganorum, seditione exitiabili perturbari non posset.

Cap. XXX. Hludowicus Germaniæ Rex ante Nati-

Nativitatem Domini ad Franconofurd Palatium venit, ibique Nativitatem Domini celebravit, & Placitum ſuum ibidem circa Kalendas Februarii condixit. Quò filios ſuos Hludowicum, & Carolum cum aliis fidelibus, homines quoque, qui de Regno quondam Lotharii illi ſe commendaverunt convenire præcepit. Et dum ibi degeret, venit ad Carolum filium ejus diabolus, transfigurans ſe in Angelum lucis: & dixit illi, quòd pater ejus, qui illum causâ Carolomanni fratris ſui perdere moliebatur, Deum offenſum haberet, & Regnum in brevi amitteret, & eidem Carolo Deus illud Regnum habendum diſpoſitum haberet, & quòd illud in proximo obtineret. Ipſe autem Carolus timore perterritus, quia domui, in qua latebat adhærebat, Eccleſiam eſt ingreſſus, quò eum diabolus eſt inſecutus. Cui iterum dixit. „Cur times, & fugis? Nam niſi ex Deo veniſſem, tibi adnuncians, quæ in proximo ſunt futura, in hanc domum Domini te ſequens non intrarem. His, & aliis blanditiis ei perſuaſit, ut communionem à Deo ſibi miſſam de manu illius acciperet, ſicut & fecit. Et poſt buccellam ipſe ſathanas intravit in eum. Veniens autem ad patrem ſuum, & reſidens in Conſilio ejus cum fratre, & aliis fidelibus tam Epiſcopis, quàm & laicis, ſubitò invaſus ſurrexit, & dixit quia ſeculum vellet dimittere, & quia uxorem ſuam carnali commercio non contingeret. Et diſcindens ſe ſpatâ, cadere in terram illam permiſit. Et cùm ſe vellet baltheo diſcingere, & veſtimento exuere, cœpit vexari. Comprehenſus autem ab Epiſcopis, & ab aliis viris, turbato patre, & omnibus, qui adfuerunt, vehementique ſtupore perculſis, ductus eſt in Eccleſiam. Et Luitbertus Archiepiſcopus induens ſe Sacerdotalibus veſtibus, Miſſam cantare cœpit. Cùmque ventum fuiſſet ad locum Evangelii, cœpit magnis vocibus patriâ linguâ clamare. Et ſic continuis vocibus væ illud clamavit, uſque dum Miſſa celebrata fuit. Quem pater ejus Epiſcopis, & aliis fidelibus committens, per ſacra loca Sanctorum Martyrum deduci præcepit: quatenus illorum meritis, & orationibus à dæmone liberatus, ad ſanam mentem Domino miſerante redire prævaleret. Deinde diſpoſuit illum Romam dirigere. Sed quibuſdam intervenientibus cauſis, iter illud dimiſit.

Hludowicus Imperator Italiæ in Capua reſidens, mortuo jam Landberto Calvo, & pervento Patricio Imperatoris Græcorum cum hoſte in civitate, quæ Hidrontus dicitur, in auxilium Beneventanorum, qui cenſum, quod Imperatoribus Franciæ eatenus dabant, illi perſoluturos ſe promittebant: quoniam aliter Adalgiſum obtinere non poterat, mandavit Apoſtolico Joanni compatri Adalgiſi, ut ad eum ad Campaniam veniret, & ſibi Adalgiſum reconciliaret. Volens oſtentare, quòd quaſi intercedente Beati Petri Vicario, ipſum Adalgiſum reciperet. De quo juraverat, quòd numquam de illis partibus rediturus eſſet, antequam illum caperet, quem revera virtute ſua obtinere non poſſet.

Cap. XXXI. Carolus hoſtem denunciat versùs Britanniam, ut Nortmanni, qui Andegavis civitatem occupaverant, non autumarent ſe adversùs eos illuc iturum: ne ad alia loca, in quibus ita conſtringi non poſſent, aufugerent. Dum autem illuc pergeret, in ipſo itinere nunciatum eſt ei quòd factione fratris ſui Hludowici Germaniæ Regis Carolomannus cœcus per **homines quondam ſuos, conſentientibus duobus** pſeudo-monachis de Corbejo Monaſterio, ſublatus, & ad Hludowicum fuerit, cohærente, ac interveniente Adalardo, in ſuam contrarietatem perductus. Unde non magnopere eſt Carolus conturbatus. Sed iter cœptum peragens, cùm hoſte collecta civitatem Andegavis, (in qua Nortmanni depopulatis quibuſdam urbibus, everſis caſtellis, Monaſteriis, & Eccleſiis incenſis, & agris in ſolitudinem redactis, jam diuturno tempore reſidebant) obſedit, & ſepe fortiſſima circumdedit: Salomone Duce Brittonum ultra Meduanam fluvium cum hoſte Brittonum in eis auxilio reſidente. Et dum Carolus Rex in hoc negotio occupatus eſſet, Salomon filium ſuum nomine Wigon ad eum cum Primoribus Brittonum miſit. Qui filius ejus ſe Carolo commendavit, & fidelitatem coram fidelibus ſuis, illi juravit. Interea Rodulfus Nortmannus, qui multa mala in Regno Caroli exercuerat, in Regno Hludowici cum quingentis, & eo ampliùs complicibus ſuis occiſus eſt. Carolo verò reſidente ſecus Andegavis civitatem, non incerta relatione hoc nunciatur. Multitudo ſiquidem locuſtarum per Germaniam in Gallias, maximè autem in Hiſpaniam adeò ſe effundit, ut Ægyptiacæ plagæ potuerit comparari. Hludowicus Rex Germaniæ apud Mettis civitatem Placitum ſuum tenêre diſponens, nuncium accepit quòd niſi citiſſimè filio ſuo Carolomanno in Monarchia contra Winidos ſubveniret, illum ulteriùs non videret. Qui ſtatim reverſus. Renisburch pergens, Carolomannum cœcum Liutberto Archiepiſcopo paſcendum in Monaſterio S. Albani apud Moguntiam commendavit. Evidenti demonſtrans indicio, qualiter illi diſplicuerint mala, quæ iſdem Carolomannus in Sancta Dei Eccleſia, in populum Chriſtianum, & contra patrem ſuum egit, quandocumque, vel ubicumque prævaluit. Ad Renisburg autem præveniens, per Miſſos ſuos Winidos ſub diverſis Principibus conſtitutos, modo, quo potuit, ſibi reconciliavit. Legatos autem ab illis, qui Behin dicuntur cum dolo miſſos ſuſcipiens, in carcerem miſit. Carolus viriliter ac ſtrenuè obſidionem Nortmannorum in gyro Andegavis civitatis exequens, adeò Nortmannos perdomuit, ut Primores eorum ad illum venerint, ſeſeque illi commendaverint, & ſacramenta, qualia juſſit, egerint, & obſides, quos & quantos quæſivit illi dederint: ut de civitate Andegavis conſtituta die exirent, & in Regno ſuo quamdiu viverent, nec prædam facerent, nec fieri conſentirent. Petierunt autem ut eis in quadam inſula Ligeris fluvii, uſque in menſe Februario reſidere, & mercatum habere liceret. Atque in menſe Februario, quicumque jam baptizati eſſent ex eis, & Chriſtianitatem de cætero veraciter tenêre vellent, ad eum venirent: & qui adhuc ex paganis Chriſtiani fieri vellent, ipſius diſpoſitione baptizarentur. Cæteri verò ab illius Regno diſcederent, ulteriùs ſicut dictum eſt ad illud in malum non reverſuri.

Poſt hæc unà cum Epiſcopis, & populo, cum maxima religionis devotione corpora Sanctorum Albini, & Licini, quæ effoſſa timore Nortmannorum de tumulis ſuis fuerant, ſuis in locis cum muneribus magnis reſtituit. Sicque ejectis ab Andegavis civitate Nortmannis, acceptiſque obſidibus, Carolus menſe Octobrio per Cinomannis civitatem, & Ebrocenſe oppidum, ac ſecus Caſtellum novum, apud Piſtas Ambianis Kalendas Novembris pervênit. Indeque

que apud Audriacam villam, ac circumcirca venationem exercens, ad Monasterium Sancti Vedasti pervênit, ibique Nativitatem Domini celebravit anno Domini DCCCLXXIV.

DCCCLXXIV.

874. Hiems prolixa, & fortis, & nix tanta fuit nimietate perfusa, quantam nemo se vidisse meminerit.

Carolus in Purificatione Sanctæ Mariæ cum suis Consiliariis Placitum in Monasterio Sancti Dionysii peragens, ibidem Pascha Dominicum celebravit.

Generale quoque Placitum Idus Junii in villa Duciaco tenuit, ubi & annua dona sua accepit. Indeque per Attiniacum, & consuetos mansaticos Compendium adiit. Æstas longa siccitatem fœni, & messium inopiam reddidit.

Salomon Dux Brittonum, qui nunciabatur interea dubiis nunciis quandoquidem infirmus, quandoquidem mortuus, certa relatione Carolo apud Compendium nunciatus est hoc ordine mortuus. Videlicet insecutus à Primoribus Brittonum, Pascuitan, & Vurnahat, Wigon filio Rivilin. nec non & Francis hominibus, quos valde afflixerat, & capto, ac custodiæ mancipato filio ejus Wigon, fugâ lapsus in Paucherum secessit, & quoddam Monasteriolum ingressus, ut se liberare valeret, circumventus à suis, quòd à nemine Brittonum quidquam mali sustinere deberet, traditus est Francis hominibus Fulcoaldo, & aliis. Sicque ab eis excœcatus, in crastinum mortuus est repertus: dignam vicem recipiens, qui Seniorem suum Herispogium in Ecclesia ejus persecutionem fugientem, & invocantem Dominum, super altare occîdit.

Cap. XXXII. Hludowicus Rex Germaniæ ad fratrem suum Karolum filium suum Carolum cum aliis Missis suis direxit, petens ut simul loquerentur secus Mosellam. Ad quod Placitum cùm Carolus pergeret, ventris solutione detentus, ad illud Placitum, sicut fuerat condictum, pervenire non potuit. Unde conlocutio eorum, Hludowici scilicet, & Caroli, secus Mosam apud Heristallium circa Kalendas Decembris fuit. De qua conlatione Carolus per Monasterium S. Quintini rediens, Nativitatem Domini Compendii celebravit. Et Hludowicus eandem solemnitatem Aquis agens, inde ad Palatium Franconofurd ultra Rhenum rediit.

DCCCLXXV.

875. Carolus circa initium Quadragesimæ Monasterium Sancti Dionysii adiit, ubi & Pascha Domini celebravit: & Richildis uxor ejus noctu ante quartam feriam Paschæ aborsus filium peperit, qui baptizatus mox obiit. Illâque dies Purificationis post parturitionem in eodem Monasterio exspectante, Carolus ad Basivum perrexit. Indeque ad Letanias celebrandas ante Ascensionem Domini ad Monasterium S. Dionysii rediit, & vigiliâ Pentecostes ad Compendium venit.

Hludowicus Rex Germaniæ mense Majo in Triburas Placitum suum tenuit. Et quia ibi quæ meditatus fuerat perficere non potuit, iterum Placitum suum in mense Augusto ad eundem locum denunciavit.

Carolus mense Augusto ad Duciacum secus Arduennam pervênit, ubi certo nuncio Hludowicum nepotem suum Italiæ Imperatorem obiisse comperit. Quapropter mox inde movens, ad Pontigonem pervênit, & quoscumque potuit de vicinis Consiliariis obviam sibi venire præcepit, & à quibuscumque valuit suppetias in itinere suo accepit. Et inde Lingonas pervênit, & eos, quos secum in Italia ducere prædestinavit, operuit. Sicque Richildem uxorem suam per civitatem Remensem ad Silvacum remittens, & filium suum Hludovvicum in partem Regni, quam post obitum Lotharii nepotis sui contra fratrem suum accepit, dirigens, Kalend. Septembribus iter suum incœpit, & per Sancti Mauritii Monasterium pergens, Montem Jovis transiit, & Italiam ingressus fuit.

Hludovvicus Rex Germaniæ frater ejus filium suum Carolum in Italiam, ut fratri suo adversaretur, transmisit. Quem Carolus Rex fugam accipere, & inde abscedere coëgit. Hludovvicus autem Rex Germaniæ, alium filium suum Carolomannum cum quibus potuit in adversitatem fratris sui, in Italiam direxit. Quod prænoscens Carolus Rex, obviam ei cum validiori manu perrexit. Et quia Carolomannus prænovit se patruo suo non posse resistere, pacem petens cum eo locutus fuit, & sacramentis utrimque confirmatis ad propria rediit. Hludovvicus verò persuadente Engelranno quondam Caroli Regis Camerario, & domestico, suasione Richildis Reginæ ab honoribus dejecto, & à sua familiaritate abjecto, cum hoste, & filio, ac æquivoco suo Hludovvico usque ad Attiniacum venit. Ad quem obsistendum Primores Regni Caroli, jubente Richilde Regina, sacramento se confirmaverunt. Quod non attenderunt, sed ex sua parte Regnum Caroli pessundantes hostili more devastaverunt. Similiter & Hludovvicus cum suo exercitu idem Regnum pessumdedit. Sicque Nativitatem Domini in Attiniaco agens, per placitamenta Primorum Regni Caroli deprædatione facta, cum quibusdam Comitibus ex Caroli Regno, qui ad eum se contulerant, rediit: & per Treverorum civitatem transiens ad Palatium ultra Rhenum Franconofurt pervênit. Ibique dies Quadragesimæ, & Pascha Domini celebravit. Ubi & certo nuncio Emmam uxorem suam apud Reginisburg Palatium obiisse nuper post Nativitatem Domini comperit. Carolus autem quibusdam de Primoribus ex Italia ad se non venientibus, pluribus autem receptis, Romam, invitante Papa Joanne, perrexit, & XVI. Kal. Januarii ab eo cum gloria magna in Ecclesia Sancti Petri susceptus est.

DCCCLXXVI.

876. Anno Domini DCCCLXXVI. in die Nativitatis Domini, Beato Petro multa, & pretiosa munera offerens, in Imperatorem unctus, & coronatus, atque Romanorum Imperator appellatus est. Et Nonas Januarii Româ exiens, Papiam rediit: ubi & Placitum suum habuit, & Bosone uxoris suæ fratre Duce ipsius terræ constituto, & corona Ducali ornato, & Collegis ejus, quos idem Dux expetiit, in eodem Regno relictis, per Montem-Jovis, & per Monasterium Sancti Mauricii, & per Vesontium, ac Lingonas, Catalaunis, & Remis civitatis, & per Compendium Palatium transiens, ad Monasterium Sancti Dionysii pervênit, ibique Pascha Domini celebravit. Quò accersiens Legatos Apostolici, Johannem Tuscanensem, & Joannem Aretinum, atque Ansigisum Senensem, Synodum auctoritate Apostolica, & illorum consilio, atque sanctione sua indixit medio futuro mense Julio apud Pontigonem. Quò per Remis, & Catalaunis civitates pervênit.

Boso, postquam Imperator ab Italia in Franciam rediit, Berengarii Everardi filii factione, filiam Hludowici Imperatoris Hirmengardem, quæ apud eum morabatur, iniquo conludio in

in matrimonium sumpsit.

Cap. XXXIII. Undecimo Kalendas Julii, Indictione IX. Episcopis, cæterisque Clericis vestibus Ecclesiasticis indutis, & domo, ac sedilibus palliis protensis, atque in gremio Synodi, & prospectu Imperialis Sedis, lectorio superpositis, venit domnus Imperator Carolus in vestitu deaurato, habitu Francico cum Legatis Apostolicæ Sedis in Synodum. Et Cantoribus Antiphonam, *Exaudi nos Domine* cum Versibus, & *Gloria* cantantibus, post *Kyrie eleyson*, & data oratione à Joanne Tuscanense Episcopo, resedit domnus Imperator in Synodo. Et legit Joannes Tuscanensis Episcopus Epistolas à domno Apostolico missas. Cum quibus & legit Epistolam de Primatu Ansegisi Episcopi Sennensis, ut quoties utilitas Ecclesiastica dictaverit, sive in evocanda Synodo, sive in aliis negotiis exercendis, per Gallias, & per Germanias Apostolica vice fruatur, & decreta Sedis Apostolicæ per ipsum Episcopis manifesta efficiantur: & rursus quæ gesta fuerint ejus relatione, si necesse fuerit, Apostolicæ Sedi pandantur, & majora negotia, ac difficiliora quæque suggestione ipsius à Sede Apostolica disponenda, & enucleanda quærantur. Petentibus autem Episcopis, ut eis permitteretur ipsa legi Epistola, quibus erat directa, non acquievit Imperator: Sed responsum quæsivit ab eis, quid de his jussis Apostolici responderent. Quorum responsio talis fuit, ut servato singulis Metropolitanis jure privilegii secundùm sacros Canones, & juxta decreta Sedis Romanæ Pontificum, ex eisdem sacris Canonibus promulgata, domni Johannis Papæ Apostolici jussionibus obedirent. Et cùm Imperator, & Legati Apostolici satis egerint, ut absolutè Archiepiscopi responderent se obedituros de Primatu Ansigisi, sicut Apostolicus scripsit, aliud, nisi ut prædictum est, responsum ab eis extorquere non potuit: excepto quòd Frotarius Burdegalensis Episcopus, quoniam à Burdegala ad Pictavis, indeque Bituricum favore Principis contra regulas se contulit, per adulationem respondit quod Imperatori placere cognovit. Tunc motus Imperator dixit, quòd dominus Papa ei suas vices commisit in Synodo, & quod isdem præcepit, ille exequi studeret. Et accepit ipsam Epistolam involutam unà cum Joanne Tuscanensi, & Joanne Aretino, & dedit illam Ansegiso. Et jussit sellam plectilem ponere ante omnes Episcopos Cisalpini Regni sui juxta Joannem Tuscanensem, qui ad dextram illius sedebat. Et præcepit Ansegiso ut supergrederetur omnes ante se ordinatos, & sederet in eadem sella, reclamante Remorum Archiepiscopo, audientibus omnibus, hoc factum sacris regulis obviare. Imperator tamen in sua sententia permansit. Et petentibus Episcopis, ut liceret eis vel exemplar de Epistola sibi directa sumere, nec hoc valuerunt ullo modo impetrare. Et sic soluta est Synodus in illa die.

Decimo Kalendas præfati mensis iterum convenerunt Episcopi. In quo conventu lectæ sunt Epistolæ à domno Apostolico laicis missæ, & lecta est electio domni Imperatoris, ab Episcopis & cæteris Italici Regni firmata: Sed & Capitula, quæ in Palatio Ticinensi constituit, & ab omnibus confirmari præcepit. Quæ & ab Episcopis Cisalpinis præcepit confirmari. Et sic soluta est Synodus in die illa.

Quinto Nonas Julii convenerunt Episcopi sinè Imperatore, & habitę sunt contentiones de Presbyteris ex diversis Parochiis reclamantibus ad Missos Apostolici. Et sic soluta est Synodus in die illa.

Quarto Nonas ejusdem mensis, iterum convenerunt Episcopi. Et Imperator in Synodo residens audivit Missos fratris sui Hludowici Regis, Willebertum Archiepiscopum Coloniæ, & Adalardum, ac Meingaudum Comites: per quos petiit partem de Regno Hludowici Imperatoris filii Lotharii fratris eorum, sicut ei competere dicebat ex hęreditate, & illi firmatum fuerat sacramento. Et legit Joannes Tuscanensis Epistolam à Joanne Papa Episcopis Regni Hludowici directam, & dedit exemplar Wiliberto Archiepiscopo, ut deferret illud præfatis Episcopis. Et sic soluta est Synodus in illa die.

VI. Idus Julii convenerunt Episcopi, & circa horam nonam venerunt Missi domni Apostolici, Leo Episcopus, & Apocrisiarius, ac nepos Apostolici, atque Petrus Foro-Simpronii Episcopus, deferentes Epistolas Imperatori, & Imperatrici, & salutationes Apostolici ad Episcopos. Et sic soluta est Synodus in die illa.

V. Idus Julii convenientibus Episcopis, lecta est Epistola Apostolici de damnatione Formosi Episcopi, Gregorii Nomenclatoris, & consentientium eis: & præsentata sunt Imperatori ab Apostolico transmissa dona: inter quæ fuerunt præcipua, Sceptrum, & Baculus aureus. Sed & Imperatrici dona sunt ab eo missa, pallia, & armillæ cum gemmis. Et sic soluta est Synodus in illa die.

Pridie Idus Julii convenerunt Episcopi, & misit Imperator Vicarios Apostolici increpare duriùs Archiepiscopos, reliquosque Episcopos, qui pridie non convenerant sicut præcepit. Illi autem canonicè rationabili reddita ratione, sopita est increpatio. Et lecta est à Johanne Tuscanense iterum Epistola jubente Imperatore pro Primatu Ansigisi, & quæsita est ab Episcopis denuo inde responsio. Et respondentibus singulis Archiepiscopis, quoniam veluti sui antecessores illius antecessoribus regulariter obedierunt, ita ejus decretis vellent obedire. Et faciliùs est illorum admissa responsio, quàm fuerat in Imperatoris præsentia. Et sic iterum post multas contentiones de Presbyteris diversarum parochiarum reclamantibus ad Missos Apostolici, lecta est proclamatio Frotarii Burdegalensis Archiepiscopi, quia non poterat consistere propter infestationem paganorum in civitate sua, ut liceret ei Bituricensem Metropolim occupare. Cujus petitionibus unanimitas Episcoporum non acquievit, & jubentibus Legatis Apostolici, ut XVII. Kalendas Augusti convenirent Episcopi, manè circa horam nonam venit Imperator Græcisco more paratus, & coronatus, deducentibus eum Apostolici Legatis more Romano, ac Episcopis Ecclesiasticis vestimentis indutis, & cæteris secundùm modum primæ diei quando inchoata est Synodus præparatis. Et ut priùs cantata Antiphona *Exaudi nos Domine*, cum Versibus, & *Gloria*, post *Kyrie eleyson*, data oratione à Leone Episcopo, resederunt omnes. Et legit Johannes Aretinus quandam scedulam ratione, & auctoritate carentem. Postquam legit Odo Belgivagorum Episcopus quædam Capitula à Missis Apostolici, & ab Ansigiso, & eodem Odone sinè conscientia Synodi dictata, inter se dissonantia, & nullam utilitatem habentia, verùm & ratione, ac auctoritate carentia. Et idcirco hîc non habentur subjuncta. Iterum autem mota est interrogatio de Primatu Ansegisi, & post multas ab Imperatore, & Legatis Apostolici contra Episcopos querimonias habitas, tantum in novissima quan-

quantum & in prima die Synodi, exinde Ansigisus obtinuit.

Post hæc perrexit Petrus Episcopus Forosimpronii, & Joannes Tuscanensis, ad cubiculum Imperatoris: & adduxerunt Richildem Imperatricem coronatam in Synodum. Et stante illa juxta Imperatorem, surrexerunt omnes stantes quique in gradu suo. Tunc inceperunt laudes Leo Episcopus, & Joannes Tuscanensis Episcopus. Et post laudes peractas, in domnum Apostolicum, & domnum Imperatorem, ac Imperatricem, & cæteros, juxta morem data oratione à Leone Gavinense Episcopo, soluta est Synodus.

Postea Imperator muneratis Missis Apostolici Leone, & Petro, remisit eos Romam, & cum eis Ansegisum Episcopum, & Adalardum Augustudunensem Episcopum. Interea baptizati sunt quidam Nortmanni ab Hugone Abbate, & Marchione propter hoc ad Imperatorem adducti, & munerati ad suos redierunt. Et ut ante, ita & postmodum ut Nortmanni more pagano peregerunt. Et Imperator V. Kalen. Augusti movit à Pontigone, & tertio Kalend. venit ad Catalaunis. Ibique propter quandam molestiam corporalem moratus est usque ad Idus Augusti.

Cap. XXXIV. Et XIX. Kal. Septembris venit Remis, indeque recto itinere venit ad Silvacum. Et V. Kal. Septembris misit Legatos Apostolici, Joannem, itemque Joannem, & Odonem Episcopum, cum aliis Missis suis ad fratrem suum Hludowicum & filios ejus, ac Episcopos, atque Primores Regni sui. Quibus Missis in via Imperatori in Carisiaco nunciatum est, præfatum Hludowicum Regem in Franconofurt Palatio V. Kalendas Septembris obiisse, & IV. Kalendas ejusdem mensis in Monasterio Sancti Nazarii sepultum fuisse. Imperator verò directis Missis suis ad Primores Regni quondam fratris sui, à Carisiaco movit, atque ad Satanacum villam venit: dispositum habens Metensem civitatem adire, & Episcopos, ac Primores Regni quondam fratris sui ad se venienres recipere. Sed repentè mutato consilio perrexit Aquis, indeque Coloniam venit, & Legati Apostolici cum eo, Prædantibus autem omnibus sine ullo divino respectu, qui cum illo ibant, Nortmanni cum C. circiter navibus magnis, quas nostrates *bargas* vocant, XVI. Kalendas Octobris Sequanam introierunt. Quod cùm apud Coloniam Imperatori nunciatum fuisset, nihil propter hoc à negotio, quod cœperat immutavit. Hludovvicus autem nepos illius cum Saxonibus, & Toringis ex altera parte Rheni fluminis contra eum venit, & Missis ad patruum suum Imperatorem directis benignitatem ejus expetiit, quam non impetravit. Tunc ipse, ac Comites ejus jejuniis, & Litaniis misericordiam Domini petierunt, irridentibus eos illis, qui erant cum Imperatore. Hludovvicus Hludovvici Regis filius decem homines aquâ calidâ, & decem ferro calido, & decem aquâ frigidâ ad judicium misit coram eis, qui cum illo erant: petentibus omnibus ut Deus in illo judicio declararet, si plus per rectum ille habere deberet portionem de Regno, quam pater suus illi dimisit ex ea parte, quam cum fratre suo Carolo per consensum illius, & per sacramentum accepit. Qui omnes inlæsi reperti sunt. Tunc ipse Hludovvicus cum suis ad Andrnacum castrum Rhenum transivit. Quod cùm Imperatori nunciatum fuisset, Richildem Imperatricem prægnantem cum Hilduvvino Abbate, & Francone Episcopo, ad Haristallium misit. Ipse autem secus Rheneum hostiliter contra nepotem suum perrexit: præmittens ad eum Missos, ut quosdam de Consiliariis suis obviam illius Consiliariis mitteret, & tractarent de pace inter eos habenda. Quod Hludovvicus humiliter & obedienter suscipiens, securus mansit, quòd bello aggredi non deberet, donec ipsa cautio finiretur.

Imperator Nonas Octobris dispositis scaris suis nocte surrexit, & levatis vexillis per strictas, & arduas vias, quin potius invias, super nepotem suum, ac super eos, qui cum illo erant, subitò irruere moliens, secus Andrnacum pervênit: fatigatis hominibus, & equis de gravi, & stricto itinere, & pluvia, quæ super eos nocte tota effluxit. Et ecce subitò nunciatum est Hludovvico, & suis, Imperatorem cum valida manu hostiliter super eum venire. Ipse autem cum eis, quos secum habuit è regione stetit, & irruentibus Imperatoris cuneis super eos, & illis fortiter resistentibus, hostis Imperatoris terga vertit, & fugando super Imperatorem venit. Sed & Imperator cum paucis vix fugâ lapsus evasit. Multi autem, qui effugere poterant impediti sunt, quoniam omnes Sagmæ Imperatoris, & aliorum, qui cum eo erant, sed & mercatores, ac scuta vendentes, Imperatorem, & hostem sequebantur: & in angusto itinere fugientibus viam clauserunt. Fuerunt autem in ipsa congressione occisi Ragenarius, & Hieronymus Comites, & multi alii. Capti autem in eodem campo, & silvâ vicinâ fuerunt, Ottulfus Episcopus, Gauzlenus Abbas, Aledramnus, & Adalardus, Bernardus, & Evertuvinus (1) Comites, & plures alii. Omnes autem Sagmas, & ea, quæ mercatores portabant, hostis Hludovvici accepit. Et impletum est dictum propheticum, ubi ait: *Qui prædaris, nonne & ipse prædaberis?* Omnia, quæ prædatores, qui erant cum Imperatore habuerunt, sed & ipsi præda fuerunt: adeò ut qui adminiculo equorum effugere poterant, animas suas haberent pro spolio. Cæteri autem ita sunt à villanis despoliati, ut fœno, & stramini involuti verecunda celarent, & nudi profugerent, quos insequentes occidere noluerunt. Et facta est plaga magna in populo prædatore. Richildis autem audiens VII. Idus Octobris de fuga hostis Imperialis, & ipsius Imperatoris, ab Heristallio movet, & fugiens subsequenti nocte galli cantu in via peperit filium, quem post partum famulus suus ante se portans, fugiendo usque ad Antennacum detulit. Imperator VII. Idus Octobris vesperi ad Monasterium Sancti Landberti pervênit. Ad quem Franco, & Hilduvinus Abba à Richilde VI. Idus redierunt: & cum eo fuerunt, usque dum post Richildem ad Antennacum pervênit. Inde Duciacum adiit, unde ad Antennacum rediit, & Placitum suum in Salmontiaco XV. die post Missam S. Martini condixit. Hludovvicus Hludovvici quondam Regis filius de Andrnaco per Sinciacum Aquis rediit, ibique tribus diebus stetit. Indeque obviam fratri suo Carolo apud Confluentes venit. Ubi simul locuti, Carolus versus Mettis, indeque in Alemanniam infirmus rediit: & Hludovvicus ultra Rhenum perrexit. Carolomannus frater eorum nec ad eos, nec ad patruum suum Carolum Imperatorem, sicut ei man-

(1) Al. *Elrvinus*.

mandaverat, venit, occupatus in belligeratione contra Winidos.

Carolus Imperator Chuonradum, & alios Primores ad Nortmannos, qui in Sequanam venerant, misit, ut quocumque modo possent fœdus cum eis pacisserentur, & ad condictum Placitum ei renunciarent. Domnus Imperator Carolus ad Placitum suum in Salmontiaco, sicut condixerat, venit: ibique homines de parte Regni quondam Hlotharii, quam frater suus Hludowicus contra eum acceperat, ad se post fugam de Andrnaco veniens suscepit, & quasdam Abbatias, sicut erant, integras dedit: quibusdam de Abbatia Martianas, quam diviserat, beneficia donavit; & sic à se abire permisit.

Scaras quoque, quæ contra Normannos secus Sequanam in procinctu essent, disposuit. Ipse autem ad Vinzinniacum villam veniens, graviter passione pleurissis est infirmatus, adeò ut vivere desperaret. Ibique Natalem Domini celebravit anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXVII.

DCCCLXXVII.

877. Convalescens autem, per Carisiacum ad Compendium venit. Ubi dum moraretur, filius ejus, qui antequam Richildis ad Antennacum veniret in via natus fuerat, infirmatur: & à Bosone avunculo suo de fonte susceptus Carolus nominatus moritur, & ad Monasterium Sancti Dionysii sepeliendus defertur. (1)

Carolus autem Imperator in Compendium Quadragesimam peragens Pascha Domini celebravit, & Missos Apostolici Joannis Petrum Episcopum Forosimpronii, itemque Petrum Episcopum Senogalliæ suscepit. Per quos tam verbis, quàm literis eum Joannes Apostolicus Romam vocavit: quatenus, sicut promiserat, Sanctam Romanam Ecclesiam à paganis, quibus infestabatur, eriperet, atque defenderet.

Cap. XXXV. Kalend. Maji Episcopos Remensis Provinciæ, sed & aliarum Provinciarum, Compendio convocavit: Et Ecclesiam, quam in eodem Oratorio construxerat cum multo apparatu in sua, & Nunciorum Apostolicæ Sedis præsentia ab eisdem Episcopis consecrari fecit. Inde Placitum suum generale Kalendas Julii habuit, ubi per Capitula qualiter Regnum Franciæ filius suus Hludowicus cum fidelibus ejus, & Regni Primoribus regeret, usque dum ipse Româ rediret, ordinavit: & quomodo tributum de parte Regni Franciæ, quam ante mortem Lotharii habuit, sed & de Burgundia exigeretur, disposuit: scilicet ut de mansis indominicatis solidus unus, de uno quoque manso ingenuili quatuor denarii de censu Dominico, & IV de facultate mansuarii. De manso verò servili II. denarii de censu Dominico, & duo de facultate mansuarii. Et unusquisque Episcopus de Presbyteris suæ parochiæ secundùm quod unicuique possibile erat, à quo plurimum quinque solidos, à quo minimum quatuor denarios Episcopi de singulis Presbyteris acciperent, & Missis Dominicis redderent. Sed & de thesauris Ecclesiarum, prout quantitas loci extitit ad idem tributum exsolvendum acceptum fuit. Summa verò tributi fuerunt quinque millia libræ argenti ad pensam. Illi verò tam Episcopi, quàm & alii, qui trans Sequanam sunt de Neustria, tributum illis Nortmannis, qui in Ligeri erant, secundùm quod sibi ab eis fuit impositum, undecumque valuerunt, reddere procuraverunt.

A Domnus autem Imperator Carolus de Carisiaco Compendium, indeque per Suessionem ad Remum civitatem: & sic iter suum per Catalaunos, & Pontigonem, atque Lingones peragens, cum uxore, & maxima auri, & argenti, caballorumque, ac facultatum aliarum copia, de Francia Italiam petiit. Et veniens ultra Jurum usque ad Urbam obviam habuit Adalgarium Episcopum, quem mense Februario Romam direxit pro agenda Synodo à Papa Johanne: cujus exemplar isdem Adalgarius pro munere magno Imperatori detulit. Summa verò ejusdem Synodi post multas, & multiplices laudes Imperatoris hæc est, ut electio, & promotio ad Imperialia Sceptra anno præterito Romæ celebrata ex tunc, & nunc, & in perpetuum firma, & stabilis maneat. Quam si quis perturbare, aut violare tentaverit, cujuscumque sit ordinis, aut dignitatis, vel professionis, anathemate usque ad satisfactionem teneatur omni tempore adnexus. Patratores, & incitatores hujus consilii, siquidem Clerici fuerint, deponantur, laici verò, & Monachi perpetuo anathemate feriantur: ut quia Synodus anno præterito apud Pontigonem hinc habita secus Andrnacum nil profuit, usquequaquè ista debeat prævalere. Nunciavit etiam inter alia isdem Adalgarius Imperatori, quoniam Joannes Papa obviam illi Papiam veniret. Quapropter præmisit Odacrum secundi scrinii Notarium, Goiramnum Comitem, & Pippinum, atque Heribertum, ad procuranda ipsius Papæ servitia. Ipse autem festinatò perrexit ad eum, quem obviam habuit apud Vercellis civitatem. Et eo recepto cum honore maximo, perrexerunt simul usque Papiam. Ubi eis nunciatum est non incerta relatione, Carolomannum Hludovvici fratris sui filium cum maxima multitudine bellatorum super eos venire. Quapropter relinquentes Papiam, venerunt ad Tardunam. Et consecrata Richildis à Papa Joanne in Imperatricem, mox retrorsum fugam arripuit cum thesauro versùs Moriennam. Imperator autem aliquandiu unà cum Joanne Papa in eisdem locis immorans, expectavit Primores Regni sui, Hugonem Abbatem, Bosonem, Bernardum Arvernicum Comitem, itemque Bernardum Gotiæ Markionem, quos secum ire jusserat. Qui unà cum aliis Regni Primoribus (exceptis paucis, & Episcopis) adversùs eum conspirantes conjuraverant. Et comperiens eos non venturos, ut audierunt ipse, & Papa Joannes appropinquare Carolomannum, Imperator post Richildem fugam arripuit, & Papa Joannes versùs Romam concitè festinavit. Per quem Carolus Imperator imaginem Salvatoris in cruce fixi ex auro multi ponderis fabrefactam, & gemmis preciosis ornatam, Sancto direxit Petro Apostolo.

Carolomannus verò mendaci nuncio audiens quòd Imperator, & Papa Johannes super eum cum multitudine maxima bellatorum venirent, & ipse fugam arripuit per viam, quam venerat. Sicque Deus more misericordiæ suæ Conventum illum dissolvit. Carolus verò febre correptus pulverum bibit, quem sibi nimiùm dilectus, ac credulus Medicus suus Judæus, nomine Sedechias, transmisit, ut ea potione à febre liberaretur, insanabili veneno hausto inter manus portantium transito Monte Cinisio perveniens ad locum, qui Brios dicitur, misit pro Richilde, quæ erat apud Moriennam, ut ad eum veniret,

(1) *Hic ab Aimoini Continuatore plura de Monasterio S. Germani Paris. addita sunt, quæ in Annalibus non habentur.*

niret, ficut & fecit, & undecimo die poſt venenum hauſtum in viliſſimo tugurio mortuus eſt II. Nonas Octobris. Quem aperientes, qui cum eo erant, ablatis interaneis, & infuſum vino, ac aromatibus, quibus poterant, & impoſitum locello, cœperunt ferre versùs Monaſterium Sancti Dionyſii, ubi ſepeliri ſe poſtulaverat. Quem pro fœtore non valentes portare, miſerunt eum in tonna interiùs, exteriùſque picata, quam coriis involverunt. Quod nihil ad tollendum fœtorem profecit. Unde ad cellam quandam Monachorum Lugdunenſis Epiſcopii, quæ Nantoadis dicitur, vix pervenientes, illud corpus cum ipſa tonna terræ mandaverunt.

B Carolomannus penè uſque ad mortem infirmatus, & lectica delatus ad propria, per annum ita jacuit, ut à multis fuerit deſperatus.

LUDOVICUS II.

Cap. XXXVI. Ludovicus accepto nuncio in Audriaca villa de morte patris ſui, quos potuit conciliavit ſibi: dans eis Abbatias, & Comitatus, ac villas ſecundùm uniuſcujuſque poſtulationem. Et iter agens per Cariſiacum, & Compendium uſque Advernum, (1) quatenus ad ſepulturam patris ſui apud Monaſterium Sancti Dionyſii perveniret: ubi audivit patrem ſuum ſepultum, & Regni Primores tam Abbates, quàm Comites indignatos, quia quibuſdam honores dederat ſinè illorum conſenſu, & ob id C adversùs ſe conſpiratos eſſe, reverſus eſt Compendium. Ipſi autem Primores cum Richilde diripientes omnia, quæ in via illorum erant, uſque ad Avennacum Monaſterium pervenerunt, & Conventum ſuum ad Montem Witmari condixerunt, indeque Miſſos ſuos ad Ludoicum direxerunt. Sed & Ludoicus Legatos ſuos ad eos direxit. Et diſcurrentibus inter eos Miſſis, ad hoc perventum eſt, ut Richildis, & ipſi Primores ad eum Compendium venirent, & ſuum Conventum ad Caſnum in Cotia condixerunt. Richildis Compendium ad Ludovicum veniens in Miſſa Sancti Andreæ attulit ei Præceptum, per quod pater ſuus illi Regnum ante mortem D ſuam tradiderat, & ſpatam, quæ vocatur Sancti Petri, per quam eum de Regno reveſtiret. Sed & regium veſtimentum, & coronam, ac fuſtem ex auro, & gemmis. Et diſcurrentibus Legatis inter Ludovicum, & Regni Primores, & pactis honoribus ſingulis, quos petierunt, VI. Idus Decembris conſenſu omnium tam Epiſcoporum, & Abbatum, quàm Regni Primorum, cæterorumque, qui adfuerunt, conſecratus, & coronatus eſt in Regem Ludovicus ab Hincmaro Remorum Epiſcopo, & Epiſcopi ſe, ſuaſque Eccleſias illi ad debitam defenſionem, & canonica privilegia ſibi ſervanda commendaverunt: profitentes ſecundùm ſuum ſcire, & poſſe, juxta ſuum miniſterium, conſilio, & auxilio illi fideles fore. Abbates autem, & Regni E Primores, ac Vaſſalli regii, ſe illi commendaverunt, & ſacramentis ſecundùm morem fidelitatem promiſerunt.

(2) Quando Ludovicus Rex filius Caroli Imperatoris fuit coronatus in Compendio, hoc petierunt Epiſcopi apud ipſum ſicut hîc ſubſequitur.

„ A vobis perdonari nobis petimus, ut unicuique de nobis, & Eccleſiis nobis commiſſis, ſecundùm primum Capitulum, quod noviſſimè in Cariſiaco domnus Imperator pater

A „ veſter à ſe, & à vobis ſervaturum, conſentientibus fidelibus ſuis, ac veſtris, atque Apoſtolicæ Sedis Legatis, legente Gozleno, denunciavit, canonicum privilegium, ac debitam legem, atque juſtitiam conſervetis: & defenſionem exhibeatis, ſicut Rex in ſuo Regno unicuique Epiſcopo, & Eccleſiæ ſibi commiſſæ juſtè exhibere debet. Ipſe autem Ludovicus talem promiſſionem fecit illis Epiſcopis.

„ Promitto, & perdono vobis, quia unicuique de vobis, & Eccleſiis vobis commiſſis ſecundùm primum Capitulum, quod noviſſimè in Cariſiaco domnus Imperator pater meus ſe ſervaturum, conſentientibus fidelibus B illius, ac noſtris, atque Apoſtolicæ Sedis Legatis, legente Gozleno, denunciavit canonicum privilegium, & debitam legem, atque juſtitiam conſervabo: & defenſionem, quantum potuero, exhibebo, adjuvante Domino, ſicut Rex in ſuo Regno unicuique Epiſcopo, & Eccleſiæ ſibi commiſſæ debitor eſt exhibere. Hoc eſt Capitulum, quod hîc commemoratur.

„ De honore quoque, & cultu Dei, atque Sanctarum Eccleſiarum, quæ auctore Deo ſub ditione, & tuitione regiminis noſtri conſiſtunt, Domino mediante, decernimus: ut ſicut tempore beatæ recordationis domni genitoris noſtri excultæ, & honoratæ, atque C rebus ampliatæ fuerunt, quæ à noſtra liberalitate honoratæ, atque ditatæ ſunt, de cætero ſub integritate ſui ſerventur: & Sacerdotes, atque Servi Dei vigorem Eccleſiaſticum, & debita privilegia juxta reverendam auctoritatem obtineant, & eiſdem principalis poteſtas, & illuſtrium virorum ſtrenuitas, ſeu reipublicæ adminiſtratores ut ſuum miniſterium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter, & juſtè concurrant. Et filius noſter hæc ſupradicta ſimiliter Deo adjuvante conſervet.

Commendatio Anſegiſi Epiſcopi, & aliorum Epiſcoporum, qui adfuerunt apud Compendium, quando benedixerunt Ludovicum filium Caroli Imperatoris.

D „ Me, ac Eccleſiam mihi commiſſam vobis commendo ad debitam legem, & juſtitiam conſervandam, & defenſionem exhibendam, ſicut Rex Epiſcopos Eccleſiæ ſuæ juſto judicio, conſervare, & exhibere debet.

Profeſſio ipſorum.

„ Ego ille ipſe ſic profiteor: De iſta die, & deinceps iſti Seniori, & Regi meo Ludovico Caroli, & Hermentrudis filio, ſecundùm meum ſcire, & poſſe, & meum miniſterium, auxilio, & conſilio fidelis, & adjutor ero ſicut Epiſcopus rectè Seniori ſuo debitor eſt, in mea fide, & meo Sacerdotio. E Ad ſupraſcriptam verò Epiſcoporum petitionem, hæc, quæ ſequuntur Rex Ludovicus profeſſus eſt Epiſcopis, & iſtam ipſam donationis ſcripturam manu ſua eis dedit in Compendio, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVII. II. Kalendas Decembris.

Profeſſio iſtius Ludovici filii Caroli.

„ Ego Ludovicus miſericordia Domini Dei noſtri, & electione populi Rex conſtitutus, promitto teſte Eccleſia Dei omnibus Ordinibus, Epiſcoporum videlicet, Sacerdotum, „ Mo-

(1) fort. *ad Vernum*.

(2) *Sequentia uſque ad ann. 871. omiſit Aimoini Continuator.*

„ Monachorum Canonicorum, atque Sancti- „ monialium, regulas à Patribus conſcriptas, „ & Apoſtolicis atteſtationibus roboratas, ex „ hoc in futurum tempus me illis ex integro „ ſervaturum. Polliceor etiam me ſervaturum „ leges, & ſtatuta populo, qui mihi ad regen- „ dum miſericordiâ Dei committitur, pro com- „ muni conſilio fidelium noſtrorum, ſecundùm „ quod prædeceſſores mei Imperatores, & Re- „ ges geſtis inſeruerunt, & omnino inviolabi- „ liter tenenda, & obſervanda decreverunt. „ Ego igitur Ludovicus rectitudinis, & juſti- „ tiæ amore hanc ſpontaneam promiſſionem „ meam relegens, manu propria firmavi.

DCCCLXXVIII.

878. Anno DCCCLXXVIII. Ludovicus Rex ſecus Sueſſionis in Monaſterio Sancti Medardi Nativitatem Domini celebravit. Indeque ad Audriacam villam perrexit, & Paſcha Domini in Monaſterio Sancti Dionyſii celebravit. Ac ſuadente Hugone Abbate, & Markione perrexit ultra Sequanam, tam pro auxilio Hugonis contra Nortmannos, quàm & pro eo quòd filii Gozfridi caſtellum, & honores filii Odonis quondam Comitis invaſerunt: ac ideo (1) quia frater Bernardi Markionis Ebrocenſem civitatem uſurpans, multas deprædationes circum circa in illis regionibus exercebat. Inſuper & Eiricum more Nortmannico deprædari præſumpſit. Et veniens Ludovicus uſque Turonis, infirmatus eſt uſque ad deſperationem vitæ. Sed miſerante Domino, aliquantulum convaleſcens, ſatagentibus quibuſdam Conſiliariis ſuis, & amicis Gozfridi, venit ad eum iſdem Gozfridus: adducens ſecum filios ſuos, ea conditione ut caſtellum, & honores quos invaſerant, Ludovico Regi redderent, & poſtea per conceſſionem illius haberent. Tunc Gozfridus partem de Brittonibus ad Regis fidelitatem convertit: Sed ipſi demum fecerunt ut Brittones.

Cap. XXXVII. Joannes Papa iraſcens contra Landbertum, & Adalbertum Comites, quia villas, & civitatem ejus prædati ſunt, eis horribiliter excommunicatis, Româ exiit, & navigio Arelatum in die Sancto Pentecoſtes appulit, ſuoſque Nuncios ad Boſonem Comitem miſit: & per ejus auxilium uſque Lugdunum venit, & inde Miſſos ſuos ad Regem Ludovicum Turonis miſit: mandans ut ei obviam veniret, quò ſibi commodum foret. Ludovicus autem mittens ei obviam quoſdam Epiſcopos, petiit ut uſque Trecas veniret, ipſique ab Epiſcopis iſtius Regni ſtipendia dari fecit. Et quia propter ſuam infirmitatem ante non potuit, Kalendas Septembris apud Trecas ad eum venit. Interea Papa Joannes generalem Synodum cum Epiſcopis Galliarum, & Belgicarum Provinciarum agens, qualiter Landbertum, & Adalbertum, Formoſum quoque & Gregorium Nomenculatorem, ac complices illorum Romæ excommunicaverit, relegi fecit in Synodo: & conſenſum Epiſcoporum in eadem excommunicatione quæſivit. Unde qui adfuerunt Epiſcopi petierunt, ut ſicut ipſe excommunicationem, quam fecerat per ſcripturæ lectionem recitari fecit in Synodo, ita & eis concederet, & ut per ſcripturam illi ſuam confeſſionem proferrent. Et concedente ita fieri Papa Joanne, in craſtina Epiſcopi hoc quod ſequitur diplomâ Papæ in Synodo porrexerunt.

„ Domne Sanctiſſime, ac Reverendiſſime „ Pater Patrum Joannes, Catholicæ, atque Apo- „ ſtolicæ Eccleſiæ, ſanctæ videlicet Romanæ „ primæ Sedis Papa. Nos famuli tui, ac diſci- „ puli veſtræ auctoritatis, Galliarum, & Bel- „ gicarum Epiſcopi, his quæ ſuper vulnera „ dolorum veſtrorum maligni homines, ac mi- „ niſtri diaboli addentes in Sanctam matrem „ noſtram, ac magiſtram omnium Eccleſiarum „ commiſerunt compatimur, & dolori veſtro „ conſentes condolemus: atque judicium veſtræ „ auctoritatis, quod privilegio Beati Petri, & „ Sedis Apoſtolicæ in eos, & complices illo- „ rum juxta ſacros Canones ſpiritu Dei condi- „ tos, & totius mundi reverentiâ conſecratos, „ ac ſecundùm ejuſdem Sanctæ Romanæ Sedis „ Pontificum deceſſorum veſtrorum decreta „ protuliſtis, voto, voce, & unanimitate no- „ ſtra, atque auctoritate S. Spiritus, cujus gra- „ tiâ in Epiſcopali ordine ſumus conſecrati, „ gladio Spiritus, quod eſt verbum Dei, eos „ interimentes, proſequimur. Scilicet quos, ſicut „ ſuprà diximus, excõmunicatis, excõmunicatos „ tenemus: quos ab Eccleſia abjeciſtis, abjicimus, „ quos anathematizaſtis, anathematizatos eſſe „ judicamus. Et quos regulariter ſatisfacientes „ veſtra auctoritas Apoſtolica Sedes receperit, „ recipiemus. Sed & ut in ſacra Hiſtoria de „ plaga Ægyptiaca dignè à Deo inlata legimus, „ quia non erat domus, in qua non jaceret mor- „ tuus, & non erat qui alium conſolaretur, „ quoniam in domo ſua unuſquiſque quod „ lugeret habebat: nos in noſtris quoque Ec- „ cleſiis lugenda lugemus. Et ideò veſtra au- „ ctoritate nobis ſubveniri cum omni mentis „ humilitate depoſcimus: petentes ut promul- „ getis capitulum veſtræ auctoritatis, qualiter „ nos erga Eccleſiarum noſtrarum pervaſores „ agere debeamus, ut cenſura Apoſtolicæ Se- „ dis muniti robuſtiores, ac promptiores dein- „ ceps, Domino opem ferente, contra perver- „ ſos Eccleſiaſticarum rerum, ac facultatum „ raptores, ac vaſtatores, Sacrique miniſterii „ Epiſcopalis contemptores, nos, ſucceſſoreſ- „ que noſtri perſiſtere concordi ſententia va- „ leamus. Ut juxta egregii Prædicatoris vo- „ cem, & veſtræ auctoritatis promulgationem, „ traditi Sathanæ ſpiritu ſalvi fiant in die Do- „ mini noſtri Jeſu Chriſti.

Excommunicatio Joannis Apoſtolici, & cæterorum Epiſcoporum, qui convenerunt apud Trecas, de pervaſoribus rerum Eccleſiaſticarum.

(2) „ De pervaſoribus quippe rerum Ec- „ cleſiaſticarum, quos ſacri Canones Spiritu „ Dei conditi, totius mundi reverentiâ conſe- „ crati, & decreta Pontificum Sedis Apoſto- „ licæ, ſub anathemate uſque ad regularem „ ſatisfactionem eſſe debere conſtituerunt: Sed „ & de raptoribus, quos Apoſtolus Chriſto in „ ſe loquente, Regnum Dei non poſſidere te- „ ſtatur, & cum hujuſmodi hominibus veraci- „ ter Chriſtiano, nec cibum ſumere præcipit, „ quandiu in ipſo crimine permanent, per vir- „ tutem Chriſti, & judicio Spiritus Sancti de- „ cernimus, ut ſi ante proximas Kalendas No- „ vembris eaſdem res, quas quique uſurpato- „ res injuſtè pervaſerunt, Eccleſiis ſuis regu- „ lariter ſatisfacientes non reſtituerint, à com- „ munione Corporis, & Sanguinis Chriſti uſ- „ que ad reſtitutionem rerum Eccleſiaſticarum, „ & ſatisfactionem, alieni habeantur. Et ſa- „ cri Epiſcopalis miniſterii, ac excommunica- „ tionis

(1) *In ſuppl. Aimoini legitur, & immo, quaſi ſit nomen proprium fratris Bernardi Marchionis ſed malè.*

(2) *Deeſt in ſupplemento Aimoini.*

„ tionis Ecclesiasticæ contemptores secundum „ Evangelicam, & Apostolicam auctoritatem „ ab Episcopis quorum interest, communione, „ si regulariter satisfaciente non resipuerint, „ anathematis vinculo innodati usque ad satis- „ factionem permaneant. Et si in ipsa perti- „ nacia permanentes obierint, nemo corpora „ illorum cum Hymnis, & Psalmis sepeliat, „ nec memoria illorum ad sacrum altare inter „ fideles mortuos habeatur. Dicente Apostolo, „ & Evangelista Johanne: *Est peccatum ad mor-* „ *tem? pro illo non dico ut quis oret*. Peccatum „ enim ad mortem est perseverantia in pecca- „ to usque ad mortem. Et sacri antiquorum „ Patrum Canones de his, qui sibi mortem vo- „ luntariè inferunt, & qui pro suis sceleribus „ puniuntur, sancto inspirante spiritu decreve- „ runt, ut cum Hymnis, & Psalmis eorum cor- „ pora non deferantur ad sepulturam. Quorum „ decreta sequentes, ea quæ præmisimus de „ pervasoribus, & raptoribus rerum, & facul- „ tatum Ecclesiasticarum, si non resipuerint, „ judicio Sancti Spiritus decernimus: Sicut „ Beatus decrevit Gregorius dicens, quia tales „ Christiani non sunt, quosque ego & omnes „ Catholici Episcopi, immo universalis Eccle- „ sia anathematizat.

Quod diploma Johannes Papa suæ excommunicationi adscribi fecit, & manu sua confirmans ab omnibus Episcopis in Synodo subscribi fecit. Deinde ipso jubente lecti sunt in Synodo Canones Sardicensis Concilii, & Decretum Papæ Leonis de Episcopis sedes suas mutantibus: sed & Africani Canones, & ut non fiant Episcoporum translationes, sicut nec rebaptizationes, vel reordinationes, pro Frotario Burdegalensi Episcopo, qui de Burdegalis, Pictavis, indeque ad Biturigensem civitatem exilisse dicebatur.

Et coronatus Ludovvicus à Joanne Papa VII. Idus Septembris invitavit eundem Papam ad domum suam, & oppiparè pascens honoravit eum multis donis ipse & uxor sua, & remisit eum ad Trecas civitatem. Postea verò per Missos suos petiit eundem Papam, ut uxorem illius in Reginam coronaret Sed obtinere non potuit. Frotarius autem & Adalgarius Episcopi attulerunt in Conventum Episcoporum Papæ Joanni Præceptum, per quod pater suus Ludovico Regnum tradiderat, petentes ex ipsius parte, ut privilegio suo ipsum Præceptum confirmaret.

Tunc Papa Johannes protulit exemplar quasi facti Præcepti à Carolo Imperatore de Abbatia Sancti Dionysii Romanæ Ecclesiæ, quod compilatum consilio præfatorum Episcoporum, & aliorum Consiliariorum Ludovici Regis à plurimis credebatur, ut à Gozleno ipsam Abbatiam, velut ex ratione tolleret, & sibi habere posset. Et dicente Papa Johanne, ut si vellet Ludovicus Rex, ut super illius Præceptum privilegium faceret, suo Præcepto illud patris sui Præceptum firmaret. Quod argumentum, sicut factio, & non ratio, imperfectum remansit.

Denique IV. Idus præfati mensis Ludovicus Rex quorumdam Primorum compulsus petitionibus venit ad Apostolici mansionem, & cum eo familiariter locutus, unà cum illo reversus est ad Conventum Episcoporum in exedram juxta mansionem Apostolici. Et post excommunicationem Hugonis Lotharii filii, & Immonis, ac complicum eorum vim facientibus quibusdam Episcopis, & consentiente Rege, dixit Papa Johannes ut Hedenulfus sua auctoritate ordinatus Episcopus sedem suam teneret, & Episcopale ministerium ageret, & Hincmarus cœcus si vellet Missam cantaret, & partem de rebus Episcopii Laudunensis haberet. Et cùm Hedenulfus apud eundem Papam peteret, ut eum ab illa sede absolveret, dicens se esse infirmum, & velle intrare Monasterium, hoc obtinere non potuit. Sed præceptum est illi ab eo, consentiente Rege, atque Episcopis Hincmari fautoribus, ut sedem suam teneret, & Episcopale ministerium ageret. Qui fautores Hincmari audientes quod Papa Joannes dixerit, ut si vellet Hincmarus cœcus Missam cantaret, & Rex consentiret ut partem de Episcopio Laudunensi haberet: insperatè aliarum provinciarum Episcopi, sed & aliarum regionum Metropolitani, sinè præceptione Papæ Hincmarum vestimentis Sacerdotalibus indutum in præsentiam ipsius Papæ adduxerunt. Indeque sublatum, cantantes in Ecclesiam illum duxerunt, & signum benedictionis super populum dare fecerunt. Sicque Synodus illa soluta est.

In crastina Ludovicus Rex invitatus à Bosone, ad domum illius perrexit cum quibusdam primoribus Consiliariis suis. Et pastus & honoratus ab illo, sed & ab uxore ipsius, desponsavit filiam Bosonis Carolomanno filio suo: & cum consilio ipsorum Consiliariorum suorum dispartitus est honores Bernardi Gothiæ Markionis per Theodoricum Camerarium, & Bernardum Comitem Arvernicum, & per alios secretò dispositos. Papa Joannes Trecas movens, Cavillonem petiit, indeque per Moriennam iter agens, per clusas montis Cinisii Italiam, à Bosone & uxore illius deductus, introivit.

Cap. XXXVIII Ludovicus Rex Trecas Compendium reversus, audita renunciatione Legatorum suorum, quos ad Sobrinum suum Ludovicum pro pace inter se obtinenda direxerat, cum quibusdam Consiliariis suis venit usque ad Heristallium. Et Kalendas Novembris simul convenientes apud Marsnam, utrimque pax firmata est inter eos. Et condixerunt Placitum in Purificatione Sanctæ Mariæ, ut simul iterum convenirent: Ludovicus Caroli filius ad Gundulfi villam, & Ludovicus Ludovici filius circa eundem locum in commoditate sua. In ipso quidem Placito hæc quæ sequuntur inter eos consensu fidelium illorum servanda convenerunt.

Conventio, quæ inter gloriosos Reges Ludovicum filium Caroli Imperatoris, itemque Ludovicum filium Regis Ludovici in loco qui vocatur Furonis Kalend. Novembris, ipsis & communibus fidelibus ipsorum faventibus, & consentientibus, facta est anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVIII. Indictione XI. dicente Rege Ludovico filio Caroli: Sicut in- „ ter patrem meum Carolum, & patrem ve- „ strum Ludovicum Regnum Lotharii divisum „ fuit, volumus ut ita consistat. Et si aliquis „ nostrorum fidelium de Regno patris sui ex „ hoc aliquid usurpatum habet, jussu nostro „ illud dimittat. De eo Regno verò, quod Lu- „ dovicus Imperator Italiæ habuit, quia nec „ dum ex illo aliqua divisio facta est, quicum- „ que modò illud tenet, ita teneat: donec Do- „ mino volente iterum simul venientes cum „ communibus fidelibus nostris, inveniamus, & „ diffiniamus quid ex hoc melius, & justius „ nobis visum fuerit. De Regno autem Italiæ „ quia modò nulla ratio esse potest, omnes sciant „ quia partem nostram de illo Regno & re- „ quisivimus, & requirimus, & Domino auxi- „ liante requiremus. Ista sequenti die statuta sunt.

„ Cap.

„ Cap. I. Ut quia firmitas amicitiæ, & conjunctionis nostræ modò quibusdam præpedientibus causis esse non potuit, usque ad illud Placitum, quò simul conveniamus statutum habemus. Talis enim amicitia inter nos manebit Domino auxiliante de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: ut nemo suo pari vitam, Regnum, aut fideles suos, vel aliquid, quod ad salutem sive prosperitatem, ac honorem Regni pertinet, non velit, aut fortè consiliet.

„ Cap. II. Ut si in cujuscumque nostrûm Regno pagani sive pseudochristiani insurrexerint, unusquisque veraciter suum parem, ubicumque necesse fuerit, & ipse rationabiliter potuerit, aut per semetipsum, aut per suos fideles, & consilio, & auxilio prout meliùs potuerit adjuvet.

„ Cap. III. Ut si ego vobis superstes fuero, filium vestrum Ludovicum adhuc parvulum, & alios filios vestros, quos vobis Dominus donaverit, ut Regnum paternum hereditario jure quietè tenere possint, & consilio, & auxilio prout meliùs potuero adjuvabo. Si autem vos mihi superstites fueritis, filios meos Ludovicum & Carolomannum, & alios quos divina pietas mihi donare voluerit, ut Regnum paternum quietè tenere possint similiter & consilio, & auxilio prout meliùs potueritis ut adjuveritis rogo.

„ Cap. IV. Ut si aliqui susurrones, & detractores, & qui paci nostræ invident, & quietum Regnum esse non patiuntur, inter nos lites, & contentiones, atque discordias seminare voluerint, nullus nostrûm hoc recipiat, aut libenter acceptet: nisi fortè hoc ad rationem coram nobis utrisque, & communibus fidelibus nostris perducere voluerit. Si verò hoc noluerit, cum nullo nostrûm aliquam societatem habeat. Sed omnes illum sicut mendacem, & falsatorem, & inter fratres volentem seminare discordias, communiter à nobis abjiciamus: ne de cetero quisque talia mendacia auribus nostris inferre audeat.

„ Cap. V. Ut communiter prout citiùs potuerimus Missos nostros ad Carolomannum, & Carolum gloriosos Reges dirigamus, qui ad Placitum, quod octavo Idus Februarii statutum habemus, invitentur: ut nullatenus venire differant obsecrentur. Et si secundùm quod optamus venire valuerint, communiter nos ad Dei voluntatem, & Sanctæ Ecclesiæ salvationem, ac communem honorem nostrum, ac profectum, atque salvamentum totius populi Christiani nobis commissi, Domino cooperante, ita conjungamus, ut de cætero in eo qui unus est unum simus, & unum velimus: idipsum dicamus, secundùm Apostolum, & faciamus omnes ut non sint in nobis ulla scismata.

„ Cap. VI. Si autem illi obsecratione nostra vocati, & invitati, aut Missi eorum ad præfatum Placitum venire distulerint, nos secundùm quod statutum habemus, illuc omninò venire, & nos secundùm Dei voluntatem conjungere omnimodis non omittamus. Nisi fortè talis inevitabilis necessitas evenerit, pro qua id fieri nullatenus possit: & si hoc acciderit, ad tempus quisque pari suo hoc rescire faciat. Et propterea amicitia nostra nec minuatur, nec immutetur, donec Domino jubente congruo tempore perfectè confirmetur.

„ Cap. VII. Ut res Ecclesiarum, in cujuscumque Regno caput fuerit, tam de Episcopatibus, quàm de Abbatiis sinè ulla contradictione rectores ipsarum Ecclesiarum illas possideant. Et si aliquid ibi mali factum à quoquam est, in cujuscumque Regno illæ res consistunt, regulariter exinde justitiam reddere faciat.

„ Cap. VIII. Et quia per vagos, & in tyrannica consuetudine inreverentes homines pax & quies Regni perturbari solet, volumus ut ad quemcumque nostrûm talis venerit, ut de his quæ egit rationem, & justitiam subterfugere possit, nemo ex nobis illum ad aliud recipiat, vel retineat, nisi ut ad rectam rationem, & debitam emendationem perducatur. Et si rationem rectam subterfugerit, omnes in commune in cujus Regnum venerit illum persequamur, donec aut ad rationem perducatur, aut de Regno expellatur, vel deleatur.

„ Cap. IX. Volumus ut hi, qui meritò proprietatem illorum in Regno nostro perdiderint, ita judicentur sicut temporibus nostrorum antecessorum inventum fuit. Qui verò dicunt injustè se proprietatem suam perdidisse, veniant in nostram præsentiam: & sicut justum est, ita de illis judicetur, & sua recipiant.

Cap. XXXIX. 879. Hoc dicto Ludovicus Ludovici filius ad sua rediit, & Ludovicus Caroli filius per Arduennam veniens, DCCCLXXIX. anno Incarnationis Dominicæ in Longlario Nativitatem Domini celebravit. Et aliquandiu in Arduenna demorans, indeque iter agens, circa Purificationem Sanctæ Mariæ ad Pontigonem venit: unde volens ire in partes Augustoduni ad comprimendam rebellionem Bernardi Markionis, usque ad Trecas perrexit. Sed quia ingravescente infirmitate sua (dicebatur enim veneno infectus) longiùs ire non potuit, filium, & æquivocum suum Ludovicum bajulationi Bernardi Comitis Arvernici specialiter committens, Hugonem Abbatem, & Bosonem, & præfatum Bernardum cum filio suo, sed & Theodericum cum sociis suis, Augustudunum misit: quatenus ipsum Comitatum ad opus Theoderici, cui antea illud dederat, evindicarent. Ipse autem cum magna difficultate per Jodrum Monasterium Compendium venit. Et sentiens se mortem evadere non posse, per Odonem Belgivacensem Episcopum, & Albuinum Comitem coronam, & spatam, ac reliquum regium apparatum, filio suo Ludovico misit: mandans illis qui cum eo erant, ut eum in Regem sacrari, ac coronari facerent. Ipse autem IV. Idus Aprilis in die parasceves jam vespere obiit: & in crastina, scilicet in vigilia Sancti Paschæ, in Ecclesia Sanctæ Mariæ sepultus fuit.

LUDOVICUS, & CARLOMANNUS.

Audientes autem Odo, & Albuinus illum esse defunctum, quæ portaverant Theoderico Camerario dederunt, & cum festinatione reversi sunt. Illi autem qui cum filio Regis erant, audita morte patris ipsius infantis, mandaverunt Primoribus, qui in illis partibus erant, ut apud Meldis convenirent obviam eis, & ibi tractarent quid de cætero agere deberent.

Inter Bosonem autem, & Theodericum mediante Hugone Abbate conventum est, ut Boso Comitatum Augustodunum haberet, & Theodericus Abbatias, quas Boso in istis partibus habuerat in commutatione acciperet. Gozlenus denique Abbas memor injuriarum, ac insidiarum suarum, quas à suis æmulis tempore præcedenti

cedenti sustinuerat, fisus de familiaritate, quam cum Ludovico Germaniæ Rege, & cum uxore illius, atque cum Primoribus illius terræ, quando captus in bello apud Andrnacum, & trans Rhenum ductus fuerat, obtinuit: cœpit cogitare qualiter talionem suis contrariis redderet, & Chuonradum Parisiaci Comitem spe falsa de præcellenti potestate deludens, & quædam ingenia qualiter id exequi posset enarrans, sibi conjunxit. Et antequam illi, qui cum Regis filio erant ad condictum Placitum apud Meldis venirent, acceleraverunt quoscumque potuerunt Episcopos, & Abbates, atque potentes homines, ad Conventum vocare ubi Thara Isaram influit: eo sub obtentu, ut quia Rex defunctus erat, unanimiter tractarent de Regni pace, atque utilitate. His autem qui convenerant persuaserunt, ut Ludovicum Germaniæ Regem in hoc Regno convocarent, & ejus largitione honores, quos hactenus obtinere non potuerunt, sinè ulla dubitatione haberent. Et miserunt nuncios suos ad prædictum Ludovicum, & uxorem ejus, & mandantes ut usque Mettis venire accelerarent, & illuc omnes Episcopos, & Abbates, ac Primores istius Regni ad illum perducere possent. Sicque per Silvacum, & secus Axonam multas deprædationes, ac rapinas facientes, usque ad Viridunum venerunt. Veniente autem Ludovico Mettis, iterum ad illum nuncios miserunt, postulantes ut usque ad Viridunum veniret, quatenus commodiùs populum istius Regni ad illum perducere possent. Veniens autem Ludovicus usque ad Viridunum, tanta mala exercitus ejus in omnibus nequitiis egit, ut Paganorum mala facta illorum vincere viderentur.

Audientes autem Hugo, & Boso, ac Theodericus, & illorum socii, quæ Gozlenus, & Chuonradus cum illorum complicibus machinabantur, miserunt Wltarium Episcopum Aurelianensem, & Goiramnum, ac Anscherum Comites, ad Ludovicum apud Viridunum, ut ei offerrent partem de Regno Lotharii junioris, quam Carolus contra fratrem suum Ludovicum ipsius Ludovici patrem acceperat: ut accepta illa portione Regni, in Regnum suum rediret, & quod reliquum de Regno patris sui Caroli Ludovicus habuit, filiis suis consentiret. Ludovicus verò & sui acceptam habentes talem oblationem, cum dedecore Gozlenum, & Chuonradum, ac complices illorum rejecerunt. Et accepta Regni parte sibi oblata, Ludovicus ad Palatium suum Franconofurd rediit.

Audiens autem hoc uxor illius, satis molestè tulit: dicens, quia si illa cum eo venisset, totum istud Regnum haberet. Angustiantes autem Gozlenus, & Chuonradus, ad ipsam Reginam fecerunt confugium, querimoniam agentes qualiter essent decepti. Et acceptis Missis, qui eos de parte Ludovici confortarent, sed & alios quasi obsides, reversi sunt: rapinas, & deprædationes facientes quocumque pervenire potuerunt. Renunciantes sociis suis, Ludovicum quantociùs cum magno exercitu venturum, quoniam ad præsens venire non poterat: quia nunciatum est ei non incerta relatione, fratrem suum Carolomannum paralysi percussum, & jam morti vicinum, suumque filium de concubina nomine Arnulfum partem Regni illius occupasse: & ideo in illa parte festinus pergeret, sicut & fecit. Sopita verò sicut potuit in illis partibus commotione, reversus est ad uxorem suam. Audientes autem Hugo Abbas, & cæteri Primores, qui cum filiis quondam Senioris sui Ludovici, Ludovico scilicet, & Carolomanno, agebant, Ludovicum cum uxore sua in istas partes venturum, quosdam Episcopos, Ansegisum, & alios miserunt ad Ferrarias Monasterium, & ibi eos consecrari, & coronari in Reges fecerunt.

Interea Boso, persuadente uxore sua, quæ nolle vivere se dicebat, si filia Imperatoris Italiæ, & desponsata Imperatori Græciæ, maritum suum Regem non faceret, partim comminatione constrictis, partim cupiditate illectis pro Abbatiis, & villis eis promissis, & postea datis, Episcopis illarum partium persuasit ut eum in Regem ungerent, & coronarent. Hugo etiam filius junioris Lotharii ex Waldrada, collecta prædonum multitudine, Regnum patris sui est molitus invadere.

Cap. XL. Karolus Ludovici quondam Germaniæ Regis filius in Longobardia perrexit, & ipsum Regnum obtinuit. Cum quo apud Urbam, antequam Montem-Jovis transiret, Ludovicus, & Carolomannus loqui perrexerunt. Et illo eunte in Longobardiam, ipsisque reversis ab eodem itinere, nunciatum est eis, quòd Nortmanni, qui erant in Ligeri, terreno itinere terras illas deprædabant. Et statim moti in illas partes, in die Missæ Sancti Andreæ eos invenientes, multos ex eis occiderunt, & plures in Vencenna (1) fluvio immerserunt: & exercitus Francorum Deo volente cum victoria incolumis remeavit.

880. Anno Incarnati Verbi DCCCLXXX. Ludovicus Rex Germaniæ, unà cum uxore sua ab Aquis in istas partes iter arripuit, & usque ad Duciacum venit. Ubi Gozlenus, & Chuonradus obviam illi venerunt: quamplurimis jam de illorum complicibus ab illorum Societate retractis. Indeque Ludovicus, & uxor sua ad Attiniacum, indeque ad Ercuriacum, & sic usque ad Ribodimontem pervenerunt. Et videntes, quia Gozlenus, & Chuonradus, quod ei polliciti fuerant attendere nequiverunt, & ipse ac uxor sua, quæ speraverunt obtinere non possent: peractis amicitiis cum filiis Ludovici, & condicto Placito futuro mense Junio ad Gundulfi-villam, reversi sunt in patriam suam. Et inveniens Ludovicus Nortmannos in itinere, Domino opem ferente, magnam ex illis partem occîdit exercitus suus. Sed in Saxonia magnum damnum de fidelibus suis per Nortmannos sustinuit. Filii autem Ludovici quondam Regis reversi sunt Ambianis civitatem, & sicut fideles illorum invenerunt, Regnum paternum inter se diviserunt. Idest, ut Ludovicus quod Franciâ residuum erat ex paterno Regno, sed & Niustriam cum Marchiis suis haberet: & Carolomannus Burgundiam, & Aquitaniam cum Marchiis suis haberet: & quique de Proceribus secundùm convenientiam, in cujus divisione honores haberent, illi se commendarent. Inde Compendium redientes, ibi Pascha Domini celebraverunt. Et post hæc per Remum, & Catalaunis civitates ad Placitum condictum mediante Junio apud Gundulfi villam obviam suis sobrinis venerunt. Ad quod Placitum Ludovicus infirmitate detentus venire non potuit, sed pro se Missos suos direxit. Karolus autem à Longobardia rediens, illuc venit. In quo Placito communi consensu inventum est, ut ipsi Reges Ludovici quondam filii ad Attiniacum redirent cum scara Ludovici Germa-

(1) *Vigenna*.

maniæ Regis, & Hugonem Lotharii junioris filium impeterent. Quò venientes, quia Hugonem non invenerunt, sororium illius Teutbaldum bello aggressi sunt, & multis interfectis illum in fugam verterunt. Indeque cum hoste ex Regnis suis, unà cum prædicta scara Ludovici Regis Germaniæ, prædicti Reges, ordinatis qui Regnum suum contra Nortmannos in Ganto residentes custodirent, in Burgundiam versùs Bosonem per mensem Julium à Trecas civitate perrexerunt: Carolo Rege illuc cum exercitu suo in Bosonem venturo. In quo itinere electis de castro Matescano Bosonis hominibus, ipsum castellum ceperunt, & eum Comitatum Bernardo cognomento Planta-pilosa dederunt. Et perrexerunt simul Carolus, Ludovicus, & Carolomannus, ad obsidendum Viennam, in qua Boso uxorem suam cum filia, & magnam partem de suis hominibus relinquens, fugam ad montana quædam arripuit. Karolus autem, qui se unà cum sobrinis suis Viennam obsessurum promiserat, mox ut quædam sacramenta utrinque inter eos facta fuerunt, ab ipsa obsidione recessit, & in Italiam perrexit. Indeque Romam veniens, à Joanne Papa se in die Nativitatis Domini in Imperatorem consecrari obtinuit.

DCCCLXXXI.

881. Anno Incarnat. Dominicæ DCCCLXXXI. remanente Carolomanno cum suis contra Bosonis seditionem, Ludovicus frater ejus reversus est in partem Regni sui contra Nortmannos. Qui vastantes omnia, in suo itinere Corbejæ Monasterium, & Ambianis civitatem, aliaque sancta loca occupaverunt: de quibus non modicam partem occisis, cæterisque fugatis, & ipse Ludovicus unà cum suis retrorsum nemine persequente fugam arripuit. Divino manifestante judicio, quia quod à Nortmannis fuerat actum, non humana, sed divina virtute patratum extiterit. Iterum namque Nortmannis regredientibus in partem Regni sui, isdem Ludovicus cum quibus potuit obviam eis perrexit, & castellum materiâ lignea quorumdam Consiliariorum suorum hortatu in loco, qui dicitur *Stroms* clausit. Quod magis ad munimen paganorum, quàm ad auxilium Christianorum factum fuit, quoniam ipse Rex Ludovicus invenire non potuit cui illud castellum ad custodiendum committere posset. Indeque reversus, anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXII. apud Compendium Nativitatem Domini, sed & sanctum Pascha celebravit.

DCCCLXXXII.

882. Ubi nunciatum est ei, quia sobrinus suus Ludovicus Ludovici Germaniæ Regis filius inutiliter sibi & Ecclesiæ, ac Regno vivens, morti succubuit. Venientes autem Primores partis illius Regni, quæ ipsi Ludovico in locarium data fuerat, quatenus quæ pater, & avus illorum habuerunt eis consentiret, voluerunt se illi commendare. Sed consilio primorum, propter sacramenta, quæ inter eum, & Carolum facta fuerunt, non eos in commendationem suscepit: Sed scaram hostilem, cui præfecit Theodericum Comitem, quasi in adjutorium illorum contra Nortmannos dispofuit. Et ipse ultra Sequanam, ac si recepturus Britonum Principes, & bellaturus contra Nortmannos, usque Turones perrexit. Ubi infirmatus est corpore, & lecticâ deportatus usque ad Monasterium S. Dionysii, mense Augusto ibi mortuus est, & sepultus.

CARLOMANNUS.

Cap. XLI. Primores autem Regni expeditum nuncium miserunt ad Carolomannum, mandantes ut relictis qui Viennam obsiderent, & seditioni Bosonis resisterent, ipse quantocius ad eos venire festinaret: quoniam hostiliter ipsi præparati erant in occursum Nortmannorum, qui civitates Coloniam, & Treveris cum Monasteriis sibi contiguis jam incensas haberent, & Monasterium Sancti Landberti in Leudico, & Promiæ, & inde Aquis etiam Palatium, omniaque Monasteria parrochiarum, Tungrensis videlicet, Attrebatensis, Cameracensis, & partem Remensis parrochiæ suæ ditioni addicta, & partim cum castello Mosomagensi incensa, & Walam Mettensem Episcopum contra sacram auctoritatem, & Episcopale ministerium armatum, & bellantem occisum, & socios ejus fugatos habebant. Ipsi autem parati erant illum recipere, & se illi commendare, sicut & fecerunt. Dum autem in eodem procinctu degeret mense Septembrio, nunciatum est illi certo nuncio, quia captâ Viennâ uxorem Bosonis, & Filiam ejus Richardus frater ipsius Bosonis ad Comitatum suum Augustudinensem adductam habebat. Sed & Astingas, & complices illius Nortmanni ex Ligeri egressi, maritimas partes petierunt. Carolus autem nomine Imperator contra Nortmannos venit cum multo exercitu usque ad illorum firmitatem. Quò veniens, concidit cor ejus, & placida mente Gotafridum cum suis ut baptisma susciperet, & Frisiam, aliosque honores, quos Roricus habuerat, reciperet, interventione quorumdam obtinuit. Sigefrido etiam & Wrmoni, illorumque complicibus plura millia argenti, & auri, quæ de thesauro Sancti Stephani Mettensis, aliorumque Sanctorum locis arripuit, eis dedit: & ad devastandam Regni sui, atque consobrini sui partem, sicut antea fecerant, residere permisit. (1) Hugoni autem junioris Lotharii filio facultates Ecclesiasticas Mettensis Episcopii, quas sacri Canones futuro Episcopo reservari præcipiunt, ad consumendum remisit. Engilbergam verò Ludovici Italiæ Regis uxorem, quam Imperator in Alemaniam transduxerant, per Leudoardum Vercellensem Episcopum Joanni Papæ, sicut petierat, Romam remisit. Et sic versus Warmatiam, Placitum suum Kalendas Novembris habiturus, à Nortmannis recessit. Ad quod Placitum Hugo Abbas, quibusdam sociis secum assumptis, profectus, Carolum adiit, pro petitione partis Regni, quam frater suus Ludovicus in locarium acceperat: ut sicut ipse Carolus olim promiserat, Carolomanno restitueret. Unde nil certi obtinuit, sed absentia illius in isto Regno maximum detrimentum fecit: quia Carolomannus non habuit unde Nortmannis posset resistere, quibusdam Regni Primoribus ab ipsius auxilio se retrahentibus. Quapropter usque circa Laudunum castellum venerunt, & quæ in gyro ipsius castelli erant deprædati sunt, & incenderunt: & disposuerunt Remis venire, indeque per Suessiones, & Noviomagum pergentes, ad præfatum castellum expugnandum redire, & Regnum sibi subjicere. Quod pro certo audiens Hincmarus Episcopus, cujus homines de potestate Remensis Episcopii cum Carolomanno erant, vix noctu cum corpore Sancti Remigii, & ornamentis Remensis Ecclesiæ, sicut infirmitas corporis ejus poscebat, sella gestatoria

(1) *Iterum hic quædam de Ecclesia S. Germani ab Aimoini Continuatore interjecta sunt, quæ in Annalibus non extant.*

toria deportatus, & Canonicis, ac Monachis, atque Sanctimonialibus hâc illacque dispersis, ultra Matronam in quadam villa, quæ Sparnacus nominatur, vix fugâ lapsus pervênit. Scara autem de Nortmannis plenitudinem illorum præveniens, usque ad portam Remi pervenit, qui ea quæ extra civitatem invenerunt deprædati sunt, & villulas quasdam incenderunt. Sed civitatem, quam nec murus, nec humana manus defendit, Dei potentia, & Sanctorum merita, ne illam ingrederentur, defenderunt. Carolomannus autem Nortmannorum superventionem audiens, cum quibus potuit eos aggressus est: & magnam partem de his, qui prædam ducebant, occidit, & partim in Axona necati sunt. Maximè autem ex illis, qui Remum adierunt, volentibus ad socios suos redire, prædam excussit. Major verò, & fortior pars de Nortmannis in quadam villa, quæ vocatur Avallis, se reclusit ubi eos illi qui erant cum Carolomanno sine periculo sui adire nequiverunt. Unde circa vesperam pedetentim retro reversi in vicinis villis se collocaverunt. Nortmanni verò mox ut luna eis illuxit, ab ipsa villa egressi, itinere quo venerant redierunt.

Huc usque Codex MS. Cœnobii Sancti Bertini.

Sequitur Appendix ad Annales Fuldenses ex editione Andreæ Du-Chesne Tomo II. Historiæ Francorum.

DCCCLXXXIII.

883. Cæsar in Alamannia Natalem Christi celebravit. Inde paulatim iter suum ad Bajowariam dirigens, Pascha Domini honorificè Radaspona civitate mansit: ibique habito Conventu, diversis rebus ab Italia auditis, illuc reversus est. Igitur Romæ Præsul Apostolicæ Sedis Joannes, priùs de propinquo suo veneno potatus, deinde cùm ab illo, simulque aliis suæ iniquitatis consortibus longiùs victurus putatus est, quàm eorum satisfactum esset cupiditati, qui tam thesaurum suum, quàm culmen Episcopatus rapere anhelabant malleolo, dum usque in cerebro constabat, percussus, expiravit. Sed & etiam ipse constructor malæ factionis, concrepente turba, stupefactus, à nullo læsus, nec vulneratus, mortuus. Non mora apparuit, in cujus vice omni populo Romano unanimiter confortante, Marinus, qui in id tempus Romana in urbe Archidiaconus tenebatur, ordinari compactum est. Imperator obviam Papæ pergit, & illum loco nuncupante Nonantula, prout meritò, honorificè suscepit. Ibi inter alia Wito Comes Tuscianorum reus Majestatis accusatur, quod ille profugus evasit. Sed tamen illa fuga totam Italicam terram timore concussit: quia statim manu cum valida gentilium de gente Mauritanorum fœdera firmiter pepigit. Perangarius verò consanguineus Imperatoris mittitur ad expoliandum Regnum Witonis, quod ille quadam parte peregit, & quadam peregisset, ni per corruptionem morbi, ac infirmitatem exercitus sui reverteret, & jam per totam Italiam humanum genus, ita invalescente morbo, ut in Curtem, & inter militiam, & ipsum Regem hæc miseria pervenirct. Iterum inter Popponem, & Eginonem discordia cum crudeli bello concrepat: quorum Poppo, prout antea solebat, inferior extitit. Henricus, frater Popponis scilicet, cùm Nordmannorum manum validam Prumiam venire cognoscit, usque eos, ut dicunt, nullo evadente, cum suis ad internecionem delevit, & ille verò vulneratus evasit.

884. Reverso ad Alamanniam Regi habitum est in villa, quæ dicitur Cholonpurum, generale Conventum. Inde editum est Bajowarios, ad Italiam contra Witonem belligera manu proficisci. Quippe Pannonia magnum detrimentum patitur, cujus rei unde exordium narratur assumpsisse, stilo enucleamus. Igitur cùm duo fratres, Willihelmus, & Engilscalchus terminum Regni Bajowariorum in Oriente à Rege (idest seniore Hludowico) concessum contra Maravonos tenuerunt, multaque pro patria tuenda confligando sudasse feruntur. Tandem diem ultimum hujus aëris in eadem voluntate finivere permanentes. Cùm verò non esset honor illorum filiis redditus, Arbo in Comitatum, domno Rege concedente, successit. Quod prædictorum virorum pueruli, illorumque propinqui in contrarium accipientes, & vertentes, dixerunt alterutrum fieri, & Arbonem Comitem si non recederet de Comitatu parentorum suorum, & seipsos ante faciem gladii morituros. Hoc experimento Arbo concussus, amicitiam iniit cum Zuentibaldo Duce Maravorum gentis, firmatoque inter illos fœdere, filium suum obsidem fieri non tardavit. Nec minùs ipsi prædicti pueri consulunt quosdam Primores Bajowaricæ gentis, collatisque propinquis, ac undique copiis, fortior manus in id tempus illis adstabitur. Comitem à Rege constitutum inhonorificè expellebant, Comitatumque illis in usum usurpaverunt. Hoc ergo factum est post obitum Hludowici Regis, natorumque ejus Carlomanni, & Hludowici: quorum successor frater illorum minimus in Regno extitit. Qui mox, prout antea tenuit, Arboni prædictum Comitatum reddidit, sed tamen ex hac re contexta, ut prædiximus, detrimentum Pannoniam sentire IV. versiculis prosæ intertextis ad suavitatem legentis, quonam modo hoc fieret, pandemus.

Omne dicit Jesus fieri non stabile Regnum
In se divisum, & nil dissociabile firmum.
Hinc dolus, anxietas, tibi formosissima tellus,
Hinc labor exoritur, quondam Pannonia felix.

Igitur eodem anno, quo illi pueri prædictum Comitem Arbonem à Rege commendatorum exortem fieri honorum impetraverunt, Zuventibaldus Dux Maravorum, plenum doli, & astutiæ cerebrum, non immemor utriusque, quanta ab antecessoribus istorum puerorum cum gente sua, usque dum ad illos terminum Bajowariorum prætenderunt, passus sit mala; insuper etiam amicitiæ, ac juramenti, quæ cum Arbone iniit, pepigitque, ad hoc vindicare proficiscitur, & perfecit. Nam de Septentrionali parte Histri fluminis apprehenso Werinhario de pueris Engilscalchi, qui tres habuit mediocri*. Vezzilloni quoque Comiti, qui illorum propinquus erat, dextram manum cum lingua, & (monstri simile) verenda, & genitalia, ut nec signaculo desistente, absciderunt. Homines verò illorum quosdam sinè dextra, levaque reversi sunt. Exercitus scilicet jussu Ducis igne devastat omnia; insuper ultra Danubium missis speculatoribus, ubicumque proprietas, & substantia prædictorum fit puerorum, igni tradita sinè mora est; hoc scandalum antefactum puerulis spacio unius anni sentitur. Hinc equidem non confidentibus à Rege pueris aliquid boni, propter delictum, quod in Arbone commisere, recesserunt. Statueruntque fieri homines Arnolfi Carlomanni Regis filii, qui tunc Pannoniam tenuit. Quo audito, Zuventibaldus Dux misit

misit nuncios ad eum, & ait illi: *Inimicos meos sustentas, si eos non dimiseris, nec me tecum pacificatum habebis*. Alteram etiam occasionem adversùs eum protulit: *Tui homines in vitam meam, nec minùs in Regnum meum dolosè cum Bulgaris consiliaverunt, qui priore anno suum Regnum vastavere; hoc volo mihi cum juramento, verum non esse, contestari*: quorum neutrum unquam se facturum Arnolfus renunciavit. Itaque Dux non diu collectis ex omni parte Sclavanorum copiis, magno cum exercitu invadit Pannoniam immaniter, ac cruenti more lupi mactat, igne, & ferro maximam partem devastat, deterit, & conscindit, ita ut non immeritò istam ad miseriam hic versus componi possit.

Hic patriæ planctus, simul & miserabile funus.

Quo acto dolore per antefactum puerile consilium, spacio unius anni Dux cum exercitu suo non læsus remeavit in sua.

Cæterùm verò instanti anno, quo ista computamus, iterum Dux coagulata multitudine, hostiliter Pannoniam hostilem exercitum infert: ut si quid antea remaneret, nunc quasi ore lupi per totum devorasset. Tanta enim multitudine in itinere pollebat, ut in uno loco ab ortu ad vesperum lucis exercitus ejus præterire videretur. Cum tanta enim multitudine in Regno Arnolfi per XII. dies expoliando versabatur; demum, prout voluit, prosperè reversus est. Postea quoque missa quadam exercitus sui parte supra Danubium. Quod audientes filii Willihelmi, & Engilscalchi, qui majores natu erant, Megingor, & Papo, quibusdam Pannoniorum secum assumptis, contra illos incautè venerunt: sed tamen pugnam certaminis inire non utile; nam ad illos victoria concessit. Isti fugæ præsidium quærentes, Megingor, & Papo in flumine, qui dicitur Hrapa, vitam finivere. Frater verò Bertholdi Comitis cum aliis quamplurimis à Sclavanis tentus est. Attendant, judicent, atque contendant, detractores veri, & quibus hujus successoribus rei, vel consilii primordia placuerint, placeant etiam subsequentia mala. Vituperavere autem pacem, qua conservata, Pannonia conservata est: qua verò vitiata, per spatium tantum isto continuato tertio anno dimidio instanti Pannonia de Hrapa flumine ad Orientem tota deleta est. Servi, & ancillæ cum parvulis suis consumpti sunt, primoribus quibusdam tentis, quibusdam occisis: & (quod turpius erat) truncatis manu, lingua, genitalibus, remissi sunt. Hæc enim omnia procul dubio geruntur sive per misericordiam, sive per iram Dei. Sed iram Dei justam vindictam fieri appellamus, quæ indubitanter non nisi justa sit, unquam evenire creditur. Imperator per Bajowariam ad Orientem proficiscitur, veniensque prope flumen Tullinam, Monte Comiano colloquium habuit. Ibi inter alia veniens Zuventibaldus Dux cum principalibus suis, homo (sicut mos est) per manus Imperatoris efficitur, contestatus illi fidelitatem juramento, & usque dum Karolus vixisset, nunquam in Regnum suum hostili exercitu esset venturus. Postea veniente Brazlanuorum Duce, qui in id tempus Regnum inter Dravo, & Savo flumina tenuit, suique militiæ subditus adjungitur. Rex per Carentam in Italia perrexit, prosperè Papiæ Natalem Christi celebravit.

DCCCLXXXV.

885. Proxima die S. Epiphaniæ, habito generali Conventu, Wito Dux Spolitanorum, qui antea fugâ ab Imperatore lapsus est, cum juramento excusavit, se non esse reum Majestatis, ad fidelitatem Regiam susceptus est. Post obitum Karolomanni Regis, qui tunc Galliam rexerat, Cæsar Regnum ipsum aggreditur, receptisque Primoribus, & dispositis ibi rebus, pro ut voluit, remeavit in Franciam ad edictum Placitum Wormacense obviam Apostolico. Sed dum ipse Papa jam medio itineris spatio foret, correptus celeri infirmitate expiravit. Gotafridus Rex accusatus, ut in Regnum Francorum cum Nordmannis consuleret, ab ipsis etiam accusatoribus occisus est. Hugo filius Hlotharii incautè in Regno Imperatoris agens, oculorum luce orbatus est. Pax in Oriente inter Arnolfum, & Zuventibaldum, præsentibus scilicet Bajowariorum Principibus, jusjurando constare firmatur.

DCCCLXXXVI.

886. Natalem Domini Imperator Radasponâ celebravit. Inde invitatus ab Apostolico Italiam petiit, Liutwardum Episcopum Romam misit. Ibi multimodis rebus, prout complacuit, dispositis inter alia summus Præsul à Rege interrogatus decrevit, ut Episcopis, quorum parochiæ de incendiis gentilium penitùs vastatæ apparent, aliæ Sedes eis non occupatæ concederentur. Die sancto Palmarum seditio urbe Papia inter satellites Regis, & Civibus infeliciter orta. Nam ex una parte multis occisis, ex alia civium urbis multi vulnerati propter affinitatem Imperatoris, qui tunc ad Curtem Olonnam Pascha mansit, timore in fugam lapsi, in via vitam finivere.

Post Pascha, habito generali Papiæ Conventu, Imperator per Burgundiam obviam Nordmannos in Galliam, qui tunc Parisiis erant, usque pervênit. Occiso ibi Henrico Marchensi Francorum, qui id tempus Niustriam tenuit, Rex parum prosperè actis rebus, revertitur in sua. Discordia inter Perengarium cognatum Regis, qui Foro-Juliense fruitur, & Liutwardum Episcopum oritur. Propterea Perengarius mittens Vercellinam urbem expoliare, ibique veniens multis rebus Episcopi abreptis, prout voluit reversus est.

Tempore autumni plus solitum inundationes aquarum excreverunt inestimatæ. Nam in Oriente erumpentibus per litus fluctibus, villæ inopinatè circumdatæ subitò feruntur: ita ut cum inhabitantibus viris, fœminis, infantulis, usque in abyssum delatæ cernuntur. Inter Alpes verò talis rapacitas aquarum, & collisio lapidum fuit, ut flexuras, & vestigia viarum per divexa montis latera nullo modo prospici potuerint.

DCCCLXXXVII. ARNULFUS.

887. Imperator Elisacia magna infirmitate adgravatur. Postea parum convalescens ad Alamanniam proficiscitur, vergens Curtem Podonam, pro dolore capitis incisionem accepit. Transacto die Sancto Paschæ habitum est Placitum Weibilinga. Ibi inter alia Berngarius ad fidelitatem Cæsaris pervênit, magnisque muneribus contumeliam, quam in Liutwardo priori anno commiserat, componendo absolvit. Mortuo itaque Buosone, parvulus erat ei filius de filia Hludowici Italici Regis: quem Imperator ad Rhenum villa Chiricheim (1) veniens obviam, honorificè suscepit ad hominem, sibique adoptivum filium eum injunxit. Alamanni contra Liutwardum Episcopum dolosè conspiravere,

(1) *Kirchein hodie*.

vere, qui tunc maximus consiliator Regis in Palatio fuit, & eum à præsentia Imperatoris omni honore privatum abire compellunt. Mox verò Cæsar gravissima infirmitate detentus est. Ab illo ergo die malè inito consilio Franci, & more solito Saxones, & Duringi, quibusdam Bajowariorum Primoribus, & Alamannorum ammixtis, cogitaverunt deficere à fidelitate Imperatoris; nec minùs perficere. Igitur veniente Karolo Imperatore Franconofurt, isti invitaverunt Arnolfum filium Karlomanni Regis, ipsumque ad Seniorem elegerunt, & sinè mora statuerunt ad Regem extolli. Karolus nitens bellum contra Arnolfum Regem instaurare, sed non proficit. Concussit timore Alamannos, quibus maximè negocium sui Regni habebat commissum, omnes penitùs ab eo defecerunt, & etiam ministri ab eo defecti, sub celeri festinatione ad Arnolfum Regem se junxerunt. Karolus dum se undique à suis desertum sentit, & nesciens, quid sui causæ consilium possit fieri, tandem munera ad Regem direxit, exposcens suâ gratiâ, vel pauca in Alamannia sibi ad usum usque in finem vitæ suæ largiri, quod Rex ita fieri concessit. Sed tamen nec hoc diu apud se retinuit. Nam paucos dies in locis à Rege sibi concessis religiosè morabatur, post Christi Nativitatem die Id. Januar. ultimum diem feliciter clausit, & mirum in modum usque dum honorificè Augensi Ecclesia sepelitur: Cœlum apertum multis cernentibus visum est, ut apertè monstraretur, qui spretus terrenæ dignitatis ab hominibus exuitur, Deo dignus cœlestis patriæ vernula mereretur feliciter haberi.

DCCCLXXXVIII.

888 Rex Arnolfus urbe Radaspona receptis Primoribus Bajowariorum, Orientales Francos, Saxones, Duringos, Alamannos, magna parte Sclavanorum, Natalem Domini, & Pascha ibidem honorificè celebravit. Illo diu morante, multi Reguli in Europa, & Regno Karoli sui patruelis excrevere. Nam Perengarius filius Eberhardi in Italia se Regem facit. Rudolfus verò filius Chuonradi superiorem Burgundiam apud se statuit regaliter retinere. Inde itaque Hludowicus filius Buosoni, & Wito filius Lamberti, Galliam Belgicam, necnon Provinciam, prout Reges habere proposuerunt. Odo filius Rodberti usque ad Ligerim fluvium, & Aquitanicam Provinciam sibi in usum usurpavit. Deinceps Arnolfus se Regem haberi statuit. His auditis, Rex Franciam petiit, habitoque ad Franconofurt generali Conventu, disposuit adventare Wormaciam. Quod verò Odo comperiens, salubri utens consilio, contestans se malle suum Regnum gratia cum Regis pacificè habere, quàm ullâ jactantiâ contra ejus fidelitatem superbire: veniensque humiliter ad Regem, & gratanter, ibi recipitur. Rebus ab utraque parte, prout placuit, prosperè dispositis, unusquisque reversus est in sua. Rex contra Rudolfum Elisaciam progreditur: Inde ad eum misso Alamannico exercitu, ipse per Franciam Bajovvariam reversus est. Rudolfus enim, inito consilio cum Primoribus Alamannorum, sponte sua ad Regem urbem Radasponam usque pervênit, multaque inter illos convenienter adunata, ipse à Rege cum pace permissus, sicuti venit, ad sua remeavit. Italiam equidem cum exercitu aggredi complacuit. Sed Perengarius, qui parumper antea cum Witone dimicans cruento tyranno, hoc præcavens, ne Italicum Regnum cum tam valida manu ingressus perperam pateretur, missis ante se Principibus suis, ipse verò oppido Tarentino Regi se præsentavit. Ob id ergo, & à Rege est clementer susceptus, nihilque ei antequæsti Regni abstrahitur. Excipiuntur curtes, navium, & Sagum. Exercitui itaque non mora licitum erat domum redeundi. Rex autem paucis secum assumptis, Forum-Juliense penetrans, Curtem Corontanam Natale Domini celebravit. Tanta namque in isto itinere consternatio equinorum cadaverum fit, ut vix unquam talis fieri memoriâ mortalibus traditum sit.

DCCCLXXXIX.

889. Luitbertus Mogontinæ urbis nobilis Archiepiscopus ab hac vita migravit. Cujus vivendi ordo quali probitate maneret, per omnia longum est explicare. Tamen licèt pauca, in quibusdam versiculis breviter expediatur.

Largus erat multùm, patiens, humilisq; benignus,
Omnibus exemplum in bonitate manens.
Hister qua fluitat, currit Hrenusque bicornis,
Literulis doctis doctior ipse fuit.

Grave igitur tempus hoc anno incanduit. Nam Italia febris tussiendo perplurimos vexabat, inundationes aquarum plus solito excrevere, civilia bella circumquaque regiones conquassantur, pestilentia sparsim, ac fames inopinata, ultra modum incubuit. Grandine verò contritis frugibus mortales inopiam frugum cum miseria patiuntur. Sed inter alia execrabile prodigium in regione Thuringorum visum est. Namque è cœlo aqua, non (ut solet pluvia) stillatim descendere, sed coacervatim quasi fluens torrens irruit, per tres villas uno momenti ictu evulsis ædificiis, tercentum cadavera mortuorum impulsione aquarum campo dejecta colligebantur.

Exeunte mense Madio Rex apud villam, quæ dicitur Forahhem, generale Conventum habuit, ibique disputans de statu Regni sui, consultum est ut eodem tenore Primores Francorum, prout Bajoarii, juramento confirmarent, ne se detraherent à principatu, & dominatu filiorum ejus, Zuventibulchi quidem, & Ratoldi, qui ei de concubinis erant nati. Quod quidam Francorum ad tempus renuentes, tandem Regiæ satisfacientes voluntati, dextram dare non recusabant: eo tamen modo, ut si de legali sua uxore hæres ei non produceretur. Advenientibus etiam ibidem undique Nationum Legatis, Nordmannorum scilicet ab Aquilone, Sclavanorum, pacifica optantes. Quos Rex audivit, & sinè mora absolvit. Inde itaque edictum est, in exercitum ire ad Obodritos. Sed antea Placitum Curte Regia Franconofurt haberi cum Francis Regi complacuit. Perventum igitur est, sicut antea dispositum erat, ad Obodritos cum maximo exercitu. Sed tamen ibi parumper rebus prosperè gestis, Rex, datâ exercitui licentiâ, ad Franconofurt celeri festinatione reversus est. Inde per Alamanniam paulatim transgrediens Bajovvariam urbe Regino honorificè Natalem Domini celebravit.

DCCCXC.

890. Mediante verò Quadragesima, Pannoniam proficiscens, generale Conventum cum Zuventibaldo Duce, loco, qui vulgò appellatur Omuntesperch, habuit. Ibi inter alia præficitur Dux à Formoso Apostolico. Rogatus enixè interpellabat, ut urbe Roma domum S. Petri visitaret, & Italicum Regnum à malis Christianis, & imminentibus Paganis ereptum, ad suum opus restringendo dignaretur tenere. Sed Rex multimodis causis in suo Regno excrescentibus præpeditus, quamvis non libens, postulata denegavit. Post Pascha mense Madio, villa,

villa, quæ dicitur Forahheim, cum suis colloquium habuit. Ibi ad eum filia Hludovvici Italici Regis, vidua Bosoni tyranni, magnis cum muneribus veniens, honorificè suscepta, ac ad propria remissa est. Rex ibi rebus dispositis, prout placuit, causâ orationis in Alamannia, Augeam, Constantiamque pervênit. Inde regrediens, urbe Radaspona Natalem Christi celebravit. Salomon Constantiæ Episcopus vir vitæ probabilis obiit. Cui æquivocus ejus Salomon junior, tertius siquidem tunc ejusdem nominis vocabulo, in sedem Episcopus concessit.

DCCCXCI.

891. Rex Legatos suos pro renovanda pace ad Maravos transmisit. Embricho Regino urbe Episcopus, vir patiens, humilis, sobrius, fidusque manebat, gravis ætate feliciter diem ultimum clausit. Ipsa verò civitas divina ultione mirum in modum subitò incensa, cum omnibus machinamentis, & Ecclesiis IV. Idus Augusti concremata est, exceptis domo Sancti Emmerammi Martyris, & Ecclesiâ S. Cassiani media urbe constitutâ, ab igne divinitus defensæ sunt. Nordmanni igitur fines Occidentalium Francorum invadentes, quidam ad defendendum exercitus à Francia dirigitur. Ibi Sundaroldus Mogonciacensis Archiepiscopus incautè illis occurrens interfectus est. In cujus locum Haddo Abbas Aungensis Cœnobii, homo subtilis ingenii, Antistes constituitur. Arnulfus ergo Rex ob hoc ulciscendum in Nordmannos cum Francis, Alamanico exercitu inutile secum assumpto, iter arripuit. Sed Alamanni quidem ægrotantes à Rege domum relapsi sunt: ipse cum Francis ad Occidentem prosperè profectus est. Nordmanni devastata ex maxima parte Hlotharici Regni regione, prope fluvium Clyla, loco, qui dicitur Lovonnium, sepibus more eorum munitione cœpta, securi consederunt. Ex improviso enim Rex, & exercitus pervenere ad eundem locum. Transito igitur celeriter eodem fluvio, nec mora meditatum est prœlium applicari. Cunctati namque Regi, ne tam valida manus periclitaretur, quia interlatente palude ex parte una, ex altera circumfluente ripa, non donatur facultas equitibus aggredi. Oculis, cogitatione, consilio huc illuc pervagabatur, quid consilii opus sit, quod Francis pedetentim certare insufitatum est, anxiè meditans, tandem Heros Primores Francorum advocans sic alloquitur patienter: *Viri Domini recolentes, & semper sub Dei gratia patriam tuendo, fuistis invincibiles, inspirate animis, si ab inimicis, quandoquidem more Paganismo furentibus pium sanguinem parentum vestrorum effusum vindicari recolitis, & sacra, sub honore Sanctorum Creatoris vestri Templa eversa jam in patria vestra cernitis: ministros etiam Dei summo gradu consistentes prostratos videtis. Nunc milites agite, ipsos sceleris factores ante oculos habentes, me primum equo descendentem, signa manu proferentem sequimini, non nostram, sed ejus, qui omnia potest, contumeliam vindicantes, inimicos nostros in Dei nomine aggredimur.* His incitati dictis, omnibus senibus, & juvenibus par voluntas, & audacia, pedestre bellum aggredere datur: priùs Regem flagitantes, ut equitando eos procuraret, ne quid eis pugnantibus à tergo insidiis inimicorum timendum sit. Clamor Christianis in cœlum attollitur, nec minùs Pagani more suo clamantes, signa horribilia per castra movebantur. Evaginatis gladiis ex utraque ut lapis ferro, in invicem ad invicem concursum est. Erat autem ibi gens fortissima inter Nordmannos Danorum, quæ nunquam antea in aliqua munitione & capta, & superata auditur. Durè certatum est, sed non indui (subvenienie gratia Dei) victoria ad Christianos concessit. Nordmanni fugæ præsidium quærentes, flumen, quod antea eis à tergo pro muro habebatur, pro morte occurrebat. Nam instantibus ex altera parte cæde Christianis, coacti sunt in flumen præcipitari coacervatim se per manus, & colla, cruribusque complectentes, in profundum per centena & millia numero mergebantur, ita ut cadaveribus interceptum alveum amnis siccum appareret. In eo prœlio cæsi sunt duo Reges eorum, Sigifridus scilicet, & Godafridus, Regia Signa XVI. ablata, & in Bajowariam in testimonium transmissa sunt. Eodem in loco die....... Kal. Leitanias Rex celebrare præcipit: ipse cum omni exercitu laudes Deo canendo processit, qui talem victoriam suis tribuit, ut uno homine tantùm occiso de parte Christianorum (quod compertum est) tanta millia hominum ex altera parte perierunt.

DCCCXCII.

892. Rex de Francia cum victoria in Alamannia Curte Regia Ulma honorificè Natalem Domini celebravit. Inde Orientem proficiscitur, sperans ibi Zuventibaldum Ducem obvium habere. Sed ille, more solito, ad Regem venire renuit, fidem, & omnia ante promissa mentitus est. Inde Rex irato animo in Hengistfeldono cum Brazlavone Duce colloquium habuit, ibi inter alia quærens tempus, & locum, quomodo possit terram Maravorum intrare. Consultum est enim, ut tribus exercitibus armatis Regnum illud invaderet. Rex equidem, assumptis secum Francis, Bajoariis, Alamannis, mense Julio Maravam venit. Ibi per quatuor hebdomadas cum tanta multitudine, Ungaris etiam ibidem ad se cum expeditione venientibus, omnem illam regionem incendio devastandam versabatur. Missos etiam suos inde ad Bulgarios, ac Regem eorum Laudomir, ad renovandum pristinam pacem cum muneribus mense Septembri transmisit, & ne coëmtio salis inde Maravanis daretur, exposcit. Missi autem propter insidias Zuventibaldi Ducis terrestre iter non valentes habere, de Regno Brazlavonis per fluvium Odogra, usque ad Gulpam, dein per fluentes Savæ fluminis navigio in Bulgaria perducti. Ibi à Rege honorificè suscepti, eâdem viâ, qua venerant, cum muneribus mense Majo reversi sunt. Poppo Dux Thuringorum honoribus privatus est.

DCCCXCIII.

893. Ante Quadragesimam Rex per totam Occidentalium Francorum Provinciam, Monasteria, Episcopatus, causâ orationis obibat. Engilscalchus, juvenili audacia vir, qui post rapta de concubina Regis filia, ad tempus se Maravos exul contulit. Post hæc ad gratiam Regis non longum veniens, Marchensis in Oriente effectus est. Ibi audacter contra Primores Bajoariæ in rebus sibi summis agens judicio, eorum urbe Radaspona incautè Palatium Regis prolapsus, & Regi præsentatus, obcœcatus est. Hinc etiam & Willihelmus filius patruelis ejus Missos suos ad Zuventibaldum Ducem dirigens, reus Majestatis habebatur capite detruncatus est. Frater quoque ejus cum Maravanis exul delitescens, insidioso consilio Ducis, cum aliis quamplurimis interfectus est. Arrepto itaque Rex itinere iterum Regnum Zuventibaldi Ducis ingreditur cum exercitu, maxima parte illius regionis expoliata propter insidias positas, magna cum difficul-

ficultate itineris in Bajoaria ad Regiam Curtem Otingam reversus est. De qua ei non multùm post filius nascebatur, quem Hado Mogonciacensis Archiepiscopus, & Adalpero Augustæ Vindelicorum Episcopus sacro Fonte baptismatis chrismantes, nomine avi sui Hludowicum appellaverunt. Missi autem Formosi Apostolici cum Epistolis, & Primoribus Italici Regni ad Regem in Bajoaria advenerunt: enixè deprecantes, ut Italicum Regnum, & res Sancti Petri ad suas manus à malis Christianis eruendum adventaret, quod tunc maximè à Widone tyranno affectatum est. Quod Rex apud urbem Regino honorificè recipiens, & cum muneribus postulata annuens, abire permisit. Hyems aspera, & plus solito prolixa extenditur: ita ut mense Martio nix in quibusdam locis per quinque dies mensura in profundo unum pedem habere viseretur. Inde per Bajoariam maxima penuria vini facta, oves, & apes perditæ.

DCCCXCIV.

894. Sonitus tonitrui magni increpuit V. Kal. Febr. Ipse mox in itinere positus Natalem Domini Curte Regia Weibilinga mansit. Inde cum Alamannico exercitu Italiam intravit. Pergamum civitatem primùm cum Comite Widonis Ambrosio sibi rebellem sentit. Ob hoc Rex mente commotus, jussit castra exercitus, ipse adequitans, in ambitu supra montem usque ad murum civitatis promoveri. Conserti sunt enim ita vesperascente jam die pugnantes, ut cætera pars noctis par obsidentibus, & obsessis vigilandum erat. Aurora insurgente, Rex Missarum solemnitate completa urbem ad expugnandum exercitum per circuitum distribuit **

Deest folium.

** potestati reconciliatos se subdidere. Iterum Rex à Formoso Apostolico per Epistolas, & Missos enixè Romam venire invitatus est. Rex verò cùm, consilio Episcoporum suorum, petitionibus suis satisfacere decreverit, mense Septembri de Francia, & Alamannia Italia promovit exercitum. Venientes quippe ultra Padum, ibi diviso exercitu Alamannos per Boloniam, ad Florentinam urbem ire permisit, ipse cum Francis per superiores partes Alpium curtem, quæ dicitur Turris, sic usque civitatem Lunam progreditur. Ibi Natale Domini celebravit.

DCCCXCV.

895. Igitur propter nimiam intempestatem aëris, & immoderatam effusionem imbrium, & ultra modum inundationibus aquarum, omnis exercitus per devexa montium cacumina impedita sunt, passim errando laboriosè pervagatus. Unde etiam maxima pestilentia equorum, & plus solito, propter difficultatem itineris aggravando excrevit. Ita verò ut totus penè exercitus supellectile suum inconsueto more per sellatos more equitum boves trahebant. Ad hæc interim malus rumor Regem, necnon exercitum commovit, Perngarium scilicet nepotem ejus à fidelitate sua defecisse, & in Italiam jam pro hoc reversum esse. Adalpertum videlicet Marchensem Tusciæ mutuis colloquiis Perngarii, ne aliquo modo ad Regis fidelitatem intenderet.

His, & talibus auditis, Rex gravi molestia, totusque exercitus maxima anxietate, & penuriâ præoccupatus, tandem urbem Romam advenerunt. Super hæc omnia novum genus anxietatis exercitui occurrit. Nam adventantibus illis Ageldrudis vidua Widonis portas in circuitu murorum omnes serrando præoccupavit, ut omnibus pariter ad domum Sancti Petri introitus denegaretur. Quod Rex molestè accipiens, in commune consilium cum omni exercitu ad Ecclesiam Beati Pancratii convênit. Post, solemnitate Missarum celebrata, Rex exercitum unanimiter interrogavit, quid facto opus sit. Conveniunt omnes cum lacrymis, fidem promittentes, confessionem coram Sacerdotibus publicè agentes, indicto unius diei jejunio bello Urbem expugnare in commune acclamatum est. Cunctantibus ergo cunctis redire in castra, Rex murum prospiciendo circumibat, Dei nutu subitò inter obsessos, & obsidentes insperatè contentio exoritur, concursus ex omni parte plebis, omnes vociferantes Urbem bello expugnare, omnibus in pugna par voluntas. Nec mora advenerunt murum, lapidibus defensores murorum depellunt, multitudo virorum portis se constipat, alii securibus, & spadis portam, & vectes ferratos incidunt, alii murum perfodiunt, alii per scalam muros ascendunt. Sicque Dei providentiâ firmissima, & nobilissima Urbs, nullo ex parte Regis de tanto exercitu succumbente jam vesperascente die, nobiliter cum triumpho expugnata est, Apostolico & Urbe de inimicis liberato. Omnis namque Senatus Romanorum, necnon Græcorum Schola, cum vexillis, & crucibus ad pontem Milvium venientes, Regem honorificè cum hymnis, & laudibus suscipientes, ad Urbem perduxerunt. Jam Apostolicus paterno amore diligendo Regem ante paradisum, loco, qui dicitur Gradibus Sancti Petri suscipiens, & honestè ad Basilicam Beatorum Principum Apostolorum lætificando introduxit, & secundùm morem antecessorum suorum, Imperialem consecrationem capiti sibi imponens, Cæsarem Augustum appellavit: dispositis ibi multimodis rebus, omnis Romanorum populus ad Sanctum Paulum cum juramento Imperatori fidem promittentes. Juramentum verò illud, ne quem lateat, hîc inserere proposuimus. *Juro per hæc omnia Dei mysteria, quòd salvo honore, & lege mea, atque fidelitate domini Formosi Papæ, fidelis sum, & ero, omnibus diebus vitæ meæ, Arnolfo Imperatori, & numquam me ad illius infidelitatem cum aliquo homine sociabo, & Lamberto filio Agildrudæ, & ipsi matri suæ ad secularem honorem numquam adjutorium præbebo, & hanc civitatem Romam ipsi Lamberto, & matri ejus Agildrudæ, & eorum hominibus, per aliquod ingenium, aut argumentum non tradam.* Post hæc autem Constantinus, & Stephanus, qui majores inter Senatum erant, rei Majestatis esse accusati sunt, quia cum Agildruda priùs Urbem capiendam conspiravere, quos Rex sinè mora comprehendi, & secum in Bajoaria transferri præcepit. Urbem verò ad suas manus custodiendam Faroldo cuidam Vassallo concessit. Ipse XV. tandem die, postquam venerat, ab Urbe digressus est. Compertâ denique Agildrudâ in civitate Spoletana morare, quam ad expugnandum mox iter arripuit. Sed antequam ad locum destinatum pervenisset, gravi infirmitate capitis detentus, imperfectum reliquit, & cum omni festinatione parvulo filio suo, nomine Ratold, qui ei de concubina erat, ad fidem Italicæ gentis Mediolanum dimisso, per vallem Tridentinam mense Majo in Bajoariam reversus est. Sed non multò post etiam filius ejus, quem in Italia dereliquit, per lacum Cumensem ad eum rever-

reversus est. Post mortem etenim Waltfredi Foro-Julii Marchensis, qui multùm fideliter ad Imperatorem Veronam contendendo retinuit, illico Perngarius Regnum Italicum invasit, & usque ad flumen Adduam, quasi hereditario jure contra Landbertum in participationem recepit. Maginfredus Comes Mediolanensis ab Landberto filio Widonis capitali sententia interfectus est: filius ejus, atque gener oculorum lumine orbati sunt.

At Romæ Formosus Papa defunctus die Sancto Paschæ, in cujus locum consecratus Bonifacius, qui podagrico morbo correptus vix XV. dies supervixisse reperitur: In cujus sedem successit Apostolicus nomine Stephanus, vir famâ infamandus, qui antecessorem suum Formosum inaudito more de sepulcro ejectum, & per advocatum suæ responsionis depositum foràs extra solitum sepulturæ Apostolicæ locum sepeliri præcepit.

Pacem ergo Græci eodem anno cum Avaris (qui dicuntur Ungari) facientes, quòd eorum concives Bulgari in pravum vertentes, hostili expeditione contra eos insurgunt, & omnem regionem illorum usque portam Constantinopolitanam devastando insequuntur. Quod ad ulciscendum Græci astutiâ suâ naves illorum contra Avaros mittunt, ac eos in Regnum Bulgarorum ultra Danuvium transponunt. Illi transpositum manu cum valida gentem Bulgarorum ingressi, maximam partem cædendo neci tradiderunt. Hoc audientes positi in expeditione Bulgari, cum omni festinatione primùm deliberare ab infesto hoste recurrunt, consertoque illico prœlio, victi sunt: iterum pari tenore recuperare nitentes, secundò caruere victoria. Tandem miseri inscii quam consolationis causam, & remedii potuissent invenire, currunt omnes ad vestigia vetuli illorum Regis Michaëlis, qui eos primùm ad Christianæ Religionis veritatem convertit, inquirentes quid eis ab imminenti periculo evadendum consuleret. Qui indicto triduano jejunio, pœnitentiam de inlata Christianis injuria, dein auxilium à Deo quærendum esse præmonuit. Quo peracto, durum imminere certamen pugnantibus verò ambabus acerrimè partibus, ad ultimum misericordiâ Dei victoria, quamvis cruenta Christianis concessa est. Quis enim gentilium Avarorum strages tantis congressionibus enumerando possit exponere? quoniam Bulgarorum, ad quos victoria concessit, numero XX. millia equitum cæsa inveniuntur. Stipantibus denique iisdem in partibus inter se conflictibus, Imperator Pannoniam cum urbe Paludarum tuendam Braxlavoni Duci suo in id tempus commendavit. Leo verò Imperator Græcorum Lazarum quendam vocatum Episcopum ad Cæsarem Augustum cum muneribus transmisit. Quem ille apud urbem Radasponam gratanter accipiens, paucos eum dies secum retinuit: tandem honoribus ditatum remisit in sua.

DCCCXCVII.

897. Cæsar verò cum Curte Regia Ottingæ Natalem Domini celebravit, advenientibus ibidem ad eum Maravorum Missis, qui pro pace custodienda, ne exules eorum profugi reciperentur ab Imperatore flagitant. Quos Rex ut audivit, absolvit, & sinè mora abire jussit. Ipse verò, habito generali Conventu, urbe Regino propter gravitatem corporis in Bajoaria secretis locis hiemare disposuit. Fames valida per universam regionem Bajowariorum incubuit, itaut multi inediâ consumerentur.

Exeunte autem mense Medio, (1) habitum est Placitum urbe Wormacia. Ibi inter alia Zuventibaldus filius Imperatoris ad eum venit. Quem ille benignè suscipiens, quibusdam Primoribus suis, qui priori anno ab eo honoribus privati sunt, cum eo pacificatis, cęterisque negociis, prout potuit, ibidem inter se dispositis, placabilem licentiam in sua redeundi donavit. Curte verò Triburia, habito generali Conventu Fuldense Cœnobium causâ orationis petiit. Quo peracto, ad Curtem, quæ dicitur Salz, pervênit, advenientibus ibi ad eum cum muneribus Soraborum Missis, quos ut audivit, absolvit, & abire permisit.

His ita expeditis, contigit ut gentis Behemitarum Duces ad Imperatorem Arnolfum, qui tunc temporis civitate Radaspona moratus est, advenerunt, offerentes ei munera regia, & sua, suorumque fidelium suffragia, contra eorum inimicos Marahabitas scilicet postulantes, à quibus sæpè, ut ipsi testificati sunt, durissimè comprimebantur. Quos ergo Duces Rex Imperator gratuito suscipiens, verbaque consolationis ex pectoribus abundantibus inseruit, & lætabundos, donoque honoratos patriam in suam abire permisit, totumque illius anni tempus autumnale finitimis in locis Aquilonaribus Danubii, Ymbrisque fluminis sese sustentavit. Hac etiam in ratione, si supradictæ genti necessitas auxilii sui immineret, paratus cum suis fidelibus existeret.

DCCCXCVIII.

898. Postea verò; anno Incarnationis Domini DCCCXCVIII. inter duos fratres gentis Marahensium, Moymirum videlicet, ac Zentobolchum, eorumque populum, dissensio, atque discordia gravissima exorta est; ita etiam, ut si uterque alterum suis viribus insequi, atque comprehendere valeret, capitalem subiret sententiam. Tunc verò Rex Imperator ista sciens, Marchiones suos, Luitbaldum scilicet, & Arbonem Comitem, unà cum cæteris fidelibus suis, parti, quæ ad se spem, ac confugium habuit, auxilium ad eorum liberationem protectionemque Bawarios suos Primates transmisit. At illi in ore gladii, igneque, prout poterant, inimicos suos humiliaverunt, & devastando necaverunt. Istius ergo dissensionis, & disruptæ pacis inter supra nominatos fratres Arbo Comes, & Iharico (2) filio suo instigante, instructor, delatorque, atque proditor esse convincitur, & ob hanc causam Præfecturâ sua ad tempus caruit, quam non multò post accepit. Deinceps autem quidam, qui erat quondam Princeps, cum cæteris primoribus gentis Bawariorum, nomine Erimbertus, qui postea Regi suisque rebellis extitit, à Prinzolavo quodam Sclavo Duce, qui & ipse Imperatori fidus probatur, comprehensus dinoscitur, & à Luitbaldo strenuo Comite, aliisque vinculis illigatus Regi à Drantesdorf est præsentatus, Christi Domini Natale anni instantis finiente. Iterum autem expeditione ordinata tempore hiemali, Bawariorum Principes cum suis fines Marahabitarum fortiter, atque hostiliter invaserunt, & manu valida loca illorum desertantes, prædamque colligentes, domumque revertentes, habentes ea . . . . . * *.

Tum verò multis temporibus inauditum scelus, & quod non oportuit facinus, de Regina Ota

(1) *Majo.*

(2) Infrà *Isaurico.*

Ota divulgatum est, idest, ut corpus suum in latebroso, ac iniquo manciparet conjugio. Quod ipsum Radaspona urbe mense Junio, juxta Primorum præsentium judicium LXXII. jurantibus definitum comprobatur.

Ipso quoque tempore ejusdem magni, & communis Placiti civitate Regia Rex paralysi solutus infirmatus est. Secundum autem ut Regi nocivum quoddam à viris, ac feminis daretur, ut inde paralyticus efficeretur, quorum unus vocabatur German, qui reus Majestatis convictus, & ideo Otingæ decollatus est: alter verò fugâ lapsus in Italia latuit. Et alia quoque femina nomine Rodpure, quæ ejusdem sceleris auctrix deprehensa, certa examinatione, inveniebatur Epilinga in patibulo suspensa, interiit.

Denique non post multum temporis Bawarii in terminos Maraborum confidenter iteratò intrantes, & quæcumque poterant diripiendo populati sunt, & Zuventobolchum puerum filium antiqui Ducis Zuventubolchi, suumque populum, de ergastulo civitatis, in quo inclusi morabantur, eripuerunt, ipsamque civitatem igni succenderunt, atque in fines patriæ suæ pro misericordia secum abduxerunt.

Interim autem Isauricus tyrannidem suam sinè cessatione contra Regem exercens. Quod vehementer Rex accipiens decrevit navigio, quia jam tunc infirmus corpore fatigaretur, civitatem Mutarensem, in qua ipse Isauricus erat, aggredi, quod & factum est; illo verò resistente, Rege quoque, & suis fortiter, viriliterque superantibus, atque civitatem oppugnantibus, demum ipse Isauricus vi compulsus, cum uxore, & his quæ ad se pertinebant, exivit, & Imperatori sese præsentavit. Tunc Rex custodibus illum custodiendum commendavit, quatenus Radasponam produceretur. At ille timens ne puniretur, fugam iniit, & Marchenses usque fugit. Quorum itaque adjutorio suffultus, ut prius partem Regni subripuit, eandem totum secum retinendo obtinuit. Engilmarus Pataviensis Episcopus obiit, in cujus locum Wihingus quidam Alamannus contra instituta Patrum prius Marahunensis ab Apostolicos destinatus Episcopus, Rege concedente successit: Sed non multò post à Deotmaro Archiepiscopo, ceterisque Suffraganeis suis, contra voluntatem Regis, canonicali judicio abjectus, ac Richardus ad eandem Sedem Episcopus in idipsum tempus ordinatus est.

LUDOVICUS III. IMP.
DCCCC.

900. Imperator urbe Radispona diem ultimum clausit, & honorificè in domo Emmerammi Martyris Christi à suis sepelitur. Ludowicus filius ejus, qui unicus tunc parvulus de legali uxore natus illi erat, in Regnum successit. Cujus frater de concubina, Zuventiboldus nomine, Gallicanum Regnum secum reitnens, res & Ecclesiarum crudelitate sua immoderatè affectans, maximum crimen, eo quòd Rotpodo Trevirensi Archiepiscopo, contra sacerdotalem honorem baculo suo in capite percutiens intulit à suis tam Episcopis, quàm Comitibus omnibus desertus est. Ipse verò recuperare nitens, cum paucis contra eos incautè dimicans, vitam cum Regno finivit.

Bajovvarii per Boëmanniam ipsis secum assumptis, Regnum Marahavorum cuncti per tres hebdomadas devastantes inruperunt. Tandem cum omni prosperitate domum reversi sunt. Interim verò Avari, qui dicuntur Ungari, tota devastata Italia, ita ut occisis Episcopis quamplurimis Italici contra eos depellere molientes, in uno prœlio uno die ceciderint XX. millia. Ipsi namque eadem via, qua intraverunt Pannoniam, & maxima parte devastantes, regressi sunt. Missos illorum sub dolo ad Bajoarios pacem optando, regionem videlicet ad explorandum transmiserunt. Quod, proh dolor! primum malum, & cunctis retrò transactis diebus invisum damnum Bajowarici Regni contulit. Igitur ex improviso cum manu valida, maximo exercitu, ultra Anseum fluvium, Regnum Bajowaricum hostiliter invaserunt, ita ut per quinquaginta milliaria in longum, & in transversum igne, & gladio cuncta cædendo, & devastando jam una die prostraverint. Quod comperientes ulteriores Bajowarii dolore compulsi, econtra festinare disponunt. Sed hoc Ungari præcognoscentes, cum his quæ deprædaverunt redierunt, unde venerunt, ad sua in Pannoniam. Interim verò quædam pars de exercitu illorum de Aquilonari parte Danubii fluminis partem illam devastando procupere. Quod ut Luitpoldo Comiti compertum foret, molestè hoc patiendum ferens, contra exisse cum quibusdam Primoribus Bajowariorum, uno tantùm Euchario Pataviensis Sedis Episcopo comitante, ultra Danubium eos insequendum se transposuit. Consertoque illico cum illis prœlio, nobiliter dimicatum est, sed nobiliùs triumphatum. Nam in prima congressione belli tanta Dei gratia Christianis occurrit, ut MCC. Gentilium inter occisos, & qui se in Danubio merserunt, perempti inveniantur. Vix tantùm unum de Christianis occisum in apparatu belli inveniunt, in cœlo inde Deo gratias clamantes ferebant, qui non in multitudine hominum, sed misericordiarum suarum pietate, bene sperantes in se servasset. Tandem læti post tantam victoriam * . . . . . . In eodem namque loco, post victoriam illis cœlitus datam congressi . . . . . magno. * * *

Aliqua desiderantur.

FINIS.

INDEX GENERALIS
RERUM, ET NOMINUM
Quæ continentur in Tomo II.
RERUM ITALICARUM.

B

D

E

Ejus

H

Ma-

I

L

M


Prin-

T

V

FINIS.




Österreichische Nationalbibliothek
+Z173652802





